CORPUS
GRAMMATICORUM LATINORUM VETERUM

COLLEGIT AUXIT RECENSUIT

AC POTIOREM LECTIONIS VARIETATEM

ADIECIT

FRIDERICUS LINDEMANNUS

SOCIORUM OPERA ADIUTUS.

TOMUS I.

DONATUM, PROBUM, EUTYCHIUM, ARUSIANUM MESSIUM, MAXIMUM VICTORINUM, ASPERUM, PHOCAM CONTINENS.

LIPSIAE,

SUMPTIBUS B. G. TEUBNERI ET F. CLAUDII.

CIƆIƆCCCXXXI.

PRAEFATIO TOMI PRIMI.

Tandem aliquando post varia rerum discrimina multasque interpellationes ac cessationes tendimus in publicum. Qui sero venit, excusationem habeat opus est, ni velit vanus haberi promissor sublestaeque fidei conductor. Quam excusationem habeo duplicem, alteram, quae vix erit ad me purgandum accommodata, sed quae accuset potius, nisi forte culpam suam confiteri, id ipsum habeatur pro excusatione; alteram ea re me satis significare posse puto, si mutatos libri redemptores librarios nuncio, quae res ipsa omni de his Grammaticis edendis suscepto negotio fausta ac tantum non unice salutaris accidit. Igitur primum quidem ipse non eo progrediebar studii ardore, ut cito ad finem perduci posse videretur negotium, neque id vitio dari possit multis et gravissimis muneris publici negotiis distracto et occupato, nisi quod is quoque fidem datam exsolvere debebam. Tum prior librarius rem non ea tractabat cura, qua decebat, si vellet ipse suscepti negotii aliquem capere fructum et sumptuum factorum faciendorumque brevem sperare compensationem. Quibus ego impedimentis eam nunc paravi medicinam, ut, nisi quid subiti acciderit, nulla amplius caussa exsistere posse videatur, quin horum Grammaticorum editio quam citissime fieri poterit absolvatur.

Et primum quidem *Fridericus Vilelmus Otto*, discipulus olim meus, iuvenis doctissimus, mihique amicissimus, editor Catonis Tulliani et librorum de Finibus nuperrimus, exorari se passus est, ut se mihi adiungeret suamque mihi praestare vellet operam in conferendis libris manuscriptis

editisque, atque in colligenda lectionis varietate eademque ita conscribenda, ut nihil nisi emendandi restaret diligentia copiarumque perlustrandarum labor. Quicum ita partitus sum totum opus, ut ipse nihil quidem me inconsulto mutaret, exceptis manifeste corruptis, variarum autem lectionum farraginem in margine inferiori notandarum componeret ordinaretque; ego vero et recenserem scriptoris orationem, et emendarem, quae mihi visa essent emendanda, et illius correctiones, si quae essent, quas fecisset, iudicio meo submitterem; quo facto uterque conveniremus in unum et coniuncta opera sociatoque studio scripta denuo perlustraremus. Atque ita quidem in *Festo* recensendo egimus, qui iam sub prelo est; in hoc autem primo volumine, quod nunc in publicum emittitur, solus ego omnia confeci conscripsique, si excipias collectionem ad *Phocam*, de qua paullo post sum dicturus.

Deinde autem diu agitata de mutandis librariis redemptoribus consilia laetum tandem ac prosperum invenerunt exitum, postquam *Teubnerus* et *Claudius*, bibliopolae consociati, viri optimi, hanc Grammaticorum editionem suis formis exprimendam suisque sumptibus evulgandam receperunt. Ita fieri poterit, ut quotannis *duo* ad minimum volumina huius libri edantur, quod ipsum et nos et librarii honestissimi vehementer optamus. Omnem autem collectionem quindecim voluminibus talibus, quale est hocce primum, absolvi posse non sine caussa speramus.

Iam quid consilii ego in adornanda instruendaque hac nova Grammaticorum Latinorum veterum editione secutus sim, quem modum, quam viam mihi praescripserim, paucis erit aperiendum. Et quod ad scriptores ipsos attinet, quos recensitura est haec editio; haud aliter exspectationi virorum doctorum satisfieri posse credo, nisi si omnes eos, quos Putschius et Gothofredus olim ediderunt, in unum collectos exhibeam, quibus accedent omnes, qui post illorum demum tempora in lucem prodierunt, veluti Mallius Theodorus, Consentius, Arusianus, Pompeius et qui sunt alii. Commentatores autem priscorum Latini sermonis scriptorum et scholiastas excludam omnes, quippe a meo consilio alienos, quorum tamen edendorum operam, quippe vehementer optabilem et optatam, ut primo quoque tempore aliquis recipiat, magnopere cupiam.

In recensenda autem horum scriptorum oratione sic versabor, ut, si fieri possit nullum librum editum sequi, sed ubique codices manu exaratos pro fundamento habere statuam, meum mihi tamen iudicium etiam in optimorum codicum lectionibus aestimandis liberum conservem, certasque coniecturas recipiam, varietatem autem lectionis potiorem tantum subscribam, addita ubi fuerit opus brevi explicatione. Hoc postremum de potiore lectionis varietate quomodo intelligam, dicendum est accuratius. Non enim illud mihi propositum est, ut ex iis, quos nancisci potuero, libris manuscriptis memoratu digniores excerpam varietates, sed potius quem codicem nactus fuerim antiquissimum eundemque optimum, eius omnes exscribam lectiones, etiam manifesto falsas, inprimis iis in locis, ubi fragmenta priscorum scriptorum reperiuntur; reliquos autem libros omnes in subsidium tantum adhibeam; Putschianae vero editionis lectiones omnino omnes accurate enotem ac transscribam. Persuasum enim habeo, illam quam vulgo vocant potiorem lectionis varietatem haud salutarem esse posse scriptoribus eorumque orationi restituendae, propterea quod, ubi codices adhibiti non integri conferuntur accuratissime, nunquam ad exoptatum aliquem finem perduci posse videtur opera critica in scriptore vetusto emendando posita. Neque tamen omnes omnino librorum varietates colligere collectasque exhibere expedit; atque in hac Grammaticorum editione, si omnem, quam colligere possim, lectionis farraginem adnotare velim, in quam immensum volumen excrescat totum opus, quantum inutile pondus habiturum, non est quod viris doctis dicam. — Ceterum in locis doctrinae grammaticae memorabilibus subnotandam credebam esse significationem similium apud alios Grammaticos locorum, nec minus scriptorum citatorum diligentiorem demonstrationem adiungendam, id quod feci faciamque ubicunque fieri potuerit.

Atque ita iam in hoc primo volumine edendo versatus sum. Et *Donatum* quidem, qui agmen ducit, postquam intellexi, codicem Santenianum, qui asservatur in bibliotheca regia Berolinensi, veram scriptoris exhibere manum, neglecta reliqua omni varietate ita instruxi, ut praeter codicis pauca errata integramque Putschianae editionis varietatem locos tantum scriptorum a Grammatico citatorum subnotarem, certissime persuasus, reliquam

omnem varietatem nihil habere, quod vel exiguo usui esse possit. In *Probo* emendando contigit mihi esse tam felici, ut si non unicum, at antiquissimum codicem manuscriptum in iucundissima atque amoenissima peregrinatione Vindobonae conferre possem. Etenim quum *Niebuhrius*, vir donec in vivis erat perillustris, cuius pios Manes hac allocutione consaluto, quem sibi praematura morte ereptum omnis luget Germania, quem nunquam oculis ego vidi, quem tamen fautorem expertus sum benignissimum venerborque donec vivam; quum igitur is accepisset, me in suscepta Grammaticorum editione plures iam fecisse sumptus quam pateretur rei familiaris meae ratio, meque a nemine adiuvari opibus intellexisset; haud exiguo me pecuniae munere affecit, quo adiutus Vindobonam profectus in bibliotheca imperiali codices Bobienses, qui olim in coenobio Sancti Columbani Bobiensi asservabantur, utendos accepi, quorum conferendorum opportunitas satis mihi liberaliter oblata est a viris praestantissimis, clarissimis *Kopitario* atque *Eichenfeldio*, custodibus bibliothecae Vindobonensis publicae optime meritis, cuius beneficii gratiae nunc publice illis actae sunto quantae intelligi possunt maximae. Itaque *Probum* sic edere potui, ut ex Codd. MSS. vix quicquam auxilii ad eum emendandum petendi neque exspectari posse neque opus esse videatur. Idem mihi contigit in *Eutychio* et in parte scriptorum *Maximi Victorini*, quorum schedas membraneas etsi non tam vetustas, quam Probi scripta, tamen satis antiquas esse et ad saeculum nostrae aerae nonum pertinere intellexi; erant autem eaedem Bobienses. Atque hoc loco facere non possum, quin commemorem, quae in singulari ad Eutychii libellum praefatiuncula significavi monstra verborum: *ettorondi* et *airect*, ea videri *Mauritio Hauptio*, iuveni praestantissimo, philosophiae doctori clarissimo, philologo non tantum Graece ac Latine doctissimo, discipulo olim meo, *Hibernicas* esse voces sive *Iricas*, ex quo facile quis coniiciat, codices istos Bobienses ex Hibernia in Italiam olim fuisse translatos. Ceterum in *Eutychio* exornando, praeter illius codicis Bobiensis et Putschianae editionis varietates, lectiones etiam principis editionis a Camerario curatae adhibui enotatasque adscripsi, quod beneficium tribuendum esse *Hertelio*, rectori Lycei Zuiccaviensis clarissimo, in singulari ad Eutychium praefatione iam significavi.

Ad *Arusianum Messium*, qui e codice Gudiano plus quam dimidia parte auctus ac nova fragmentorum Salustianorum commendatione beatus humanissimae debetur liberalitati rectorum civitatis Brunsvicensis atque *Eigneri*, tum bibliothecae ducali Guelpherbytanae praefecti, insigni benevolentiae, quibus gratiam me habere summam profiteor; ad *Arusianum*, inquam, adieci omnes Maianae editionis varietates, diligenter notatis etiam iis scriptorum locis, qui a Maio vel non accurate significati, vel non reperti erant; quod quum paucissimis in locis omiserim, in indice hoc emendatum est ac locorum indicatio suppleta.

In *Maximo Victorino*, *Aspero* et *Phoca* emendandis duum virorum benivolentia ac diligentia adiutrix mihi fuit. Codicis enim Gothani lectiones, qui maximam partem opusculorum ab illis Grammaticis conscriptorum et alia quaedam continet, excerpsit *Dübnerus*, vir clarissimus, qui suam mihi operam etiam in reliquis Grammaticis liberaliter est pollicitus; cui promisso nunc quidem stabit eo melius ac facilius, quod publico se munere abdicavit peregrinationes suscepturus ad bibliothecas Europae locupletiores. Ad *Phocam* edendum subsidia mihi excerpsit collegitque collega meus praestantissimus *Carolus Ernestus Langius*, qui codicum Guelpherbytanorum et editionum Venetae principis et Ascensianae collationem diligentissime confecit. In quibus Grammaticis emendandis licet non habuerim praeter Victorini unum libellum, qui est e Bobiensi codice emendatus, libros manu scriptos aetate commendabiles, tamen praestantes lectiones recepi, quibus fere perpolita existimari potest illorum scriptorum oratio.

Indices adieci et in posterum adiiciam locupletissimos et quantum fieri potest absolutissimos. Eorum conficiendorum curam idem recepit, de quo supra dixi, *Fridericus Vilelmus Otto*, qui hortatu meo tali artificio in iis conscribendis est usurus et iam usus est, ut nihil, quod memoratu dignum existimetur, aut omitti possit, aut negligi, aut inter conscribendum amitti. Erunt autem triplices illi indices, quemadmodum in hoc iam volumine praestitimus, unus rerum ac verborum, alter scriptorum citatorum, tertius notarum, cui accedet, ubi opus erit, Graecorum verborum notatio.

Hoc primum volumen proxime sequetur *Festus Pompeius*, ad quem exornandum felici copia sum instructus beneficio multorum virorum doctis-

simorum, quorum nomina in praefatione ad Tomum secundum exprimentur. Atque ita hoc omne Grammaticorum Latinorum veterum corpus satis digne exornatum prodibit, cuius rei ea pars, quae externi est splendoris, ad bibliopolas pertinet, quibus gratiam insignem debent viri docti, qui hac nostra opera sunt usuri. Ad internas autem copias quod attinet, aliquot sunt Grammatici, in quibus nobis nondum suppetunt auxilia, in quorum numero vehementissime desidero libros manu scriptos *Attilii Fortunatiani* atque *Plotii.* Qua de caussa humanissimis precibus oratos velim homines doctos, inprimisque bibliothecarum praefectos, ut circumspiciant diligenter, ac si quid ad hos aliosque Grammaticos invenerint, quod salutare esse possit, id mecum communicent, operamque mihi suam liberaliter praestare ne detrectent. Scripsi in Gymnasio Zittaviensi Cal. Mai. cIɔIɔcccxxxi.

Zur Nachricht für die Herren Buchbinder.

Nachstehende Cartons bittet man an gehöriger Stelle einzuheften, dagegen die frühern Blätter sorgfältig zu cassiren.

AELII DONATI ARS GRAMMATICA

TRIBUS LIBRIS COMPREHENSA

E CODICE SANTENIANO

EMENDATIUS

EDITA.

PRAEFATIO.

Ex quo primum libro manuscripto elegantissimi hi libelli, qui artem Donati grammaticam continent, sint editi, parum constat. An post principem editionem Haarlemensem, de qua cf. Fabricius in bibliotheca Latina tom. III, pag. 742. codices manu exarati adhibiti sint, nescio; credibile est, *Caesarium* in libello de barbarismo, et *Glareanum* in libro de octo partibus orationis, edendis, codices manuscriptos in auxilium vocasse. Cf. Fabricius in biblioth. Lat. tom. I, pag. 788. Horum tamen editiones ad partes vocare non potui. Quas mihi inspicere licuit editiones, eae omnes cum Basileensi magis minusve concordant, ex qua nihil auxilii sperandum esse iam antea sciebam. Edidit tamen Putschius ex hoc Basileensi exemplo suum Donatum, suum dico; nam *Bongarsii* libri quales fuerint, ex quibus Donatum se emendasse indicat, incertum est. Pessime autem interpolatum nobis dedisse elegantissimum Grammaticum, ex hac mea editione abunde, opinor, apparebit.

Praestantissimum ego codicem *Santenianum* nactus, eundem ex quo olim Pompeii commentarium in Donati libellum de barbarismo edidi, statim intellexi, aut hunc librum, aut nullum alium veram et genuinam Donati orationem exhibere. Qua de caussa, et simul quia animadvertebam, paucissimos tantum locos relinqui dubios, alia auxilia frustra circumspecta non

magnopere dolui et Donatum ex isto codice edere non amplius dubitavi. Quae ipse habebam ex antiquis editionibus enotata, ea omnia futilia esse, non sine frustra insumpti laboris poenitentia cognovi. Quare abieci, satis habens, praestantissimum codicem, quem ut denuo conferre possem, precibus impetravi ab humanitate eorum, qui rei litterariae per terras Borussicas summam curam gerunt, curare excudendum, notatis in ima libri ora Putschianae editionis interpolationibus. Sic enim existimabam, invento codice, qui genuinam scriptoris manum manifesto proderet, supervacaneum esse, omnes depravationes, quae in innumeris, quae exstant, editionibus habentur, indicare, hoc solo consilio, ut chartis et emptorum pecuniae parceretur. Scripsi in Gymnasio Zittaviensi Kal. Mai. CIƆIƆCCCXXVII.

DONATI ARS GRAMMATICA TRIBUS LIBRIS COMPREHENSA.

LIBER PRIMUS.

Segm. I. *De Voce.*

Vox est aer ictus, sensibilis auditu, quantum in ipso est. Omnis[1] vox aut articulata [1735] est, aut confusa. Articulata est, quae litteris conprehendi potest; confusa, quae scribi non potest.

Segm. II. *De Littera.*

1. Littera est pars minima vocis articulatae. Litterarum aliae sunt vocales, aliae consonantes. Consonantium[2] aliae sunt semivocales, aliae mutae. Vocales sunt, quae per se proferuntur et ipsae[3] syllabam faciunt. Sunt autem numero quinque: *a*, *e*, *i*, *o*, *u*. Harum duae *i* et *u* transeunt in consonantium potestatem, cum aut ipsae inter se geminantur, aut cum aliis vocalibus iunguntur, ut *Iuno*, *uates*. Hae etiam[4] *mediae* dicuntur, quia in quibusdam dictionibus expressum sonum non habent: *i* ut *uir; u* ut *optumus*. Extra quam formam *u* littera interdum nec vocalis nec consonans habetur[5], cum inter *q* litteram consonantem et aliquam vocalem constituitur, ut *quoniam*, [1736] *quidem*. Huic item digammon[6] adscribi solet, cum sibi ipsa praeponitur, ut *seruus*, *uulgus*. Nam *i* litteram geminari in unam syllabam[7] posse plurimi negant.

2. Latinae vocales omnes et produci[8] et corripi possunt. Atque his solis adspirari[9] quidam existimant. — Semivocales sunt, quae per se quidem proferuntur, sed per se syllabam non faciunt. Sunt autem numero septem: *f*, *l*, *m*, *n*, *r*, *s*, *x*. Ex his una duplex est *x*, et liquidae quattuor: *l*, *m*, *n*, *r;* ex quibus *l* et *r* faciunt communem syllabam. Et *s* littera suae cuiusdam potestatis est, quae in metro plerumque vim consonantis amittit[10]. Item ex illis *f*[11] littera superponitur liquidis *l* vel *r*[12], quemadmodum muta quaelibet, et communem syllabam facit.

3. Mutae sunt, quae nec per se proferuntur nec per se syllabam faciunt. Sunt autem numero novem: *b*, *c*, *d*, *g*, *h*, *k*, *p*, *q*, *t*. Ex his supervacuae quibusdam videntur[13] *k* et *q*; [1737]

1) *Omnis autem vox* Putsch. — 2) *C. autem aliae* Putsch. — 3) *per se* Putsch. Haec male repetita e superioribus. — 4) *Hae autem* Putsch. — 5) *nec vocalis habetur nec consonans* Putsch. — 6) *Digamma* Putsch. *Digammos* est apud Pompeium p. 21. Cf. quae ibi notavi. Atque ita fortasse etiam h. l. legendum. — 7) *in una syllaba* Putsch. — 8) *omnes produci* Putsch. Cum Cod. conspirat. Pomp. p. 23, qui hunc locum excitat. — 9) *aspirari* Putsch. — 10) In Cod. est a pr. m. *admittit;* emendatum *ammittit.* Rem declarat Pomp. p. 28. — 11) *Item ex his semivocalibus septem f littera* P. Recentior manus in Codice ita proferendum voluit hunc locum: *Item ex illis septem semivocalibus f littera.* Interpretamentum aperte se prodit. — 12) *L et r* Putsch. — 13) *Ex his duae supervacuae quibusdam imperitis esse videntur* Putsch. Ita etiam glossa in Cod. praeterquam quod *esse* deest. Cf. praeterea, quae apud Pomp. leguntur p. 31 et quae ibi notavi.

qui nesciunt, quotiens *a* sequitur, *k* litteram praeponendam esse, non c; quotiens *u* sequitur, per *q*, non per c scribendum[1].

4. *H* interdum consonans, interdum adspirationis creditur nota. *Y* et *z* remanent, quas litteras propter Graeca nomina admisimus[2]; altera namque vocalis, altera consonans duplex. Unde fit, ut quidam putent, Latinas litteras non plures esse, quam XVII; si quidem ex XX et tribus[3] una adspirationis nota est, una duplex, duae supervacuae, duae Graecae. — Accidunt unicuique litterae tria: nomen, figura, potestas. Quaeritur enim, quid vocetur littera, qua figura sit, quid[4] possit.

Segm. III. *De Syllaba.*

1. Syllaba est conprehensio litterarum vel unius vocalis enunciatio temporum capax. Syllabarum aliae sunt breves, aliae longae, aliae communes. Breves sunt, quae et correptam vocalem habent et non desinunt in duas consonantes[5], aut in unam duplicem[6], aut in aliquid, quod sit pro duabus consonantibus[7]. Longae aut natura sunt, aut positione fiunt[8]. Natura, cum aut vocalis producitur, ut *a*, *o*, aut duae vocales iunguntur et diphthongon faciunt, ut *ae*, *oe*, *eu*, *ei*, *au*[9]. Positione[10], cum aut correpta vocalis in duas desinit consonantes, ut *arma*, *arcus;* aut in unam duplicem, ut *axis;* aut in alteram consonantem et alteram vocalem loco consonantis positam, ut *at Iuno*, *at Venus*[11]; aut in *i* litteram solam[12], loco consonantis positam, quam nonnulli geminant, ut:

Aio te Aeacida Romanos vincere posse[13]. [1738]

2. Sunt etiam syllabae, quae communes dicuntur[14], cum aut[15] correptam vocalem duae consonantes secuntur[16], quarum prior aut muta quaepiam est, aut *f* semivocalis, et sequens liquida[17]; aut cum correpta vocalis in unam desinit consonantem sequente *h*, quae plerisque adspirationis videtur[18] nota[19]; aut cum correptam vocalem duae consonantes secuntur, quarum prior *s* littera est[20]; aut cum partem orationis terminat brevis syllaba, quae in unam desinit consonantem[21]; aut cum pars orationis in longam[22], quae diphthongus appellatur, sequente statim vocali[23]; aut cum producta vocalis est, vocali altera consequente[24]; aut cum pronomen *c* littera terminatum vocalis statim[25] subsequitur; aut cum correptas vocales suscipit *z* Graeca duplex[26]; aut cum correpta vocalis in unam desinit consonantem, sequente statim vocali in eadem dictione. — Longa syllaba duo tempora habet, brevis unum. Syllaba aput[27] metricos *semipes* nominatur.

Segm. IV. *De Pedibus.*

1. Pes est syllabarum et temporum certa dinumeratio[28]. Accidunt unicuique pedi arsis et thesis, numerus syllabarum[29], tempus, resolutio, figura, metrum. Pedes disyllabi sunt quattuor, trisyllabi octo, duplices sedecim. Ergo disyllabi quattuor hi[30] sunt:

Pyrrhichius ex duabus brevibus, temporum duum[31], ut *fŭgă*[32].

1) Apud Putschium leguntur etiam haec: *excepto c u r et c u m, quod per c scribendum est, quia inter q et aliam consonantem u sine altera vocali poni non potest.* Indigna haec Donato. — 2) *assumpsimus* Putsch. — 3) *ex his viginti e. tr.* P. — 4) *quidve* Putsch. — 5) addit Putsch. *ut ast.* — 6) addit Putsch. *ut lex.* — 7) addit P. *ut aio.* — 8) *Longae autem sunt natura aut positione* Putsch. Deest *fiunt.* — 9) *faciunt, ae, oe, ae, au, eu, ai, ei* Putsch. — 10) *Positione longae sunt syllabae, quum.* P. — 11) Haec apud Putschium sic habentur: *quum aut correpta vocalis in duas desinit consonantes, ut a s t. Aut cum desinit in unam consonantem et excipitur ab altera consonante, ut a r m a, a r c u s. Aut in alteram consonantem et alteram vocalem, loco consonantis positam, ut At I u n o, At V e n u s. Aut in unam duplicem, ut d u x. Aut excipitur ab x, duplici consonante, ut a x i s.* — 12) Addit P. *inter duas vocales.* — 13) Ennius apud Cic. de Divin. II, 56. — 14) *vocantur* P. — 15) *aut* deest apud P. — 16) Ita saepe in hoc Codice, quam scripturam mutare nolui. — 17) Addit duo exempla P. *Vastosque ab rupe Cyclopas.* Et *vasto Cyclopis in antro.* Sed ego ista multa exempla a commentatoribus adiecta esse puto. — 18) *creditur* P. — 19) Sequuntur exempla apud P.

Huic contrarius est *spondeus*, ex duabus longis, temporum quattuor, ut *aētās*[33].
Iambus ex brevi et longa, temporum trium, ut *părēns.*
Huic contrarius est *trochaeus*[34], ex longa et brevi, temporum trium, ut *mētă.* [1739]

2. Trisyllabi octo hi[35] sunt.
Tribrachys[36], ex tribus brevibus, temporum trium, ut *măcŭlă.*
Huic contrarius est *molossus*, ex tribus longis, temporum sex, ut *Aēnēās.*
Anapaestus ex duabus brevibus et longa, temporum quattuor, ut *Ĕrătō.*
Huic contrarius est *dactylus*, ex longa et duabus brevibus, temporum quattuor, ut *Maenălŭs*[37].
Amphibrachys[38], ex brevi et longa et brevi, temporum quattuor, ut *cărīnĕ.*
Huic contrarius est *amphimacrus*, ex longa, brevi[39] et longa, temporum quinque, ut *īnsŭlaē.*
Bacchius ex brevi et duabus longis, temporum quinque, ut *Ăchātēs.*
Huic contrarius est *antibacchius*, ex duabus longis et brevi, temporum quinque, ut *nātūră.*

3. Duplices sedecim hi[40] sunt.
Proceleusmaticus[41], ex quattuor brevibus, temporum quattuor, ut *ăvĭcŭlă.*
Huic contrarius est *dispondeus*, ex quattuor longis, temporum octo, ut *ōrātōrēs.*
Diiambus, ex duobus iambis, temporum sex, ut *prŏpīnquĭtās.*
Huic contrarius est *ditrochaeus*, ex duobus trochaeis[42], temporum sex, ut *cāntĭlēnă.*
Antispastus, ex brevi et duabus longis et brevi, temporum sex, ut *Sălōnīnŭs*[43].
Huic contrarius est *choriambus*, ex longa et duabus brevibus et longa, temporum sex, ut *ārmĭpŏtēns.*
Ionicus minor ex duabus brevibus et duabus longis, temporum sex, ut *Dĭŏmēdēs.*
Huic contrarius est *Ionicus maior*, ex duabus longis et duabus brevibus, temporum sex, ut *Iūnōnĭŭs.*
Paeon primus, ex prima longa et tribus brevibus, temporum quinque, ut *lēgĭtĭmŭs.*
Paeon secundus, ex secunda longa et tribus brevibus, temporum quinque, ut *cŏlōnĭă.* [1740]
Paeon tertius, ex tertia longa et tribus brevibus, temporum quinque, ut *Mĕnĕdēmŭs.*
Paeon quartus, ex quarta longa et tribus brevibus, temporum quinque, ut *cĕlĕrĭtās.*
His contrarii sunt quattuor[44] epitriti.
Epitritus primus, ex prima brevi et tribus longis, temporum septem, ut *săcērdōtēs.*
Epitritus secundus, ex secunda brevi et tribus longis, temporum septem, ut *cōndĭtōrēs.*
Epitritus tertius, ex tertia brevi et tribus longis, temporum septem, ut *Dēmŏsthĕnēs.*
Epitritus quartus, ex quarta brevi et tribus longis, temporum septem, ut *Fēscēnnīnŭs.*

4. Exhinc deinceps alii pedes, synzugiaeve[45] nascuntur. Nam quemadmodum pedes disyllabi[46] quattuor geminati sedecim duplices faciunt, ita[47] idem cum trisyllabis coniuncti triginta duo[48]

Terga fatigamus hasta; et, Ibat ovans, Divumque sibi poscebat honorem. — 20) Addit exempla P. *ut Ponite spes sibi quisque, et Unde spissa coma.* — 21) Addita leguntur apud P. *sequente vocali, ut est, Omnia vincit amor et nos cedamus amori.* — 22) *desinit in longam* P. et Glossa in Cod. — 23) addit exempla P. *ut Musae Aonides, et, Insulae Ionio in magno.* — 24) *sequente* P. — 25) *statim* deest P. — 26) *aut quum correptam vocalem suscipit z litera consonans atque duplex* P. Sic fere etiam Glossa Cod., nisi quod glossa v. *litera* omittit. — 27) Ita Codex. — 28) *dinumeratio* P. — 29) *et tempus* P. — 30) Cod. *hii.* — 31) *duorum* P. — 32) Desunt signa prosodiaca apud P. hic et in seqq. — 33) *Aestas* P. — 34) Cod. *trocheus.* — 35) Cod. *hii.* — 36) *Tribrachus.* P. Cod. *tribrachis.* — 37) Cod. *Menalus.* — 38) *Amphibrachus* P. *amphibrachis* Cod. — 39) *et brevi.* P. — 40) Cod. *hii.* — 41) *Proceleumaticus.* Cod. — 42) Cod. *ditrocheus* et *trocheis.* — 43) Cod. a pr. m. *Sălōnĭŭs*, sed emendatum. — 44) *Sunt hi epitriti.* Putsch. — 45) *Pedes syzygiae nascuntur.* Putsch. Nolui mutare scripturam Codicis, quae mihi non a librario profecta videtur. — 46) *disyllabi* deest apud P. — 47) *Iidem* P. *Idem* contracte pro *iidem* saepe in vetustis codicibus. — 48) *triginta et duo* P.

de se reddunt. Trisyllabi vero cum trisyllabis geminati sexaginta quattuor[1] colleguntur. Atque excepto ampibrachi[2] et epitrito[3], quorum alterum tripla, alterum epitrita divisione partimur, universorum pedum trina conditio repperitur. In aliis enim aequa divisio est, in aliis dupla, in aliis sexcupla; et prima dactylica, secunda iambica, tertia paeonica nominatur. Sunt in unoquoque metro pedes legitimi, sunt nothi. Simplices pedes non amplius, quam ternas syllabas, duplices non amplius quam senas habent.

Segm. V. *De Tonis.*

1. Tonos alii accentus alii tenores nominant. Toni igitur tres sunt, acutus, gravis, circumflexus. Acutus cum in Graecis dictionibus tria loca teneat, ultimum, paeneultimum[4] et antepaeneultimum; apud Latinos paeneultimum et antepaeneultimum tenet[5]; ultimum numquam. Circum- [1741]
flexus autem, quotlibet syllabarum sit dictio, non tenebit nisi paeneultimum locum. Gravis poni in eadem dictione vel cum acuto vel cum circumflexo potest; hoc illi non est commune cum ceteris. Ergo monosyllaba, quae correptam vocalem habebunt, acuto accentu pronunciabimus, ut *pax*, *pix*, *nux;* quae productam vocalem habebunt, circumflexo accentu pronunciabimus, ut *res*, *dos*, *spes*. In disyllabis, quae priorem productam habuerint et posteriorem correptam, priorem syllabam circumflectimus, ut *meta*, *Creta*. Ubi vel ambae productae, vel posterior syllaba producta fuerit, vel ambae correptae, acuemus priorem syllabam, sive illa[6] correpta fuerit, sive producta, ut *leges*, *reges*, *nepos*, *bonus*[7]. In trisyllabis[8] et deinceps, si paeneultima correpta fuerit, acuemus antepaeneultimam, ut *Tullius*[9], *Hostilius*. Si paeneultima positione longa fuerit, ipsa acuetur et antepaeneultima gravi accentu pronunciabitur, ut *Catullus*[10], *Metellus*, ita tamen, si positione longa non ex muta et liquida fuerit. Nam mutabit accentum, ut *latebrae*, *tenebrae*. Si ultima brevis fuerit, paeneultima vero natura longa, paeneultima circumflectitur, ut *Cethegus*, *perosus*[11]. Si ultima quoque natura longa fuerit[12], paeneultima acuetur, ut *Athenae*, *Mycenae*. In conpositis dictionibus unus accentus est non minus, quam in una parte orationis, ut *malesanus*[13], *intercaloci*.

2. Accentus in integris dictionibus observantur; in interiectionibus et in peregrinis verbis et in barbaris nominibus nulli certi sunt. Accentuum legem vel distinguendi vel pronunciandi ratio vel discernendae ambiguitatis necessitas saepe conturbat. Sane Graeca verba Graecis accentibus[14] efferimus. In Latinis neque[15] acutus accentus in ultima syllaba poni potest, nisi discretionis causa, ut in adverbio *poné*[16], ideo ne verbum putetur inperativi modi; neque circumflexus, nisi in ea particula, quae est *ergo*. [1742]

3. Acutus accentus est nota per obliquum ascendens in dexteram partem, ita[17]: ´. Gravis, nota a summo in dexteram partem descendens, ita: `. Circumflexus nota de acuto et gravi facta, ita: ^. Longa linea[18] a sinistra in dexteram partem aequaliter ducta[19], ita: —. Brevis virgula similiter iacens, sed panda et contractior[20], ita: ᴗ. Hyphen virgula subiecta versui, ita: ‿; hac nota subter posita duo verba, cum ita res exigit, copulamus, ut:

1) *sexaginta et quatuor* P. — 2) *amphibracho* P. — 3) Post hoc voc. intrudunt editiones haec: *quem metrici informem et incognitum iudicant.* Cod. eadem post v. *partimur* addit, sed pro *incognitum, inconditum* habet. Ego ut serius additamentum eieci, locumque totum rectius distinxi. Consentit mecum Priscianus in libro de figur. numeror. c. 6, ubi verba ista itidem omittuntur. — 4) *penultimum et antepenultimum* P. Atque ita quoque paullo post. — 5) *tenet apud Latinos penultimum et a.* P. — 6) deest *illa* apud Putsch. — 7) *honos* P. — 8) addit P. *tetrasyllabis.* — 9) *nullius* P. — 10) *Catellus* P. — 11) *Berosus* P. — 12) *natura fuerit longa* P. — 13) *in una parte dictionis*, *ut benesanus* P. — 14) addit P. *melius.* — 15) *nunquam* P. — 16) Diligentissime enotavi signa haec grammatica ex Codice accuratissime scripto. — 17) *Ita* hic et in seqq. deest apud P. — 18) *Longus est linea* P. — 19) h. l. *ita* deest in Cod. — 20) *Panda a superiori et c.* P. —

Ante tulit gressum[21]; et:

‿

Turnus ut ante volans tardum praecesserat agmen[22].

‿

Huic contraria est diastole, dextera pars quaedam circuli ad imam litteram adposita, ita: ,. Hac nota male cohaerentia discernuntur, ut est:

Ereptae virginis, *ira*[23]. Et:

Viridique in littore conspicitur, *sus*[24].

Apostrophos circuli item pars dextera, sed ad summam litteram posita[25] ita: '. Hac nota deesse ostendimus parti orationis ultimam vocalem, cuius consonans remanet, ut:

Tanton' me crimine dignum Duxisti?[26]

Caeterum dasian ├ et psilen ┤ apud Latinos H[27] vel addita vel detracta significat.

Segm. VI. *De Posituris.*

Tres sunt omnino[28] positurae vel distinctiones, quas θέσεις[29] Graeci vocant: distinctio, subdistinctio, media distinctio. Distinctio est, ubi finitur plena sententia; huius punctum ad summam litteram ponimus. Subdistinctio est, ubi non multum superest de sententia, quod tamen[30] necessario separatum mox inferendum sit. Huius punctum ad imam litteram ponimus. Media est, ubi fere tantumdem[31] de sententia superest, quantum iam diximus, cum tamen respirandum sit. Huius punctum ad mediam litteram ponimus. In lectione tota sententia periodos dicitur, cuius partes sunt cola et commata[32].

LIBER SECUNDUS.

Segm. I. *De Partibus orationis.* [1743]

1. Partes orationis sunt octo: nomen, pronomen, verbum, adverbium, participium, coniunctio, praepositio, interiectio. Ex his duae sunt principales[33], nomen et verbum. Latini articulum non adnumerant, Graeci interiectionem.

2. Multi plures, multi pauciores partes orationis putant. Verum ex omnibus[34] tres sunt, quae sex casibus inflectuntur, nomen, pronomen et participium.

Segm. II. *De Nomine.*

1. Nomen est pars orationis cum casu, corpus aut rem proprie communiterve significans. Proprie, ut *Roma*, *Tiberis;* communiter, ut *urbs*, *flumen*[35]. Nomini accidunt sex, qualitas, comparatio, genus, numerus, figura, casus. Nomen unius hominis[36], appellatio multorum, vocabulum rerum est[37]. Sed modo nomina generaliter dicimus[38].

21) Virg. Aen. VI, 677. — 22) Virg. Aen. IX, 47. — 23) *Tum Danai gemitu, atque ereptae v. i.* P. Locus est Virg. Aen. II, 413. — 24) *Procubuit, viridique* cet. P. Locus est Virg. Aen. VIII, 83. — 25) *adposita* P. — 26) *Omnipotens genitor, tanton' me crimine dignum Duxisti, et tales voluisti expendere poenas?* P. Locus est Aen. X, 668. — 27) *H litera vocali* P. — 28) Deest *omnino* apud P. — 29) Cod. *thesis.* — 30) *tunc* P. — 31) *tantum* P. — 32) Additur in Cod. ex interpretatione: *id est, membra et caesa.* — 33) Addit P. *partes orationis.* — 34) *Verum ex his* P. — 35) *urbs et flumen* P. — 36) *nominis* P. — 37) Pessime est apud P. *appellatio multarum vocabulum rerum est.* — 38) Citantur haec a Prisciano XVIII, 20. p. 180. tom. II., ubi in Krehl. edit. perperam est: *diximus.* Verum tenuit Putsch.

2. Qualitas nominum bipertita[1] est. Aut enim propria sunt nomina aut appellativa. Propriorum nominum secundum Latinos quattuor sunt species: praenomen, nomen, cognomen, agnomen[2], ut *Publius Cornelius Scipio Africanus.* Omnia praenomina aut singulis litteris notantur, ut *G. Caesar*, Gaius Caesar; *L. Catilina*, Lucius Catilina[3]; aut binis, ut *GN.* Gneus[4]; *SP.* Spurius; aut ternis, ut *Sex. Roscius*, Sextus Roscius[5].

3. Appellativorum nominum species multae sunt[6]. Alia enim sunt corporalia, ut *homo, terra, mare.* Alia incorporalia, ut *pietas, iusticia, dignitas.* Alia primae positionis, ut *mons, schola.* Alia derivativa, ut *montanus, scholasticus.* Alia deminutiva[7], ut *monticulus,* [1744] *scholasticulus.* Deminutivorum gradus tres sunt[8], quorum forma quam magis[9] minuitur, crescit saepe numerus syllabarum. Sunt etiam quasideminutiva, quorum origo non cernitur, ut *fabula, macula, tabula, vinculum.* Sunt nomina tota Graecae declinationis, ut *Themisto, Calypso, Pan.* Sunt tota conversa in Latinam regulam, ut *Polydeuces, Pollux, Odysseus, Ulixes*[10]. Sunt inter Graecam Latinamque formam, quae notha appellantur, ut *Achilles, Agamemno*[11]. Sunt alia homonyma, quae sub[12] una appellatione plura significant, ut *nepos, acies, aries.* Sunt alia[13] synonyma vel polyonyma, ut *terra, humus, tellus; ensis, mucro, gladius.* Alia patronymica, ut *Atrides, Pelides;* haec et ab avis et a matribus[14] saepe fiunt. In his, quae Graeca sunt, sive masculina fuerint, sive feminina, Graecam magis servavimus[15] regulam. Horum[16] masculina aut in *des* exeunt, ut *Atrides* ab *Atreo*[17]; aut in *ius*, ut *Peleius*, a *Peleo;* aut in *ion*, ut *Nerion*, a *Nereo.* Feminina autem aut in *is* exeunt, ut *Atreis;* aut in *ias*[18], ut *Peleias*[19], aut in *ne*, ut *Nerine.* Sunt etiam[20] *κτητικά*, id est possessiva, quae in *ius* exeunt, ut *Evandrius ensis, Agamemnoniaeque*[21] *Mycenae.* Sunt alia[22] mediae significationis et adiecta nominibus[23], ut *magnus, fortis.* Dicimus enim *magnus vir, fortis exercitus.* Haec etiam epitheta dicuntur, id est adiectiva[24]. Sunt[25] alia qualitatis, ut *bonus, malus;* alia quantitatis, ut *magnus, parvus.* Alia gentis, ut *Graecus, Hispanus.* Alia patriae, ut *Thebanus, Romanus.* Alia numeri, ut *unus, duo.* Alia ordinis, ut *primus, secundus;* sed *primus* de multis, de duobus *prior* dicitur, sicut de duobus *alterum* dicimus[26], de multis *alium.* Sunt alia ad aliquid dicta, ut *pater, frater;* alia ad aliquid qualiter[27] se habentia, ut *dexter, sinister.* [1745] Haec et conparativum gradum admittunt, ut *dexterior, sinistrior*[28]. Sunt alia generalia, ut *corpus, animal,* alia *specialia*, ut *lapis, homo, lignum;* alia facta de verbo, ut *doctor, lector*[29]*;* alia participiis similia, ut *demens, sapiens, potens;* alia verbis similia, ut *comedo*[30], *palpo, contemplator, speculator;* sed illa conparatione discernuntur, haec casibus[31].

Segm. III. *De Conparatione*[32].

1. Conparationis gradus sunt tres, positivus, conparativus, superlativus; positivus, ut *fortis;* conparativus, ut *fortior;* superlativus, ut *fortissimus.* Sed conparativus gradus generis est semper

1) *bipartita* P. — 2) *et agnomen* P. — 3) *ut C. Caesar, L. Catilina* P. — 4) *ut Cn. Pompeius* P. — 5) *ut Sex. Roscius* P. — 6) *multae sunt species* P. — 7) *Diminutiva* P. semper. — 8) *Diminutivorum nominum tres sunt gradus* P. — 9) *Quo magis* P. Pompeius hunc locum p. 106. sic exhibet: *quando sensus minuitur* cet., unde olim legendum conieci: *quanto magis sensus minuitur, crescit* cet. Sed verum est, quod a Codice nostro exhibetur. — 10) *Ulysses* P. — 11) *Agamemnon* P. Codex quidem *Agamemnon*, sed aperte contra scriptoris mentem. — 12) Deest *sub* apud P. — 13) *Sunt etiam alia* P. — 14) *a patribus* P. — 15) *Servabimus* P. — 16) *Alia horum* P. — 17) Desunt *ab Atreo* apud P. — 18) *in as* P. — 19) *Pelias* P. — 20) *Sunt alia* P. Tum Cod. pr. m. *theiga*, quod emendatum *thethica.* — 21) *que* deest apud P. — 22) *Et alia* P. — 23) *adiectiva nom.* P. — 24) Desunt *id est adi.* apud P. — 25) Deest *sunt* apud P. — 26) Hic intrudit *ita* P. — 27) *quodammodo* P., quod mihi scioli emendatoris esse videtur. — 28) *non dextrior et sinistrior, sed dexterior et sinisterior* P., quo nihil deterius excogitari potuit. — 29) *ut dictor, factor, lector* P. — 30) In Cod. est *commedo.* Sed in margine a pr. m. sic: *no.* (i. e. nomen) *comedo, donis.* — 31) *sed illa — casibus.* Haec et interposita desunt apud P. Eadem non legisse videtur Pompeius, qui p. 120 sic:

communis. Conparantur autem nomina, quae aut qualitatem significant aut quantitatem[33], sed non omnia per omnes gradus exeunt. Aliquando enim positivus gradus tantum invenitur, ut *mediocris;* aliquando positivus et conparativus, ut *senex*, *senior*[34]*;* aliquando positivus et superlativus, ut *pius*, *piissimus*, nam pro conparativo[35] gradu *magis* adverbium ponimus, ut *magis pius*; aliquando conparativus et superlativus, ut *ulterior*, *ultimus;* aliquando superlativus tantum, ut *novissimus.* Extra quam[36] formam est *bonus* et *malus*[37]. Dicimus enim *bonus*, *melior*, *optimus; malus*, *peior*, *pessimus*[38].

2. Conparatio nominum proprie in conparativo et superlativo gradu est constituta. Nam positivus perfectus et absolutus est. Saepe autem conparativus gradus praeponitur superlativo, ut *stultior stultissimo*, et *maior maximo.* Saepe idem[39] minus a[40] positivo significat, quamvis recipiat conparationem, ut: *Mare Ponticum dulcius quam cetera*[41]. Saepe idem pro positivo positus minus[42] significat et nulli conparatur, ut:

Iam senior, *sed cruda deo*, *viridisque senectus*[43]. [1746]

3. Sunt nomina significatione deminutiva, intellectu conparativa, ut *grandiusculus*, *maiusculus*, *minusculus.* Conparativo et superlativo gradui[44] *tam*, aut *minus*, aut *minime*, aut *magis*, aut *maxime* adici non oportet; adiciuntur[45] autem positivo tantum. Dicimus enim *tam bonus*, *tam malus; minus bonus*, *minus malus; minime bonus*, *minime malus; magis bonus*, *magis malus; maxime bonus*, *maxime malus.*

4. Conparativus gradus ablativo casui adiungitur utriusque numeri, sed tunc utimur[46], cum aliquem vel alieno vel suo generi conparamus, ut *Hector fortior Diomede*, vel *audacior Troianis fuit.* Dicimus autem, ut[47] *fortior hic quam ille est*[48]. Superlativus autem genitivo tantum plurali adiungitur, sed tunc utimur[49], cum aliquem suo generi conparamus, ut *Hector fortissimus Troianorum fuit.* Plerumque superlativus pro positivo ponitur et nulli conparatur, ut *Iuppiter optimus maximus;* interdum conparativus gradus nominativo adiungitur, ut *doctior hic quam ille est*[50].

SEGM. IV. *De Generibus.*

1. Genera nominum sunt quattuor, masculinum, femininum, neutrum et[51] commune. Masculinum est, cui numero singulari casu nominativo pronomen vel articulus praeponitur *hic*, ut *hic magister;* femininum, cui numero singulari casu nominativo pronomen vel articulus praeponitur[52] *haec*, ut *haec Musa;* neutrum, cui numero singulari casu nominativo pronomen vel articulus praeponitur *hoc*, ut *hoc scamnum.* Commune est, quod simul masculinum femininumque significat, ut *hic* et *haec sacerdos.* Sed ex his vel principalia vel sola genera duo sunt, masculinum et femininum. Nam neutrum et commune de utroque nascuntur. Est etiam trium generum commune, quod *omne* dicitur, ut *hic* et *haec* et *hoc felix.* Est epicoenon, id est, promiscuum, quod[53] sub una significatione marem et feminam conprehendit, ut *passer*[54], *aquila.* Sunt praeterea alia sono [1747]

Si participium fuerit, *non recipit comparationem: nemo dicet legens*, *legentior*, *legentissimus. Hoc noluit adiicere Donatus*, *quod est utile satis.* — 32) *De Comparativo.* P. Sed *de comparatione* etiam Pompeius legit. — 33) *aut qualitatem aut quantitatem significant* P. Aliter, sed aperte memoriter, citat Pompeius p. 128. *Quae nomina comparationem recipiunt? Ait*, *ea*, *quae sunt qualitatis et quantitatis.* — 34) Addit P. *iuvenis iunior per syncopam.* — 35) *pro secundo gradu* P. — 36) *hanc* P. — 37) *sunt bonus et malus et magnus* P. — 38) Addit P. *magnus*, *maior*, *maximus.* Hic et paullo ante manifeste se prodit manus interpolatoris. — 39) *idem* deest apud P. — 40) *a* deest apud P. Sed necessarium est, quia ita solet Donatus. — 41) Sallustio tribuitur a Pompeio, quem vide p. 135. — 42) *minus a positivo* P. — 43) Virg. Aen. VI, 304. — 44) Deest *gradui* apud P. — 45) *adiici* — *adiiciuntur* P. Citat locum hunc Pompeius, sed ex memoria tantum et carptim, p. 135. — 46) *tum hoc utimur* P. — 47) *ut* deest apud P. rectius fortasse. — 48) *est* deest apud P. — 49) *sed tunc hoc utimur* P. — 50) *est* deest apud P. — 51) *et* deest apud P. — 52) Pro *praeponitur* in Cod. *ponitur.* Vitium ortum ex compendio *p̄ponitur.* — 53) Putschii haec lectio est. Codex exhibet: *Et graecae declinationis epicenon ut promiscuum*, *que.* — 54) *et* interponit P.

masculina, intellectu feminina, ut *Eunuchus comoedia*, *Orestes tragoedia*, *Centaurus navis*. Alia sono feminina, intellectu masculina, ut *Fenestella scriptor*, *Aquila orator*. Alia sono neutra, intellectu feminina, ut *Phronesium mulier* vel *Glycerium*[1]. Alia sono feminina, intellectu neutra, ut *poema*, *schema*[2]. Alia sono masculina, intellectu neutra, ut *pelagus*, *vulgus*.

2. Sunt praeterea nomina in singulari numero alterius generis, et alterius in plurali, ut *balneum*, *Tartarus*, *caelum*, *porrum*, *cepe*, *locus*, *iocus*, *forum*[3]. Sunt item nomina incerti generis inter masculinum et femininum, ut *cortex*, *silex*, *radix*[4], *finis*, *stirps*[5], *pinus*, *pampinus*, *dies*. Sunt incerti generis inter masculinum et neutrum, ut *frenum*[6], *clipeus*, *vulgus*, *specus*. Sunt incerti generis inter femininum et neutrum, ut *buxus*, *pirus*, *prunus*, *malus*[7]. Sed neutro fructum, feminino ipsas arbores saepe dicimus.

3. Sunt etiam genera nominum fixa, sunt mobilia. Fixa sunt, quae in alterum genus flecti non possunt, ut *mater*, *soror*, *pater*, *frater*[8]. Mobilia autem[9] aut propria sunt et duo genera[10] faciunt, ut *Gaius*, *Gaia; Marcius*, *Marcia*[11]*;* aut appellativa sunt, et tria[12] faciunt, ut *bonus*, *bona*, *bonum; malus*, *mala*, *malum*. Sunt item alia nec in toto fixa nec in toto[13] mobilia, ut *draco*, *dracena; leo*, *leaena*[14]*; gallus*, *gallina; rex*, *regina*. Sunt alia deminutiva, quae non servant genera[15], quae ex nominibus primae positionis adveniunt[16], ut *scutum*, *scutella*[17]*; pistrinum*, *pistrilla; canis*, *canicula; rana*, *ranunculus; statua*, *statunculum*[18].

4. Nomen in *a* vocalem desinens nominativo casu numero singulari aut masculinum est, ut *Agrippa;* aut femininum, ut *Marcia*[19]*;* aut commune, ut *advena;* aut neutrum, ut *toreuma*, sed tamen Graecum est. Nomen in *e* vocalem desinens nominativo casu numero singulari aut femininum Graecum est, ut[20] *Euterpe*, aut neutrum Latinum, ut *sedile*[21]. Nomen in *i* vocalem desinens [1748] nominativo casu numero singulari aut neutrum Graecum est, ut *gumi*[22], *sinapi;* aut trium generum est[23] et aptoton, ut *frugi*, *nihili*. Nomen in *o* vocalem desinens nominativo casu numero singulari, aut masculinum est, ut *Scipio;* aut femininum, ut *Iuno*[24]*;* aut commune, ut *pomilio* vel *papilio*[25]. Nomen in *u* vocalem desinens nominativo casu numero singulari tantum neutrum, ut *cornu*, *genu*, *gelu*, *specu*[26], *veru*. Sed haec omnia[27] et quae in consonantes desinunt, et[28] diversas regulas et multiplices habent.

1) *ut Phronesium*, *Glycerium*, *Sophronium*, *quae mulieres sunt*. P. In Cod. vox *Sophronium* supra v. *Glycerium* a rec. m. adscripta. Apud Pompeium pariter haec duo tantum, *Phronesium* et *Glycerium* leguntur. — 2) In Cod. a rec. m. supra lin. additum: *emblema*. — 3) *caepe*, *loca*, *fori navium* P. Codex quidem *locus*, *ioca* exhibet; sed recte Pompeius p. 151. *iocus* habet hunc locum citans. — 4) *cortex*, *radix*, *silex* P. — 5) *stirpis* P. Tum pro v. *pinus* fortasse legendum *penus*. Cf. quae notavi ad Pomp. p. 152. — 6) *frenus* P. Pompeius exhibet *frenus*, *clipeum*. Apud eundem *pecus* pro v. *specus*. — 7) *buxus*, *pyrus*, *pinus*, *malus* P. Cum Codice plane consentit Pomp. p. 153. Ceterum diligentius de hoc genere nominum egit Priscian. lib. V, 1. — 8) *pater*, *mater*, *frater*, *soror* P. — 9) *autem* abest a P. — 10) *ex se* interponit P. quod item inter lineas legitur in Cod. recte fortasse. — 11) *Caius*, *Caia*, *Martius*, *Martia* P. Cum Codicis scriptura consentit Pompeius p. 153. — 12) *genera* interponit P., quod item inter lineas in Cod., sed additum ibi *ex se*. — 13) *in totum — in totum* P., quod ex correctione Codex. — 14) Cod. *leena*, quam scripturam etiam Pompeius exhibet. — 15) Codex inter lineas addit: *primitivorum suorum*. — 16) *acceperunt* P., quod idem ex correctione in Cod. — 17) *scutula* Cod. supra lineam. Sed *scutella* etiam apud Pomp. p. 154. seq. Cf. Priscian. III, 7. fin. Consent. p. 2027. — 18) *statunculus* P. et Cod. ex corr. Optime Codex a pr. m. neutrum. — 19) Sequentia ita apud P.: *aut neutrum*, *ut toreuma*, *sed tamen graecum est; aut commune*, *ut advena; aut epicoenon*, *ut aquila*. Verba postrema: *aut epikenon ut aquila* sic leguntur in Cod. supra lin., quae serioris esse originis ostendunt Consentius p. 2028. et Pomp p. 155. — 20) *ut* deest in Cod. — 21) *monile* add. Cod. supra lin., quod idem additur a Pomp., qui tamen etiam *feminile* addit. — 22) *gummi* P. — 23) *est* deest apud P. et in Cod. a rec. man. expunctum. — 24) Addit Cod. inter linn. *virgo*, quod idem deest apud Pompeium. —

SEGM. V. *De Numero nominum*[29].

Numeri[30] sunt duo, singularis et pluralis; singularis, ut *hic sapiens*, pluralis, ut *hi sapientes*. Est et dualis numerus, qui singulariter enunciari non potest, ut *hi ambo*[31], *hi duo*. Sunt etiam nomina numero communia, ut *res*, *nubes*, *dies*. Sunt semper singularia generis masculini, ut *pulvis*, *sanguis* ; semper pluralia[33], ut *Manes*, *Quirites*, *cancelli*[34]. Semper singularia generis feminini, ut *pax*, *lux*; semper pluralia[35], ut *kalendae*, *nundinae*, *feriae*, *quadrigae*, *nuptiae*, *scalae*, *scopae*. Semper singularia generis neutri, ut *pus*, *virus*, *aurum*, *argentum*, *oleum*, *ferrum*[36], *triticum*, et fere[37] caetera, quae ad mensuram pondusve referuntur; quamquam multa consuetudine usurpata sint[38], ut *vina*, *mella*, *hordea*. Sunt[39] semper pluralia eiusdem generis, ut *arma*, *moenia*, *Floralia*, *Saturnalia*[40]. Sunt quaedam positione singularia, intellectu pluralia, ut *populus*, *conventus*, *concio*, *plebs*[41]. Sunt quaedam positione pluralia, intellectu singularia, ut *Athenae*, *Cumae*, *Thebae*, *Mycenae*.

SEGM. VI. *De Figuris nominum*[42].

Figurae nominibus accidunt duae, simplex et conposita; simplex, ut *doctus*[43], *prudens*; conposita, ut *indoctus*, *imprudens*. Conponuntur autem nomina modis quattuor; ex duobus integris, ut *suburbanus*; ex duobus corruptis, ut *efficax*, *municeps*; ex integro et corrupto, ut *ineptus*, *insulsus*; ex corrupto et integro, ut *pinnipotens*, *nugigerulus*[44]. Conponuntur etiam ex pluribus[45], ut *inexpugnabilis*, *inperterritus*.

SEGM. VII. *De connexis nominibus*[46].

In declinatione conpositivorum[47] nominum animadvertere debemus ea, quae ex duobus [1749]
nominativis conposita fuerint, per omnes casus declinari[48], ut *equesromanus*, *praetorurbanus*; quae ex nominativo et[49] quolibet alio casu conposita fuerint, ea parte declinari tantum, qua fuerunt nominativi casus[50], ut *praefectusequitum*, *senatusconsultum*. Providendum est autem, ne ea nomina conponamus, quae aut conposita sunt, aut conponi omni modo[51] non possunt.

SEGM. VIII. *De Casibus nominum*[52].

Casus[53] sunt sex: nominativus, genitivus, dativus, accusativus, vocativus, ablativus. Ex his

25) *aut commune, ut homo* P. In margine Cod. interpretamentum legitur: *parvus homo*. Post v. *papilio* Cod. inter lineas habet: *aut epikenon*, *ut stelio*. Nihil horum neque apud Pompeium neque apud Consentium. — 26) *specu* deest apud P. Pompeius habet *pecu*. — 27) *nomina* P. — 28) *et* deest apud P. — 29) Deest haec inscriptio apud P. Pompeius habet *De Numeris*. — 30) Cod. supra lin. addit *nominum*. — 31) *et* interponitur a P. et legitur in Cod. inter linn. — 32) Addit Cod. supra lin. *cinis*, quod deest apud Pompeium. — 33) *Sunt semper pluralia* P. In Cod. additur: *eiusdem generis* supra lin. — 34) *cancelli* deest apud P. Idem vocabulum exhibet etiam Pompeius p. 161. In seqq. quoties recurrit *semper*, apud P. *sunt semper*. — 35) Add. Cod. supra lin. *eiusdem generis*. — 36) Add. Cod. supra lin. *plumbum*, quod idem abest apud Pompeium l. c. — 37) *haec et fere* P. — 38) *sunt* P. — 39) H. l. etiam Cod. *Sunt* exhibet. — 40) *Vulcanalia, Conpitalia* add. Cod. inter linn., quae etiam desunt apud Consentium p. 2029. — 41) *Multitudo* addunt P. et Codex supra lin. — 42) Deest haec inscriptio apud P. *De Figuris* inscriptio apud Pomp. p. 165. — 43) Additur in Cod. supr. lin. *potens* et paullo post *impotens*. — 44) Emendator Cod. *pennipotens, nugigérulus*, sic, accentu notato. — 45) *ex conpluribus* voluit emendator Cod. — 46) Deest haec inscriptio apud P., quae eadem non legitur apud Pompeium p. 188. — 47) *conpositorum* P. — 48) *quod ea, quae — per omnes casus ex utraque parte declinari possunt* P. et Cod. a rec. m. supra lin. Unde intelligitur, quam foede corruptus sit elegantissimus hic libellus a serioribus magistellis. — 49) *ex* interponit P. et Cod. sup. lin. — 50) *qua fuerit nominativus casus* P. et Cod. ex corr. Fortasse tamen legendum *fuerint*. Cf. infra Segm. XI, 4. — 51) *omnino* P. et Cod. ex corr. Fortasse rectius. — 52) Deest haec inscriptio apud P. Sed legitur bis apud Pomp. p. 169 et p. 194. — 53) *Casus nominum* P. et Codex inter linn.

duo recti appellantur, nominativus et vocativus; reliqui obliqui vel appendices[1]. Ablativum Graeci non habent. Hunc quidam Latinum[2], nonnulli sextum casum appellant. Est autem nominativus *hic Cato*, genitivus[3] *huius Catonis*, dativus *huic Catoni*, accusativus *hunc Catonem*, vocativus *o Cato*, ablativus, *ab hoc Catone.* Quidam absumunt[4] septimum casum, qui est ablativo similis, sed sine praepositione *ab*, ut sit ablativus casus: *ab oratore venio:* septimus casus: *oratore magistro utor.*

Segm. IX. *De Formis casuum*[5].

Sunt autem formae casuales sex, ex quibus sunt nomina alia triptota, alia tetraptota, alia pentaptota, alia hexaptota. Sunt praeter haec[6] aptota, quae neque per casus neque per numeros declinantur, ut *frugi, nihili, nequam, fas, nefas, nugas.* In qua forma sunt etiam nomina numerorum a *quattuor* usque ad *centum;* nam ab *uno* usque ad *tres* per omnes casus numeri declinantur. Item a *ducentis* et deinceps praeter *mille.* Sunt[7] nomina, quorum nominativus in usu non est, ut si quis dicat *hunc laterem* aut[8] *ab hac dicione.* Item per ceteros casus nomina multa deficiunt[9]. Sunt praeterea[10], quorum alia genitivum casum trahunt, ut *ignarus belli, securus amorum*[11]*;* alia dativum, ut *inimicus malis, congruus paribus;* alia accusativum, sed figurate, ut *exosus bella, praescius futura;* alia ablativum, ut *secundus a Romulo, alter ab Sylla*[12]*;* alia septimum casum, ut *dignus munere, mactus virtute.* [1750]

Segm. X. *De ablativo casu*[13].

1. Omnia nomina ablativo casu singulari quinque litteris vocalibus terminantur, sed ea duntaxat[14], quae non sunt aptota. In illis enim regula non tenetur. Quaecumque nomina ablativo casu singulari *a* littera fuerint terminata, genitivum pluralem in *rum* syllabam mittunt, dativum et ablativum in *is*, ut *ab hac Musa*, *harum Musarum*, *his* et *ab his Musis.* Necesse est autem contra hanc regulam declinari[15] ea nomina, in quibus genera discernenda sunt, ut *ab hac Dea*, *harum Dearum*, *his* et *ab his Deabus;* ne, si *Diis* dixerimus, *Deos* non *Deas* significare videamur.

2. Quaecumque nomina ablativo casu singulari *e* littera correpta fuerint terminata, genitivum pluralem in *um* syllabam mittunt, dativum et ablativum in *bus*, ut *ab hoc pariete*, *horum parietum*, *his* et *ab his parietibus.* Contra hanc regulam invenimus, ut *ab hoc vase*, *horum vasorum*, *his* et *ab his vasis.* Si vero *e* producta fuerint terminata, genitivum pluralem in *rum* syllabam mittunt, dativum et ablativum in *bus*, ut *ab hac re*, *harum rerum*, *his* et *ab his rebus;* et[16] haec regula proprie feminini generis putatur.

3. Quaecumque nomina ablativo casu singulari *i* littera fuerint terminata, genitivum pluralem in *ium* syllabam mittunt, dativum et ablativum in *bus*, ut *ab hac puppi*, *harum puppium*, *his* et *ab*

1) *reliqui autem obliqui* P. Reliqua desunt ap. P. Codex vero inter linn. exhibet: *nam reliqui obliqui sunt v. a.* Ceterum Cod. *apendices.* — 2) *Hunc quidam Septimum* P. — 3) Cod. hic et supra et ubique constanter *genetivus.* — 4) *assumunt etiam* P. — 5) Inscriptio deest apud P. et apud Pompeium p. 199. — 6) *praeterea haec* P. — 7) *Sunt et* P. *Sunt etiam* corr. Cod. — 8) *aut* deest apud P. Ceterum de industria retinui Cod. scripturam *dicione,* ita scribendum esse existimans. Cf. quae notavi ad Pompeium p. 205. seq. — 9) Addit P. *ut sponte, tabo.* Cod. supra lin. *ut sponte, tabo, natu.* Recte omitti haec videntur, quam suspicionem confirmat Consentius p. 2034. seq. — 10) Addit P. *nomina.* item Cod. corr. — 11) *armorum* P. neque aliter Cod., sed expuncto *r.* Recte. — 12) *alter a Slla* (sic) P. — 13) Inscriptio deest apud P. In Cod. est: *de omnibus nominibus ablativo casu.* — 14) *duntaxat* supra lin. in Cod. legitur. — 15) *contra hanc regulam ut declinentur* P. *ut contra hanc regulam declinentur* Cod. corrector. — 16) *sed* P. et corr. Cod. — 17) Additur in Cod. supra lin. *turris.* Apud Putschium vero sequuntur haec: *quia puppim, navim, clavim et non puppem, navem, clavem,* quae spuria esse sponte apparet. — 18) *genitivo casu plurali.* Ita recte P. Codex mendose accusativum exhibet. — 19) *nominibus singularis* Cod. *nominativo casu singulari* P. Facilis

his puppibus. Huiusmodi nomina casum accusativum pluralem propter differentiam melius in *is*, quam in *es* syllabam terminant, ut *has puppis*, *navis*, *clavis*[17]. Eorum autem nominum, quae genitivo casu plurali[18] in *ium* syllabam exire possunt, trina regula est. Prima eorum est, quae nominativos singularis[19] *n* et *s* litteris terminant[20], ut *mons*, *montium.* Altera eorum, quae, ablativo casu singulari *e* correpto finita, feminina sunt[21], ut *ab hac clade*, *harum cladium*, *caede*, *caedium*[22]. Tertia eorum, quae ablativo casu singulari *i* littera terminantur, ut *ab hac resti*, *harum* [1751] *restium*[23]. Sed[24] haec regula etiam accusativum casum singularem interdum per *i* litteram refert[25], ut *hanc restim*, *hanc puppim.* Horum multa cernimus consuetudine conmutata.

4. Quaecumque nomina ablativo casu singulari *o* littera fuerint terminata, genitivum pluralem in *rum* syllabam mittunt, dativum et ablativum in *is*, ut *ab hoc docto*, *horum doctorum*, *his* et *ab his doctis.* Contra hanc regulam invenimus, ut *ab hoc domo*, *domorum*, *domibus;* et *ab hoc iugero*, *iugerorum*, *iugeribus*[26]. Sed scire debemus, multa quidem veteres aliter declinasse, ut *ab hac domu*, *harum domuum*, *domibus;* et *ab hoc iugere*, *iugerum*, *iugeribus*[27]; verum[28] euphoniam in dictionibus plus interdum valere, quam analogiam vel regulam praeceptorum.

5. Quaecumque nomina ablativo casu singulari *u* littera fuerint terminata, genitivum pluralem in *uum*[29] syllabam mittunt, geminata *u* littera, dativum et ablativum in *bus*, ut *ab hoc fructu*[30], *horum fructuum*, *his* et *ab his fructibus.* Nam nihil necesse est, retinere *u* litteram et *fructubus* dicere, cum *artubus* necessitate dicamus, ne quis nos *artes*, non *artus* significare velle existimet[31].

6. In hanc regulam non veniunt, ut dictum est, aptota nomina, ut est *fas*, *nefas*, *nequam*, *nihili*[32]; non veniunt tantum pluralia, ut *Saturnalia*, *Vulcanalia*, *Compitalia*; non veniunt, quae a Graecis sumpsimus, ut *emblema*, *epigramma*, *stigma*, *poema*, *schema*[33]. Nam huius formae nomina veteres etiam feminino genere declinabant. In his regulis analogia vel ex collatione positivorum[34] nominum vel ex diminutione cognoscitur. Meminerimus autem Graeca[35] nomina ad Graecam formam melius declinari, etsi illa nonnulli ad Latinos casus conantur inflectere. Duodecim autem omnino[36] litteris nominativo casu singulari Latina nomina terminantur[37]; vocalibus quinque *a*, [1752] *e*, *i*, *o*, *u;* semivocalibus sex *l*, *m*, *n*, *r*, *s*, *x*; muta una *t;* ut *tabula*, *sedile*, *frugi*, *ratio*, *genu*, *mel*, *scamnum*, *flumen*, *arbor*, *os*, *nox*, *caput*[38]. Quidam adiciunt c, ut *lac*, *vel alec.*[39].

SEGM. XI. *De Pronomine.*

1. Pronomen est pars orationis, quae pro nomine posita, tantumdem pene significat, personamque interdum recipit. Pronomini accidunt sex; qualitas, genus, numerus, figura, casus, persona[40].

2. Qualitas pronominum duplex est. Aut enim finita sunt pronomina, aut infinita. Finita sunt, quae recipiunt personas, ut *ego*, *tu*, *ille;* infinita sunt, quae non recipiunt personas, ut *quis*,

erat emendatio. — 20) *terminantur* P. — 21) *e correptum finitur feminina sunt* Cod. *e correpto finiuntur et f. s.* P. Emendatio in promptu erat. — 22) *ab hac clade, harum cladium, his et ab his cladibus; et ab hac caede, harum caedium, his et ab his caedibus* P. — 23) Addit P. *his et ab his restibus.* — 24) *Set* Cod. — 25) *interdum per i in syllabam terminat* P. Ceterum fortasse legendum *effert* pro *refert;* Codex tamen manifeste *refert.* — 26) *ab hac domo, harum domorum, his et ab his domibus* P. et Cod. corr. et similiter in seqq. — 27) *ab hac domu, harum domuum, his et ab his domibus* P. et Cod. corr. et similiter in seqq. — 28) *verum meminerimus* P. et Cod. corr. — 29) *in um syllabam* P. — 30) *ab hoc fluctu* P. et corr. Cod. et sic in seqq. — 31) *extimet* Cod. — 32) *nugas* add. corr. Cod. — 33) *schema, poema, stemma* P. *stegma, poema, scema* Cod. — 34) *positorum* P. Codex inter linn. *alii appositorum, alii compositorum.* Verum est *positivorum*, quod Cod. a pr. m. exhibet. — 35) *Meminerimus haec Graeca* P. — 36) Deest *omnino* ap. P. — 37) *omnia nomina casu nominativo numero singulari terminantur* P. — 38) *a, ut tabula, e, ut sedile, i, ut frugi, o, ut ratio, u, ut genu, l, ut mel, m, ut scamnum, n, ut flumen, r, ut arbor, s, ut flos, x, ut nox, t, ut caput* P. — 39) *lac et alec* P. — 40) *figura, persona et casus* P.

quae, *quod*[1]. Sunt[2] pronomina minus quam finita, ut *ipse*, *iste*. Sunt praepositiva, ut *quis*, *hic*. Sunt subiunctiva vel relativa, ut *qui*, *idem*[3]. Sunt alia gentis, ut *cuias*, *nostras; cuiates*, *nostrates*[4]. Alia ordinis, ut *quotus*, *totus*. Alia numeri, ut *quot*, *tot*[5]. Alia ad aliquid infinita[6], quae nec personam, nec locum, nec tempus designant, ut *cuius*, *cuia*, *cuium*. Alia ad aliquid finita[7], ut *meus*, *tuus*, *illius*[8]. Haec etiam possessiva dicuntur. Sunt item alia qualitatis, ut *qualis*, *talis;* alia quantitatis, ut *quantus*, *tantus*. Sunt alia[9] demonstrativa, quae rem praesentem notant, ut *hic*, *haec*, *hoc*. Alia relativa, quae rem absentem significant, ut *is*, *ea*, *id*. Sunt alia magis demonstrativa, ut *eccum*, *eccam*, *ellum*, *ellam*[10].

3. Genera pronominibus, ita ut nominibus, accidunt pene omnia; masculinum, ut *quis*, femininum, ut *quae*, neutrum, ut *quod*, commune, ut *qualis*, *talis*, trium generum[11], *ego*, *tu*.

4. Numeri pronominibus accidunt uterque[12]; singularis, ut *iste*, pluralis, ut *isti*. Sunt etiam numero communia, ut *qui*, *quae*. Dicimus enim *qui vir* et *qui viri; quae mulier* et *quae mulieres*. Sunt pronomina tota singularia, ut *meus*, *tuus*, *suus*. Sunt tota pluralia, ut [1753] *nostri*, *vestri*. Sunt[13] ex parte singularia, ut *mei*, *tui*, ex parte pluralia, ut *noster*, *vester*.

5. Figura etiam in pronominibus duplex est. Aut enim simplicia sunt pronomina, ut *quis*, aut conposita, ut *quisquis*. Conposita pronomina[14] secundum formam nominum ea parte[15] declinantur, qua pronomen fuerit casus nominativi, cuius rei exempla sunt haec: *quisquis*, *quisnam*, *quispiam*, *aliquis* et caetera. Nam *idem*, quod constat ex duobus corruptis, cum producitur, masculinum pronomen est, cum corripitur, neutrum; ut *hic*, correptum, pronomen est; productum, adverbium loci[16].

6. Personae finitis pronominibus accidunt tres. Prima, ut *ego*, secunda, ut *tu*, tertia, ut *ille*. Sed persona prima et secunda[17] generis sunt omnis, et persona prima in hoc pronomine, cum est numeri singularis, non habet vocativum, plurali vero habet[18].

7. Casus item pronominum sex sunt, quemadmodum nominum[19]. Nominativus *hic*, genitivus *huius*, dativus *huic*, accusativus *hunc*, vocativus *o*, ablativus *ab hoc*[20]. Sunt pronomina, quae non per omnes casus declinantur, ut *eccum*, *eccam; ellum*, *ellam; cuius*, *cuia*, *cuium; cuiatis*, *nostratis*. Sunt etiam alia sine nominativo et vocativo, ut *sui*, *sibi*, *se*, *a se*. Haec etiam numeri sunt communis. Sunt etiam sine vocativo, ut *ego*, *mei* vel *mis*, *mihi*, *me*, *a me*. Nullum autem pronomen recipit conparationem, quamvis et qualitatem significant et quantitatem[21].

8. Inter pronomina et articulos hoc interest, quod[22] pronomina ea putantur, quae, cum sola sint, vicem nominis implent[23], ut *quis*, *iste*, *ille;* articuli vero, quod[24] pronominibus, aut nominibus, aut participiis adiunguntur[25]: *hic*, *huius*, *huic*, *hunc*, *o*, *ab hoc;* et pluraliter: *hi*, *horum*, *his*, *hos*,

1) *quid* P. — 2) *Sunt etiam* P. — 3) *Sunt subiectiva ut is*, *idem* P. *is* in Cod. supr. lin. — 4) *cuiatis*, *nostratis* P. — 5) Sequuntur in Cod. haec: *Sed si per d scribatur pronomen impersonale est*, *si per t*, *numeri*. Additicia sunt. — 6) *ad aliquid dicta infinita* P. — 7) *ad aliquid dicta finita* P. — 8) *Suus* pro v. *illius* apud P. Quod ipsum expuncta voce *illius* supra lin. legitur in Cod. — 9) Codex importune intrudit *magis*, quod ex seqq. huc receptum est. — 10) *ellam* deest apud P. — 11) additur *ut* apud P. — 12) *Numerus accidit pronominibus uterque* P., quod ex correctione fluxisse videtur. — 13) Deest apud P. Erasum etiam, sed ita ut appareat adhuc, in Cod. *sunt*, sed puto convenire huic loco. — 14) *Nam composita pr.* P. et corr. Cod. — 15) *ex ea parte* P. et corr. Cod. Cf. supra lib. II, segm. VII. — 16) *ut* deest apud P. Totum autem comma, a vocc. *ut hic* ad v. *loci* additicium esse videtur, sed respexit ad id Pompeius p. 253. quapropter retinui. — 17) *prima persona et secunda* P. — 18) *vocativum casum*, *pluralis vero habet* P. et Cod. e corr. Ceterum Cod. a pr. m. *verum* pro *vero*. — 19) *Quemadmodum nominum* desunt in Cod. perperam. — 20) Post casuum nomina P. et Cod. corr. ubique *ut* intrudunt. — 21) *quamvis qualitatem aut quantitatem significet* P. — 22) *quae* Cod. ex errore, qui ex ignoratione compendii ortus. — 23) *complent* P. et corr. Cod. — 24) *cum* P. — 25) *ut* interponit P. — 26) Codex hic interposita, sed expuncta habet: *De in-*

o, ab his. Haec eadem pronomina et pro articulis et pro demonstratione ponuntur[26]. *Neuter, uter, unus, omnis*[27], *alter, alius, ullus, ambo, uterque,* sunt qui nomina, sunt qui pronomina [1754] existimant[28], ideo quod[29] articulis in declinatione non indigent.

Segm. XII. *De Verbo.*

1. Verbum est pars orationis cum tempore et persona sine casu[30], aut agere aliquid aut pati aut neutrum significans. Verbo accidunt septem: qualitas, coniugatio, genus, numerus, figura, tempus, persona.

2. Qualitas verborum in modis est et in formis[31]. Modi autem sunt, ut multi existimant, septem: indicativus, qui et pronunciativus dicitur, ut *lego;* imperativus, ut *lege;* promissivus, ut *legam;* sed hunc nos modum[32] non accipimus; optativus[33] *utinam legerem;* coniunctivus[34] *cum*[35] *legam;* infinitivus[36] *legere;* inpersonalis[37] *legitur.* Hunc quidam modum[38] pro genere ac significatione verbi accipiunt, cuius verba aut in *tur* exeunt, aut in *it*, aut in *et.* Sed quae in *tur* et in *it* exeunt, haec ab indicativo oriuntur, ut *lego, legitur, contingo, contingit.* Quae in *et*[39] exeunt, duas formas habent; alia enim ab indicativo veniunt, ut *misereo*[40], *miseret;* alia a se oriuntur, ut *pudet, taedet, poenitet, libet*[41]. Qualitas verborum etiam in formis est constituta, quas formas alii verborum generibus vel[42] significationibus admiscent.

3. Formae igitur quattuor sunt: perfecta, meditativa, inchoativa, frequentativa[43]; perfecta, ut *lego;* meditativa, ut *lecturio;* inchoativa, ut *fervesco, calesco;* frequentativa, ut *lectito*[44]. Sed frequentativa[45] semper primae coniugationis sunt; inchoativa non per omnia tempora declinantur, quia quae inchoantur, praeteritum tempus non habent et oriuntur a neutrali verbo[46]. Sunt etiam frequentativa de nomine venientia, ut *patrissat, graecissat.* Sunt quasi deminutiva[47], quae a perfecta forma veniunt, ut *sorbillo, sugillo.* Sunt sine origine perfectae formae, ut *pitisso, vacillo.* Et [1755] frequentativa saepe in tres gradus ducunt[48] verbum, ut *curro, curso, cursito;* saepe in duos[49] tantum, ut *volo, volito.* Sunt verba inchoativis similia, quae inchoativa non esse, temporum consideratione dignoscimus[50], ut *compesco, compescui.* Sunt etiam inchoativa[51], quae a perfecta forma veniunt, ut *horreo, horresco.* Sunt, quae originem sui non habent, ut *consuesco, quiesco.*

4. Coniugationes verbis accidunt tres, prima, secunda, tertia. Prima est, quae indicativo modo, tempore praesenti, numero singulari, secunda persona, verbo activo et neutrali *a* productum habet ante novissimam litteram; passivo, communi et deponenti ante novissimam syllabam, ut *voco vocas, vocor vocaris;* et futurum tempus eiusdem modi[52] in *bo* et in *bor* syllabam mittit, ut *voco*

certis pronominibus. — 27) hoc expunctum in Cod. — 28) In Codice corr. *existiment.* — 29) *ideoque* P. — 30) Citat hunc locum Pomp. p. 262. seq. sed non verbatim. — 31) *in modis et formis est.* P. — 32) *Sed nos hunc m.* P. — 33) *ut utinam* P. — 34) Codex vitiose: *coniunctatibus.* Apud P. *Subiunctivus.* — 35) *ut cum* P. — 36) *ut* intrudit P. — 37) *ut* intrudit P. — 38) *Sed hunc modum quidam* P. — 39) *Quae autem in et* P. et corr. Cod. — 40) *misereor* P. et corr. Cod. male. — 41) Addit serior manus in Codice: *decet, oportet.* Ceterum P. et corr. Cod. in margine adiiciunt: *quamvis veteres dixerint pudeo taedeo poeniteo.* — 42) *id est sign.* P. — 43) Adduntur apud P. *Nam et in his graeca lingua deficit.* Quae corr. Cod. in margine sic exhibet: *nam et in is deficit graeca lingua.* Insulsum scioli alicuius additamentum aperte se prodit. — 44) Verba haec: *frequentativa, ut lectito* P. et corr. Cod. paullo ante post v. *lecturio* interponunt; male, quod vel ex superioribus intelligitur. — 45) *Frequentativa verba* P. et corr. Cod. — 46) *a neutralibus verbis* P. et corr. Cod. — 47) *diminutiva* P. et Codex. Sed *deminutiva* ubique scribendum. — 48) *deducunt* P. et corr. Cod. — 49) *duas* Cod. Sed *duos* recte P. — 50) Cod. *dinoscimus.* — 51) *Sunt item alia inchoativa* Putsch. *sunt item inchoativa* corr. Cod. — 52) *uiusdem modi* Codex sed emendatum: *huiusdem modi.*

vocabo, *vocor vocabor*. Secunda est, quae indicativo modo, tempore praesenti, numero singulari, secunda persona, verbo activo et neutrali *e* productum habet ante novissimam litteram; passivo, communi et deponenti ante novissimam syllabam, ut *moneo mones*, *moneor moneris;* et futurum tempus eiusdem modi in *bo* et in *bor* syllabam mittit, ut *moneo monebo*, *moneor monebor*. Tertia est, quae indicativo modo, tempore praesenti, numero singulari, secunda persona, verbo activo et neutrali *i*[1] interdum correptum interdum productum[2] habet ante novissimam litteram; passivo, communi et deponenti pro *i* littera[3] *e* correptum vel *i* productum[4] habet ante novissimam syllabam, ut *lego legis*, *legor legeris; audio audis*, *audior audiris;* et futurum tempus eiusdem[5] modi in *am* et in *ar* syllabam mittit, ut *lego legam*, *legor legar*, *audio audiam*, *audior audiar*. Est et[6] altera species tertiae coniugationis, quae in[7] *i* producto[8] enunciatur. Hanc nonnulli quartam[9] coniugationem putant, quae futurum tempus in *am* et in *ar*, in *bo* et in *bor* syllabam mittit, ut *servio servis*, [1756] *serviam*, *servibo; vincior vinciris*, *vinciar*, *vincibor*[10]. Quae[11] quidam refutantes negant in *bo* et in *bor* rite exire posse tertiam coniugationem, nisi in[12] eo verbo, quod in prima persona indicativi modi, temporis praesentis, numeri singularis *e* ante *o* habuerit, ut *eo*, *queo; eam*, *queam; ibo*, *quibo;* et a[13] passivo *queor*, *quear; ibor*, *quibor*, et si qua sunt similia.

5. Genera verborum, quae ab aliis significationes dicuntur, sunt quinque, activa, passiva, neutra, communia, deponentia. Activa sunt, quae *o* littera terminantur et accepta *r* littera faciunt ex se passiva, ut *lego*, *legor*. Passiva sunt, quae *r* littera terminantur et ea amissa[14] redeunt in activa, ut *legor*, *lego*. Neutra sunt, quae *o* littera terminantur et accepta *r* littera Latina non sunt, ut *sto*, *curro*. Sunt etiam, quae neutra *i*[15] littera terminantur, ut *odi*, *novi*[16], *memini*. Sunt item[17], quae in *um* syllabam desinunt, ut *sum*, *prosum;* item[18], quae in *t* litteram exeunt, inpersonalia dicuntur[19], ut *pudet*, *taedet*, *poenitet*[20], *libet*. Sed haec et similia defectiva existimanda sunt[21]. Communia sunt, quae *r* littera terminantur et in duas formas cadunt, patientis et agentis, ut *scrutor*, *criminor;* dicimus enim *scrutor te* et *scrutor a te; criminor te* et *criminor a te*. Deponentia sunt, quae *r* littera terminantur et ea amissa Latina non sunt, ut *convivor*, *colluctor*. Sunt verba extra hanc regulam, quae inaequalia dicuntur, ut *soleo*, *facio*, *fio*, *fido*, *audeo*, *gaudeo*, *vescor*, *fero*, *medeor*, *reddo*, *edo*, *pando*, *mando*, *nolo*, *volo*[22]. Sunt quae declinari rite non possunt, ut *cedo*, *ave*, *faxo*, *sis*[23], *amabo*, *infit*, *inquam*, *quaeso*, *aio*[24]. Sunt etiam[25] mono-

1) *i litteram* P. — 2) *correptam — productam* P. — 3) Verba *pro i littera* desunt apud P. — 4) *correptam — productam* P. — 5) *huiusdem* Cod. sed corr. *eiusdem*. — 6) *et* deest apud P. — 7) *in* deest apud P. — 8) *producta* P. — 9) *esse* intruditur a P. — 10) Totus hic locus ita exhibetur apud P. *quod futurum tempus eiusdem modi in am et in ar — mittit, ut servio servis, serviam servibo; vincio vincis, vinciam vincibo; vincior vinciris, vinciar vincibor.* — 11) *Quod* P. — 12) Codex e corr. *ab*. — 13) *a* deest apud P. in Cod corr. *in*. — 14) *ea admissa* Cod. — 15) *Sunt etiam neutra, quae i* P. — 16) Addit P. *coepi*. — 17) Corr. in Cod. *etiam*. — 18) *prosum, obsum. Sunt item* P. — 19) *et impersonalia d.* P. — 20) Addit P. *oportet;* sic etiam corr. Cod. — 21) Quae inde ab hoc loco apud P. leguntur, partim desunt in Cod., partim in locis rasis leguntur, partim inter lineas adscripta exstant, ita tamen, ut antiquam manum cognoscere non sit difficile. Ea quod scriptum voluit, dedimus. Apud Putschium vero pessime sic legitur totus locus: *Sunt praeterea neutro passiva, ut gaudeo, gavisus sum, soleo solitus sum, audeo ausus sum, fio factus sum, fido fisus sum. Deponentia sunt, quae r littera terminantur, et ea amissa Latina non sunt, ut convitior*, (Cod. *convivor* ut dedimus) *colluctor. Communia sunt, quae r littera terminantur et in duas formas cadunt, patientis et agentis, ut scrutor, criminor. Dicimus enim scrutor te et scrutor a te; criminor te et criminor a te. Sunt verba extra hanc* cet. — 22) Addit P. et corr. Cod. *malo, eo*. — 23) P. *faxo, faxis, infit, inquam*. — 24) Cod. supra lin. *alii aiunt*. — 25) *item* P. — 26) *Quae etiam extra regulam sunt producta* P. *quae etiam extra regulam sola producta sunt* corr. Cod. — 27) *munio, patior, munero, populor, assentior, adulor, luctor, arguor* P. — 28) *Haec enim omnia verba* P.

syllaba, quae sola producta sunt[26], ut *sto*, *do*, *flo*, *no*. Sunt verba incertae significationis, ut *tondeo*, *labo*, *fabrico*, *punio*, *munio*, *pario*, *populor*, *adsentio*, *adulor*, *luctor*, *auguror*[27]. Haec omnia[28] et in *o* et in *r* litteram finiuntur et his verbis tempora participiorum accidunt [1757] paene omnia. Sunt item verba, quae conponere possumus, ut *pono*, *traho; repono et retraho;* sunt, quae non possunt[29], ut *aio*, *quaeso*.

6. Numeri verbis accidunt duo, singularis et pluralis. Singularis, ut *lego*, pluralis, ut *legimus*. Item secundum quosdam dualis, ut *legere*[30].

7. Figurae verborum duae sunt, simplex et conposita[31]. Aut enim simplicia sunt verba, ut *scribo*, aut conposita, ut *describo*[32]. Conponuntur autem[33] verba IIII[34] modis, sicut ceterae[35] partes orationis. Ex duobus corruptis, ut *officio;* ex duobus integris, ut *obduco;* ex corrupto et integro, ut *alligo;* ex integro et corrupto, ut *defringo*. Sunt verba conposita, quae simplicia fieri possunt, ut *repono*[36], *distraho;* sunt, quae non possunt, ut *suscipio*[37], *conpleo*.

8. Tempora verbis accidunt tria, praesens, praeteritum et futurum. Praesens, ut *lego;* praeteritum, ut *legi;* futurum, ut *legam*. Praeteriti temporis differentiae sunt tres, inperfecta, perfecta, plusquamperfecta. Inperfecta, ut *legebam;* perfecta, ut *legi;* plusquamperfecta, ut *legeram*. Ergo in modis[38] verborum quinque tempora numeravimus[39], praesens, praeteritum inperfectum, praeteritum perfectum, praeteritum plusquamperfectum, et futurum.

9. Personae verbis[40] accidunt tres, prima, secunda, tertia. Prima est, quae dicit: *lego;* secunda est, cui dicitur: *legis;* tertia, de qua dicitur: *legit*[41]. Et prima persona non eget[42] casu, sed admittit plerumque nominativum, ut *verberor innocens*, *liber servio*. Secunda persona trahit casum vocativum, ut *verberaris innocens*, *servis liber*. Tertia trahit nominativum, ut *verberatur innocens*, *servit liber*. Quin etiam[43] verba inpersonalia, quae in *tur* exeunt, casui serviunt[44] ablativo, ut *geritur a me*, *a te*, *ab illo*[45]. Quae vero in *it* exeunt, casui serviunt dativo, ut *contingit mihi*, *tibi*, *illi*. Quae vero in *et* exeunt, ea modo dativo modo accusativo[46] casui serviunt; [1758] dativo, ut *libet mihi*, *tibi*, *illi;* accusativo[47], ut *decet me*, *te*, *illum*. Sunt verba praeterea, quorum alia genitivi casus[48] formulam servant, ut[49] *misereor*, *reminiscor;* alia dativi, ut *maledico*, *suadeo*[50]*;* alia accusativi[51] ut *accuso*, *invoco;* alia ablativi, ut *abscedo*[52], *avertor;* alia septimi casus, ut *fruor*, *potior*.

— 29) Adde *conponi*, quod neque apud P. neque in Cod. exstat, sed necessarium est. — 30) Respexit ad hunc locum Pompeius p. 311., ubi tamen negare dicitur Donatus, hunc numerum admitti posse. — 31) Verba: *simplex et conposita* desunt apud P. In Codice linea subter ducta notantur. — 32) Cod. a pr. m. *discribo*. — 33) *etiam* P. — 34) *quatuor modis* P. — 35) *sicut et c.* P. — 36) *repono* scriptum in loco raso, ubi prius scriptum fuit verbum, quod in *beo* vel *leo* desinit. — 37) *suspicio* P. fortasse recte. — 38) *in declinatione verborum* P. — 39) *numeramus* P. Fortasse legendum *numerabimus*. — 40) Cod. diserte *verborum* exhibet, quod non admittendum putavi. Recte P. *verbis*, quod retinui. — 41) Cod. aperte vitiosa exhibet: *quae dicit legis, — quae dicit legit*. Quapropter correctorem secutus sum, quocum facit P., nisi quod hic ante exempla *ut* intrudit. Statim post *Sed* pro *et* idem P. — 42) *non indiget* P. — 43) Cod. *Sunt etiam*, vitiose. — 44) *dativo et ablativo* P. et corr. Cod. — 45) Addunt P. et corr. Cod.: *dicitur mihi, tibi, illi.* — 46) Cod. habet *accussativo*. Cf. Niebuhr. ad Fragm. or. Cic. pro Fonteio p. 55. — 47) H. l. unum *s* habet Cod. — 48) Cod. *genetibus casu formolam*, sed corr. — 49) Pessime apud P. *ut misereor mei, tui, sui. Alia*. — 50) *ut maledico tibi, suadeo illi* P. — 51) *accussativi*. Sic rursum h. l. Cod. duplici *s*. Cf. supra. — 52) *accusativi, ut abscedo*. Ita Codex, corrupte quidem eiectis mediis, sed quod veram scripturam ostendat. Locus ita exhibetur apud P.: *Alia accusativi, ut accuso illum, invoco illum. Alia ablativi, ut discedo ab illo, avertor ab illo. Alia septimi* cet. Unde patet, lineolam a librario omissam. Accedit, quod in Cod. v. *abscedo* in loco raso scriptum est, ex quo colligitur, *accuso* scriptum fuisse, sed librarium a v. *accuso* ad v. *abscedo* aberrasse.

10. Omnia verba modi indicativi, temporis praesentis[1], primae personae aut *e*, aut *i*, aut *u* ante *o* habent. Si autem vocalem ante *o* litteram non habebunt[2], exceptis *f* et *k* et *q*, ceteras omnes Latinas consonantes recipiunt, ut *sedeo*, *lanio*, *inruo*, *libo*, *voco*, *rado*, *ago*, *traho*, *impello*, *amo*, *cano*, *scalpo*, *curro*, *lasso*, *peto*, *texo*[3]. His accedunt *i*, *u* pro consonantibus, ut *aio*, *adiuro*. Nam *triumpho* per *p* et *h* scribitur. *K o* litterae non potest praeponi[4]. Item *q* sine *u* praeferri *o* litterae non potest.

11. Sunt verba alia defectiva[5] per modos, ut *cedo*, alia per formas, ut *facesso*, alia per coniugationes, ut *adsum*, alia per genera, ut *gaudeo*, alia per numeros, ut *faxo*, alia per figuras, ut *impleo*, alia per tempora, ut *fero*, alia per personas, ut *cedo*, *facesso*, *adsum*, *soleo*, *faxo*, *impleo*, *fero*, *edo*. Verba quoque inpersonalia cum per omnes modos declinari possunt[6], inveniuntur quaedam defectiva, ut *liquet*, *miseret*.

Segm. XIII. *De Adverbio.*

1. Adverbium est pars orationis, quae adiecta verbo significationem eius explanat atque implet; ut *iam faciam* vel *non faciam*[7]. Adverbia aut a se nascuntur, ut *heri*, *hodie*, *nuper;* aut ab aliis partibus orationis[8]. Veniunt a nomine appellativo, ut *doctus*, *docte;* a proprio, ut [1759] *Tullius*, *Tulliane;* a vocabulo, ut *ostium*, *ostiatim;* a pronomine, ut *meatim*, *tuatim;* a verbo, ut *cursim*, *strictim;* a nomine et verbo, ut *pedetemptim;* a participio, ut *indulgens*, *indulgenter*. A nomine venientia aut in *a* exeunt, ut *una;* aut in *e* productum, ut *docte;* aut in *e* correptum[9], ut *rite;* aut in *i*, ut *vesperi;* aut in *o* productum, ut *falso;* aut in *o* correptum, ut *modo;* aut in *u*, ut *noctu;* aut in *l*, ut *semel;* aut in *m*, ut *paulatim;* aut in *r*, ut *breviter;* aut in *s*, ut *funditus*. Adverbia, quae in *e* exeunt, produci debent praeter illa, quae non[10] conparantur, ut *rite;* aut conparationis regulam non servant, ut *bene*, *male;* faciunt enim *bene*, *melius*, *optime;* *male*, *peius*, *pessime;* aut ea, quae a nomine verbove non veniunt, ut *inpune*, *saepe*. Ceterum *facile* et *difficile*, quae ut[11] adverbia ponuntur, nomina potius esse dicenda sunt. Nam sunt nomina pro adverbiis[12] posita, ut est *torvum clamat*, *horrendum resonat*. Ergo adverbia, quae in *e* productum[13] exeunt, ab eo nomine veniunt, quod dativo casu singulari *o* littera terminatur[14], ut *huic docto*, *docte;* et *huic sedulo*, *sedule*. Quae in *r* litteram exeunt, ab eo nomine veniunt, quod dativo casu singulari *i* littera terminatur[15], ut *huic agili*, *agiliter*. Contra quam[16] regulam multa saepius usurpavit auctoritas. Nam quaedam, ut diximus, et in dativo casu in *o* permanent, et adverbium similiter[17] faciunt, ut *falso*, *sedulo*. Quaedam[18] contra faciunt, ut *huic duro*, non *dure*, sed *duriter*.

2. Adverbio accidunt tria, significatio, conparatio, figura. Significatio adverbiorum in hoc secernitur, quia sunt adverbia loci, ut *hic*[19]; temporis, ut *hodie*, *nuper*[20]; numeri, ut *semel*,

1) Addit P. et corr. Cod. *numeri singularis.* — 2) *habuerint* P. et corr. Cod. — 3) Haec ita apud P. *e, ut sedeo, i, ut iacio, u, ut ruo, b, ut bibo, c, ut voco, d, ut vado, g, ut ago, h, ut traho, l, ut impello, m, ut amo, n, ut cano, p, ut scalpo, r, ut curro, t, ut peto, x, ut texo.* Exemplum litterae *s* apud P. omissum. — 4) *non praeponitur* P. — 5) *defectiva alia* P. — 6) *possint* P. — 7) Alia exhibet P. et corr. Cod. *aut complet, aut mutat, aut minuit, ut iam faciam vel non faciam, parum faciam;* quae corrupta esse sponte patet. In Cod. rasurae sunt, ut vix intelligi possit, quid scriptum fuerit a pr. m. Sed ea pars Codicis, quae eosdem Donati libros habet, sed in usum scholarum interrogationibus distinctos, exhibet quod dedimus, quod idem cum ductibus non plane erasis in hoc nostro loco, et cum iis, quae Cledonius scripsit p. 1874. optime conspirat. Idem confirmat Fragmentum de adverbio Mss., quod mecum servo, et quod huic tomo adiiciam. — 8) *Veniunt* bis scriptum in P., ut alterum ad praecedentia, alterum ad consequentia referatur. — 9) *productam* — *correptam* P. et sic etiam in seqq. — 10) *quae aut non* P. — 11) *ut* deest apud P. — 12) *esse dicenda sunt pro adverbiis* P. Excidit versus integer, aberrante librario a v. *nomina* ad alteram eandem, quam lacunam optime explet Cod. noster. —

bis[21]; negandi, ut *non*[22]; adfirmandi, ut *etiam*, *quidni*[23]; demonstrandi, ut *en*, *ecce*; optandi, ut *utinam*; hortandi, ut *eia*; ordinis, ut *deinde*[24]; interrogandi, ut *cur*[25], *quare*, *quamobrem*; similitudinis, ut *quasi*, *ceu*; qualitatis, ut *docte*, *pulcre*; quantitatis, ut *multum*, *parum*; dubitandi, ut *forsitan*[26], *fortasse*; personalia, ut *mecum*, *tecum*, *secum*, *nobiscum*, *vobiscum*; vocandi, [1760]
ut *heus*[27]; respondendi, ut *eu*[28]; separandi, ut *seorsum*; iurandi, ut *edepol*, *castor*[29], *hercle*, *medius fidius*; eligendi, ut *potius*, *immo*; congregandi, ut *simul*, *una*[30]; prohibendi, ut *ne*. Eventus, ut *forte*, *fortuitu*[31]; conparandi, ut *magis*, *vel*, *tam*.[32].

3. Sunt etiam adverbia infinita, ut *ubi*, *quando*. Sunt finita, ut *hic*, *modo*. Adverbia loci duas species habent, *in loco* et *ad locum* significantes; in loco, ut *intus*, *foris*; ad locum, ut *intro*, *foras*. Dicimus enim *intus sum*, *foris sum*; *intro eo*, *foras eo*. Adiciunt[33] quidam *de loco*, quod sic dicitur, tamquam[34] *in loco*, ut *intus exeo*, *foris venio*. Adiciunt[35] quidam etiam *per locum*, ut *hac*, *illac*. *Heus* et *eu* interiectiones multi, non adverbia, putaverunt, quia non semper sequitur verbum[36].

4. Conparatio accidit adverbio, quia hic[37] quoque conparationis gradus sunt tres, positivus, conparativus, superlativus; positivus, ut *docte*, conparativus, ut *doctius*, superlativus, ut *doctissime*. Et quoniam adverbia quoque sunt, quae per omnes gradus ire non possunt, ideo his ad augendam significationem pro conparativo et superlativo *magis* et *maxime* coniungimus, ad minuendam *minus* et *minime*.

Quemadmodum conparantur, ita et deminuuntur[38] adverbia; ut *primum*, *primule*[39], *longe*, *longule*; a conparativo, ut *melius*, *meliuscule*, *longius*, *longiuscule*. A superlativo[40] vel nulla exempla, vel perrara sunt.

5. Figurae adverbiorum duae sunt. Aut enim simplicia sunt adverbia, ut *docte*, *prudenter*; aut conposita, ut *indocte*, *inprudenter*. Conponuntur etiam adverbia modis quattuor.

Sunt multae dictiones dubiae[41] inter adverbium et nomen, ut *falso*; inter adverbium et pronomen, ut *quo*; inter adverbium et verbum, ut *pone*; inter adverbium et participium, ut *profecto*; inter adverbium et coniunctionem, ut *quando*; inter adverbium et praepositionem, ut *propter*; [1761]
inter adverbium et interiectionem, ut *eu*. Horum quaedam accentu discernimus, quaedam sensu.

Sunt item adverbia loci, quae inprudenter[42] putant nomina; in loco, ut *Romae sum*; de loco, ut *Roma venio*; ad locum, ut *Romam pergo*. His praepositio non praeponitur[43], quae provinciis, locis regionibusve adici solet[44], quia[45] de significatione nominis non recidunt, ut *de Africa venio*, *ad Siciliam pergo*, *in Italia sum*. Praepositio separatim adverbiis non adplicabitur, quamvis legerimus *desursum*, *desubito*[46], et *exinde*, et *abusque*, et *dehinc*. Sed haec tamquam unam partem orationis sub uno accentu pronunciabimus.

13) *productam* P. — 14) *quae — terminantur* Cod. vitiose. — 15) *quae — terminantur* Cod. vitiose. — 16) *hanc* P. — 17) Deest *similiter* apud P. — 18) Cod. addit *multa*. Ex dittographia. Fortasse *multa* pro *quaedam* reponendum. — 19) *hic*, *ubi*, *ibi* P. et Cod. ab altera manu. — 20) Addit altera m. Cod. *tum, cras*. — 21) Addit a. m. in Cod. *ter*. — 22) P. addit: *nihil*; a. m. Cod. *neque*. — 23) Videbatur in Cod. a pr. m. esse: *quidem*. Sed in Donato scholastico clare scriptum *quidni*. — 24) Corr. Cod. addit: *deinceps*. — 25) Apud Don. schol. *quur*. — 26) *Forsan* P. — 27) Uterque Don. Ms. *heos*. — 28) *heu* P. — 29) Lege: *ecastor*. — 30) Addit P. *pariter*. — 31) Sic omnes libri. — 32) *magis et tam* P. — 33) *Adiiciunt* P. — 34) *quasi* P. — 35) *Adiiciunt* P. — 36) *ideo, quia non semper subsequuntur verbum* P. — 37) *huic* P. et corr. Cod. — 38) *Quemadmodum enim comparantur, ita et minuuntur* P. pessime. — 39) *a positivo ut primum, primule* P. et corr. Cod. — 40) *a superlativo autem gradu* P. — 41) *Sunt autem m. d.* P. *Sunt multae dictiones sunt dubiae.* Cod. — 42) *imprudentes* P. — 43) *non anteponitur* P. *non ante praeponitur* Cod. — 44) *solent* Cod. — 45) *ideo quia* P. — 46) *derepente* addunt P. et corr. Cod.

Segm. XIV. *De Participio.*

1. Participium est pars orationis, dicta quod[1] partem capiat nominis partemque verbi. Recipit enim a nomine genera et casus, a verbo tempora et significationes. Ab utroque numerum et figuram. Participiis[2] accidunt sex, genus, casus, significatio, tempus, numerus, figura.

2. Genera participiis accidunt quattuor; masculinum, ut *lectus*, femininum, ut *lecta*, neutrum, ut *lectum*, commune ut *legens*. Nam omnia participia praesentis temporis generis sunt communis. — Casus totidem sunt participiorum, quot et nominum; nam per omnes casus etiam participia declinantur. — Tempora participiis accidunt tria, praesens, praeteritum et futurum, ut *luctans*, *luctatus*, *luctaturus*.

3. Significationes participiorum a generibus verborum sumuntur. Veniunt enim participia ab activo[3] duo, praesentis temporis et futuri, ut *legens*, *lecturus;* a passivo duo, praeteriti temporis et futuri, ut *lectus*[4], *legendus;* a neutro duo, sicut ab activo, praesentis temporis et futuri, ut *stans*, *staturus;* a deponenti tria, praesentis, praeteriti et futuri, ut *luctans*, *luctatus*[5], *luctaturus;* a communi quattuor, praesentis, praeteriti[6] et duo futura, ut *criminans*, *criminatus*, [1762] *criminaturus*[7], *criminandus*. Inchoativa participia praesentis temporis sunt tantum, ut *horrescens*, *tepescens*, *calescens*. Defectiva interdum alicuius sunt temporum[8], ut *soleo*, *solens*, *solitus*. Interdum nullius, ut ab eo quod est *memini* nullum participium reperitur. Interdum a non defectivo verbo participia defectiva sunt, ut[9] *studeo*, *studens;* et futurum tempus non habet[10]. Ab impersonali verbo participia, nisi usurpata, non veniunt[11].

4. Numeri participiis accidunt[12] uterque, singularis et pluralis; singularis, ut *hic legens*, pluralis, ut *hi legentes*.

Figura item participiorum duplex est; aut enim simplicia sunt participia, ut *scribens*, aut conposita, ut *describens*. Conponuntur etiam participia modis quattuor[13].

5. Sunt nomina speciem participiorum habentia, ut *tunicatus*, *galeatus*, quae quia a verbo non veniunt, non sunt ad participia applicanda[14]. Ex quibus sunt etiam illa, quae participia videntur[15], verborum tamen significatione privata sunt, ut *pransus*, *coenatus*, *placita*, *nupta*, *triumphata*, *regnata*. Nam *prandeor*, *coenor*, *placeor*, *nubor*, *triumphor*, *regnor* non dicitur. Sunt etiam alia participia, quae accepta praepositione et a verbis et a participiis recedunt[16], ut *nocens*, *innocens;* nam *noceo* dicitur, *innoceo* non dicitur. Sunt veluti participia, quae a verbo veniunt, et quia tempus non habent, nomina magis, quam participia indicantur, ut *furibundus*, *moribundus*[17]. Sunt multa participia eadem et nomina, ut *passus*, *visus*, *cultus*[18], quae tamen et in[19] casibus discrepant et de[20] temporibus dignoscuntur[21]. Sunt participia defectiva, quae per omnia tempora ire non possunt, ut est *coeptus*, *urguendus*[22]. Sunt participia, quae accepta conparatione fiunt nomina, ut *acceptior*, *incensior*[23]. Adverbia de participiis fieri posse, nonnulli negant; sed hoc[24] plurimae lectionis revincit auctoritas.

1) *dicta eo quod* P. — 2) *Participio* P. — 3) *verbo* addunt P. et corr. Cod. ita tamen, ut in P. *a verbo activo*, in Cod. *ab activo verbo* legatur. — 4) Intruditur *et* in P. — 5) Intruditur *et* in P. — 6) *praesens*, *praeteritum* P. — 7) *et criminandus* P. — 8) *alicuius temporis sunt* P. — 9) *ut ab eo quod est studeo* P. — 10) *non habet in usu* P. Corr. Cod. omnem locum sic dedit: *ut ab eo quod est studeo studens, et cresco crescens; et futurum tempus non habet in usu.* — 11) *fuerint*, *non veniunt* P. et corr. Cod. Ad voc. *usurpata* glossa adscripta est in Cod. supra lin. *contra regulam.* — 12) *Numerus — accidit* P. — 13) P. secutus sum. Codex vitiosa haec: *Conponuntur autem participia modis IIII. possunt.* Adduntur a poster. m. supra lin. *ut reponens*, *sufficiens*, *incipiens*, *suspendens.* — 14) *non sunt participia appellanda* P. — 15) *quae cum participia videantur* P. et emend. Cod. — 16) *recidunt* Cod. a pr. m. — 17) *ludibundus* addit P. et corr. Cod. — 18) *sapiens*, *indulgens* addit P. et post. m. in Cod. — 19) *in* abest a P. — 20) *de* abest a P. — 21) *et comparata mutantur* addit P. et corr. Cod. *Dinoscun-*

Segm. XV. *De Coniunctione.* [1763]

1. Coniunctio est pars orationis adnectens ordinansque sententiam. Coniunctioni accidunt tria, potestas, figura, ordo[25].

Potestas coniunctionum in quinque species dividitur. Sunt enim copulativae, disiunctivae, expletivae, causales, rationales. Sex[26] copulativae hae sunt: *et*, *que*, *at*, *atque*, *ac*, *ast*. Sex[27] disiunctivae sunt: *aut*, *ve*, *vel*, *ne*, *nec*, *neque*[28]. Undecim expletivae sunt: *quidem*, *equidem*, *saltim*, *videlicet*, *quamquam*, *quamvis*, *quoque*, *enim*, *porro*, *autem*[29], *tamen*. Triginta quattuor[30] causales: *si*, *etsi*, *etiam*, *etiamsi*, *acsi*[31], *tametsi*, *siquidem*[32], *quando*, *quandoquidem*, *quin*, *quinetiam*, *quatenus*, *sin*, *seu*, *sive*, *neve*, *nam*, *namque*, *ni*, *nisi*, *nisisi*[31], *enim*[31], *etenim*, *ne*, *sed*, *interea*, *quamobrem*, *praesertim*, *item*, *itemque*, *caeterum*, *alioquin*, *praeterea*. Quindecim[35] rationales: *ita*, *itaque*, *enim*, *enimvero*, *quia*[36], *quapropter*, *quoniam*, *quoniamquidem*[37], *quippe*, *ergo*, *ideo*, *igitur*, *scilicet*, *propterea*, *idcirco*[38].

2. Figurae coniunctionum duae sunt; simplex, ut *nam*, conposita, ut *namque*.

Ordo coniunctionum in hoc est, quia aut praepositivae sunt coniunctiones, ut *at*, *ast;* aut subiunctivae, ut *que*, *autem;* aut communes, ut *et*, *igitur*.

3. Sunt etiam dictiones, quas incertum est, utrum coniunctiones, an praepositiones, an adverbia nominemus, ut *cum* et *ut*. Haec[39] nisi sententiam consideraverimus, incerta sunt; quae tamen omnes sensu facile dignoscuntur[40]. Nam et coniunctiones pro aliis coniunctionibus positae inveniuntur potestate mutata[41].

Segm. XVI. *De Praepositione.*

1. Praepositio est pars orationis, quae praeposita aliis partibus orationis significationem earum aut mutat, aut conplet, aut minuit. Nam aut nomini praeponitur, ut *invalidus;* aut pronomini praeponitur, ut *prae me*[42], vel subponitur[43], ut *mecum*, *tecum*[44], *nobiscum*, *vobiscum;* aut verbum praecedit, ut *perfero*, aut adverbium, ut *expresse*, aut participium, ut *praecedens*, aut [1764] coniunctionem, ut *absque*, aut ipsam[45], ut *circumcirca*.

2. Praepositiones aut casibus serviunt aut loquelis; aut et[46] casibus et loquelis. Haeque[47] aut coniunguntur aut separantur, aut et[48] coniunguntur et separantur. Coniunguntur[49], ut *di*, *dis*, *re*, *se*, *am*[50], *con;* dicimus enim *diduco*, *distruho*, *recipio*, *secubo*, *amplector*, *congredior*. Separantur, ut *apud*, *penes*. Coniunguntur et separantur caeterae omnes. Ex quibus *in* et *con* praepositiones, si ita conpositae fuerint, ut eas statim *s* vel *f* litterae consequantur, plerumque producuntur, ut *insula*, *infula*[51], *consilium*, *confessio*.

3. Praepositioni accidit casus tantum. Casus namque in praepositionibus duo sunt, accusativus

tur Cod. — 22) *non possunt, quae a verbo veniunt, ut est ceptus, urgendus* P. — 23) *acceptus, acceptior, incensus, incensior* P. et corr. Cod. — 24) *Sed hos* P. et corr. Cod. — 25) *et ordo* P. — 26) *Sex* deest apud P. — 27) *Septem* corr. Cod. Vox plane deest apud P. — 28) *an, neque* P. et corr. Cod. — 29) *licet, tamen* P. et corr. Cod. — 30) *Triginta quattuor* deest apud P. — 31) *etiam, etiamsi, acsi* desunt ap. P. — 32) *siquid* P. — 33) *nisisi* deest ap. P. — 34) Male apud P. *nisienim*, una voce. — 35) *Quindecim* deest apud P. — 36) *quia, quare* P. — 37) Pro *quoniamquidem* repetit P. *quandoquidem* ex superioribus. — 38) *iccirco* P. — 39) Verba: *ut cum et ut, haec* desunt ap. P. — 40) *discernuntur* P. In Cod. est *dinoscuntur*. — 41) *mutatae* P. — 42) *per me* P. Cod. supra lin. *ultra me*, quod glossema. — 43) *supponitur* P. — 44) Addit *secum* P. et corr. Cod. — 45) *semetipsam* P. *seipsam* corr. Cod. Citatur hic locus a Prisciano, lib. XIV, 3. p. 598. tom. I., ubi *profero* pro *perfero* et *se ipsam* pro *ipsam*. — 46) *aut aeque casibus* P. — 47) *Haec* P. — 48) *et* deest apud P. — 49) *Quae loquelis serviunt, coniunguntur* P. — 50) *an* P. — 51) *infusa* P.

et ablativus. Aliae enim accusativo casui praeponuntur[1], aliae ablativo, aliae utriusque casus sunt[2]. Accusativi casus praepositiones sunt hae: *ad*, *apud*, *ante*, *adversum*, *cis*, *citra*, *circum*, *circa*, *contra*, *erga*, *extra*, *inter*, *intra*, *infra*, *iuxta*, *ob*, *pone*, *per*, *prope*, *secundum*, *post*, *trans*, *ultra*, *praeter*, *propter*, *supra*, *circiter*, *usque*[3], *penes*. Dicimus enim *ad patrem*, *apud villam*, *ante aedes*, *adversum hostes*[4], *cis Renum*[5], *citra forum*, *circum vicinos*, *circa templum*, *contra hostem*, *erga propinquos*, *extra terminos*, *inter naves*, *intra moenia*, *infra tectum*, *iuxta macellum*, *ob augurium*, *pone tribunal*, *per parietem*, *prope fenestram*[6], *secundum fores*, *post tergum*, *trans ripam*, *ultra fines*, *praeter officium*, *propter mercatum*[7], *supra coelum*, *circiter annos*, *usque Oceanum*[8], *penes arbitros*. Ex his *ad* et *apud* cum unius casus sint, diverso modo ponuntur. Dicimus enim: *ad amicum vado*, *apud amicum sum*. Nam neque *apud amicum vado* recte dicitur, neque *ad amicum sum*. *Usque* praepositio plurimis non videtur, quia sine aliqua praepositione proferri recte non potest[9]; unde adiungitur utrique casui pro qualitate praepositionis eius, cui fuerit copulata, ut *usque ad* et *usque ab*.

4. Ablativi casus praepositiones sunt hae: *a*, *ab*, *abs*, *cum*, *coram*, *clam*, *de*, *e*, [1765] *ex*, *pro*, *prae*, *palam*, *sine*, *absque*, *tenus*. Dicimus enim *a domo*, *ab homine*, *abs quolibet*[10], *cum exercitu*, *coram testibus*, *clam custodibus*, *de foro*, *e iure*, *ex praefectura*, *pro clientibus*, *prae timore*, *palam omnibus*, *sine labore*, *absque iniuria*, *tenus pube*. Sed haec praepositio propter euphoniam subicitur[11] et facit *pube tenus*. *Clam* praepositio casibus servit ambobus.

5. Utriusque casus praepositiones sunt hae: *in*, *sub*, *super*, *subter*; quarum *in* et *sub* tunc accusativi casus sunt[12], cum ad locum vel nos vel quoslibet ire, isse, ituros esse significamus; tunc ablativi, cum vel nos, vel quoslibet in loco esse, fuisse, futuros esse significamus; cuius rei exempla sunt haec. *In* accusativi casus, ut

Itur in antiquam silvam[13].

In ablativi casus,

Stans celsa in puppi[14].

Sub accusativi casus, *postesque sub ipsos*[15]
Nituntur gradibus.

Sub ablativi casus,

Arma sub adversa posuit radiantia quercu[16].

Super vero et *subter* cum accusativo casui naturaliter praeponantur, et ablativo[17] plerumque iunguntur, ut

gemina super arbore sidunt[18].

Et: *Ferre iubet*[19] *subter tensa testudine casus.*

1) *Aliae enim praepositiones accusativo casui serviunt* P. et corr. Cod. — 2) *aliae utrique casui* P. et corr. Cod. — 3) *secus* addit P. et corr. Cod. — 4) *inimicos* P. et corr. Cod. — 5) *Rhenum* P. — 6) Post haec leguntur in P. et in Cod. a sec. m. *propter disciplinam.* — 7) *propter mercatum.* Sic videtur legendum esse; nam erasae sunt duae vv. in Codice. — 8) *secus vos* intrudunt et P. et Cod., sed sustuli auctoritate eius librarii, qui scripsit Donati artem in usum scholarum in Cod. Ber., de quo supra. Legitur enim ibi: *secus viam quod non est in Donato.* — 9) Quae sequuntur verba usque ad vv. *usque ab*, desunt in Cod., sed altera manus adscripsit. Non recte videbantur abesse, propterea P. secutus ea recepi. — 10) P. e vitio typographico: *absque quolibet.* — 11) *Subiicitur* P. — 12) *quarum in et sub tunc praepositiones accusativi casus sunt, cum adversum vel ante significant, ut ibat in Euryalum et sub ipsum Arcturum, pro ante. Tunc ablativi casus, cum vim recte retinent, nec pro accusativis praepositionibus ponuntur. Item accusativi casus sunt, cum ad locum vel nos, vel quoslibet ire, isse, ituros esse significamus, cuius rei exempla sunt haec.* Sic interpolata haec sunt apud P. — 13) Virg. Aen. VI, 179. — 14) Virg. Aen. III, 527. VIII, 680. X, 261. — 15) Virg. Aen. II, 442. — 16) Virg. Aen. VIII, 616. — 17) *tamen* addit P. et

Quamquam multi sunt, qui non putant ambiguas[20] praepositiones, nisi duas, *in* et *sub;* caeterum *super* et *subter*, cum locum significant, figurate ablativo iungi[21]. Extra quam formam *super* praepositio, cum *de* significat, hoc est, mentionem de aliquo fieri, ablativi casus est tantum, ut

Multa super Priamo rogitans, *super Hectore multa*[22].

Hoc est, *de Priamo* et *de Hectore.*

6. Separatae praepositiones acuuntur; coniunctae[23] casibus aut loquelis[24] vim suam saepe [1766]
commutant et graves fiunt[25]. Praepositiones aut verba[26], cum conponuntur, corrumpunt, ut *conficio*, aut ipsae corrumpuntur, ut *affero*, aut et[27] corrumpunt et corrumpuntur, ut *suscipio.* Antiqui praepositiones etiam genitivo casui coniungebant[28], ut *crurum tenus.* Item *post* et *ante* et *circum* utrisque casibus[29] iunctas invenimus. Sed scire nos convenit, praepositiones ius suum[30] tunc retinere, cum praeponuntur; suppositas vero et significationem suam[31] et vim nominis et legem propriam non habere. Separatae praepositiones separatis praepositionibus non cohaerent[32] et adverbium faciunt, si quando illas non subsequitur casus. Sunt qui putant, accidere praepositioni et figuram et ordinem; figuram, quia sunt praepositiones[33] conpositae, ut *absque;* ordinem, quia sunt praepositiones praepositivae, ut *sine*, sunt subiunctivae, ut *tenus.* Sed haec nos et similia in his numerabimus[34], quae *inaequalia* nominantur[35].

SEGM. XVII. *De Interiectione.*

Interiectio est pars orationis interiecta aliis partibus orationis ad exprimendos animi adfectus; aut metuentis, ut *ei*, *eu*[36]*;* aut optantis, ut *o;* aut dolentis, ut *heia*, et *heu*[37]*;* aut admirantis, ut *papae*[38]*;* aut laetantis, ut *euax.* Sed haec apud Graecos adverbiis adplicantur[39], quod ideo Latini non faciunt, quia huiuscemodi voces non statim subsequitur verbum. Licet autem pro interiectione etiam alias partes orationis singulas pluresve subponere[40], ut *nefas*, *pro nefas*[41]. Accentus in[42] interiectionibus certi esse non possunt, ut fere in aliis vocibus, quas inconditas invenimus.

LIBER TERTIUS.

SEGM. I. *De Barbarismo.*

1. Barbarismus est una pars orationis vitiosa in communi sermone. In poemate [1767]
metaplasmus. Itemque in nostra loquela barbarismus[43], in peregrina barbaros lexis[44] dicitur, ut si quis dicat *mastruca*[45], *cateia*, *magulia*[46]. Barbarismus fit duobus modis, pronunciatione et scripto.

corr. Cod. — 18) Virg. Aen. VI, 203. — 19) Lege: *Ferre lubet* P. *Ferre iuvat.* Cf. Pomp. Comm. artis Don. p. 403. Locus est Virg. Aen. IX, 514. — 20) *esse* addit P. — 21) *iunguntur* male apud P. et corr. Cod. — 22) Virg. Aen. I, 750. — 23) *vero* addit P. — 24) *fuerint* interponitur in Codice, sed inductum est. — 25) Citatur hic locus totidem verbis a Prisciano lib. XIV, 1. p. 585. Tom. I. Kr. — 26) *ipsa* addit P. et corr. Cod. — 27) *et* h. l. deest apud P. — 28) *iungebant* P. — 29) *utrique casui* P. et corr. Cod. — 30) *vim suam* P. — 31) *suam* Cod. ab altera m. et P. omittit. — 32) Verba: *Separatae praepositiones separatis praepositionibus non cohaerent* desunt apud P. pessime. — 33) *Simplices ut abs* intrudunt P. et corr. Cod. — 34) *in his adnumeravimus* P. — 35) *numerantur* Cod. perperam. — 36) Pro *ei eu* apud P. *enim*, *atat* P. *atat* ab altera m. adscr. in Cod. Lege: *oiei*, *atat.* — 37) Cod. *eu; heia* erasum. — 38) Verba: *aut admirantis ut papae* ab altera m. Cod. profecta. Exstant apud P. Mihi videbantur necessaria. — 39) *Sed haec Graeci adverbiis applicant* P. — 40) *supponere* P. — 41) *pro* est interiectio, quae vulgo *proh* scribitur. — 42) *in* deest apud P. — 43) *Itemque barbarismus i. n. l.* P. — 44) *barbarolexis* P. et corr. Cod. — 45) *mastruga* P., quod etiam apud Pompeium est. — 46) *acinacis* addit P. et corr. Cod.

His pipertitis[1] quattuor species subponuntur: adiectio, detractio, immutatio, transmutatio; litterae, syllabae, temporis, toni, adspirationis.

2. Per adiectionem litterae fiunt barbarismi, sicut:

Relliquias Danaum[2];

cum *reliquias* per unum *l*[3] dicere debeamus. Syllabae, ut

Nos abiisse rati[4];

pro *abisse*. Temporis, ut

Italiam fato profugus[5];

cum *Italia* correpta[6] prima littera dicere debeamus.

Per detractionem litterae, sicut:

infantibu' parvis[7];

pro *infantibus*. Syllabae, ut *salmentum*, pro *salsamentum*. Temporis, ut

Unius ob noxam[8];

pro *unīus*.

Per immutationem litterae, ut[9] *olli*, pro *illi*. Syllabae, ut *pernucies*[10] pro *pernicies*. Temporis, ut

Fervere Leucaten[11];

pro *fervēre;*

et Actia bella videbis;

cum, si secundae coniugationis est, producte dici debeat[12].

Per transmutationem litterae, sicut: *Evandre*, pro *Evander*. Syllabae, ut *displicina*, pro *disciplina*. Temporis, ut si quis *Deos* producta prima syllaba et correpta posteriore pronunciet.

3. Toni quoque similiter per has quattuor species commutantur. Nam et ipsi adiciuntur[13], detrahuntur, immutantur, transmutantur; quorum exempla ultro se offerent, si quis inquirat.

Totidem modis etiam per adspirationem[14] deprehenditur barbarismus, quem quidam [1768]
scripto, quidam pronunciationi iudicant adscribendum, propter *h* scilicet, quam alii litteram, alii adspirationis notam deputant[15].

4. Fiunt etiam barbarismi per hiatus. Sunt etiam malae conpositiones, id est, *κακοσύνθετα*[16], quas nonnulli barbarismos putant, in quibus sunt Metacismi, Labdacismi, Iotacismi, hiatus, collisiones, et omnia, quae plus aequo minusve sonantia ab eruditis auribus respuuntur. Nos cavenda haec vitia[17] praelocuti, controversiam de nomine pertinacibus relinquamus[18].

1) Cod. vitiose: *bipertis*. — 2) *atque immitis Achillis* P. *a. i. Achilli* corr. Cod. Virg. Aen. I, 30. — 3) *per unum l* desunt apud P. — 4) *et vento petiisse Mycenas.* Addit P. et corr. Cod. Virg. Aen. II, 25. — 5) *Lavinaque venit* add. P. et corr. Cod. Virg. Aen. I, 2. — 6) *Italiam correpte* P. — 7) Cf. Diomed. p. 424. Valer. Prob. p. 1438. et Pompeius p. 30. — 8) *et furias Aiacis Oilei* addit solus P. Virg. Aen. I, 41. — 9) *sic, ut* P. et corr. Cod. — 10) Cod. a pr. m. *pernuties*, quod mutatum in *pernities*. Fortasse recte *pernuties*. Nisi forte de una syllaba *ti* h. l. sermo est, de cuius pronunciatione cf. Pomp. Gramm. p. 424. — 11) Addit P. *auroque effulgere fluctus.* Virg. Aen. VIII, 677. — 12) Dedi Codicis scripturam; quae mihi non dubium est, quin veram scriptoris manum servet. Apud P. totus locus ita comparatus est: *Fervere — fluctus. Cum fervere sit secundae coniugationis et producte dici debeat.* Grammaticus memoriae vitio plures Virgilii versus in unum contraxit; quod postea emendarunt librarii. Virgilii versus hi sunt Aen. VIII, 675.

In medio classes aeratas, Actia bella
Cernere erat; totumque instructum Marte videres
Fervere Leucaten auroque effulgere fluctus.

Quos versus ita coniunctos exhibere volebat Gramm.:

Fervere Leucaten et Actia bella videbis;

Segm. II. *De Soloecismo.*

1. Soloecismus est vitium in contextu partium orationis, contra regulam artis Grammaticae factum. Inter soloecismum et barbarismum hoc interest, quod soloecismus discrepantes aut inconsequentes in se dictiones habet; barbarismus autem in singulis verbis fit, scriptis vel pronunciatis. Quamquam multi erunt[19], qui putant, etiam in una parte orationis fieri soloecismum, si aut demonstrantes virum, *hanc* dicamus, aut feminam, *hunc*; aut interrogati, *quo pergamus*, respondeamus *Romae;* aut unum salutantes[20] *salvete* dicamus; cum utique praecedens demonstratio aut interrogatio vel salutatio vim contextae[21] orationis obtineat. Multi etiam dubitaverunt, *scala*, *scopa*, *quadriga*, soloecismus an barbarismus esset, cum scilicet id genus dictionis barbarismus[22] esse vel ex ipsius vitii definitione facile possit agnosci.

2. Soloecismus fit duobus modis, aut per partes orationis, aut per ea, quae accidunt partibus orationis[23]. Per partes orationis fiunt soloecismi, cum alia pro alia ponitur, ut

torvumque repente [1769]
Clamat[24];

pro *torve*. Nomen pro adverbio positum est. Fit etiam in eadem[25] parte orationis hoc vitium, cum ipsa pro se non in loco suo[26] neque ut convenit, ponitur, ut

Cui de te tantum licuit[27].

pro *in te*. Et *apud amicum eo*, pro *ad amicum;* et *intro sum*, pro *intus sum;* et *foris exeo*, pro *foras*.

3. Per accidentia partibus[28] orationis tot modis fiunt soloecismi, quot sunt accidentia partibus[29] orationis. Sed ex his propter compendium exempli causa perpauca monstrabimus. Nam[30] per qualitates nominum fiunt soloecismi, sicut

Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus[31];

pro *Dardanius;* proprium pro appellativo posuit. Per genera, sicut: *validi silicis* et *amarae corticis*[32] et *collus collaria caret*[33]. Per numeros, ut[34]

Pars in frusta secant[35];

pro *secat*. Per conparationem[36], sicut

Respondit Iuno Saturnia sancta Dearum[37];

pro *sanctissima*. Per casus, ut[38]

Urbem, quam statuo, vestra est[39];

pro *urbs*, *quam statuo*. Per modos verborum, sicut

Itis, paratis arma quam primum, viri[40];

sed post hemistichium interposuit annotationem grammaticam: *pro fervere*, atque ita versum diremit. — 13) *adiiciuntur* P. — 14) *aspiratione* P. — 15) *putant* P. — 16) Cod. *kako sinteton*. — 17) *haec omnia vitia* P. — 18) Respicit hunc locum Pompeius p. 428 his verbis: *Ait Donatus, nos quidem haec vitia docuimus. Quomodo dicamus ista ipsa vitia, reliquit aliis quaerenda et abstinuit se.* — 19) *errant* P. et corr. Cod. — 20) *resalutantes* P. et corr. Cod. — 21) *connexae* P. — 22) *barbarismum* P. et corr. Cod. — 23) *aut per accidentia partibus or.* P. Sed corr. Cod. *a. p. a. partium or.* — 24) Virg. Aen. VII, 399. — 25) Cod. *Fit et in ea.* — 26) *suo* deest apud P. — 27) Cod. vitiose *elicuit*. Apud P. est: *Cui tantum de te licuit, mihi fama suprema.* — Virg. Aen. VI, 502. — 28) *partium* corr. Cod. — 29) *partium* corr. Cod. — 30) *Nam* deest apud P. — 31) Virg. Aen. IV, 661. — 32) *validi silices et amarae cortices* P. — 33) Plaut. Captiv. II, 2, 107., ubi legendum *collari* pro *collaria*. — 34) *sicut* P. — 35) Virg. Aen. I, 212. — 36) *comparationes* P. — 37) Versus Ennii, ut testatur Servius ad Virg. Aen. IV, 576. — 38) *sicut* P. — 39) Virg. Aen. I, 573. — 40) Incerti poetae. Habet eundem Pomp. p. 435.

pro *ite*, *parate*. Indicativum modum, pro imperativo posuit. Per significationem[1], sicut

Spoliantur[2] *eos, et corpora nuda relinquunt;*

pro *spoliant*. Per tempora, sicut[3]

ceciditque[4] *superbum*
Ilium, et omnis humo fumat Neptunia Troia;

pro *cecidit et fumavit*. Per personas, sicut

Danai, qui parent Atridis, quam primum arma sumite[5];

pro *qui paretis, sumite*. Per adverbia, sicut *intus eo*, pro *intro*; et *foras sto*, pro *foris*[6]; et *Italiam venio* et *ad Romam pergo*[7]. Per praepositiones, cum alia pro alia ponenda sit, aut necessaria[8] [1770] subtrahitur. Alia pro alia ponitur, ut *sub lucem*[9] pro *ante lucem*. Necessaria[10] subtrahitur, ut

Silvis te, Tyrrhene, feras agitare putasti[11];

pro *in silvis*. Per coniunctionem, sicut

subiectisque urere flammis[12];

pro *subiectisve*[13]. Et *non autem fieri debet*, cum dicendum sit: *fieri autem non debet*[14]. Fiunt praeterea soloecismi pluribus modis, quos reprehendendo potius, quam imitando, possumus adnotare. Soloecismus est[15] in prosa oratione, in poemate schema nominatur.

Segm. III. *De caeteris vitiis.*

1. Cum barbarismo et soloecismo vitia duodecim numerantur[16] hoc modo. *Βαρβαρισμός, σολοικισμός*[17], *ἀκυρολογία, κακέμφατον*[18], *πλεονασμός, περισσολογία, μακρολογία, ταυτολογία, ἔκλειψις, ταπείνωσις, κακοσύνθετον, ἀμφιβολία*[19].

2. *Ἀκυρολογία* est inpropria dictio, ut

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem[20];

Sperare[21] dixit pro *timere*.

Κακέμφατον[22] est obscoena enunciatio, vel in conposita dictione[23] vel in uno verbo, ut

numerum cum navibus aequat[24];

et

Arrige aures Pamphile[25].

Πλεονασμός est adiectio verbi supervacui ad plenam significationem, ut

sic ore locuta est[26];

pro *sic locuta est*.

Περισσολογία est supervacua verborum adiectio sine ulla vi rerum, ut

1) *significationes* P. — 2) *Exspoliantur* P. — Ennii perhibetur hic versus, quem Pomp. etiam exhibet p. 435, qui idem *spoliantur*. — 3) *ut* P. — 4) Addit P. *Immeritam visum superis*. Locus est Virg. Aen. III, 3. — 5) Locus unde depromptus sit, non constat. Ceterum in Codice a pr. m. fuisse videtur: *Atrides*. *Atridi* habet Pomp., qui hunc versum citat p. 436. — 6) *foris exeo, pro foras* P. — 7) Perperam apud P. *Italia venio, pro de Italia et ad Romam pergo, pro Romam. Cum praepositio nominibus separatim addenda sit, non adverbiis. Per praepositiones* cet. Posteriora etiam corr. Cod. — 8) *necessario* P. — 9) *ibant* addit P. — 10) *Necessario* P. — 11) Virg. Aen. XI, 686. — 12) Virg. Aen. II, 37. Ceterum apud P. *Praecipitare iubent* additur. — 13) *pro ve* P. — 14) Plane alia P. et corr. Cod. *Per ordinem coniunctionis, ut autem fieri non debet, cum dicendum sit* cet. — 15) *est* erasit corr. Cod. — 16) *vitia decem nominantur* P. — 17) Verba *Βαρβαρισμός, σολοικισμός* desunt apud P. Ceterum in Cod. omnia latinis litteris scripta. — 18) *κακέφατον* P. — 19) *ἀμφιβολογία* P. — 20) Virg. Aen. IV, 419. — 21) *enim* addit P. et corr. Cod. — 22) *κακέφατον* P. — 23) *vel inconposita dictio* Cod. a pr. manu. — 24) *Corpora fundat humo — aequet* P. Ceterum v. est Virg. Aen. I, 193. — 25) Terent. Andria V, 4, 30. — 26) *Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est* P. — 27) Incerti poetae locus. Cf. Pompeium in com-

Ibant, qua poterant, qua non poterant, non ibant[27].

Μακρολογία est longa sententia res non necessarias conprehendens, ut: *Legati non impetrata pace, retro unde venerant*[28], *domum reversi sunt*[29].

Ταυτολογία est eiusdem dicti repetitio vitiosa, ut *egomet ipse.*

Ἔκλειψις est defectus quidam necessariae dictionis, quam desiderat praecisa sententia, ut [1771]

Haec secum[30].

Deest enim ⁖ *loquebatur.*

Ταπείνωσις est humilitas rei magnae, non id agente sententia[31], ut

penitusque cavernas,
Ingentes[32];

et

Pelide stomachum cedere nescii[33].

Κακοσύνθετον est vitiosa conpositio dictionum, ut

versaque iuvencum
Terga fatigamus hasta[34].

Ἀμφιβολία[35] est ambiguitas dictionis, quae fit aut per casum accusativum, ut si quis dicat: *audio secutorem retiarium superasse;* aut per commune verbum, ut si quis dicat: *criminatur Cato, vadatur Tullius*, nec addat *quem*, vel *a quo;* per distinctionem, ut: *vidi statuam auream hastam tenentem.* Fit et per homonyma, ut si quis *aciem* dicat, et non addat *oculorum* aut *exercitus* aut *ferri*[36]. Fit praeterea plurimis[37] modis, quos recensere omnes, ne nimis longum sit, non oportet.

Segm. IV. *De Metaplasmo.*

1. Metaplasmus est transformatio quaedam recti solutique sermonis in alteram speciem metri, ornatusve[38] causa. Huius species sunt quattuordecim: *πρόθεσις*[39], *ἐπένθεσις, παραγωγή, ἀφαίρεσις, συγκοπή, ἀποκοπή, ἔκτασις, συστολή, διαίρεσις, ἐπισυναλοιφή*[40], *συναλοιφή, ἔκθλιψις, ἀντίθεσις, μετάθεσις.*

2. *Πρόθεσις*[41] est appositio quaedam ad principium dictionis, litterae aut syllabae, [1772] ut *gnato* pro *nato; tetulit* pro *tulit.*

Ἐπένθεσις est appositio ad medium dictionis[42] litterae aut syllabae, ut *relliquias* pro *reliquias; induperator* pro *imperator.* Et[43] hanc alii epenthesin, alii parenthesin dicunt.

Παραγωγή est appositio ad finem dictionis litterae aut syllabae, ut *magi* pro *magi* et *pote* pro *potest*[44]. Hanc alii *προςπαράληψιν* appellant.

ment. in Donati de barb. et met. p. 441. — 28) P. *venerunt*, quod idem apud Pompeium l. c. — 29) Unde locus depromptus sit, non constat. Cf. Pomp. l. c. — 30) *mene incepto desistere victam?* addit P. Ceterum est locus Virg. Aen. I, 37. — 31) *non id agente sententia, quod demonstrat* P. Locus utrobique corruptus videtur. — 32) Virg. Aen. II, 19. — 33) Locum sic exhibuimus, uti a pr. m. in Codice scriptus legitur. Altera manus emendavit: *Pelides stomacho cedere nescit.* — Ceterum totus de tapinosi locus ita exhibetur a P. *ut: Includunt caeco lateri penitusque cavernas Ingentes, uterumque armato milite complent. Id est multae legiones armatorum militum impleverunt cavernas. Et: Dulichius vexasse rates et gurgite in alto. Et: Pelidae stomachum cedere nescii.* — 34) *Omne aevum ferro teritur, versaque iuvencum terga fatigamus hasta, nec tarda senectus.* P. — 35) *Ἀμφιβολογία* P. Cf. Pompeium p. 443. — 36) *oculorum, exercitus, an ferri* P. — 37) *pluribus* P. — 38) *metri, ornatus, necessitatisve* P. — 39) *πρόσθεσις* P. male. Cf. Pompeius p. 446. — 40) *συναίρεσις* P. et Codex ab a. m. cf. Pompeius p. 446. Episynaloepham pro synaeresi ponit etiam M. Valerius Probus p. 1438. — 41) *Πρόσθεσις* P. — 42) *ad mediam dictionem* P. — 43) *Et* deest apud P. — 44) Dedi Cod. scripturam ad litteram. Apud P. est: *ut mage pro magis et potestur pro potest.* Locus corruptus est. For-

Ἀφαίρεσις est ablatio de principio dictionis, contraria prothesi, ut *mitte* pro *omitte*[1] et *temno* pro *contemno*.

Συγκοπή est ablatio de media dictione, contraria epenthesi, ut *audacter* pro *audaciter*, *commorat* pro *commemorat*.

Ἀποκοπή est ablatio de fine dictionis[2] paragogae contraria, ut *Achilli* pro *Achillis* et *potis* pro *potis est*[3].

Ἔκτασις est extensio syllabae contra naturam verbi, ut

Italiam fato profugus[4];

cum *Italia* correpte dici debeat.

Συστολή est correptio contra naturam verbi[5] contraria ectasi, ut

Aquosus Orion;

cum *Orion* producte dici debeat[6].

Διαίρεσις est discissio syllabae unius in duas facta, ut[7]

Olli respondit rex Albai Longai[8].

Ἐπισυναλοιφή[9] est conglutinatio duarum syllabarum in unam facta, contraria diaeresi, ut *Phaethon* pro *Phaëthon*, *Neri* pro *Nerei*[10], *aeripedem* pro *aëripedem*.

Συναλοιφή[11] est per interceptionem[12] concurrentium vocalium lubrica quaedam lenisque collisio, ut

Atque ea diversa penitus dum parte geruntur[13].

Haec a quibusdam synchysis[14] nominatur.

Ἔκθλιψις est consonantium cum vocalibus aspere concurrentium quaedam difficilis ac dura collisio, ut

Multum ille et terris iactatus et alto[15].

Ἀντίθεσις est litterae pro littera positio, ut *olli* pro *illi*.

Μετάθεσις est translatio litterarum in alienum locum, nulla tamen ex dictione [1773] sublata, ut *Evandre*, pro *Evander*[16].

Segm. V. *De Schematibus Lexeos.*

1. Schemata lexeos et dianoeas sunt, id est, figurae verborum et sensuum[17]. Sed schemata dianoeas ad oratores pertinent, ad Grammaticos, lexeos, quae cum multa sint, ex omnibus necessaria fere sunt decem et septem[18], quorum haec sunt nomina: *πρόληψις, ζεῦγμα, ὑπόζευξις, σύλληψις, ἀναδίπλωσις, ἀναφορά, ἐπανάληψις, ἐπίζευξις, παρονομασία, σχέσις ὀνομάτων, παρόμοιον*[19], *ὁμοιόπτωτον, ὁμοιοτέλευτον, πολύπτωτον, εἱρμός, πολυσύνθετον*[20], *διάλυτον*.

tasse legendum: ut *magis* pro *mage*, *potestur* pro *potest*. *Potestur* saltem in eadem caussa pro exemplo ponitur a Pompeio p. 446. Sed quia *mage* non usitatum est, vide, ne potius legendum sit *accingier* pro *accingi*. Cf. M. Valerium Probum p. 1438. — 1) In Codice a pr. m. *demitte*. — 2) Addit P. *litterae aut syllabae*. — 3) et *potes pro potest* P. — 4) Virg. Aen. I, 2. — 5) Verba: *contra naturam verbi* desunt in Cod. — 6) Turbae in Cod. *ut Orion pro Orion producte dici debeat*. Priori tamen *Orion* vox *aquosus* super scripta. Apud P. vero sic: *ut cum subito assurgens fluctu nimbosus Orion; cum Orion producta dici debeat*. Cf. Pomp. p. 451. — 7) *ut est* P. — 8) Versus Ennianus. Cf. Ennii fragm. ed. Hessel. p. 17. Addit P. *pro eo quod est Albae longae*. — 9) *Συναίρεσις* P. ut supra. — 10) *Neri pro Nerei* desunt apud P. Corrige hinc Pompeii locum p. 449. — 11) Totus hic articulus cum sequente commutatus in P. legitur, ita ut ille prior, hic posterior. — 12) *interiectionem* Cod. a pr. m. — 13) Virg. Aen. IX, 1. — 14) *Synaeresis* P. male. — 15) Virg. Aen. I, 3. — 16) *Thymbre pro Thymber* addit P. et corr. Cod. — 17) Verba: *id est figurae v. e. sensuum* desunt apud P., ubi ita legitur: *Schemata lexeos sunt et dianoeas*. —

2. *Πρόληψις* est praesumptio rerum ordinem secuturarum praecedens[21], ut
Continuo reges ingenti mole Latinus[22];
et caetera.

Ζεῦγμα est unius verbi conclusio diversis clausulis apte coniuncta, ut
Troiugena, interpres divum, qui numina Phoebi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis[23];
et caetera[24].

Ὑπόζευξις est figura superiori contraria, ubi diversa verba singulis quibusque[25] proprie subiunguntur[26], ut
Regem adit et regi memorat nomenque genusque[27];
et caetera[28].

Σύλληψις est dissimilium clausularum per unum verbum conglutinata conceptio, ut
hic illius arma,
Hic currus fuit[29].
Hoc schema ita[30] late patet, ut[31] fieri soleat non solum per partes orationis, sed etiam per accidentia partibus orationis. Item syllepsis, cum singularis dictio plurali verbo adiungitur, ut
sunt nobis mitia poma,
Castaneae molles et pressi copia lactis[32].

Ἀναδίπλωσις est congeminatio dictionis ex ultimo loco praecedentis versus et principio sequentis, ut
sequitur pulcerrimus Astor,
Astor equo fidens[33].

Ἀναφορά est relatio eiusdem verbi per principia versuum plurimorum, ut
Nate meae vires, mea magna potentia solus, [1774]
Nate patris summi, qui tela Typhoëa temnis[34].

Ἐπανάληψις est verbi in principio versus positi in eiusdem fine repetitio, ut
Ante etiam sceptrum Dictaei regis et ante[35].

Ἐπίζευξις est eiusdem verbi in eodem versu sine aliqua dilatatione[36] congeminatio, ut
Me, me, adsum qui feci, in me convertite ferrum[37].

Παρονομασία est veluti quaedam denominatio[38], ut
Nam inceptio amentium, haut amantium[39].

Σχέσις ὀνομάτων est multitudo nominum coniunctorum quodam ambitu copulandi, ut
Marsa manus, Peligna cohors, Festina virum vis[40].

18) *XVII.* P. Codex *decim et s.* — 19) *παροίμιον* P. male. — 20) Cod. polisintheton. Verum est *πολυσύνθετον.* — 21) *ordine secutarum, ut* P. — 22) *Praeterea reges* cet. P. Est locus Virg. Aen. XII, 161. ubi nunc editur: *Interea reges* etc. — 23) Virg. Aen. III, 395. seq. — 24) *et caetera* desunt apud P. — 25) *quibusque* deest apud P. — 26) *proprie* deest apud P. — 27) Virg. Aen. X, 149. — 28) *et caetera* desunt apud P. — 29) *Posthabita coluisse Samo; hic illius arma, hic currus fuit, hoc regnum Dea gentibus esse.* P. Ceterum locus est Virg. Aen. I, 16. — 30) Deest *ita* apud P. — 31) Pro *ut* in Cod. *et.* — 32) Totus hic locus a vv. *Item syllepsis* usque ad *copia lactis* plane deest apud P. — 33) *Urbs Etrusca solo; sequitur pulcherrimus Astur, Astur equo fidens et versicoloribus armis.* P. Locus est Virg. Aen. X, 180. — 34) Virg. Aen. I, 664. seq. — 35) Virg. Ge. II, 536. — 36) *dilatione* P. — 37) Virg. Aen. IX, 427. — 38) *quotiescunque de nomine aliud efficitur nomen, veluti q. d.* P. — 39) Post v. *inceptio* interponunt P. et corr. Cod. *est.* Locus est Terent. Andr. I, 3, 13. — 40) Versus est Ennianus. Cf. Hessel. p. 150.

Παρόμοιον est cum ab isdem[2] litteris diversa verba sumuntur, ut

O Tite tute Tati tibi tanta Tyranne tulisti[3].

Ὁμοιόπτωτον[4] est, cum in similes casus exeunt verba diversa, ut

Moerentes, flentes, lacrimantes, commiserantes[5].

Ὁμοιοτέλευτον est, cum simili modo[6] dictiones plurimae finiuntur, ut: *Eos revehi*[7], *quam relinqui, devehi, quam deseri malui.*

Πολύπτωτον est multitudo casuum varietate distincta, ut

Littora littoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis, pugnent ipsique nepotesque[8].

Εἱρμός est series orationis tenorem suum usque ad ultimum servans, ut

Principio coelum ac terras, camposque liquentes
Lucentemque globum Lunae Titaniaque astra
Spiritus intus alit[9].

Πολυσύνθετον[10] est multis connexa[11] coniunctionibus dictio, ut

Acamasque Thoasque[12]
Pelidesque Neoptolemusque[13]

et caetera.

Διάλυτον vel *ἀσύνδετον* est figura superiori contraria, carens coniunctionibus, ut

ite, [1775]
Ferte citi flammas, date tela[14].

Segm. VI. *De Tropis.*

1. Tropus est dictio translata a propria significatione ad non propriam[15] similitudinem ornatus necessitatisve causa. Sunt autem tropi tredecim: *μεταφορά, κατάχρησις, μετάληψις, μετωνυμία, ἀντονομασία, ἐπίθετον, συνεκδοχή, ὀνοματοποιΐα, περίφρασις, ὑπέρβατον, ὑπερβολή, ἀλληγορία, ὁμοίωσις.*

2. *Μεταφορά* est rerum verborumque translatio. Haec fit modis quattuor: ab animali ad animale, ab inanimali ad inanimale, ab animali ad inanimale, ab inanimali ad animale. Ergo ab animali ad animale, ut

Tiphyn aurigam celeres fecere carinae[16];

nam et *auriga* et *gubernator* animam habent. Ab inanimali ad inanimale, ut

Ut pelagus tenuere rates[17];

et *naves* et *rates*[18] animam non habent. Ab animali ad inanimale, ut

1) *παροίμιον* vitiose P. — 2) *ab eisdem* P. — 3) Vulgo versus habetur Ennianus; cf. quae monui ad Prisc. librum de vers. Aen. p. 339. — 4) Sequens articulus ante hunc positus est apud P. — 5) Versus inter Ennii reliquias invenitur. Hessel. p. 137. — 6) *similiter* P. — 7) *reduci* P. et emend. Cod. — 8) *ipsique nepotes* P. In Cod. a pr. m. haec: *ipsique nec potesteque.* Locus est Virg. Aen. IV, 628. seq. — 9) Virg. Aen. VI, 726. seqq. — 10) Cod. *Polisinteton.* cf. supra. — 11) *nexa* P. — 12) apud P. *Athamasque Thoasque.* In Cod. est *Achamasque Th.* Cf. Pomp. p. 463. — 13) P. ut solet versus integros exhibuit. Locus est Virg. Aen. II, 263. — 14) *Diripiantque rates alii navalibus; ite Ferte citi flammas date vela, impellite remos.* P. Verba *impellite remos* in Cod. adiecta sunt ab altera m. Apud Virg. Aen. IV, 592., unde locus petitus est, legitur: *date vela.* — 15) *non ad propriam* Cod. — 16) Incerti poetae versus, quem multi excitant Grammatici tacito auctoris nomine. Cf. quae notavi ad Pomp. p. 464. — 17) Addit P. *nec iam amplius ulla.* — 18) Cod. *et pelagus et nubes* P. ab initio addit *nam.* Cf. Pomp. p. 464. Virg. Aen. V, 8. — 19) *et vento quassatur et imbre* add. P. et corr. Cod. Locus est Virg. Aen. IV,

Atlantis cinctum assidue cui nubibus atris
Pinniferum caput;

et caetera[19]. Nam ut haec animalis sunt, ita mons animam non habet, cui membra hominis ascribuntur[20]. Ab inanimali ad animale, ut

si tantum pectore robur
Concipis[21];

nam ut *robur* animam non habet, sic utique *Turnus* animam habet, cui haec dicuntur[22]. Scire autem debemus, metaphoras alias esse reciprocas, alias partis unius.

Κατάχρησις est usurpatio nominis alieni, ut *parricidam* dicimus, qui occiderit *fratrem*, et *piscinam* quae *pisces* non habet. Haec enim nisi extrinsecus sumantur[23], suum vocabulum non habent[24].

Μετάληψις est dictio gradatim pergens ad id quod ostendit, ut

speluncis abdidit atris;

et

Post aliquot mea regna videns mirabur aristas[25]. [1776]

Μετωνυμία est dictio quaedam, veluti transnominatio. Huius multae sunt species. Aut enim per id, quod continet, id quod continetur ostendit, ut

Nunc pateras libate Iovi[26];

aut contra, ut

vina coronant[27];

aut per inventorem id quod inventum est ostendit, ut

Sine Cerere et Libero friget Venus[28];

aut contra, ut

Vinum precamur, nam hic Deus praesens adest[29].

Haec exempli causa diligentius posita etiam reliqua demonstrabunt[30].

Ἀντονομασία est significatio vice nominis posita, quae fit modis tribus: ab animo, a corpore, extrinsecus. Ab animo, ut

Magnanimus Anchisiades[31];

a corpore, ut

ipse arduus altaque pulsat
Sidera[32];

extrinsecus, ut

Infelix puer atque impar congressus Achilli[33].

Ἐπίθετον est praeposita dictio proprio nomini[34]. Nam antonomasia vicem nominis sustinet, epitheton autem[35] numquam est sine nomine, ut

248. — 20) *membra animantium adscribuntur* P. — 21) Virg. Aen. XI, 368. — 22) *sic Turnus, cui haec dicuntur, animam habet* P. — 23) *sumerent* P. — 24) *non haberent* P. — 25) Haec ita exhibuit P. *ut Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris. Post aliquod mea regna videns mirabor aristas.* Locus est Virg. Ecl. I, 70. — 26) Virg. VII, 133. — 27) Addit P. et corr. Cod. *Crateras magnos statuunt et.* Locus est Virg. Aen. I, 7. — 28) Terent. Eunuch. IV, 5, 6. — 29) Verba: *nam hic Deus praesens adest* a P. non versui ascribuntur, sed verba Donati habentur. Perperam. Cf. Pompeius p. 468. Ceterum in Cod. a pr. m. est: *precatur*, apud Pomp. *precemur*. Locus ascribitur Plauto a Servio ad Virg. Aen. I, 723. — 30) *Haec exempli causa posita addiscentibus sunt, reliqua demonstrabit lectio* P. *Haec e. c. diligentibus posita etiam reliqua demonstrabuntur.* Cod. a pr. m. — 31) *Magnanimusque Anchisiades et pondus et ipsa* P. Locus est Virg. Aen. V, 407. — 32) In P. haec tantum: *ipse arduus.* Locus est Virg. Aen. III, 619. — 33) Virg. Aen. I, 475. — 34) *est superposita d. cum proprio nomine* P. *est superposita dictio proprio nomini.* Corr. Cod. — 35) *autem* deest apud P.

dira Celaeno[1];

et

diva[2] *Camilla.*

Fit etiam epitheton modis tribus. Ab animo, a corpore, extrinsecus. His duobus tropis vel vituperamus aliquem vel ornamus.

Συνεκδοχή est significatio pleni intellectus capax, cum plus minusve pronunciet[3]. Aut enim a parte totum ostendit, ut

puppesque tuae pubesque tuorum[4];

aut contra, ut[5]

ingens a vertice pontus[6]
In puppim ferit[7].

Et:

fontemque ignemque ferebant[8].

Meminisse autem debemus, quum fit a parte totum, ab insigni parte faciendum.

Ὀνοματοποιΐα est nomen de sono factum, ut *tinnitus aeris*, *clangor tubarum*[9].

Περίφρασις est circumlocutio, quae fit aut ornandae rei causa, quae pulchra est, aut vitandae, quae turpis est, ut

Et iam prima novo spargebat lumine terras,
Tithoni croceum linquens Aurora cubile[10].

Et:

nimio ne luxu obtunsior usus
Sit genitali arvo[11];

et caetera.

Ὑπέρβατον est transcensio[12] quaedam verborum ordinem turbans, cuius species [1777] sunt quinque: *ὑστερολογία, ἀναστροφή, παρένθεσις, τμῆσις, σύγχυσις*[13].

Ὑστερολογία vel *ὕστερον πρότερον* est sententiae cum verbis ordo mutatus, ut

Torrere parant flammis et frangere saxo[14].

Ἀναστροφή est verborum tantum ordo praeposterus, ut

Italiam contra[15];

pro *contra Italiam.*

Παρένθεσις est interposita ratiocinatio divisae[16] sententiae, ut

Aeneas, neque enim patrius consistere mentem
Passus amor, rapidum ad naves praemittit Achaten[17].

1) *Hos mihi praedixit luctus non dira Celaeno* P. Locus est Virg. Aen. III, 211. — 2) Codex supra lineam habet: *alii dia.* Ceterum P. integrum versum pro more suo exhibet: *Italides, quas ipsa decus sibi diva Camilla.* Virg. IX, 657. — 3) *pronunciat* P. — 4) Virg. Aen. I, 369. Integrum versum exhibet P. — 5) *aut contra, ut* desunt apud P. — 6) Virg. Aen. I, 114. Duo integros versus habet P. — 7) Post haec leguntur in Cod. *et non utique pontus in puppim ferit.* sed deleta. — 8) Apud P. post versum superiorem omisso *et* statim sequitur: *Gramineas alii fontemque ignemque ferebant.* Manifestae omnes hae interpolationes. Locus est Virg. Aen. XII, 119. — 9) In Cod. scr. *glangor.* — 10) Virg. Aen. IV, 585. — 11) Virg. Georg. III, 135. Cf. Pompeium p. 472. et quae ibi notavi. Ceterum hae verba *nimio ne — et caetera* una cum interpositis omnia desunt apud P. — 12) Cod. *transcessio* a pr. m. — 13) In Cod. est *sinthesis.* Cf. infra. — 14) Apud P. praeponitur *Et.* Locus est Virg. Aen. I, 179. — 15) Virg. Aen. I, 13. Integrum versum exhibuit P. — 16) *diversae* P. — 17) Virg. Aen. I, 643. — 18) Virg. Georg. III, 381. — 19) Vulgo Ennio tribuitur. Cf. Enn. Fragm. ed. Hess. p. 151. et quos ibi citatos invenies. — 20) Vitiose apud P. *portant.* Cf. quae notavi ad Pomp. p. 475. — 21) In Codice est *Sinthesis,* sed supra scriptis litteris *cre* emendatum *Sincresis,* quod fortasse corrector *σύγκρασις* voluit. Sed verum est, quod dedi. Cf. Pomp.

Τμῆσις est unius compositi aut simplicis verbi sectio, una dictione vel pluribus interiectis, ut

septem - subiecta - trioni[18];

et:

saxo cere - comminuit - brum[19];

et:

Massili - portabant[20] *iuvenes ad littora - tanas.*

Σύγχυσις[21] est hyperbaton ex omni parte confusum, ut

Tres[22] *notus adreptas*[23] *in saxa latentia torquet,*
Saxa vocant Itali mediisque[24] *in fluctibus aras.*

Est enim hic ordo: tres adreptas Notus in saxa torquet, quae saxa mediis in fluctibus latentia Itali aras vocant[25].

Ὑπερβολή est dictio fidem[26] excedens, augendi minuendive causa; ut *nive candidior;* minuendi, ut *tardior testudine.*

Ἀλληγορία est tropus, quo aliud significatur, quam dicitur, ut

Et iam tempus equum fumantia solvere colla[27].

hoc est, *carmen finire*[28]. Huius species multae sunt, ex quibus eminent septem, *εἰρωνεία, ἀντίφρασις, αἴνιγμα, χαριεντισμός, παροιμία, σαρκασμός, ἀστεϊσμός.*

Εἰρωνεία est tropus per contraria quod conatur extendens[29], ut

Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis [1778]
Tuque puerque tuus[30].

Et caetera. Hanc nisi gravitas pronunciationis adiuverit[31], confiteri videbitur, quod negare contendit[32].

Ἀντίφρασις est unius verbi ironia, ut *bellum*, *lucus*, et *Parcae*[33]. *Bellum* hoc est minime bellum; et *lucus* eo quod non luceat et *Parcae* eo quod nulli parcant.

Αἴνιγμα est obscura sententia per occultam similitudinem rerum, ut

Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me[34];

cum significet, aquam in glaciem convertere[35] et ex eadem rursus effluere.

Χαριεντισμὸς est tropus, quo dura dictu gratius proferuntur, ut cum interrogantibus nobis, quis[36] nos quaesierit, respondetur[37]: *bona fortuna.* Exinde intelligitur[38], neminem nos quaesisse.

Παροιμία est accommodatum rebus temporibusque proverbium, ut *adversum stimulum*[39] *calces;* et *lupus in fabula.*

Σαρκασμὸς est plena odio atque hostilis inrisio[40], ut

En agros, et quam bello, Troiane, petisti,
Hesperiam metire iacens![41]

p. 475. — 22) Sic Cod. a pr. m. Correctum *tris.* — 23) Ita Cod. Apud Virg. Aen. I, 108. est *abreptas.* — 24) Codicis scripturam exhibui. Apud Virg. est *mediis quae.* Cf. Pomp. p. 475. — 25) Huius explicationis haec tantum verba in Cod. restant: *latentia Itali aras vocant.* — 26) In Cod. apparet lacuna, rasura facta, unius quidem voculae. — 27) Virg. Georg. II, 542. — 28) *c. finiri* P. et corr. Cod. — 29) *per contrarium, quod conatur, ostendens* P. et corr. Cod. — 30) In fine versus antec. sigla *etc.* exstat apud P. ita ut verba: *Tuque puerque tuus* non compareant. Melius Codex. Locus est Virg. Aen. IV, 93. — 31) *adiuvet — videtur* P. — 32) Cod. a pr. m. *adiuberit, videbitur quod negare ostendit.* Sed correctum. — 33) Totus locus sic scribitur apud P. *ut bellum, hoc est minime bellum. Lucus, quod minime luceat. Parcae, quod minime parcant.* Quae longe deteriora esse iis, quae Codex exhibet, sponte intelligitur. — 34) Nescitur, cuius poetae sit. Cf. Pomp. p. 477. — 35) *converti* P. quod minime est necessarium. — 36) *Num quis nos* P. Sed corr. Cod. voluit: *numquit nos q. aliquis.* — 37) *responderetur* P. *responditur* Cod. a pr. m. sed corr. ut dedimus. — 38) *intelligetur* P. Ceterum de hoc tropo cf. etiam Pomp. p. 477. seq. ubi idem exemplum. — 39) *adversus st.* P. et corr. Cod. — 40) *irrisio* P. et corr. Cod. — 41) Virg. Aen. XII, 359. Cf. Pomp. p. 479.

'*Ἀστεϊσμὸς* est tropus multiplex, numerosaeque virtutis. Namque *ἀστεϊσμὸς* putatur quidquid simplicitate rustica caret, et faceta satis urbanitate est expolitum[1], ut est illud:

Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi,
Atque idem iungat vulpes[2] *et mulgeat hircos.*

'*Ὁμοίωσις* est minus notae rei per similitudinem eius, quae magis nota est, demonstratio. Huius species sunt tres: *εἰκών, παραβολή, παράδειγμα.*

Εἰκὼν est personarum inter se vel eorum, quae personis accidunt, conparatio, ut

Os humerosque Deo similis[3].

Παραβολὴ est rerum genere dissimilium conparatio, ut

Qualis mugitus fugit cum saucius aram
Taurus[4];

et caetera.

Παράδειγμα est enarratio exempli hortantis aut deterrentis; hortantis[5], ut [1779]

Antenor potuit mediis elapsus Achivis[6]

et caetera; deterrentis, ut

At non sic Phrygius penetrat Lacedaemona pastor,
Ledeamque[7] *Helenam Troianas vexit ad urbes*[8].

1) *expolitum est* P. — 2) Male P. *vulpes iungat.* Ceterum locus est Virg. Eclog. III, 90. — 3) Additum apud P. reliquum hemistichium: *namque ipsa decoram;* quod plane insulsum. Virg. Aen. I, 589. — 4) Addit P.: *et incertam excussit cervice securim.* Locus est Virg. Aen. II, 223. — 5) *deterrentis; ut Ant.* omissa v. *hortantis* P. — 6) P. sequentem versum addit: *Illyricos penetrare sinus atque intima tutus.* Locus est Virg. Aen. I, 242. — 7) *Ledaeamque* P. recte fortasse. — 8) Locus est Virg. Aen. VII, 363.

M. VALERII PROBI

INSTITUTIONUM GRAMMATICARUM

LIBRI II

E CODICE SANCTI COLUMBANI BOBIENSIS

DILIGENTISSIME

EDITI.

PRAEFATIO EDITORIS.

Sequitur iam *Probus*, non ille quidem antiquus *M. Valerius Probus*, quem Suetonius in libello de Grammaticis illustribus „nimis pauca et exigua de quibusdam minutis quaestiunculis edidisse" testatur, sed haud dubie serior quidam eiusdem nominis. Credibile tamen est, ne huius serioris quidem Probi libros ad nos pervenisse integros, quum in antiquissimo illo Codice, ex quo hos libros nunc denuo emendatos edidi, librum Sancti Columbani Bobiensis intelligo, quem in bibliotheca Vindobonensi contuli, inventum sit Fragmentum Grammaticum aliquot plagularum, quod cum huius Probi Catholicis maxime consentiebat iisque persimile esset, sed longe uberiora et amplius exposita continebat, quam quae in his excerptis habentur. Etiam subscriptio libri in Codice haec erat: *Finit de Catholicis Probi.* Sed sequebatur tamen etiam alia subscriptio, ita comparata: *Feliciter ars Probi, Grammatici Urbis, explicit Catholica.* Ut igitur ex his subnotationibus nihil magnopere certi colligi possit. Codex, quem dixi, e Bobiensibus est, diligentissime exaratus, quippe ab eadem, qua scriptus, manu expunctis et correctis tantum non omnibus, quaecumque supervacanea essent vel scriptoris errata, ut videtur, inter primam descriptionem animadverso errore. Nihil habet distinctionis praeter quaedam puncta ad litteras vocabulorum non plene perscriptorum posita; interdum virgulae ad distinguenda singula

verba sub lineam annexae, nam scriptura est continua. Litterae initiales nullae vel admodum paucae, sed ipse ductus litterarum paullum tantum a quadratis sive maiusculis deflectens, ita ut verbi caussa *N* nusquam a maiuscula eadem differat. Membrana tenuis et flava, seu potius fusca. In fine versuum non semper plane perscripta sunt verba, nunc compendio significata, nunc plane omissa vel in margine detrita. Ceterum compendia nulla vel paucissima. Loca poetarum haud raro litteris singulorum vocabulorum initialibus tantum scripta. Codex est seculi septimi vel ineuntis octavi, ut mihi significabat Eichenfeldius, Vir Clarissimus, bibliothecae Vindobonensis publicae Custos. Ceterum nisi unicus, at antiquissimus fons est hic Codex Probi et aliorum scriptorum Grammaticorum, quae in eo servata sunt, atque etiam ex parte est rescriptus, sed scriptura antiquior nihil continet memorabile. Continet idem etiam Sacerdotis Grammatici ingens volumen, quod una cum Probi plagulis superius significatis aliisque fragmentis Grammaticis proxime editurus est Eichenfeldius, cuius erga me benivolentiam summis laudibus efferre debeo.

Ex reliquis, quae mihi praesto erant, auxiliis consulto non nisi *Ascensianam* editionem adhibui. Reliquae editiones deteriores videbantur omnes. Insuper addidi lectiones *Putschii*, ut par erat. Sic factum, ut hi Probi libri in paucissimis adhuc locis tantum corrupti nunc prodeant, quae res maxime illi Codici Bobiensi debetur. Scripsi in Gymnasio Zittaviensi Nonis Ian. CIↃIↃCCCXXVIII.

PROBI INSTITUTIONUM GRAMMATICARUM

LIBER PRIMUS.

AD CAELESTINUM.

PRAEFATIO.

Accipe nostra tuis audacius[1] edita iussis, [1386]
Caelestine[2] potens, et mentibus insere dicta.
Quo cumulante mihi semper fortuna favorem[3]
Haud invita dedit sese, comitante benigno,
Quem superi voluere virum, mihi condere famam.
Ausus enim incipio, quoniam tua iussa fatigant,
Tempora vel numeros verborum et commata verbis,
Ut possum, monstrare meis; licet alta subire
Mens humilis vetet, et res metrica fortius artet[4].
Aptius esse tamen conantes iussa fatemur
Arta[5] subire nimis, quam voce animoque silere.

Segm. I. *De elementis litterarum*[6]. [1387]

1. Litterarum[7] elementa tria sunt, quae planius genera memoramus, unum vocalium, alterum semivocalium, postremum mutarum. Elementum vocalium litterarum, quibus ex vocalitate inditum nomen est, aput[8] nos quinque litteris continetur[9], aput Graecos septem. Harum

1) *Audacibus* Asc. — 2) *Caelestine*. Sic Asc. cum Cod. *Coelestine* P. — 3) *fabore* Cod. *favore* P. Quod exhibuimus, iam est in Asc. Ordo autem verborum est: *Quo cumulante mihi favorem, fortuna haud invita sese dedit, mihi condere famam, comitante benigno, quem virum superi voluere*: i. e. eo viro comite, quem superi comitem mihi addere voluerunt. Ceterum locutio ista: *fortuna se dedit, mihi condere famam*, licet contorta, tamen ab huius generis scriptoribus non aliena videri debet. — 4) *arcet* ex errore P. *arctet* Asc. Nos Codicem secuti sumus. — 5) Ita Cod. *Arcta* Asc. P. — 6) Inscriptiones segmentorum in Codice, ut eas exhibuimus. — 7) *literarum* Asc. P. Codex constanter *litt.* — 8) Ita constanter Cod. — 9) *continentium* Asc. —

illi aliquas et corripiunt et producunt; aliquas semper longas, aliquas semper breves habent. Nos vero quoniam numero sumus exigui vocalium litterarum, pro natura uniuscuiusque syllabae easdem corripere et producere possumus. Sunt autem hae: *a*, *e*, *i*, *o*, *u*. His quaecumque[1] syllaba aut singularibus constat, ut:

A virgo infelix[2],

et:

O Dea[3];

aut adhaerentibus ex qualibet parte consonantibus, ut:

Ne pete connubiis[4] *natam*,

et:

En quid ago[5];

aut duplicatis vocalibus, quod Graeci diphthongos[6] vocant; interdum sine aliqua consonante, ut:

Oenotri[7] *coluere viri;*

aliquando praecedentibus[8] consonantibus, ut:

Praeterea genus[9];

aut interdum consequentibus, ut:

Aestatem increpitans seram[10].

2. Elementum semivocalium septem litteris constat, quae per se quidem proferri singulae possunt, sine vocali tamen per se syllabam facere nequeunt. Ideoque semivocales dictae; quod[11] per se proferantur, vocalitatis nomen attingunt; quod per se syllabam non faciant, mutis similes inveniuntur. Sunt autem numero septem: *f*, *l*, *m*, *n*, *r*, *s*, *x*. Elementum mutarum litterarum novem litteris constat, quibus ex natura suum vocabulum cessit. Ideo enim mutae dicuntur, quoniam per vocales litteras pronunciantur, neque etiam per se syllabam facere possunt. Sunt autem numero novem: *b*, *c*, *d*, *g*, *h*, *k*, *p*, *q*, *t*. Harum omnium diversi elementi litterarum vim naturamque per ordinem memorabo.

SEGM. II. *De vocalibus litteris*[12]. [1388]

1. Vocales litterae quinque sunt. Ex his omnibus *o* littera specialem continet rationem et ω Graecam semper productam, non tamen plenius imitatur[13]. Nam etsi naturaliter brevis fuerit, pro longa poni potest; in ultima[14] dumtaxat syllaba saepe contingit quibuscumque partibus orationis. In nominibus masculinis et femininis casu nominativo recte *o* littera producitur, quia et in genitivo singulari producta est, ut *Cato* et *ratio;* ut:

Quis te, magne Cato, tacitum[15];

ut:

Arduus, arma tenens; non te rationis egentem[16].

1) *Quaecumque.* Ita in Cod. — 2) Virg. Ecl. VI, 47. Ubi editur *Ah v.* — 3) Virg. Aen. I, 372. — 4) Cod. *conubiis.* Locus est Virg. Aen. VII, 96. — 5) Virg. Aen. IV, 534. — 6) Cod. *diftongos.* Asc. *diphthongon.* P. δίφθογγον. Male. — 7) Ita Cod. Sed Asc. et P. *Oenotrii.* Locus est Virg. Aen. I, 532., ubi nunc recte scribitur *Oenotri*, licet varient Codices. — 8) *Procedentibus* Cod. — 9) Virg. Georg. II, 83. — 10) Virg. Georg. IV, 138. — 11) P. ex emendatione: *quod quum per se.* Nos codicem secuti sumus, quicum consentit Ascensiana. — 12) Haec inscriptio in Cod. continenter scripta, eodem in versu atque reliqua. — 13) *emittatur* vitiose Asc. — 14) *intultima* Cod. sed puncto supposito notatur prius *t* supervacaneum esse. — 15) Virg. Aen. VI, 841. — 16) Virg. Aen. VIII, 299. — 17) Lucan. Phars. II, 285. — 18) *Nocte l. b. r.* Cod. Ita non plene perscripta ultima voce. Locus est Virg. Aen. VII, 331. — 19) Virg. Aen. IV,

Lucanus vero brevem posuit *o* syllabam superioris nominis, ut:

Arcano sacras reddit Cato pectore voces[17].

Hic eam, quoniam ultima syllaba pedis est, videtur corripuisse; ille quoniam non solum pedi faciat caput, sed etiam quod manifeste longa sit, produxit. At in hoc nomine: *virgo, virginis*, ubi manifeste brevis est, quoniam genitivo deficit, quemadmodum eam longam poneret Virgilius in hoc versu:

Hunc mihi da proprium, virgo sata nocte, laborem[18],

nisi eam pro longa poni posse secundum eius litterae naturam sciret? Non quod initium pedi faciat, ut quibusdam placet. In verbis quoque licet brevis sit, pro longa ponitur, ut:

En quid ago[19];

Lustra domosque traho[20].

Ne verearis ergo hanc vocalem ultimam verbi, non pedis, in qualibet parte orationis producere.

2. *A* autem et *e* naturam suae vocalitatis, sive correptae, sive productae, custodiunt. Duae vero, *i* et *u*, nunc vocales, nunc pro consonantibus ponuntur, ea ratione, si eas praecedentis[21] aut vocalis aliqua de superioribus consequatur, ut:

Inveni, germana, viam[22];

aut harum duarum, de quibus agimus, alteram praecedentem quaelibet fuerit altera[23] consecuta, ut:

Tum Iuno omnipotens[24];

et:

Altius ad niuum persedit[25].

Nec inmerito[26] prior a posteriore conprimitur[27], quia facultas obruendi praecedentem a tergo insidiantibus exhibetur. [1389]

3. Praeterea vim naturamque *i* litterae vocalis plenissime debemus cognoscere, quod duorum[28] interdum loco consonantium ponatur. Hanc enim ex suo numero vocales duplicem litteram mittunt, ut caetera elementa litterarum singulas duplices mittunt; de quibus suo disputavimus[29] loco. Illa ergo ratione *i* littera duplicem sonum designat, una quamvis figura forma sit, si undique fuerit cincta vocalibus, ut:

acerrimus Aiax[30];

et:

Aio te Aeacida Romanos vincere posse[31].

Segm. III. *De semivocalibus*[32].

1. Semivocales litterae septem sunt: *f, l, m, n, r, s, x*. Harum natura generalis ea est, ut omnes consonantum[33] loco ponantur; nam et semivocales mutae consonantes appellantur. Verum tamen istarum quattuor: *l, m, n, r*, liquidae sunt, si consonantibus aliis[34], in una tamen sed posteriore[35] dumtaxat[36] syllaba, postponantur[37]. Idcirco dictae liquidae, quoniam postpositae

534. — 20) Cod.: *lustra domosque domo*. At Asc. et Putsch. ut edidimus. Locus legitur Virg. Aen. III, 647. — 21) Sic Cod. et Asc. *praecedenteis* P. — 22) Virg. Aen. IV, 478. — 23) *alteram* Cod. et Asc. Emendavit P. — 24) Virg. Aen. IV, 693. — 25) *Ad niuum*. Ita diserte Cod. Locus est Virg. Georg. III, 442. — 26) Sic Cod., a cujus scriptura nolui discedere, etsi non vera videtur. — 27) Ita Cod. *Compr.* Asc. P. — 28) *duorum* diserte Cod. *duarum* Asc. Putsch. — 29) *disputabimus* Putsch. Asc. fortasse rectius. — 30) Virg. Aen. II, 414. — 31) Citatur a complurimis Grammaticis. Est autem Ennii, inveniturque iam apud Cic. de Div. II, 56. — 32) Haec inscriptio in Codice per se versum efficit. — 33) *consonantum*. Ita Cod. *consonantium* Asc. P. — 34) *alis* Cod. — 35) *posterior* Asc. P. ex errore. — 36) Ita Cod. *duntaxat* Asc. P. id quod paullo ante notare omisi. — 37) *postponatur* Cod. Asc. P., sed manifesto errore. —

propriam vim potestatemque deperdunt, dum earum[1] sonus liquescit et tenuatur, et nunc brevem, nunc longam communemque syllabam per positionem eam, quae praecesserit, pro arbitrio scribentis efficiunt; si tamen consonans una praecesserit liquidam, ut:

Phoebe gravis[2] *Troiae;*

et:

Evandrum Evandrique domus[3].

Nam si duae liquidam praecesserint mutae, necessario fiet[4] praecedens syllaba positione longa. Recte igitur liquidae dictae, quod sibi inhaerere non possunt, exceptis duobus nominibus, ut *Mnestheus* et *Mnasylos*[5].

2. *X* quoque specialem vim tenet, quod quamvis una consonans[6] sit, tamen pro duplici semper praecedit et sola facit positione longam, sive in praecedenti syllaba sit[7], sive in consequenti; in praecedenti, ut:

Nox erat[8];

in consequenti, ut:

Axem humero[9] *torquet.*

Hanc ergo semivocales litteram duplicem mittunt.

3. Mutae litterae novem sunt: *b*, *c*, *d*, *g*, *h*, *k*, *q*, *p*, *t*[10]. Hae omnes praeter c in [1390]
orationem positae[11], simplices sunt, quoniam *c* littera duplex in solis dumtaxat pronominibus invenitur, et una pro duabus consonantibus cedit, quoniam crassum sonum reddit ac duplicem, ut:

Hoc illud, germana[12];

et:

Pro Iuppiter ibit[13]

et:

Hic, ait;

Hoc erat, alma parens[14].

In caeteris autem partibus orationis duplicem non optinet[15] potestatem. Nam si dicas: *Nec erat alma parens; Nec ait;* pro una cedit et vis illa soni deficit crassioris. *H* litteram vero scire debemus consonantis loco poni non posse, quia nota est aspirationis[16], quam[17] solida littera, quam Graeci non tam[18] figura aliqua litterae, quam titulo pronunciationis ostendunt.

4. Graecae litterae duae sunt in oratione Latinitatis: *y* et *z*, quarum diversa natura est. *Y* vocalis est, quae et produci et corripi possit[19]. Producitur in hoc:

Quos neque Tydides[20];

corripitur in hoc:

Sic demum lucos Stygiae[21].

Z[22] autem consonans est. Has Latinitas[23] de Graeco fonte derivavit non tam[24] suorum necessi-

1) *eorum* Asc. P. Codex diserte *earum.* — 2) *graveis* P. *gravis* Cod. et Asc. Locus est Virg. Aen. VI, 56. — 3) Virg. Aen. XI, 140. ubi legitur *domos.* — 4) *fiat.* P. *fiet* Cod. Asc. — 5) Ita Cod. *Mnasylas* Asc. *Mnasylus* P. — 6) *consona* Asc. — 7) *fit* Cod. — 8) Virg. Aen. III, 147. Idem ibid. VIII, 26. — 9) Cod. *umero.* Locus est Virg. Aen. IV, 482. — 10) Hic ordo in Cod. Vulgo: *k*, *p*, *q*, *t*. Atque ita Asc. P. — 11) Cod. *in rationem poni si simplices.* Asc. P. *in oratione positae simplices.* Accusativum e cod. ascivi. — 12) Virg. Aen. IV, 675. — 13) Virg. Aen. IV, 590. — 14) Virg. Aen. II, 664. — 15) Scriptura est Codicis. Vulgo *obtinet.* — 16) Sic scriptum exstat in Cod., non *adspirationis.* — 17) *non solida* pro *quam sol.* exhibent Asc. P. Ego codicem secutus sum. — 18) *tam* deest in Cod., quod recipiendum putavi ex Asc. et P. — 19) Ita Cod. *potest* Asc. P. — 20) Virg. Aen. II, 197. — 21) *Stygiae.* Ita in Cod. *Stygios* Asc. P. Locus est Virg. VI, 154. — 22) Putsch. errore typographi habet *L autem* cet.

tate verborum, quam Graecorum nominum ratione. Sed z littera aput Graecos duplex est; ita et aput Latinos invenitur, ut est:

Contemptorque deum Mezentius[25];

et:

At medias inter caedes exsultat Amazon[26].

Segm. IV. *De syllabis naturalibus.*

1. Vocalis littera naturae[27] deservit, consonans positioni. Ex littera syllaba nascitur, ex syllaba pes, ex pede comma, ex commate versus, ex versu colon, ex colo periodos. Comma est[28], ut[29] cum particula versus vim sensus ostendit, ut:

O pater[30];

colon[31], cum in fine versus ex maxima parte sensus concluditur, ut:

O pater, o hominum rerumque aeterna potestas[32].

Periodos est[33], cum protractus per multa sensus sequenti versu plenius explicatur, ut: [1391]

O pater, o hominum rerumque aeterna potestas;
Numque aliud quid sit, quod iam[34] *inplorare queamus?*

2. Natura syllabarum brevium atque longarum in nominibus ceterisque[35] orationis partibus per ordinem nulla potest ratione artis conprehendi[36], sed sola auctoritate investigari potest. Neque enim omnium nominum Graecorum atque nostrorum possumus numerum conprehendere[37] diversorum. Ergo licet profunda sit atque difficilis ratio, syllabarum naturalium vim qualitatemque monstrare, tamen de postremis syllabis regulariter disputabo.

3. Syllaba naturaliter longa est quattuor[38] modis. Ea enim aut constat, aut incipit, aut habet, aut desinit. Constat, dicitur, quando sola vocalis syllabam facit, ut:

O decus[39].

Incipit, cum in principio syllabae fuerit, ut:

En ego victu situ[40].

Habet, cum in medio fuerit, ut:

Vos aeterni ignes[41].

Desinit, quando in fine posita est, ut:

Te quoque, magna Pales[42].

4. Nominativus singularis duodecim litteris terminatur; per has omnis[43] novissimarum syllabarum naturas aperiam. Nominativus singularis *a* littera terminatus in omni genere postremam syllabam brevem facit; masculino, ut:

— 23) *Has latinas* Cod. — 24) *tam* deest in Cod. Exhibent Asc. P. — 25) Virg. Aen. VIII, 1. — 26) Virg. Aen. XI, 648. — 27) Cod. *natura.* — 28) *periodos κόμμα, Comma est* P. Ut nos dedimus, exhibent Cod. et Asc. — 29) *ut* deest in Asc. et P. — 30) Virg. Aen. VI, 719. Id. ibid. X, 18. — 31) *κῶλον, Colon* P. — 32) Virg. Aen. X, 18. — 33) *περίοδος, Periodos est* P. — 34) *Quod iam iam inplorare* Cod. *quod iam implorare* Asc. P. — 35) Ita h. l. Cod. *caeterisque* Asc. P. rectius. — 36) *per ordine nulla* — *conpraehendi.* Ita vitiose in Cod. — 37) Cod. *conpraehendere.* Asc. *comprehendere.* P. *deprehendere.* — 38) *quattuor.* Haec est scriptura Codicis, id quod supra notare omisimus. — 39) Virg. Georg. II, 14. — 40) Hoc loco Cod. sic: *ut vos aeterni ignes en ego victa situ.* Sed verba *vos aet. ignes* linea traducta deleta sunt. Locus est Virg. Aen. VII, 452. — 41) Virg. Aen. II, 154. — 42) Virg. Georg. III, 1. — 43) Cod. *per hos omnis.* Atque ita plane Asc. *Per has omnes* Putsch.

advena nostri[1];

feminino, ut:

Irim de caelo misit Saturnia Iuno[2].

Neutro quoque in solis nominibus Graecis, quoniam Latina non sunt, brevis est, ut Horatius in arte poetica:

Sic animis natum inventumque poema iuvandis[3].

Et communi genere eadem syllaba brevis est, ne in exemplis diutissime remoremur.

5. Nominativus singularis e littera terminatus masculino et feminino genere nominum Graecorum est, et novissimam syllabam semper longam facit, ut:

Praeterea sceptrum Ilione[4];

et:

Non Beroe vobis[5].

Neutro autem genere Latinorum nominum est, et semper brevem recipit, ut:

Tum vero omne mihi visum considere[6];

et:

Nomine quemque vocans[7].

6. Nominativus singularis *i* littera terminatus non fere accidit; tamen si evenerit, [1392] novissimam syllabam longam recipit. Nominativus singularis Latini nominis *o* littera terminatus, ut superius dictum est, semper longam recipit, interdum pro necessitate brevem, ut, si Graeca nomina fuerint, semper longam recipiunt[8], ut:

Alecto torvam faciem[9];

Pyrgo tot Priami natorum[10].

7. Nominativum singularem aptoti[11] nominis, neutri generis, *u* littera terminatum, in poemate aliquo non facilius invenies, ut, si facias[12] *hoc cornu*, et *hoc genu*, vel *hoc gelu*. Nam haec nomina aput Virgilium septimo casu inveniuntur. Verum tamen[13] si nominativum casum conlocare[14] volueris, ultimam hanc syllabam longam ponito, quoniam necesse est, in ablativo eam produci, ut Tullius in Arato:

Iam Tauri laevum cornu dexterque simul pes[15].

Ibidem et corripuit, ut:

Hac propter laevum genu omnis parte locatus[16].

In ablativo tamen sine ambiguitate producitur.

8. Nominativus singularis sex litteris semivocalibus terminatur: *l*, *m*, *n*, *r*, *s*, *x*. No-

1) *adv. nostris* Asc. P. Ego Cod. scripturam expressi. Locus est Virg. Ecl. IX, 2. *Advena nostri, Quod nunquam veriti sumus, ut possessor agelli Diceret.* — 2) Virg. Aen. IX, 2. — 3) Horat. A. P. 377. — 4) Virg. Aen. I, 653. — 5) Cod. *veroe.* Ita saepe *v* pro *b* in hoc Cod. Locus est Virg. Aen. V, 646. — 6) *considere* deest apud Asc. et P. In Cod. *visum c.* puncto ad extremam *c* litteram notato. Locus est Virg. Aen. II, 624. — 7) Virg. Aen. XI, 731. — 8) Haec verba omnia: *interdum pro n. b. u. s. Gr. n. f. s. longam recipiunt*, apud P. exciderunt. Exhibent ea Cod. et Asc. Pro *ut*, *si* in Asc. *et*, *si*, fortasse recte. Ceterum cf. Bondam. Varr. Lectt. II, 14. pag. 351. — 9) In Cod. *Allecto.* Locus est Virg. Aen. VII, 415. — 10) Virg. Aen. V, 645. — 11) In P. *ἀπτώτου nominis aptoti.* — 12) *facies* P. Cum Cod. consentit Asc. Paullo post *et hoc genu* dedi e Cod. *et* deest Asc. P. — 13) Sic semper Cod. *veruntamen* P. Asc. — 14) Sic Cod. Asc. P. — 15) Hic versus in iis, quae hodie exstant, non legitur. Fragmentis igitur est annumerandus. — 16) Ita Cod. et Asc. Vitiose apud P. *genu nisi parte l.* Locus est Cic. Arateor. 27. ubi editur: *At propter laevum genus omni ex parte locatus.* — 17) *Annibal* P. Locus est Lucan. Phars. I, 305., ubi editur *transcenderet.* — 18) *facis* Cod. *facias* Asc. P. — 19) Virg. Aen. VIII, 97. — 20) *non immerito quia et* P. ex prava cor-

minativus singularis *l* littera terminatus masculino et neutro genere, praecedentibus tribus vocalibus *a*, *e*, *u*, novissimam syllabam brevem recipit, ut Lucanus:

quam si Poenus transcenderit Alpes,

Hannibal[17].

Et si facis[18] *mel* et *fel*. Praecedente *o* littera longa est, ut:

Sol medium caeli[19].

Nam natura longa ubique est, non positione; non inmerito[20] et in genitivo producitur, ut:

Solis equi[21].

9. Nominativus singularis *m* littera terminatus semper brevem facit; sed si sola restiterit et in synaloepham[22] non ceciderit, duram structuram metro facit et ideo aput Virgilium in synaloepham[23] semper cadit a vocali excepta, et fit positione longa, ut:

Ilium; et omnis humo fumat[24];

et:

Atque[25] *ubi iam patria perventum*[26].

In hoc ergo vigilantia Virgiliana laudanda est, quod ubique haec littera finalis a vocali excipiatur, aut ab aspiratione, ut sit synaloephae[27] locus, et per se stare non possit.

10. Nominativus singularis *n* littera terminatus, praecedentibus vocalibus varias [1393] naturas syllabarum facit, quas per singulas vocales ostendemus. *An* syllaba nominativi casus singularis, quae masculino et feminino genere in Graecis nominibus invenitur, semper longa est, ut:

quorum alter Acarnan[28];

et Lucanus:

Unde venit Titan[29].

Nominativus singularis *en* syllaba terminatus[30], Graeci nominis est, et masculino sive feminino genere semper longa est; masculino, ut *Hymen*, ut Seneca in Hecuba[31]:

Quicumque hymen funestus inluctabilis[32].

Neutro vero genere Latina sunt nomina et syllabam brevem semper recipiunt, ut:

Fulmen erat[33];

et:

Fulmen agit[34].

Sunt et masculina, ut[35]:

Et tollens apicem generoso vertice flamen.

Ergo quae Graeca sunt nomina, ultimam syllabam producunt; Latina corripiunt[36].

rectione. *Ubique* est *ubicunque* et notionem habet relativi, ut sensus sit: ubicunque non positione, sed natura longa est, etiam in genitivo producitur. — 21) Virg. Aen. XII, 115. — 22) *synalifam* Cod. *synalipham* Asc. συναλοιφὴν *synaloepham* P. — 23) *synalifam* Cod. *synalipham* Asc. συναλοιφὴν *synaloepham* P. — 24) *Ilium et omnis h. f.* Sic Asc. P. *et* omittit Cod. male. Locus est Virg. Aen. III, 3. — 25) Cod. *Adque.* Tum vulgo omittitur voc. *perventum*; sed exstat in Cod. *per. in hoc.* sic, non plene scripta voce. *ergo* addidi e Cod. — 26) Locus est Virg. Aen. II, 634., ubi est: *Atque ubi iam patriae perventum ad limina sedis.* — 27) *synalifae* Cod. *synaliphae* Asc. συναλοιφῇ *synaloephae* P. — 28) Virg. Aen. V, 298. — 29) Lucan. Phars. I, 15. — 30) *terminatur* vitiose P. — 31) *in aecuba* Cod., quae scriptura orta ex non intellecta littera initiali *H*, quam librarius pro *A* accepit. — 32) *inlactabilis.* Ita Cod. Asc. P. Locus est Senecae in Troad. 864. — 33) Virg. Aen. VIII, 427. — 34) *Flumen agit* Asc. Haud dubie recte. Intelligitur enim locus Virg. Aen. IX, 814. — 35) Cod. vitiose: *ut et attollens.* atque ita etiam Asc. *Et* omisit P. Sed apud Lucanum I, 604. est: *Et tollens apicem* cet. — 36) *Latina corripiunt* errore typ. Asc.

11. Nominativus singularis *on* syllaba terminatus masculino et feminino genere nominum Graecorum longam habet. Masculino genere, ut:

Armiger Automedon[1],

et:

Hunc vehit[2] *immanis Triton;*

feminino, ut *Calydon*, *Babylon*. Neutro sane genere ultima brevis est. Nominativus casus[3] singularis *in* vel *un* syllabis terminatus non fere contingit.

12. Nominativus singularis *r* littera finitus omni genere Graecis Latinisque nominibus brevem habet; Graecis, ut:

Hector ubi est[4];

Latinis, ut:

ager ille malus[5];

et:

Hic vir, hic est[6];

et:

ipse doli fabricator Epeos[7];

et:

Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo[8].

13. Nominativus singularis *s* littera terminatus per naturas vocalium ultimam syllabam per diversa nomina et producit et corripit. Has me necesse est explanare[9] per ordinem vocalium litterarum. *As* syllaba terminatus nominativus in Graecis nominibus masculino dumtaxat genere longam aliquando recipit:

Una ingens Periphas[10];

et:

Filius huic Pallas[11];

interdum brevem, ut:

Arcas eques[12].

Ergo in propria qualitate nominis producitur; at in appellativa corripitur. Feminino autem genere Graeci quoque nominis brevis est, ut Horatius: [1394]

Pallas honores[13];

dipodia dactylice, ut sit dactylus et spondius[14]; ut Virgilius:

Atque Getae atque Ebrus et Actias Orithyia[15].

Latinis vero nominibus masculino genere et feminino semper producitur, ut:

1) Virg. Aen. II, 477. — 2) Cod. *veit inmanis.* Asc. P. *vehit immanis.* Locus est Virg. Aen. X, 209. — 3) *casus* addit Cod., abest ab Asc. et P. — 4) Virg. Aen. III, 12. — 5) Virg. Georg. II, 243. — 6) Virg. Aen. VI, 792. — 7) *Epeos.* Sic Cod. *Epeus* P. Asc. Locus est Virg. Aen. II, 264., ubi editur *Epeos* ex optimis libris. — 8) Virg. Ecl. I, 58. — 9) *Explanarae* P. ex errore typographi. — 10) Virg. Aen. II, 476. — 11) Virg. Aen. VIII, 104. Sed legitur ibi: *Pallas huic filius una.* Alius igitur locus intelligendus est ibid. VIII, 466., qui infra recurrit. — 12) Virg. Aen. X, 239. — 13) Horat. Carmm. I, 12, 20. — 14) Ita Cod. *Spondeus* P. *spondaeus* Asc. — 15) Hic versus sic scriptus legitur in Cod.: *atque getae atque erous et a. c.* sic punctis ad ultimas duas litteras appositis. *Atque Getae atque Hebrus atque Actias Orithyia* Asc. P. Significant autem duae istae ultimae litterae *Actias*, ut nomen *Orithyia* in Cod. deesse existimandum sit. Praeclare Cod. *et.* Ceterum locus est Virg. Georg. IV, 463. — 16) Virg. Georg. IV, 2, — 17) Virg. Aen. II, 430. — 18) Ita Cod. Asc. P. aperte vitiose. Non enim ita solet singula ponere vo-

Hanc etiam Maecenas[16];

et:

Labentem pietas[17],

sive crudelitas[18]. Non frustra ergo producitur, quia eadem *a* littera vocalis genitivo casu longa est, ut *pietatis*, *crudelitatis*. Item neutro longa est genere, ut:

Sit mihi fas audita[19];

et in Lucano:

In commune nefas[20].

14. *Es* producta syllaba in Graecis nominibus nominativus singularis semper explicatur, ut:

Aeneas Anchisiades[21]

et:

Priamides[22].

In Latinis autem nominibus alibi altera corripitur, alteram alibi produci necesse est. Corripitur in his nominibus, quae genitivum singularem in *tis* syllabam mittunt, ut *comes*, *comitis*, ut:

Filius huic Pallas, illi comes ibat Achates[23].

Interdum tamen huius declinationis *es* syllaba longa est, ut Virgilius posuit in Bucolicis:

— *Ipse aries etiam nunc vellera siccat*[24];

et:

Arebant herba et victum seges aegra negabant[25].

Ea vero nomina[26], quae, genitivum *lis* aut *mis*, vel *dis* aut *pis* ceterisque syllabis finiuntur, ultimam syllabam producunt, ut Lucretius in sexto[27] libro de rerum natura:

Sustentata ruet moles et machina mundi;

et Virgilius:

Haec erat illa fames[28];

et:

Ille velut pelagi rupes immota resistit[29].

Illa quoque nomina sine ambiguitate semper producunt ultimam nominativi casus syllabam, quae genitivum singularis in *e* et *i* syllabam mittunt, ut *facies*, *faciei*, ut:

Visa maris facies[30];

et huius declinationis analogia *e* litteram in ablativo casu semper producit, superiores autem corripiunt aliquae; aliae producunt. Corripiunt, ut:

Mole tenet scopuli[31];

producunt, ut Lucanus:

cabula Probus. Igitur aut versus amissi sunt istae reliquiae, aut interposuit librarius ob sequentia, ubi est: *pietatis crudelitatis*. — 19) Aen. VI, 266. — 20) Lucan. Phars. I, 6. — 21) Virg. Aen. VIII, 541. — 22) Virg. Aen. III, 346. — 23) Virg. Aen. VIII, 466. — 24) Virg. Ecl. III, 95. — 25) Haec sic leguntur in Cod. *harebant herba et — negabant*, ut ex parte edi iussimus. Sed Asc. *et victum seges aegra negabat*, omissis vv. *arebant et herba*. Putsch. *Arebant et iam victum seges aegra negabat*. Piaculum est, huiusmodi versus et allegationes ex auctoribus corrigere, quod saepe a Putschio factum videmus. Locus est Virg. Aen. III, 142. ubi legitur: *Arebant herbae, et victum seges aegra negabat*. — 26) *Nomine* ex errore typ. apud P. — 27) Sic perscripto numero Cod. Asc. *In VI libro* P. Est tamen libri quinti versus 97. — 28) Virg. Aen. VII, 128. — 29) Cod. sic: rupes i. r. ita non plane scriptis duabus ultimis vocibus, unde tamen apparet, quid librarius in suo exemplo, quod describebat, legerit. *Immota manebat* Asc. P. Locus est Virg. Aen. VII, 586. 30) Virg. Aen. V, 768. — 31) Virg. Aen. VII, 589. —

Ubera sicca fame medios mittentur in ignes[1].

15. *Is* syllaba nominativi casus brevis est masculino sive feminino genere, atque communi. Masculino, ut:

Namque suam patria antiqua cinis ater habebat[2].

Feminino, ut Calvus in *Io*[3]:

Frigida iam celeris peragrata Borystenis ora[4]. [1395]

In monosyllabis vero invenitur longa, ut:

Degenerare tamen, ni vis humana quotannis[5].

Os syllaba Graeci nominis masculino genere sive feminino brevis est, si aut nulla consonans vocalem praecesserit, aut *r* littera praecesserit. Masculino, ut:

Chromis et Mnasylos in antro[6];

et:

Scorpios et iusta plus[7];
Aut Tmaros aut Rhodope[8].

Si autem *n* littera vocalem praecesserit, longa est, ut:

Quaesitor Minos urnam movet[9].

Hoc monosyllabo etiam nomine longa est, ut:

Tros, ait, Aenea, cessas[10].

Feminino brevis, ut:

Dulichium Sameque et Neritos ardua saxis[11];

et:

Desuper omnis eo terrore Aegyptos et Indi[12].

Neutro brevis, ut Virgilius:

Et chaos et Phlegethon[13].

Latini nominis saepe producta est, ut:

Mos erat Hesperio in Latio[14];

et:

Vomeris huc et falcis honos[15].

et:

Os humerosque deo similis[16];

et:

Luce sedet custos, aut summi culmine tecti[17].

Et brevis invenitur, ut in hoc nomine *hoc os*, unde fit genitivus *huius ossis*.

1) Lucan. Pharsal. III, 352. — 2) Cod. *cinis a. h.* sic, non plane scriptis vocabulis. Atque ita etiam Ed. Asc. — 3) *Calvus in i. o.* Cod. Asc. *Calvus in i o.* Ridicule P. *Calvus in X.* Infra Cod. *Calvus in i o;* unde scripsi in *Io*, epicum Calvi carmen de *Ione* intelligens. — 4) Codex: *celeris uergatur* (hic finit versus) *uistinis ora.* Ita vitiose quidem. P. Asc. *celeri peragrata Borysthenis ora*, aperte emendatius, nisi quod cum Cod. *celeris* scribendum erat. — 5) Virg. Georg. I, 198. Cod. *degeneras e.* Sed *r* et *s* in hoc Cod. saepe simillimae, ut non recte intelligi possit, hoc an illud voluerit librarius. *Degenerasse* Asc. P. — 6) Virg. Ecl. VI, 13. — 7) *Scorpios et coeli iusta pl.* sola Putsch. Locus est Virg. Georg. I, 35. — 8) Cod. *aad maros aut Rhodope.* Virg. Ecl. VIII, 44. *aut Ismaros aut Rhodope* Asc. P. — 9) Virg. Aen. VI, 432. — 10) Virg. Aen. VI, 52. — 11) Virg. Aen. III, 271. Legitur ibi: *Dulichiumque Sameque.* — 12) Virg. Aen. VIII, 705. ubi vulgo legitur *Aegyptus.* — 13) Virg. Aen. VI, 265. — 14) Virg. Aen. VII, 601. — 15) Virg. Aen. VII, 635. — 16) Virg. Aen. I, 589. — 17) Codex: *aut summi c.* sic, puncto ad litteram *c* apposito, sine extrema voce. Ego Asc. et P. secutus sum. Locus est Virg. Aen. IV, 186. — 18) Virg. Aen. VI, 873. — 19) *Hunc inquit f.* Ita

16. *Us* syllaba masculino genere semper et neutro brevis est, ut:

Campus aget gemitus[18];

et:

Hoc nemus, hunc, inquit, fontem[19].

Feminino sane genere ea nomina ultimam syllabam corripiunt, quae aut similem genitivum nominativo habuerint, ut:

At manus interea muris tectisque propinquant[20];

aut quae genitivum littera concluserint vocali. Ea vero producunt, quae vocalem ultimae syllabae nominativi casus in genitivo produxerint, et *tis* vel *ris* syllabam habuerint, ut *virtus, virtutis; tellus*[21], *telluris*, ut Lucanus:

Ne tanta incassum virtus eat[22].

Et Virgilius:

Heu quae nunc tellus, inquit[23].

Etiam si duplex *u* fuerit, paenultima[24] quoque corripitur, ut:

Carduus, et spinis[25];

et:

Arduus arma tenens[26].

17. *Y* Graeca littera vocali et *s* Latina[27] terminatus nominativus longam habet, ut:

Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis[28].

At masculino brevis est, ut: [1396]

At Capys et quorum melior[29].

Eadem in accusativo brevis est, ut:

Aut Capyn aut celsis in puppibus arma Caici[30].

T littera terminatus nominativus, non tantummodo in nomine, sed ubique, novissimam syllabam brevem facit, ut:

Hoc caput o cives[31].

X littera finitus nominativus licet longam semper positione faciat syllabam, tamen naturaliter nunc corripit, nunc producit. Corripit in hoc:

Nox erat[32].

Producit in hoc:

Hic primum nova lux oculis[33];

et:

Si fratrem Pollux[34].

puncto ad initialem extremi vocabuli posito, ut supra aliquoties commemoratum est, in Cod. — 20) *Muris t. p.* sic litteris initialibus tantum notatis in Cod. Unde locus desumptus sit, ignoro. — 21) *virtutis et tellus* Asc. P. — 22) *Virtus erat* Asc. Locus est Lucan. II, 263. — 23) Virg. Aen. II, 69. — 24) Ita Cod. *penultima* Asc. P. — 25) Codex et Asc. hos duos locos ita exhibent: *ut carduus et arduus arma tenens.* Fortasse ita legendus totus locus: *ut carduus et arduus, ut arduus arma tenens.* Locus prior est Virg. Ecl. V, 39. — 26) Virg. Aen. VIII, 299. — 27) *s Latini* vitiose Cod. — 28) Cod. *Tethys hemat om. as masculino* (sic). Secutus sum Asc. et P. Locus est Virg. Georg. I, 31. — 29) *Quorum m.* ultimo vocabulo non perscripto Cod. Locus est Virg. Aen. II, 35. — 30) In Cod. est: *aut Capyn aut c.* (hic finit versus) *T littera.* Credibile est, reliqua loci Virgiliani litteris initialibus significata in margine fuisse. Nam Asc. habet: *aut Capyn aut celsis in p. a. c.* sic non perscriptis extremis tribus voc. Locus est Aen. I, 183. — 31) Putsch. et Asc. *Hoc caput*, nihil amplius. Sed addit Cod. litteras *o c*, id est o *cives*. Locus est enim Virg. Aen. XII, 572. — 32) Virg. Aen. VIII, 26. — 33) Virg. Aen. XI, 110. — 34) Virg. Aen. VI, 121. —

Et ea, quae producuntur nominativo casu, eandem vocalem etiam in genitivo producunt paenultimae syllabae, ut:

Intonuit, radiisque ardentem lucis et auro[1];

et:

Talis Amyclaei domitus Pollucis habenis[2].

Hactenus de nominativo. Jam de genitivo disputandum est.

18. Genitivus singularis *ae* syllaba terminatus diphthongum faciente semper longam recipit in omni genere. *I* quoque littera semper longa est. At si duplex *i* fuerit, paenultima syllaba brevis erit, posterior, ut dixi[3], longa:

Dardaniique rogum[4].

Necessarium esse existimo, rationem horum nominum et declinationis exponere, quae genitivi singularis vel nominativi et vocativi pluralium *i* litteram ultimam debeant duplicare. Ea nomina, quae nominativo casu singulari *i* litteram vocalem ante ultimam syllabam habuerint, in omni genere *i* litteram debent necessario geminare, non solum metri gratia, sed etiam propter vitium barbarismi[5], et ut ne sit contra rationem nominativo brevior genitivus ut:

Chaoniique patris[6];

quia dicimus *hic Aonius*[7]. Ergo rite *i* litteram geminavit, ut et[8] *Massylius*, *Massylii*. At[9] si ante ultimam syllabam in nominativo casu *i*[10] littera non fuerit, nullo modo duplicari potest.

19. *O* littera genitivus terminatus Graecus est eamque produci necesse est, ut: [1397]

In foribus letum Androgeo[11];

est enim proprie Graecus genitivus, licet aliqui sic legunt:

In foribus letum Androgei,

Graecae declinationis ignari; et:

Portusque subimus
Chaonio[12],

pro *Chaonii* maris portus; quamvis legatur:

Portusque subimus
Chaonios.

Est ergo genitivus *Chaonio*.

Genitivus singularis *es* syllaba terminatus Graecam declinationem habet et longam recipit, ut Lucanus:

Aestiferae Libyes[13],

ut *Andromaches*, et *Beroes*.

1) In Cod. est: *radiisq. a. l. e. a. et talis* sic litteris tantum initialibus notatis. Asc. *radiis. q. a. l. et talis* pariter litteris his puncto apposito. Virg. Aen. VII, 142. — 2) *Amyclei* Cod. *pollucis h.* sic non perscripto ultimo vocabulo Cod. Virg. Georg. III, 89. — 3) *posterior longa, ut dixi.* Asc. P. — 4) Virg. Aen. IV, 640. — 5) *Vitium βαρβαρισμοῦ* P. Nos Cod. et Asc. secuti sumus. — 6) Cod. *haoniique patriis.* Asc. P. *Aoniique patris.* Locus est Virg. Georg. II, 67. — 7) *Hic aonius* sic Cod. h. l. Sic etiam Asc. P. aperte vitiose. Lege *Chaonius.* — 8) *Et* addidi e Cod. — 9) *Ac* Cod. et Asc. Sed recte *At* scripsit P. — 10) *U littera* P. — 11) *Letum* ubique Cod. Asc. *lethum* P. Locus est Virg. Aen. VI, 20. — 12) *Subimus haonio pro haonii paris portus — haonios — haonio.* Cod. Ceterum lectio haec *portusque — Chaonio* orta est ex genuina illa: *portuque subimus Chaonio*, quemadmodum est in melioribus Virgilii libris Aen. III, 292. — 13) Lucan. Phars. I, 206. — 14) *vocalem In eodem.* Sic longa *i* pro duplici posita Cod. — 15) *Ut* deest apud P. — 16) Virg. Aen. XI, 415. — 17) *Fetu* Cod. *foetu* Asc. P. — 18) Cod. *arbutus ho.* sic non perscripto vocabulo. Cf. Virg. Georg. II, 69. — 19) Cod. *inre-*

Tis vel *ris* aut *dis* et similis syllaba qualibet praecedente consonante vocalem *i* in eodem[14] casu genitivo semper brevis est, ut[15]:

Quamquam o si solitae quicquam virtutis adesset[16];

et:

Inseritur vero ex fetu[17] *nucis arbutus horrida*[18];

et:

Evaditque celer ripam inremeabilis undae[19].

et:

Nec non ad templum summasque ad Palladis arces[20].

et:

Aspice ventosi ceciderunt murmuris aurae[21].

20. Genitivus singularis *os* syllaba terminatus in Graeca declinatione inveniri potest et eadem masculino genere et feminino corripitur[22], ut:

Parrhasio dictum Panos de more Lycaei[23].

Feminino, ut Lucanus:

Ut Pagasea ratis peteret eum Phasidos[24].

Et in tertio[25]:

Quaque fretum torrens Maeotidos[26].

Et Virgilius:

Cum Daphnidos arcum[72].

Us syllaba terminatus genitivus Graeci nominis non cito apud poetas Latinos invenitur. Tamen si fuerit, longa est, ut si facias *Didus* et *Allectus*[28]. Latini etiam nominis longa est, ut *huius manus* et *huius currus;* ut discrepet a nominativo genitivus, ut:

Attonitae magna ora domus; *et talia fata*[29].

21. Dativi casus omnis postrema syllaba, quacunqne vocali terminata fuerit, semper longa est in omnibus generibus.

Accusativus singularis[30] *a* littera correpta terminatur in omni genere et est Graecae declinationis. Masculino, ut: [1398]

Hectora circum[31].

Feminino, ut:

Lampada quassans[32].

Neutro sine dubio brevis. Accusativus singularis *e* littera correpta terminatus in generibus neutris invenitur, ut:

meabilis und. et nec, non plane scripto v. *undae*. P. *irremeabilis undae*. Asc. *inremeabilis undae*. Locus est Virg. Aen. VI, 425. — 20) Cod. *Palladis a. et aspice*. Sic non perscripta voce *arces*. Locus est Virg. Aen. XI, 477. — 21) Virg. Ecl. IX, 58. — 22) *Corrumpitar* Cod. sed ab eadem manu emendatum *corripitur*. — 23) *Lycaeo* Cod. *Lycaei* Asc. P. Aen. VIII, 344. Ceterum recte *Lycaei*. — 24) *Pagasea* Cod. *Pagasaea* Asc. *Pegasea* P. Cf. Lucan. Pharsal. II, 715. — 25) P. *in Terentio*. Asc. *in Pu. Terentio Attacino*. Utrumque ex correctione. Lucan. Phars. III, 277. — 26) *Meotidos* Cod. Asc. Lectio apud Lucanum fluctuat inter *Maeotidas egerit undas* et *Maeotidos e. u.* — 27) Hunc locum invenire non potui. — 28) Codex omittit Graeca *Διδοῦς*, *Ἀληκτοῦς*, quae ante Latine scripta haec nomina exhibet P. Codici consentit Asc. Ceterum Cod. *Allectus;* rectius. — 29) *Talia f.* Sic non perscripta extrema voce Cod. Propterea *fata* scripsi e Virgilii Aen. VI, 53. Vulgo *fatur*. — 30) Voc. *singularis* addidi e Cod. — 31) Virg. Aen. VI, 166. — 32) Virg. Aen. VI, 587.

Infelix nati funus crudele[1];

et:

Hoc genus acre virum[2].

Accusativus casus singularis *i* littera terminatus genere neutro in aptotis nominibus invenitur et longam habet ultimam, ut si facias *hoc sinapi.*

O littera terminatus accusativus Graeci nominis et feminini generis invenitur, quam produci necesse est, ut:

Luctificam Allecto[3].

U littera terminatus accusativus singularis in genere neutro tantummodo invenitur et nominativo consentit, cuius de postrema syllaba superius[4] disputatum est. Scire autem oportet, quod in generibus neutris Graecis Latinisque tres casus similes sui, nominativus, accusativus et vocativus, utroque numero, ultimam syllabam brevem habent.

L littera terminatus accusativus genere tantum neutro comprehenditur[5], et semper brevem recipit. *M* littera terminatus accusativus in omni genere semper brevem habet. — *N* littera terminatum accusativum omnibus generibus repperies[6], sed naturae diversae. Etenim masculino et feminino genere Graecorum nominum longa erit ultima, *a* littera praecedente, ut:

Aenean hominum quisquam[7];

e littera praecedente, ut:

Priamiden Helenum[8];
Et patrio Andromachen[9];

o littera praecedente brevis[10], ut Virgilius:

Pelion hinnitu fugiens[11].

Feminino genere, ut Horatius primo carminum: [1399]

Sperne dilectam Cypron[12].

Neutro autem genere Latina syllaba, et ubique, ut supra dixi, brevis.

22. *R* littera terminatus accusativus vel *s* aut *t* in generibus neutris semper brevem habet, ut superius dictum est. — Vocativus casus *a* littera terminatus Latinus[13] quidem brevem syllabam recipit, ut:

Et scelerum poenas[14];

et:

O Dea[15].

In Graecis vero nominibus[16] longa est, ut:

O Lycida[17];

1) Virg. Aen. XI, 53. — 2) Virg. Georg. II, 167. — 3) *Allecto.* Ita Cod. Locus est Virg. Aen. VII, 324. — 4) *Superius* addidi e Cod. — 5) Cod. *compraehenditur.* — 6) Cod. *terminatus accus.* (sic) — *repperies.* Asc. *terminatus accusativus — reperies.* Putsch. *terminatus accusativus — reperitur.* Vitium ortum e compendiis scribendi. — 7) Cod. *aeneam* (sic) *hominum quisquisquam* (sic). Asc. *Aenean hominum quisquam,* ut dedimus. At P. *Aenean num quisquam,* mendose. Fortasse scribendum: *Aenean num hominum q.* Locus est Virg. Aen. X, 65. — 8) Virg. Aen. III, 295. — 9) Virg. Aen. III, 297. — 10) Cod. *breue s.* — 11) Cod. et Asc. *Pelion innitu.* Locus est Virg. Georg. III, 94. — 12) Horat. Od. I, 30, 2. — 13) Cod. *latinuquidem.* Asc. *Latina quidem.* P. *in Latinis quidem.* — 14) Virg. Aen. VIII, 668. Addit P.: *et te, Catilina, minaci;* quae ignorantur a Cod. Asc. — 15) Virg. Aen. I, 372. — 16) Addunt P. Asc. *semper.* — 17) Virg. Ecl. IX, 2. — 18) Virg. Aen. X, 649. — 19) Virg. Aen. I, 97. — 20) Cod. *Longa est, nisi quia et,* atque ita etiam Asc. *longa quia*

et:

Quo fugis, Aenea[18].

E littera vocativi casus longa est, Graeci dumtaxat nominis, ut:

Tydide, mene Iliacis[19].

Nec inmerito longa est, quia[20] et in nominativo singulari producitur. Latina sane si fuerit, brevis est, ut:

Turne, quod optanti[21];

et:

Aeole namque[22].

I littera terminatus vocativus singularis interdum brevem habet, interdum longam. Brevem in hoc:

Tybri pater[23];

et:

O crudelis Alexi[24];

et:

Daphni, quid antiquos signorum suspicis[25].

Item genere feminino, ut:

Iri, decus coeli[26].

Longam in hoc, ut[27]:

Anne lacus tantos te, Lari maxime[28];

recte hic producitur postrema, quia nominativus *ri* et postea *us* syllabis explicatur, hoc est, *hic Larius*, *huius Larii.* Ergo ea nomina producuntur[29] *i* litteram, quae in genitivo duplicaverint. Nam quae[30] *is* syllabam habuerint, eodem casu genitivo corripiunt[31].

O littera terminatus vocativus nominativo congruit. — *U* littera terminatus Graecis nominibus longam habet, ut:

Quo res summa loco, Panthu[32]?

Neutro vero genere nominativo atque accusativo respondit[33] nominum Latinorum.

Vocativus singularis Latini nominis sive Graeci, quacumque fuerit consonante finitus[34], brevem habebit ut nominativus.

23. Ablativus singularis qualibet vocali terminatus, ultimam syllabam longam habet[35], praeter *e* litteram correptam; haec enim sola in isto casu duplex est. Producitur vero specialiter, si nominativus habuerit *es* syllabam longam et genitivum suum *e* et *i* syllabis [1400]
explicuerit, ut *macies*, *maciei*, *species*, *speciei*, ut:

Cum subito e silvis[36] *macie confecta*[37];

ut:

et P. — 21) Virg. Aen. IX, 6. *Ut* ante v. *Turne* abest a Cod. — 22) Virg. Aen. I, 65. *Tibi* addunt Cod. et Asc. — 23) Virg. Aen. VIII, 540. — 24) Virg. Ecl. II, 6. — 25) Asc. et P. *Daphni quid antiquos,* nihil praeterea. At in Cod. adduntur duae litterae initiales *s. r.*, fortasse pro *s. s.* nam in hoc Cod. *s* et *r* saepe discerni nequeunt. Nisi forte Grammaticus voluit *signorum respicis*, quod tamen minus est probabile. — 26) Virg. Aen. IX, 18. — 27) *Ut* abest ab Asc. et P. — 28) Virg. G. II, 159. — 29) Sic. Cod. et Asc. *producunt* P. — 30) Asc. *quum.* — 31) Sic omnes, etiam Cod. Sed legendum videtur: *Nam quae is syllabam habuerint eodem casu, vocativo corripiunt.* — 32) Virg. Aen. II, 322. — 33) Ita Cod. et Asc. *respondet* P. — 34) Hic ordo in Cod. At Asc. P. *quacunque consonante finitus fuerit.* — 35) *longam habet ultimam syllabam* Asc. et P. — 36) *silvis* haec scriptura ubique in Cod. *sylvis* P. Asc. Locus est Virg. Aen. III, 590. — 37) *confecta suprema* P. *confectus* Asc. ultima voce def. *conf.* (sic) Cod. omissa ultima v. —

Causa fuit, neque enim specie famave[1].

Potest etiam in his produci nominibus, quae genitivo casu ab hac declinatione desciscunt, ut *haec fames*, *huius famis;* nam longa est ultima nominativo et ablativo, ut:

Haec erat illa fames[2];

et:

Amissis, ut fama, apibus morboque fameque[3].

In aliquibus nominibus, *es* syllaba ut in nominativo brevis est, ita et in ablativo[4], ut:

Impius haec tam culta novalia miles[5];

et alibi:

Ingentes, uterumque armato milite conplent[6].

Inveniuntur etiam nomina, quae in ablativo postremam *e* litteram vocalem corripiunt, cum in nominativo longa sit, ut:

Rupe sub aeria[7];

et:

Mole tenet scopuli[8];

quare in his ambiguitatibus auctoritas inquirenda est. Verum si in nominibus Graecis ablativum nostrum, quem illi non habent, formaveris; novissimam syllabam brevem esse intelleges[9], ut:

Daphnis me malus urit; ego hanc in daphnide laurum[10];

et:

Postera cum primo lustrabat lampade terras[11].

Latina vero nomina, praesertim ea, quae nominativo *es* et genitivos *tis* syllabas recipiunt, in ablativo casu semper brevem habent.

Segm. V. *De numero plurali*[12].

1. Plurali numero in ultimis nominum syllabis nullam difficultatem reperies. Etenim nomlnativus accusativus et vocativus omni in genere, exceptis nominibus Graecis et neutro genere nostro, postremam syllabam semper longam recipiunt. Graeca enim et neutra semper brevem nominativo casu, ut:

Tyrrhenique omnes[13];

accusativo:

Arcadas accensos monitu[14];

vocativo:

Arcades haec inquit[15].

Feminino item genere per nominativum casum, ut:

1) Cod. *specie f.* (sic) *potest*. Asc. et P. addunt *movetur*, quod ignorat Cod. — 2) Virg. Aen. VII, 128. — 3) Virg. Georg. VI, 318. — 4) Haec iusto brevius prolata. Fortasse omissa haec: *brevem* e *facit*. — 5) Additur *habebit* in Asc. P. Sed versum finiri in Cod. et ultimum voc. in margine scriptum esse potuisse, non reticebo. Locus est Virg. Ecl. I, 71. — 6) Ita Cod. *complent* Asc. et P. Locus est Virg. Aen. II, 20. — 7) Virg. Georg. IV, 508. — 8) *tenent* P. Sed cum Cod. consentit Asc. Cf. Virg. Aen. VII, 589. — 9) Ita Cod. vulgo *intelliges*. — 10) Virg. Ecl. VIII, 83. — 11) *lustrabit* Asc. P. *recte lustrabat* Cod. Cf. Virg. VII, 148. Ceterum *primo* Cod. Asc. P. ut dedimus; apud Virg. *prima*. — 12) Haec inscriptio in Cod. extra celerorum continentem scripturam. — 13) Locus est fortasse apud Virg. Aen. XI, 171. ubi tamen: *Tyrrhenique duces; Tyrrhenum exercitus omnis*. Vel ibid. v. 93. ubi Probus fortasse sic legit: *Tum moesta phalanx Teucrique sequuntur Tyrrhenique omnes et versis Arcades armis*. Nunc vulgo legunt: *Tyrrhenique duces*. — 14) Ita Cod. *Arcades* Asc. et P. Cf. Virg. Aen. X, 397. — 15) Virg. Aen. X, 491. — 16) Add. Asc. et P. *armis*, quod abest a Codice. Locus est Virg. XI, 660. — 17) *Metuenteis* P. *metuentis* Cod. et Asc. Cf. Virg.

Pulsant, et pictis bellantur Amazones[13].

Et tamen Graeca nomina, quae nominativo casu plurali novissimam syllabam longam per diphthongum habent, hanc quoque in accusativo producunt, ut Virgilius: [1401]

Arctos Oceani metuentis aequore tingi[14].

Item *es* syllaba, ut supra diximus, Graeca, brevis est in accusativo:

Cyclades et crebris legimus[15];

et vocativo, ut:

Nymphae noster amor Libethrides[16];

et:

Naides indigno[17].

Neutro genere in casibus supradictis sine ambiguitate brevis est Graecis Latinisque nominibus per nominativum, ut:

Carmina vel caelo possunt[18];

per accusativum, ut:

Arma manu[19];

per vocativum:

O patria, o divum domus[20].

Graeci etiam nominis exempla subiciamus[21].

Ennius in primo:

Nam latos populos res atque poemata nostra
Cluebant[22].

Et in Virgilio:

Arcadu piscosae cui circum flumina Lernae[23].

2. Nominativus pluralis *i* littera terminatus duas formas habet, ut:

Cunctique fremebant[24];

aut interdum duplicem, ut:

O socii, neque enim ignari sumus ante malorum[25].

Utraque tamen forma novissimam syllabam longam recipit. Geminata autem *i* littera paenultimam syllabam brevem facit. Huius autem declinationis rationem[26] in genitivo singulari plenissime disputatum est. Nominativus pluralis[27] diphthongo finitus semper longam habet.

3. Genitivus pluralis semper brevem Latino seu Graeco nomine, sed huic aut positio subvenire debet, ut longa fiat, aut a vocali excipi, ut synaloepham[28] faciat, sicut in accusativo singulari[29] diximus. — Dativus et ablativus pluralis[30] duabus tantum, sed diversis, syllabis terminantur, *is* et *bus*. *Is* syllaba[31] semper longa est, sed haec interdum unam *i* litteram habet, ut:

Georg. I, 246. — 15) Virg. III, 127. ubi tamen editur *Cycladas*. — 16) Virg. Ecl. VII, 21. Cod. *Lybethrides*. — 17) *Naiades* P. *naides* Cod. Asc. Locus est Virg. Ecl. X, 10. — 18) Cod. habet: *Carmina uel caelo p. per acc.* Asc. *Carmina vel coelo p. q. Per acc.* P. add. *deducere lunam.* Locus est Virg. Ecl. VIII, 69. — 19) Virg. Aen. VIII, 220. — 20) Virg. Aen. II, 241. Addunt Asc. et P. plura. Illa sic: *diuum domus Ilion inclyta bello Moenia;* haec ita: *Iliam et inclyta bello M.* — 21) Ita Cod. *subiiciamus* Asc. P. — 22) Enn. fragm. ed. Hessel. pag. 11. ubi *cluebat*. Ne ἀκέφαλος sit versus alter, legendum fortasse *Cluuebant*. — 23) Virg. Aen. XII, 218. — 24) Virg. Aen. X, 96. — 25) Cod. habet: *sumus an* (sic) deficiente ultimo vocabulo, quod tamen in margine scriptum esse potuit, nam finit versus. Locus est Virg. Aen. I, 198. — 26) Ita Cod. Asc. P. Putabam olim scribendum esse: *Ad — rationem*, sed probabilius est, legendum esse: *ratio — disputata est*, orto errore ex non intellectis ultimarum syllabarum compendiis. — 27) Cod. *Nominativus singul.* (sic) sed falsum est. — 28) Cod. *synalifam.* — 29) *singulari* addit Cod. — 30) *Dativus pluralis et ablativus* P. et Asc. — 31) *Is* ante v. *syllaba* deest in Cod. —

It comes et paribus curis vestigia figit[1];

interdum duplicem secundum singularis genitivi[2] et nominativi pluralis formam, ut:

Correptis subito mediis[3];

ut et[4]:

Saxum ingens volvunt alii[5] *radiisque rotarum.*

Hic quoque casus, ut nominativus pluralis, paenultimam brevem facit. *Bus* autem syllaba semper brevis est, paenultima quoque corripitur. De postremis syllabis[6] nominum, in quan- [1402] tum voluimus, disputatum est; nunc ad pronomina veniamus.

Segm. VI. *De Pronomine.*

1. Pronomina quoniam non plurima sunt, neque multiplicibus syllabis late distenta, idcirco non tantum de postremis syllabis eorum, sed de omnibus disputabo. Pronomina personalia sunt haec: *ego*, *tu*, *ille*. Primae personae *ego*, duabus brevibus constat, ut:

En ego victa situ[7];

et:

Hic ego namque tuas sortes[8].

Aliquando tamen ultima longa esse potest secundum naturam *o* litterae vocalis, quae frequenter in ultimo quidem[9] produci quam corripi potest. Genitivus huius pronominis ex brevi et longa constat:

Securi pelagi atque mei[10].

Dativus interdum ex duabus brevibus constat, ut:

Est mihi namque domi[11];

interdum ex brevi et longa, ut:

Dic age namque mihi fallax[12].

Hoc autem regulariter accipiendum est, quod haec pronomina: *mihi*, *tibi*, novissimas syllabas et corripiunt et producunt[13]. Longae sunt in his versibus:

Dic age namque mihi[14];

et:

Aeole namque tibi[15].

Breves in his:

Sunt mihi bis septem[16];

et:

Nam tibi Tymbre caput[17].

Accusativus, vocativus et ablativus[18] longam habent; *me*, *o* et *a me*[19], ut:

1) Virg. Aen. VI, 159. — 2) Sic Cod. *genitivi singularis* Asc. P. — 3) Virg. Aen. X, 407. — 4) Ita Cod. et P. *Et* Asc. recte. — 5) Addunt *radiisque rotarum* Asc. P. quae a Cod. ignorantur, sed necessaria esse videntur propter vocem *radiis*, quae exemplum continet. Virg. Aen. VI, 616. — 6) Errore typographi apud P. legitur *syllaba*. — 7) Virg. Aen. VII, 452. — 8) *Sortes* add. Cod. Ceterum apud Virg. legitur *duas*. Cf. Virg. Aen. VI, 72. — 9) *tam produci quam corr.* P. *tam* nesciunt Cod. et Asc. — 10) *securi* Cod. *securus* Asc. et P. Cf. Virg. Aen. VII, 304. — 11) Virg. Ecl. III, 33. — 12) Virg. Aen. VI, 343. — 13) *Et producunt et corripiunt* Asc. et P. — 14) Virg. Aen. VI, 343. — 15) Virg. Aen. I, 65. — 16) Virg. Aen. I, 71. — 17) *Et* ante versum deest in Asc. et P. Versus legitur Virg. Aen. X, 394. Apud Virgil. in nostris edd. constanter *Thymbre* legitur, atque ita etiam in Putschiana Probi. — 18) Haec in Cod. sic scripta exstant, ut vocabulum

Me, me, adsum qui feci[20];

et:

O decus Italiae[21];

et:

Me duce Dardanius[22].

Item pluralis nominativus et accusativus primae et secundae personae syllabis longis constant: *vos* et *nos*. Genitivus in omnibus personis *m* littera terminatus brevem habet ultimam; *i* littera finitus longam, ut:

Nil nostri miserere[23];

et:

Atque utinam ex vobis unus nostrique fuissem[24].

Dativus et ablativus duabus longis constant.

2. Item secunda persona nominativi singularis longam habet, ut:

Tu quoque[25].

Genitivus ex brevi et longa constat, ut:

O genitor nec te miseret gnatique tuique[26].

De dativo, ut supra dictum est. Accusativus et ablativus longa constant, ut:

Te quoque magna Pales[27].

Tertia persona *ille*, *illa*, *illud* nominativus casus singularis novissimam syllabam brevem [1403] habet in omni genere, ut:

Ille meum comitatus iter[28];

et:

Ille vel intactae segetis[29];

et:

Ver illud erat[30].

Genitivus dactylum recipit, ut:

Illius arma[31];

sed mediam metri causa corripuit, quam in prosa producimus; potest alibi ergo media longa poni. Accusativus trochaeum[32] recipit; dativus et ablativus spondium[33]. Nominativus et accusativus pluralis genere masculino et feminino duabus longis constant; neutro vero genere ex longa et brevi, ut:

Illa manent inmota locis[34].

Genitivus omnium generum ex duabus longis et brevi constat, dativus et ablativus ex duabus longis[35].

vocativus priore parte deletum et pro eo suprascriptum sit *abla;* ita ut videatur librarius scribere voluisse: *accusativus ablativus.* Sed sequentia ostendunt, etiam v. *vocativus* addendam fuisse. *Accusativus et ablativus* Asc. P. — 19) *me et a me* Asc. P. — 20) Virg. Aen. IX, 427. — 21) Hoc totum exemplum abest ab Asc. et P. Legitur Virg. Aen. XI, 508. — 22) Virg. Aen. X, 92. — 23) Cod: *Nihil nostri miserere.* Locus est Virg. Ecl. II, 8. — 24) Cod. *nostrique.* Virg. Ecl. X, 35. — 25) Virg. Aen. VII, 1. Versum integrum exhibet P. — 26) Virg. Aen. VII, 360. ubi legitur: *nataeque tuique.* — 27) Virg. Georg. III, 1. — 28) Virg. Aen. VI, 112. — 29) Virg. Aen. VII, 808. — 30) Virg. Georg. II, 338. — 31) Virg. Aen. I, 16. 32) Cod. h. l. *trocheum*, sed alibi semper *trochaeum.* — 33) Ita Cod. *Spondeum* exhibent Asc. P. — 34) *Innota* Cod. *immota* Asc. P. Locus est Virg. Aen. III, 447. — 35) *dativus — longis.* haec verba add. Cod.

3. Infinitae qualitatis pronomina, *quis* vel *qui*, *quae* vel *quod*[1] vocali finitae syllabae longae sunt, consonanti breves, ut:

Sed quis ad Hesperiae[2].

Genitivus omnium, eo quod *i* littera vocalis duplicis consonantis loco ponitur, ex longa et brevi constat, ut:

Cuius Aristaeo quoniam est oblata facultas[3].

Dativus interdum ex duabus brevibus, ut:

Et cui putre solum[4];

interdum ex brevi et longa, ut:

Nunc locus arvorum ingeniis quae robora cuique[5]

in synaloepham longa. Accusativus brevem postremam recipit; ablativus in omnibus pronominibus et generibus longam. Nominativus pluralis longam naturaliter capit ultimam syllabam masculino et feminino genere; neutro autem tribus casibus brevem, ut *illa*[6]. Genitivus ex longa et brevi[7] constat, *quorum* vel *quarum*, ut:

Externi veniunt, quorumque ab stirpe nepotes[8];

et:

Quarum quae fandi doctissima Cymodocea[9].

Accusativus masculino et feminino longam habet, *quos* vel *quas*, ut:

Quas ego[10].

Dativus et ablativus, si *is* syllaba terminantur, iambum recipiunt, ut:

Quis ante ora patrum[11];

si *bus*, pyrrhichium, ut:

Hic quibus invisi fratres[12].

Item *talis* et *qualis*, *tale* et *quale* eiusdem infinitae qualitatis recipiunt nominativo et genitivo singulari trochaeum, ut:

Talis in adversos[13];

et:

Qualis erat[14];

et:

Tale tuum nobis carmen[15];

et:

Quale sopor fessis[16].

1) Ita quidem etiam Cod. Sed non dubium est, quin scribendum sit: *quae*, *quid vel quod*. — 2) Virg. Aen. III, 186. — 3) Virg. Georg. IV, 437. — 4) Virg. Georg. II, 204. — 5) Cod. ita exhibet: *Nunc locus arborum in synalifam longa.* Manifestum est, requiri totum versiculum, quem exhibent Asc. P., quia extremum vocabulum pro exemplo est. Sed etiam reliqua corrupta; et plura excidisse videntur. Locus est Virg. Georg. II, 177. — 6) Deest *ut* in Cod. — 7) Cod. ex *brevi et longa*; sic lineolis supra scriptis ordinem verborum notavit librarius. — 8) In Cod. est: *Externi veniunt quorumque a. s. p. et quarum* sic verborum initiis notatis. Quid tamen ultima *p.* illa sibi velit, non extrico. Apud Virgilium duo sunt versus: Aen. VII, 98. *Externi veniunt generi, qui sanguine nostrum Nomen in astra ferent, quorumque ab stirpe nepotes* cet. — 9) Cod. habet: *fandi d. c.* sic litteris initialibus tantum scriptis. Cf. Virg. Aen. X, 225. — 10) *Quas ego.* Ita Cod. et Asc. Sed P.: *Quos ego*, *sed motos.* Haud dubie alium locum in mente habuit Grammaticus, quam qui est Aen. I, 135. — 11) *Quis ante ora.* Non intelligo, quomodo

Accusativo trochaeum recipit. Dativo et ablativo spondium[17], *tali* et *quali*. Plurali [1404]
numero nominativus masculino et feminino genere spondium recipit, neutro dactylum, ut:

Talia per Latium[18];

et:

Qualia multa mari nautae[19].

Accusativus masculini et femini generis spondium habet, ut *talis* et *qualis*[20]. Caeteri omnes dactylum recipiunt.

4. Item minus quam finitae qualitatis pronomina: *is*, *ea*, *id*, masculino et neutro genere nominativus singularis brevem syllabam recipit, feminino utrasque brevis[21]. Genitivus omnium trochaeum capit, *eius;* dativus iambum, *ei;* accusativus pyrrhichium, *eum* vel *eam;* ablativus iambum, *ab eo*. Item pluraliter[22] nominativo casu masculino quidem genere longa est et una fit syllaba de duabus vocalibus, ut *ii;* genere feminino iambum recipit, ut *eae;* neutro pyrrhichium. Genitivus casus in omnibus generibus amphibrachym[23]; accusativus masculino et feminino iambum, neutro pyrrhichium; dativus et ablativus iambum.

5. Item pronomina finita: *iste*, *ista*, *istud*. Nominativus singularis omnium generum novissimam brevem recipit. Genitivus palinbacchio [24]constat interdum, ita ut media longa sit, *istius;* interdum dactylus poni potest, ut media syllaba corripiatur, ut:

Illius arum[25];

et:

Ipsius ante oculos[26].

Dativus spondium habet, accusativus trochaeum, ablativus spondium. Item pluralis nominativus masculini et femini generis recipit spondium, neutro trochaeum; genitivus palinbacchium[27]. Accusativus nominativo consentit. Dativus et ablativus spondio constat.

6. Item pronomina possessiva: *noster*, *vester*, *nostra*, *vestra*, *nostrum*, *vestrum*. Nominativus singularis ubique trochaeum recipit, genitivus spondium[28], dativus eundem, accusativus trochaeum, ablativus spondium. Pluralis masculino et feminino genere nominativus spondium habet; neutro tribus casibus similibus trochaeum; genitivus palinbacchium[29], accusativus caeterique spondium.

7. Item triptota pronomina: *sibi*, *se*, *a se*. *Sibi* pronomen dativo casu utroque nu-
mero frequenter duabus brevibus constat, ut: [1405]

Hoc sibi pulchra suum[30];

interdum ex brevi et longa, quemadmodum est, *mihi*, *tibi*, quorum de natura supra dictum est, ut Calvus in Io:

Mens mea dira sibi praedicens omnia vaecors[31].

iambum recipere dici possit *quis*. Fortasse scribendum *longam recipiunt*. Locus est Virg. Aen. I, 95. — 12) Virg. Aen. VI, 608. — 13) Virg. Aen. XII, 456. — 14) Virg. Aen. II, 274. *Hei mihi, qualis erat*. — 15) Virg. Ecl. V, 45. — 16) Virg. Ecl. V, 46. — 17) *Spondium* Cod. ut supr. Atque ita semper. *Spondeum* Asc. P. — 18) Virg. Aen. VIII, 18. — 19) Virg. Aen. VII, 200. — 20) Ita Cod. et Asc. *Taleis et qualeis* P. — 21) *Utrasque breves* Asc. *utrasque breveis* P. Ego Cod. secutus sum. — 22) Cod. *item pt nominativo* (sic). — 23) Ita Cod. Asc. P. — 24) Ita Cod. hic et paullo inferius. *palimbacchio* Asc. P. — 25) Virg. Ecl. I, 7. — 26) Virg. Aen. I, 114. — 27) Ita Cod. Vide quae paullo ante notavimus. *Palimbacchium* Asc. P. — 28) Cod. h. l. *spondeum*, et sic paullo post. Nos constantiae caussa *spondium*, ut ante, scripsimus. — 29) *Palinbacchium*. Ita Cod. V. supra. — 30) Virg. Aen. VI, 142. — 31) *Calvus in Io*. Sic iterum h. l. Cod., quicum consentit Asc. quae *io*. Putschius pariter, ut supra *Calvus in X*. Ceterum *vaecors* scripsi e Cod. et Asc. *vecors* P. —

Se, autem et, *a se*, utroque item numero syllaba longa constat.

Item pronomina: *Suus*, *sua*, *suum*, nominativo singulari pyrrhichium recipiunt; et neutro genere *u* littera geminatur, ne sit verbum, ut:

Auguriumque suum[1].

Genitivo, dativo, sive ablativo, iambum; accusativo pyrrhichium. Item pluraliter[2] masculino et feminino iambum recipit; neutro tribus casibus, pyrrhichium. Genitivus amphibrachym[3]; caeteri vero casus iambum.

8. Item pronomina finita atque demonstrativa: *Hic*, *haec*, *hoc*. Nominativo singulari masculino sive neutro genere eadem syllaba brevis est, feminino longa. Genitivus casus omnium trochaeum recipit, non tam natura quam positione, quod *i* littera duplex sit, ut:

Huius odorato radices inquoque[4].

Dativus pyrrhichium *huic*[5]; sed possunt ambae syllabae in synaloepham cadere, ut:

Atque huic responsum paucis ita reddidit[6].

Accusativus et ablativus brevem[7] syllabam recipiunt natura, sed positione longam. Item pluraliter, *hi*, et *hae*, et *haec*, nominativus longam recipit; genitivus ex longa et brevi constat, caeteri omnes syllabam longam recipiunt.

Item pronomina possessiva et ad aliquid referentia: *Meus*, *mea*, *meum*; nominativus singularis sive accusativus et vocativus pyrrhichium recipiunt, genitivus sive ablativus iambum. Pluralis nominativus et accusativus et vocativus, masculino et feminino genere et brevi et longa constat, neutro ex duabus brevibus. Genitivus omnium ex[8] brevi, et longa, et brevi. Dativus et ablativus ex brevi et longa, ut:

Sive meum corpus spoliatum lumine mavis,
Redde meis[9].

9. Item pronomina: *quantus*, *tantus*, nominativo casu singulari, et accusativo, ultimam brevem recipiunt, ut:

Quantus ab occasu[10].
Tantus amor terrae[11].

Feminino et neutro genere supradictis casibus, eadem syllaba brevis est. Genitivo quoque brevis, dativo et ablativo longa. Item pluralis nominativus accusativus et vocativus masculini et [1406] feminini generis longam habent naturaliter ultimam; nam prima positione fit longa. Neutro vero genere his casibus brevis erit ultima; genitivus omnium ex duabus longis et brevi[12] constat, ut:

Miserere laborum
Tantorum[13];

1) Virg. Aen. VII, 260. — 2) Cod. *Item pl masculino*, sic per compendium. — 3) *amfibracym* Cod. *amphibrachym* Asc. et P. — 4) *Huius odorato radices inquoque.* Sic praeclare hunc versum exhibet Cod. Nam Asc. et P.: *Huius odorato radix est.* Ceterum *inquoque* antiqua scriptura pro *incoque*. Locus est Virg. Georg. IV, 279. — 5) *Dativus pyrrhichium huic.* Sic. Cod. et Asc. *Dativus iambum huic* P. Recte pyrrhichius dicitur *huic*. Nam ut in *hic* et *hoc* syllaba brevis est, sic etiam ultima in *huic*. — 6) In Cod. est *adque* pro *atque*. Locus est Virg. Aen. VI, 672. — 7) Cod. *breves* (sic) *syllabam* (m superscr.). Ceterum locus mendosus; fortasse legendum: *sed et positione*. — 8) *Ex* addit Cod. Deest in Asc. et P. — 9) *Sive meum.* Ita omnes. Apud Virg. Aen. XII, 935 seq. *Et me seu corpus* cet. Deinde *mavis reddere redde meis* sola Asc. — 10) Virg. Aen. IX, 668. Ceterum in Cod. est *occaso*. Asc. et P. *occasu*. — 11) Virg. Georg. II, 301. — 12) Cod. mendose: *ex duabus brevibus et*

dativo et ablativo extrema longa est.

Non inmerito[14] pleraque pronomina comprehendi, ut aliquantulum patesceret naturalium ratio syllabarum; caetera autem ex his facile colliguntur.

Segm. VII. *De Verbo.*

1. De ultimis syllabis dicam paene ultimisque[15] verborum. Verba omnia cunctis significationibus coniugationibusque, modis, temporibus atque personis decem litteris terminantur vocalibus quinque, consonantibus quinque[16].

A littera vocali semper producta, ut:

Da nunc Tymbre pater[17].

E littera producta, ut:

Tu vatem, tu, diva, mone[18];

e littera[19] correpta, ut:

En age segnis[20].

I littera semper producta, tempore praesenti, ut:

Namque sub Oebalia memini[21].

Praeterito perfecto, ut:

Laeta dedi[22].

O littera frequenter producta, ut:

Lustra domosque traho[23];

aliquando correpta; nam ut superius dictum est, *o* littera postrema vocalis in nominativis casibus nominum sive pronominum, personis quoque verborum, et corripi, et produci potest.

V littera semper longa, sed haec in verbis inpersonalibus invenitur, ut *clamatu* et *monitu*. Cuius declinationis forma apud Virgilium nostrum non facilius invenitur.

2. Item de consonantibus verba *m* littera terminata brevem syllabam recipiunt, cuius rationem supra memoravi, ut aut in synaloepham cadat, aut positione longa reddatur syllaba.

C littera terminata saepe producitur[24], ut:

Duc, age, duc ad nos[25];

et:

longa. Ego Asc. et P. secutus sum. — 13) Virg. Aen. II, 143 seq. — 14) Cod. *Inmerito*, ut semper. *Immerito* Asc. P. — 15) E Cod. scripsi *paene ultimisque.* Asc. P. *penultimisque.* — 16) Asc. et P. *consonantibus totidem.* — 17) Scribitur h. l. in Cod. *tymthymbre.* Locus est Virg. Aen. X, 421. ubi nunc editur: *Da nunc, Thybri, pater.* In Asc. est: *Da nunc Thymbraee pater.* — 18) Virg. Aen. VII, 41. — 19) Omnis hic locus sic legitur apud P.: *E littera modo producta, ut, Tu vatem tu diva mone; modo correpta* cet. Quae nos recepimus, Cod. et Asc. exhibent. — 20) *Segnis* Cod. Asc. P. Locus est Virg. Georg. III, 42. — 21) *Sub Oebalia.* Sic Asc. P. sic etiam Cod. si recte enotavi. *Sub Oebaliae* Virg. Georg. IV, 125. — 22) Virg. Aen. IX, 89. — 23) Virg. Aen. III, 647. — 24) *Producitur* Cod. Asc. *producuntur* P. id quod haud dubie falsum, quum sequatur *corripitur*, ubi nulla varietas. — 25) Virg. Georg. IV, 358. —

Dic age namque mihi fallax[1];

interdum corripitur, ut:

Fac ergo ut fuerit[2].

In aliis personis temporum et modorum eadem syllaba ita ut imperativo modo[3] et corripi et produci pro sua natura potest.

As vel *es* syllabae[4] in omnibus verbis et coniugationibus, praeter, *sum*, et quae ex ipso [1407] nascuntur, ut *adsum prosum*, quia[5] et defectiva sunt et coniugatione carent, semper producuntur, ut:

Vicinosque ignare paras invadere portus[6];

et:

Formosam resonare doces Amaryllida silvas[7].

At in illis defectivis verbis brevis est, ut:

Huc ades o Galatea[8].

Is syllaba si fuerit tertiae coniugationis productae, producitur; etiam in monosyllabis verbis, quae coniugatione carent, potest syllaba produci, ut:

Vis et Tarquinios[9].

At si fuerit tertiae correptae, corripitur, ut:

His germana malis oneras atque obiicis hosti[10].

Mus vel *tis* syllabae plurali numero inveniuntur, sed semper breves sunt, ut:

Nox ruit, Aenea, nos flendo ducimus horas[11];

et:

Lumina labentem caelo quae ducitis annum[12].

Verba *r* littera terminata, qualibet praecedente vocali, novissimam syllabam brevem recipiunt: *ar* syllaba, ut:

Inferar et quos Sidonia vix urbe revelli[13].

Er syllaba, ut:

magicis invitam accingier[14];

Or, ut:

Testor utrumque caput[15].

Ur syllaba, ut:

Ducitur infelix aevo maturus Acetes[16].

T littera postremam semper brevem syllabam reddit, praecedentibus tribus vocalibus, *a*, *e*, *i*; ut:

Lydorumque manus collectos armat agrestes[17];

et:

1) Cod.: *Dic age namque mihi f.* sic littera initiali notato ultimo vocabulo, quod deest in Asc. et P. Cf. Virg. Aen. VI, 343. — 2) *Fac ergo ut fuerit.* Ita Cod. et P. *Ergo fac ut fuerit* Asc. Locum apud Virgilium invenire non potui. At solet Grammaticus, si alium poetam intelligit, nomen ponere. Fortasse autem legendum: *fac ergo Ut fuerit*, ut duo priora verba finem versiculi faciant, posteriora versum alterum incipiant. *Fac* enim corripitur. — 3) Sic Putschium secutus dedi. In Cod. est: *ita in imperativo modo* cet. Asc. *ita imperativo m.* — 4) *Syllaba* P. Asc. Cod. discrte *syllabae.* — 5) *Adsum, et, prosum quae et* P. Nos Cod. et Asc. secuti sumus. — 6) P. ex errore typogr. *inadere portus.* Cod. *invadere p.* sic puncto ad litteram ultimi verbi initialem posito, ut aliquoties notatum. Locus est Virg. Aen. III, 382. — 7) Virg. Ecl. I, 5. *Silvas* Cod. *sylvas* Asc. P. — 8) Virg. Ecl. IX, 39. Totum locum ita exhibet Cod.: *Et in illis defectivis verbis est, et huc ades*, o *Galatea.* Prius illud *et* exhibet etiam Asc. Voc. *brevis* ob simile antecedens excidit in Cod. — 9) Virg. Aen. VI, 818. — 10) Cod: *obicis osti.* Locus est Virg. Aen. IV, 549. — 11) Virg. Aen. VI, 539. — 12) Virg. Georg. I, 6. — 13) *Inferar* scripsi e Cod. et Asc. *Insequar* P. Finis versiculi in Cod. sic legitur: *vix u. u.* Locus est Virg. Aen. IV, 545. — 14) Cod. *magis invita.*

Admonet ira deum[18];

et:

Nec Turnum segnis retinet mora, sed rapit acer[19].

Disputavimus generaliter de postremis syllabis; nunc specialiter disceptabimus per significationes, modos, tempora, atque personas.

3. Prima persona, modo pronunciativo, id est, indicativo, tempore praesenti, activorum neutralium verborum, saepissime[20] longam recipit, ut:

Lustra domosque traho.

Secunda persona primae et secundae vel tertiae coniugationis productae semper producit ultimam syllabam, ut *donas*, *mones*, *audis*. Tertiae autem[21] coniugationis correptae corripit, ut:

Causando nostros in longum ducis amores[22].

Tertia persona omnibus quattuor[23] ordinibus coniugationum ultimam syllabam corripit. Plurali numero, prima et secunda, in tribus ordinibus coniugationum productis, excepta tertia coniugatione correpta, paenultimam syllabam producunt, novissimam corripiunt, ut *donamus*, [1408] *donatis; monemus*, *monetis; audimus*, *auditis*. Tertia vero correpta[24] coniugatione paenultima semper corripitur, ut:

Nos flendo ducimus horas[25];

et:

Lubentem caelo qui ducitis annum[26].

Tempore praeterito imperfecto, numero singulari, paenultimam syllabam in omnibus personis utriusque numeri universae coniugationes longam recipiunt, ut *donabam*, *monebam*, *audiebam*, *legebam*. Item pluraliter, *donabamus*, *monebamus*, *audiebamus*, *legebamus*. Novissima syllaba, singulari numero, persona[27] prima semper brevis est, in omnibus coniugationibus, ut *clamabam*[28] et caetera. Secunda persona singularis omnium coniugationum semper producit ultimam, ut *clamabas*, *monebas*, *audiebas*, *rapiebas*. Tertia autem persona singularis et prima vel secunda pluralis semper brevem habent, ut *clamabat*, *clamabamus*, *clamabatis*. Tertia autem pluralis positione longa fit, ut *clamabant*. In defectivis sane verbis si consideres, *sum* et *adsum*, vel *prosum*, paenultima corripitur, ut *eras aderas* vel[29] *profueras*. In caeteris personis similiter. Praeteritum perfectum tempus semper longam recipit ultimam, sive *i* littera postrema simplici prima persona terminatur, ut:

Tityre te patulae cecini sub tegmine fagi[30];

sive geminata, ut:

Locus est Virg. Aen. IV, 493. ubi: *magicas invitam accingier artes.* Ego scripturam Asc. et P. secutus sum. — 15) Virg. Aen. IV, 357. — 16) Cod.: *aevo c. at. littera.* Asc.: *ducitur infelix aevo maturus Acaetes. T litera.* P.: *Ducitur inf. aevo maturus. Acetes. T l.* Secundum Codicem *aevo confectus Acoetes* scribendum erat. Locus est Virg. Aen. XI, 85. — 17) Virg. Aen. IX, 11. — 18) Virg. Aen. XI, 233. — 19) Virg. Aen. X, 308. — 20) Cod. *saepisse.* Locus qui sequitur est Virg. Aen. III, 647. — 21) Asc. et P. *vero.* — 22) Virg. Ecl. IX, 56. — 23) *Quattuor* scripsi e Cod. *quatuor* Asc. et P. — 24) *Tertia vero coniugatione correpta* P. Asc. — 25) Virg. Aen. VI, 539. — 26) *Qui ducitis* scripsi cum Cod. *Quae ducitis* Asc. P. Cf. Virg. Georg. I, 6. — 27) *Persona prima.* Ita Cod. *prima persona* Asc. et P. — 28) Cod. *clamabant* sic puncto posito supra *n* litteram. Recte vero *clamabam* Asc. et P. — 29) *Vel* Cod. iubente interposui, quod deest in Asc. et P. — 30) Cod. mendose: *Tityre tu patulae cecinis sive geminata.* Non multum ab hac lectione recedit Asc.: *Tityre tu patulae cecini: sive geminata.* In Codice *cecinis* est *cecini sub*, nam ultimum vocabulum prima initiali notatur, ut saepe. Ego P. secutus sum. Locus est Virg. Georg. IV, fin.

Quo feror? unde abii[1]*?*

Scire autem necesse est, quaenam coniugatio ultimam *i* litteram debeat duplicare. Sola tertia coniugatio producta seu correpta, non tamen in omnibus verbis, geminare potest, ut:

Adpetii et Veneris violavi vulnere dextram[2]*;*

et ut supra dictum est:

Quo feror? unde abii[3]*?*

In tertia quoque persona singularis[4] eandem *i* litteram duplicat, ut *adiit*, *agnovit*, et:

Obstipuit[5]*; subiit cari.*

Sed in tertia persona singularis, in quibus *i* littera duplicatur, paenultima semper corripitur. In prima autem coniugatione producitur, ut *clamavi*, *donavi*. In secunda coniugatione corripitur, ut *monui*, *splendui*. Ac si primae coniugationis declinationem hanc induxeris, quae ex [1409]
auctoritate, non ex ratione descendit:

Convincto domui[6]*;*

paenultimam corripies. In secunda persona singularis semper ultima producitur in omnibus verbis. In tertia persona coniugationis primae paenultima syllaba aliquando corripitur, ut:

Intonuit laevum[7]*;*

nonnumquam producitur, ut[8] *armavit*, *ornavit*. In omnibus autem coniugationibus novissima brevis invenitur. Plurali numero prima persona coniugationum omnium paenultimam sive ultimam syllabam semper corripit, ut:

Hac te nos fragili donabimus[9]*;*

et:

Iunximus hospitio[10].

Secunda persona ultimam semper corripit. Tertia persona paenultimam semper ubique producit, ut:

Et socii amissi petierunt[11].

Tertia vero duplex persona, quam alii quartam nominant, paenultimam semper ubique producit et ultimam corripit, ut:

Romanos ad templa deum duxere triumphos[12].

Praeterito plusquamperfecto tempore, numero singulari, prima persona paenultimam ultimamque in omnibus coniugationibus corripit, ut *donaveram*, *splendueram*, *audieram*, *iunxeram*. Secunda persona paene ultimam[13] corripit, novissimam producit, ut:

Audieras et fama fuit[14].

Tertia persona[15] primae consentit, ut:

1) Virg. Aen. X, 670. — 2) Cod. *Adpet* (sic) *et veneris u u d.* sic non perscriptis tribus ultimis vocibus. *Appetii et Veneris* cet. Asc. et P. Locus est Virg. Aen. XI, 277. — 3) Virg. Aen. X, 670. — 4) Cod. *singul.* voce non perscripta. Legam *singulari*. Sed *singularis* Asc. P. — 5) *Obstipuit; subiit cari. sed in tertia* cet. Ita Cod. quicum consentit Asc. nisi quod haec *obstupuit*. Sed P.: *Obstupuit; subiit chari genitoris imago. Sed in t.*, ita ut prima vox *obstupuit* non ad versum pertineat. Cf. Virg. Aen. II, 560. — 6) *Coniuncto* Asc. P. *convincto* Cod. Versiculus est, nescio cuius. Pro versu non agnovit P. — 7) Cod. *Intonuit levvum* (sic). Locus est Virg. Aen. II, 693. — 8) *Ut* addidi e Cod. — 9) Cod. exhibet: *hactenus fragili donavimus.* Asc.: *hactenus et fragili donavimus.* Cf. Virg. Ecl. V, 85. — 10) Cod. *ospitio.* Cf. Virg. Aen. III, 83. ubi legitur *iungimus.* — 11) Addunt Asc. et P. *aethera pennis*, quae a Cod. ignorantur. Cf. Virg. XI, 272. — 12) Virg. Georg. II, 148. — 13) Cod.: *persona paene ultimam*, sed ita, ut *paene* supra scriptum sit. Vulgo *penultimam.* — 14) Cod.: *et* *^a^ma fuit* (sic). Locus est Virg. Ecl. IX, 11. — 15) *personae* Asc. et P. — 16) Cod. *raptaveratectora.* Cf. Virg. Aen. I, 483. — 17) Cod.: *coniugationis* ^{i}*uominibus personis* (sic). Asc.

Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros[16].

Plurali numero prima persona secundaque in omnibus coniugationibus paenultimam longam et ultimam brevem recipit, ut *donaveramus*, *donaveratis; splendueramus*, *splendueratis; audieramus*, *audieratis; traxeramus*, *traxeratis*. Tertia persona paenultimam semper corripit, ut *donaverant*, *traxerant*. Tempore futuro primae et secundae coniugationis in omnibus personis[17] paenultima syllaba longa est, ut *clamabo*[18], *monebo*. Postrema quoque *bo* syllaba longa est, sed si necesse fuerit, ut pro brevi ponatur, licebit; secundum quod in prima verbi positione disceptavimus. Caeterae sane personae supradictarum coniugationum utroque numero novissimam [1410] semper corripiunt, ut *clamabis*, *monebis; clamabit*, *monebit*. At in numero plurali etiam paenultima[19] corripitur, ut *clamabimus*, *monebimus; clamabitis*, *monebitis*. Tertiae[20] coniugationis productae seu correptae prima persona novissimam syllabam corripit, ut *audiam*, *rapiam*. Paenultima vero syllaba tertiae productae semper corripitur, ut *sentiam*, *audiam*, ut:

Audiam, *et haec Manis veniat mihi fama sub imos*[21].

Tertiae autem coniugationis correptae paenultima syllaba, ut[22] fuerit natura syllabae in aliis, ita alia corripitur, alia producitur; corripitur in hac:

Mortalem eripiam formam[23];

producitur in hac: *ducam*, *scribam;* quoniam primae sunt verborum syllabae, nec declinationibus inmutatae[24]. Secundae personae singularis coniugationis tertiae duplicis novissima syllaba[25] semper producitur, ut *audies*, *scribes*, quae syllaba verborum ultima[26] ubique producitur; paenultima sane syllaba[27] primae personae congruit. Tertia quoque persona similiter in ambabus[28] syllabis consentit. Pluralis personae omnes sine ambiguitate paenultimam semper producunt, et ultimam corripiunt, ut *audiemus*, *audietis; rapiemus*, *rapietis*[29]. Tertiae vero personae paenultima syllaba singularis personae consentit.

4. Modo imperativo tempore praesenti, numero singulari, persona secunda, omnes coniugationes productae, praeter tertiam correptam, ultimam syllabam producunt[30], ut:

Litus ama[31];

et:

Tu vatem tu diva mone[32].

Tertiae sane coniugationis correptae persona secunda singularis ultimam corripit, ut:

et P.: *c. in omnibus personis*, ut scripsimus. — 18) *Clamabo* dedi e Cod. *Amabo* Asc. P. — 19) Cod. mendose *paenultimam*. — 20) *Tertiae vero c.* Asc. P. *vero* abest a Cod. — 21) *Manis* scripsi e Cod. *manes* Asc. *maneis* P. Tum Cod. *veniat*. Asc. P. *veniet*. Denique Cod.: *mihi f. si tertiae*, hoc est: *mihi fama sub imos. Tertiae*. Atque ita molestum illud *si*, quod Putsch. post vv. *sub imos* intrusit, commodissime tollitur. Est enim illud *si* nihil aliud nisi duae litterae initiales ultimarum vocc. *sub imos*, quemadmodum semper in hoc Codice. Asc. cum Cod. facit: *mihi fama. Si tertiae*. — 22) *Ut* iubente Cod. interposui. Deest ab Asc. et P. in sequentibus distinctionem mutavi. Vulgo enim distinguitur: *natura syllabae, in aliis ita* cet. — 23) *Eripiat* Cod. et Asc. contra mentem Grammatici. Cf. Virg. IX, 101. — 24) *Inmutatae* scripsi e Cod. Vulgo *immutatae*. — 25) Cod. mendose: *novissimam syllabam*. — 26) *Quae syllabae verborum ultimae — producitur* vitiose Cod. — 27) *Syllabae* Cod. falso. — 28) Cod. *in ambalibus*, sed corr. — 29) Asc. et P.: *ut audiemus*, *rapiemus*, *audietis*, *rapietis*. — 30) *Producit* vitiose Cod. — 31) *Litus ara* P. Sed Cod. et Asc.: *litus ama*, quod scripsimus. Cf. Virg. Aen. V, 163. — 32) Virg. Aen. VII, 41. Asc. ex errore: *Tu autem tu* cet. —

Continuoque greges villis lege mollibus albos[1].

Tertia persona singularis omnium coniugationum ultimam syllabam corripit, ut *donet*, *moneat*, *audiat*, *rapiat*. Secunda persona pluralis in prima et secunda vel tertia coniugatione productis, paenultimam syllabam semper producit et ultimam corripit, ut *donate*, *monete*, *audite*; ultima autem brevis est. In tertia coniugatione correpta[2] ultima et paenultima breves sunt, ut:

Dicite felices animae[3];

et:

Cingite fronde comas[4].

Futuro tempore numero singulari secunda persona in tribus ordinibus coniugationum pro- [1411] ductis et[5] ultimam et paenultimam syllabam semper producit, ut *clamato*, *moneto*, *audito*. In tertia coniugatione correpta paenultimam corripit, ut:

Postremas metito[6].

Tertia persona coniugationis primae numero singulari paenultimam producit, si *a* litteram, quae coniugationem ostendit, habuerit; eam et aliquando corripit, ut Lucanus in quinto:

Caesar habet[7];

et si *o* vocalem habuerit, producit, ut *donet*. Quoniam, ut supra diximus, primae verborum syllabae in fundamento, non in declinationis flexubilitate[8] consistunt, merito suam naturam paenultimo loco custodiunt. At in aliis verbis eiusdem primae coniugationis, ubi declinatio inflectitur, paenultima syllaba brevis invenitur, ut *clamitet*, *quaeritet*. Caeterae vero coniugationes huic formae consentiunt, ut paenultimam brevem habeant, ut:

Ire neque ab terra moneat[9];

et:

Audiat haec genitor qui foedera fulmine sancit[10].

Novissima etiam syllaba, quae *t* littera consonante semper finitur, in omnibus brevis est. In omnibus autem coniugationibus numero plurali persona secunda paenultimam syllabam semper longam, et ultimam brevem recipit, ut: *clamatote*, *monetote*, *auditote*, *scribitote*.

5. Optativo modo tempore praesenti et praeterito imperfecto productis coniugationibus prima persona singularis[11] penultimam longam et postremam brevem habet: *utinam amarem*, *docerem*, *audirem*; tertia correpta, corripit paenultimam, ut *arriperem*, *cingerem*. Secunda persona duabus longis terminatur: *utinam amares*, *moneres*, *audires*, *moveres*[12]. Haec enim vocales, quibus coniugatio producta cognoscitur, ubique produci debent, praeter tertiam correptam, quae *e* litteram correptam recipit. Tertia vero coniugatio correpta paenultimam corripit: *utinam cingeres*. Tertia persona singularis primae consentit. Plurali numero prima et secunda persona omnium coniugationum paenultimam longam et ultimam brevem recipiunt, ut *utinam* [1412] *clamaremus*, *clamaretis*; *moneremus*, *moneretis*; *audiremus*, *audiretis*; *raperemus*, *raperetis*.

1) *Villis lege*. *Tertia* P. *vilis lege*. *Tertia* Asc. Sed Cod.: *villis lege ma. tertia*. Illud *ma* sunt litterae initiales ultimarum vocum illius versiculi *mollibus albos*, quas igitur voces addidi. Locus est Virg. Georg. III, 386. — 2) *Correptae* Cod. vitiose. — 3) Virg. Aen. VI, 669. — 4) Cod.: *cingite fronde com. futuro*, sic non perscripto vocabulo *comas*. Locus est Virg. Aen. VIII, 274. — 5) *Et ultimam et paen.* Prius *et* addidi e Cod. — 6) *Postremas merito* Asc. Cf. Virg. Georg. II, 410. ubi legitur: *postremus metito*. — 7) Lucan. Phars. V, 31. — 8) *Flexubilitate* dedi e Cod. *flexibilitate* Asc. P. — 9) Cod.: *ut ire iter neque ab terra* cet. Secutus sum Asc. et P. Locus est Virg. Georg. I, 457. Vv. *convellere funem* adduntur a P. pro quibus in Asc. litterae *c. f.* leguntur. Ignorantur ea a Cod. — 10) *Foedera f. f.* Sic non perscriptis vocibus in Cod. Cf. Virg. Aen. XII, 200. — 11) *Prima persona singulis. penultimam* Cod. Paullo post idem Cod.: *brevem habuit*, sic suprascripta *e* vocali. — 12) *Moueres audires moneres* Cod. Haud dubie recte scripserunt ultimam vocem *moveres* Asc. et P. Statim post *Haec* pro vulgato *hae* e Cod. scri-

Tertia persona in productis coniugationibus paenultimam producit; in tertia correpta corripit, *utinam cingerent.* Tempore praeterito perfecto et plusquamperfecto omnibus coniugationibus persona prima singularis postremam brevem habet; secunda persona longam; *es* enim syllaba producta terminatur, ut *amasses*, *audisses.* Tertia persona primae congruit. Pluraliter in omnibus coniugationibus prima secundaque persona paenultimam longam, et postremam brevem habet, ut *amassemus*, *amassetis; rapuissemus*[13]. *rapuissetis.* Tempore futuro, prima persona paenultimam syllabam in omnibus coniugationibus corripit, *utinam clamitem*, *moneam*, *audiam*, *eripiam.* Si vero prima verbi syllaba in paenultimo loco fuerit, pro natura sui longa invenitur, *utinam clamem*, *utinam donem*[14]. *A* littera corripitur, ut:

Flumina amem silvasque inglorius[15].

Ultima omnium semper brevis est. In persona[16] secunda eadem erit paenultima syllaba, quae in prima fuerit. Secunda persona, sive *es*, sive *as*, syllabas habuerit, ultimas producit. In tertia persona paenultima syllaba eadem, quae in superioribus erit; ultima vero semper brevis. Pluraliter autem et prima et secunda persona in omnibus coniugationibus paenultimam longam recipit, et ultimam brevem, ut *utinam donemus*, *donetis; moneamus*, *moneatis; audiamus*, *audiatis; legamus*, *legatis.* Tertia tertiae[17] personae singulari in paenultima syllaba similis invenitur.

6. Adiunctivo modo praesens et praeteritum imperfectum et[18] plusquamperfectum tempus optativo modo[19] congruit. Perfectum vero tempus numeri singularis in omnibus personis omnium coniugationum paenultimas ultimasque syllabas breves habet, ut *cum clamaverim*, *clamaveris*, *clamaverit;* ut *cum monuerim*, *monueris*, *monuerit;* ut *cum audierim*, *audieris*, *audierit*, ut *cum scribserim*, *scribseris*, *scribserit.* Plurali autem numero in omnibus quattuor coniugationum [1413] modis personas duas primam et secundam; quae paenultimam semper producunt, ultimam vero corripiunt[20]. Tertia vero persona paenultimam corripit, ut *cum donaverint*, *monuerint*, *audierint*, *legerint.* Tempore futuro alio, (nam duo recipit, quoniam primum futurum tempus futuro tempori modo pronunciativo[21] consentit) prima persona singularis sola novissimam syllabam longam habet, ut *donavero*, *monuero;* caeterae duae singularis, eadem atque prima, paenultimam[22] brevem recipiunt, ut *donavero*, *donaveris*, *donarit.* Plurali numero prima et secunda persona omnium coniugationum paenultimam longam, et ultimam brevem habent, ut *clamaverimus*, *clamaveritis; monuerimus*, *monueritis; audierimus*, *audieritis; dixerimus*, *dixeritis.* Tertia persona omnium, paenultimam brevem habet.

7. Infinitivus modus tempore praesenti productis tribus coniugationibus paenultimam longam habet, ut:

Plausae sonitum cervicis amare[23].

Item *docere*, *monere.* Interdum tamen in secunda coniugatione paenultima syllaba corripitur, ut:

Fervere Leucaten[24];

psi. — 13) *Rapviissemus* Cod. — 14) *Domem* (sic) Cod. — 15) Virg. Georg. II, 486. — 16) *In secunda persona* Asc. P. Nos ordinem, qui est in Cod., praeoptavimus. — 17) Cod.: *Tertiae personae singulari in*, omisso primo voc. *Tertia.* Asc.: *Tertiae personae singularis in.* Recte exhibet Putschiana: *Tertia vero tertiae personae singularis in*, nisi quod cum Cod. *vero* omittendum et *singulari* scribendum. — 18) *Seu* pro *et* Cod. — 19) *Optativi modi* P. *optativo modo* Cod. et Asc. — 20) Locus corruptus. Cod. exhibet: *quae penultimam semper producitur ultima vero corripitur.* Asc. et P. ut scripsimus. Mihi videtur aliquid ante v. *quae* excidisse. — 21) Cod. h. l. *pronuntiativo.* Paullo ante Asc.: *Tempore sunt alio* pro: *Tempore futuro alio.* — 22) Cod.: *Duae sing. eademque primam penultimam*, cui accedit Asc. nisi quod *singularis* perscripto vocabulo. P.: *duae singularis eandem primam atque penultimam*, sensu nullo. Scripsi *eadem atque prima* pro iis, quae in Cod. et Asc. sunt: *eademque primam*, ut *eadem* pro adverbio sit, pro *pariter*, *eadem ratione.* — 23) Virg. Georg. III, 186. — 24) Virg. Aen. VIII, 677. —

et:

Cum litora fervere late[1].

Sed in hoc verbo recte corripitur, quoniam antiqui tertiam coniugationem magis quam secundam esse voluerunt, ut Lucilius:

Fervit nunc, fervet ad annum[2];

et Terentius in Adelphis:

Dum fervit maxime, tam placidum q. r[3].

Ergo errare noscuntur hi, qui Virgilium nostrum longam pro brevi posuisse putant, ut in his versibus longam pro brevi sane posuit:

Illuc autem paribus quas fulgere cernis[4];

et:

Auroque effulgere[5].

nam sine dubio huius verbi secunda est coniugatio, quae debet produci. Iam[6] tertiae coniugationis productae exemplum subiiciam[7]:

Et stabulo frenos audire sonantes[8].

Tertia coniugatio correpta tempore praesenti paenultimam brevem recipit, ut:

Tu calamos inflare leves, ego dicere versus[9].

Ultima autem syllaba, in omnibus coniugationibus brevis est. Tempore praeterito postrema semper ubique brevis est, ut:

Superas caeli venisse sub auras[10]. [1414]

Interdum autem praeteritum tempus *i* litteram duplicat paenultimae syllabae, sed in his dumtaxat verbis, quae praeterito perfecto modi pronunciativi *i* duplicaverint, ut supradictum est, non solum metri causa, quam rationis[11], ut:

Nos abiisse rati[12].

Futuro quoque tempore paenultima longa, et ultima brevis est; sed non facilius huius temporis et modi verbum in poematibus invenitur.

Segm. VIII. *De declinatione passivorum, deponentium, communiumque verborum*[13].

1. Modo pronunciativo, id est, indicativo tempore praesenti numero singulari persona prima paenultimam syllabam in aliquibus verbis longam recipit, ut *ducor*, *clamor*; si tamen prima verbi syllaba fuerit; in aliquibus brevem, ut:

Quo feror? unde abii[14]?

si multarum verbum aliquod fuerit syllabarum, frequenter paenultimam corripit, postrema autem semper brevis est et erit. Secunda tertiaque persona singularis, excepta tertia coniugatione cor-

1) Virg. Aen. IV, 409. — 2) *Lucilius* Cod. Asc. *Lucillius* P. Eundem Lucilii locum multi citant Grammatici, veluti Serv. ad Virg. Aen. IV, 409. Prisc. pag. 868. P. Nonius pag. 503. in v. *Fervit*. — 3) Cod. exhibet: *dum fervit maxime tm placidum. q. r. ergo*. Asc. et P.: *Dum fervit maxime. Ergo*. Locus est Ter. Adelph. IV, 1, 18, ubi est: *Cum fervit maxime, tam placidam, quam ovis est, reddo*. — 4) *In armis* addunt Asc. P. Locus est Virg. Aen. VI, 827. — 5) Cod.: *auroque eff. nam, sic* non perscripta voce. Cf. Virg. Aen. VIII, 677. — 6) Asc. et P. *nam*. Recte Cod. *iam*, quod posui. — 7) Cod. *subiciam*. — 8) Virg. Georg. III, 184. — 9) Cod.: *leves ego d. c. m. ultima*. Quod dedi, exhibent Asc. et P. nisi quod *leveis* apud P. — 10) Virg. Aen. VII, 768. — 11) Codicis lectionem exhibui, licet fortasse falsam. Fortasse, inquam. Nam horum Grammaticorum usus in particulis quid

repta, paenultimam longam et postremam brevem recipiunt. Tertia enim correpta, duabus brevibus postremis terminatur, ut:

Ducitur infelix aevo confectus[15].

Numero plurali persona prima in productis coniugationibus paenultimam longam habet, ut secunda et tertia persona singularis, ut *clamamur*, *monemur*, *audimur*. In tertia autem correpta brevem recipit, ut *legimur*, et:

Ferimur per opaca locorum[16].

Persona secunda paenultimam brevem et ultimam longam admittit, ut *amamini* et *monemini*[17]. Omnis enim syllaba in verbis, ut in aliis partibus orationis *i* littera vocali finita semper producitur. tertia persona postremam[18] brevem habet. Tempore praeterito imperfecto omnibus in coniugationibus personisque, praeter secundam personam pluralis, paenultimam semper longam et ultimam brevem invenies, ut *ducebar*, *ducebaris*, *ducebatur*. Item plurali *ducebamur*. Secundae vero personae pluralis syllaba in tertio ab ultima loco producitur, ut *ducebamini*; tertia persona pluralis ultimam brevem habet. Tempore praeterito perfecto et plusquamperfecto numero [1415] singulari prima et tertia coniugatio producta paenultimam longam et postremam brevem habet, ut *donatus*, *auditus;* secunda autem coniugatio, vel tertia correpta, paenultimam syllabam aliquando brevem[19] recipit, ut *admonitus;* aliquando positione longam, ut *scribtus*[20]. Plurali autem numero ultima longa est, ut *admoniti*[21]; paenultima brevis[22]. Tempore futuro prima et secunda coniugatio persona prima numero singulari paenultimam longam habet, ut *amabor* et *docebor;* secunda et tertia persona brevem, ut Horatius in Arte poetica:

Nec semper feriet, quodcumque minabitur, arcus[23].

Scire autem oportet, quod litterae vocales, quae tres coniugationes productas ostendunt, frequenter produci debeant. Numero plurali prima persona postremas breves habet, ut *amabimur*, *monebimur;* secunda persona brevem et longam; tertia persona ultimam brevem recipit. Tertia coniugatio producta vel correpta eiusdem temporis futuri primam personam duabus postremis brevibus explicat, ut *nutriar*, *rapiar*. In dissyllabis autem verbis interdum paenultima longa, et postrema brevis erit, ut in Horat. primo Carminum[24]:

Scriberis Vario fortis.

Plurali numero prima persona, paenultimam longam et postremam brevem habet, ut *audiemur*, et *rapiemur*. Secunda persona tertiam[25] ab ultima longam, paenultimam brevem, postremam longam habet, ut *audiemini*, et *rapiemini*. Tertia persona ultimam brevem habet, ut *audientur*, *rapientur*.

2. Imperativus modus tempore praesenti, numero singulari persona secunda vel tertia in coniugationibus productis paenultimam longam et ultimam brevem habet, ut *amare*, *ametur*; *monere*, *moneatur; audire*, *audiatur*. In tertia autem coniugatione correpta secunda persona

sibi indulserit, nemo facile in numerato habuerit. Asc.: *non solum metri causa, sed rationis.* P.: *non solum metri causa sed et ratione.* (i superscr.) — 12) *Nos abiisse rates;* sic correctum in Cod. Cf. Virg. Aen. II, 25. — 13) *Haec inscriptio totidem litteris* in Cod. — 14) Virg. Aen. X, 670. — 15) Cod.: *ducitur infelix aevoc. numero.* Unde patet, vocem *confectus*, quae in versu Virgiliano sequitur, addendam fuisse. Ea abest ab Asc. et P. Cf. Virg. Aen. XI, 85. — 16) Cod.: *ferimur per opacal;* (sic.) Cf. Virg. Aen. II, 725. — 17) *Movemini* Asc. P. — 18) *Postrema* Cod. — 19) Cod. vitiose: *aliquando brevem aliquando recipit.* — 20) *Scribtus*; ita Cod. — 21) *Ut moniti* Cod. *ut admoniti* Asc. P. — 22) Cod. mendose: *penultimam brevis est.* — 23) *Quodcumque* Cod. Locus est Horat. A. P. 350. — 24) *Ut in Horatio primo carminum;* ita plene scriptis vocibus in Cod. *Ut in Hora. primo carminum* Asc. *ut in Horat.* I. *Carminum* P. Locus est Horat. Od. I, 6, 1. — 25) Cod. vitiose: *tertia.*

utraeque postremae breves sunt, ut *scribere, legere.* In tertia persona paenultima longa et postrema brevis est, ut *legatur.* Plurali numero persona prima omnium coniugationum paenulti- [1416] mam longam et ultimam brevem habet, ut *amemur*, *moneamur*, *audiamur*, *scribamur.* Persona secunda[1] tertiam ab ultima longam, paenultimam brevem et postremam longam habet. Tertia persona postremam syllabam[2] semper brevem recipit. Tempore futuro, in omnibus coniugationibus productis, secunda vel tertia persona singularis paenultimam longam habet[3], et ultimam brevem[4], ut:

Contemplator item cum.

Tertia autem coniugatio correpta paenultimam syllabam brevem habet, ut *legitor*, *scribitor.* Pluralis numerus persona secunda coniugatione tertia correptae conpetit[5].

3. Optativo modo tempore praesenti et praeterito imperfecto numero singulari personae omnes in tribus coniugationibus productis paenultimam longam recipiunt, ut *utinam donarer*, *monerer*, *audirer.* Similiter in caeteris personis singularibus. Item pluralis prima persona singulari congruit. Secunda persona tertiam a fine longam habet, paenultimam brevem, et ultimam longam, ut *utinam amaremini*, *moneremini*, *audiremini.* ultima autem syllaba, praeter secundam personam plurali[6] brevis est. Tertia autem coniugatio correpta a superioribus longe discrepat. Nam ut illae litteram vocalem producunt, quae est index coniugationis, ita et ista corripit. Prima tamen persona singularis, ut *utinam scriberer*, *utinam legerer;* secunda autem persona vel tertia singularis paenultimam syllabam[7] producunt, ut *utinam raperceris*, *raperetur.* Numerus pluralis superioribus coniugationibus consentit, *utinam scriberemur.* Praeteritum perfectum et plusquamperfectum tempus modi pronunciativi duobus temporibus congruit. Prima persona futuri temporis in prima coniugatione postrema syllaba brevi explicatur, paenultima autem interdum positione longa[8], ut *utinam contempler;* aliquando brevi, ut *utinam amer;* interdum natura[9] longa, ut *utinam exclamer.* Secunda vel tertia persona singularis in omnibus coniugationibus paenultimam syllabam semper longam recipiunt, sive *a*, sive *e*, vocales[10] habeant. [1417] Prima coniugatio *e* litteram productam habebit, ut *utinam contempleris*, *contempletur;* caeterae vero *a* litteram productam habent, ut *utinam monearis*, *utinam audiaris*, *utinam legaris.* De postrema autem omnium non dubitaveris, quin brevis sit eadem. Litterae vocales, *a* et *e*[11], vim suam etiam numero plurali custodiunt, ut *utinam contemplemur*, *contemplemini; utinam doceamur*, *doceamini; utinam audiamur*, *audiamini; utinam scribamur*, *scribamini.* Secundae personae paenultima brevis est, et ultima longa.

4. Adiunctivus modus tempore praesenti optativi modi futuro tempori conpetit[12]. Praeteritum imperfectum tempus, praesenti tempori modi superioris congruit. Praeteritum autem perfectum et plusquamperfectum superiorum modorum[13] temporibus in sua specie consentiunt. Futurum tempus primum huiuscemodi, pro suis coniugationibus, tempori futuro modi pronunciativi

1) *Secunda persona* Asc. P. Paullo post dedi e Cod. *et postremam longam*, ubi vulgo *et* deest. — 2) *Syllabam* add. Cod. — 3) *Habent* Cod. — 4) Recte abest *habet* a Cod. et Asc. quod in P. legitur: *brevem habet ut* cet. Locus qui sequitur est Virg. Georg. I, 187. Vv. quae addit P.: *se nux plurima sylvis*, absunt a Cod. et Asc. — 5) *Conpetit* scripsi e Cod. *competit* Asc. P. — 6) Cod. siglo *pt.* Asc. *pluralis.* P. *pluraliter.* — 7) *Syllabum* add. Cod. — 8) Cod. mendose: *penultimam autem interdum positione longam.* — 9) *Natura* deest in Cod. et Asc. Et videtur esse emendatoris. — 10) *Vocales* Cod. Asc. *vocalem* P. — 11) Cod. mendose: *a et s.* — 12) *Conpetit* e Cod. qui ita semper in hac voce. — 13) *Modorum superiorum* Asc. et P. Noster ordo est e Cod. — 14) *Consentiunt* Cod. — 15) *Syllabis longis* Asc. et P. — 16) *Moueri* Asc. et P. *moneri* Cod. — 17) Virg. Aen. VI, 614. —

congruit, ut *contemplabor*, *commonebor*, *cum audiar*, *cum legar*. Aliud autem futurum, vel ulterius, praeteritis temporibus perfectis consentit[14].

5. Infinitivus modus, quem et perpetuum quidam vocant, tempore praesenti coniugationibus tribus, quas productas semper esse diximus, paenultima postremaque longis[15] syllabis explicatur, ut *clamari*, *doceri*, *moneri*[16], ut:

Ne quaere doceri[17];

ut:

Mutarive putas bellum[18];

et:

Hinc exaudiri[19].

Tertia autem coniugatione correpta tempore item praesenti si paenultima syllaba ubique producta fuerit, et in capite verbi fuerit, hic quoque producenda est, ut:

Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci[20].

At si ubique corripitur, corripienda, ut in Lucano:

Romano spectante rapi[21].

Interdum autem et positione longa est, ut:

Tantane tam patiens nullo certamine tolli[22].

Postrema autem syllaba[23] in omnibus sine ambiguitate longa est. Praeterito tempore, prima et tertia coniugatio producta, paenultimam longam et ultimam brevem semper recipiunt, ut *reclamatum esse*, *auditum esse*. Secunda coniugatio paenultimam syllabam interdum brevem recipit, ut *monitum esse;* interdum positione longam, ut *doctum esse*[24]. Tertia autem coniugatio correpta semper positione longam efficit, ut *ductum esse*, *direptum esse*[25]. Futurum secundum rationem[26] coniugationum in prima particula verbi simile est praeterito tempori; in postrema particula spondio[27] constat, ut *clamatum iri*, *monitum iri*, *scribtum*[28] *iri*. [1418]

6. Verba impersonalia in ratione syllabarum activis et neutralibus verbis tertiae tantum personae in omni declinatione praeter infinitum modum similia sunt, et interdum paenultimam syllabam brevem recipiunt, ut:

Non pudet obsidione iterum[29].

Item trisyllabo brevis est, ut *poenitet*. Aliquando naturaliter longa est paenultima diphthongi ratione, *taedet*[30]; aliquando positione longa, ut *oportet*. Verba sane infinitae declinationis, quae alii impersonali modo vindicant, ut *amatur*, *amabatur; docetur*, *docebatur;* in communi[31] declinatione temporum passivis et deponentibus et communibus verbis cohaerent[32].

7. Participia omnium verborum quattuor formulis syllabarum ultimarum explicantur natura diversis. Prima est, quae[33] praesenti tempore duplex invenitur. Aut enim *ans* syllaba producta finitur, ut:

18) Virg. Aen. X, 627. — 19) Additur v. *voces* a P. quod abest a Cod. et Asc. Locus est Virg. Aen. IV, 460. — 20) Voc. *duci* deest in Cod. Sed legitur in Asc. et P. estque propter exemplum necessarium. Cod. exhibet: *troiano a s. adsi.* Locus est Virg. Aen. I, 19. — 21) Cod. *spectandte.* Locus est Lucan. Phars. I, 484. — 22) Virg. Aen. V, 390. — 23) Cod. vitiose: *Postrema autem in syllaba in omnibus* cet. 24) *Doctum esse* Cod. Asc. *ductum esse* P. — 25) *Deceptum esse* Asc. et P. — 26) *Secundum ratione* P. haud dubie typographi errore. *rationem* recte Cod. et Asc. — 27) *Spondeo* P. *spondaeo* Asc. — 28) *Scribtum* Cod. *scriptum* Asc. P. — 29) Virg. Aen. IX, 598. Statim post *In trisyllabo* Asc. P. — 30) *Ut taedet* Asc. P. — 31) Cod.: *in acomni.* — 32) *Cohaeret* Cod. — 33) *Prima est, qua* P. Asc. —

Ardet amans Dido[1];

aut *ens* eadem quoque producta, ut:

Bella movens[2].

Secunda formula est, quae tempore futuro ex omnibus significationibus veniente verborum uniformis erumpit. Haec semper *rus* syllaba explicatur, paenultimam longam et ultimam brevem syllabam reddens, ut:

Si visurus eum vivo[3].

Ea autem participia huius temporis, quorum verba primam coniugationem recipiunt, etiam tertiam[4] syllabam ab ultima semper producunt, ut *amaturus, contemplaturus;* non immerito, quia et[5] in verbis *a* littera, quae est coniugationis index, necessario producitur. Tertia formula duplex, quemadmodum[6] prima, et temporis praeteriti esse cognoscitur. Interdum enim *tus* syllaba finitur, ut:

Et ductus cornu stabit[7]; [1419]

interdum *sus* syllaba, ut:

Furit mugitibus aether
Concussus[8];

utraque syllaba brevis est. Paenultimarum autem rationem syllabarum in verbis temporis[9] praeteriti perfecti passivi scilicet ostendimus, ne eadem repetita documenta opusculum nimium dilatent. Quarta formula est simplex, et futurum patiendi tempus ostendens; haec *dus* syllaba semper brevi finitur. Horum omnium participiorum postremae syllabae per declinationes casuales secundum rationem nominum ita, seu longae, seu breves, intelleguntur[10]. Duo tamen participiis desunt, quod *e* productam[11] vocalem in fine dumtaxat nunquam recipiunt; et quod nullus casus eorum *t*, *l*, vel *u*, terminatur[12].

Segm. IX. *De Adverbiis*[13].

1. Quoniam statuimus, per omnes partes orationis decurrere, et de natura postremarum, sive paenultimarum syllabarum, ut fert ratio, disceptare, quae tradi solae regulariter possunt, — nam caeterarum praecedentium docet auctoritas rationem —; idcirco decere existimavi etiam[14] de adverbiis, quae tamen comprehendi possunt, aliquantulum disputare. Ergo per omnes significationes adverbiorum eundum est.

2. Adverbia temporis[15]: *hodie*, *cras*, *mane*, *nuper*, *olim*, *aliquando*. *Hodie* constat anapaesto, ut:

Hodie victor spolia illa superba[16].

Cras constat syllaba longa, ut in Horatio primo Carminum:

Cras ingens[17].

1) Virg. Aen. IV, 101. — 2) Virg. Aen. XII, 333. — 3) Virg. Aen. VIII, 576. — 4) *Tertiam* recte interponit Cod. cui consentit Asc. deest voc. apud P. — 5) *Quia et in verbis.* Sic. Cod. *q. etiam in verbis* Asc. et P. — 6) Cod. vitiose: *quaeadmodum* — 7) Virg. Georg. II, 395. — 8) Virg. Georg. III, 150. — 9) Voc. *temporis* add. e Cod. — 10) *Intelleguntur* e Cod. qui ita: *interleguntur* (*l* suprascr.). — 11) *Quod et productam* Asc. P. — 12) Cod.: *quod nullus casus teorum* (sic) *te. l. vel u terminantur.* — 13) Inscriptio haec in Cod. extra reliquum verborum contextum. — 14) *Etiam* add. Cod. et Asc. — 15) Cod.: *temporib. s. hodie.* Sed *b* in *temporib.* deletum, et *s*, quod sequitur, pro eo ascriptum, quod est *temporis.* Asc.: *Adverbia temporis scilicet hodie.* At P.: *Adverbia temporis sunt hodie.* — 16) *Spolia illa sup. Cras.* Sic Cod., non perscripto vocabulo. Apud Virg. Aen. X, 862. legitur: *spolia illa cruenta.* Quapropter scripsi *superba.* Sed Asc. P. *superbi.* — 17) Horat. Od. I, 7, fin. Addit P. *iterabimus aequor*, quod nesciunt Cod. et Asc. — 18) Virg. Georg. IV, 185. —

Mane constat trochaeo, ut:

Mane ruunt portis[18].

Etiam cum nomen fuerit, eundem recipit, ut:

Dum mane novum[19].

Nuper quoque adverbium trochaeo constat, *Heri* spondio[20] constat. *Vesperi* constat cretico. *Olim* constat trochaeo.

Olim arbos[21].

Adverbium *Ut*, cum temporis fuerit et *posteaquam* significaverit, productam vocalem recipit, licet habeat positionem, ut in octavo[22]:

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce[23];

at si fuerit similitudinis, brevem vocalem habebit, ut: [1420]

At velut ille canum morsu[24].

3. Adverbia localia: *Hic* adverbium a pronomine distat, quod pronomen corripiatur, et adverbium producatur, ut:

Hic ego namque tuas sortes[25].

Illic vel *Illuc* et *Huc* adverbia postremas longas recipiunt, ut:

Huc illuc media ipsa ingentem sustinet;

et:

Huc atque huc acies circumtulit[26];

et Seneca in Hecuba, hendecasyllabo sapphico versu:

Ilium est illic, ubi fumus alte[27].

Ibi vel *Ubi* sine dubio primas syllabas breves habent. Ultimas autem scire oportet et longas et breves poni posse; longas, ut:

Cernit ibi maestos[28];

breves, ut:

His ubi tum[29];

et:

Atque ubi iam patriae perventum[30].

Inde et *Unde* adverbia postremas syllabas breves recipiunt, ut:

Inde ubi clara dedit[31];

et:

Unde laborum[32].

Quo vel *Qua* et *Hac* adverbia longis syllabis constant, ut:

19) Virg. Georg. III, 325. — 20) Cod. *hērī* (sic) *spondio constat.* Asc.: *heri spondeo constat.* Nec dubito, quin ita voluerit Grammaticus. P.: *Heri iambo constat.* Sed paullo infra *nuper* et *donec* pyrrhichio constare dicuntur, ubi pariter errasse videtur scriptor. — 21) Virg. Aen. XII, 210. Cod. *arvos*, solemni errore. — 22) *Octavo* sic diserte Cod. et Asc. Sed P.: *in VIII.* — 23) Virg. Aen. VIII, init. Statim post: *aut si fuerit* Cod. Asc. — 24) Virg. Aen. X, 707. Cod.: *ad velut ille.* Asc.: *At velut ille.* P.: *Ac velut ille.* — 25) Virg. Aen. VI, 72. — 26) Hic locus sic legitur in Cod.: *ut huc illuc media ipsing.* (sic) *s. et huç adque huc acies circumtulit.* Asc. et P.: *ut huc illuc aciem circumtulit et huc ades.* Ego Codicis lectionem expressi. Prior locus est Virg. Georg. II, 297; posterior Id. Aen. XII, 658. — 27) *In haecuba* Cod. Locus est Sen. Troad. 1056. — 28) P.: *cernit ubi.* Virg. Aen. VI, 333. — 29) Locum non inveni. Similes sunt Aen. V, 816: *His ubi laeta.* et VII, 373: *His ubi nequicquam.* — 30) Virg. Aen. II, 634. *Perventum* addit Cod. quod deest in Asc. et P. — 31) Virg. Aen. V, 139. — 32) Virg. Aen. III, 145. —

Quo fugis Aenea[1]?

et:

Qua victrix redit illa[2];

et:

Hae iter Elysium nobis[3].

Item adverbia localia, quae sub imagine nominum latent, cum inciderint, ad rationem nominum referuntur. Item *Eminus* et *Comminus*[4] dactylo constant, ut:

Illum eminus[5];

et:

Totum cui comminus ensem[6].

Procul adverbium pyrrhichio constat, ut:

Aut procul hinc saxo[7].

Nuper adverbium temporis et *Donec* pyrrhichio[8] constant, ut Horatius:

Nuper sollicitum quae mihi taedium[9];

et:

Donec ut aestivis effusus nubibus imber[10].

4. Adverbia numeri, quae *l*, vel *r*, vel *s*, litteris terminantur, breves syllabas ultimas recipiunt, ut in Lucano:

Semel omnia victor
Iusserit[11];

et:

Moenia Dardanidum, quater ipso in limine portae[12].

In dissyllabis autem etiam primae syllabae breves sunt. Illa autem, quae *ens*, vel *es*, syllabis finiuntur, ultimas syllabas longas habent, ut:

Noviens Styx[13].

Constat autem anapaesto. *Iterum* adverbium numeri tribus brevibus constat, ut:

Sublimis animas, iterumque ad tartara[14].

5. Adverbia ordinis: *Denuo* constat cretico. *Deinde* constat palinbacchio[15], ut:

Deinde satis fluvium inducit[16].

Rursus constat trochaeo, ut:

Rursus abundabat[17].

Adverbia negandi: *Non* et *Haut*[18] longis syllabis constant, ut: [1421]

Non ego Myrmidonum[19];

et:

1) Virg. Aen. X, 649. — 2) Virg. Aen. XI, 764. — 3) Virg. Aen. VI, 542. — 4) *Comminus* recte Cod. *Cominus* Asc. P. — 5) Virg. Aen. XII, 343. Add. P. *eminus ambos*, quod non est in Cod. et Asc. — 6) Virg. Aen. IX, 347. *Comminus* Cod. *cominus* Asc. P. — 7) Locum hunc invenire non potui. — 8) *Pyrrhichio* P. *pyrrhicho* Cod. *trochaeo* Asc. Erravit haud dubie Grammaticus. In Cod. scribitur etiam *donhaec*. — 9) Horat. Od. I, 14, 17. — 10) Virg. Georg. IV, 312. Cod.: *donhaec ut haestivis*. — 11) Luc. Phars. II, 143. Editur *iusserat* apud Luc. — 12) Virg. Aen. II, 242. — 13) Virg. Georg. IV, 480. Aen. VI, 439. Cod. *nobiens*. Asc. et P. *novies*. — 14) *Sublimis* Cod. Asc. *sublimeis* P. Locus est Virg. Aen. VI, 720. ubi legitur *in tarda reverti Corpora*. — 15) Cod. *palinbacchio*, ut semper; *palimbacchio* Asc. P. — 16) Virg. Georg. I, 106. — 17) Virg. Georg. III, 484. — 18) *Haut* scripsi e Cod. *haud* Asc. P. — 19) Virg. Aen. II, 785. — 20) Virg. Georg. IV, 415. — 21) *Nequiquam* Ita h. l. et paullo post in Cod. quam scripturam veram arbitror. Videtur enim ex *ne qui quam* compositum et primitus significasse *non*

Haut equidem credo[20].

Item *Nequiquam*[21] et *Nequaquam* constant palinbacchio, ut:

Nequiquam trepidat[22].

Frustra adverbium constat spondio, ut:

Vane Ligus frustraque animis[23].

Etiam adverbium tribrachyn[24] recipit, ut:

Hic etiam inventum Priamon[25].

Utique constat tribus brevibus.

6. Adverbia demonstrandi: *En* longam habet, ut:

En agros[26].

Ecce adverbium constat trochaeo, ut:

Ecce Dionaei processit[27].

Adverbia hortantis: *age*, *eia*. *Age* adverbium constat duabus brevibus, ut:

Te sine nil altum mens inchoat; en age segnes[28].

Item *Eia* constat spondio; ultima sane syllaba in synaloepham cadit duobus his versibus:

Eia age segnes[29];

et:

Hostis adest eia.

Adverbium optandi *Utinam* constat ex tribus brevibus, ut:

Atque utinam ex vobis unus[30].

7. Adverbium interrogativum *Cur* constat syllaba longa, ut:

Cur, inquit, diversus abis[31]?

Quare adverbium constat trochaeo, ut:

Quare age et inceptum[32].

Quianam adverbium constat tribrachy, ut:

Heu quianam tanti cinxerunt[33].

Adverbium dubitantis[34] *Fortasse* ultima syllaba brevi finitur. Item *Forsitan* constat dactylo, ut:

Forsitan et Priami[35].

Forte constat trochaeo, ut:

Forte sub arguta[36].

Adverbium vocandi *Heus* longam habet, ut:

aliquorsum, *ad nullum finem*; *qui* enim est ablativus, pro eo quod est *quo*. — 22) Virg. Aen. XII, 403. — 23) Virg. Aen. XI, 715. — 24) *Tribrachyn* Cod. *tribrachum* Asc. et P. — 25) *Priamon* Cod. Asc. P. Nimirum legendum est: *Priamo narrabis*, ut apud Virgilium est Aen. IX, 742. Solet enim ita Cod. ultimam vocem littera initiali notare, puncto interdum apposito, interdum omisso. — 26) Virg. Aen. XII, 359. — 27) Cod.: *dionaei proc. adverbia* sic non perscripto vocabulo *processit*. Locus est Virg. Ecl. IX, 47. — 28) *Eia age segnes* male Asc. P.; recte Cod., ut est apud Virgilium Georg. III, 42: *En age segnes.* — 29) *Heia age segnes et hostes adest heia* Cod. Etiam paullo ante *heia* in Cod. Alium locum intellexit haud dubie Grammaticus, qui est Virg. Aen. IV, 569. *Eia age, rumpe moras.* Qui sequitur locus est Virg. Aen. IX, 38. — 30) Virg. Eclog. X, 35. — 31) *Inquid* Cod. Cf. Virg. Aen. XI, 855. — 32) Virg. Aen. XII, 832. ubi tamen editur: *Verum age.* — 33) Cod.: *tanti cinx. adverbium*; sic non plene scripto vocabulo. Locus est Virg. Aen. V, 13. — 34) *Dubitantis* Cod. *dubitandi* Asc. et P. — 35) Virg. Aen. II, 506. — 36) Virg. Ecl. VII, 1. —

Heus etiam mensas[1].

Heu respondentis adverbium longa constat, ut Lucanus:

Heu demens nullum[2].

Adverbium prohibendi *Ne* constat longa, ut:

Ne pete connubiis[3];

coniunctio autem si fuerit, corripitur, ut:

Coniuxne Creusa[4].

8. Adverbium communicationis, ut: *una*, *simul*, *pariter*. *Una* adverbium spondio constat, ut:

His ubi tum natum Anchises unaque Sibyllam[5].

Simul constat pyrrhichio, ut:

Illa furens simul arva fuga[6].

Pariter constat tribrachy[7], ut:

Dixerat atque animis pariter certantibus[8]. [1422]

Adverbium separationis *seorsum* et *separatim*. *Seorsum* primam syllabam longam et postremam brevem recipit. Item *Separatim* constat ditrochaeo.

Adverbium similitudinis *Sic* constat syllaba longa, ut:

Sic ait[9].

Veluti constat anapaesto, ut:

Ac veluti magno in populo[10];

etiam separatim *Uti* dicimus, ut Sallustius in Ingurthino: *Utique rem sese habere*[11]. Item *Quasi* constat pyrrhichio, ut Tullius:

Nam quasi bos sibi dedecori genuere parentes[12].

Adverbia comparationis: *Magis*, *Potius*, omnibus constant brevibus, ut:

Tam magis illa fremens[13];

et:

Sive antro potius succedimus[14].

Nam ultima positione fit longa. *Nam* et *Quam* natura breves syllabae sunt.

9. Adverbium eventus *Forte* constat trochaeo, ut:

Forte fuit iuxta tumulus[15].

Adverbia quantitatis: *Parum*[16], *Nimium*, omnibus brevibus constant, ut Lucanus in quinto:

Quid satis est, si Roma parum[17]?

et Virgilius:

1) *Heus etiam mens. heus;* sic non perscripto vocabulo *mensas* et ultima *s* in posteriore *heus* deleta Cod. Locus est Virg. Aen. VII, 116. — 2) Cod.: *heu demens n. adverbium*, ut saepe, non perscripto vocabulo versiculi ultimo. Cf. Lucan. Phars. V, 228. — 3) Virg. Aen. VII, 96. — 4) Virg. Aen. II, 597. *Coniunxne* Asc. et P. — 5) Virg. Aen. VI, 898. — 6) Virg. Georg. III, 201. ubi tamen legitur: *Ille volat, simul arva fuga, simul aequora verrens.* — 7) *Tribrachy* Cod. ut ante. *tribracho* Asc. et P. — 8) Virg. Aen. XII, 574. — 9) Virg. Aen. I, 142. — 10) Virg. Aen. I, 148. — 11) Sallust. Bell. Iug. c. 13. ed. Tell. — 12) Hoc versiculo augenda sunt Ciceronis fragmenta poetica; vulgo legitur: *Nam quasi bos sibi dedecor ingenuere.* Atque ita Asc. cui consentit P. nisi quod *ingemuere.* Codex sic: *Nam quasi bos sivi dedocori* (sic) *genuere parentes.* Legerim tamen: *nam quasi quos sibi dedecori genuere parentes.* Ceterum *quasi* etiam ultima longa invenitur, ut Lucret. II, 291. *Et, devicto quasi, cogatur ferre patique.* — 13) *Tam magis* recte Asc. cum Cod. *Tum magis* P. Locus est Virg. Aen. VII, 787. — 14) Virg. Ecl. V, 6. — 15) Virg. Aen. III, 22. — 16) *Rarum* Putsch. *parum* Cod. Asc. — 17) Luc. Phars. V, 274. Ceterum in Cod.

Esse sinent. Nimium vobis Romana propago[18].

Item: *Nimis*[19] et *Satis*, *Minus* et *Amplius*, omnibus brevibus constant, ut:

Sit satis Aenide[20];

et:

Iam minus atque minus[21];

et:

Neque me indecorem germana videbis
Amplius[22].

10. Adverbia qualitatis sive quantitatis pleraque gradus recipiunt, praesertim si a nomine veniant. Nam perpauca sunt adverbia, quae ab se orta gradus recipiant. Et quoniam, quae ex aliis partibus orationis derivantur adverbia, innumerabilia sunt, merito omnia comprehendi non possunt; tamen horum adverbiorum regulariter de postremis syllabis disputabimus[23]. Absolutus gradus, quem alii Positivum vocant, in adverbio sex litteris terminatur, vocalibus tribus, *e*[24], ut *saepe*, *bene*; *o* semper producta vocali, ut *raro*, *falso*, ut: *Falso queritur de natura*[25], *u* semper producta, ut:

Anceps pugna diu[26].

Consonantibus autem tribus explicatur: *m* littera correpta, ut: [1423]

Illa levem fugiens partim secat aethera pinnis[27];

et:

Tractimque susurrant[28];

r littera correpta, ut:

Lacerum crudeliter ora[29];

s littera correpta, ut:

Nec funditus omnes[30].

Adverbia *e* littera terminata absoluto gradu pleraque longa syllaba finiuntur, ut:

Ante omnes stupet ipse Dares, longeque recusat[31];

ut[32]:

Et si non alium late iactaret odorem.

Non sine ratione Virgilius eandem productam in *a* litteram correptam vertit, ut:

Et pede terram
Crebra ferit[33].

Pauca brevem habent[34]: *Rite*, *Bene*, *Impune*, et *Saepe*, ut:

Carpebat somnos rebus iam rite paratis[35].

est: *Quit satis est.* — 18) Virg. Aen. VI, 870. — 19) In Cod. est: *Nimis et satis, minus et amplius.* Ceterum quod etiam *amplius* omnibus brevibus constare dicitur, id errori vel excerptoris vel scriptoris tribuendum est, quales errores iam supra aliquot animadvertimus. — 20) Cod. *acnidae.* Locus est Virg. Aen. IX, 653. ubi Codd. etiam *Aeneade.* — 21) Virg. Aen. XII, 616. — 22) Virg. Aen. XII, 679. ubi editur *nec.* — 23) *Disputavimus* Cod. et Asc. — 24) Deest *e* illud in Cod. — 25) Sallust. Iugurth. init. Cod. habet: *de n. u semper*, vocabulo *natura* non perscripto. — 26) Virg. Aen. X, 359. — 27) Virg. Georg. I, 406. ubi tamen legitur: *Quacunque illa levem fugiens secat aethera pennis.* Sed paullo post v. 409. *Illa levem fugiens raptim secat aeth. p.* *Pinnis* scripsi e Codice, ubi est: *haethera pin. et tractim.* — 28) Virg. Georg. IV, 260. — 29) Virg. Aen. VI, 495. — 30) Virg. Aen. VI, 736. — 31) Virg. Aen. V, 406. — 32) *Ut* additum e Cod. *et*, *Si non alium* omisso *ut* Asc. P. Locus, qui sequitur, est Virg. Georg. II, 132. — 33) Virg. Georg. III, 500. — 34) *Habent* addunt Cod. Asc. deest in P. — 35) Virg. Aen. III, 555. —

et:

Et bene apud memores veteris stat[1].

et:

Saepe fugam Danai[2].

et:

Et saepe alterius ramos impune videmus
Vertere in alterius[3].

Media vero longa est. Adverbia *o* littera terminata semper longam habent, ut:

Scipiades, cladem Libyae, parvoque potentem
Fabricium[4];

quamvis et nomen esse possit absolute positum. Caetera autem, quae consonantibus finiuntur, adverbia supradicto gradu breves semper ultimas syllabas recipiunt, quorum iam exempla supradicta sunt. Comparativus gradus in omnibus adverbiis, qui semper *ius* litteris terminatur et explicatur, semper brevi syllaba finitur, ut:

Mollius et solito matrum[5].

Postremam enim syllabam in adverbiis omnibus[6] consonanti littera finitam[7], brevem esse oportet. Paenultima quoque syllaba comparativi sive superlativi gradus adverbiorum, ut in omnibus gradibus[8], brevis semper invenitur, ut:

Atque ubi iam breviorque dies et mollior aestas[9];

et:

Maximus agricolis pelagoque parabitur imber[10].

Superlativus gradus adverbiorum, qui uniformi syllaba terminatur, *e* litteram postremam semper longam recipit; eadem enim syllaba in nomine superlativi gradus vocativo casu brevis est, ut:

Optime Graiugenum[11];

et:

Maxime Teucrorum ductor[12].

Ergo in adverbiis necessario *me* syllaba ad discretionem partium producetur.

11. De adverbiis promiscuis plenissime disputandum est ex auctoritate collectis. *Vero* constat spondio, ut:

Si vero viciamque seres[13]. [1424]

Sero adverbium constat spondio; at si nomen fuerit, constabit iambo, ut:

Pasce sero pingui[14].

Tamen constat pyrrhichio, ut:

Nos tamen haec[15].

1) Virg. Aen. IV, 539. — 2) Virg. Aen. II, 108. — 3) Virg. Georg. II, 32. — 4) Virg. Aen. VI, 842. ubi editur *Scipiadas*. — 5) Virg. Aen. VII, 357. In Cod. scriptum est sic: *ut mollius et solito m. postremam;* non perscripto voc. *matrum*, quod proinde abest ab Asc. et P. — 6) *In omnibus adverbiis* Asc. P. — 7) *Finitam* Cod. Asc. *finitis* P. — 8) Lege: *ut in nominibus*, vel: *ut in nominum gradibus.* Tale quid postulat sententia. Sic paullo infra: *in nomine superlativi gradus.* Nam quae sequuntur exempla, non adverbiorum, sed nominum. — 9) Virg. Georg. I, 312. — 10) Virg. Georg. I, 429. — 11) Virg. Aen. VIII, 127. — 12) Virg. Aen. VIII, 470. *Doctor* habet Asc. — 13) Virg. Georg. I, 227. Paullo post in Cod.: *ut si nomen.* — 14) Virg. Georg. III, 406. — 15) Virg. Ecl. V, 50. — 16) Virg. Georg. I, 55. — 17) Virg. Aen. V, 1. — 18) Virg. Georg. II, 83. Legitur in Cod.: *genus aut unum.* Asc. P. *haud.*

Alibi constat anapaesto, ut:

Arborei foetus alibi[16].

Interea sive *Praeterea* constat choriambo, ut:

Interea medium Aeneas[17];

et:

Praeterea genus haut unum[18].

Penitus constat tribrachy. *Funditus* constat dactylo. *Nihil* pro *non* positum constat pyrrhichio, ut:

Nihil mea carmina curas[19]?

Dum et *Cum* adverbia breves syllabas habent, sed sine positione poni non possunt. *Satius* constat tribrachy[20], ut:

Nonne fuit satius[21]?

Pridem constat trochaeo, ut:

Iam pridem resides populos[22].

Quotiens vel *Totiens*[23] constat anapaesto, ut:

Quotiens oculos coniecit in hostem[24];

et:

Quid natum totiens crudelis[25].

Certe constat spondio, ut:

Certe sive mihi Phyllis[26].

Paulatim[27] constat palinbacchio, ut:

Paulatim et sulcis frumenti quaereret herbam[28].

Modo adverbium constat pyrrhichio, ut:

Tu modo nascenti puero[29];

at si nomen fuerit, iambo.

12. Sane quoniam adverbia omnia, quae partim ex se oriuntur, partim ex aliis deducuntur, comprehendi non possunt; merito singillatim[30] non existimo persequenda. Sed tamen de postremis syllabis breviter dicam. Adverbia *a* littera finita, quae pro *e* littera ponitur, brevem habent, ut:

Transversa tuentibus hircis[31];

at si ex se oriuntur longam habebunt, ut:

Contra iussa monent[32].

E littera finitum adverbium, ut supradictum est, saepissime longam recipit, interdum brevem, ut:

Rite cavis undam de flumine palmis[33].

L littera finita adverbia semper brevem habent. *M* littera similiter correpta finiuntur. *O* littera producta in gradibus sane finiuntur, ut:

— 19) Virg. Ecl. II, 6. — 20) *Tribracho* P. Asc. Sic etiam paullo superius. — 21) Virg. Ecl. II, 14. — 22) Virg. Aen. VII, 693. — 23) *Quotiens vel totiens* scripsi e Cod. —*es* — *es* Asc. P. — 24) Virg. Aen. XII, 483. — 25) Virg. Aen. I, 411. Codex habet: *Quit natum totiens cru. certe.* Adieci igitur vocem *crudelis*, quae deest in Asc. et P. — 26) Cod.: *certe sibe mihi fyllis.* Locus est Virg. Ecl. X, 37. — 27) *Paulatim* una *l* Cod. Asc. P. Paulo ante Cod. *palimbaccio.* Constantiae caussa etiam h. l. scripsi *palinb.* — 28) Virg. Georg. I, 134. — 29) Virg. Ecl. IV, 8. — 30) *Singillatim* diserte Cod. *sigillatim* Asc. P. quae scriptura falsa est. — 31) Virg. Ecl. III, 8. — 32) *Movent* Asc. P.; recte *monent* in Cod. Locus est Virg. Aen. III, 684. — 33) Asc. et P. hoc loco exhibent: *ut rite. L litera finita.* Uberiora Codex: *ut rite cavis und d f p s l littera finita.* Est versus Virgilianus Aen. VIII, 69. litteris initialibus notatus, quem proinde rescripsimus.

Hic vero victus genitor[1];
alibi enim et brevis invenitur:
Tu modo quos in spem statues submittere gentis[2].
R littera finita adverbia semper brevem habent, ut:
Semper equos, atque arma virum[3];
et:
Lacerum crudeliter ora[4].
S littera finita adverbia semper brevem recipiunt, ut:
Quae totam luctu concussit funditus urbem[5];
et:
Mollius et solito matrum[6].
V littera finita adverbia semper longam recipiunt, ut: [1425]
Namque diu luctans, lentoque in stirpe moratus[7].
Omnium autem praecedentium syllabarum naturas magistra docebit auctoritas.

SEGM. X. *De Coniunctionibus*[8].

1. Copulativae coniunctiones: *Et*, *Que*, *Ac*[9] brevibus syllabis constant, ut:
Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum[10].
Item:
Iamque catervatim[11].
Disiunctivae coniunctiones: *ne*, *nec*, *neque*, *vel*, *sed*[12], omnes correptas syllabas habent. *Ne* coniunctio eo adverbio discrepat, quod haec corripiatur et adverbium producatur, ut:
Ne mihi tum molles[13];
coniunctionis exemplum, ut:
Coniunxne Creusa[14].
Aut coniunctio, quoniam diphthongo valet, longa est, ut:
Nunc manet insontem gravis exitus, aut ego veri[15].

2. Expletivae coniunctiones: *quidem*, *equidem*, *quoque*, *tamen*, *nempe*. *Quidem* duabus brevibus constat, ut:
Ista quidem quia nota mihi[16].
Equidem tribus brevibus constat, ut:

1) Virg. Aen. II, 699. — 2) *Submittere* Cod. *summittere* Asc. P. Locus est Virg. Georg. III, 73. — 3) Virg. Aen. IX, 777. — 4) Virg. Aen. VI, 495. — 5) Virg. Aen. XII, 594. — 6) Virg. Aen. VII, 357. In Cod. est: *mollius et solito mt.* Ergo *matrum* addidi, quod deest in Asc. et P. Vide, quae paullo ante de eodem loco notavi paragrapho 10. huius segm. — 7) Virg. Aen. XII, 781. — 8) Haec inscriptio neque in Cod. neque apud Asc. comparet. — 9) *Ac* addidi e Cod. et Asc. Quod exemplum non subiicitur, ea nulla caussa est, cur omittatur. — 10) Virg. Aen. VIII, 334. — 11) Virg. Georg. III, 556. — 12) *Neque vel. Sed omnes.* Ita P. Verum recte Codex linea supra v. *sed* ducta adnumerat coniunctionibus, quae recensentur. Consentit Asc. — 13) Virg. Georg. III, 435. — 14) Hoc loco *coniunxne* in Cod. quicum faciunt Asc. et P. Cf. Virg. Aen. II, 597. Paullo ante *exemplum* dedi ex Asc. *exempla* Cod. et P. — 15) Virg. Aen. X, 630. — 16) Virg. Aen. XII, 808. — 17) Virg. Aen. XII, 931. *Protendes* Cod. P. Sed *protendens* recte Asc. — 18) Virg. Aen. VII, 1. — 19) Virg. Aen. X, 276. — 20)

Protendens equidem merui[17].

Quoque duabus brevibus constat, ut:

Tu quoque litoribus nostris[18].

Tamen duas breves habet, ut:

Haut tamen audaci[19].

Nempe coniunctio trochaeo concluditur, ut *Quippe*[20], ut:

Quippe vetor fatis[21].

Certe, spondio, ut:

Certe sive mihi Phyllis[22].

3. Causales coniunctiones: *Igitur*, constat tribrachy[23], ut:

Iliacus igitur classes[24].

Si coniunctio producitur, ut:

Si quibus ciectus[25].

Etiam coniunctio tres breves habet, ut:

Hic etiam inventum[26].

Siquidem coniunctio constat dactylo[27]. *Quandoquidem* ex longa et tribus brevibus constat, ut:

Quandoquidem Ausonio .

Quando coniunctio et longam et brevem[29] novissimam potest recipere secundum naturam postremae vocalis. Longa est in hoc:

Meque timoris

Argue tu Drance, quando tot stragis acervos[30];

est enim coniunctio causalis, hoc est, quandoquidem, non adverbium temporis; caeterum dum componitur, brevis est.

Quin coniunctio natura longa syllaba est, ut: [1426]

Quin ego non alio digner te funere, Palla[31].

Sin syllaba longa est, ut:

Sin has ne possim naturae accedere partes[32].

Seu syllaba longa est, ut:

Seu vos Hesperiam magnam[33].

Sive constat trochaeo, ut:

Sive sub incertas zephyris motantibus umbras[34].

Namque[35] ex longa et brevi constat, ut:

Totus hic locus sic exhibetur in Cod.: *ut quippe et certe. ut quippe vetor fatis et certe sive mihi fyllis.* Non dubito hunc errorem ab epitomatore libri profectum esse. Sed Asc. habet: *Nempe coniunctio trochaeo concluditur, ut Quippe vetor fatis. Certe spondaco, ut certe sive mihi Phyllis.* Quam exhibuimus lectionem, habet Putschiana, fortasse e correctione. — 21) Virg. Aen. I, 43. — 22) Virg. Ecl. X, 37. — 23) *Tribrachy* exhibet Cod. *tribracho* Asc. P. — 24) Virg. Aen. IV, 537. — 25) *Sylvis* addunt Asc. P. quod ignoratur a Cod. Locus est Virg. Aen. I, 582. — 26) Virg. Aen. IX, 742. — 27) Codex et Asc. exhibent, quod dedimus. *Tribracho* P. — 28) *Ausonio*. Ita recte Cod. *Ausonios* Asc. et P. Cf. Virg. Aen. VII, 547. — 29) *Et longam et brebem* Cod. *et brevem et longam* Asc. P. — 30) Virg. Aen. XI, 384. Codex habet: *quando tot strages acerb. est enim*, non perscripto vocabulo. Apud Virgilium legitur in quibusdam editionibus *tot quando*, qui ordo a Cod. nostro reiicitur. — 31) Virg. Aen. XI, 169. — 32) Cod. habet: *sin assne possim.* Locus est Virg. Georg. II, 483. — 33) Virg. Aen. I, 573. — 34) Virg. Ecl. V, 5. — 35) *Namque* scripsi e Cod. *Nanque* Asc. P.

Namque sub Oebaliae[1].

Ni coniunctio longa est, ut:

Ni fuga subsidio[2].

Nisi coniunctio duas breves habet, ut:

Et nisi me quacunque[3].

Sed brevis est, ut:

Ipsa acie nondum falcis tentanda, sed uncis[4].

4. Rationales coniunctiones: *Praesertim* coniunctio primam syllabam diphthongo[5] longam habet, novissimam brevem, ut:

Praesertim incertis si mensibus[6].

Enim duabus brevibus constat, ut:

Etenim molles tibi[7].

Quia coniunctio constat pyrrhichio, ut:

Nam quia nec fato, merita nec[8].

Quippe[9] primam naturaliter longam, et postremam brevem habet, ut:

Quippe solo natura subest[10].

Quoniam coniunctio brevibus[11] constat, ut:

Nunc vidi tristes, quoniam fors omnia[12].

Quoniamquidem omnes breves habet. *Ergo* coniunctio postremam syllabam longam sine dubio habet, in hoc praesertim versu:

Quae regio Anchisen, quis habet locus? Illius ergo[13];

quamvis *ἀδιάφορος* est[14], cum in fine sit versus, cuius nunquam natura requiritur; tamen longa esse debet. Significat enim: *illius causa venimus.* Haec sane sola coniunctio contra rationem latinitatis ultimam syllabam circumflectit. At si alio intellectu conlocata erit, in synaloepham frequentius apud Virgilium cadit, ut:

Ergo ubi delapsae sonitu[15];

et:

Ergo age care pater[16].

1) Virg. Georg. IV, 125. — 2) Virg. Aen. XII, 733. — 3) Codex: *et nisi me qua sed.* Verum in voce *qua* finitur versus, ut reliquum vocabuli in margine videatur periisse, aut, uti saepe, non perscriptum fuisse. In Asc. est: *et nisi me qua etc. Sed.* (sic.) Cf. Virg. Ecl. IX, 14. ubi *Quod nisi me q.* — 4) Codex: *nondum falcis sed uncis. rationales* cet. Inter vv. *falcis* et *sed* signum est, cui in margine respondet aliud, quod ascriptam habet vocem *temptanda*, sed a recentiori manu. Secutus sum Asc. et P. Locus est Virg. Georg. II, 365. ubi legitur *acies* pro *acie.* — 5) *Diphthongo longam* dedi ex Asc. et P. *difthongum longam* Cod. quod ferri potest. Sed verum videtur illud. — 6) *Praesertim certis* Asc. P. *praesertim incertis* Cod. atque ita est apud Virg. Georg. I, 115. — 7) *Etenim molles tibi.* Ita dedi de coniectura mea, Codice viam monstrante, qui habet: *ut et enim mollib. quia.* Unde Asc.: *ut etenim mollibus. quia.* P.: *ut enim mollibus. Quia.* Utraque perperam. Nam ita scripsisse nequit Grammaticus, qui ubique sic exempla repraesentat, ut versuum metra non turbata inveniantur. Scriptum fuit haud dubie: *mol. tib.* (i. e. *molles tibi*) *quia*, unde librarius fecit *mollib. quia.* — 8) Virg. Aen. IV, 596. Addunt Asc. et P.: *morte peribat,* quae ignorantur a Codice. Non tamen reticeo, in verbis *merita nec* finiri versum in Cod. — 9) *Quapropter* Cod. et tamen exemplum vocem *quippe* astruit, de qua iam supra. — 10) Virg. Georg. II, 49. — 11) *Tribus brevibus c.* P. Prior vox abest a Cod., qui exhibet: *quoniam coniunctio brevis constat. Quoniam c. brevi c.* Asc. — 12) Virg. Ecl. IX, 5. ubi est: *Nunc victi, tristes, quoniam fors omnia versat.* Ultimum vocabulum, quod exhibent Asc. et P., ignorat Cod. *Vidi* Cod. Asc. P.; sed nihil pronius, quam *ct* mutari in *d*, quae permutatio saepe apud librarios re-

Verum tamen in simplici intellectu repetitae rei sine dubio longa posita est in hoc versu:

Ergo non hiemes illam[17].

Ideo coniunctio[18] constat anapaesto, ut:

Atque ideo tauros procul[19].

Scilicet coniunctio constat dactylo, ut:

Scilicet is superis labor est[20].

Propterea constat choriambo. *Quare* constat trochaeo, ut:

Quare age[21].

Quid semper brevis est[22], ut:

Ne quid inexpertum frustra[23].

SEGM. XI. *De Praepositionibus*[24]. [1427]

1. Praepositiones duobus generibus constant. etenim aliae sunt loquelares, quae ornandi sensus, aut augendi[25], vel minuendi gratia caeteris partibus praeponuntur; aliae autem casuales vocantur, quod casibus serviant. Loquelares sunt: *an*, *con*[26], *re*, *se*, *di*, *dis*. *An* praepositio[27] brevis est, sed semper positione longa fit, ut:

Obvius ambustum[28];

et:

Quae rapidus flammis ambit[29].

Re praepositio semper brevis est, in quibuscunque partibus orationis fuerit. In nomine, ut:

Is primam ante aciem digna atque indigna relatu[30].

In verbo, ut:

Colla armosque lavant, gemitu nemus omne remugit[31].

Participio, ut:

Nunc rapidus retro atque aestu revoluta resolvens[32].

Se praepositio semper longa est, ut:

peritur. *Tristes* Cod. *tristis* Asc. *tristeis* P. Ceterum Cod. *fors om.* non perscripto voc. *omnia*. — 13) Virg. Aen. VI, 670. — 14) *Quamvis ἀδιάφορος est.* Ita recte Asc. Nam in Cod. et P. perperam est: *quamvis ἀδιάφορος hoc est.* Praeterea notandum, Graecam vocem Latinis litteris scriptam esse in Cod. — 15) Virg. Aen. III, 238. Cod. habet: *Ergo ubi delapsae sonitu ut ergo.* Apud Virg. est *sonitum.* — 16) Virg. Aen. II, 707. — 17) *Hiemes illam* scripsi e Cod. *hyemes illam* Asc. *hyemes illum* P. Cf. Virg. Georg. II, 293. — 18) Voc. *coniunctio* addidi e Cod. et Asc. — 19) Virg. Georg. III, 212. — 20) *His superis* Cod. Asc. mendose. Locus est Virg. Aen. IV, 379. ubi recte *is*, quod dedi. *Hic superis* male P. — 21) Virg. Aen. VII, 429. — 22) Cod.: *semper brevis ecst.* unde fortasse legendum *exstat.* Sed tutius videbatur *est*, quum in hoc Cod. nonnisi exemplorum verba compendio scripta repe- riantur. — 23) Cod.: *inexpertum f. praepositio*, sic non perscripto medio vocabulo. Locus est Virg. Aen. IV, 415. — 24) Haec inscriptio neque in Cod. neque in Asc. comparet. — 25) *Augendi* scripsi e Cod. et Asc. *agendi* P. — 26) *An*, *co*, *con* P. Sed media vocula abest a Cod. et Asc. — 27) *An praeposita* Asc. P.; recte Cod.: *praepositio*. — 28) Virg. Aen. XII, 298. — 29) Virg. Aen. VI, 550. — 30) Cod. Asc.: *his primam.* P.: *Hic primam.* Nimirum *Is* scribendum fuit, quod est apud Virg. Aen. IX, 595. — 31) Virg. Aen. XII, 722. Cod. et Asc. exhibent: *labant*, solito errore. — 32) *Resorbens* P. ut est apud Virg. Aen. XI, 627. quod haud dubie verum. Nam quum consueto errore *resorvens* pro *resorbens* scriptum ab aliquo esset, facilis fuit mutatio in *resolvens*. Sed in talibus contra librorum consensum nihil mutandum; aliter enim Grammaticorum libri nullam in re critica fidem habent.

Et cum frigida mors anima seduxerit artus[1].

Di praepositio semper longa est, ut:

Tum vero in curas animum diducitur omnes[2].

Dis praepositio brevem syllabam habet, sed eam positione longam fieri oportet, ut:

Disiecitque rates[3];

et:

Discissos nudis laniabant[4];

non fere enim in vocalem cadit. *Con* et *In* praepositiones loquelares cum fuerint, ita ut per compositionem loquelis inhaereant, ambae unius naturae sunt. Hoc genere, si in *f* vel *s* litteras consonantes ceciderint, naturaliter producentur[5], ut:

Inferretque deos Latio[6];

et:

Insignem pietate[7].

Item:

Considunt tectis[8];

et:

Num vulnus acerbum
Conficit[9].

At si a caeteris consonantibus excipiuntur, positione longae[10] fient, nec produci in praepositione possunt sine vitio barbarismi. *In* vero[11], cum casualis fuerit, brevis est, si a vocali excipiatur.

2. Praepositiones accusativi casus. *Ad* praepositio semper brevis est, sive loquelis, sive casibus serviat, ut:

Eumenidum aspicies[12]*? ripamve iniussus*;

et:

Iuppiter omnipotens si nondum[13] *exosus ad unum.*

Apud praepositio duabus brevibus constat, ut:

Qualis apud gelidi cum flumina[14].

ultima sane positione longa fit. *Ante* naturaliter duabus brevibus constat, sed prior po- [1428] sitione longa fit, ut:

Ante sinistra cava monuisset[15].

Citra praepositio postremam longam habet. *Cis* praepositio brevem syllabam recipit. *Circa* postremam syllabam longam recipit, ut:

1) *Ut* ante versum deest in Cod. Locus est Virg. Aen. IV, 385. — 2) Virg. Aen. V, 720. ubi legitur *animus.* — 3) Virg. Aen. I, 43. — 4) Virg. Georg. III, 514. — 5) *Producentur* scribendum fuit e Cod. *producuntur* Asc. P. — 6) Virg. Aen. I, 10. — 7) *Virum* addit Asc. et P. *insignem p. item*, sic non perscripto medio voc. Cod. Notandum tamen in littera *p.* finiri versum. Cf. Virg. Aen. I, 14. — 8) Virg. Aen. X, 5. — 9) Virg. Aen. XI, 823. ubi est: *Nunc vulnus acerbum conficit.* Cod. et P.: *Num v. a. c.* Sed *nunc* recte legitur in Asc. — 10) *Longa* Cod. et Asc. Sed refertur ad vv. *litteras consonantes.* — 11) *In verbo cum* Cod. Asc. P. Scribendum esse *vero*, sponte apparet. — 12) *Aspicies* diserte Cod. Locus est Virg. Aen. VI, 375. — 13) *Iuppiter* Cod. Asc. P. *non*, pro *nondum*, exhibent Asc. P. Cod.: *si nondum exosus ad* (finitur versus) *apud.* Recte addunt *unum* Asc. P. Cf. Virg. Aen. V, 687. — 14) Virg. Aen. XII, 331. Cod.: *cum fl.*, sic non perscripto vocabulo; atque ita finitur versus. — 15) Virg. Ecl. IX, 15. — 16) Virg. Aen. VII, 535. — 17) *Eadem etiam*, hoc ordine Cod. Sed *etiam eadem* Asc. P. Est autem *eadem*, ut in seqq. saepe, i. q. *pariter*,

Corpora multa virum circa, seniorque[16].

Contra eadem etiam[17] ultima syllaba longa clauditur, ut:

Contra nulla est oleis cultura[18].

Erga praepositio superiori similis est. *Intra* eadem[19] quoque similis, ut:

Iamque intra iactum[20].

Hoc ergo nobis observandum est, ut omnes[21] praepositiones *a* littera finitas scias ultimas syllabas longas habere. *Inter* postremam brevem recipit, ut:

Inter odoratum lauri nemus[22].

Infra ultimam longam habet, ut supra memoravi. *Iuxta* eadem superiori congruit, ut:

Iuxtaque Creusam[23].

Ob brevis est, ut:

Ne quis ob inceptum[24].

Per eadem quoque brevis est, ut:

Atque per ambages[25].

Penes[26] duabus brevibus constat. *Prope* duas breves[27] habet. *Propter* ultima brevis est, ut:

Propter aquae rivum[28].

Super constat duabus brevibus, ut:

Aut super Idalium[29].

Subter ultima brevi finitur. *Praeter* trochaeo constat. *Pone* trochaeo constat, nam accentu solo ab adverbio[30] discernitur; quoniam interdum in adverbium cadit, ut:

Pone subit coniunx[31].

Secundum primam syllabam et novissimam breves[32] habet, ut:

Saltibus in vacuis pascunt, et plena secundum[33].

Ultra praepositio ultimam longam habet, ut dixi. *Usque* ultimam brevem recipit, ut:

Usque sub extremum brumae intractabilis imbrem[34].

SEGM. XII. *De Praepositionibus ablativi casus.*

1. *Ab* praepositio semper brevis est, ut:

Nec non et sterilis quae stirpibus exit ab imis[35].

A sive *E* praepositiones semper longae sunt, sive separatim, seu adhaerentes praepositioni[36] praeponantur; separatim, cum casibus serviunt, ut:

Hic tantum[37] *in tenebris conversum a lumine;*

et:

eadem ratione. Idem supra legimus. — 18) P.: *Contra non nulla est.* Sed *non* omittunt Cod. et Asc. Apud Virg. Georg. II, 420. legitur: *contra non ulla est.* — 19) *Eadem* Cod. et Asc. *eidem* P. De v. *eadem* vide quae paullo ante notavimus. — 20) *Iactum* dedi e Cod. et Asc. *tectum* P. Locus est Aen. XI, 608. ubi recte *iactum.* — 21) *Omnes* Cod. Asc. *omneis* P. — 22) Virg. Aen. VI, 658. — 23) Virg. Aen. II, 666. — 24) Virg. Aen. XII, 566. ubi legitur: *Neu quis.* — 25) Virg. Georg. II, 46. — 26) Male scriptum in Cod. *paenes.* — 27) *Breveis* P. — 28) Virg. Ecl. VIII, 87. — 29) Virg. Aen. I, 685. — 30) P. et Asc. *a verbo*, quod falsum esse, sequentia evincunt. Recte Cod.: *ab adverbio.* — 31) *Coniunx* Cod. Asc. P. Locus est Virg. Aen. II, 725. — 32) *Breveis* P. — 33) Virg. Georg. III, 143. ubi *pascant.* — 34) Virg. Georg. I, 211. Quae sequitur inscriptio, pariter est in Codice. — 35) Virg. Georg. II, 53. — 36) Omittit hoc v. P. recte haud dubie, sed exhibent Cod. et Asc. — 37) Ita Cod. et Asc. Sed P. *iuvenem.* Cf. Virg. Aen. VIII, 259. ubi: *Hic Cacum in tenebris.* —

At genus e silvis Cyclopum e montibus altis[1]. [1429]

A loquelis adhaerens, ut:

Amovet et fidum capiti subduxerat[2].

Absque postremam syllabam brevem habet, quemadmodum *usque*. *Coram* constat trochaeo, ut:

Coram quem quaeritis adsum[3].

Clam syllaba brevis est. *De* semper longa est, sive loquelaris, sive casualis sit; loquelaris:

Deducunt socii navis[4];

casualis, ut:

At subitae horrifico lapsu de montibus adsunt[5].

Ex praepositio brevis est per naturam, sed positione longa fit.

2. *Pro* praepositio cum casualis fuerit, semper producitur, ut:

Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto[6].

At cum loquelaris fuerit, varie ponitur; alibi enim longa, alibi brevis invenitur. Est operae pretium edocere, quando brevis debeat, quando longa constitui. Si hanc praecedentem syllabam secuta fuerit altera syllaba natura longa, necessario[7] prior corripitur, ut in Lucretio:

Omnia veridico qui quondam ex ore profudit[8].

At cum positione syllaba longa fuerit consecuta, frequenter producitur, in verbis sive participiis, ut:

Procurrunt Laurentum; hinc densi rursus inundant[9].

Alibi autem brevis, alibi longa est in nominibus; brevis est in hoc, ut:

Ni faciat, maria ac terras, coelumque profundum[10];

longa in hoc, ut:

Procursu rapido coniectis eminus hastis.

Haec autem syllaba[11] in ultimo verbo brevis ponitur. In his sane varietatibus quam maxime auctoritas quaerenda est. *Prae* sine dubio producta[12] est, quod diphthongum habeat. *Palam* constat duabus brevibus, ut:

Luce palam[13].

Sine duas breves[14] habet, ut:

Nam sine vi non ulla dabit responsa[15].

Tenus praepositio, quae ablativo et interdum genitivo casui pulchre coniungitur[16], ut est:

Crurum tenus[17],

duabus brevibus constat. *Sub* praepositio semper brevem syllabam habet, ut:

Hasta sub exsertam donec perlata papillam[18].

1) *E montibus* Cod. *et montibus* Asc. P. cum Virgilio. Cf. Aen. III, 675. Ceterum Cod. habet *ad genus*. — 2) Virg. Aen. VI, 524. ubi tamen editur *emovet*. — 3) Virg. Aen. I, 599. — 4) Virg. Aen. III, 71. *naveis* apud P. — 5) Virg. Aen. II, 225. — 6) Virg. Aen. VIII, 472. — 7) Recte P. h. l. interposuit vv. *natura longa*. Nam in Cod. et Asc. oratio sic procedit: *altera syllaba necessario*. Veram esse P. lectionem e seqq. patet, ubi *positione longa*. — 8) Lucret. de R. N. VI, 6. Cod. *verbidico*, sed corr. — 9) Virg. Aen. XII, 280. — 10) *Ut* additum e Codice et Asc. Deest in P. Locus est Virg. Aen. I, 58. — 11) Integer versus in Asc. et P. excidit, quem servavit Cod. *profundum. longa in ultimo verbo* P. *profundum. longa. In ultimo v.* Asc. Locus est Virg. Aen. XII, 711. — 12) Ita Cod. *Longa* Asc. P. — 13) Virg. Aen. IX, 153. — 14) *Brebes* Cod. *breves* Asc. *breveis* P. — 15) Virg. Georg. IV, 398. ubi editur *praecepta* pro v. *responsa*. — 16) *Coniungitur* est e Cod. *iungitur* Asc. P. — 17) Virg. Georg. III, 53. — 18) Virg. Aen. XI, 803. — 19) Haec inscriptio uno tenore in texta oratione scripta in Codice. — 20) Verba: *interdum enim — ostendunt* iam in Asc. recte parenthesis signa adiecta habent, quae in P. de-

Segm. XIII. *De Interiectione*[19].

1. Interiectiones, quae adfectum animi vario motu designant[20], (interdum enim gaudium, aliquando dolorem mentis ostendunt,) quoniam multae sunt, ex his paucas ostendam. [1430] Interiectio composita syllabis tribus, *Hahahae*[21], longas recipit, verum in comico carmine solo collocari potest, leni scilicet et humili, vel iucundo. In lyrico autem, quamvis et ipsum lene sit, quod nunquam[22] possit tumidioribus cothurnatisque verbis ornari, nunquam tamen haec interiectio aput Horatium repperitur[23], quanto magis ut heroico tragicoque carmini necessaria habeatur, fortia tumidaque verba quaerenti.

2. Item *Vah*, sive *Vaha*, ex brevi et longa constat, sed huius vis interiectionis superiori congruit. *Heu*, sive *Eheu*[24], interiectiones, productas syllabas habent, ut:

Heu quae nunc tellus inquit[25];

et:

Eheu quam pingui macer est[26].

Sed haec omni genere poetarum aptari potest; etiam liberae a numeris orationi, quam maxime historicae, ut Sallustius in bello Iugurthino: *Heu me miserum, Heu me infelicem*[27]. Item interiectio admirationis, *Papae*, duabus longis constat; prima per unam productam vocalem, postrema per diphthongum: sed et haec lenioribus apta videtur esse carminibus. Item hortationis interiectio, *Eia*[28], constat trochaeo, et quia Virgilius ultimam sciebat esse brevem, ubique ei vocalem subiecit, ut:

Eia age rumpe moras[29];

et:

Hostis adest eia, ingenti[30].

Potest tamen in necessitate pro longa poni. *Nefas*, cum fuerit interiectio, eandem naturam, quam habet in nomine, reservabit, constat autem ex brevi et longa, ut:

Bactra vehit sequiturque (nefas) Aegyptia coniunx[31].

Cum aliae vero interiectiones inciderint, auctoritatis fide poterunt reserari.

Segm. XIV. *De positionibus syllabarum*[32].

1. Positionis ratio decem modis comprehenditur in his syllabis[33], quae cum breves [1431] natura sint[34], tamen eas necessario fieri longas oportet. Saepe tamen invenitur positio in syllabis

siderantur, ubi post v. *ostendunt* plena distinctio legitur. Male. — 21) *Hahahae.* sic recte in Cod. *Hahahe* Asc. P. — 22) *Quod non possit* Asc. P. *q. nunquam p.* (sic) Cod. — 23) *Aput Horatium repperitur.* Ita Cod. Vulgarem scripturam exhibent Asc. P. — 24) Cod.: *heu sive est heu.* — 25) Virg. Aen. II, 69. — 26) Virg. Ecl. III, 100. ubi Iahnius nuper, e Codd. ut videtur, edidit: *heu heu.* Ceterum ultima duo versus verba in Cod. scribuntur: *ma e*, non additis, ut plerumque, punctis. — 27) Sallust. Iug. 14. ubi editur *eheu*; multi tamen Codd. *heu* exhibent. Verba: *Heu me infelicem* apud Sall. invenire non potui. — 28) Cod.: *interiectio· eia* (h supra scriptum); sic supra scripta littera *h.* Pariter *heia* bis legitur paullo post. — 29) Virg. Aen. IV, 569. — 30) Virg. Aen. IX, 38. In Cod. male *hostes* legitur. — 31) Virg. Aen. VIII, 688. In Cod. est: *vactra.* Tum *coniunx* Cod. Asc. P. — 32) Inscriptio in Cod. extra lineas. — 33) Vulgo: *in his enim syllabis.* Sustuli *enim* auctoritate Cod. coniunxique orationem, commate ante vv. *in his* sublato. — 34) *Sint* scripsi e Cod. qui exhibet *sunt* (i supra scriptum) (sic), ut videatur *sint* voluisse librarius. *Sunt* Asc. P. —

natura longis; sed si naturaliter producuntur, positionem superfluam habebunt. Illic enim est quaerenda positio, ubi longitudo naturae defecerit, ut, quod natum non fuerit, excludatur[1]. Nam quemadmodum vocales naturae deserviunt; ita positioni consonantes. Primus modus positionis est, si correpta vocalis desinat in consonantem, et excipiatur ab altera consonanti, ut:

Arma virumque ferens[2].

Desinit autem vocalis, cum in se, hoc est, in consonantem suae syllabae ceciderit. Excipitur, cum in consonantem consequentis syllabae transierit.

2. Secundus modus est, si correpta vocalis desinat in duas consonantes, ut:

Est in Carpathio Neptuni gurgite vates[3].

Tertius modus est, cum correpta vocalis excipiatur[4] a duabus consonantibus, ut:

Acrisioneis Danae fundasse colonis[5].

Quartus modus est, cum correpta vocalis desinit in duplicem litteram *x*, ut:

Nox erat[6].

Quintus modus est, cum excipitur[7] a duplici, ut:

Axem humero torquet.

Hanc rationem et in *z* observabis; sive enim dum in eam vocalis desinit[8], sive ab ea excipiatur; quoniam duplex est[9], facit positione longam. Et sane in hac est aliquid obscurum, quod in Latino[10] non est, quia illa diducunt[11], syllabae inhaereat[12]; haec autem ita duplicem efficit sonum, ut cui accommodata sit ignoretur, ut:

Mezenti ducis exuvias[13].

Ergo illi errare noscuntur qui hanc dupliciter scribunt.

3. Sextus modus est, cum correpta vocalis desinit in consonantem, et excipitur a vocali vice posita consonantis, ut:

Nec veni ni fata locum sedemque dedissent[14].

Septimus modus est, cum correpta vocalis desinit in unam consonantem, in qua pars orationis finitur, quemadmodum fert opinio multorum, ut:

Omnia vincit amor[15].

ut:

Muneribus tibi pampineo gravidus auctumno[16].

Octavus modus est, cum correpta vocalis finem verbo fecerit, ut: [1432]

1) Hoc est: *ut quod natura non effecerit, arte efficiatur.* Mira translatione usus est Grammaticus, sumpta a pullis, qui vivi non nascuntur, sed ex ovis excluduntur. — 2) Virg. Aen. XI, 747. Pro v. *ferens* unus P. exhibet *cano*, prave traductum ex Aen. I, 1. — 3) Virg. Georg. IV, 387. Ultima duo verba in Cod. scripta sunt: *g. v.* — 4) *Excipitur* Asc. P. Infra tamen aliquoties in simili structura indicativus etiam in Cod. — 5) Virg. Aen. VII, 410. Ultima versiculi vox in Cod. scripta est: *c. l.* — 6) Virg. Aen. III, 147. Idem ibid. VIII, 26. — 7) Cod.: *explicitur*, sed correctum. — 8) Ita Cod. *Dum* omittitur in Asc. P., fortasse recte. *desinat* exhibet P. — 9) Vv. *quoniam duplex est* in Asc. et P. sine caussa parenthesis signis includuntur. — 10) *In latina* exhibet P. *in latino* Asc. et Cod. quod dedimus, non quod pro vero habeamus, sed ut in hoc obscuro loco omnia ad fidem librorum exhiberentur. — 11) *Diducunt* Asc. Cod. *diiudicatur* P. unde haec profecta sit emendatio, qua nihil iuvatur sensus, non reperio. Ceterum pro v. *illa* Cod. *ila*, qui etiam *cui* omittit, quod Asc. et P. ante v. *syllabae* intrudunt. — 12) *Inhaereant* Asc. *inhaereat*, ut dedimus, Cod. P. Totus locus est corruptissimus, et fortasse plura exciderunt, vel saltem versus integer. Fortasse lucis aliquid affundatur, si similem e Pompeio locum apponimus. Pomp. Comm.

Horresco referens[17];

et:

Liminaque laurusque[18];

quae tamen syllabae communibus syllabis possunt inseri. Nonus modus est, cum vocalem brevem secuta fuerit *i* littera, vice posita consonantis, ut:

Harpyiaeque colunt[19];

non immerito fit positione longa *py* syllaba, nisi quia, ut supra diximus, *i* littera cum fuerit in medio vocalium, ita ut consonans sit, duplicem[20] sonum reddit.

4. Decimus modus est, si post vocalem subiecta sit consonanti vocalis, vel *u*, et correptam vocalem habeat consequentem, ut:

Parietibus textum caecis[21].

In hoc versu quoniam prima pars orationis correptam habet, hoc genere positionis primam syllabam longam efficimus; secundam namque[22] syllabam resecamus per medium, et praecedentem consonantem primae syllabae conglutinamus, vocalem autem ad tertiam revocamus, et loco consonantis defigimus. Hic sane modus positionis apud Virgilium non in[23] superiori exemplo tantum, sed in multis versibus invenitur, ut:

Arietat in portus[24];

et:

Transtra per et remos et pictas abiete puppes[25].

Item:

Genua labant, vastos quatit aeger anhelitus artus[26];

et:

Tenuis ubi argillae dumosis calculus arvis[27].

Segm. XV. *De communibus syllabis per naturam.*

1. Communes syllabae naturales duobus modis incurrunt; aut in singulis vocalibus, aut duabus coniunctis, quas Graeci diphthongos[28] vocant. Communis syllaba per singulam vocalem[29] sic intelligitur, si producta vocalis excipiatur a vocali correpta[30]. Est enim longa in hoc versu:

art. Don. pag. 33. *Sed hoc interest inter z et x, quod x nostra semper duplex et pro duabus consonantibus habetur; z non, sed aliquando pro duplici habetur, aliquando pro simplici.* cet. — 13) Virg. Aen. XI, 7. — 14) Virg. Aen. XI, 112. Cod. habet: *ni fata locum s. d. d. d. s. Septimus.* — 15) Cod. *vicit.* Asc. P. *vincit,* ut est apud Virg. Ecl. X, 69. — 16) Voc. *Muneribus* addidimus e Cod. Locus est Virg. Georg. II, 5. *Autumno* Asc. P. *auctumno* Cod. — 17) Virg. Aen. II, 204. — 18) Virg. Aen. III, 91. — 19) Cod.: *arpyiacq.* (sic) *colunt.* Locus est Virg. Aen. III, 212. — 20) *Duplicem.* Sic recte una Ascensiana. Cod. si recte enotavi ac nisi quid negligens fui, cum P. consentit *decimum* exhibentes, quod nihili. — 21) Virg. Aen. V, 589. — 22) *Namque.* Ita Cod. constanter. — 23) Praepositio *in* addita e Cod. et Asc. in P. deest. — 24) Virg. Aen. XI, 890. — 25) Virg. Aen. V, 663. — 26) Cod.: *aeger hanelitus.* Locus est Virg. Aen. V, 432. Adde Eundem ibid. XII, 905. — 27) Virg. Georg. II, 180. — 28) Sola Putschiana *διφθόγγους*, Graece scriptum. — 29) *Per singulas vocales* Asc. P. Singularem tuetur Cod. — 30) *A vocali correpta.* Sic Asc. P. Sic in Cod. legitur: *a vocali producta* (sic), ut videatur librarius scripsisse *producta,* correxisse autem *correpta*, emendatione subscripta (*correp*). Nullum tamen signum docet, utram vocem voluerit deletam.

Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae[1];

in isto autem brevis[2] eadem producta, ut:

Te Corydon o Alexi[3].

Communis syllaba per diphthongum sic intelligi potest, si geminae vocales a vocali excipiantur. Etenim in hoc longa est:

Ulla moram fecere, neque Aonie Aganippe[4].

In isto autem brevis est: [1433]

Insulae Ionio in magno[5].

Sed tamen contemplanda est poetae nostri diligentia. Superiore etenim versu recte longam posuit, quia consequens vocalis brevis est; in isto autem *lae* syllabam brevem posuit[6], quoniam eadem syllaba producta a longa vocali excipitur; ergo recte consequentis longitudo naturam prioris oppressit[7].

Segm. XVI. *De communibus syllabis positionum*[8].

1. Syllaba desinens in vocalem brevem, si excipiatur a duabus consonantibus, ita tamen, si praecessit[9] liquidam muta, communis[10] est. Namque longa in hoc:

Inmemores[11] *socii vasto Cyclopis in antro*[12];

haec eadem brevis est alibi:

Lustra domosque traho vastosque ab rupe Cyclopas[13].

Et in aliis nominibus deficit ratio positionis hoc ordine consonantium, ut:

Phoebe gravis Troiae[14].

At si liquida praevenerit mutam, obtinebit vim suam positio.

2. Possunt etiam videri communes eae syllabae, quae *c* littera terminantur, *hic*, vel *hoc*; quarum de natura disputatum est. Hae enim syllabae apud Virgilium et longae et breves ponuntur; si a vocali excipiantur, longae sunt in his[15]:

Pro Iuppiter ibit
Hic, ait[16];

et:

Hoc illud germana fuit[17];

alibi autem breves[18]:

Hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis[19].

Haec tamen ratio in pronominibus tantum, non etiam in coniunctionibus invenitur. Nam *nec*,

1) Virg. Georg. I, 437. — 2) *Brevis* sic Asc. *breveis* P. *breves* Cod. Quod sequitur *producta* e Cod. est; *productae* Asc. P. Sensus obscurus est. Hoc voluisse videtur Grammaticus. Communis syllaba longa manet in hoc versu: *Glaūcō ēt* cet. Eadem producta brevis fit in hoc versu: *Te Corydon ŏ Alexi.* — 3) Virg. Ecl. II, 65. — 4) Virg. Ecl. X, 12. *Aoniae Aganippae* Asc. *Aoniae Aganippe* P. Ceterum Cod. corrupte: *Ullam moram;* media *m* duplicata. — 5) Virg. Aen. III, 211. — 6) Quod dedimus, Asc. et Cod. exhibent *Superiore etenim versu recte longam posuit, quoniam eadem* cet. P., unde intelligitur, apud P. duos versus excidisse integros. — 7) *Oppraessit* Cod., sed puncto notata litt. *a.* — 8) Inscriptio continuo versu cum reliquis scripta in Cod. — 9) *Ita tamen si praecessit.* Sic Cod. et Asc. *ita tamen ut praecedat* P. — 10) Voc. *communis* omissum in Cod. exhibetur recte ab Asc. et P. — 11) *Namque — inmemores* Cod. — 12) Virg. Aen. III, 617. Adde Eundem ibid. VIII, 424. — 13) Virg. Aen. III, 647. — 14) Virg. Aen. IV, 56. *Gravis* Cod. Asc. *graveis* P. — 15) *In his versibus* Asc. P. — 16) Virg. Aen. IV, 590. *Pro* et *Iuppiter* hac scriptura Cod. Asc. P. — 17) Virg. Aen. IV, 675. — 18) *Alibi autem brevis, ut*

coniunctio, communis esse non poterit, quia in pronomine solo c littera reddit duplicem sonum, in coniunctione simplicem; merito ergo brevis est. Scire autem oportet[20], pronomen *hic* apud Virgilium duobus tantum locis pro brevi esse positum; nam ubique longa syllaba[21] est non solum apud Virgilium, sed etiam apud alios.

SEGM. XVII. *De productione vel correptione syllabarum*[22].

1. Sunt aliquae syllabae apud Virgilium, quae necessitate metrica, cum vitio barbarismi, qui apud poetas metaplasmus[23] appellatur, contra rationem corripiuntur[24]. Sunt aliquae, [1434] quae cum breves sint[25], necessario producuntur. Corripiuntur in his:

Matri longa decem tulerunt fastidia menses[26].

Item:

Illius arma[27];

et:

Ipsius ante oculos[28].

Mediam syllabam pronominum, cum sit longa, corripuit. Item:

Obstipui steteruntque comae[29];

te[30] syllabam longam in verbo corripuit. Item:

Egerimus, nosti, et nimium meminisse necesse est[31];

ri syllabam longam corripuit[32]. Item:

Urbemque Fidenam[33];

fi syllaba, cum sit longa, hoc loco brevis est. Item:

Cum subito adsurgens fluctu nimbosus Orion[34].

O syllabam corripuit, quae alibi longa est, ut:

Armatumque auro circumspicit Oriona[35].

2. Deinde[36] de brevibus dicam, quae pro longis sunt positae.

Italiam fato profugus[37];

primam syllabam, cum sit brevis, longam posuit, quamvis caput pedis faciat; alibi enim brevis est, ut:

Antiqua e cedro, Italusque paterque Sabinus[38].

Item:

Excrcet Diana choros[39];

di syllabam produxit, quia longa est; nam alibi eam brevem posuit, ut:

Asc. P. *breves* recte Cod. qui idem *ut* om. — 19) Virg. Aen. VI, 792. Cod. *audes*, sed corr. — 20) *Oportet quod* male in Cod. quum etiam ibi sequatur infinitivus. *Quod* recte om. in Asc. P. — 21) *Longa syllaba est* Cod. Asc. Voc. *syllaba* om. P. — 22) Inscriptio in versu continuo scripta Cod. — 23) *Barbarismi — metaplasmus.* Ita Cod. Asc. *βαρβαρισμοῦ — μεταπλασμὸς* P. — 24) Cod. *corripiantur*, sed corr. — 25) Cod. *sunt*, sed corr. — 26) Virg. Ecl. IV, 61. — 27) Virg. Aen. I, 16. — 28) Virg. Aen. I, 114. — 29) Virg. Aen. II, 774. III, 48. *Obstipui* Cod. *obstupui* Asc. P. — 30) *Ste syllabam* male P. *te syll.* recte Cod. Asc. — 31) Virg. Aen. VI, 514. — 32) Nam syllaba *ri* in praeterito pf. coni. producta etiam reperitur, quae productio h. l. pro regula ponitur a Grammatico. Cf. Grotef. Gr. L. mai. tom. II. §. 29. a. — 33) Virg. Aen. VI, 773. — 34) Virg. Aen. I, 535. *Adsurgens* Cod. *assurgens* Asc. P. — 35) Virg. Aen. III, 517. — 36) *Deinde de brevibus* Cod. *Dein de br.* Asc. P. — 37) Virg. Aen. I, 2. — 38) Virg. Aen. VII, 178. *Antiqua cedro* Asc. P. *Antiquaecaedro* (sic) Cod. — 39) Virg. Aen. I, 499.

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae[1].

Etiam positione longas de brevibus facit, ut:

Relliquias Troiae[2];

et:

Relligione sacrae[3];

l, litteram consonantem, contra rationem geminavit. Ideo haec intelligenda esse arbitror, ut caveri possint. Virgilius enim propter operis magnitudinem et auctoritatem sui, qua multum valet, non sine necessitate metrica naturam syllabarum convertit diverso genere.

3. Sunt praeterea syllabae, quae in una specie positae, cum intellectu mutantur, ita ut nunc produci nunc corripi possint, ut est *sinus*. *Sinum* enim, cum pro gremio[4] vel recessu positum intellexerimus, prima syllaba brevis erit, ut:

Hinc sinus Herculei[5];

et:

Ipse sinu prae se portat[6];

cum pro vase *sinum* intellexerimus dictum, primam syllabam producamus, ut:

Sinum lactis, et haec te liba Priape[7].

Item, *malum* pro pomo et arbore mali et *malas* pro genis cum[8] accipimus, prima syl- [1435]
laba longa erit, ut:

Malo me Galatea petit lasciva puella[9];

et:

Adversique infigitur arbore mali[10];

et:

Tu quoque flaventem prima lanugine malas[11]:

at si pro pernicie vel labore dictum fuerit, brevis erit, ut:

Quae prima malorum
Causa fuit[12];

et:

Adsuetumque malo Ligurem[13].

Alia, cum intellexerimus[14] nomen esse, primam syllabam longam esse existimamus, ut:

Alia serpyllumque herbas contundit olentes[15];

cum vero pronomen est, brevis erit, ut:

Perque nives alium perque horrida castra secuta est[16].

Vobis[17] pronomen a nomine et scriptura et accentu discernitur.

1) Virg. Aen. IV, 511. Paullo ante vulgo: *alibi cam*, omisso *nam*, quod e Cod. addidi. — 2) Virg. Aen. VII, 244. Ibi tamen legitur: *Relliquias Troia ex ardente receptas.* Ceterum Cod. *reliquias*, *l* simplice. — 3) Virg. Aen. VII, 608. Cod. *religione*, *l* littera non geminata. — 4) Cod. *gemino*, sed corr. — 5) Virg. Aen. III, 551. — 6) Virg. Aen. XI, 541. ubi tamen legitur *portans.* — 7) Virg. Ecl. VII, 33. Dedi Codicis scripturam. *Sinum lactis et haec tibi liba, Priape, quotannis* Asc. P. Ceterum in supp. Cod. *producemus*, sed corr. — 8) Ita e Codice dedi. Vulgo: *Item cum Malum pro pomo — genis accipimus.* Ceterum in Codice vitiose: *pro pomo et arboris malo.* — 9) Virg. Ecl. III, 64. — 10) Virg. Aen. V, 504. *Adversique* Cod. *Adversaeque* P. *Adversaque* Asc. — 11) Virg. Aen. X, 324. *Flaventes* P. *Flaventem* Cod. Asc. — 12) Virg. Aen. VII, 482. ubi tamen nunc editur: *quae prima laborum Caussa fuit.* Fortasse in mente habuit Gramm. locum Virg. Aen. IV, 170: *Ille dies primus leti primusque malorum Caussa fuit.* —

4. Item *Notus*, cum pro cognito ponitur, ut sit participium, primam syllabam longam habebit, ut:

Nota tibi[18];

at cum pro vento intelligitur, brevis erit, ut:

Tendunt vela Noti[19].

Item *plaga*, cum pro verbere[20] posita fuerit, primam syllabam longam habebit, ut:

Dant animos plagae[21];

cum vero pro zona coeli, id est circulo, brevem, ut:

Et si quem extenta plagarum[22].

Item *arbos* in omnibus casibus *bo* syllabam brevem habet, et per *b* litteram scribitur, ut:

Arboris aut ullae[23];

et:

Adversique infigitur arbore[24];

et:

Arboribus positis[25];

si autem ab *arvo* feceris genitivum, pluralis *vo* syllaba longa erit, et per *v* litteram scribenda est, ut:

Hactenus arvorum cultus[26].

5. Sunt alia nomina, quae in uno intellectu per casus syllabae naturam vertunt, ut, *propago;* in nominativo prima syllaba brevis est, ut:

Esse sinent; nimium vobis Romana propago[27].

At in ablativo longa est, ut:

Melius propagine vites
Respondent[28].

6. In verbis quoque similiter eadem syllaba, cum tempore immutatur, ut est *moveo*, tempore praesenti et futuro prima syllaba corripitur, ut:

Hinc movet Euphrates[29];

et:

Longius et volvens fatorum arcana movebo[30];

tempore praeterito producitur, ut:

Venit amor, subitaque animum dulcedine movit[31].

In participiis quoque praesens tempus brevem habet, ut:

Bella movens immittit equos[32].

Praeteritum tempus longam habet, quemadmodum nomen, unde oritur, ut: [1436]

13) Virg. Georg. II, 168. — 14) Miro consensu Cod. et Asc. *intellegerimus.* — 15) Virg. Ecl. II, 11. *Alia* Cod. Asc. P. idque voluisse Gramm. abunde patet. *Serpillumque* Asc. P. — 16) Virg. Ecl. X, 23. — 17) *Vobis* a *bovis* discerni voluit. In seqq. Codex: *a nomine est et scribtura.* — 18) Virg. Aen. I, 669. — 19) Virg. Aen. III, 268. — 20) Cod. vitiose: *pro verbero.* — 21) Virg. Aen. VII, 383. Codex exhibet: *Dant animos plagae at cum vero.* Ex superioribus *at* additum. — 22) Virg. Aen. VII, 226. — 23) Virg. Georg. II, 124. ubi tamen legitur et legendum est: *Arboris haud ullae.* In scriptura *aut* pro *haud* consentiunt Cod. Asc. P. — 24) Virg. Aen. V, 504. *Adversaeque* P. *adversique* Cod. Asc. *Mali* in fine versus addunt Asc. P., omittit Cod. — 25) Virg. Georg. II, 278. In seqq. sic est in Codice: *si autem ab arbore* (sic) *feceris genetivum pl vo.* — 26) Virg. Georg. II, 1. — 27) Virg. Aen. VI, 470. — 28) Virg. Georg. II, 63. — 29) Virg. Georg. I, 509. — 30) Virg. Aen. I, 262. — 31) Virg. Aen. XI, 538. — 32) Virg. Aen. XII, 333.

Stagna refusa vadis, graviter commotus[1];

et:

Hi motus animorum[2].

Futuri vero temporis participium a verbo dissentit, nam longam recipit, ut Lucanus:

Tentandasque ratus moturi militis iras[3].

Item *fugio* tale est; primam enim syllabam praesenti tempore et futuro corripit, ut:

Quo fugis Aenea[4]*?*

et:

Vox quoque Moerim
Iam fugit ipsa[5];

praeterito producit, ut:

Qualis ubi abruptis fugit praesepia vinclis[6];

et:

Subitoque omnis de corpore fugit[7].

In utroque[8] tempore participiorum, ut in nomine, semper brevis est, ut:

Dimitte fugam[9];

et:

Ille simul fugiens[10].

In omnibus ergo modis et temporibus haec diversa syllabarum natura servanda est. Item verbum *video* syllabam primam tempore praesenti ubique corripit, ut:

Sed si quis quae multa vides[11];

et:

Post aliquot, mea regna, videns[12];

praeterito perfecto et plusquamperfecto producit, ut:

Vidit ab adverso venientis[13];

et Lucanus:

Viderat inmensam tenebroso[14];

tempore futuro brevis est modis omnibus, ut:

Laurentisne iterum muros, aut castra videbo[15]*?*

Infinito modo tempore praesenti et participio eius temporis prima corripitur, ut:

Iuvat arva videre[16];

et:

Cui vates horrere videns[17].

Tempore praeterito infiniti modi producitur, ut:

Nec vidisse semel[18];

1) Virg. Aen. I, 126. — 2) Virg. Georg. IV, 86. — 3) Lucan. Phars. II, 529. Ceterum Cod.: *temptandasque rates.* Asc.: *tentandasque rates.* Vitium ortum, quod putabant librarii, proximum nomen, non remotius, ad participium *tentandas* struendum esse. *Moturi*, non *morituri*, ut quidam Codd. apud Lucanum exhibent, Cod. Asc. P. — 4) Virg. Aen. X, 649. — 5) Virg. Ecl. IX, 53. In Cod.: *mox fuit*, sed corr. Tum *Moerim*, non *Moerin*, Cod. Asc. P. — 6) Virg. Aen. XI, 492. Cod. *adruptis.* — 7) Virg. Aen. XII, 421. — 8) *In utroque et tempore* solus P. — 9) Virg. Aen. XI, 706. — 10) Virg. Aen. XII, 758. — 11) Virg. Aen. IX, 210. — 12) Virg. Ecl. I, 69. Cod. vitiose: *aliquod me regna.* — 13) Virg. Aen. XII, 446. *Venientis* Cod. Asc. P. — 14) Lucan. Phars. II, 79. *Tenebroso* additur e Cod. qui *ten* in fine versus more suo exhibet. Ignorant hoc voc. Asc. P. Ceterum *inmensam*, non *immensum*, ut Codices Lucani habent,

futuro tempore, sive infiniti modi sive participiorum producitur, ut:

Si visurus eum vivo[19];

et:

Casus abies visura marinos[20].

7. Item participium *nitens*, si a neutrali verbo venerit, quod est *niteo*, primam syllabam corripit, ut:

Altera candenti perfecta nitens elephanto[21].

Si a passivo verbo venerit, quod est *nitor*, quemadmodum in verbo, producit; ut:

Impressoque genu nitens terrae[22].

Passiva ergo significatione in verbis et in participiis omnibus eadem syllaba semper producitur, in nominibus quoque propriis et appellativis eadem est appellatio, ut:

Stat gravis Entellus nisuque immotus eodem[23];

proprio, ut:

Nisus ait[24].

Item verbum *venio*, tempore praesenti et futuro syllabam[25] primam corripit, ut:

Pelagine venis erroribus actus[26]; [1437]

et:

Iam venit aestas
Torrida[27];

et:

Et terram Hesperiam venies[28].

Tempore praeterito imperfecto in omnibus verbis eadem illa syllaba, ut in praesenti fuerit, invenitur, ut:

Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras[29].

Praeterito perfecto et plusquamperfecto producitur, ut:

Venisti tandem[30];

et:

Venerat antiquis[31].

Item verbum *cogo* superioribus verbis diversum est; nam tempore praesenti et futuro primam syllabam producit, ut:

Cogit hiems[32];

et:

Cogitur, inque sinus[33].

Praeterito autem tempore eandem corripit, ut Lucanus:

manifeste legitur. — 15) Virg. Aen. X, 671. ubi editur *Laurent e sne.* — 16) Virg. Georg. II, 438. — 17) Virg. Aen. VI, 419. — 18) Virg. Aen. VI, 487. Cod. pro v. *semel* exhibet *sem.*, ut solet. — 19) Virg. Aen. VIII, 576. — 20) Virg. Georg. II, 68. — 21) Virg. Aen. VI, 895. Cod. vitiose: *perfect o.* — 22) Virg. Aen. XII, 303. — 23) Virg. Aen. V, 437. *Immotus* h. l. in Cod. qui alibi *inm-* exhibere in talibus solet. — 24) Virg. Aen. IX, 184. — 25) *Primam syllabam* Asc. P. — 26) Virg. Aen. VI, 532. — 27) Virg. Ecl. VII, 48. Codex habet: *acstas* *horrida*, sic corr. — 28) *Ad terram Hesp.* P. *Ad* abest a Cod. et Asc. Nimirum *Et* bis scribendum erat: *et: Et terram Hesp.* Locus est Virg. Aen. II, 781. — 29) Virg. Georg. IV, 486. — 30) Virg. Aen. VI, 687. — 31) Virg. Aen. X, 719. — 32) Virg. Georg. IV, 36. — 33) Virg. Georg. IV, 420. —

Ad mortem Sylla felicior ire coegit[1];

et:

Cornuque coacto[2].

Harum sane varietatum rationes, exempla, quoniam legenti atque disceptanti[3] occurrere facilius possunt, pauca de multis ostendimus. Illud sane nobis est plenius[4] observandum, ut orthographia[5] nunquam nostros oculos sensusque deludat.

Segm. XVIII. *De Metaplasmis.*

1. Quamvis supra dixerim esse poetis[6] licentiam, metaplasmorum rationibus naturas sive litteras invertere syllabarum; tamen superfluum esse non iudico, specialiter[7] de ipsis metaplasmis, qui necessarii huic arti valde sunt, disputare, sine quibus exitus faciles, cum in artem venerint poemata[8], inveniri non possunt.

2. Prosthesis est metaplasmus, verbi principio adiciens[9] litteram syllabamve. Litteram, ut:

Gnatique patrisque[10].

Si enim *n* litteram consonantem brevis syllaba praecedat verbi superioris, quae vocali correpta terminetur, accedente *g* littera, positione poterit longa fieri, licet mutam liquida consequatur, quae semper communem syllabam facit, ut si facias:

Rura gnate colis[11].

Aliquando syllabam adicit, non tam sensus causa quam metri, ut:

Cornuque recurvo[12];

et:

Aut altis referens[13]; [1438]

et:

Nunquam tetulissem pedem[14].

3. Parenthesis est, quando inseritur medietati syllaba[15] litterave. Littera, ut:

Hac casti maneant in relligione nepotes[16].

Syllaba, ut Lucretius:

Indugredi sceleris; quod contra saepius illa[17].

Indugredi enim dixit, pro *ingredi*. Interdum diducta syllaba immissae litterae syllabam adiciunt, ut:

Mavortis in antrum[18];

et:

Navita tum stellis[19].

4. Prosparalepsis[20] est, cum ultimae syllabae superflua syllaba adicitur, ut:

Magicas invitam accingier artis[21].

1) Lucan. Phars. II, 582. ubi tamen legitur: *ire coegi.* — 2) Lucan. Phars. I, 537. — 3) *Disceptanti* Cod. *discenti* Asc. P. — 4) *Plenius est* P. Asc. — 5) Graece scriptum in P. *Nunquam* h. l. Cod. — 6) *Dixerimus poetis esse* P. *diximus poetis esse* Asc. — 7) *Specialiter* addidi e Cod. Deest in Asc. et P. — 8) *In artem — poeticam* Asc. P. Sed Cod. ita: *poeticam* (mata superscr.) quae emendatio certissima. — 9) *Adicies* Cod. *adiiciens* Asc. P. Verba a *iaciendo* composita fere semper una *i* in nostro Cod. scripta. — 10) Virg. Aen. VI, 116. — 11) In Cod. est: *rure* (a superscr.) *gnate colis.* — 12) Virg. Aen. VII, 513. — 13) Virg. Aen. X, 766. ubi editur: *Aut, summis ref.* — 14) Terent. Andr. IV, 5, 13. ubi legitur: *numquam huc tet. pedem.* Ceterum *tetulissem* Cod. Asc. P. — 15) Cod. vitiose: *mediaetati syllabae.* — 16) Virg. Aen. III, 409. Cod.: *acasti* (h superscr.) et *religione.* — 17) Lucret. de R. N. I, 83. Ceterum Cod. vitiose: *indugressi.* — 18) Virg. Aen. VIII, 630. ubi editur: *in*

5. Aphaeresis est metaplasmus cum principio verbi syllaba subtrahitur, ut:

Et non temnere divos[22];

pro contemnere. Et in nominibus invenitur, ut Plautus dixit a Praenestinis *coneas*, pro *ciconeas*[23] appellari.

6. Syncope est, medio syllabam subtrahens verbo, ut:

Extinxti[24];

et:

Vixet cui vitam deus[25].

7. Apocope est, interdum aliquid ultimae parti auferens, ut:

Nanque suam do[26];

hoc est, *suam domum:* ut Lucretius in primo:

Nam fierent iuvenes subito ex infantibu' parvis[27];

sic enim versus scandi potest. Aliquando imminuens, ut Virgilius:

Aspice num mage[28];

mage pro *magis.*

8. Ectasis est, cum per licentiam brevis producitur, ut:

Exercet Diana choros[29].

9. Systole est e contrario, quando syllaba longa corripitur, ut:

Aquosus Orion[30].

Cum prima produci debeat, corripitur.

10. Diaeresis est, sive Diazeuxis, cum in duas syllabas una diducitur, ut:

Dives pictai vestis et auri[31].

Quam declinationem Virgilius quatuor locis tantum posuit in Aeneidis:

Aulai medio[32];

et:

Atque aurai simplicis ignem[33];

et:

Furit intus aquai ;

et:

Dives pictai vestis et auri[35].

11. Episynaloephe est una syllaba ex duabus facta, ut:

antro. — 19) Virg. Georg. I, 137. Putsch. vitiose: *dum.* — 20) *Prosparalempsis* Cod. Asc. — 21) *Artis* Cod. *artes* Asc. P. Locus est Virg. Aen. IV, 493. — 22) Virg. Aen. VI, 620. — 23) *Coneas* — *ciconeas*, ut dedimus, Cod. *Coneas* — *ciconias* Asc. *conias* — *ciconias* P. Locus apud Plaut. est Trucul. III, 2, 23. *Ut Praenestinis coniast ciconia.* — 24) Virg. Aen. IV, 682. *Exstinxti me teque, soror.* — 25) Virg. Aen. XI, 118. — 26) Cf. Enn. Fragm. ed. Hessel. pag. 146. Cf. etiam Sosip. Charis. lib. IV, in doctrina de metaplasmo, ubi *Endo suam do* legitur. — 27) Lucret. de R. N. I, 187. Idem in simili re exemplum citant Diom. et Pomp. pag. 30. — 28) Virg. Aen. X, 481. — 29) Virg. Aen. I, 499. — 30) Virg. Aen. IV, 52. — 31) Virg. Aen. IX, 26. Ceterum de toto hoc loco conf. Pomp. pag. 449. — 32) *Aulai in medio* P. Asc. *in* om. Cod. Idem Cod. et Asc. exhibent *in Aeneidis*, quod dedi. *In Aeneide* P. — 33) Virg. Aen. VI, 747. Ceterum *et* quod duo haec exempla, hoc et superius intercedit, in Cod. desideratur. — 34) Virg. Aen. VII, 464. — 35) Virg. Aen. IX, 26. —

Fixerit aeripedem[1];

pro *aëripedem;* tetrasyllabon ex pentasyllabo fecit.

12. Synaloephe est, cum inter duo verba in concursu duarum vocalium, nulla [1439] intercedente consonante, unius fit vocalis elisio, ut:

Atque ea diversa penitus[2].

Fiunt autem synaloephae his modis. Interdum enim brevis in brevem cadit[3]:

Obsedere alii telis angusta viarum[4].

Interdum brevis in longam, ut:

Taenarias etiam fauces alta ostia Ditis[5].

Interdum longa in brevem, ut:

Oppositasque evicit gurgite moles[6].

Interdum diphthongus[7] in simplicem longam, ut:

Dardanidae e muris[8].

Aliquando brevis in diphthongum, ut:

Arva neque Ausoniae semper[9].

Interdum diphthongus in diphthongum. Operae pretium[10] est scire dactylicum versum synaloephas ubique posse recipere. Interdum sane vocales in[11] se concurrentes synaloepham [1440] fieri vetant, et, si versus impleri nequiverit, nulla eliditur, ut:

Et sucus pecori, et lac subducitur agnis[12].

13. Ecthlipsis[13] est, cum inter se aspere concurrentium syllabarum, intercedente sola *m* littera consonante, et vocalem et consonantem, quam diximus, elidi necesse est, ut:

Multum ille et terris[14]*;* etc.

Antithesis est litterae pro littera immutatio, ut:

Impete nunc vasto, ceu concitus imbribus amnis[15].

Metathesis est litterarum ordo immutatus, ut:

Nam tibi Tymbre caput Euandrius abstulit ensis[16].

1) Virg. Aen. VI, 803. Constans est Grammaticorum opinio, voc. hoc *aeripedem* ex *aëripedem* contractum esse. Cf. supra Donat. III, segm. IV, 2. Pompei. pag. 449. aliique multi. Sed vide Heynium ad hunc Virg. loc. — 2) Virg. Aen. IX, 1. — 3) Cod.: *in vrevem* (cad) *habet;* sic corr. — 4) Virg. Aen. II, 332. — 5) Virg. Georg. IV, 467. — 6) Virg. Aen. II, 497. — 7) Graece scriptum apud P. — 8) Virg. Aen. X, 263. — 9) Virg. Aen. III, 496. — 10) Cod. corrupte: *opere praecium. Pretium* an *precium*, *spatium* an *spacium* scribendum sit, hodie non dubitatur, licet diversa eorum sit ratio. *Pretium* a *pres*, *pretis*, unde *interpres*; *spacium* cognatum cum v. *specere*, unde *conspicere* et *species*. — 11) *In se concurrentes* scripsi e Cod. *inter se conc.* Asc. P. quod mihi correctoris esse videbatur. — 12) Virg. Ecl. III, 6. *Sucus* una littera *c* scribitur in Cod. — 13) Cod. *eclipsis.* Asc. *ectlipsis.* — 14) Virg. Aen. I, 3. Cod. exhibet: *multum ille* (et) *in terris;* sic corr. — 15) Ovid. Metam. III, 79. — 16) Virg. Aen. X, 394. Cod. *tymbrae.* —

PROBI INSTITUTIONUM GRAMMATICARUM

LIBER SECUNDUS.

De Catholicis Probi[1].

Segm. I.

1. Quoniam[2] instituta artium sufficienter tractavimus, nunc de catholicis nominum [1439]
verborumque rationibus doceamus. Quidam sic esse nominum declinationes[3] numero quinque voluerunt, sicut verborum coniugationes tres, et omnem[4] declinationem ex genitivo casu numeri singularis posse cognosci. Et primae quidem declinationis genitivum singularem *ae* diphthongo terminant, generis masculini et feminini, ut hic poeta huius poetae, haec Musa huius Musae. Nam prima declinatio neutrum nomen non habet, id est, *ae* diphthongo genitivus singularis[5] terminatus generis neutri non invenitur; exceptis quibusdam generis omnis, *hic* et *haec* et *hoc* *verna; hic* et *haec* et *hoc advena*[6]. Dicimus enim *verna puer*, *verna puella*, *verna man-* [1440]
cipium. Lectum est et unum hac declinatione nomen generis neutri apud Sallustium: *Et dextrum flumen Thuria*[7]*;* huius Thuriae. Nam *e* sola, sive correpta, sive producta, nullius generis casus genitivus reperitur terminatus, nisi antique[8], ut Virgilius:

Libra die somnique pares ubi fecerit horas[9].

Et Sallustius: *Dubitavit aciе pars*[10].

2. Secundae declinationis genitivus singularis *i* littera terminatur in omni genere, ut *hic Plautus*, *huius Plauti; haec fraxinus*, *huius fraxini; hoc bellum*, *huius belli.*

1) *DE CATHOLICIS PROBI.* Ita hic liber in Codice inscriptus est. Ascens. finit superiora his verbis: *Finis Artium Probi;* et sequentia ita habet inscripta: *PROBI GRAMMATICI CATHOLICA.* Apud P. est: *M. Valerii Probi Grammaticarum institutionum Liber II. qui est de Catholicis nominum et verborum*; quorum omnium nihil in Cod. — 2) *Quoniam instituta artium.* Sic recte et ex regula scriptum in Cod. et Asc. a quo ordine cur recesserit P. non intelligo. — 3) *Sic esse nominum decl.* Ordinem e Codice adoptavi. — 4) *Omnem decl.* Ita Cod. *omnium decl.* Asc. P. — 5) Cod.: *sing.* (sic) *genitivi*; male. — 6) Quae h. l. apud P. et Asc. sequuntur: *huius vernae et huius advenae*, non leguntur in Cod. et Asc. — 7) Idem Sallustii locus citatur a Prisc. V, 2, 6. et VI, 3, 12. et a Vibio Sequestre v. *Turia.* Apud Prisc. tamen legitur *Turiam.* — 8) Cod. *antiquae*, ut paullo post *aciae.* — 9) Virg. Georg. I, 208. — 10) Locus Sallustii legitur etiam apud Serv. ad Georg. I, 208. et apud Prisc. VII, 19. —

3. Tertiae declinationis genitivus singularis *is* syllaba terminatur in omni genere: *hic orator*, *huius oratoris; haec virgo*, *huius virginis; hoc carmen*, *huius carminis.* [1441]

4. Quarta declinatio genitivum singularem *us* syllaba terminat in genere masculino et feminino, ut *hic fluctus*, *huius fluctus; haec manus*, *huius manus.* Nam generis neutri genitivus singularis quartae declinationis *u* producto[1] terminatur, ut *hoc cornu*, *huius cornu.* Quoniam genitivus singularis *us* syllaba terminatus in genere neutro numquam reperitur.

4. Quintae declinationis genitivus singularis *ei* separatis terminatur, et regit genus tantummodo femininum, ut *haec species*, *huius speciei;* excepto uno communi, duum[2] generum, masculini et feminini: *hic* et *haec dies*, *huius diei.* *E* autem, quae ante *i* est in genitivo, et producitur, et corripitur: tunc producitur[3], cum nominativus singularis *es* pura producta syllaba terminatur, ut *haec series*, *huius seriei;* tunc corripitur, cum *es* syllaba habet ante se aliquam consonantem pariter copulatam, ut *fides*, *fidei; res*, *rei; spes*, *spei.*

5. Prima declinatio dativum singularem similem genitivo faciat necesse est, *ae* diphthongo terminatum: *huic poetae*, *huic Musae*[4]. Accusativum *am*[5]*: hunc poetam*, *hanc Musam.* Vocativum *a: o poeta*, *o Musa*[6]. Ablativum *a*, sed producto, *ab hoc poeta*, *ab hac fortuna*[7]. Nominativum et vocativum pluralem *ae* diphthongo: *hi*, *o poetae*[8]. Genitivum *rum*, *horum poetarum.* Dativum et ablativum[9]: *his* et *ab his poetis.* Accusativum[10] *hos poetas.*

6. Secunda declinatio dativum et ablativum singularem o terminat in omni[11] genere: *huic* et *ab hoc grammatico*, *huic* et *ab hac fraxino*, *huic* et *ab hoc regno.* Accusativum *um: hunc*[12] *grammaticum*, *hanc fraxinum*, *hoc regnum.* Vocativum, generis quidem masculini, aut *e* correpta, aut *i*, vel similem nominativo[13], ut *o magne*, *o Salusti*[14], o *puer.* Invenies antiquitus et *us* syllaba terminatum vocativum singularem secundae declinationis, ut Virgilius: [1442]

Corniger Hesperidum fluvius[15];

pro *fluvie.* Feminini generis secundae declinationis vocativus singularis semper *e* correpto terminatur, ut[16] o *fraxine;* neutri *um*, ut *o regnum.* Nominativum et vocativum pluralem generis masculini et feminini *i* facit secunda declinatio[17]: *hi* et *o magistri*, et *o fraxini*[18]. Neutri *a*, *haec* et o *regna.* Genitivum in omni genere *rum: harum fraxinorum*[19]. Dativum et ablativum *is* in omni genere: *his* et *ab his magistris*, *fraxinis*, *regnis.* Accusativum generis masculini et feminini[20] *os: hos grammaticos*, *fraxinos;* neutri vero *a: haec regna.*

7. Tertiae declinationis dativus singularis in omni genere *i* finitur: *huic sacerdoti*, *huic carmini.* Accusativus generis quidem masculini et feminini *em: hunc* et *hanc sacerdotem.* Neu-

1) *U producta* Cod. sed supra scr. o, ut sit *producto* quemadmodum infra saepius. *Producta* Asc. P. — 2) Cod.: *con muni duum gen.* Asc.: *cōi duum gen.* P.: *communi duorum gen.* — 3) Vv. *et corripitur tunc producitur* supra ascripta sunt in Cod. ab eadem manu. — 4) Vv. *huic musae* supra versum scripta ab ead. m. — 5) *Accusativum in am* Asc. P. Sed Cod. *accusativum h am*, deleta *h* littera, unde alii *in* fecerunt. — 6) Vv. *o Musa* desunt in Cod. — 7) Haec ita exhibet Cod.: *ablativum ā ab hoc poeta sed producto. ab hac fortuna.* — 8) *Hi*, *o poetae.* Sic Cod. a prima manu. Ab altera post v. *hi* supra scr. *poetae*, sed a recentiore manu. — 9) *Ablativum in is*, *his* Asc. P. *in is* om. Cod. — 10) *Accusativum in as hos* P. *As acc. hos* Asc. *in as* om. Cod. — 11) *Terminat omni* Asc. P. *in* interponit Cod. — 12) *Accusativo* (supra scr. *um*) *hunc;* sic Cod. — 13) Vv. *vel similem nominativo* inter versus leguntur in Cod. — 14) Post vv. o *Salusti* (sic enim Cod.) inserenda videntur, quae in margine Cod. leguntur: *o puer feminini semper ē correpto o fraxine neutri ūm* o *bellum.* Sed haec a librario addita; leguntur enim plane similia vel potius gemina paullo post. — 15) Virg. Aen. VIII, 77. — 16) Additum *ut* e Codice, quemadmodum paullo post: *ut o regnum.* — 17) Ordo est e Cod. ubi etiam est: *secunda declinatione.* Asc. P.: *masculini et fem. generis.*

tri vero similis erit nominativo et vocativo: *hoc carmen.* Vocativus generis omnis similis erit nominativo: *o sacerdos*, *o carmen.* Ablativus in genere masculino vel feminino, aut *e* correpta[21] terminabitur, ut *ab hoc* et *ab hac sacerdote*, aut *i*, ut *ab hoc* et *ab hac agili;* in genere neutro semper *e* correpto[22], ut *ab hoc carmine*, *ab hoc suave.* Nominativum, accusativum et vocativum plurales generis masculini et feminini *es* producta syllaba terminabit[23] tertia declinatio: *hi* et *hae*, *hos* et *has* et *o sacerdotes.* Interdum accusativum *is*[24], ut *hos* et *has agilis.* Neutri vero *a*, ut *haec* et *o carmina*[25]. Genitivum in omni genere *um: horum* et *harum sacerdotum*, *horum carminum.* Dativum et ablativum in omni genere *bus: his* et *ab his sacerdotibus.*

8. Quarta declinatio dativum singularem generis masculini et feminini *ui* separatis faciet, *huic senatui*[26], *huic manui;* neutri[27] *u* sola: *huic cornu*, accusativum generis masculini et feminini *um*: *hunc senatum*, *hunc manum;* neutri *u*, *hoc cornu.* Vocativum in omni genere similem faciet nominativo: *o senatus*, *o manus*, *o cornu.* Ablativum *u* terminabit in omni [1443] genere: *ab hoc senatu*, *ab hac manu*, *ab hoc cornu.* Nominativum, accusativum et vocativum plurales in genere masculino et feminino *us* syllaba terminabit, ut *hi* et *hae*, *hos* et *has* et *o senatus*, *manus;* neutri vero *a: haec*, *o cornua.* Genitivum in omni genere *um*, *horum senatuum*, *harum manuum*[28], *horum cornuum.* Dativum, et ablativum in omni genere, *bus*, ut *ab his senatibus*, *manibus*, *cornibus.*

9. Quintae declinationis dativus singularis similis erit genitivo, *ei* separatis, aut producto aut correpto *e* ante *i: huic speciei*, *huic rei.* Accusativus *em*, *hanc speciem*[29]. Vocativus similis erit nominativo: *o species.* Ablativus *e* producto: *ab hac specie.* Unde *dies* genere feminino declinanda est, quoniam nullum nomen Latinum invenitur generis masculini, ablativo singulari *e* producto terminatum. Nominativus, accusativus, plurales, similes erunt nominativo et vocativo[30] singulari, et *es* terminabuntur: *hae*, *has*, *o species*[31]. Genitivus indifferenter et *rum* et *um* accipiet[32], ut *harum specierum*, vel *specieum.* Dativus et ablativus *bus*, *his* et *ab his speciebus.*

10. Ergo, quoniam genitivo singulari reperto facillime omnium declinationum nomina declinantur, docendum est, qualis nominativus qualem faciat[33] genitivum. Tractemus igitur per[34] singulas litteras, vel syllabas nominativum singularem, ex quo genitivus trahitur, quo cognito utriusque numeri casus facillime declinabuntur[35]. Sed ante de nominativo quinque declinationum

— 18) Cod.: *et h o fraxini;* sed littera *h* inducta. *Hae et o fraxini* Asc. P. — 19) *Horum magistrorum, harum fraxinorum* Asc. P. Priora duo vv. absunt a Cod. — 20) Vv. *et feminini* in Cod. supra scripta sunt. — 21) Fortasse etiam h. l. scribendum, ut supra: *e correpto.* In Cod. non satis discerni poterat. — 22) *Semper e correpto.* His addunt Asc. P. *terminatur*, quod recte abest a Cod. — 23) *Terminabit.* Ita Asc. P. *terminatur*^{vit} Cod. Saepe, ut vidimus, *v* et *b* confunduntur in Codice. — 24) *Accusativus is* P. *actūs os is* Asc. *accusativum is* Cod. id quod dedimus. — 25) *Ut haec et o carmina.* Ita Cod. Vv. *et o* omittunt Asc. P. — 26) *Facit, ut huic sen.* Asc. P. — 27) *Neutri vero generis u sola* Asc. P. Vv. *vero generis* om. Cod. — 28) *Manum* ex errore typographi habet P. Ceterum Asc. paullo ante: *in omni genere uum.* — 29) Hic adduntur vv. *hanc rem* in Asc. et P. — 30) Vv. *et vocativo* in Cod. supra versum leguntur. — 31) *Hae, has, o species.* Sic P. Asc. In Cod. *hae e c a s e o sp.* (sic) quod fortasse erit: *hae et has et o sp.* Sed correctum ab eadem manu: *has o species.* — 32) Cod. vitiose: *accipient.* — 33) Cod. corrupte: *faciet.* — 34) *Per* inter versus ascriptum in Cod. — 35) Cod. *declinantur*^{bu} (sic). —

breviter tractemus, quibus litteris, vel syllabis, vel modis unaquaeque declinatio nominativum terminat singularem.

11. Primae declinationis nominativus singularis fit modis tribus: *a*, *as*, *es* producta[1]; *poeta*, *poetae; Aeneas*, *Aeneae; Anchises*, *Anchisae.*

Secundae declinationis nominativus singularis fit modis quinque[2]: *um*, *eus*, *ir*, *us*, *er*; *regnum*, *regni; puer*, *pueri; vir*, *viri; magnus*, *magni; Tydeus*, *Tydei.* [1444]

12. Tertiae declinationis nominativus singularis fit modis quadraginta uno: *a*, *e* correpta; o, c, *t*, *al*, *el*, *il; ol*, producta; *ul*, *an* producta; *en* correpta, *en* producta; *on* correpta, *on* producta; *ar*, *er* correpta; *er* producta; *or*, *ur*, *as*, *es* producta, *es* correpta; *is*, *os* correpta, *os* producta; *us* correpta, *us* producta; *ax*, *ex* correpta, *ex* producta; *ix*, *ox* correpta, *ox* producta; *ux* correpta, *ux* producta[3]. Toreuma toreumatis[4], dulce dulcis, ordo ordinis, Dido Didonis, lac lactis, caput capitis, tribunal tribunalis, mel mellis, Tanaquil Tanaquilis, sol solis, Suthul Suthulis, Titan Titanis, crimen criminis, lien lienis, Memnon Memnonis, Sinon Sinonis, instar instaris, cadaver cadaveris, ver veris, livor livoris[5], Tibur Tiburis, facultas facultatis, seges segetis, strages stragis, suavis suavis, os ossis, os oris, Venus Veneris, virtus virtutis, tenax tenacis, grex gregis, rex regis, nix nivis, nox noctis, vox vocis, nux nucis, lux lucis. Terminatur etiam duabus consonantibus copulatis n et s, et dividitur[6] in modos quinque. Nam aut *a* ante *ns* habet, infans infantis. Aut *e* productam, Ufens Ufentis. nam correpta ante ea[7] nullum nomen reperitur, sicut nec *i*. Aut *o* correptam, ut insons insontis. Aut productam, ut fons fontis. Aut *u*, ut Arruns Arruntis[8]. Hoc tamen scire debemus, quod omnia nomina *n* et *s* terminata, *tis* genitivo faciant necesse est, exceptis duobus, quae *dis* faciunt genitivum et *tis*, ut frons, pars capitis, frontis; et frons, quod est folium, frondis; et lens, animal, lendis; legumen lens lentis. Quidam addunt glans glandis, sed haec glandis[9] nominativo posuit Virgilius.

1) Cod. *ā. as. es. producta* (sic). — 2) *Fit modis sex* P. Sed *quinque* recte Cod. Asc. In seqq. Cod. et Asc. lectionem dedimus. Aliter et ex arbitrio, ut videtur, P.: *er*, *ir*, *ur*, *us*, *eus*, *um*, *puer pueri*, *vir viri*, *satur saturi*, *magnus magni*, *Tydeus Tydei*, *regnum regni.* — 3) In recensendis his tertiae declinationis terminationibus magnopere turbant libri nostri. Codex ita exhibet totum locum: *a.* [c]*e correpta. o. c. t.* (c tamen perscriptum) *al. el. il. producta. ul. an. producta. correpta ēn producta. on correpta. on producta. ar er correpta er producta. or. ur. as. es. producta es. correpta. is. os. producta os correpta. us producta ax. ex correpta. ex producta ix ox correpta ox producta ux correpta ux producta toreuma* cet. Ab hac lectione Asc. non nisi paucis discedit: *a. c. e. correpta — el. il. ol producta.* Quae si compares cum exemplis, quae sequuntur, vera lectio facillima opera restitui potest. Primum scribendum *a*, *e*, *correpta*; exempla enim sunt *toreuma, dulce.* Tum post terminationem *il* plenius interpungendum est, ita ut nihil de correptione vel productione addatur; *c* autem ante *t* addendum, ut Codex habet; quod verum esse, ordo exemplorum docet. *Ol* ex Asc. addendum, quod Cod. omisit. Dein *en correpta en producta* scribendum esse, exempla *crimen* et *lien* docent. Porro *is*, *os correpta*, *os producta; us correpta*, *us producta* sic plene scribendum, et res ipsa clamat, et exempla ostendunt: *suavis*, *os oris*, *os ossis*, *Venus*, *virtus.* Aberravit autem facillime librarii oculus in his: *is os — producta*, ubi vv. *os correpta* omisit; et in his: *os correpta*, *us producta*, ubi *us correpta*, *us pr.* scribendum erat. Putschii emendationes prorsus sunt alienae: *a*, *c*, *e correpta*, *e producta; o*, *t*, *al*, *el*, *il*, *ol*, *ul*, *an*, *en correpta*, *en producta — us producta*, *ax*, *ex*, *ix*, *ox*, *ux*, *ut toreuma.* Nostram autem emendationem probabilem reddit etiam terminationum numerus, quae cum sequentibus quinque in *ns* computata, illas XLI efficiunt. — 4) His interponit P. *Euterpe, Euterpis;* quod exemplum ignoratur a Cod. et Asc. Recte, nam plane fictum est et insulsum, neque unquam *Euterpe* aliter, nisi ad primam declinationem, inclinari potuit. — 5) *Livor*, *livoris*, e Cod. est, ubi scriptum *libor*, *liboris.* *Labor laboris* Asc. P. — 6) *Terminatur — dividitur.* Scil. tertiae declinationis nominativus. Sic recte in Cod. *Terminantur — dividuntur* P. *terminatur — dividuntur* Asc. — 7) *Nam correpta ante ea.* Sic recte Cod. et Asc. *N. c. ante ns* P. Paullo ante *ut*

13. Quarta declinatio nominativum singularem terminat modis duobus, *us* et *u*, hic fluctus, huius fluctus; hoc cornu, huius cornu; hoc genu, huius genu[10].

Quintae declinationis nominativus singularis fit modo uno *es* semper producta, dies diei; res rei.

14. Hucusque de nominativo, nunc de genitivo doceamus, per[11] singulas litteras vel [1445] syllabas nominativi decurrentes, unde genitivus qualis sit, poterit declarari. Quo patefacto, poterimus scire, quo modo omnis casus utriusque numeri secundum rationes supra positas declinatur[12].

15. *A* littera terminatus nominativus singularis, sive pura, sive aliqua consonanti iuncta, generis masculini et feminini tantummodo Latinorum nominum reperitur, qui genitivum *ae* diphthongo terminans docebit nos, quomodo totos casus utriusque numeri declinemus secundum rationem primae declinationis, quam paulo ante monstravi. Inveniuntur generis neutri *a* littera terminata, sed peregrina, quae declinantur ratione tertiae declinationis, quae, sicuti docui, genitivo *is* syllaba terminantur[13], ut *hoc toreuma, huius toreumatis; schema, schematis.* Nam cum[14] Plautus in Amphitryone posuit:

Cum servili schema[15];

non neutri generis declinationem subvertit, sed genus. Haec enim schema declinavit, ab hac schema, sicut haec fortuna ab hac fortuna[16]. Primae declinationis, non tertiae *hoc schema*, genere neutro; nam ab hoc schemate posuisset. *A* enim terminatum nomen generis neutri Latinitas non habet, exceptis tribus, hic et haec et hoc verna, advena; et *hoc Thuria*, nomen fluminis, lectum in secunda historia Sallustii.

16. *C*[17] littera unum nomen reperitur terminatum generis neutri, declinationis tertiae; *is* enim facit genitivo, *hoc lac, lactis.* Quidam putant *hoc lacte*[18] debere dici; sed non legi[19], nisi in Varrone de lingua Latina[20]. Virgilius:

Lac mihi non aestate novum, non frigore defit[21].

Plautus *hoc lacte* declinavit ubique:

Sicut lacte lacti simile est[22];

Ufens P. — 8) *Arruns Arruntis.* Sic duplici *r* littera Cod. *aurus auruntis* Asc. *Aruns Aruntis* P. — 9) *Sed et haec gl.* Asc. P. *Sed* (haec) *et gl.* Cod., deleto *et.* Recte. Locus Virgilii alius non esse potest, nisi Georg. IV, 81. *Nec de concussa tantum pluit ilice glandis*; ubi tamen genitivus est, quem male pro nominativo accepisse videtur Probus. — 10) *Hoc genu, huius genu* in Cod. inter versus scripta sunt. — 11) *Per singulas litteras.* Ita Cod. Asc. Excidit *per* apud P. — 12) *Declinare* mendose Cod. sed in fine versus, unde coniicio legendum *declinari possit*, vel tale quid. — 13) Cod. mendose: *terminato.* — 14) *Nam cum Plautus* Cod. *N. quod Pl.* Asc. P. In Cod. diverso atramento et a rec. manu supra scr. *quod.* — 15) Locus Plauti est Amphitr. prol. 107. citaturque idem a multis Grammaticis in eadem caussa, veluti a Prisc. VI, 2, 7. quem cf.; a Pompeio XVII, 25. pag 229. aliisque. — 16) Inde ab hoc loco turbae in Cod. Sequuntur enim haec: *historia Sall.* (finit versus) *e ergo nomina terminata.* cet. Reliqua desunt. Sed partim in suprema, partim in ima libri ora, signo illuc monstrante, leguntur, quae deinceps apud Putsch. leguntur: *E litera unum nomen* cet. Legendum autem *C littera unum* cet. res ipsa docet. Locus Sallustii, inter fragmenta reponendus, iam supra a nobis indicatus. Cf. Sall. fragmm. apud Gerlach. p. 226. fragm. 12. — Pariter apud Asc. omnis ille locus: *C littera unum nomen* — usque ad vv.: *in intestinis pinguissimae*, desideratur. Illa tamen, quae inde a vv.: *Primae declinationis* — usque ad vv.: *historia Sallustii* apud P. leguntur, etiam in Ascensiana assunt integra. — 17) Apud P.: *E litera.* Sed vide quae statim monuimus. — 18) *Hoc lacte.* Ita diserte Cod. *hoc lact* P. Male. — 19) *Legi* Cod. *legimus* P. — 20) Quae hodie Varronis exstant, non habent hoc praeceptum. Sed Non. pag. 483. ex Varronis Andabatis affert: *Candidum lacte papilla quum fluit.* Sed cf. Pompei. pag. 233. — 21) In Cod. haec tantum leguntur: *Lac mihi non aestate novum;* sed finit versus, et amplius librarium perscribere voluisse locum Virgilii, ex lineola appicta, sed deleta, apparet. Virg. Ecl. II, 22. — 22) *Sicut lacte lacti simile est.* Ita diserte Cod. *Sic lacte lactis s. e.* Putsch. Ceterum locus Plauti, ab huius Editoribus inter fragmenta relatus, citatur e Bacchidibus a Pompeio pag. 233., ubi tamen *lactis simile* Sed in Bacchidibus hodie non comparet. Cf. Lamb. ad Plauti Menaecch. V, 9, 30. Adde Milit. gl. II, 2, 85. —

numero tantummodo[1] singulari; nam quod Plautus posuit *lactes*, id non a[2] nominativo, *hoc lac*, vel *hoc lacte*, sed *hi lactes*, genere masculino numero semper plurali. Sunt autem *lactes*, partes corporis in intestinis pinguissimae. *D* hac littera nullum nomen repperi terminatum; doceat declinationem, qui potuerit reperire[3]. *E* littera terminata nomina generis masculini et feminini [1446] non inveni Latina, sed Graeca, *E* producta terminata, quae aut Graeca ratione Latinitatis, ut haec Danae, huius Danaes, qua syllaba nullus genitivus Latinus terminatur; aut *e* in *a* mutans nominativo declinabitur[4] ratione primae declinationis, *ae* diphthongo faciens genitivum, Danaa[5] Danaae, Helena Helenae. Generis neutri Latina nomina repperi *e* terminata, sed correpto, quae *is* facientia, genitivo declinabuntur[6] secundum rationem tertiae declinationis, *hoc suave*, *huius suavis; hoc monile*, *huius monilis*; *hoc praesepe*, *huius praesepis*. Hoc enim genere[7] declinatur. Nam quod Plautus:

Haec praesepes mea est[8];

genere feminino sicut apud Graecos; auctoritas est, non ratio. *Pes* enim terminata nomina, sive correpta, sive producta, aut *tis* facient[9] genitivum, aut *dis; praepes*, *praepetis; pes*, *pedis*. Nam *dapes* numero semper plurali declinantur; *dapem* tantummodo legi numero singulari, sicut multorum nominum aliqui casus inveniuntur, ut *sponte*, *tabo*, *Iuppiter*, o *Iuppiter*. Nam qui declinat *hic Iuppiter*, *huius Iovis*, potest et *hic Phoebus*, *huius Apollinis* declinare; et *haec Minerva*, *huius Palladis;* et *hic Hercules*, *huius Alcidae*. *E* ergo nomina terminata Graeca sunt, ut haec Danae, Euterpe, Circe, Agave. Et si qui voluerit declinare, hoc modo faciet secundum Graecos. Immo addat in genitivo *es* et in accusativo *en*, et faciet *huius Danaes*, unde est illud:

Aestiferae Libyes[10].

hanc Danaen. Ablativum enim, quia Graecum est, non habet. Et convertuntur sic: ex *e* littera *a* facit et dicitur *Circa*[11], unde est illud Horati[12]:

Volente Circa.

Ergo in genitivo:

1) *Tantummodo* Cod. *tantum* P. — 2) Apud P. hic locus male sic legitur: *nam quod Plautus posuit lacte, nominativo hoc lac* cet. Quae dedi, licet in Cod. paullo obscurius leguntur, tamen et ab *Eichenfeldio*, V. Cl., et a me manifestissime inventa sunt. Cf. Plaut. Curc. II, 3, 40. Pseud. I, 3, 84. Adde Non. p. 331. — 3) Verba: *D hac littera — reperire*, desunt apud Asc. et P. Ego e Cod. addidi, sic demum manum Grammatici restituisse ratus, quum per singulas litteras procedere se velle supra dixisset. Quae autem nunc apud P. sequuntur: *E ergo nomina* — usque ad v. *Cyrenes*, in Cod. et Asc. statim supra post vv. *in secunda historia Sallustii* sequuntur, ut diximus. Sed falso id fieri, partim res ipsa docet, quum illa non poni possint, nisi ubi de terminatione in *E* iam sermo fuerit, partim Codex ostendit, qui, quum supra posita illa de *C* littera in margine habeat, in eodem margine sic pergit: *pinguissime. d hac littera nullum nomen repperi terminatum doceat declinationem qui potuerit reperire. E littera terminata*; atque ita pergit usque ad vv. *mutans nominativo declinabitur.* Reliqua in ima ora abscissa sunt, sed restantes adhuc lineolae docent, saltem unum etiam versum affuisse. Eadem tamen omnia in ipso textu recurrunt infra post v. *Cyrenes*. Non dubito tamen, quin, postquam librarius errorem suum, quo verba *E ergo* — *Cyrenes*, anticipaverat, intellexit, omissa in margine ponere voluerit, sed membrana deficiente, partem in ipso textu retractaverit. Igitur sic ordinavi disiecta membra, ut primum quae de littera *C*, tum quae de littera *D*, deinde quae in universum de terminatione *E*, postremo quae de *E* Graeca tractata sunt, ponerem. — 4) *Declinatur* Asc. P. *Declinavitur* Cod. in margine et in textu. — 5) *Danaa*, *Danaae* ita Cod. *huius Danaae* Putsch. Asc. omisso nominativo. — 6) Cod. in textu *termina-*

Aestiferae Libyes:

Lucanus[13]. Sallustius: *Apollinis filia et Cyrenes*[14].

17. *F*, *G*, *H*, his litteris nomen non repperi terminatum.

I littera terminata nomina quattuor[15] tantummodo repperi sine aliqua declinatione. Nam monoptota sunt duo generis omnis, *hic* et *haec* et *hoc nihili*, *frugi;* et duo generis neutri, numero tantummodo singulari *hoc gummi*, *hoc sinapi;* quamvis Plautus in Pseudulo *haec* [1447] *sinapis*[16] declinaverit. Inveni et duo in numero plurali masculina, in numero singulari neutra, *hi Argi*, *hoc Argos; hi porri*, *hoc porrum.*

18. *K* hac littera nullum nomen terminatur[17].

L littera terminata nomina Latina generis masculini et feminini, exceptis quattuor, nulla reperies, *hic sol*, *haec Tanaquil. Tanaquil* enim uxor fuit Tarquinii Prisci; appellativum quidem est, sed pro proprio habetur[18]; *hic consul*, *hic* et *haec* et *hoc exsul.* Generis vero neutri plurima nomina reperies[19] hac littera terminata, quae si erunt monosyllaba, in genitivo *l* littera duplicabitur, *mel*, *mellis; fel*, *fellis.* Excipitur unum *sal*[20], *salis*, unde quidam[21] *hoc sale* declinant. Omnia tamen ratione tertiae declinationis flectuntur, nam *is* syllaba genitivum proferunt. Si qua alia inventa fuerint, exceptis supra positis, generis masculini barbara sunt, ut *Hannibal*, *Hasdrubal*, *Hamilcar*, *Hiempsal*, *Adhèrbal*[22]. Inveniuntur et generis neutri barbara *l* littera terminata, *hoc Muthul*, *hoc Suthul.*

19. *M* littera terminatum nomen[23] generis masculini vel feminini, excepto uno generis omnis monoptoto, Latinitas non habet, *hic* et *haec* et *hoc nequam.* Neutri generis[24] plurima reperies, quae genitivo casu aut una *i*[25] aut duabus terminabuntur. Tunc una, si ante *um* syllabam nominativus *i* non habuerit, ut *hoc bellum*, *regnum*, *sceptrum; belli*, *regni.* Si habuerit, genitivus duabus *i* terminabitur, ut *hoc sacrificium*, *huius sacrificii;* sicut etiam[26] quae ante *us* syllabam habent *i*, ut *Terentius*, *Terentii.* Ex quibus una syllaba sublata fit vocativus, si sint nomina propria, ut *o Terenti;* sin appellativa, novissimam *us* in *e* correptam[27] mutabunt in vocativo, *o egregie.* Omnia tamen nomina *m* terminata[28] secundae sunt declinationis; nam *i* faciunt genitivo, excepto *nequam*[29], monoptoto.

buntur; sed eadem manus in margine, id quod raro fit, *declinabuntur.* — 7) Vv. *Hoc genere*, omisso *enim*, supra versum. Ego Asc. et P. secutus sum. — 8) *Haec praesepes mea est.* Cod.: *hoc praesepes meus est*, sed ab eadem manu emendatum, ut dedi cum P. *haec praesepis in ea est* Asc. Locus Plauti a Bothio inter fragmenta relatus. Idem Bothius suadet, in seqq. scribatur: *sicut apud Graecos φάτνη*, quod veri est similè. — 9) *Facient* Cod. *faciunt* Asc. P. — 10) Lucan. Phars. I, 206. — 11) *Et dicitur C.* Cod. Asc. *Et d. circa*, sic non perscripto vocabulo *dicitur* P. — 12) *Horati* Cod. Locus est Epod. XVII, 17. ubi post Bentleium scribitur *Circa*, quum antea esset *Circe.* Ceterum in Cod. est: *volente circa*, *elena. ergo* cet. — 13) Phars. I, 206. — 14) Locus Sallustii inter fragmm. legitur apud Gerlach. p. 247. fragm. 38. — 15) *Quattuor* ita Cod. — 16) *Plautus in Pseudulo* III, 2, 28. ubi *sinapis scelerata.* Ceterum Cod.: *haec senapis.* — 17) Ita Cod. *nullum reperi terminatam* Asc. P. — 18) Vv. *Tanaquil enim — proprio habetur* hoc loco in Codice et apud Asc. interponuntur, omissa a Putschio. Si revera a Grammatico profecta sunt, satis sunt memorabilia. Haberemus enim vocem Etruscam, quae ad linguae Etruscae indagationem conferre multum posset. — 19) *Reperias* P. — 20) *Excipitur hoc sal* P. male. — 21) *Qaidem* P. ex errore typographi. — 22) *Iempsal*, *aderbal* Cod. — 23) *M litera terminata nomina* P., fortasse melius. — 24) *Generis neutri* Asc. P. — 25) *Aut una i.* Ita Cod. *aut una aut duabus* omissa littera *i* Asc. *aut una aut duabus i* P. — 26) *Etiam* deest in Asc. et P. — 27) *Correptam* deest in Asc. et P. — 28) *M litera terminata* Asc. P., fortasse melius. — 29) *Excepto uno nequam* Asc. P. —

20. *N* littera terminata nomina tertiae sunt declinationis; nam omnia genitivo *nis* faciunt[1]. Latina quidem generis masculini et feminini rara habentur; duo figura simplici, *hic rien*, [1448] *huius rienis; hic lien*, *huius lienis;* composita generis omnis, *hic* et *haec* et *hoc tibicen*, *cornicen*, *fidicen; tibicinis*, *cornicinis*, *fidicinis;* quamvis Terentius fidicinam et tibicinam[2] posuerit. Neutri generis multa reperiuntur *n* in nominativo correpta, in genitivo *e* in *i* mutata, ut *hoc pollen*, *pollinis; carmen*, *carminis; lumen*, *luminis; gluten*, *glutinis; crimen*, *criminis; limen*, *liminis.* Sed quoniam multa Graeca vel barbara nomina reperiuntur generis masculini vel feminini (nam Latina, exceptis supra positis, et uno altero proprio, *hic Idmon*, *Idmonis*[3], *o* et in nominativo et in genitivo correpta, alia non inveniuntur); observandum est, ut tunc producamus Latine, si apud illos producuntur[4], ut *Sinon*, *Sinonis; Rubicon*, *Rubiconis;* tunc corripiamus, si apud illos corripiuntur[5], ut *Memnon*, *Memnonis; hic* et *haec Sason*, *Sasonis*[6]*; hic Titan*, *Pan*, *Titanis*, *Panis*, vel *Titanos*, *Panos;* ut Virgilius:

Panos de more Lycaei[7]*;*

sine alicuius declinationis ratione. Nulla enim declinatio genitivo, *nos* syllaba terminatur. Excipitur unum[8], *tis* faciens genitivo, *Laocoon*, *Laocoontis.* Posuit Lucretius *hoc sanguen*[9], novo more, cum sit *hic sanguis*, *huius sanguinis*, contra rationem *guis* terminatorum, quae genitivum similem nominativo faciunt, *hic anguis*, *pinguis; huius anguis*, *pinguis*,

21. *O* littera pura terminata nomina, genitivo *o* producant necesse est, et tertiae sint declinationis, nam *is* terminant genitivum, *leo*, *leonis; Pollio*, *Pollionis.* Excipitur unum, quod in genitivo *o* in *e* correptam mutat, *hic Anio*, *huius Anienis*[10], nomen fluminis. Cum aliqua vero consonanti praeposita et corripiuntur, et producuntur. Ideoque per singulas litteras doceamus, iunctas *o* litterae, *Bo*[11] terminata producuntur in genitivo, *Libo*, *Libonis; Carbo*, *Carbonis; Narbo*, *Narbonis.* Hoc tamen scire debemus, quod omnis nominativus *o* littera terminatus, sive pura, sive aliqua consonante praeposita et iuncta corripitur; exceptis Graecis, quae [1449] producuntur, ut *Dido*, *Manto;* ideoque indifferenter declinantur[12], Latina ratione, *huius Didus*, *Mantus*, ut Virgilius:

Fatidicae Mantus, *et Tusci*[13].

Co syllaba si inventa fuerint, producentur; barbara audivi, *Sico*, *Siconis; Franco*, *Franconis. Do* omnia in genitivo *o* in *i* mutant, *ordo*, *ordinis; hirundo*, *hirundinis; cardo*, *cardinis;* ex-

1) *Omnia nis faciunt genitivo* Asc. P. — 2) Terent. Eun. III, 2, 4. Ibid. V, 5, 15. Ad. V, 7, 7. et 9. — 3) *Idmon*, *Idmonis.* Ita praeclare Cod. *Ligmon*, *Ligmonis* Asc. *Ligmo*, *Ligmonis* P. — 4) *Si aput illos producitur idos producitur* Cod. quod nihil est, nisi iteratio duarum vv. *Producuntur* scripsi sensu postulante; *producitur* Asc. P. — 5) *Corripiuntur.* Sic recte Cod. Asc. *corripitur* P. — 6) *Saxon*, *Saxonis* Asc. P. pessime. *Sason* manifeste exh. Cod. Scribendum *Sasson* pro *Saxo.* — 7) Virg. Aen. VIII, 344. — 8) *Excipitur unum.* Ita scripsi, sic volente emendatore Cod., cuius tamen manus eadem est librarii. *Unum excipitur* Asc. P. — 9) Lucret. I, 837. ibid. 860. — 10) Non corripitur penultima in *Anienis;* erravit Grammaticus, ut saepe; fortasse suae aetatis vitium secutus. — 11) Hunc locum Cod. ita exhibet: *iunctas o terminata;* sed supra scr. *littera bō.* Recte Asc. ut edidimus. Male P.: *iunctas o literae. Per Bo.* — 12) *Declinantur.* Hoc v. in Cod. supra versum scr. — 13) *Tusci.* Ita Cod. in quo versus non est perscriptus. Addunt Asc. P.: *filius amnis.* Virg. Aen. X, 199. — 14) *Duobus* Asc. P. — 15) *Si qua talia.* Asc. P. — 16) *O inmutant genetivo* Cod. *O in i mutant in gen.* Asc. Recte P., nisi quod *in* delevimus: *o in i mutent in gen.* — 17) *Quod in genitivo ante o*, *syllaba producta* Asc. P. male. Recte Cod.: *quod in genit. ante nis* (o supra scr.) *syllabam o producta*, nisi quod Cod. *in genetivum* (sic). — 18) Hunc locum Cod. corrupte ita exhibet: *instrumentum rusticum mango latinum non est. nam ambages* cet. Pro v. *mango* Asc. et P. exhibent *ambagò*,

ceptis duabus[14] quae *o* habent in genitivo productam, ut *pedo*, *pedonis; cerdo*, *cerdonis;* nam *Dido* Graecum est. *Fo* terminata producuntur in genitivo, *bufo*, *bufonis; Gorfo*, *Gorfonis*, et si qua alia[15]. *Go* finita, *o* in *i* mutent genitivo[16] necesse est, et sint generis feminini, *virgo*, *virginis; Carthago*, *Carthaginis; uligo*, *uliginis.* Excipitur unum, quod in genitivo ante *nis* syllabam *o*[17] producta terminatur, et generis est masculini, *ligo*, *ligonis*, instrumentum rusticum; *mango.* *Ambago*[18] Latinum non est; nam *ambages*, et *compages*, nominativo utriusque numeri declinantur, sicut *strages.* Lucanus:

Sicut conpage soluta[19];

non *conpagine*, a nominativo singulari, *haec conpages*, non *haec conpago;* nam *conpaginis* et *conpagine* faceret. Virgilius:

Laxis laterum compagibus;

et non *compaginibus.* Et:

Multae ambages;

non *ambagines*[20]. Omnia tamen, sicut docuimus, nomina *o* terminata, sive pura, sive aliqua consonanti anteposita[21], tertiae sunt declinationis, id est, genitivum singularem[22] *is* syllaba terminant; exceptis Graecis, quae et Graeca ratione *us* faciunt genitivo, et Latina *nis*[23], *Dido*, *Didus; Dido*, *Didonis*, et si qua talia.

22. *Ho* finita producentur[24] in genitivo, ut *lurcho*, *lurchonis*, lectum nomen in Plauto[25], significans ganeonem, nepotem, devoratorem. Hoc tamen scire debemus, quod omnia nomina post *c* litteram habentia *h*, peregrina sunt, chorus, Anchemolus[26], charta, Charon, Chrysus, Chalybes; exceptis tribus, quae Latina sunt, lurcho, pulcher, Orchus, sic enim in antiquioribus reperies, non Orcus. *Ko* non invenies, ideo quoniam *k* non scribitur, nisi ante *a* litteram puram in prin- [1450]
cipio nominum; vel cuiuslibet partis orationis consequentis syllabae consonans principium sit, sicut docui in libro primo[27]. *Lo* terminata Latina producuntur, *Milo*, *Milonis; culo*, *culonis;* Graeca in *i* mutabunt[28], *Apollo*, *Apollinis.* *Mo* producuntur, *temo*, *temonis; Sulmo*, *Sulmonis*[29]. Excipitur unum, quod *o* in *i* mutat, *homo*, *hominis;* quamvis antiqui *homonis*[30] declinabant. *No* terminatum nullum nomen repperi; qui invenerit, doceat rationem. *Po* syllaba[31] terminata producuntur, *vappo*, *vapponis;* animal est volans, quod vulgo *animus* vocant; lectum est apud Lucretium, *hos vappones*[32].

recte; sed *mango* abiiciendum non erat. Igitur restitui. — 19) *Sicut strages. Lucanus sicut conpage soluta.* Ita Codex, recte, nisi quod, ut est apud Lucanum, *sic quum comp. s.* scribendum fuit. Lucan. Phars. I, 72. *Sicut Lucanus compage soluta* Asc. P. — 20) Hunc omnem locum Codex ita mutilum et corruptum profert: *Non haec conpago conpaginis et conpaginis et conpagine faceret Vergilius ambages non ambagines omnia tamen* cet. Recte Asc. et P. quae dedimus. Virg. Aen. I, 122. et ibid. I, 342. ubi tamen: *Longae Ambages.* — 21) *Anteposita et iuncta* Asc. P. — 22) Deest v. *singularem* apud Asc. et P. — 23) *Et Latina nis.* Deest v. *Latina* in Asc. et P. — 24) *Producunt in* Asc. P. *producent^ur in* (sic) Cod. — 25) Plaut. Pers. III, 3, 16. — 26) *Archemorus* Asc. P. et Cod. a prima manu, sed corr. ab eadem; recte. Est Graecum Ἀγχέμολος. Cf. Virg. Aen. X, 389. — 27) Nihil huiusmodi primo libro tractatum memini. — 28) *Graeca in i mutabunt.* Ita Cod. Asc. *Graeca o in i mut.* P. — 29) *Salmo Salmonis* (o superscr.) Cod. — 30) *Homonis* Asc. P. *hominis* (o superscr.) Cod. De hac prisca forma cf. Priscian. VI, 3, 15. ed. Krehl. — 31) *Polysyllaba producuntur* Asc. male. — 32) Vocabulum nunc non invenitur apud Lucretium, nisi forte Grammaticus intellexit locum lib. III, 387. *nec plumas avium papposque volantes.* Miror autem ne nuperrimum quidem Lucretii editorem ad hunc locum Probi animum advertisse. Verisimile mihi est, formas h. v. plures in usu fuisse, ita ut *pappus*, *pappo*, *vappus*, *vappo* dicerent. A *pappo papilio* descendit. Ceterum *vappo* lexicis addendum. —

23. *Quo*, hac syllaba ideo nulla pars orationis terminatur, quoniam *q* littera numquam scribitur, nisi quando *u* littera et alia vocalis sequens iuncta fuerit, sicut docui in libro primo. ***Ro*** terminata producuntur in genitivo, *Cicero, Ciceronis; Varro, Varronis; tiro, tironis.* Unum ***o*** litteram in genitivo et in omnibus casibus utriusque numeri perdit, *haec caro*, *huius carnis;* excepto vocativo singulari, *o caro. So*, producuntur, *Naso*, *Nasonis; Piso, Pisonis. To*, Latina quidem nomina hac syllaba terminata in genitivo corripientur[1], *Britto*, *Brittonis*[2]*; Santo, Santonis;* nomina sunt gentium[3]. Nomina mulierum Graeca aut producuntur, aut *u* habebunt in genitivo, *Manto*, *Mantonis*, vel *Mantus; Leto*, *Letonis*, vel *Letus. Vo*, non inveni hac syllaba nomen aliquod terminatum. *Xo*, nec hac syllaba inveni finitum nomen nisi barbarum, quod audivi, *Brixo*, *Brixonis. Zo*, hac quoque syllaba nullum nomen repperi terminatum, nisi unum barbarae civitatis, lectum in Sallustio: Vizzo, Vizzonis[4].

24. *P*, hac littera nullum nomen finitum[5] potuit reperiri, quia nec hac littera nomen aliquod terminatur, ratione supra monstrata.

R littera nomina terminata multa sunt. Hoc tamen scire debemus, quod generis omnis nomina, *r* littera terminata, et neutri, solius tertiae sunt declinationis. Nam *is* syllaba finient genitivum, *hic* et *haec* et *hoc par*, *huius paris; impar*[6], *imparis; cadaver*, *cadaveris;* [1451] *iecur*, *iecoris;* excepto uno, quod monoptotum est, *hoc ir*, significans[7] medietatem palmae, quae etiam vola dicitur, Graece ϑέναρ[8]. Generis vero masculini et feminini solum, incerta sunt an secundae sint[9] declinationis et genitivo *i* finiantur, an tertiae declinationis, ut[10] *is* syllaba terminentur genitivo, ideoque per singularum litterarum *r* litteram antecedentium syllabas decurrentes doceamus, quae sint declinationis secundae, quae tertiae.

25. *Ar* pura nullum nomen repperi terminatum. *Er* pura terminata masculina, secundae sunt declinationis, *puer*, *pueri*; feminina[11], *mulier*, *mulieris*, tertiae sunt declinationis, et si qua alia; omnia tamen corripientur. *Ir* pura unum indeclinabile vel monoptotum repperi, *hoc ir*, contra rationem neutrorum[12] nominum *r* littera terminatorum, quae omnia, sicut ante docui, tertiae sunt declinationis, id est, genitivo *is* syllaba terminantur. *Or* pura inventa generis masculini et feminini, tertiae sunt declinationis, *ris* terminantia genitivum, *o* in nominativo correpta, in genitivo producta, *hic* et *haec melior*, *huius meliōris. Ur* pura nullum nomen repperi terminatum. *Bar* terminata[13] tertiae sunt declinationis, *ris* faciunt genitivum, *hoc iubar*, *iubaris*; splendorem diei significat; Virgilius:

Iubare exorto[14]*;*

numero semper singulari. *Ber* terminata omnia[15] et corripiuntur et secundae sunt declinationis.

1) *Corripiuntur* Asc. P. — 2) *Britto.* Ita Codex. *Brito* Asc. P. — 3) Omnis hic locus in Cod. sic exhibetur: *brittonis. vō non inveni.* His supra ascripta sunt haec: *Sancto Sanctonis nomina sunt gentium graecarum aut producuntur* cet. Sed in Asc. et P.: *Britonis*, *Santo Santonis. Nomina mulierum graeca aut producuntur* cet. Apertum est, in Cod. excidisse vv. *nomina mulierum*, in Edd. vero verba: *nomina sunt gentium*, desiderari. — 4) *Vizzo*, *Vizzonis* Cod. *Vizo Vizonis* Asc. P. — 5) V. *finitum* deest in Asc. et P. — 6) *Huius par inpar* Cod. vitiose. — 7) *Excepto uno, quod monoptotum est, hoc ir, significans.* Ita recte Cod. In Asc. vv. *quod monoptotum est* omittuntur. *excepto uno, hoc ir, quod monoptoton est, et significans* corrupte P. — 8) Ita, maiusculis tamen Graecis litteris, Cod. — 9) *Sint* addidi e Cod. — 10) *Ut* addidi e Cod. — 11) *Feminina is syllaba finiunt genitivum ut mulier* P. unde tamen hauserit P. hanc ubertatem, ignoro. — 12) *Nominum neutrorum* P. V. *neutrorum* omittit Asc. — 13) Voc. *terminata* omittit P. — 14) Virg. Aen. IV, 130. — 15) *Nomina* Asc. P. — 16) *Facient* Cod. *faciunt* Asc.

Nam aut *bri* facient[16] genitivum, ut *Calaber*, *Calabri; Cantaber*, *Cantabri; Insuber*, *Insubri;* aut *ri*, ut *liber*, *liberi*, vel *libri*. Tum *ri*[17], si deum, vel ingenuum significamus, quamvis in metro *Liber* deus, et *liber* ingenuus producitur, ut est:

Liber et alma Ceres;

in alio significatu corripitur *li*, ut:

Alta liber aret in ulmo[18].

Sed rationabiliter cum *li* corripitur, genitivo *bri* facimus, *liber*, *libri*. Excipiuntur duo *Ber* terminata, quae tertiae sunt declinationis, *imber*, *imbris;* Terentius[19]:

Imbrem aureum;

em enim syllaba terminata accusativo tertiae sunt declinationis, non secundae, id est, genitivo *is* terminato veniunt, non *i*, ut Virgilius: [1452]

Tres imbris torti radios[20];

hic suber, *suberis;* Virgilius:

Raptus de subere cortex[21];

a genitivo *is* terminato. Nam si *i* terminaretur genitivus, ablativus *a subero*[22] diceret. *Liberi*, filii, numero semper plurali declinantur.

26. *Bir*, hac syllaba nullum nomen repperi terminatum; qui invenerit, etiam declinationis doceat rationem. *Bor* terminata tertiae sunt declinationis; nam *ris* faciunt genitivo, ut *labor*, *laboris*. Omnia tamen nomina *or* syllaba pura terminata, et cum alia consonante praeposita et iuncta, in nominativo quidem corripiuntur; in genitivo vero si fuerint appellativa, producuntur[23], *orator*, *oratoris; praeceptor*, *praeceptoris*[24]; exceptis quattuor, quae quamvis sint appellativa, tamen corripiuntur[25], *arbor*, *arboris; marmor*, *marmoris; aequor*, *aequoris;* hic et haec *memor*[26], *memoris*. *Actor* si appellativum fuerit veniens ab agendo, *o* producitur in genitivo *actōris*[27]; si sit hominis nomen proprium, corripitur, sicut Virgilius:

Actoris Arunci spolium[28].

Omnia enim propria, *or* syllaba finita, in genitivo corripiuntur, ut *Nestor*, *Nestoris; Hector*, *Hectoris; Castor*, *Castoris;* et si qua talia. Quidam putant Virgilium contra rationem propriorum produxisse:

Herculis Antorem comitem[29];

sed errant, nam *hic Antores* declinavit, non *Antor:* sicut *hic*[30] *Diores*. Et hoc tamen scire debemus, quod appellativa *or* terminata, si tracta fuerint a verbo, genus femininum *trix* terminant, *ultor*, *ultrix*, *ulciscor; praeceptor*, *praeceptrix*, *praecipio*. *Auctor*, si sit tractum a verbo

P. — 17) *Tum ris si deum* Cod. Sed ultimam litteram eradere voluisse videtur librarius. *Tunc eri si deum* Asc. *Tunc beri si deum* P. — 18) Cod. h. l. turbat: *Quamvis in metro liber deus li et producitur ut est liber et alma ceres et corripitur li ut alta liber aret in ulmo.* Ut nos exhibuimus, praebet recte Asc. quacum consentit Putschiana, nisi quod haec: *producitur li, ut est.* Loci Virgiliani sunt: Georg. I, 7. Ecl. X, 67. — 19) Terent. Eunuch. III, 5, 37. — 20) Virg. Aen. VIII, 429. — 21) Virg. Aen. VII, 742. Paullo ante *huius suberis* Asc. P. Pronomen abest a Cod. — 22) *A libero diceret* vitiose Cod. — 23) *Producuntur, ut orator* P. — 24) Addit P.: *labor laboris, amor amoris,* quae ignorant Cod. et Asc. — 25) *Corripiuntur, ut arbor* P. — 26) *Hic et haec memor memor memoris* Cod. *hic et haec et hoc memor memoris* P. Nos Asc. secuti sumus. — 27) *O producit in genitivo et facit ris; si sit* P. Nos Cod. et Asc. secuti sumus. Productionis nota in *actōris* e Cod. est. — 28) Virg. Aen. XII, 94. — 29) Virg. Aen. X, 779. ubi editur: *Antoren.* — 30) *Hic* additum e Cod. —

augeo, *auctrix* facit; si non venit a verbo, sed significat principem, quod nomen non venit a verbo, etiam[1] feminino genere *auctor* facit, sicut Virgilius ex persona Iunonis:

Auctor ego audendi[2];

princeps, non quae augeam[3]; nam *auctrix* diceret. Sed excipitur unum quod quamvis non veniat a verbo, tamen feminino *trix* facit, *genetrix;* nam *balneatrix*, *defensatrix*[4] rationabiliter debet dici, nisi quoniam male sonant. Et nonnunquam quamvis veniat[5] a verbo, tamen [1453] feminino *or* facit, *memini*[6], *hic* et *haec memor.* *Bur* terminata tertiae sunt[7], nam *ris* facient genitivo[8], *u* ante *ris* habentia, *Tibur*, *Tiburis.* Unum in genitivo *u* in *o* correptam mutat[9], *ebur*, *eboris.*

27. *Car*, tertiae sunt declinationis, *ris* faciunt genitivo, *Bomilcar*, *Bomilcaris*[10]. *Cer* terminata, si sint generis omnis, tertiae sunt[11], et *cris* facient genitivo[12], *hic* et *haec* et *hoc acer*[13]; quamvis Horatius:

Solvitur acris hiemps[14];

huius acris[15]; quamvis Virgilius:

Alacris palmas[16].

Sin aliter, secundae erunt[17], *ri* terminabunt genitivum. Aut signum caeleste aut fluviale animal, *cancer*, *cancri; sacer*, *sacri; macer*, *macri;* exceptis duobus, quae quamvis non[18] sint generis omnis, tamen tertiae sunt declinationis, *ris* faciunt genitivo, *hoc cicer*[19], *ciceris; hic carcer*, *carceris.* Omnia tamen nominativo *Cer*, corripiuntur. Ergo breviter hoc observandum praecipiamus. *Cer* terminata generis neutri, *cris*[20] faciunt; masculini vero *cri*[21], excepto uno *carcer*, *carceris.* Ergo generis feminini solum *Cer* terminatum non reperitur. *Cir*, hac syllaba nullum nomen repperi terminatum. *Cor* terminatum unum monosyllabum repperi tertiae declinationis, *dis* faciens genitivum[22], *hoc cor*, *huius cordis*, et si qua ab eo deducuntur. *s* littera addita *concors*, *concordis; secors*, *secordis* facit. Caetera omnia genitivo *ris* faciunt. *Cur* terminata tertiae sunt declinationis, *ris* faciunt genitivo, *u* in *o* correptam mutata[23], *iecur*, *iecoris;* et si qua talia inveneris.

28. *Dar* syllaba nullum nomen repperi terminatum; qui invenerit, etiam rationem declinationis demonstret. Audivi[24] nomen oppidi barbari, *hoc Zidar*, *Zidaris*[25]. *Der* syllaba terminata[26] et corripiuntur in nominativo, et Graeca sunt, et *e* in genitivo perdunt, secundae declinationis, *ri* faciunt genitivo[27], *Menander*, *Menandri; Alexander*, *Alexandri; Leander*, *Lean-*

1) *Et* Cod. Ceterum Cod. plerumque *autor autrix*, detracta *c* littera. Sed in seq. Virgilii loco *c* supra
c
scripta est sic: *autor ego audendi.* — 2) Virg. Aen. XII, 159. — 3) *Quae augeam.* Recte sic Cod. Asc. *quae augeat* P. — 4) Hunc locum Cod. ita exhibet: *tamen feminino genetrix balneatrix nam defensatrix* cet. Apud P. non minus corrupte legitur: *tamen feminino trix facit, genetrix*, *balneatrix*, *nam defensatrix.* Veram lectionem exhibet Asc. quam dedimus. — 5) *Veniant* unus P. — 6) *Memini* addidi e Cod. — 7) *Tertiae sunt declinationis* P. — 8) *Genitivum* P. Asc. — 9) *Unum invenitur in gen. — mutans* P. — 10) Cod.: *vomilcar vomilcaris.* — 11) *Tertiae sunt declinationis* P. *tertiae sunt tris* Cod. Ego Asc. secutus sum. — 12) *Faciunt genitivum* P. *faciunt genitivo* Asc. — 13) *Hic et haec et hoc acer.* Ita omnes. Non tamen dubito quin scribendum sit: *hic et haec acer.* — 14) Horat. Carmm. I, 4, 1. *Hiemps* scripsi e Cod. — 15) Hoc loco intrudit P.: *acer acris, vel alacer alacris*, quae vv. absunt a Cod. et Asc. propterea omisi. Puto tamen scribendum esse: *Hic et haec alacer*, *alacris; quamvis* cet. — 16) Addit P.: *utrasque tetendit*, quae vv. absunt a Cod. et Asc. Virgilii locus est Aen. VI, 685. — 17) Addit P.: *declinationis.* — 18) *Non* male omissum apud P. Exhibent illud Asc. Cod. — 19) *Ris faciunt genitivum, ut cicer* P. *ris faciunt genitivo Cicer* Asc. Ego Cod. secutus sum. — 20) *Ris faciunt* Asc.
: cri f
P. *generis neutri : s maciunt* Cod. hoc est: *generis neutri cris faciunt*, ut edidi. — 21) *Cri* e Cod. *ri* Asc. P. — 22) *Genitivo* P. Asc. — 23) *Correpta mutata* Cod. —

dri; Evander, Evandri; Thersander, Thersandri[28]*;* quamvis Thersandrus et Evandrus lectum est. [1454] *Dir* unum nomen repperi tertiae declinationis *ris* faciens genitivum, *hoc Gadir, huius Gadiris;* nomen est oppidi. *Dor* terminata tertiae sunt declinationis, *ris* faciunt genitivo, *o* in genitivo in propriis, si inventa fuerint, correpta, secundum rationem supra positam. In appellativis vero *o* genitivo producunt, *nidor, nidōris; splendor, splendōris,* et si qua alia[29] appellativa *or* syllaba fuerint terminata, *o* in genitivo producent[30], exceptis supra positis, quae quamvis sint appellativa, tamen *o* in genitivo corripiunt, sicut propria *or* terminata, ut *arbor, arboris; aequor, aequoris; marmor, marmoris. Dur* terminatum[31] unum legi in Plauto, accusativo[32] casu, *magadur;* est ergo tertiae declinationis, *ris* faciens genitivo. Sed vide ne melius sit nominativo non *magadur* dicere, sed *magaduris;* aut si rationabiliter quaeramus, placebit, ut monoptotum sit, vel indeclinabile; quoniam nullus accusativus *ur* syllaba terminatur[33], *magadur* ergo per totos casus declinandum est.

29. *Far* terminatum unum repperi nomen monosyllabum neutrum tertiae declinationis, *ris* faciens genitivo, *r* duplicata[34], *hoc far, huius farris,* numero semper singulari. Nam quod Virgilius numero posuit plurali:

Robustaque farra[35],

poetice posuit, non rationabiliter, sicut, *aera, mella, vina.* Quippe omnia nomina[36] deorum, vel elementorum, vel earum rerum, quae aut ad pondus, aut ad mensuram pertinent, singulariter declinantur, sicut etiam in primo docui libro.

Fer terminata corripiuntur, et secundae sunt declinationis, *ri* terminant genitivum, *Lucifer, Luciferi; frugifer, frugiferi; signifer, signiferi;* et si qua a ferendo fuerint derivata, habebunt in genitivo *e* correptam ante *ri;* sin aliter, *e* perdunt in genitivo, *Afer, Afri*[37]. *Fir, For,* his syllabis nullum nomen repperi terminatum. *Fur,* tertiae sunt declinationis, *ris* faciunt [1455] genitivo, hic et haec et hoc *fur, huius furis,* et si qua talia sunt[38].

30. *Gar,* non inveni nomen hac syllaba[39] terminatum. *Ger* terminata corripiuntur, et omnia secundae sunt declinationis, nam aut *gri* faciunt genitivo, aut *ri.* Tum *ri,* si a gerendo nomen fuerit derivatum, ut *armiger, armigeri; aliger, aligeri.* Sin aliter, *gri,* ut *ager, agri; piger, pigri; niger, nigri.* Excipitur unum quod *ris* facit genitivo[40], ut *agger, aggeris*[41]. *Gir,* non repperi nomen hac syllaba terminatum. *Gor,* tertiae sunt declinationis, *ris* faciunt genitivo

24) *Audi nomen* Cod. — 25) *Hoc digar digaris* Cod. sed corr. *zidar zidaris.* — 26) Hoc loco P. interponit vv. *secundae declinationis,* quae in Cod. et Asc. infra leguntur post v. *perdunt,* ubi ea reposuimus. *Et* ante v. *corripiuntur* add. e Cod. — 27) *Genitivum* P. Asc. — 28) Cod.: *Thessander thessandri — thessandrus.* — 29) *Si qua talia* P. Asc. Signa prosodica in *nidōris* cet. e Cod. sunt. — 30) *Producunt* Asc. P. — 31) *Terminata unum* P. ex errore typ. — 32) *Accusativo casu* addita e Cod. *magudur — maguderis* Asc. *Magadur — Magaderis* P. Haud dubie in mente habuit Gramm. locum Plauti in Rud. III, 2, 19. ubi tamen: *Sanun' es? seu tibi confidis fore multam magudarim;* sic etiam apud Priscian. VII, 10. pag. 325. tom. I. e Codd. scripsit Krehl. Atque ita etiam mei Codd. quorum unus *magúdarim,* sic accentu notato. Cod. Plauti Lipsiens. *magu-derim,* ut ceteri Mss. Pravo Plauti Codice usus videtur esse Probus. — 33) *Terminaretur* Cod. vitiose. — 34) *Faciens genitivum litera r duplicata ut hoc far* P. — 35) Virg. Georg. I, 219. — 36) Vv. *Quippe omnia nomina* in Cod. supra versum scripta. — 37) Cod.: *afer, afri, faber, fabri;* sed duo postrema deleta. — 38) *Fur et si qua alia sunt* P. *fur et si qua talia sunt* Asc. Cod. addit *huius furis;* idem exhibet *^talia* (sic). — 39) *Hac syllaba nomen.* Hoc ordine Asc. P. — 40) *Quod ris faciat genitivo* Cod. — *facit genitivum* Asc. P. — 41) Post hanc vocem interponenda videntur, quae in margine Cod. intricata scriptura leguntur, a V. Cl. Eichenfeldio extricata: *Et liger ligeris* (sic) *vaesano talia dicta v.* (lege: *volant*) *ligeri. Verg.* Cf. Virg. Aen. X, 583. Sed haec a seriore manu addita puto.

o in nominativo correpta, in genitivo producta, *frigor*, *frigoris*[1]; *fulgor*, *fulgoris; algor*, *algoris;* et si qua talia. *Gur*, tertiae sunt declinationis, *ris* faciunt genitivo[2], hic et haec et hoc *augur*, huius *auguris; Ligur*, *Liguris;* et si qua talia.

31. *Har*, non invenies nomen terminatum. *Her* pura syllaba non invenies, adiecta c ante *h* inveni unum, *e* correpta in nominativo; in genitivo vero pereunte, *hic*[3] *pulcher*, *huius pulchri;* hoc solum Latinum[4] repperi secundae declinationis; nam genitivum *i* littera terminat[5]. Inveni et *Her* producta finitum, *t* litteram ante se habens, sed Graecum, *e* in genitivo corripiens, declinationis tertiae, *is* genitivo terminatum[6], *aether*, *aetheris*. Hoc tamen scire debemus, quod post c litteram, *h* Latinitas non habet, exceptis *pulcher*, *Orchus*, *lurcho*. Sic in antiquis. Nam chalybes Latinum non est: *y* enim litteram habet, quae in peregrinis adhibetur, in Latinis nunquam. *Hir*, *Hor*, *Hur*, *Iar*, *Ier*, nulla nomina repperi terminata; qui invenerit, doceat rationem. *Ior*, tertiae sunt declinationis, *ris* faciunt genitivo, *o* in nominativo correpta, in genitivo producta, hic et haec *maior*, *maioris*; *peior*, *peioris*. *Iur*, *Kar*, *Ker*, *Kir*, *Kor*, *Kur*, his syllabis nullum nomen terminatur[7].

32. *Lar*, tertiae declinationis est, *ris* facit genitivo, *hic Lar, huius Laris.* Plautus:

Ego sum Lar familiaris[8].

Virgilius:

Pergameumque larem[9].

Multi numero semper plurali declinant. Quidam dicunt, *hic hilar*[10], debere dici; sed barbarismus est. *Hilaris* legi et *hilarus* in Terentio[11]. *Ler*, hac syllaba duo nomina terminantur, *siler* [1456] et *celer*, quae tertiae sunt declinationis. *Lir*, nullum nomen repperi hac syllaba terminatum[12]. *Lor* tertiae sunt declinationis, *o* in[13] nominativo correpta, in genitivo producta *ris* syllaba terminato, *hic calor*, *pallor; caloris*, *palloris; color*, *coloris;* quamvis Sallustius: *Igitur colos exsanguis*[14]; sicut *labos* et *labor*. *Lur*, *Mar*, *Mir*, his syllabis nulla nomina terminantur. *Mer*, correpta terminatum repperi[15] nomen tertiae declinationis, *ris* faciens genitivo, *hic*[16] *vomer*, *huius vomeris*, *er* ubique correpta[17]; dicitur et vomis, sic et faciens[18] genitivum. *Mor*, tertiae sunt declinationis, *ris* faciunt genitivo, *o* in nominativo[19] semper correpta, in genitivo, si appellativa fuerint, producta, ut *amor*, *amoris;* exceptis duobus, quae quamvis sint appellativa, tamen in

1) *Frigor, frigoris*, producta penultima veri simile est, eodem modo in usu fuisse, atque *decor*, *decoris.* Male a quibusdam scribitur *frigdor*. Cf. Gesn. thes. sub h. v. — 2) *Genitivum ut hic* P. — 3) *Pereunte, ut hic p.* P. *pereunte hoc pulcher* Asc. — 4) *Hoc latinum solum* Asc. P. — 5) *Reperies secundae declinationis, genitivo i litera terminatum* P. *Repperi secundae declinationis. nam genitivum i litera terminatum* Asc. atque ita etiam Cod. nisi quod *declinationis* omittit et *littera* scriptum habet. Hanc lectionem recepi, mutato tantum ultimo voc. *terminatum* in *terminat*, et retenta voce *declinationis.* — 6) *Terminatur* P. errore typ. — 7) *Invenitur* Asc. P. *terminatur* Cod. — 8) Plaut. Aulul. prol. 2. — 9) Virg. Aen. V, 744. — 10) *Hic hilar.* Recte sic Asc. et P. *hilar* (c supra scr.) (sic) Cod. — 11) Terent. Ad. IV, 7, 38. Id. ibid. V, 3, 56. — 12) *Terentio. Lēr. līr. nullum nomen repperi his syllabis terminatum.* Ita Cod. uno tenore. Sed supra scripta post v. *ler* haec leguntur: *hac littera duo nomina terminantur.* Quae iam sequuntur, in margine sunt: *siler et celer quae tertiae sunt declinationis.* — 13) *In* deest in Cod. — 14) *Exsanguis.* sic in Cod. *exanguis* Asc. P. Locus Sallust. in Cat. c. 15. fin. — 15) *Repperi nomen terminatum* Asc. P. — 16) *Genitivo ut vomer* P. *Genitivo hic vomer* Cod. Asc. — 17) *Er ubique correpta.* Sic rescripsi certissima coniectura. *ubique correptum* P. *et ubique correpta* Cod. Asc. — 18) *Sic faciens* P. omisso *et.* — 19) *O in nominativo.* Haec in Cod. supra scripta. — 20) Vv. *in genitivo* a Cod. adduntur. — 21) Vv. *sed dis* alio atramento in Cod. supra scripta. — 22) *Numeri — singulari* Cod. *numero — singulari* Asc. P. —

genitivo[20] corripiuntur, *marmor*, *marmoris; memor*, *memoris*, sicut supra docui. *Or* terminata nomina, si fuerint appellativa, in genitivo producuntur; exceptis quattuor, *arbor*, *arboris; marmor*, *marmoris; aequor*, *aequoris; memor*, *memoris*. Propria ubique corripientur semper, nullo excepto. Unum contra omnium rationem *or* terminatorum, et aliqua consonanti praeposita, genitivo *ris* non facit, sed *dis*[21], *discors*, *discordis*. *Mur*, et ipsa tertiae sunt declinationis, *ris* faciunt genitivo casu, *murmur*, *murmuris*, numeri semper singularis[22].

33. *Nar*, tertiae sunt declinationis, *ris* facient genitivum[23], *Nar*, *Naris*, nomen fluminis. Virgilius:

Sulfurea Nar albus aqua[24];

numero semper singulari. Nam hae *nares* numero semper plurali. Virgilius:

Cum genere et truncas inhonesto vulnere nares[25].

Ner, *Nir*, *Nur*, his syllabis nomen nullum repperi terminatum. Unum repperi, *Ner* correpta terminatum, declinationis tertiae, *ris* faciens genitivo, hic et haec et hoc *degener*, huius *degeneris*[26]. Virgilius:

Degeneres animos[27].

Lucanus:

Degener o populus[28]; [1457]

et aliud unum *gener*, secundae declinationis, *gener generi*[29]. *Nor*, tertiae sunt declinationis, *ris* faciunt genitivo, *o* in nominativo semper correpta, in genitivo vero in appellativis producta, ut[30] *hic honor*, *huius honoris;* minor[31], minoris; et honos.

Hic pietatis honos[32].

Propria corripiunt *o*, etiam in[33] genitivo, *Antenor*, *Antenoris; Agenor*, *Agenoris; Helenor*, *Helenoris*[34].

34. *Par* tertiae sunt declinationis, *ris* faciunt genitivo, *hic* et *haec* et *hoc par* vel *inpar;* paris vel inparis[35]; *dispar*, *disparis; compar*, *comparis*. *Per* terminata corripiuntur, et sunt secundae, nam *pri* faciunt genitivum, *caper*, *capri; aper*, *apri;* excepto uno generis omnis declinationis tertiae[36], *e* correptam in genitivo[37] ante *ris* habente, hic *pauper;*

pauperis Evandri[38];

23) *Nar tertiae sunt ris facient Nar naris* Cod. *Nar tertiae sunt ris facient genitivo singulari. Nar naris* Asc. Hoc loco Putschium secutus sum, nisi quod *facient* scripsi pro *faciunt*. — 24) *Sulpurea* Cod. *Sulfurea* Asc. P. Virg. Aen. VII, 517. — 25) *Plurali cum genere. Virgilius, et truncas inhonesto vulnere nares.* P. Verba *cum genere* absunt ab Asc. Quem exhibui ordinem, tuetur Cod. Virg. VI, 497. ubi tamen: *Auribus et truncas*, cet. Ego puto locum alium Virgilii periisse h. l., qui est Georg. IV, 300: *huic geminae nares*. Scribendum igitur censeam: Virgilius: *huic geminae nares. Et: truncas inhonesto vulnere nares.* — 26) Hunc locum ita exhibet P.: *Ner correpta terminatum, declinationis secundae, ri faciens genitivo, ut gener generi, et unum generis omnis declinationis tertiae, ris faciens genitivo* cet. Nos Cod. et Asc. secuti sumus. — 27) Virg. Aen. IV, 13. — 28) Lucan. Phars. II, 115. Cf. Prisc. VII, 13, 67. et Id. XVII, 27, 207. — 29) Vv. *et aliud unum — generi* omisit P., in margine exhibet Cod. — 30) *Ut* addidi e Cod. — 31) *Minor huius minoris*. Sic Asc. P. Sustuli v. *huius* auctoritate Cod. — 32) Nomen *Virgilius* versiculo praemissum, omisit Cod. Locus est Virg. Aen. I, 253. — 33) *In* addidi e Cod. — 34) Cod.: *haelenor haelenoris*. P.: *Elpenor Elpenoris*. Asc. quod dedimus. Desumtum nomen ex Virg. Aen. IX, 544. — 35) *Hoc par vel inpar, paris vel inparis*. Ita Cod. et Asc. Male correxit P.: *hoc par paris, vel impar imparis vel dispar*. — 36) *Tertiae declinationis* Asc. P. — 37) Vv. *in genitivo* addidi e Cod. — 38) *Pauperis Evandri* scripsi e Cod. qui exhibet *pauperis Euan*. Sed Asc. *hic pauper pauperis*, nihil amplius. P. vero: *hic et haec et hoc pauper pauperis*. Locus est Virg. Aen. VIII, 360. —

haec pauper.

Quam honeste in patria pauper vivere[1].

Et:

Paupere terra;

dicitur et *haec paupera.* Plautus:

Haec res est paupera[2];

et *hoc pauper.* Virgilius:

Pauperis et tuguri[3].

Et *hoc piper*, *piperis*[4]. Persius:

Rugosum piper[5].

Pir, *Pur*, his syllabis nullum nomen terminatur. *Por* tertiae sunt declinationis, corripiuntur in nominativo, in genitivo appellativa producuntur, *vapor*, *vaporis; sapor*, *saporis.* Legi unum novo modo figuratum apud Sallustium: *Publipor*, *Publiporis*[6]*;* nam quasi proprium est.

35. *Quar*, *Quer*, *Quir*, *Quur*, non reperiuntur his syllabis nomina terminata. *Quor* terminata nomina tertiae sunt declinationis, *ris* faciunt genitivo, *o* in genitivo appellativorum producta, *hic*[7] *liquor*, *liquoris;* excepto uno, et in genitivo correpto, *aequor*, *aequoris;* sicut *marmor*, *marmoris*, quae, sicut saepius docui, de appellativorum ratione excepta sunt, *or* syllaba terminatorum, *o* in genitivo productam habentium. *Rar*, *Rer*, *Rir*, *Rur*, his syllabis nulla nomina terminata inveni. *Ror* tertiae sunt, *ris* faciunt in genitivo[8], *o* producta in appellativis, *moeroris*, *erroris*, *terroris*[9], *sororis.* *Sar*, tertiae sunt declinationis, *ris* faciunt genitivo, *Caesar*, *Caesaris*, et si qua talia. *Ser* terminata omnia[10] corripiuntur, et sunt tertiae declinationis, id est[11] [1458] *ris* faciunt genitivo, si aliud genus ex se[12] non fecerint, ut *anser*, *passer; anseris*, *passeris.* Si fecerint aliud genus, secundae erunt declinationis, *ri* facient genitivo, *hic*[13] *miser*, *huius miseri*[14]. *Sir*, *Sur*, his syllabis nulla nomina terminantur. *Sor*, tertiae sunt declinationis, *ris* faciunt genitivo, *o* producta in appellativis, *messor*, *messoris; fossor*, *fossoris; caesor*, *caesoris*, et si qua talia.

36. *Tar* pura non inveni nomen aliquod terminatum. *s* littera vel alia consonanti[15] antecedente iuncta facit nomen tertiae declinationis, *ris* faciens genitivo[16], *instar*, *instaris; nectar*,

1) In Asc. et P. versiculo praemittitur nomen *Terentius*, quod abest a Cod. Locus est Terent. Andr. IV, 5, 3. ubi Bentl. e Codd. edidit *viveret.* Quae sequuntur *Et: Paupere terra* e Cod. adieci omissa in Asc. et P. Cf. Virg. Aen. VI, 812. — 2) Citat hunc Plauti e Vidularia locum Prisc. V, 3, 18. hoc ordine: *Paupera haec res est.* Similem Plauti locum citat Serv. ad Virg. Aen. XII, 519. ubi: *Paupera est haec mulier.* Nec absimilis locus in Rud. I, 5, 25. *Sed haec pauperes sunt inopesque res, puellae;* ubi fortassis legendum: *Sed haec pauperae sunt, inopes res, puellae;* quo etiam Codd. ducunt. — 3) Virg. Ecl. I, 68. — 4) Omisi *huius* ante v. *piperis* auctoritate Cod. — 5) Pers. Sat. V, 55. — 6) Cf. Priscian. VI, 9, 48. ubi fragmentum ex Historiarum lib. III. citatur: *Unus constitit in agro Lucano, gnarus loci, nomine Publipor.* Adde Gerlach. pag. 230. — 7) *Hic* Cod. *ut* Asc. P. — 8) Mendose Cod.: *ris faciunt genetivo in eo producta.* — 9) Cod.: *terroris terroris.* — 10) *Omnia* ita Cod. *nomina* Asc. P. — 11) *Id est* dedi e Cod. ubi sic diserte scriptum; *et* Asc. P. — 12) *Aliud ex se genus* Asc. P. — 13) *Ut hic miser* P. Abest *ut* ab Asc. et Cod. — 14) Hic intruduntur a P.: *facit enim, haec misera huius miserae*, quae vv. ignorantur a Cod. et Asc. — 15) *Consonantium* P. *Consonanti a entecedente* Cod. — 16) *Genitivum ut instar* P. *Genitivo, instar* Cod. Asc. Paullo post *Ter pura si non f.* Cod. Asc. Sed verius P. quod dedi. — 17) *Ut mater* P. Om. *ut* Cod. Asc. — 18) *Lynter lyntris* Cod. — 19) *Ut hic later*, *huius lateris* P. Om. *ut* Asc. Cod. Om. *huius* Cod. — 20) *Terentius: Pugnem lateremque lavem* P. pessime. Cod. et Asc. ut

nectaris. *Ter* terminata, si non fecerint aliud genus ex se, tertiae sunt declinationis, *mater*[17], *pater; matris, patris;* linter, lintris[18]. Unum in genitivo *e* correptam ante *ris* habet, *hic later*[19], *lateris*. Terentius:

Laterem lavem[20].

Si fecerint aliud ex se genus, secundae erunt declinationis, *i* genitivo facientia[21], *dexter, dextri;* facit dextra, dextrum. Excipitur unum, quod nominativo solum casu et vocativo declinatur, *hic Iuppiter, o Iuppiter;* nam qui declinant, *hic Iuppiter*[22], *huius Iovis;* declinent *hic Phoebus, huius Apollinis*. *Ster*, secundae sunt declinationis, *stri*[23] faciunt genitivo[24], *magister, magistri; Auster, Austri; noster, nostri*. Quidam excipiunt duo *ris* facientia genitivo, non *ri*[25], *equester, equestris; pedester, pedestris;* sed *equestris, pedestris*[26], melius dicitur. *Tor* sive pura, sive aliqua consonanti[27] praecedente iuncta, tertiae sunt declinationis, *ris* faciunt genitivo, *orator, oratoris; quaestor, quaestoris; Castor, Hector* . . . . . .[28] in genitivo, sicut saepissime docui; in appellativis producta est; exceptis illis quattuor supra positis, *arbor, arboris; aequor, aequoris; marmor, memor*. In propriis vero semper correpta, nunquam producta sunt, sive pura, sive aliqua consonanti praecedente, et iuncta. *Tur*[29] terminata nomina tertiae declinationis *ris* faciunt genitivo, *turtur, Astur; turturis, Asturis*. [1459]

37. *Var*, hac syllaba nomen nullum reperies terminatum. *Ver*, sive producta, sive correpta terminatum nomen tertiae declinationis, *ris* facit genitivo, *ver, veris*[30]; *cadaver, cadaveris*. *Vir* terminata nomina secundae sunt declinationis, *ri* faciunt genitivo, *vir, viri; Trevir, Treviri*[31]. *Vor*, tertiae sunt declinationis, *ris* faciunt genitivo, *livor, livoris*[32], *o* in nominativo correpta, in[33] genitivo producta, ratione quam saepe docui. *Vur, Xar, Xer, Xir*, his syllabis nulla nomina repperi terminata. *Xor*, tertiae sunt declinationis, *ris* faciunt genitivo, *o*[34] ante eam in appellativis producta, *uxor, uxoris*. *Xur, Zar, Zer, Zir, Zor, Zur*, his syllabis si quis nomen aliquod invenerit, doceat rationem declinationis. *Xyr*, inveni Graecum tertiae declinationis, *ris* faciente[35] genitivo, *Anxyr, Anxyris:*

Anxyris ense sinistrum[36].

38. *S* littera terminata nomina omnibus declinationibus reguntur[37], id est, quinque; nam

edidi. Locus est Terent. Phorm. I, 4, 9. ubi: *Purgem me? laterem lavem*. — 21) *Facientis* P. *facientia* Cod. Asc. — 22) Vv. *hic Iuppiter* addidi e Cod. — 23) *Stri faciunt*. Ita Cod. *tri* Asc. P. — 24) *Genitivum ut magister* P. Ego Cod. et Asc. secutus sum. — 25) *Non i* Cod. Asc. — 26) *Equestris et pedestris* P. Asc. *Et* om. Cod. — 27) *Consonante praecedente iuncta*. Ita Cod. *iuncta* om. P. Asc. *Consonanti* Asc. P. quod retinui. Sic paullo ante. — 28) *Castor, Hector* . . . . *in genitivo*. Sic lacuna versum unum excidisse significatum volui. Nam in Codice est: *quaestoris. castor. ector. in genitivo*. Pro his in Asc. habetur: *quaestoris. Castor corripit in genitivo*. Sed apud P.: *quaestoris, Castor Castoris, et corripit in genitivo*. Quas lectiones falsas esse, sequentia ostendunt. Putem scripsisse Grammaticum: *Castor, Hector, Actor*, (fortassis exciderunt plura similia) *o correpta in genitivo*. — 29) Hic locus in Cod. sic legitur: *siue aliqua consonante praecedente et iuncta terminata nomina*. Excidit syllaba *Tur*. *Consonanti* scripsi secundum Asc. et P. ut supra. — 30) Cod.: *facit gen'. verver, verberis, cadauer*. Asc.: *facit genitivo. Ver veris: cadaver*. P.: *facit genitivum, ut ver veris, cadaver*. Recte Ascensiana. — 31) *Trevir triviri* Cod. — 32) *Libor liboris* Cod. — 33) *In* addidi e Cod. et Asc. — 34) *O ante eam*. Ita necessario scribendum fuit. *U ante eam* omnes mei. In Cod. tamen *o* et *u* saepe confusae. — 35) *Faciens genitivo* Asc. P. — 36) Versiculum hunc adieci e Cod. Locus est Virg. Aen. X, 545. — 37) Ita Cod. *regunt* Asc. P. —

et *ae* diphthongo[1] faciunt genitivum, ut *Aeneas*, *Aeneae;* et *i*, ut *magnus*, *magni;* et *is*[2], ut *Venus*, *Veneris;* et *us*, ut *fructus*, *fructus;* et *ei*, ut *dies*, *diei; fides*, *fidei.* Ergo per syllabas nominativi[3] doceamus, qualis eveniat[4] genitivus, unde declinationes singulae declarantur[5]. *As* pura terminata paene tota Graeca sunt. Ergo si fecerint apud Graecos genitivum *ου*, erunt apud nos primae declinationis, id est, genitivum *ae* diphthongo terminabunt, ut *Λυσίας*, *Λυσίου*[6], *huius Lysiae; Αἰνείας*, *Αἰνείου*, *huius Aeneae.* Si apud Graecos fecerint genitivo[7] *τος*, apud nos erunt tertiae declinationis, *is* syllaba terminantia genitivum, ut *Θόας*[8], *Θόαντος*, *huius Thoantis*[9]. Feminini generis si erunt, et[10] ipsa tertiae sunt declinationis, sed *dis* terminabunt genitivum, ut *Θυάς*, *Thyas*, *Thyadis*[11], et omnia talia, quae contra rationem Latinitatis secundum Graecos ultima syllaba acuuntur, ut Thaumantias, Thaumantiadis. Nam si non[12] acuerimus, erit nomen generis masculini, et faciet genitivum *ae* diphthongo terminatum primae declinationis, ut *Pelias*, *Peliae*, et *Thaumantias*, *Thaumantiae*. *Es* pura inventa nomina La- [1460] tina, si producta fuerint, quintae erunt declinationis, nam genitivo *ei* facient separatis, ut *species*, *speciei; dies*, *diei*, et omnia talia; excepto uno tertiae declinationis *tis* faciente genitivo[13], *quies*, *quietis.* Ex hoc compositum producta *ei* faciet genitivo[14] quintae scilicet declinationis, *requies*, *requiei.* Correpta vero *es* tertiae sunt[15] declinationis, genitivo *tis* faciunt, *miles*, *militis; inquies*, *inquietis.* Omnia tamen in genitivo ante *is* vel ante *ei* producuntur. Graeca vero *es* pura terminata omnia producuntur, et tertiae sunt declinationis; nam *is* genitivo[16] faciunt, ut *Gobryes*, *Gobryis*[17], et si qua talia. *Es* correpta terminata tertiae sunt declinationis, *tis* faciunt genitivo, ut *aries*, *arietis*, et si qua talia[18]. *Aes* terminata Latina sunt omnia tertiae declinationis *ris* vel *dis* facientia genitivo[19], ut *aes*, *aeris; praes*, *praedis.* Quidam, *hi praedes*, numero semper plurali putant, sed errant. Nam Cicero: *Pro praede litis vindiciarum*[20]. *Is* pura terminata et Graeca sunt, et *dis* faciunt genitivo, *Lais*, *Laidis; Thais*, *Thaidis; Nais*, *Naidis.* Virgilius poetice *Naias*, *Naiadis*, posuit:

Aegle Naiadum pulcherrima[21];

non *Naidum.* Excipiuntur duo, quae *is* vel *tis* faciunt genitivo, *Calais*, et nominativo et genitivo; *hic Simois*, *huius Simois*, vel *Simoentis.* Omnia tamen tertiae sunt declinationis.

39. *Os* pura terminata Latina[22] duo inveniuntur monosyllaba, unum productum, *ris* fa-

1) *Diphthongo faciunt.* Sic emendavi Cod. scripturam *diphongon.* Male in Asc. et P. *diphthongum.* — 2) *Et is* h. l. desunt in Cod. — 3) *Nominativi* Cod. Asc. *nominatim* P. — 4) Ita Cod. *evenit* Asc. P. — 5) *Declarantur.* Sic recte Cod. *declinantur* Asc. P. — 6) Haec et sequentia Graeca Graecis litteris sunt scripta, sed sine accentt. et spiritt., in Cod. Ceterum Cod. *αινιας αινιου.* — 7) *Fecerit genetivo* Cod. *fecerint genitivo* Asc. *fecerint genitivum* P. — 8) *Is syllaba terminant ut Θόας*, ita Cod. mendose. Graeca omittit hic et in supp. Asc. — 9) *Thoas, huius Thoantis* Asc. P. Primam voc. om. Cod. — 10) *Et ipsa* Cod. Asc. *ut ipsa* P. — 11) Haec ita in Cod., ut voluisse videatur librarius: *ꟷΥΑϹ ꟷΥΑΔΟϹ Hyadis.* Sed haec traducta lineola delevit, et supra scripsit: *hyas thyas thyadis*, pro quibus tutissimum existimavi scribere, quae dedi. Nec tamen dubito, vera esse haec: *Ὑάς*, *Ὑάδος*, *huius Hyadis*, ad normam eorum quae superius leguntur. *Troas Troadis* Asc. *Τρῳάς*, *Τρῳάδος*, *Troas Troadis* P. — 12) Negandi particulam adieci ex Asc. *Nam si acuerimus* Cod. *Nam si ti acuerimus* P. — 13) Vv. *tis faciente genitivo* in Cod. supra versum scripta. *tis faciens genit.* Asc. Tum *ut quies* P. *ut* om. Cod. Asc. — 14) *Producta ei faciet in genitivo.* Legendum haud dubie: *producta e.* Tum *facit* P. Asc. *genitivum* P. *Facient in genetivo* Cod. *in genitivo* etiam Asc. — 15) *Sunt* addidi e Cod. et Asc. Paullo post: *tis faciunt genitivo* Asc. *tis faciunt genitivum* P. Ordinem ex Cod. recepi. — 16) V. *genitivo* h. l. om. Cod. — 17) Cod.: *gobrues gobris* (sic). — 18) *Et si qua sunt talia* P. *sunt* om. Cod. Asc. — 19) *Genitivum* P. *genitivo* Cod. Asc. — 20) Cic. in Verr. I, 45. In Cod. *praedae.* — 21) Virg. Ecl. VI, 21. — 22) *Latinitatis duo* P. Quod dedimus, est in Cod. et Asc. —

ciens genitivo, *os*, *oris;* et aliud correptum, *sis* faciens genitivum[23], *os*, *ossis*. Quidam *hoc ossum* dicunt, sed errant. Nam omnia *um* terminata dativo et ablativo pluralibus *is* faciunt[24], hoc autem *bus*, *ossibus*, secundum rationem tertiae declinationis, *is* genitivo singulari terminatae[25]. Graeca secundae erunt declinationis, *Lageos*, *Lagei*. Virgilius:

Tenuisque Lageos[26].

Virgilius: *Androgeos*, *Androgei;* hoc producitur, illa corripiuntur omnia; haec in genitivo [1461] ante novissimam litteram, aut corripient, aut eam in *i* mutabunt. *Us* pura terminata, si *i* ante se habuerint, genitivo facient duas *i*, secundae scilicet declinationis, *Virgilius*, *Virgilii; Terentius*, *Terentii;* sin alteram vocalem, una *i*, ut *arduus*, *ardui; carduus*, *cardui*. *I* ergo ante *us* habentia, si propria fuerint, vocativo *i* terminabuntur, ut *o Virgili*, *o Terenti;* sin appellativa[27], *e* correpto, *o egregie;* exceptis comparativis, quae tertiae sunt declinationis, *ris* genitivo facientia, ut *hoc carius*, *huius carioris*, *melioris*[28]. Omnia tamen comparativa *us* syllaba terminata generis sint[29] neutri necesse est. *Aus* terminata, tertiae erunt declinationis, *dis* faciunt genitivo, *laus*, *laudis*; *fraus*, *fraudis*. *Eus* secundae sunt declinationis, *i* faciunt genitivo, *Tydeus*, *Tydei; Peleus*, *Pelei*. *Vos* vel *Vus*[30] secundae sunt[31] declinationis, *i* faciunt genitivo, *hic cervus* vel *cervos*, huius cervi; *nervus* vel *nervos*, *huius nervi*[32], et si qua talia.

40. *Vas* terminata, tertiae sunt declinationis, *sis* vel *dis* faciunt genitivo[33], *vas*, *vasis;* Terentius:

Nec vas, *nec vestimentum*[34]*;*

Vas, *vadis;* Cicero: *Tanquam vade*[35]*;* et si qua talia. *Ves* omnia corripiuntur et sunt[36] tertiae declinationis, *tis* facientia genitivo, ut *dives*[37], *divitis* et si qua talia. *Vis* tertiae sunt declinationis, *is* genitivo[38] facientia, *haec navis*, *huius navis;* nominativo plurali *ves* producto faciunt, *hae naves;* excepto uno[39], quod facit *res* nominativo plurali, *haec vis*, *huius vis*, *hae vires*. Lucretius tamen numero plurali *hae vis* et *has vis*[40], ut sit plurali et *hae vis*, *has vis*, o *vis*, casus habens in numero plurali tres. Excipitur unum, quod *ris* facit genitivo, *hic pulvis*, *huius pulveris*, numero semper singulari. *Bas* terminata Graeca sunt, unde si apud illos genitivo τος

23) Cod.: *Et alium t ri correptum sis faciens genetivum.* Sed *ri* deletum. *Et aliud correptum sis f. genitivo* Asc. P. — 24) Cod.: *pluralib. his faciunt.* — 25) Cod.: *terminata.* Asc.: *terminatum.* P.: *terminatorum.* Quod scripsi, res ipsa postulat. — 26) Virg. Georg. II, 93. Omnem hunc locum Cod. ita exhibet: *lageus lagei* (quae iam seqq. supra scripta sunt) *vergi*ˀ *tenuisque lageos. Vergilius androgeus androgei.* Tum Cod.: *nam illa corr.* In Asc. et P.: *tenuisque Lageos Androgeos* cet. Nomen *Virgilius* bis putavi scribendum, emendatore Codicis iubente. — 27) *Sin appellativa.* Ita recte Cod. Deest *sin* in Asc. P. — 28) *Huius carioris, melioris.* Cod. Asc. *huius carioris, huius melioris* P. — 29) Cod. mendose: *sunt.* — 30) *Vus vel vos* Asc. P. — 31) *Sunt* add. Cod. Asc. Abest P. — 32) *Cervus vel cervos huius cervi, nervus vel nervos huius nervi.* Cod. *Cervus vel cervos, nervus vel nervos, huius nervi* Asc. P. — 33) *Genitivum* Asc. P. — 34) Ter. Heaut. I, 1, 89. — 35) Cod. *tamquam* (with *n* written above) (sic). Locus est a me non inventus. — 36) *Sunt tertiae* Cod. *tertiae sunt* Asc. P. — 37) *Ut dives* Cod. Asc. *ut* deest apud P. — 38) *Genetivo facientia* Cod. *facientia genit.* Asc. P. — 39) *Excepto uno* Cod. *uno* deest in Asc. et P. — 40) Totus hic locus ita exhibetur in Cod.: *Hae vires lucetius tamen numero plurali hae vires* (sic duabus mediis litteris *re* traductis) *et has vis* (sic clare) *ut sit plurali et hae vis has vis o vis.* Alia sunt in Asc. et P.: *hae vires. Lucretius tamen numero plurali hae vires et has vis, ut sit nomen vires numero semper plurali; et haec vis, hae vis, has vis, o vis* cet. Quae quam male se habeant, sponte intelligitur. Lectio Cod. nostri omne vulnus persanat. Ceterum respicitur Lucretii locus Lib. III, 266. *Sed quasi multae vis unius corporis exstant.* Adde Eund. II, 587. Cf. quae ad priorem Lucretii locum nuper notavit Forbiger. —

fecerint, apud nos *tis* tertiae declinationis, *hic Abas*, *huius Abantis;* nam apud illos *Ἄβαντος*. Si apud illos *βου*, apud nos *bae*, primae scilicet declinationis, Iarbas Iarbae[1]*;* *Ἰάρβου* enim facit. *Bes* terminata producta, sunt semper tertiae declinationis, nam *bis* faciunt genitivo, *haec labes*, huius labis, nubis[2]. Unum correptum repperi, et ipsum tertiae declinationis, et *ris* [1462] faciens genitivo, *hic* et *haec* et *hoc pubes*, *huius puberis.* Sic Aquila[3] rettulit Tullium dixisse, quam declinationem secutus Sallustius in Iugurtha: *Puberes interfecit*[4]. *Bis* tertiae sunt declinationis, nam *bis* faciunt genitivo, *hic Anubis*, vel *Ucurbis*, *huius Anubis*, vel *Ucurbis*[5], nomen civitatis lectum in Salustio, *hic scrobis*, *huius scrobis*, genere masculino; sic Plautus:

Sexagenos scrobes[6].

haec Saetabis, huius Saetabis[7]. hic et haec inpubis, huius inpubis. Virgilius:

Comitemque inpubis Iuli[8].

poterit et inpubis, inpuberis, sicut Tullius: *Filiumque eius inpuberem*[9]. *Bos* terminata producuntur et tertiae sunt declinationis, *vis* etenim faciunt genitivo, *hic* et *haec bos*, *huius bovis.* Horatius:

Intactas boves[10]*;*

his et ab his *bubus*, non *bovibus.* Quidam hic labos et haec arbos declinaverunt, sed melius *or* terminabuntur, *labor*, *arbor.* Lectum est *Stobos* in Salustio[11], numero semper plurali, *hi Stobi*, nomen civitatis. *Erebos* Graecum est, quod poterit Latine *Erebus*[12] dici. *Bus* omnia secundae sunt declinationis, *bi* faciunt genitivo, *nimbus*, *cibus*, *albus; nimbi*, *cibi*, *albi*, et si qua talia.

41. *Cas* unum repperi terminatum tertiae declinationis, *dis* faciens genitivo, *Arcas*, *Arcadis.* *Ces* omnia producuntur, sed Latina *dis* faciunt genitivo, *haec*[13] *merces*, *mercedis;* Graeca *cis*, *Drances*, *Drancis*, vel *tis*, *Drancetis*[14]*;* *Saces*, *Sacis*, vel *Sacetis*; omnia tamen decli-

1) *Ut Hiarbas Hiarbae* Asc. P. *ut* abest a Cod. Ceterum Graeca desunt in Asc. sed in Cod. partim Graecis partim Latinis litteris scripta sunt. Paullo ante *primae scilicet declinationis* e Cod. scripsi; *scilicet* abest ab Asc. et P. — 2) *Labes*, *nubes*, *huius labis*, *nubis*; *vel haec nubs huius nubis. unum.* Ita P. Sed in Asc.: *Labes nubes: huius labis nubis. unum.* Brevior etiam ratio in Cod. quam praetuli: *labes*, *huius labis nubis. Unum.* Ita enim saepe exempla accommodat Probus. — 3) *Aquila.* Fuit is fortasse *Aquila*, libertus Maecenatis, quem testatur Isidorus Hisp. Origg. lib. I, 21. notas quasdam adinvenisse. *Iulium* quendam *Aquilam* librum reliquisse *de Etrusca disciplina*, auctor est Plin. H. N. II, 11. *Aquilam* laudat etiam Chalcidius in Tim. p. 373. ed. Meurs. Ab his diversus *Aquila Romanus*, rhetor, qui in collectionibus antiquorum rhetorum habetur. Quid noster hic *Aquila*, quem memorat Probus, de Cicerone scripserit, ignoratur. — 4) *Puberes interfecit.* Sic Cod. *Puberes*, *ait*, *interfecit* Asc. P. Male. Locus Sallust. est Iug. 54. ubi tamen *interficit* editur. Alius locus est Iug. 26. ubi: *Dein omnis puberes Numidas et negotiatores promiscue, uti quisque armatis obvius*, *interfecit*, ubi tamen novissimus Editor *Gerlachius* ultimam vocem uncis inclusit. — 5) Pessime utrobique *Curubis* Asc. P. *Ucurbis* diserte Cod. Est civitas illa Hispaniae Baeticae, inter flumen Salsum et Atteguam sita, quae apud Caes. de bello Hisp. c. 7. dicitur *Ucubis*, quemadmodum vulgo ibi legitur. Utra scriptura verior sit, non possum decernere. Recensetur hoc fragm. Sallust. a Gerlachio p. 247. — 6) *Plautus.* Exemplum apud Plautum non legitur, nisi inter fragmenta. Priscianus citat bis lib. V, 7, 41. et lib. VII, 8, 40. ex Plauti Amphitruone sic: *Ibi scrobes effodito duplos sexagenos in dies.* Cf. tamen Forcellini lex. sub v. Adde Serv. ad Virg. Georg. II, 50. et 288. Priori loco Prisciani ad hunc Probi locum respicitur. — 7) *Saetabis* ab Asc. et P. tanquam nomen appell. scribitur. Est autem nomen fluvii et oppidi in Hispania. Cf. Mannert. tom. I, pag. 425. Ceterum Cod. bis *raetabis.* — 8) Virg. Aen. V, 546. *Inpubis* ubique e Cod. dedi. — 9) Cic. in Cat. IV, 6. Cod. *inpuberisicut tullius filiusque* (sic). — 10) Horat. Epod. IX, 22. Cod. in supp. *genetivo ic et haec et hoc bos huius bobis.* — 11) *Stobos* habetur

nationis tertiae. *Cis* tertiae sunt declinationis, nam *cis* faciunt genitivo, *hic* et *haec dulcis*, *huius dulcis*. Quidam putant, *haec calcis*, debere dici, non *haec calx*, sed errant. Nam *cis* terminata, si non fuerint generis communis, Graeca sunt, *hic Acis*, nomen fluvii in Sicilia. *Cos* nullum nomen Latinum repperi[15] terminatum; inventor sit etiam doctor[16] rationis declinandi. Unum repperi Graecum secundae declinationis, *ci* faciens genitivo, *Damascos*, *Damasci*, sicut Lucanus:

Ventura Damascos[17];

nomen civitatis. *Cus*, hac syllaba terminata masculina quidem omnia secundae sunt declinationis, nam *ci* faciunt genitivo[18], *Marcus*, *saccus*, *porcus*, *truncus; Marci*, *porci*, *sacci*, *trunci.* [1463] Excipiuntur tria quartae declinationis, *arcus*, *lacus; acus* deminutivo genus non servat[19], *hic aculeus*, non *haec aculea.* Feminina vero *cus* terminata quartae, *cus* facientia[20] genitivo, *quercus*, *huius quercus; haec ficus*, *huius fici*, pomum[21]; sic Martialis[22]:

Dicamus ficos quas constat in arbore natas;

et *huius ficus:*

Dicemus ficus Caeciliane tuos[23].

Neutra nomina *cus* terminata tertiae sunt declinationis, *ris*[24] facientia genitivo, *pecus*, *ulcus; pecoris*, *ulceris. Secus*[25] duas res significat, adverbium separandi:

Haud secus ac iussi faciunt[26];

et sexum, Salustius: *Virile ac muliebre secus*[27]. Omnia autem nomina neutra *us* terminata tertiae sunt declinationis, *ris* faciunt genitivo; exceptis quattuor, *vulgus*, *pelagus*, *pus*, *virus.* Sed *vulgus* et *pelagus* secundae sunt declinationis, *gi* faciunt genitivo, *pelagi*, *vulgi*, numero semper singulari. *Vulgus* neutro et masculino[28] genere declinatur. Virgilius:

Ignobile vulgus[29];

et:

inter fragmm. Sall. apud Gerlach. pag. 256. Sed Cod.: *arbor. bos. lectum stobos lectum in Salustio.* Quae dedi, exhibent Asc. P. — 12) *Erebos* — *Erebus* Asc. *Herebos* — *Herebus* P. et Cod. — 13) *Genctivo*, *haec merces* Cod. *genitivo ut merces* Asc. P. — 14) *Drancis vel tis Drancetis.* Ita Cod. *Drancis vel Drancetis* Asc. P. — 15) Hoc ordine Cod. *Nomen repperi latinum* Asc. P. — 16) *Inventor sit etiam doctor rationis declinandae declinationis ci faciens.* Ita Cod. uno versu omisso. Idem in Asc., nisi quod ibi: *declinationis. gracca ci facient.* P. ita correxit: *inventor doceat rationes declinandi. Unum repperi graecum secundae declinationis*, *ci faciens*, quae ex parte ascivi. — 17) Lucani Phars. III, 215. ubi *ventosa Damascos.* Sic etiam apud Probum legendum puto; nam in Cod. Bobiensi *s* et *r*, *u* et *o* saepenumero dignosci non possunt. — 18) Ita Cod. *Genitivum ut* P. In Asc. desunt vv. *nam ci faciunt genitivo ut.* Abest *ut* in Cod. ergo omisi. Sequentia ita in Asc.: *Marcus*, *saccus*, *porcus*, *truncus. Marci*, *porci*, *sacci*, *trunci.* In P.: *Marcus*, *porcus*, *saccus*, *truncus*, ceteris omissis. Dedimus Cod. lectionem, nisi quod *trunci* ex Asc. addidimus. — 19) Cod. Asc.: *deminutivo genus servat*, nisi quod *diminutivo.* P.: *genus non servat diminutivo.* Negationem ex P. ascivimus. — 20) Ita Cod. Asc. *Feminina vero cus terminata quartae sunt declinationis, cus faciunt genitivo* P. — 21) Ita Cod. Asc. *haec quercus*, *huius* — *huius ficus et fici*, *pomum* P. — 22) Martial. Epigr. I, 66. Valde exercuit hoc epigr. Grammaticos et Criticos. Cf. Prisc. VI, 14, 76. ubi Codd. plerumque bis *ficus.* Rem, puto, Probus dirimit. Apud Martialem vulgo *ficus* superiori versu pro feminino, *ficos* inferiore pro masculino, quod mihi falsum videtur. Praeterea apud Prisc. *quas scimus in arbore nasci;* quod etiam apud Martialem vulgo editur. — 23) Vv. *Caeciliane tuos* desunt in Cod. — 24) *Ris* deest in Cod. — 25) Male scriptum in Cod. *pecus.* — 26) *Haud s. ac iussa et sexus.* Ita corrupte in Cod. Locus est Virg. Aen. III, 236. 561. — 27) Sallust. Fragmm. Hist. lib. II, fr. 41. cf. Edit. Gerl. pag. 220. — 28) Male Cod.: *Vulgus et masculino genere d.* — 29) Virg. Aen. I, 149. Ceterum Cod. *ignovile.* —

Hinc spargere voces
In vulgum ambiguas[1].

Pus et *virus* tres casus tantum recipiunt, in numero tantummodo singulari declinantur, hoc *pus* vel *virus*, o *pus* vel *virus*.

42. *Das*, primae sunt declinationis, *dae* faciunt genitivo, *Lycidas*, *Midas*, *Lycidae*, *Midae*[2]; et si qua talia. *Des* omnia sunt producta et paene Graeca omnia, unde arbitrio nostro declinabuntur, et tertiae declinationis ratione *dis* facientia genitivo, et primae *dae* terminata casu genitivo, *Pelides*[3], *Tydides; Pelidis* vel *Pelidae*, *Tydidis* vel *Tydidae*. Unum nomen Latinum repperi, *des* syllaba finitum[4] declinationis quintae, *ei* separandis faciens genitivo[5], *fides*, *fidei*, *e* in genitivo correptam. Rationem supra docui. Legi *hic Oedipodes*, *huius Oedipodae*. Nam si *hic*[6] *Oedipos* declinaverimus, genitivo faciet *dis*[7], sicut *Melampos*, *Melampodis; Lysipos*, *Lysipodis*. Nam si ante *pus* syllábam nominativus *p* litteram[8] habuerit, *pi* faciet genitivo [1464] declinationis secundae[9], *Lysippus*, *Lysippi; Chrysippus*, *Chrysippi; Philippus*, *Philippi*. *Dis* terminata tertiae sunt declinationis, *dis* faciunt genitivo, *hic* et *haec rudis*, *huius rudis; haec fidis*[10], *huius fidis:*

Fidibusque canoris[11];

haec glandis, sicut Virgilius[12]. *Dos* producta tertiae sunt, *tis* faciunt genitivo, *dos*, *dotis; sacerdos*, *sacerdotis*. *Dos* correpta Graeca sunt, secundae sunt[13] declinationis, *di* faciunt genitivo, *Tenedos*, *Tenedi;* potest tamen *Tenedus* dici. *Dus* omnia masculina secundae sunt, *di*[14] faciunt genitivo, *nidus*, *nidi; tardus*, *nardus*, *haec Aradus*, *nardi*, *Aradi*[15]. Sed melius *nardos* et *Arados* dicuntur, sicut *Tenedos*, nam Graeca sunt. Excipitur unum[16] quartae declinationis, *dus* faciens genitivum, ut *hic gradus*, *huius gradus*. nam neutra nomina *dus*[17] terminata *ris* faciunt genitivo, *pondus*, *ponderis; sidus*, *sideris;* ratione neutrorum *us* terminatorum, quam supra docui. Nam feminina *dus* terminata non repperi Latina.

43. *Fas* tertiae est declinationis, Graecum *tis* faciens genitivo[18], non ante *a n* habens, *elefas*, *elefantis;* dicitur et *elefantus*, huius[19] *elefanti*, secundae declinationis. Latina duo repperi indeclinabilia, *hoc fas*, *hoc nefas*. Nam *fandi* atque *nefandi*, a nominativo venit *hoc fandum* et hoc *nefandum*. *Fes*, *Fis*, *Fos*, his syllabis non repperi nomina terminata; doceat, qui reppererit[20]. *Fes* inveniuntur, sed vulgaria. *Fus* secundae sunt declinationis, *fi* facient genitivo,

1) Virg. Aen. II, 99. Hic locus in Cod. om. ubi legitur: *ignovile vulgus. pus. et virus.* — 2) *Lycidas Lycidae, Midas Midae* Asc. P. — 3) *Genitivo ut Pelides* P. — 4) *Des syllaba terminatum* Asc. P. — 5) *Genitivum* P. — 6) Additum *hic* e Cod. — 7) *Genitivo dis faciet* Asc. P. — 8) *Litteram* add. e Cod. deest in Asc. P. — 9) *Secundae declin.* Asc. P. — 10) *Haec fides* P. ex errore typ. — 11) Virg. Aen. VI, 120. — 12) Virg. Georg. IV, 81. *Nec de concussa tantum pluit ilice glandis;* ubi *glandis* genitivum esse non perspexit Probus. — 13) Add. *sunt* e Cod. — 14) *Et di faciunt* Asc. P. — 15) *Tardus*, *nardus*, *haec Aradus*, *nardi*, *Aradi*. Ita dedi Codicem secutus. Asc.: *tardus tardi: nardus haec aradus nardi aradi*, fortasse recte. P.: *tardus tardi, nardus nardi, haec Aradus Aradi.* — 16) *Nam graeca sunt. Excipitur unum.* Recte sic P. In Cod. est: *Nam graeca excipiuntur unum.* Asc.: *nam graeca. excipitur unum.* — 17) Male in Cod. *dis.* — 18) *Genitivum* P. — 19) *Huius* add. e Cod. Ceterum littera *f*, quacum scripsimus hoc nomen, in Cod. est. — 20) *Qui repperiet* Cod. sed corr. — 21) *Sunt declinationis* P. — 22) *Gis*, *stragis* Cod. Asc. *gis*, *ut strages stragis* P. Retinui *strages*, licet desideretur in Cod. Asc. — 23) *Gae gyges vel gygetis* Cod. male. — 24) *Gos* in Cod. supra scriptum. — 25) *Quidem* add. Cod. — 26) *Hoc Argi*, *ut hoc porrum* P. A. Cod. ignorat *ut*, male. — 27) *Secundae declinationis sunt* P. Statim post *g faciunt* ex errore typ. P. — 28) *Omnia tertiae sunt* P. *sunt* om. Asc. — 29) *Facientia* P. Asc. — 30) Virg. Georg. II, 86. — 31) Relatum inter Sallustii fragmm. a Gerl. pag. 243. Recurrit hoc idem voc. infra. — 32) *Ut* interposui sententia flagitante, licet

rufus, *rufi;* et si qua talia. *Gas* unum Latinum monoptotum repperi, generis omnis, *nugas*. Graeca tertiae sunt declinationis, *tis* facientia genitivo, *n* ante eam habentia, *Gigas*, *Gigantis*. *Ges* correpta tertiae sunt[21], *tis* faciunt genitivo, *seges*, *segetis;* producta vero *gis*[22], *strages*, *stragis*. Graeca vero *gis* vel *tis* vel *gae*, *Gyges*, *Gygis*, vel *Gygetis*[23], vel *Gygae; Ganges*, *Gangis*, vel *Gangetis*, vel *Gangae*. *Gis*, non inveni hac syllaba nomen terminatum. *Gos*[24] et corripitur, et Graecum est, hoc *Argos*, *huius Argi*, declinationis secun- [1465] dae. Hoc tamen nomen numero quidem[25] singulari, genere neutro dicitur, plurali vero, masculino, *hi Argi*, ut[26] *hoc porrum*, *hi porri*. His contraria sunt numero singulari masculina, plurali neutra, *hic Tartarus, haec Tartara; hic Gargarus, haec Gargara; hic Maenalus, haec Maenala*. *Gus*, secundae sunt[27], *gi* faciunt genitivo, *mergus*, *mergi*. Neutra, sicut supra docuimus, *us* terminata, omnia sunt tertiae[28] declinationis, *ris* genitivo facientia, *frigus*, *frigoris;* exceptis quattuor, *vulgus*, *pelagus*, *pus*, *virus*, de quibus paulo ante tractavi.

44. *Has*, tertiae sunt Graeca, *dis* genitivo faciunt[29], *Orchas*, *Orchadis*. Virgilius[30]:

Orchades et radii.

Unum inveni barbarum monoptotum, *Naphthas;* Sallustius[31] posuit. *Hes* producta Graeca sunt tertiae declinationis, *chis* vel *tis* facientia genitivo, *Laches*, *Lachetis*, vel *Lachis;* ut[32] *Chremes*, *Chremis*, vel *Chremetis; Dares*. Terentius:

Puerum conveni Chremis[33].

His, tertiae sunt[34], *dis* faciunt genitivo, *Bacchis*, *Bacchidis*. *Hos*, non inveni nisi unum barbarum numero semper plurali, *Tarrhos*[35], nomen civitatis lectum in Sallustio. *Hus* anteque[36] *c*, *Orchus Orchi*, secundae declinationis. *Ias*, Graeca, *dis* faciunt genitivo, declinationis tertiae, *Thyias*, *Thyiadis*[37]. *Ies*, *Iis*, his iunctis nullum nomen repperi terminatum. *Ios* productum, unum inveni, sed numero plurali[38], *Veios*, civitatis nomen[39]. *Ius* monosyllabum, *u* ante *ris* habebit in genitivo, *ius iuris;* disyllabum[40] vel amplius, comparativa, et ipsa *ris* faciunt genitivo[41], sed ante eam *o* productam, *maius*, *maioris; peius*, *peioris*. *Kas*, *Kes*, *Kis*, *Kos*, *Kus*, his syllabis nullum nomen terminatur, ratione *K* litterae, quam supra docui, quod nunquam nisi *a* solum post se habet, nulla altera littera secum iuncta.

45. *Las*, si vocalem ante se habuerit, *t* vel aliam[42] consonantem praeter *l*[43], primae

desit in Cod. Asc. P. Supra in simili re: *ut hoc porrum.* — 33) Terent. Andr. II, 2, 31. Cf. Priscian. VI, 11, 60. — 34) *His, tertiae declinationis sunt*, *graeca* P. *His tertiae sunt, dis* cet. Cod. Asc. quod scripsi. — 35) Cod. *tharros* (h supra scr.) (sic). Hoc si verum est, scribendum *Thorrhos*, ut sit Graecum Θάῤῥος. Intelligitur fortasse oppidum Cretense, quod tamen apud Mannert. tom. VIII, pag. 700. scribitur *Tarros*. Sed vid. infra 50. — 36) *Hus ante c* contra mentem Grammatici et sine sensu A. P. Sed Cod. qui pariter habet *ante c* supra litteram *c* scriptum habet *que*, unde intelligitur *anteque c* voluisse librarium. Omnia tamen haec: *Hus anteque — secundae decl*, in margine Cod. scripta sunt. — 37) *Tertiae declinationis*, *Thias*, *Thiadis* Asc. P. Non est vox Graeca θιάς. Cod.: *declinationis tertiae thyas thyadis.* Scripsi igitur *Thyias*, quod est Graecorum θυιάς. — 38) *Unum inveni numero semper plurali* Asc. P. *Un. inveni sed numero pl.* Cod. — 39) His addit P.: *dicitur sicut Tarrhos*, quae recte absunt ab Asc. et Cod. — 40) *Dissyllabum* Asc. P. *disyllabum* Cod. — 41) *Genitivo* additum e Cod. — 42) *Si vocalem ante habuerit, e, vel aliam.* Ita corrupte Asc. P. *Si voc. ante* (se supra scr.) *habuerit* (sic) *t vel aliam* Cod. Scribendum tamen potius videtur: *c vel aliam;* *c* et *t* aliquoties confunduntur in Cod. — 43) *Praeter l, r, primae.* Ita falso Asc. P. In Cod. est: *praeter r* (l supra scr., r subpunctum) (sic), unde intelligitur *r* plane esse delendum, id quod vel sine Cod. ex seqq. intelligi poterat. Paullo post *asilas asilae* (sic) in Cod. supra scr. —

erunt declinationis, *Hylas*, *Hylae; Asylas*, *Asylae; Amyclas*, *Amyclae*, nomen lectum in Lucano:

Molli consurgit Amyclas, [1466]

Quem dabat alga, *toro*[1].

Si *l* habuerint, tertiae erunt declinationis, nam aut *dis*, aut *tis*, faciunt genitivo, ut *Pallas*, *Palladis*, vel *Pallantis.* Quidam putant tunc *t*[2] debere dici, *Pallantis*, si nominativus *n* habuerit[3]; tunc *Palladis*, si non habuerit *n* nominativus; sed errant. Nam nullum de his nominibus *n* habet. Sed differentia genitivi ab accentu nominativi cognoscitur; *Pallas* in *pal* habens acutum *Pallantis* facit; Pallas in *las*[4] habens acutum *Palladis* facit. Excipitur unum, quod quamvis *l* habeat ante *las* in nominativo, tamen genitivo nec *tis* facit nec *dis*, sed *lae*[5], ratione primae declinationis, non tertiae, *Achillas*, *huius Achillae*[6], nomen lectum in Lucano. *Les* correpta Latina *tis* faciunt genitivo, *miles*, *militis; e* in *i* mutata. Excipitur unum, quod in genitivo *e* producit, *locuples*, *locupletis.* Producta Latina *lis* faciunt[7], *Hercules*, *Achilles; Herculis*, *Achillis*[8]. Unum legi *Les* terminatum generis neutri, sine aliqua ratione declinationis, *Cales*[9], nomen oppidi. Graeca *Les* terminata omnia producuntur, et aut *lis* faciunt genitivo, vel *tis*, ut *Thales*, *Thalis*, vel *Thaletis; Eteocles*, *Eteoclis.* Ergo omnia tertiae sunt declinationis. *Lis* terminata omnia tertiae sunt declinationis, nam *lis* terminant genitivum, *hic facilis*, *huius facilis*; *hic mollis*, *huius mollis;* excipitur *tis* faciens genitivo[10], *haec lis*, *huius litis.* Graeca *lis* terminata aut *lis* facient genitivo[11], aut *dis* ut *Damalis*, *huius Damalis*, vel *Damalidis*, nomen meretricis Horatianae[12]. Hoc tamen scire debemus, quod omnia nomina Latina *lis* terminata communia sunt generum duorum[13], ut *hic* et *haec facilis*, *difficilis*, *mollis* (excipitur unum *lis*)[14] *hic* et *haec gracilis*, *hic* et *haec imbecillis.* Sed Terentius nove:

Ut gracilae sient[15];

nominativo singulari, *haec gracila*, *haec imbecilla.* Nam si a nominativo *lis* terminato posuisset nominativum pluralem, *les* terminabat, *graciles.* Tale est Salustianum: *Imbecilla aetas*[16], non *imbecillis.* Hoc tamen scire debemus, quod *lis* terminata Latina communia sunt duum [1467] generum, neutrum facientia[17] *e* correpto, excepto *lis*, *litis.* *Los* producta unum nomen repperi terminatum; et correptum unum[18], apud Lucanum lectum, *haec Mallos*, *huius Malli*, secundae declinationis, nomen civitatis; nam producta, *colos*, *coloris;* Salustius: *Igitur colos exunguis*[19]; sed melius *color* dicitur. *Lus* terminata omnia secundae sunt declinationis, *li* facient genitivo,

1) *Dabat alta toro* Cod. sed *t* et *c* in Cod. saepe confunduntur, scripturae ductibus similes. Unde coniicio, in archetypo lectum esse *alca* pro *alga*. *Alga* Asc. P. Locus est Lucan. Phars. V, 520. — 2) *Tunc t* Cod. recte. *tunc* omisso *t* Asc. *cum t* P. — 3) Cod.: *Si nominativum non habuerit* (s supra *nominativum*) i. e. *si nominativus n habuerit.* — 4) *Pallas in las habens.* Ita recte Cod. *In las* desunt in Asc. et P. — 5) *Nec dis illa ratione* Cod. a pr. m.; correctum sed alio atramento *nec dis sed illae ratione.* Atque ita P. *Sed illa ratione* Asc. Scribendum esse: *nec dis, sed lae, ratione* etiam sine Cod. intelligitur. — 6) *Achillas huius achillae*, sed una *l* expuncta, Cod. — 7) Hunc locum sic ditavit P.: *Producta latina Les, proles, soboles, lis faciunt genitivum. Graeca Les, lis faciunt genitivum, Hercules* cet. Quae omisimus, recte omittuntur in Cod. et Asc. id quod seqq. docent. — 8) *Herculis achillis* supra scr. in Cod. sed ita ut interposita voluisse scriptorem appareat. — 9) *Cales* Cod. Asc. *Kales* P. — 10) *Excipitur unum tis faciens genitivum* P. *unum* abest a Cod. Asc. *genetivo* Cod. — 11) *Faciunt genitivum* P. Asc. — 12) Horat. Od. I, 36, 13. 17. 18. — 13) *Generum duorum.* Sic h. l. Cod. non, ut alibi, *duum.* *Duorum generum* Asc. P. — 14) Vv. *excipitur unum lis* in parenthesi erant ponenda. Respicit Gramm. ad superiora, ubi *lis litis* iam posuerat. — 15) Cod.: *terentius novae ut gracile|sieint.* Ita Cod. Lineola perpendicularis supra scripta notat, ibi voces dirimendas esse. *I* ante *nt* in voce ultima deletum. Locus Terentii est Eunuch. II, 3, 23. —

malus, *mali; populus*, *populi; Romulus*, *Romuli;* exceptis neutris, quae, sicut frequentissime docui, *ris* faciunt genitivo, *vellus*, *velleris*, ratione neutrorum *us* terminatorum; et uno feminino *ris* faciente genitivo, *u* et in nominativo et in genitivo producta. *U* enim[20] ante novissimam syllabam, habentem consonantem, continentia producuntur, ut *tellus*, *telluris; iuventus*, *iuventutis; senectus*, *senectutis*. *Anus*, *anuis* et *sus*, *suis*[21], ideo corripiuntur, quoniam novissima syllaba sine consonante est. *Haec colus* secundae est declinationis, *li* faciens genitivo, *huius coli*. Nam Virgilius:

Cui tolerare colo vitam[22];

qui dativus a genitivo *i* terminato venit: et quartae declinationis, *us* terminans genitivum, sicut Statius Thebaidos libro III:

Nigraeque sororum
Iuravere colus[23];

qui nominativus pluralis a genitivo singulari *us* terminato deducitur.

46. *Mas* Latinum unum[24] monosyllabum repperi tertiae declinationis, *ris* faciens genitivo, *mas*, *maris*. Virgilius accusativum pluralem:

Solve mares[25].

Graeca indifferenter declinabuntur[26], et primae declinationis, *ae* diphthongo terminato genitivo, et tertiae *tis*[27] terminato genitivo, *Mimas*, *Mimae*, vel *Mimantis; Gyas*, *Gyae*, vel *Gyantis*[28]; *Athamas*, *Athamae*, vel *Athamantis*, in nominativo sine *n* littera, in caeteris casibus cum ea; sic Pallas Pallantis. Nam *mimas*, in *mas* acutum, *dis* facit genitivo, *mimas*, *mimadis;* et melius pereunte *s*[29] littera de nominativo, fit nomen Latinum primae declinationis, *ae* genitivum terminans, haec *mima*[30], *huius mimae*. *Mes* correpta, faciunt genitivo *tis*, *limes*, *trames;* [1468] *limitis*, *tramitis*. Producta, semper *mis*, *fames*, *famis*. Graeca semper producuntur et aut *mis* faciunt genitivo aut *tis*, hic *Chremes*[31], *Chremis*, et[32] *Chremetis*. Terentius:

Etiam inde abiens puerum conveni Chremis[33];

et:

Iubeo Chremetem[34].

Omnia igitur tertiae sunt declinationis, quoniam *is* faciunt genitivo. Et inveni genitivo *Chremi*,

16) Sallust. Catil. 3. prooem. — 17) *Communia sunt — facientia*. Ita recte Cod. Abest *sunt* A. P. *Facient* exhibent A. P. Nimirum *sunt* in Cod. compendio scriptum, ita ut oculos paene fugiat, unde orta corruptio. — 18) *Et correptum unum, apud Lucanum lectum*. Ita distinxi. In Asc. deest distinctio. P. comma posuit ante v. *unum*. Fortasse tamen scribendum: *et correpta unum*. Lucan. Phars. III, 227. — 19) Sallust. Cat. 15. fin. Vc. *igitur* apud P. ad Gramm. verba trahitur. — 20) *Producta* in Cod. supra scr. Tum *vī ante*, quod putavi legendum esse: *U enim;* tale quid saltem requiritur. — 21) Turbat Cod. *anus* (supra scr. *i*) *anum*. (supra scr. *uis*) *ıs* (sic lineola traducta) *sus suis ideo* cet. *Anus anuis sus suis ideo* Asc. P. Traductum illud pro compendio v. *et* habui; poterat saltem ita videri. — 22) Virg. Aen. VIII, 409. — 23) Statius Theb. III, 241. seq. — 24) *Unum* addidi e Cod. et Asc. — 25) Virg. Georg. III, 64. — 26) *Declinantur* P. Asc. — 27) *Dis* fortasse operarum errore P. — 28) *Gras Grae vel Grantis* Asc. P. ex non intellecta scriptura Cod., ubi *y* sic exaratum est: ϒ, ut fere simile sit Graeco initiali Υ. — 29) *S* desideratur in Asc. et P. Ceterum Asc. *praeeunte*. In supp. fortasse scribendum: *sed melius pereunte* cet. — 30) *Hic Mimas* P. *haec Mimas* Asc. Sed recte Cod.: *haec mima huius mimae*. — 31) *Ut Chremes* Asc. P. *hic Chr.* Cod. — 32) *Vel Chr.* Asc. P. *et Chr.* Cod. — 33) Terent. Andr. II, 2, 31. ubi *conspexi* de suo reponendum iussit Bentl. Eodem loco *Chremi* Donatum legisse, ex eius observatione apparet. — 34) Terent. Andr. III, 3, 1. —

et antiqua est ratio declinationis[1], dativo uti pro genitivo:

Infelicis Ulixi,

pro *Ulixis*[2], *Achilli* pro *Achillis*. *Ad bellum Persi Macedonicum*[3], pro *Persis*. *Mis* communia quidem duum[4] generum *mis* faciunt genitivo, *unanimis*, *exanimis*, *huius unanimis*, *exanimis*. Dicimus et *hic exanimus* et *unanimus*. Unius ergo generis nomina[5] *mis* syllaba terminata *ris* faciunt genitivo, *hic vomis*, *huius vomis*, *huius vomeris*, et *cucumeris*. Martialis cum genere, *cucumerem rectum*[6]. Ergo omnia *mis* terminata tertiae sunt declinationis. *Mos* producta unum monosyllabum tertiae declinationis legi[7] *ris* faciens genitivo, hic *mos*, *huius moris;* correpta, nullum legi. *Mus* paene omnia secundae sunt declinationis, *mi* facientia genitivo, *humus*, *humi; ulmus*, *ulmi*; neutro vero tertiae[8] *ris* facient genitivo, *nemus*, *nemoris;* secundum rationem neutrorum *us* terminatorum, de qua frequenter docuimus. Unum masculini generis legi tertiae declinationis, *ris* faciens genitivo, *hic mus*, *huius muris;* ut Horatius:

Parturient montes; nascetur ridiculus mus[9];

et unum secundae declinationis et quartae, *us* finiens genitivo, *haec domus*, *huius domus* et *domi*[10]. Terentius:

Domi focique fac[11] *vicissim memineris.*

Memini illius rei:

Nec meminisse viae media Palinurus in unda[12].

47. *Nas* Latina indifferenter declinabuntur, aut primae declinationis *ae* facientia genitivo, ut *Maecenas*, *Maecenae;* aut tertiae *tis* facientia[13], ut *Maecenatis*. Graeca tertiae sunt, acuto in novissima syllaba contra rationem Latinae linguae, sed *dis* facientia genitivo, *Maenas*, *Maenadis*, nomen Bacchae; sic Persius et Horatius. *Nes* correpta non legi; producta vero, [1469] si Latina fuerint, indifferenter primae, vel tertiae declinationis ratione flectuntur, ut *Noranes*[14], vel *Nolanes*, *Nolanae*, vel *Noranae*, *Noranis*, vel *Nolanis*. Graeca vero tunc primae erunt declinationis apud Latinos, si apud Graecos *ου* fecerint genitivo, ut *Hostanes* Ὀστάνου, *huius Hostanae; Δημοσθένης*, *Δημοσθένους*[15], *huius Demosthenis*. *Nis* tertiae sunt declinationis, similem genitivum[16] nominativo facientia, ut *canis*, *inanis;* excepto uno, quod *ris* facit genitivo *cinis*, *cineris;* et haec Latina. Graeca *nis* terminata aut *nis* faciunt genitivo, aut *dis*, *haec Philenis*, *Philenis*,

1) *Antiqua est ratio decl.* Ita Cod. Asc. *antiquae est declinationis* P. — 2) Cod.: *infelicis ulixi pro ulicis.* Asc. P.: *inf. Ulyssi pro Ulyssis.* Male. Ubique meliores libri *Ulixes.* Locus est Virg. Aen. III, 613. 691. — 3) Locus est Sallustii inter fragmenta Historiarum relatus. Cf. Gerlach. pag. 213. et Gramm. qui ibi citati inveniuntur. — 4) *Duum* Cod. *duorum* Asc. P. — 5) *Nomina* Cod. *omnia* Asc. P. — 6) Non satis integer hic locus in Cod.: *uomeris martialis cum genere cucumerem rectum*, quibus in margine adiecta leguntur: *et cucumeris.* Asc.: *vomeris. Martialis. Cum genere et cucumis rectum.* Unde coniicio legendum esse: *vomeris*; *cucumis, huius cucumis et cucumeris. Martialis cum genere* (sc. protulit) *cucumerem rectum.* Putschius de suo, vel ex Bongarsii schedis: *vomeris, cucumis huius cucumeris, vel cucumis. Martialis masculino genere, In quo nec cucumis iacere rectus.* Locus Mart. est Epigr. XI, 19, 10. — 7) Hoc ordine Cod. *legi tertiae decl.* Asc. P. — 8) *Tertiae* addidi e Cod. — 9) Horat. De A. P. 139. ubi *parturiunt* Bentl. scribendum censuit. *Parturiens* Cod. — 10) *Haec domus huius domi* Cod. Non recte. — 11) *Ut* interponunt h. l. Asc. P. Recte abest a Cod. Locus est Terent. Eun. IV, 7, 45. ubi editur: *vicissim ut memineris.* — 12) Virg. Aen. III, 202. — 13) Hic interponit v. *genitivo* P. Ignorant Cod. Asc. — 14) *Ut roranes* Cod. sed corr. Paullo post P. Asc.: *facient genitivo.* — 15) *Δημοσθένεος* P. In Asc. Graeca desunt, lacunis relictis. Cod. recte *ΔΗΜΟCΘΕΝΟUC.* 16) *Similia genitivo* P. — 17) Alio ordine P. Asc.: *Dardanis, Dardanis, vel Dardanidis.* Paullo post: *sunt declinationis, is pura* Asc. P. — 18) *Producto* Asc. P. — 19 *Ut* addidi e Cod. — 20) *Haec anuis, huius anuis*

vel *Philenidis;* Dardanis, Dardanidis, vel Dardanis[17]. *Nos* tertiae sunt, *is* pura facientia genitivo, *o* in nominativo producta[18], in genitivo correpta, ut[19] *Minos, Minois.* *Nus* omnia secundae sunt declinationis, nam *ni* faciunt in genitivo, *Linus, Lini; canus, cani; sanus, sani; Ianus, Iani; annus, anni; Severianus, Severiani; asinus, asini; vannus, vanni; alnus, alni; pinus, pini;* exceptis duobus tertiae declinationis, uno *ris* faciente genitivo, *Venus, Veneris;* altero *is* nova ratione, *haec anus*[20], *huius anuis.* Terentius:

Huius anuis causa opinor, quae erat mortua[21];

et duobus quartae declinationis, *nus* facientibus genitivo, *haec manus, hic sinus, huius manus, sinus*[22]. Nam neutra nomina[23] *nus* terminata omnia *ris* faciunt genitivo, secundum rationem, quam frequentissime ante monstravi. Hoc tamen scire debemus, quod omnis nominativus *nus* terminatus corripitur; excepto eo, qui in genitivo *u* habet ante novissimam syllabam habentem duntaxat consonantem. Nam *anus* et *sus*, *anuis* et *suis*, habent quidem in genitivo *u* ante novissimam syllabam, tamen corripiuntur, quoniam ipsa novissima syllaba genitivo consonantem non habet.

48. *Gnas* tertiae sunt declinationis, *tis* faciunt genitivo, *praegnas, praegnatis*[24]. *Gnes* similiter tertiae sunt declinationis, *tis* faciunt genitivum, *magnes, magnetis, e* ubique producta[25]. *Gnis* tertiae sunt, similem facientia genitivum nominativo, *ignis, huius ignis*, et si qua [1470] talia. *Gnos*, non inveni hac syllaba nomen finitum. *Gnus* omnia secundae sunt declinationis, *gni* facientia genitivo, *agnus, agni; magnus, magni;* et si qua talia.

49. *Pas* Graeca sunt tertiae declinationis, *dis* faciunt genitivo, *lampas, lampadis*, et similia. *Pes* producta Latina vel Graeca tertiae sunt declinationis, *pis* facient genitivo, *puppes, puppis; valles, vallis*[26]; *rupes, rupis; vulpes, vulpis;* excepto uno monosyllabo, quod *dis* facit genitivo, *pes, pedis;* ex eo figurata corripiuntur, et *dis* faciunt genitivo, *alipes, alipedis; sonipes, sonipedis.* Unum excipitur ab eo tractum, quod in nominativo producitur, in genitivo *pis* facit, *haec apes, huius apis.* Nam ab eo dictae *apes*, quod sine pedibus nascuntur, sicut Virgilius de his:

Trunca pedum[27].

Nam *apes*, si *pes* corripueris, barbarismus erit; *apaes* Graece significat hominem sine filiis[28]. *Pes* correpta Latina, non tracta a pede, *tis* faciunt genitivo, ut *praepes, praepetis; hospes, ho-*

Cod. contra mentem Gramm. — 21) Terent. Heaut. II, 3, 46. ubi tamen editur *eius* pro *huius.* — 22) *Huius sinus* P. *huius* abest a Cod. Asc. — 23) *Neutra in nus terminata* Asc. P. — 24) Cod.: *pregnas, pregnatis. gens* (sic) [e supra scr.] *similiter tertiae sunt declinationis. gens gentis magnes* cet., sed vv. *gens gentis* lineola traducta deletae. — 25) *E ubique producta.* Ita recte Cod. *Et ubicunque producta e* P. Quae quomodo orta sint, docet Asc. ubi est: *et ubique producta.* — 26) Non intelligitur, quomodo inter haec exempla nominum in *pes* desinentium *valles* poni potuerit. Ergo puto legendum esse: *puppes, puppis, ut valles, vallis.* Ceterum in Cod. locus ita est comparatus: *puppes*[is], *valles*[is] *rupes*[is] *vulpes*[pis affpes] *excepto uno.* Videtur librarius terminatione supra scripta totius vocabuli repetitionem evitare voluisse. Ceterum illud *affpes* legendum esse *allpes* h. e. *Alpes* Prisciani loco adducor, ut credam Lib. VII, 10, 51. *Alpes cum semper plurale sit, quomodo Syrtes* (ita enim e Cod. Luth. legendum pro vulg. *Alpis — Syrtis*), *tamen singulariter hoc, quomodo illud, invenitur a poetis prolatum et in em terminans accusativum Alpem, cum illud Syrtim faciat.* Haud dubie Probus inter nomina in *pes* desinentia *Alpes* posuit, licet nimio brevitatis studio de singulari numero nihil dixerit. In Asc. est: *Vulpes vulpis. Afpes afpis. excepto uno.* Longe alia P.: *vulpes vulpis, Satrapes satrapis, Hydaspes Hydaspis; excepto uno.* Quae e coniectura sunt. — 27) Virg. Georg. IV, 310. — 28) *Apes graece significans hominem sine filiis dicunt pes correpta* Cod. ex manifesta interpolatione. Fortasse totus locus: *Apaes — filiis* erudituli est additamentum. Asc. *apaes.* P. *apes.* —

spitis; excepto uno, quod *pis*[1] facit, non *tis*, *aucupes*[2], *huius aucupis;* nam qui *auceps* declinat, errat. Omnia *ceps* terminata *tis* faciunt genitivo, *praeceps*, *praecipitis; anceps*, *ancipitis.* Praeterea nominativo plurali Terentius *aucupes* dixit:

Piscatores, *aucupes*[3];

unde docuit nominativo singulari *aucupes* debere dici, non *auceps.* Nam *aucupetes* dixisset numero plurali. *Pis* Latina, *dis* faciunt[4], *lapis*, *lapidis.* Graeca aut *dis* aut *pis*, *aspis*, *aspidis; iaspis*, *iaspidis*[5]; *Serapis*[6], *Serapis*, vel *Serapidis;* omnia declinationis tertiae; *haec sinapis*, *huius sinapis*, sicut[7] Plautus in Pseudolo[8]. Alii melius genere neutro indeclinabile *hoc sinapi*, sicut *hoc gummi. Pos* producuntur, et sunt declinationis tertiae; si sint[9] generis communis, *tis* faciunt genitivo, ut *hic* et *haec nepos*, *huius nepotis;* quamvis multi *haec neptis* dicant, non *haec nepos.* Unius vero generis *pos* terminata, *ris* faciunt genitivo, *hic lepos*, *huius leporis.* Nam quod *Arpos* legimus, numero semper plurali declinatur[10]. *Pos* correpta, si [1471] inventa fuerint, Latina non sunt, et secundae declinationis, *pi* facientia genitivo[11]. *Pus* Latina secundae sunt[12] declinationis, *pi* faciunt genitivo, *lupus*, *lupi; campus*, *campi; lippus*, *lippi.* exceptis duobus, uno monosyllabo indeclinabili *hoc*[13] *pus*, et uno tertiae declinationis *ris* faciente genitivo, *lepus*, *leporis*, *o* correpta; nam erit *leporis*, significans[14] elegantiam, a nominativo *lepos.* Graeca *pus* terminata tertiae sunt declinationis, *dis* facientia genitivo, *Melampus*, *Melampodis; Oedipus*, *Oedipodis;* quamvis

Hic domus Oedipodes[15],

lectum est. *Pys* Graeca sunt, nam *y* litteram Latina nomina nunquam habent; sunt autem tertiae declinationis *ys* pura terminata genitivo[16], *hic Capys*, *huius Capyis*[17]. *Pans* tertiae[18] declinationis, *tis* faciunt genitivo, *stipans*, *stipantis.* Hoc tamen teneamus, quod omnia nomina *ns* terminata, *tis*[19] faciunt genitivo; exceptis duobus quae *tis* faciunt et *dis*, *frons*, *frondis*, et *frons*, *frontis*[20]; *lens*, *lendis* et *lentis.* Quidam putant, *haec lentis* debere dici, et *haec lendis;* sed errant, quia non inveni hac syllaba nomen aliquod terminatum.

50. *Ques* correpta *tis* faciunt genitivo, *eques*, *equitis;* nam *quies* et *inquies* producto[21] *es* terminantur; de his ante tractavi. Et sunt tertiae declinationis, *is* faciunt genitivo. *Quis*, pronomina reguntur, non nomina. *Quos*, *Quus*, secundae sunt declinationis, *qui* faciunt genitivo, *equus*, *equi. Ras* primae sunt declinationis, *rae* faciunt genitivo, *hic*[22] *Hieras*, *huius Hierae.*

1) *Quod genitivo pis facit* P. — 2) *Aucupis huius aucupis* Cod. — 3) Terent. Eunuch. II, 2, 26. *Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores;* ubi in quibusdam Codicibus additur hoc *aucupes*, quod ignorant meliores libri et Cic. de Off. I, 42. itemque metrum excludit. Nescit etiam Donatus. Videtur igitur iam Probus corrupto Codice usus esse. — 4) *Genitivo* intrudunt hic Asc. P. — 5) Ita recte Cod. Alia in Asc. et P.: *Graeca aut pis aut dis, ut, iaspis huius iaspis, vel iaspidis.* — 6) *Huius Serapis* Asc. P. *huius* ignorat Cod. — 7) *Sicut* ignorant Asc. P. — 8) *In pseudologo* Cod. *in Pseudu.* (sic) Asc. *in Pseudulo* P. Est locus Pseud. III, 2, 28. Ceterum Cod. *senapis*, ut paullo post *hoc senapi.* — 9) *Sint* e Cod. dedi. *sunt* Asc. P. — 10) *Declinantur* vitiose Asc. P. *declinatur* Cod. — 11) Ita e Cod. dedi. Asc. totum hunc locum: *Pos correpta — — facientia genitivo* omisit. Apud P. ita male correcta leguntur: *Correpta pos si inventa fuerint latina non sunt, et sunt secundae declinationis;* reliqua omisit. — 12) *Pus Latina secundae sunt.* Ita Cod. *Pus correpta latina sunt et secundae decl.* Asc. P. — 13) *Hoc* add. e Cod. — 14) *Nam erit leporis, significans elegantiam, a* cet. Cod. *nam si erit leporis, significat elegantiam, a* cet. Asc. P. — 15) *Quamvis domus Oedipodae* Asc. P. quod fortasse verum, sed videtur ad locum Statii expressum, quem fortasse respexit Grammaticus. Quare putabam duo in unum confusos esse in Cod. locos Statii, atque ita legendum: *Quamvis domus Oedipodae et hic Oedipodes lectum est.* Cf. Stat. Thebaid. I, 17. ibid. 48. — 16) Ita de coniectura dedi, quum Cod. habeat: *terminata gen*[5] (sic). *Terminata genitivum* Asc. P. — 17) *Huius Capys* vitiose Cod. — 18) *Sunt* h. l. intruduut Asc. P.

Cicero: *Hieras et Blaesamius et Antiochus;* in Caesarianis[23]. *Res* correpta, *tis* faciunt genitivo, *teres*, *teretis;* producta, *ris*, *Antores*, *Antoris; Seres*, *Seris*. Lucanus:

Sub iuga iam Seres[24]*;*

verres, *verris;* exceptis duobus, uno monosyllabo quintae declinationis, *e* in genitivo correpta, *res*, *rei*[25]*;* et uno disyllabo, quod genitivo ante *ris* una syllaba correpta plus crescit, *Ceres*, *Cereris*, in nominativo *e*[26] littera producta, in genitivo utraque *e* correpta. Ergo omnia *res* terminata, sive producta, sive correpta, tertiae sunt declinationis, excepto uno monosyllabo [1472] quintae declinationis, *res*, *rei*. *Ris* tertiae sunt declinationis, *ris* vel *dis* faciunt genitivo, *Iris*, *huius Iris*, vel *Iridis; Paris*[27], *huius Paris*, vel *Paridis*. Unum *ris* solum facit, *Liris*, *huius Liris*, nomen fluminis. *Ros* omnia producuntur et sunt tertiae declinationis, *ris* faciunt genitivo. monosyllabum *ris* facit, *ros*, *roris*. Graeca secundum rationem suam, si apud illos *ος*, apud nos *is*[28]*;* si apud illos *τος*, apud nos *tis*, *ἔρωτος* erotis[29]. *Tarrhos* nomen est numeri semper pluralis. *Rus* terminata si aliud ex se genus fecerint, secundae declinationis sunt, *ri* faciunt[30] genitivo, *carus*, *cari*; *austerus*, *austeri*; *mirus*, *miri*[31]. hac ratione id est[32] secundae declinationis etiam Graeca nomina declinantur, quamvis non faciant aliud genus, ut *Tartarus*, *Tartari; Gargarus*, *Gargari*. Haec tamen numero singulari sunt[33] masculina, pluraliter neutra, sicut *Maenalus*, *Maenala*. Quae vero Latina aliud genus non faciunt, *rus* terminata, quartae sunt declinationis et *rus* faciunt genitivo,[34] *hic currus*, *huius currus*. Excipiuntur quattuor, unum *ri* faciens genitivo, quamvis aliud genus ex se non faciat, *hic murus*, *huius muri*; alterum, indifferenter declinatum[35], secundae declinationis, *ri* faciens genitivo, et quartae *rus*, *haec laurus*, *huius lauri*, et *huius laurus:* altera duo monosyllaba, quae tertiae sunt declinationis, *is* vel *ris* facientia genitivo, *haec grus*, *gruis*[36]*; hoc rus*, *ruris*[37]. Hoc tamen teneamus, omnia monosyllaba tertiae esse declinationis, *is* facientia genitivo, exceptis duobus quintae declinationis, *ei* separatis genitivo facientibus, *e*[38] in genitivo correpta, *spes*, *spei; res*, *rei;* rationem supra docui.

51. *Sas*, hac syllaba nullum nomen repperi. *Ses* terminata Graeca sunt, indifferenter declinantur, et primae declinationis, *sae* genitivo, et tertiae *sis*, ut *Cambyses*, *Cambysae*, vel *Cambysis; Perses*, *Persae*, vel *Persis*. Nam quod Sallustius ait: *Ad bellum Persi Macedonicum*[39]*;* non declinationem mutavit, sed antiqua usus est consuetudine; dativum posuit pro [1473]

— 19) Cod. vitiose *dis*. — 20) Cod. mendose: *frons frontis et frons frontis*. — 21) Hunc locum ita corruptum Cod. exhibet: *aeque* *equitis* *aequestris* (sic perscripto *a* et voce illa supra scripta) *namque producto es*. Unde facile restitui veram lectionem. Illud *que* enim reliquias vocum *quies et inquies* continet, quas suggerunt Asc. et P. In his enim legitur: *eques equitis. nam quies inquies, es terminantur, non ques, et de his* cet. Vv. *non ques et* absunt plane a Cod. — 22) *Hic* additum e Cod. — 23) *Cicero in Caesarianis, Hieras* cet. Hoc ordine Asc. P. Intelligitur oratio pro Deiotaro ad Caesarem, ubi legitur locus cap. 15. Sic tamen editur: *Hieras et Blesamius et Antigonus*. — 24) Lucan. I, 19. — 25) Cod.: *correptares res et uno*. Asc. P.: *correpta, res, et uno*. Scribendum *res, rei,* ipso sensu postulante. — 26) Cod. *a littera*, mendose. — 27) *Paris* deest hic nominativus in Cod. — 28) Mire Cod.: *apud nos is· pulcher si aput illos*. Quod non extrico. — 29) Cod. exhibet: *aput nos tis. EPΩTOC erotis. tartaros nomen est num*⁵ (finit versus) *ēper pluralis*. Asc. lacunas Graecis reliquit, ceterum *actotis Tharros* habet. P.: *apud nos tis ἔρως ἔρωτος erotis. Tharros*. Recte *Tarrhos* nisi quod fortasse scribendum *Tharrhos*. Vide supra quae docuimus. — 30) *Facient* P. — 31) *Murus muri* Asc. P. — 32) *Id est s.* diserte Cod. *i. secundae* Asc. P. — 33) Hoc ordine Cod. *masculina sunt* Asc. P. — 34) *Ut* h. l. intrudunt Asc. P. — 35) *Indifferenter declinatum* Cod.; posteriorem vocem om. Asc. P. — 36) *Haec grus huius gr*. P. — 37) *Hoc rus huius r*. Asc. P. — 38) *Ei in gen*. Asc. P. — 39) Sallust. Fragmm. 7. pag. 213. ed. Gerlach. —

genitivo; et Cicero: *Filiumque Verri*[1], pro *Verris*, et Virgilius:

Immitis Achilli[2],

pro *Achillis*, et:

Infelicis Ulixi[3],

pro *Ulixis*. *Sis* omnia tertiae[4] declinationis terminata, *is* faciunt genitivo, Latina quidem *sis*[5], *hic ensis*, *huius ensis*. Peregrina *sis* vel *dis*, *haec Isis*, *huius Isis*, vel *Isidis; haec basis*, *huius basis*, vel *basidis; cassis*, *cassis*, vel *cassidis*, quamvis Virgilius *haec cassida*[6] declinavit. *Sos* pura Latinum nullum repperi terminatum, unum Graecum legi in Sallustio secundae declinationis, *si* faciens genitivo, *haec Camisos*, *huius Camisi*[7]. *Sons* correpta in medio habens *n*, *tis* faciet[8], *insons*, *insontis*, sic Horatius. *sons*[9] non legi. Salustius numero plurali utrumque: *Insontis sicuti sontis*[10]. De *n* et *s* terminatis frequentissime docui. *Sus* terminata propria, vel aliud genus ex se facientia[11], secundae sunt declinationis, *si* faciunt genitivo, *Nisus*, *Nisi*, proprium et participium. Appellativa vero non facientia aliud[12] genus, quartae erunt[13] declinationis, *sus* faciunt genitivo, *hic occasus*, *huius occasus*. Nam *plausus*, si sit participium, *huius plausi;* si nomen appellativum non faciens aliud ex se genus, *huius plausus;* sicut *nisus* participium *nisi*, appellativum unius generis, *nisus*. Excipitur unum monosyllabon[14], *is* faciens genitivo, *sus*, *suis*, ratione monosyllaborum[15], de qua frequenter tractavi.

52. *Tas* omnia tertiae sunt declinationis, *tis* faciunt genitivum, *facultas*, *facultatis*[16]. Hoc *Naphthas* primae, *tae* genitivo faciens, *huius Naphthae*, nomen barbarum contra rationem neutrorum, quae Latina genitivum *ae* diphthongo non terminant[17]; exceptis quattuor, *hic* et *haec* et *hoc verna*, *huius vernae; hic* et *haec* et *hoc*[18] *advena*, *huius advenae; hoc Thuria*, *huius Thuriae*, flumen[19], et *hoc Naphthas*, *huius Naphthae*, genus olei cedro simile, sicut Salustius Historiarum libro quarto[20]. Sed melius erit indeclinabile. *Tes* Latina *tis* faciunt genitivum,[21] *rates*, *ratis*. Graeca autem[22], si apud illos *του*, apud nos *tae*, Achates, Achatae, *Ἀχά-* [1474]
του[23]; aut *tis* crescente syllaba, si apud illos *τος*, Crates, Cratetis, *Κράτητος*[24], ut Bibaculus de Catone grammatico:

iecur Cratetis[25].

Tis omnia sunt tertiae declinationis, *tis* faciunt genitivo Latina, *hic mitis*, *huius mitis; haec neptis*, *huius neptis*. Graeca *tis* vel *dis*, *hic Atthis*, *huius Atthis*, vel *Atthidis; haec amystis*,

1) Hic Ciceronis locus reperiri non potuit. — 2) Virg. Aen. I, 30. — 3) Virg. Aen. III, 613. — 4) Hoc loco *sunt* intrudunt Asc. P. — 5) *Sis* additum e Cod. ignoratur ab Asc. et P. — 6) Virg. Aen. XI, 775. *Aureus ex humeris sonat arcus et aurea vati Cassida.* Quare intelligitur, recte legi in Cod. et Asc. *haec cassida*. *Haec* abest a P. — 7) Inter fragmm. Sallust. pag. 247. ed. Gerlach. — 8) *Facient* Cod. male. — 9) *Vero* interponunt Asc. P. *Insons* apud Horat. legitur Carmm. II, 19, 29. Serm. I, 6, 69. — 10) *Sicuti* Cod. *sicut* Asc. P. Locus est Sall. Cat. 16. Ceterum *insontis* — *sontis* in Cod. Asc. P. — 11) Cod. habet: *propria prc* (sic) *vel aliut genus ex is facientia.* Asc.: *propria vel aliud genus ex iis facientia.* V. *genus* ignorat P. *ex se* ex P. recepi. Quid vero illud *prc* sibi velit nescio. — 12) *Ex se* h. l. interponit P. quae absunt a Cod. et Asc. — 13) *Erunt* Cod. *sunt* Asc. P. — 14) *Unum monosyllabon* sic h. l. Cod. *unum monosyllabum* Asc. P. — 15) *Monosyllabarum* male Cod. — 16) *Et si qua talia* intrudit P. Ceterum *naptas* in Cod. *Napthas* P. *Naphthas* Asc. Similiter variant etiam in seqq. — 17) *Terminat* male Cod. — 18) *Vernae et haec et hoc advena* Cod. om. *hic*. — 19) *Thuriae flumen* 9 *hoc* (sic) Cod. Siglam illam pro *et* accipere debui. *nomen fluminis hoc* P. *flumen hoc* Asc. — 20) Inter fragmm. Sallust. numeratur 40. pag. 243. ed. Gerlach. Ceterum Cod. *caedro*. — 21) *Haec* interponit P. — 22) *Graeca autem ae* P. *ae* om. Asc. Cod. — 23) *Apud nos tae, Achates, Achatae, Ἀχάτου*. Ita e Cod. scripsi. Graeca desunt in Asc. Sed apud P. ordo est: *apud nos tae Ἀχάτου, hic Achates, Achatae.* — 24) Ordo apud P. turbatus: *si apud illos τος Κράτητος hic Crates.* Cod. ignorat *hic* et ordinem exhibet, quem dedimus. — 25) *Iecur Cratetis.* Haec e Cod. reduxi. Desunt in Asc.

huius amystis, *amystidis*, nomen lectum in Horatio[26]. *Tos* omnia corripiuntur et Graeca sunt, et secundae declinationis, *ti* faciunt genitivo, *Berytos*, *Beryti; Pontos*, *Ponti*[27], quae poterunt Latine melius dici, si *o* in *u* mutaverint. *Tus*, exceptis istis[28] Graecis venientibus a syllaba *του*[29], caetera facientia aliud genus, secundae sunt[30] declinationis, *ti* faciunt genitivo, *stultus*, *stulti; venatus* participium, *venati; hic artus*, *huius arti*, *angustus* quod redditur[31], nam *artus*, membra, numero semper plurali declinantur, non facient *i*[32], ut *vestitus*, *huius vestitus*, res ipsa. Terentius:

Vestitu nimio indulges[33];

qui ablativus a[31] genitivo venit *tus* syllaba terminato. Nam participium *hic vestitus*, *huius vestiti;* facit enim aliud ex se genus. Excipiuntur duo *tis* facientia genitivo, *virtus*, *iuventus; virtutis*[35], *iuventutis*. Nam hoc *tus* neutrum ratione *nus*[36] finitorum *ris* facit genitivo, *huius turis*. Virgilius:

Ture calent arae[37];

praeterea monosyllabum est.

53. *Ctus*, si fecerint aliud ex se genus, *cti* faciunt genitivum, *rectus*, *recti; lectus*, *lecti; erectus*, *erecti:* non facientia aliud[38] genus, quartae erunt declinationis, *hic rictus*, *huius rictus; hic luctus*, *huius luctus*. Excipitur unum, quod quamvis non faciat ex se genus, tamen *cti* facit genitivo, *lectus*,[39] *lecti*, non, ut quidam imperiti[40], *huius lectus*. Nam Cicero[41]: *me in meo lecto*, qui ablativus[42] ab *i* littera terminato genitivo venit, non *us*. Et Terentius:

Et lectos sterni iube, *et parari caetera*[43];

accusativus *os* terminatus a genitivo venit *i* littera terminato, non *us*. Unum excipitur tertiae declinationis, *tis* faciens genitivo, *senectus*, *senectutis*. *Ptus*, si fecerit[41] aliud ex se genus, [1475] secundae sunt declinationis, *pti*, *hic raptus*, *huius rapti; sumptus* quartae *ptus* facit genitivo[45], *hic sumptus*, erogatio, *huius sumptus*. Terentius:

Sumptus quos faciunt[46];

sumptus, acceptus significans, *huius sumpti*, facit enim *haec sumpta*. *Stus*, si fecerint aliud[47] genus vel propria[48] sint, secundae sunt declinationis, *hic castus*, *huius casti; hic Augustus*, *huius Augusti;* non facientia aliud genus, quartae erunt declinationis, *stus* facient genitivo, excepto uno *mustus*, *musti; hic aestus*, *huius aestus; hic quaestus*, adquisitio, *huius quaestus;* si participium sit, *huius quaesti;* si non faciens aliud[49] genus, *huius questus*[50]. Virgilius:

Questuque cruentus[51].

et P. Est versiculus Bibaculi, quem servavit integrum Sucton. de illustr. Gramm. XI. Ceterum Cod.: *uiuaculus.* — 26) Horat. Carmm. I, 26, 14. Male apud P. *Amystis*, tanquam esset nomen proprium. — 27) Cod.: *vervtus veruti pontos pontos.* Asc.: *Beritos beriti. Paltos Palti.* P.: *Berytos Beryti*, *Paltos Palti.* — 28) *Ipsis* P. Deest voc. apud Asc. — 29) *A syllaba τους* P. Graeca syllaba deest in A. — 30) *Sunt* add. e Cod. et Asc. — 31) Vv. *quod redditur* adieci e Cod. — 32) *Non facient is* Cod. *Non facientia us* Asc. P. Scripsi, quod sententia postulat. — 33) Terent. Adelph. I, 1, 38. — 34) *A* deest in Cod. sed in fine versus. — 35) Hoc ordine Cod. *virtus virtutis*, *iuventus* Asc. P. — 36) *Ratione tus* Asc. P. male. V. *ratione* in Cod. supra scr. — 37) Virg. Aen. I, 417. — 38) Vv. *ex se* h. l. intrudit Asc. P. *Non facientiae aliud genus* Cod. — 39) *Huius* h. l. interponunt Asc. P. — 40) *Putant* h. l. intrudunt Asc. P. — 41) Ciceronis hic locus a me non repertus fortasse inter fragmenta reponendus. — 42) *Ablativo* male Cod. — 43) Cod.: *Non us. Et Terentius: Et* cet. Apud P. est: *ut Ter. Lectos.* Etiam Asc.: *Et Terentius.* Ceterum Cod. *parare.* Locus est Ter. Adelph. II, 4, 21. ubi est: *Et lectulos iube sterni nobis et parari caetera.* — 44) *Si fecerit* Cod. *si fecerint* Asc. P. — 45) Codex turbate: *sint* *facient gene* *minus* (corr. *sumptus*) *quartae ptus hic sumptus*; sic inter versus scripta. — 46) Terent. Ad. V, 3, 21. ubi legitur: *sumptum filii quem faciunt.* — 47) Hoc loco vv. *ex se* intrudit P. — 48) *Vel si propria* solus P. — 49) Hoc iterum loco vv. *ex se* intrudit P. cui assentitur Asc. Ceterum in Cod. semper *aliut*, etiam in supp. — 50) Cod. ubique *quaestus.* — 51) Virg. Aen. VII, 501. —

Excipitur unum, quod et *sti*[1] facit genitivo, hic *cestus*, tunica Veneris, *huius cesti; hic caestus*, pugilum[2], *huius caestus*, Virgilius:

Quid si quis caestus ipsius[3];

et orthographia distant et declinatione. Ergo omnia *tis*[4] faciunt genitivo, exceptis quattuor, *caestus*, *aestus*, *quaestus*, *questus*, querela[5].

54. *Thas* unum nomen barbarum generis neutri legi, hoc *Naphthas*, huius *Naphthae;* de hoc et supra docui, sed melius indeclinabile est. *Thes* productum Graecum inveni aput Ovidium[6], *Ianthes, huius Ianthes*, vel *Ianthidis*. *This*, et hoc tertiae est declinationis, *this* vel *dis* facit[7] genitivo, *Atthis*, *Atthidis*; sic Ovidius. *Thos* non inveni hac syllaba nomen terminatum; qui repperit, doceat rationem. *Thus* secundae sunt declinationis, *thi* faciunt genitivo, *hic Parthus*, *huius Parthi; hic acanthus*, *huius acanthi*; Virgilius:

Croceo velamen acantho[8];

Xanthus, *Xanthi*. *Thus* vel *Tys*[9] terminata tertiae sunt declinationis, *thus* vel *thys*[10] faciunt genitivo, *hic Panthus, huius Panthus; hic Atys, huius Atys*[11]*; hic Othrys, huius Othrys. Vas* terminata et *sis* faciunt genitivo, et *dis*, *hoc vas*, *huius vasis*, utrumque Varro[12] ait de lingua Latina, *hic vas*, *huius vadis.* Cicero: *Vultu tanquam vade*[13]. *Ves* corripiuntur omnia, [1476] et tertiae sunt declinationis, nam *tis* faciunt genitivum[14], *hic dives, huius divitis;* ut[15] *miles*, *militis*, et si qua talia. *Vis*, et ipsa tertiae sunt declinationis et similem nominativo faciunt genitivum, *civis; huius civis; haec vis*, *huius vis*, et plurali *hae vis*, sicut Terentius Varro[16]; nam *hae vires* numero semper plurali declinantur. *Vos*, *Vus*, supra docui, quod secundae sunt declinationis, *vi* faciunt genitivum, *cervus*[17], *cervi; servus*, *servi.*

55. *Xas*, nullum repperi nomen hac syllaba terminatum. *Xes* vero producuntur et tertiae sunt declinationis, *xis* faciunt genitivum, *Araxes*, *Araxis; Xerxes*, *Xerxis.* *Xis* Latina, sic terminabuntur et genitivo, *hic axis*, *huius axis;* Graeca et *xis* et *dis*, *hic Alexis*, *huius Alexis*, vel *Alexidis*, tertiae declinationis. *Xos* corripiuntur, et Graeca sunt, secundae declinationis, *xi* faciunt genitivo, *haec Naxos*, *huius Naxi;* Virgilius:

Bacchatamque iugis Naxon[18];

potest *haec Naxus*, *huius Naxi*, *hanc Naxum* dici. *Xus* omnia secundae sunt declinationis, *xi* faciunt genitivo[19], *laxus*, *laxi; fluxus*, *fluxi; taxus*, *taxi; buxus*, *buxi.* Excipitur unum quar-

1) *Quod et sti.* Ita Cod. *quod et stus et sti* P. Asc. — 2) *Hic cestus tunica veneris huius caesti — pugilium* Cod. — 3) Addit P.: *et Herculis arma Vidisset*, quae absunt a Cod. et Asc. Locus est Aen. V, 410. — 4) *Tis* Cod. *is* Asc. P. — 5) Cod.: *cestus aestus quaestus quaerella.* Asc.: *caestus aestus qu e stus querela*, cui assentitur P. nisi quod *quaestus.* Scribendum erat ex mente ipsius Grammatici *quaestus, questus*, *querela.* — 6) Cod.: *aput ovoedium.* Ceterum erravit Grammaticus. Est enim apud Ovid. Met. IX, 714 et 796. *Ianthe*, virgo; nisi forte alius est Ovidii locus, ubi *Ianthes* nominativo invenitur. Ceterum Cod. et P.: *huius Ianthes.* Asc.: *huius Ianthis.* — 7) *Faciens* Asc. P. *facit* Cod. Ovidii locus est Heroid. XV, 18. — 8) Virg. Aen. I, 649. 711. — 9) *Thus vel tys* ita Cod. *thus vel thys* Asc. P. quod probabile est. — 10) *Declinationis hic vel thys* Cod. quod quid sit non extrico. Fortasse scribendum *thi vel tys.* — 11) *Hic Atys, huius Atys* addidi e Cod. — 12) Varro de L. L. VI, 7. pag. 250. ed. Sp. — 13) Hic idem Cic. locus, quem supra non reperimus. — 14) *Genitivo* P. Asc. — 15) *Ut* deest in Cod. male. — 16) Cod. *sicutrencus et varro*, sic, c ita perscripto. *sicut Terentius Varro* Asc. P. Varronis locus fortasse est Lib. VII, 2. p. 396. ed. Sp. Paullo ante apud P.: *pluraliter hae vis.* In Cod.: *plu hae vis,* in Asc. ut edidi. — 17) Cod.: *cervos cervi.* — 18) Virg. Aen. III, 125. — 19) *Genitivum* Asc. P. — 20) Cod.: *haec luxus.* — 21) *Scilicet* addidi e Cod. et Asc. — 22) Terent. Adelph. IV, 7, 42. — 23) *Huius* addidi e Cod. — 24) Sallust. Fragmm. p. 253. ed. Gerlach. Ceterum in Cod. est: *Sal.* (sic) *luxo pede* (ablativa sic supra script.). — 25) Vv. *zae faciunt genitivo* e Cod. adieci. — 26) *Et ipsa barbara* (e e sic) Cod. — 27) *Syl-*

tae declinationis, *xus* faciens genitivo, *hic*[20] *luxus*, *huius luxus;* luxuriam scilicet[21] significans. Terentius:

Adulescens luxu perditus[22];

nam *luxus*, vacillans, *huius*[23] *luxi* facit. Salustius ablativo: *Luxo pede*[24]. *Zas*, barbara sunt primae declinationis, *zae* faciunt genitivo[25], *hic Ormizus*, *huius Ormizae*. *Zes* et ipsa barbara[26] producta primae decliuationis, *Artabazes*, *Artabazae*. *Zis*, *Zos*, *Zus* syllabis[27] nulla nomina repperi terminata.

56. *T*, hac[28] littera duo nomina tantummodo Latina terminata reperiuntur, unum indeclinabile, hoc *git*[29], genus seminis nigri, quo panis conditur, et unum tertiae declinationis, *tis* faciens genitivo, *caput*, *capitis*, et si quid ab eo nascitur, *sinciput*, *sincipitis*. Varro posuit in Actia[30].

U littera nomina terminata omnia neutra sunt quartae declinationis, *u* terminantia genitivum et dativum et ablativum, sed producto; nominativum[31], accusativum et vocativum *u* terminant, sed correpto, ut *hoc cornu*, *gelu*, *genu*[32], *veru*, et si qua talia. Docueram tamen [1477] quod quarta declinatio genere quidem masculino et feminino *us* genitivo[33] terminaretur, in genere vero neutro *u*, *huius cornu*, *gelu*, *veru*, *genu*.

57. *X*, hac littera terminata omnia tertiae sunt[34] declinationis, nam *is* faciant[35] genitivo necesse est, ante eam *c* vel *g* posita, ut *pix*, *picis; arx*, *arcis; nux*, *nucis; crux*, *crucis; rex*, *regis; grex*, *gregis*. Excipiuntur quattuor, quae nec *cis* faciunt genitivo, nec *gis: nix*, *nivis; nox*, *noctis; senex*, *senis; supellex*, *supellectilis*. Terentius:

Supellectile opus est[36];

unde *x* littera supervacua est[37], sicut quibusdam placet.— *Y*, *Z*, his litteris nulla nomina terminantur.

58. Omnia nomina monosyllaba tertiae sunt declinationis, nam *is* faciunt genitivo; exceptis quinque, tribus indeclinabilibus, *git*, *ir*, *pus;* et duobus declinationis quintae, *ei* separatis genitivo terminatis, *res*, *rei; spes*, *spei; e*[38] contra rationem quintae declinationis in genitivo correpta, quoniam nominativus ante *es*[39] consonantem habet iunctam, ut *fides*, *fidei*[40]. Ergo brevite doceamus enumerando, quot modis singuli casus utriusque numeri terminentur.

59. Nominativus singularis fit modis quindecim, *u* et *e* utraque; *i* et *o* utraque; *u*, *l*, *m*, *n*, *r*, *s*, *x*, *c*, *t*[41]; *poeta*, *monile*,[42] *gummi*, *Varro*, *Dido*[43], *genu*, *mel*, *bonum*, *carmen*,

labis add. e Cod. — 28) *Hac* additum e Cod. — 29) Cf. Priscian. V, 7, 40. et VI, 5, 22. ed. Kr. — 30) Legendum *in Aetia*. Cf. Varron. Fragmm. Ed. Bip. tom. I, pag. 254. Citatur tamen a Servio ad Virg. Ecl. VIII, 29. *Varro in Actiis*. Apud Charisium autem pag. 144. ed. Fabr. legitur *in Asia*. Ceterum in h. l. vv. *in Actia* inter versus scripta in Cod. Latet fortasse sub vv. *Actia*, *Aetiis*, *Asia* titulus libri Varroniani alius. — 31) Cod. corrupte: *sed producto nominatibo*. — 32) *Gelu*, *genu* hoc ordine Cod. *genu gelu* Asc. P. — 33) *Feminino us genitivo*. Ita Cod. secutus dedi, quum in Cod. id scribendi compendium legatur, quod vocem hanc notat. *Feminino genere us term.* Asc. P. — 34) *Tertiae sunt* Cod. *sunt tertiae* Asc. P. — 35) *Faciunt gen.* Cod. *genitivo faciant* Asc. P. Retinui coniunctivum. — 36) Terent. Phorm. IV, 3, 61. — 37) *Supervacua non est* Cod. sed *non* punctis impositis deletum. — 38) *E contra rat.* Sic et sententia ipsa et Cod. postulante scripsi. In Cod. enim *ēt* littera ultima erasa legitur. *et contra rat.* Asc. P. — 39) Male Cod.: *ante s cons.* — 40) *Fides*, *fidei*. Sic Cod. Asc. *fides res* P. Paullo post Cod. corrupte: *quod modis singulis casus*. — 41) *A et e utraque; i et o utraque; u*, *l*, *m* cet. Sic scripsi ex certa emendatione, quam Cod. praestitit. In Cod. enim sic: *a. et ae* (supra: *utraque*) *i. o* ∴ *vis* (supra: *: utraque*) (sic perscriptum hoc) *el.* (ita et puncto notatum et perscriptum *e*) *m. n. r. s. x. c. t.* In margine autem leguntur haec: *ā et ē utraque i et o utraque* ab antiqua manu. In Asc. est: *a e i o utraque u l m n* cet. P. autem: *a*, *e*, *utraque i*, *o*, *utraque u*, *l utraque m*, cet. — 42) Desideratur exemplum productae *e*. — 43) *Barro dido* Cod. sed posterius supra scr. —

orator, *sacerdos*, *vertex*[1], *hac*, *caput.* Genitivus singularis fit modis quattuor, *ae*, *i*, *is*, *u*[2]; *huius formae*[3], *huius grammatici*, *huius oratoris*, *huius genu.* Dativus singularis fit modis quattuor, *ae*, *i*, *o*, *u; huic Aeneae*, *huic sacerdoti*, *huic docto*, *huic genu.* Accusativus singularis fit modis quattuor[4], *m*, *n*, *u*, *s*[5]; *hunc sacerdotem*, *hoc carmen*, *hoc cornu*, *hoc pectus*[6]. Vocativus singularis tot modis fit, quot et nominativus[7]. Ablativus singularis fit modis novem, *a*, *e* utraque, *i*, *o*, *u*, *m*, *s*, *t; ab hoc poeta*[8], *ab hoc sacerdote*, *ab hac specie*, *ab hoc suavi*, *ab hoc docto*, *ab hoc genu*, *ab hoc nequam*, *ab hoc nugas*, *ab hoc git*[9]. Nominati- [1478] vus pluralis fit modis quinque, *a*, *ae*, *i*, *m*, *s*[10]; *haec regna*, *hae Musae*, *hi docti*, *hi nequam*, *hi sacerdotes.* Genitivus pluralis fit modis tribus, *m*, *s*, *i; horum oratorum*, *horum nugas*, *horum nihili.* Dativus et ablativus pluralis fiunt modis tribus, *i*, *m*, *s; his* et *ab his nihili*, *nequam*, *nugas.* Accusativus pluralis fit modis quattuor, *a*, *s*, *m*, *i*[11]; *haec sceptra*, *hos nugas*, *hos nequam*, *hos nihili.* Vocativus pluralis fit modis[12] quinque, *a*, *ae*, *i*[13], *m*, *s; o sceptra*, *o fortunae*, *o nihili*[14], *o nequam*, *o nugas.* Hoc tamen notemus quod in quibus casibus cuiuslibet numeri aliquem praetermisimus[15] modum, de his est monoptotis, *nequam*, *nihili*[16], *nugas.*

Segm. II. *De formis Casuum*[17].

Formae casuum sunt sex. Prima forma unaria nuncupatur, quae sola nomina regit in utroque numero uno modo omnes casus terminantia[18], *nequam*, *nugas*, *nihili.* Secunda forma binaria dicitur, et ipsa sola nomina regit[19] in numero tantummodo singulari, duobus casibus variatis, *hoc cornu;* nominativus, accusativus, vocativus corripiuntur; genitivus, dativus, ablativus producuntur. Tertia ternaria[20] dicitur; haec nomina quidem in utroque numero regit, ut *hoc*[21] *bellum*, *huius belli*, *huic bello*, *haec bella*, *horum bellorum*, *his bellis.* Pronomina vero in numero tantummodo plurali, *haec ista*, *horum istorum*, *his istis.* Quarta, quam quaternariam nuncupamus[22], et nomina et pronomina regit in utroque numero. Nomina sic[23]: *hoc carmen*, *huius carminis*, *huic carmini*, *ab hoc carmine;* et pluraliter, *hi docti*, *horum doctorum*, *his doctis*, *hos doctos.* Pronomina sic: *illud*, *illius*, *illi*, *ab illo;* pluraliter, *hi isti*, *horum istorum*, *his istis*[24], *hos istos.* Quinta forma est, quae[25] quinaria nuncupatur, in numero tantummodo singulari, et nomen regit et pronomen, *hic sacerdos*, *huius sacerdotis*, *huic sacerdoti*, *hunc sa-*

1) Cod. *verx,* sed in fine versus. — 2) *Ac. is. i. v.* (sic) Cod. numerorum signis ordinem notans. *ae, is, i, u* Asc. P. — 3) *Formae* Cod. ab antiqua manu; corr. recentiori atramento *fortunae*, quod exhibent Asc. P. — 4) *Fit modis quinque* ex emendatione P. *F. m. quattuor* Cod. Asc. — 5) Terminationem *e* h. l. addit P. — 6) Vv. *hoc altare* hic interponit P. — 7) *Tot modis fit quod et nominativus;* haec verba sic scripta Cod. inter versus scripta exhibet. *fit tot modis*, *quot nominativus* Asc. P. Paullo ante *socerdotem hoc sacramen* Cod. sed correctum. — 8) *M. s. c. ab hoc poeta* Cod. *m. s. t. ut ab h. p.* P. *m s ab hoc poeta* Asc. — 9) Vv. *ab hoc git* absunt a Cod. et Asc. Videntur tamen recte poni, quia novem modos vult Grammaticus. — 10) Codex habet: *a. e. m. i. s. es. haec regna* (sic notatis litteris). Igitur scribendum *i*, *m*, et *es* ultimae delendae. — 11) *A, s, m, i* hoc ordine Cod. *a, m, i, s* Asc. P. — 12) Post h. v. Asc. et P. interponunt: *quot nominativus eiusdem numeri id est*, quae absunt a Cod. — 13) Cod.: *a. e. i.* cet. — 14) P. errore typographi *nihil.* — 15) *Aliquem praetermisimus modum;* hoc ordine Cod. *praeterm. aliq. modum* Asc. P. — 16) *Nequam*, *nihili* hoc ordine Cod. *nihili, nequam* Asc. P. — 17) Haec inscriptio continente versu exarata in Cod. — 18) Cod.: *terminans.* Asc. P.: *terminantia.* — 19) *Sola nomina regit* hoc ordine Cod. *sola regit nomina* Asc. P. — 20) *Ternaria forma d.* Asc. P. — 21) *Regit inoc b.* Cod. — 22) Cod.: *quarta quamquam quaternariam nuncupamus.* P.: *Quarta forma Quaternaria nuncupatur.* Asc. ut edidimus. — 23) *Nomina ut sit hoc carmen* Cod. male. — 24) Cod.: *hii histi. horum istorum hiis istis.* — 25) *Quinta forma est quae*

cerdotem, *o sacerdos*, *ab hoc sacerdote.* Pronomen sic: *iste*, *istius*, *isti*, *istum*, *ab isto*[26]. Quinaria forma in numero plurali, nec nomen continet nec pronomen. Sexta forma senaria [1479] est in numero singulari, pronomina sola regit, in plurali nulla[27]; *nullus*, *nullius*, *nulli*, *nullum*, *nulle*[28], *a nullo.*

Segm. III. *De catholicis Verborum*[29].

1. In hoc libro etiam de verbis tractabo, sicut ante promisi, quorum rationem per singularum litterarum syllabas primae verbi personae, qualem faciat secundam, unde modi imperativi secunda persona cognoscitur[30], ex qua coniugatio cognoscetur[31], diligentissime docebo; atque interim de vocalibus tractemus positis ante novissimam litteram primae verbi personae. Inveniuntur autem vocales ante novissimam litteram tres, consonantes multae, de quibus postea docebimus.

2. Prima coniugatio tres habet vocales ante novissimam litteram primae verbi personae: *e*, *i*, *u*. Recipit *E* correptam[32], *commeo*, *commeas*, *commea; I*, *lanio*, *lanias*, *lania; U*, *fluctuo*, *fluctuas*, *fluctua.* Secunda coniugatio *E* solum recipit productam, *doceo*, *doces*, *doce*[33]. Tertia correpta duas, *I*, *rapio*, *rapis*, *rape; U*, *ruo*, *ruis*, *rue.* Tertia producta, quam quidam quartam dicunt, *E*, *redeo*, *redis*, *redi; I*, *munio*, *munis*, *muni.*

3. Sed quoniam tota vis verborum in tempore perfecto modo indicativo[31] continetur, sicut in secunda persona modo imperativo[35] tempore praesenti declinatur, per singulas litteras primae personae verbi doceamus secundam personam eiusdem temporis praeteriti perfecti, et modi imperativi temporis praesentis secundam personam, quae fit litteris quidem tribus, modis vero quattuor, sicut exemplis paulo ante monstravi. *A*, *ama*[36]; *E* producta, *docē; E* correpta, *lege. I*, *muni*[37]. Extra hos modos si quod verbum terminaverit alia littera secunda persona[38] modi imperativi temporis praesentis, nullius coniugationis continet rationem, ut est: *Sis*, *Velis*[39], *Cedo*, et si qua talia.

E, hanc litteram ante o habentia verba, aut primae sunt, aut secundae, aut tertiae productae. [1480] Si primae sint, *avi* facient[10] temporis praeteriti primam personam[11] modi indicativi, ut *commeo*, *commeas*, *commeavi.* Si secundae, aut *ui*[12], *arceo*, *arcui*, aut *di*, ut *prandeo*, *prandi;* interdum crescente una syllaba in principio, ut *mordeo*, *momordi; pendeo*, *pependi;* aut *xi*, *lugeo*, *luxi;* aut *gui*, *langueo*, *langui;* aut *si*, *ardeo*, *arsi.* Tertiae productae,

Cod. Asc. *Quinta forma Quinaria nunc.* P. — 26) *Istum o ab isto* Cod. — 27) Vv. *in plurali nulla* addidi e Cod.
nullum
— 28) Cod.: *nulli nullae a nullo* (sic). Asc. et P.: *nulli*, *nullum*, *o nulle*, *a nullo.* — 29) Haec inscriptio extra versuum compagem in Cod. — 30) Vv. *unde* — — *cognoscitur* addidi e Codice; omissa sunt a librario, cuius oculus aberrabat a v. *cognoscitur* ad seq. v. *cognoscetur.*
declina
— 31) Cod.: *coniugatione cognosceretur adque interim de vocalibus*; ubi male omissa sunt verba: *diligentissime docebo*, pro quibus in Asc. et P. legitur: *diligentissime hoc docebo.* Ortum *hoc* ex initiali syllaba vocabuli se-
iv
quentis male repetita. — 32) Cod.: *personae recipit ē correptam* (sic), unde scribendum erat, quod dedi: *e*, *i*, *u. Recipit E correptam.* Breviora habent Asc. et P.: *personae. E correptam.* — 33) Male Cod.: *e solum recipit doceo. doces. producta tertia.* — 34) *Modi indicativi* P. In Asc. locus sic legitur: *Sed qm̄ tota vis verborum in tempore praesenti declinatur: per singulas* cet. Excidit integer versus. Ceterum in Cod. hoc segm. ita in-
Sed
cipit: *Scire debemus quoniam*; ita supra scripto *sed.* Error profectus a librario, qui voc. *sed* pro compendio verborum *sc. d.* hoc est *scire debemus* acceperat, sed postea intellexit. — 35) *Modi imperativi* P. — 36) Cod.: *monstravi. āma. ē. producto docē.* — 37) Asc. P.: *I audi.* — 38) *Secundam personam* Asc. P. — 39) Cod. corrupte: *ut est dici velis.* — 40) *Si primae sint avi fient* Cod. *S. pr. sunt*, *vi facient* Asc. P. — 41) *Prima persona* Cod. — 42) *Si secundae acui arceo* Cod. —

aut *vi*, *audivi*[1]; *intereo*, *interivi;* vel *ii.* Ergo breviter per singulas litteras ante *eo* positas decurramus, ut facilius cognoscamus, *e* ante *o* posita, cuius sit coniugationis, vel quomodo faciat[2] speciem perfectam.

4. *A*, hanc litteram ante *eo*[3] habens verbum nullum repperi; inventor doceat rationem. *B* ante *eo* posita, aut secundae sunt coniugationis, aut tertiae correptae aut productae. Secundae, *bui* faciunt, ut *rubeo*, *rubui; sorbeo*, *sorbui;* nam *sorbsi* barbarismus est; tertiae productae, *i*, vel *ii*, *subeo*, *subi*, vel *subii.* Inveni unum primae coniugationis, *beavi*, faciens tempore perfecto, *beo*, *beas*, *beavi.* Terentius:

Ecquid beo te[4]*?*

C ante *eo* posita secundam regit coniugationem, speciem perfectam aut *cui*, aut *xi*,[5] *arces*, *arcui;*[6] *luces*, *luxi.* *D*, et haec ante *eo* posita secundam regit coniugationem, speciem vero perfectam aut *di*, aut *si*, *prandeo*, *prandi; ardeo*, *arsi.* Interdum addit syllabam in principio, ut *momordi*, *pependi*[7]. Exceptis duobus defectivis genere, quae incipientia quasi neutra, tempus faciunt perfectum quasi passiva, id est, quasi *r* littera finita, ut *gaudeo*, *gavisus sum; audeo*, *ausus sum.* Aut *dui*, ut *studeo*, *studui; strideo*, *stridui.* Sed videndum, ne magis dicendum sit *strido*, *stridis.* Virgilius:

Stridunt silvae;

non *strident*[8]. *E* ante *eo* posita tertiam productam regit, tempus perfectum *ivi*, vel *ii* facit, ut *anteeo*, *praeeo; anteivi*, *praeivi*[9]; vel *anteii*, *praeii.* *F*, hanc litteram ante *eo* habens nullum repperi verbum. *G* ante *eo* posita secundam regit coniugationem; speciem vero perfectam aut *xi*[10], aut *gui*, aut *si*, *lugeo*, *luxi*, *egeo*, *egui*, *tergeo*, *tersi;* dicimus et *tergo*, *tergis*, [1481] tertiae correptae; legimus enim *et tergent*[11], quod venit a verbo *tergeo*, et *tergunt*, ab eo quod est *tergo.* *H*, *I*, *K* ante *eo* positas verbum regere non inveni.

5. *L* ante *eo* posita secundam regit coniugationem, speciem perfectam *lui* vel *levi*, ut[12] *caleo*, *compleo*, *calui*, *complevi*, *delevi*,

Relevi dolia omnia,

Terentius[13]. Excipitur unum ab utraque ratione defectivum genere, faciens speciem perfectam

1) Corrupte Cod.: *productae autvi avduas intereo intereo. ivi vel ii.* — 2) *Faciet* Asc. P. Ut edidi, Cod. — 3) Cod. *ante* o contra mentem scriptoris. — 4) Hunc totum locum valde mutilum Cod. sic exhibet: *aut tertiae correptae aut productae i vel ii ut subeo subi vel subii. c̄ ante eo.* Manifestum est, librarium oculis aberrasse a superiori v. *productae* ad inferiorem eandem. Sed quomodo vv. *Inveni* — *beo te* excidere potuerint, non extrico. Retinui igitur lectionem Asc. et P. nisi quod in his supra: *aut tertiae productae. Secundae* cet. et tum: *tertiae productae iui, vel ii, subeo subiui, vel subii.* Locus Terent. est Eunuch. II, 2, 48. — 5) Interponunt Asc. P. *arceo.* — 6) Interponunt Asc. P. *luceo.* — 7) *In principio, mordeo momordi, pendeo pependi* Asc. P. — 8) Haec omnia a vv. *Exceptis duobus* usque ad vv. *non strident* desiderantur in Codice, haud dubie culpa negligentis librarii. Virgilii locus est Aen. II, 418. — 9) *Ut anteeo, praeeo; anteivi; praeivi;* ita Cod., alio ordine Asc. P.: *anteeo, anteivi, praeeo, praeivi*, omisso etiam *ut.* — 10) Hoc loco *facit* intrudunt Asc. P. — 11) *Legimus enim, et spicula lucida tergent* Asc. P. Vv. *spicula lucida* non exstant in Cod. Recte. Nam apud Virg. Aen. VII, 626., unde is locus est desumptus, melius legitur *tergunt.* Cf. Heynius ad loc. Virg. cit. De duplici coni. verbi *tergere* adeas Prisc. lib. IX, 9, 50. *Terget* est apud Lucret. VI, 118. — 12) *Ut* interposui iubente Cod. — 13) Terent. Heaut. III, 1, 51. Mire Grammaticus huc traxit v. *relevi*, quum potius a *relino* descendat, ut notum est. Cf. interpp. ad Terent. l. c. Sed fuit haud dubie antiquum verbum *leo*, unde etiamnum *deleo* exstat. Cf. Prisc. IX, 10, 45. ed. Kr. — 14) *Quasi passivum* Asc. P. — 15) *Specie perfecta*

quasi passivam[14], *soleo*, *solitus sum.* *M* ante *eo* posita primam regit coniugationem, speciem perfectam[15] *avi* faciens, ut *remeo*, *commeo*, *remeavi*, *commeavi.* Hoc tamen scire debemus, quoniam[16] omnia verba *e* ante *o* habentia secundae sint declinationis[17] necesse est, excepto *eo*, *is*, *it*, et illis quaecunque ab hoc verbo fuerint tracta, quae omnia tertiae productae, id est quartae coniugationis sunt, praeter duo primae coniugationis, quae supra posui, *remeo* et *commeo.* *N* ante *eo* habentia verba[18] si venerint a verbo *eo*, sicut supra posui, tertiae sunt productae, id est quartae coniugationis, specie perfecta facient *vi* vel *ii*, ut *ineo*, *inis*, *inivi*, vel *inii;* si non venerint, secundae erunt coniugationis, *nui* facientia in specie perfecta, *moneo*, *mones*, *monui.* *O* ante *eo* habentia tertiae productae, id est quartae sunt coniugationis, *vi* vel *ii* facientia in specie perfecta, ut *coeo*, *cois*, *coivi*, vel *coii.* *P* hanc litteram ante *eo* verbum habens[19] non repperi. *Q* hanc quoque litteram ante *eo* nusquam repperi. *R* haec littera ante *eo* posita secundae coniugationis verba regit[20], *rui* faciunt in specie perfecta, *careo*, *cares*, *carui.* Tertiae productae, *vi* vel *ii*[21], ut *pereo*, *peris*, *perivi*, vel *perii.* *S* ante *eo* posita unum repperi verbum tertiae productae, *ivi* vel *ii* faciens in specie perfecta, *transeo*, *transivi*, vel *transii.* *T* hanc litteram ante *eo*[22] inveni, sed verba secundae coniugationis regentem, et facientem speciem perfectam *tui*, ut *lateo*, *latui; pateo*, *patui.* Tertiae productae, id est quartae coniugationis[23], si inventum fuerit, veniet a verbo *eo*, *is*, et faciet *ivi*[24] vel *ii* in specie perfecta. Nam [1482] sicut ante docui, *e* ante *o* verba habentia omnia secundae sunt coniugationis, excepto verbo[25] *eo*, *is*, et si quid ab eo nascitur. Nam tertiae sunt productae coniugationis, praeter duo verba primae coniugationis, quae ante posui, *commeo*, *commeas; remeo*[26]. Tertia enim[27] correpta coniugatio *eo* non terminatur, sicut supra monstravi. Hoc tamen scire debemus, quod tertiae productae coniugationis, id est quartae, praeter duo verba ab *eo* venientia[28], species perfecta duobus tantum modis terminatur, *ivi* vel *ii.* *V* hanc litteram ante *eo* positam verbum habens secundae repperi[29] coniugationis, speciem perfectam faciens *ivi*, *conniveo*, *connives*, *connivi*[30]. Cicero: *Si qui exire velint*, *connivere possum*[31], et *ceveo*, *ceves*, *cevi*[32]. Persius:

An, *Romule*, *ceves*[33]*?*

X, *Y*, *Z*, has litteras ante *eo* verba[34] habentia nusquam repperi.

6. Quoniam sufficienter, ut arbitror, de verbis *e* ante *o* habentibus docui, consequens

Asc. P. Ceterum Cod. habet: *speciem perfectam ut remeo*, omm. vv. *avi faciens.* — 16) *Quoniam* diserte Cod. *quod* Asc. P. — 17) *Coniugationis* Asc. P. — 18) *N ante eo posita si* Asc. P. — 19) *Habens verbum* Asc. P. — 20) Cod. corrupte: *regens verba.* — 21) *Tertiae vero productae id est quartae* Asc. P. — 22) *Positam* intrudunt h. l. Asc. P. — 23) Vv. *id est quartae coniugationis* addidi e Cod. — 24) *Vi vel ii* Asc. P. *ibi vel ii* Cod. — 25) *Verba* addit Cod. — 26) *Remeas* h. l. add. Asc. P. — 27) *Semper* h. l. male interponit P. — 28) Hunc omnem locum ita exhibet Cod.: *quod tertiae productae coniugnationis id* (praeter duo verba) *est quartae ab eo veniens sciens perfecto duob. tantum mododissiibi vel ii. V hanc litteram* cet. Supra scripta illa putavi collocanda esse post v. *quartae.* Pro v. *ab eo veniens* scribendum esse *ab eo venientia* sententia docet. Intelliguntur enim verba ab *eo* composita *subeo*, *abeo;* ad quae tamen tertium *adeo* annumerandum erat. De *subeo* supra dixit §. 4. ubi e Cod. *subi vel subii* scribendum vidimus. *Sciens* ortum videtur ex *scies* compendio pro *species.* Monstrum illud *mododisiibi* videtur significare id quod in Asc. et P. legitur: *modis t.* (hoc est *terminatur) ivi*; nisi forte scriptor voluit: *tantummodo modis t.* In Asc. et P. haec omnia sic leguntur: *quod tertiae productae coniugationis species perfecta duobus tantum modis terminatur iui*, *ii* cet. — 29) *Repperi secundae* Asc. P. — 30) Cod. *connibeo, connibes, connibui.* — 31) Ciceronis locum non inveni, ne inter fragmenta quidem. — 32) Cod. *ceveo, cebes, cebui.* Cf. paullo infra §. 7. huius segm. — 33) Persius I, 87. — 34) *Has* addidi e Cod. et Asc. Tum *ante eo posita verba habentia* Asc. P. *Posita* abest a Cod.

puto de his tractare, quae *i* ante *o* habent per singulas litteras ante[1] positas, quae regunt primam coniugationem, vel tertiam utramque. Nam secunda coniugatio *eo* tantummodo terminatur. *A* ante *io*, habens verbum tertiae correptae inveni, *ui* faciens in specie perfecta, *aio*, *ais*, *ait; ai*, *aisti*, *ait*. *B* ante *io* habentia tertiae productae, id est quartae coniugationis inveni, *vi* vel *ii* facientia[2] speciem perfectam, *ambio*, *ambis*, *ambiri*, vel *ambii*. *C* ante *io* habentia tertiae productae[3], *vi* vel *xi* facient specie perfecta, *sarcio*, *sarcivi; vincio*, *vinxi*. Tertiae vero correptae *ci*, ut *inicio*, *inieci*. *D* ante *io* non inveni. *E* hanc quoque litteram[4] non inveni. *F* ante *io* habentia verba tertiae sunt productae, *vi* vel *fii*[5] faciunt specie perfecta, *suffio*, *suffivi*, vel *suffii*[6]. Unum repperi[7] eiusdem coniugationis, defectivum genere, sicut *soleo*, *solitus sum*, sic *fio*, *fis*, *fit*, *factus sum*. *G* ante *io* habens verbum non inveni. *H* ante *io* verba habentia primae repperi coniugationis, *avi* facientia specie perfecta, *hio*, *inhio*, *hiavi*, *inhiavi*. *I*, *K*, his litteris ante *io* verba terminata non inveni. Uno *i*[8] inveni, tertiae correptae, *xi* faciens [1483] perfecto, *meio*, *meis*, *mexi*. Persius modo infinito:

matronae immeiere vulvae[9].

L ante *io* verba tertiae productae sunt, *vi* vel *ii* facient perfectum, *polio*, *polivi*, vel *polii*. Participium passivum posuit Virgilius:

Iam parte polita[10];

et modi indicativi activitatis speciem imperfectam, *polibant*[11]; *salio*, *salis*, *salivi*, vel *salii*[12]. *M* ante *io* habens verbum non inveni. *N* ante *io* habens verbum si primae fuerit coniugationis, *vi* faciet specie perfecta, *lanio*, *lanias*, *laniavi;* si tertiae productae, id est quartae, *vi* vel *ii*, ut *munio*[13], *munivi*, vel *munii*. *O* ante *io* positam in verbis non inveni. *P* ante *io* posita[14] tertiae correptae inveni, *ui* facientia perfectam speciem, *rapio*, *rapui;* vel *ii*[15], *cupio*, *cupivi*, vel *cupii*. *Q* ante *io* nusquam inveni, et rationabiliter; quia *q* littera non scribitur, nisi ante *u* et aliam quamcunque vocalem iniunctam[16]. *R* ante *io* positam tertiae correptae inveni, *ri* faciens speciem perfectam, et *pe* syllaba correpta in principio addita, *pario*, *peperi*. Quidam putant hoc verbum tertiae productae, id est quartae, esse, sed errant; nam infinitum[17] modum perfectum Terentius posuit:

Parere hic divitias;

quod si esset tertiae productae, *ri* habuisset syllabam ante *re*, *parire*[18]. Praeterea *re* utraque cor-

1) *Litteras ante positas* Cod. *ante io pos.* Asc. P. — 2) *Inveni vi vel ii facientia* Cod. *Inveni* omm. Asc. P. et pro *facientia* exhibent *facient*. — 3) *Productae* deest in Cod. non recte. Paullo post *inicio* Cod. — 4) Hoc loco *ante io* interponunt Asc. P. — 5) *Fii* Cod. *ii* Asc. P. — 6) *Vel suffii.* Haec addidi e Cod. Paullo ante *sunt* ante *productae* addidi ex eodem. — 7) *Repperi.* Ita Cod. *reperies* Asc. P. — 8) *Uno i inveni.* Ita Cod. recte. *Unum inveni* Asc. P. — 9) Non reperitur hodie hic locus apud Persium. Similis tamen est Sat. VI, 73. *Patriciae immeiat vulvae;* qui locus non intelligitur a Grammatico, quum exemplum infinitivi voluerit. Ceterum cf. Prisc. X, 1, 1. — 10) Virg. Aen. VIII, 426. — 11) Virg. Aen. VIII, 436. — 12) Cod. *Silio. silis. silivi. vel silii;* quod non plane displicet, licet nusquam alibi memoretur. Sed pari iure, atque *spicio*, etiam *silio* pro eo quod est *salio*, aliquando in usu esse potuit. Ceterum cf. Prisc. X, 9, 51. — 13) *Munis* interponunt Asc. P. — 14) Vv. *in verbis non inveni. P ante io posita* in Cod. inter versus scripta sunt, a librario male omissa, oculo a v. *positam* ad v. *posita* aberrante. — 15) *Rapio rapiui vel rapii* Asc. Male. *Rapio rapui vel rapii* P. Haud melius. In Cod. est: *Rapio rapui vel ii*, unde orta corruptio. Non enim intellexerunt, *ii* ad seqq. pertinere. Tollendum igitur monstrum illud perfecti *rapii*. — 16) *Iniunctam* Cod. *iunctam* Asc. P. — 17) Importune h. l. v. *perpetuum* intrudunt Asc. P. quam nescit Cod. Locus est Terent. Andr. IV, 5, 2. ubi olim legebatur: *parare hic divitias*, iam a Bentleio correctum. — 18) *Ante re syllabam parire* Asc. P. Errat autem Grammaticus; nam *parire* antiqua forma est, quam testatur Priscian. X, 9, 50. — 19) Cod. *utraque* *correpta est* (supra scriptum) *producta est.* Ita plane, supra scripta vera lectione. — 20) Asc. et P.

repta est[19]. Nam si produxeris, erit secundae coniugationis, *parere*, veniens a verbo, *pareo*, *pares:*

Paret amor dictis carae genitricis[20].

S ante *io* habens verbum primae repperi coniugationis; *vi* faciens specie perfecta, *basio*, *basiavi*, sic Martialis[21]. *T* ante *io* habens, si tertiae productae fuerit, *vi* faciet specie perfecta, *partio*, *partivi*, sic Cicero: *Partiverunt*[22]. Dicimus et *partior*[23] sub eodem intellectu activitatis, vel verbi communis, *partior*. Virgilius:

petit, et socios partitur in omnes[24];

sicuti *obsono*, *obsonor;* si primae fuerit, *vi* faciet specie perfecta, *satio*, *satias*, *satiavi*. *V*, *X*, *Y*, *Z*, ante *io*, nulla de his litteris inveni terminata verba; qui invenerit etiam declinandi doceat rationem.

7. *A* ante *uo* posita primae coniugationis verba regit, et tertiae correptae. Nam [148+] secundae coniugationis, vel[25] tertiae longae, id est quartae, verba *u* ante *o* nunquam habent, sed secunda *e* solam; tertia producta[26], id est quarta, et *i*. Ergo *A* ante *uo*[27] posita si primae fuerit coniugationis, *vi* facit[28] specie perfecta, *luvo*, *luvavi;* si tertiae, *vi*, *lavo*, *lavis*, *lavi*. Dicimus et *lavor*, *lavaris*, sub uno intellectu. *B* ante *uo*[29] tertiae correptae repperi, *bui* faciens specie perfecta, *imbuo*, *imbuis*, *imbui*. Primae non inveni; inventor doceat rationem. *C* et hanc litteram ante *uo*[30] tertiae correptae regentem verba repperi, *cui* facientem in specie perfecta, ut *acuo*, *acuis*, *acui*. *D* nec hanc litteram ante *uo* positam regentem verba primae coniugationis inveni, sed tertiae correptae, *dui* facientem in specie perfecta, *induo*, *induis*, *indui*. Nam sicut ante docui, *v*[31] ante *o* posita, aut primae coniugationis verba regit, aut tertiae correptae; secundae vero vel tertiae productae hoc est quartae **[32]. *E* huius litterae ante *uo* positae verbum tertiae correptae repperi, *vi* faciens[33] specie perfecta, *cevo*, *cevis*, *cevi*[34]. Persius tempore futuro posuit:

An, Romule, ceves[35]*?*

Significat autem cum turpitudine cedere, vel turpiter incurvari[36]. Primae coniugationis verbum *e* ante *uo* habens[37] non inveni. *F* hanc litteram ante *uo* positam verba regere non inveni; novo more unam declinationem ex hac quasi descendentem legi aput Terentium:

Fors fuat pol;

in Hecyra scilicet[38]. *G* huius litterae ante *uo* positae verbum primae coniugationis non inveni. Sed tertiae correptae, *gui* faciens specie perfecta, ut *arguo*, *arguis*, *argui;* et *unguo*[39], *unguis*, *unxi;*

ut Virgil. praeponunt, quae Cod. ignorat. Locus est Virg. Aen. I, 689. Ceterum Cod. *cari.* — 21) Apud Martialem saepissime. Velut VII, 94. XI, 97. XII, 59. — 22) Ciceronis locum non inveni. — 23) *Partitur* Asc. P. Ceterum cf. Priscian. VIII, 7, 32. — 24) Virg. Aen. I, 194. Ceterum e Cod. adieci *petit*, quum ibi *p. et socios* legatur. — 25) *Et* pro *vel* habent Asc. P. — 26) Male Cod. *solam tertiam productam* — 27) Cod.: *Ergo ante uo*, omisso *a.* — 28) *Faciet* P. *avi faciet* Asc. — 29) *Posita* h. l. intrudunt Asc. P. — 30) Cod.: *litteram ante* o *tertiae.* Asc. P. interponunt *positam.* — 31) *Vi ante o posita.* Ita quidem Cod. Asc. P. sed non recte. Nam paullo ante §. 6. negaverat, se *v* ante *io* verba terminata invenisse; et supra hac ipsa §. dixerat: *Nam secundae coniugationis vel tertiae longae, id est quartae, verba u ante* o *nunquam habent*, ad quem locum hic respicit. Scribendum igitur *V ante o posita;* id quod etiam seqq. ostendunt. — 32) Hic locus corruptus est, omisso fortasse uno vocabulo. In Asc. et P. legitur: *aut tertiae productae, hoc est, quartae.* Plura habet Cod., quae exhibui, adiectis asteriscis, lacunam significantibus. Excidit fortasse *nunquam.* — 33) *In* add. Asc. P. — 34) *Caevo caevis caevi* Cod. — 35) *Caeves* Cod. Locus est Persii I, 87. Cf. supra §. 5. huius segm. — 36) Cod.: *turpiter incu(r)bare incupari primae* (sic). — 37) V. *habens* om. Cod. Videbatur necessarium. — 38) *Aput Terentium fors f(rtuna)oat pol in ecyra s. cli.* (sic.) Sic Cod. Male sedulus emendator *fortuna* voluit pro isto *foat*, et ultimum compendium vocis puto notare *scilicet.* Ceterum Asc. P.: *apud Terent. in Hecyra, Fors fuat pol.* — 39) *Unguo.* Ita scripsi, sententia ipsa postulante; assentitur Asc. *Ungo* Cod. P.

nam *ungueo* non legi. *H* hanc litteram ante *uo* positam regentem verba[1] non inveni. *I* ante *uo* posita primam regit coniugationem, et speciem perfectam[2] *avi* facit, *derivo*, *derivas*, *derivavi*. *K* ante *uo* posita[3] nullum verbum regit. *L* ante *uo* posita tertiam correptam regit, *lui* facit[4] in specie perfecta, *diluo*, *diluis*, *dilui*. *M* ante *uo* positam non inveni. *N* haec littera posita[5] ante *uo* tertiam coniugationem[6] correptam regit, et speciem perfectam facit *nui*, *innuo*, *innuis*, *innui; annuo*, *annui;*[7] *renui*. *O* ante *uo* posita primam regit coniugationem, et speciem [1485] perfectam *vavi* terminat, ut[8] *novo*, *renovo; novavi*[9], *renovavi*. *P* ante *uo* posita tertiam coniugationem correptam regit, et speciem perfectam *spui* facit, ut *spuo*, *respuo; spui*, *respui*. *Q* ante *uo* posita et primam coniugationem regit et tertiam correptam; primae[10] *quavi* facit speciem perfectam[11], *aequo*, *aequas*, *aequavi; exaequo*[12], *exaequavi*. Tertiae vero correptae[13] *qui*, ut *relinquo*, *relinquis*, *reliqui*. *R*, et haec littera ante *uo* posita, et primam coniugationem regit et tertiam correptam; primae specie perfecta *avi* terminatur[14], tertiae *ui*, ut *servo*, *servas*, *servavi*[15]*; ruo*, *ruis*, *rui*. *S* ante *uo* posita tertiam correptam regit, *suo*, *suis*, *sui; consuo*, *consui*. *T* ante *uo* posita primam coniugationem regit et speciem perfectam *vi* facit[16], *fluctuo*, *fluctuas*, *fluctuavi*.[17] *X*, *Y*, *Z*, has litteras ante *uo* positas[18] verba regere non inveni. Hoc modo declinabuntur omnia verba *o* terminata, ante eam habentia vocales illas, quas supra memoravi, exceptis defectivis.

8. Nunc ad syllabas consonantium veniamus[19], quae consonantes si sint ante novissimam litteram *o*, aut primae coniugationis facient verbum, aut tertiae correptae. Nam secunda coniugatio vel tertia producta, id est quarta, consonantem ante o litteram nunquam habent[20], sicut frequenter docui. Secunda quidem *e* solam, ut *doceo*, *doces*. Tertia vero producta, id est quarta, duas, *e* et *i*[21], ut *redeo*, *redis*, *redii*, et *munio*, *munis*, *munii*[22].

Bo terminata, primae si sint, *bavi* facient specie perfecta, ut *libo*, *libas*, *libavi;* tertiae vero correptae, *psi*, ut *nubo*, *nubis*, *nupsi*[23]*;* aut *bui*, ut *sorbeo*, *sorbes*, *sorbui;* quamvis et *sorbsi*[24] lectum sit.

9. *Co* primae si sint, *cavi* facient perfectam speciem[25], ut *sicco*, *siccas*, *siccavi; dico*, *dicas*, *dicavi*. Virgilius:

Propriamque dicabo[26].

1) *Verba* add. e Cod. — 2) *Specie perfecta* Asc. P. — 3) *Posita* recte sic Asc. *positam* Cod. P. — 4) *Lui facies* Asc. *lui faciens* P. *lui facit in* Cod. — 5) *Litera ante uo posita* P. Asc. — 6) *Correptam coniugationem* Asc. P. — 7) Interponunt Asc. P. *renuo*. Cod.: *annui rennui* (sic). — 8) *Vavi terminat, ut.* Ita Cod. *aui facit, novo* Asc. P. — 9) *Novavi* in Cod. supra scr. — 10) *Primae* adieci e Cod. — 11) *Speciem perf* (reliqua adesa) *aequo* Cod. *specie perfecta aequo* Asc. P. — 12) *Exaequas* h. l. interponunt Asc. P. — 13) *Carrepta* P. errore typorum. — 14) *Primae specie* ... (adesa) ... *terminatur tertia vi ut servo* Cod. *Pr. sp perfecta avi terminatur, servo* Asc. P. — 15) Interponunt h. l. Asc. P.: *tertiae rui ut;* quae hic absunt in Cod. — 16) *Regit specie perfecta avi faciens* Asc. P. Ut dedimus, exhibet Cod. a pr. manu. Recentior ex syllaba *vi* fecit *avi*. — 17) Praeponunt Asc. P. *V*, quod legitur quidem etiam in Cod. sed expunctum; recte. — 18) *His literis positis* Asc. P. Male. Recte Cod. quod dedimus. — 19) *Deveniamus* Asc. P. — 20) *Habet* Asc. P. — 21) *Duas e et i.* Ita Cod.; otiosae illae *ii* supra scr. — 22) *Redii — munii* Asc. Cod. *redi — muni* P. — 23) Cod. *nubsi* sed e corr. — 24) Ita Cod. Asc. P. — 25) *Specie perfecta* Asc. P. — 26) Virg. Aen. I, 73. — 27) *Crevi, et pasco pascis pavi* P. Asc. Recte fortasse. Cod. alterum exemplum hic om. sed paullo infra *senui aut vi pasco pascis pavi*, quod mutare nolui. *Ut* ante *senesco* interponunt Asc. P., quod om. Cod. — 28) *Facit* add. e Cod. — 29) *Caedo* Cod. male. — 30) *Repperitur* Cod.

Aut *cui*, ut *mico*, *micas*, *micui*. Tertiae vero correptae, aut *ci*, ut *vinco*, *vincis*, *vici;* aut *xi*, ut *dico*, *dicis*, *dixi; duco*, *ducis*, *duxi*. Aut *vi*, ut *cresco*, *crescis*, *crevi*[27]. Aut [1486] *nui*, *senesco*, *senescis*, *senui*. Aut *vi*, *pasco*, *pascis*, *pavi*.

Do primae si sint, aut *di* facient in specie perfecta, ut *do*, *das*, *dedi;* aut *davi*, ut *laudo*, *laudas*, *laudavi*. Tertia vero correpta aut *didi* facit[28], ut *addo*, *addis*, *addidi; credo*, *credis*, *credidi;* aut *si*, ut *cedo*, *cedis*, *cessi;* aut *cidi*, ut *cado*, *cadis*, *cecidi;* nam *cedo*[29], quod significat *da*, sine verbi totius substantia solum repperitur[30] numero singulari, *cedo;* numero plurali, *cette*[31]*;* sic Plautus et antiqui comoediographi; sicut et *salve*, *salvete*[32]. Nam quod Plautus in Truculento:

Non salveo[33]*;*

inridenter[34] posuit pro persona rustici. *Fo*, non inveni.

10. *Go* primae *gavi* facit, ut *rogo*, *rogas*, *rogavi*. Tertiae vero correptae aut *xi* reddit, ut *pingo*, *pingis*, *pinxi*; *sugo*, *sugis*, *suxi;* aut *si*, ut *tergo*, *tergis*, *tersi*. Lectum est et *tergeo*, unde in Virgilio utramque declinationem indifferenter invenimus:

et spicula lucida tergunt[35]*;*

a *tergo*, *tergis;* et: *tergent*, ergo *terges*[36]*;* et *vergo versi* facit. Aut *gi*, ut *tango*, *tetigi;* et in principio syllabam adiecit, ut *pungo*, *pupugi; pango*, *pepigi*. Quidam *pepigi* defectivum[37] tempore putant esse, ut *odi*, *novi*, *memini;* alii praesentis, alii praeteriti aestimant.

11. *Ho* primae est, *havi* facit, ut *incoho*, *incohas*, *incohavi*[38]. Quidam putant *inchoare* debere[39] dici, imperitissime. Nam neque post *c* litteram, *h* Latina verba regunt, exceptis nominibus tribus, quae supra posui, *pulcher*, *orchus*[40], *lurcho;* neque *o* littera ante *o* alterum[41] Latinorum verborum prima persona repperitur; sed illas[42] tres vocales, quas ante docui *e*, *i*, *u;* nam nec *a*, nec o. Igitur quod Plautus posuit *reboo*[43], non Latine, sed Graece posuit, βοῶ βοᾷς, unde derivativum *reboo*, *reboas*[44]. Nam Latinum verbum *o*, ante *o* habens non, inquam[45], repperitur. Tertiae vero coniugationis correptae verba *ho* terminata, *xi* faciunt speciem perfectam[46], *traho*, *traxi; veho*, *vexi*[47].

12. *Ko*, non invenitur verbum hac syllaba terminatum rationabiliter. Nam *K* littera

ut semper; *reperitur* Asc. P. — 31) *Cette;* sic recte Cod. *cedite* Asc. P. Ceterum *cette* Plauto restituendum Merc. V, 4, 4. ubi editur *certe dextras nunc ïam*. Aliud exemplum citatur ex eodem Plauto a multis Gramm., inter quos etiam Pompeius Comm. p. 325. *Cette patri meo;* ubi vide quae notavi. — 32) *Sicut et salvete salvere* Cod. *sicut salve*, *salvete*, *salvere* Asc. P. Haud dubie voluit Gramm. id quod dedimus. — 33) Plaut. Truc. II, 2, 4. — 34) *Inridenter* Cod. *irridenter* Asc. P. — 35) Locus Virg. supra iam §. 5. huius segm. indicatus legitur Aen. VII, 626. — 36) Totus hic locus in Cod. sic legitur: *Et spicula lucida tergunt aut tergo tergis et tergent ergo terges et vergo versi;* quae licet corrupta existimo, retinui tamen, nisi quod *a tergo tersi* pro *aut t. t.* scripsi. Fortasse scribendum *et tergent a tergeo terges*. — 37) Cod. *Pupugi defectivum* omissis intermediis. Male. — 38) *Inchoo*, *inchoas*, *inchoavi* Cod. contra mentem Grammatici, ut seqq. docent. Paullo ante *Ho si primae est* Asc. — 39) *Debere* adieci e Cod. Sed in Cod. verbum *inchoare* adesum est, proque eo in ora superiori a recentiori manu scriptum *inchoere dici*, quod falsum esse patet. — 40) In Cod. *horcus* sed corr. — 41) Cod. *in alteram* sed corr. — 42) *Illas* Cod. *illae* Asc. P. Ceterum pauca exesa hic in Cod. *tres voca . . . . . . as ante* cet. — 43) In Cod. pauca attrita *Plautus po . . . . . boo.* Vv. *non Latine* supra scr. — 44) *Unde deribativum bow* (sic) *reboas*. Cod. — 45) Recte Cod. *non inquam*. Asc. P. *nunquam*. — 46) *Facie perfecta* Asc. P. — 47) Cod. *traho* (*his*) *traxi*. *veho* (*his*) *vexi;* sed supra scr. a rec. manu. *traho trahis tr. veho vehis v.* Asc. P.

non scribitur, nisi *a* littera[1] in principiis nominum vel verborum consequentis syllabae, et [1487] consonans principium sit[2], sicut in[3] Institutis artium, hoc est in libro primo, monstravi, Kamenae, kaleo, kareo, et si qua talia[4]. *Lo* primae si sint, *lavi* facient ut[5] *caelo*, *caelavi*. Tertiae vero correptae aut *lui*, ut *excello*, *excellis*, *excellui*, aut *li*, ut *tollo*, *sustollo*, *sustuli*[6], de utroque verbo; nam *tuli* ab eo venit, quod est *fero*, *tuli*.

Mo primae aut *mavi* facit, ut *amo*, *amavi; clamo*, *clamavi;* aut *mui*, ut *domo*, *domui*. Tertiae vero correptae aut *psi*, ut *sumo*, *sumis*[7], *sumpsi;* aut *mui*, ut *tremo*, *tremis*, *tremui*. *No* primae *navi* facit, *sano*, *sanas*, *sanavi*. Tertiae vero correptae *ni*, sed in principio syllaba adiecta[8], *cano*, *canis*, *cecini*. Aut *vi*, *cerno*, *cernis*, *crevi; sino*, *sivi*. *Po* primae *pavi* facit, ut *stipo*, *stipas*, *stipavi*. Tertiae vero *pi*, *rumpo*, *rumpis*, *rupi*.

13. *Q*, haec littera ideo non invenitur regens verbum, quoniam nullam litteram antecedere potest nisi *u* et aliquam vocalem cum ea antecedentem iunctam, unde supra, cum de vocalibus antecedentibus o litteram tractaremus[9], posuimus, *relinquo*, *relinquis*, *reliqui*[10]. *Ro* primae *ravi* facit, *oro*, *oras*, *oravi*. Tertiae vero correptae aut *vi*, ut *sero*, *seris*, *sevi;* aut *sivi* mittit[11], ut *quaero*, *quaeris*, *quaesivi;* aut *rui*, ut *insero*, *inseris*, *inserui*. *So* primae, *savi* praeterito facit, *penso*, *pensas*, *pensavi*. Tertiae vero *vi*, *quaeso*, *quaesivi*. Tale est *cerno*, *cresco*, *crevi*. *To* primae *tavi* facit, *muto*, *mutas*, *mutavi*. Tertiae vero *si*, *mitto*, *mittis*, *misi;* aut *ti*, ut *verto*, *vertis*, *verti;* aut *ui*, ut *sterto*, *stertis*, *stertui*. Persius:

Postquam destertuit esse[12].

Si *c* ante *to* habuerit prima verbi persona, prima coniugatio *ctavi* facit in specie perfecta, *macto*, *mactas*, *mactavi*. Tertia vero correpta *xui*, *necto*, *nectis*, *nexui; flecto*, *flectis*, *flexui*. *Xo* primae *xavi* facient[13], *elixo*, *elixas*, *elixavi;* aut *xui*, *enixo*, *enixas*, *enixui*. Tertiae vero *xui*, ut *nexo*, *nexis*, *nexui*.

14. Quoniam, sicut arbitror, sufficienter tractavimus de verbis *o* littera terminatis, [1488] veniamus ad ea quae *or* syllaba terminantur. *Or* syllaba terminata sive pura sive vocali, vel consonante praecedente, si primae sint coniugationis vel secundae, vel tertiae productae, id est quartae, ante novissimam litteram secundae personae activitatis, *ri* syllabam accipientia facient secundam personam passivitatis, ut *amo*, *amas*, *amor*, *amaris; doceo*, *doces*, *doceor*[14], *doce-*

1) *Nisi a littera in pr.* Recte ita Cod. propter seqq. *principium sit*. *Nisi ante a literam in* Asc. P. — 2) *Principium sit* Asc. P. *principium et* Cod. quod fortasse fuit *pr. est;* nolui tamen inferre, quod dubium esse videretur. — 3) *In* abest a Cod. non recte. — 4) Vv. *kareo et si qua talia* desunt in Cod. In primo autem libro nihil legitur tale, quod h. l. innuitur. Quare intelligitur, non integros ad nos devenisse hos Probi libellos. — 5) *Ut* adieci e Cod. — 6) Uberiora habet Cod. nec tamen meliora: *tollo tuli. sustollo sustuli. tuli sustuli de utroque* cet. Secutus sum Asc. et P. — 7) *Sumis* addidi e Cod. — 8) *Addita* Asc. P. — 9) *Tractaremus* Cod. *tractavimus* Asc. P. — 10) Male Cod. *relinqui*. — 11) *Mittit* addidi e Cod. — 12) Pers. VI, 10. Ceterum Cod. *destertui esse* (sic ante supra) ⁝ *aut et o. c. habuerit;* (⁝ si. c.) correctum *aut* et pro eo *ante* et litterae *si. c.* in marginem excurrunt. Illa supra scripta *sic ante* lineola traducta deleta sunt. — 13) *Faciet* Asc. P. — 14) Codex habet: *doceo doceris* (supra: *es doceor*) sic corr. ab alia manu. — 15) Cod.: *munio muniris* (r supra); hoc ab antiqua manu. Altera addidit: *munio munis*. — 16) *Mutat* Asc. P. Sed Cod.: *mutavit tempus autem*. Ad v. *mutavit* signo monstrante in ima ora ab alia manu adiecta sunt: *et sic cum .e. ri. ante. s. accipit ut lego legis legor geris et si qua talia;* quae dedi, quum Asc. et P. consentiant, nisi quod *legeris* habent. — 17) *Finient* Cod. a pr. m. *facient* corr. rec. m. atque ita Asc. P. — 18) *Litteram es amo* Cod. a pr. m. sed rec. m. correxit: *litteram s ut amo;* atque ita Asc. P. — 19) *Pereunt e littera* Cod. sed corr. — 20) Cod.: *est tu ante s* sed corr. — 21) *Et su.* Ita rectissime Cod. Sed male corr. a rec. man. quae eadem hic et antea plura attrita

ris; munio, *munis*, *munior*, *muniris*[15]. Tertiae vero correptae *i* litteram in *e* correptam mutavit[16], et sic cum *e ri* ante *s* accipit, ut *lego*, *legis*, *legor*, *geris*, et si qua talia.

15. Tempus autem perfectum finient[17] omnes coniugationes participio masculino temporis praeteriti addita *sum* syllaba, *hic amatus*, *amatus sum; hic doctus*, *doctus sum; hic scriptus*, *scriptus sum; hic munitus*, *munitus sum*. Fit autem participium temporis praeteriti generis masculini ex secunda persona activitatis in prima quidem coniugatione et tertia producta, id est quarta, accepta syllaba *tu* ante novissimam litteram *s*, ut[18] *amo*, *amas*, *hic amatus; munio*, *munis*, *hic munitus*. In secunda vero, et tertia correpta pereunte *e* littera[19] penultima secundae personae activitatis, et *tu*[20] ante *s* posita, ut *doceo*, *doces*, *hic doctus; dico*, *dicis*, *hic dictus;* aut pereuntibus duabus litteris penultimis, et *su*[21] ante novissimam litteram *s* reposita[22], ut *necto*, *nectis*, *necsus sum*[23]*;* quamvis posteriores pro *c* et *s*, *x* posuerunt[24], *nexus sum*[25].

16. Imperativus modus passivitatis *re* syllaba addita imperativo activitatis fiet, ut *ama*, *amare*, *doce*, *docere; scribe*, *scribere*, *muni*, *munire*. De[26] hac tamen ratione, et de modo infinito[27] plenius in Institutis artium, hoc est in libro primo, docuimus. Illorum verborum, *r*[28] terminatorum et non venientium ab *o* littera, species perfecta notetur de participio temporis praeteriti.

Segm. IV. *De Structura.* [1489]

1. Quoniam[29] de pedibus disyllabis et trisyllabis, necnon et quattuor syllabarum in primo docuimus libro; de nominum vero ratione verborumque in hoc; consequens arbitratus sum de terminationibus placentibus nostro tempore paucis admodum demonstrare, quas multi credunt metro debere constare, quorum opinioni non libenter consentimus; quoniam et Tullius et caeteri oratores monosyllabo struxere[30] verbo, cum una syllaba metrum non sit.

Est autem structura verborum compositio, dicta a struendo, id est componendo, unde structores compositores[31] alicuius rei dicuntur. Hae quamvis in omni oratione servari debeant, tamen maxime in verbis duobus, novissimo et penultimo, sunt delectabiliter componendae.

2. Antiqui quidem oratores, in quibus maxime Tullius, nunquam necessariis sensibus praeposuerunt orationis structuram; sed magis fortiter[32] et gravi compositione, quam molliter vel laxe dicere maluerunt, ut cum haberent occasionem sic struendi, quemadmodum nostri temporis ho-

rescripsit. — 22) Cod.: *litteram. s. rep. . .* (adesa) *ut necto*. Quibus rec. m. male substituit: *litteram s. post tu ut necto.* — 23) Cod. *nexus sum*. Rec. manus *nectus sum*; male. Sententia scriptoris requirit *necsus sum*, quod dedimus. Neque quisquam unquam Latinorum dixit *nectus sum*. — 24) Cod. Asc. P. *pro c et t*. Male. Quid voluerit Gramm., ex antecc. patet. Ex *c* et *s* factum postea *x* significat. Hoc ita cum omni nexu orationis cohaeret, ut nemo quisquam aliud h. l. scriptum esse ne somniare quidem possit. — 25) Male Cod. *nexum* omisso *sum*. — 26) *Ut amare docere De*. Ita Cod. a pr. m. Sed rec. m. Asc. et P. ut dedimus. — 27) *Infinitivo* P. solus. — 28) *Illorum vero verborum id est r term*. Asc. P. Ceterum post v. *praeteriti* sequitur subscriptio haec: FINIT DE CATHOLICIS PROBI. Tum post breve intervallum unius lineolae: ARS SERVI GRAM' EXPLICIT FELICITER. Reliqua pagina supra dimidium vacua. Versa sequuntur reliqua Probi quae in Edd. habentur, sed sine inscriptione et ita, ut verba: *de participio temporis praeteriti*, praecedentis paginae extrema, initium faciant sequentis, uno tenore cum seqq. scripta. Deest igitur in Cod. inscriptio: *De Structura.* — 29) Totus hic locus in Cod. sic legitur: *Quoniam de pedibus disyllabis et tris ....* (haec attrita) *et quattuor syllabarum de nom ...... vero ratione verborumque in hoc de .... placentibus nostro tempore* cet. Ex quibus voc. *pedibus* ante v. *disyllabis* adieci, ordinemque paullo post immutavi, ubi Asc. et P. exhibent: *nominum vero verborumque ratione.* — 30) Male Cod. *struere.* — 31) *Structores compositores.* Ita recte Cod. *Structurae compositurae* Asc. P. Paullo post *dicuntur* deest in Cod. — 32) *Forti* Asc. P. male, ut seqq. ostendunt. —

mines delectantur, tamquam de industria usi sunt structura forti, potius quam delectanti; sicut exemplis Tullianis probare breviter potuerimus[1].

Quod in primis est nostro tempore vitiosum, Tullius ille[2] non dubitavit verbo monosyllabo finire structuram, ut est: *Ab istius petulantia conservare non licitum est; quae cum is*[3] *civitatibus G. Verri*[4] *communicata sunt*[5]. Et: *Id quod populus Romanus iam flagitat, extincta atque deleta sit*[6]. Hae compositiones demutatae[7] facient nostri temporis structuras sic: ex tribrachy[8] et ditrochaeo: *Ab istius petulantia non est lĭcĭtŭm cōnsĕrvārĕ;* ex trochaeo et dactylo, *Quae sunt G*[9]. *Verri cum is*[10] *civitatibus communicata;* ex ditrochaeo et bacchio a longa: *Id quod populus Romanus iam diu efflagitat, extincta sit atque deleta*[11]. Disyllaba[12] structura, quae non valde quibusdam placet, antiquos viros vehementissime delectabat. Est enim [1490] fortis admodum, vitansque etiam nostri temporis barbarismos[13], si non fuerit spondeo vel trochaeo post dactylum finita, ut: *Prīmŭs ăb ōrīs*[14]; et: *In quo meam voluntatem populus Romanus perspicere possit*[15]. Sic enim versum heroici metri facient; quae sola versificatio est oratoribus devitanda. Nam si omnem fugere voluerint, tacebunt, quoniam nulla oratio sine metro constat.

3. Trisyllaba structura nostro tempore caute ponenda est, ne aut versum, stichum[16], faciat ex trochaeo composita et bacchio a brevi, ut: *capta fuissent;* aut, ut quibusdam placet, barbarismum, si ex spondeo vel iambo, vel quovis pede, cuius sit novissima syllaba natura longa, componatur ex aliquo verbo trisyllabo, qui positus bene sonet. Nam si plausibilis non fuerit, barbarismum nostri temporis vitans, nec structuram faciet nobis placentem, ut illud inter multa alia similia[17] Tullianum: *sententia sua liberaverant*[18]; et: *cuius ego causa laboro*[19].

4. Quattuor syllabarum structura sic vitabit nostri temporis barbarismum, sicut disyllaba, quamvis multi[20] non sapienter et in tali compositione barbarismos esse dixerunt, si penultimum verbum habeat novissimam syllabam natura longam, ut: *Ad meam capsam admisero*[21]; et: *Industriaeque meae contenderem*[22]. Ergo si nos ad huiusmodi structuras aliqua necessitas detulerit, poterimus reprehendentis[23] imperitissimos comprobare, si nostrum nosmet officium fecerimus corripientes syllabas breves[24] et producentes longas: *Causa laboro; sa* producentes; *Capsas admisero; as* producentes. In istis enim tantummodo syllabis, si correptae fuerint, erit barbarismus, non in tota compositione structurae: *Capsas admisero;* quoniam barbarismus una parte orationis fit, pluribus nunquam. Nam si hoc ita esset, non in tantum doctrina latuisset, ut eam Tullius [1491] ignoraret; vel tantum potuisset, ut ea post illum, et multos ante alios[25] nostris temporibus disceretur[26]; quorum obscuram peritiam devitavo[27] illorum nobilissima negligentia decoratus.

1) *Tullianis provare brebiter potuerimus* Cod. *Tull. breviter probare poterimus* Asc. P. — 2) *Ille* addidi e Cod. — 3) *Cum is* ita Cod. *cum iis* Asc. P. — 4) *G. Verri* Cod. *C. Verri* Asc. P. — 5) Prior locus Cic. legitur in Verr. act. I, 5. ubi editur: *non licitum sit.* Alter Cic. Div. in Verr. c. 4. ubi: *cum his civitatibus.* — 6) Cod.: *extincta adq. deleta sint.* Asc.: *extincta atque deleta sint.* P.: *extructa atque deleta sint.* Et *sit* quidem dedi, quia infra in Cod. *sit.* Locus legitur apud Cic. Div. in V. c. 8. ubi tamen: *exstinguenda atque delenda sit.* — 7) *Demutatae* Cod. *mutatae* Asc. P. — 8) *Tribracho* Asc. P. Signa prosodica, quae in proximis sequuntur, e Cod. sunt. — 9) Pro praenomine *G.* quod est in Cod., *C.* habet Asc. *igitur* P. — 10) *Cum iis* Asc. P. — 11) *Extincta sit atque deleta.* Sic recte Cod. *extincta sint* Asc. *deleta sit* P. — 12) *Disyllaba* simplici *s*, ut semper, Cod. — 13) *Barbarismum* Asc. P. — 14) Signa prosodica e Cod. Locus est Virg. Aen. I, 1. — 15) Haec, si Ciceronis sunt, multum quaerendo non repperi. — 16) *Heroicum* Asc. P. fortassis recte. — 17) *Similia* addidi e Cod. — 18) Hunc Ciceronis locum nunc non possum ostendere. — 19) Cic. Div. in V. c. 7. — 20) *Quamulti* Cod. Fortasse legendum *quamquam multi.* — 21) Cic. Div. in Verr. c. 16.

5. Nunc[28] quoniam docuimus haec, quae a nobis stultissime reprehenduntur, indifferenter a prioribus posita, structuras nobis delectabiles componamus.

Amphibrachys[29] et molossus: *probāre dēbērēs*[30].
Amphibrachys et bacchius a longa: *dolōre dētrūsus*[31].
Anapaestus et paeon tertius: *fierī potuīsset.*
Anapaestus et Ionicus minor: *modicīs*[32] *coluērūnt.*
Antispastus et molossus: *cohaerēdem dētrāxī*[33].
Amphimacrus et hippius secundus: *optimē nāvigāvī.*
Bacchius a longa geminatus: *dētrūdit haerēdem.*
Bacchius et molossus: *cāntāre fecerunt.*
Bacchius a brevi et hippius secundus: *dolores detulerunt.*
Choriambus et hippius primus: *condidimus sepūltūrā*[34].
Chorius id est trochaeus et bacchius a longa: *esse delectum.*
Trochaeus et paeon tertius facient illam structuram, Tullio peculiarem[35]: *esse videatur.*
Dactylus et ditrochaeus: *hostibus*[36] *temperare.*
Dactylus et Ionicus a minore: *omnia placuerunt.*
Ditrochaeus et bacchius a longa: *vindicatur electus.*
Dactylus et paeon tertius: *curiam renovare*[37].
Dactylus et dispondius: *lumina deponebant.*
Epitritus quartus et bacchius a longa: *deducentes*[38] *abducunt.*
Epitritus quartus et molossus: *inpellente devincens*[39].
Epitritus tertius et ditrochaeus: *piratica liberasset.* [1492]
Hippius tertius, id est tertius epitritus, et hippius secundus: *dilexerant Caepiones, praedonios vindicasti*[40].
Ionicus maior et Ionicus minor: *contagia doluerunt*[41].
Ionicus maior et ditrochaeus: *depellere castitatem.*
Paeon primus et hippius quartus: *decipere contendebant.*
Paeon secundus et dispondeus: *pericula devitavi.*
Trochaeus et bacchius a longa: *sume decretum*[42].
Tribrachys et ditrochaeus: *Cererem decanamus.*

ubi: *ad meas capsas adm.* — 22) Cic. In V. act. I, 12. — 23) *Reprehendentes* Asc. P. — 24) *Breves* addidi e Cod. — 25) *Alios* Cod. *Tullium* Asc. P. Sententia est: *post illum et post multos alios, qui ante eum vixerunt.* — 26) *Disceretur* Cod. *nosceretur* Asc. P. — 27) *Devitavo.* Ita Cod. more suo. *devitare constitui* Asc. P. — 28) H. l. *vero* interponunt Asc. P. — 29) *Amphibrachys* Cod. et ita semper etiam in seqq. *Amphibrachus* Asc. P. — 30) Signa prosodica appinxi, ut ea in Cod. scripta inveni. — 31) *Dētrūsus* Cod. *derisus* Asc. P. — 32) *Modicis* Cod. *modicos* Asc. P. — 33) *Dētrāxī* Cod. *detraxit* Asc. P. — 34) *Sepūltūrā* Cod. *sepulturam* Asc. P. Signum prosodicum ultimae syll. pro litterae *m* signo habitum est. — 35) *Peculiarum* P. errore operarum. — 36) *Hostibus* recte Cod. *hospitibus* Asc. P. — 37) *Renovare* Cod. *revocare* Asc. P. — 38) *Deducentes* haud dubie falsum. Cod. videtur exhibere *deducenter.* Latet haud dubie adverb. in — *enter* desinens. — 39) *Inpellente devincens* Cod. *imp. devinxit* Asc. P. — 40) *Praedonios vind.* Cod. *praedones v.* Asc. P. — 41) *Doluerunt* Cod. *diluerunt* Asc. P. — 42) Male Cod. *decertum.*

6. Has quidem a nobis[1] repertas componamus, quae possint auditores nostri temporis delectare.

Amphimacrus et antispastus: *maxima laboraret*[2]. Bacchius a longa et paeon tertius: *pudentem exitum quaesisse videatur.*

Trochaeus et bacchius a longa: *securi esse percussum; suus iste vexarat*[3]*; stare non posse.*

Proceleusmaticus et ditrochaeus: *Populus Romanus voluerit vindicare.*

Bacchius a longa et molossus: *causamque cognovit.*

Trochaeus et molossus: *ipsa*[4] *delegit.*

Amphibrachys et molossus: *probare deberent.*

Antispastus et bacchius a longa: *voluptate concedam*[5].

Choriambus et ditrochaeus: *ingenio sustinere.*

Dactylus et antispastus: *corpora*[6] *perhorresco.*

Paeon primus[7] et ditrochaeus: *iudicium sustinebit.*

Bacchius a longa et molossus: *subscriptor*[8] *addatur.*

Diiambus et hippius secundus: *iniuriis commoveri.*

Tribrachys et hippius quartus: *cuius quaestor fueris accusare.*

Dactylus et hippius quartus: *procellam temporis devitare.* [1493]

Iambus et ditrochaeus: *diu machinatur.*

Choriambus et paeon tertius: *composuit rationem.*

7. Sed ut brevissime de structuris delectantibus doceamus, observandum est, ne aut[9] versum heroici metri faciamus, aut in natura longam[10] syllabam paenultimo[11] verbo terminato trisyllabo finiamus; caeteris paene omnibus auditorem possumus delectare[12].

ARS PROBI EXPLICIT.

---

8. Item alio modo. Compositio prima a trochaeo et molosso, ut: *vadit armatus;* a trochaeo et choriambo, ut: *magnus incutiens*[13].

1) *A nobis* adieci e Cod. Ceterum Cod. prave *reperitas.* — 2) *Laboraret* Cod. *laborare; et* Asc. P. — 3) *Suus — vexarat* Cod. *sus iste vexaret* P. *Suus* etiam in Asc. — 4) *Ipsa* Cod. *ipsum* Asc. P. — 5) *Concedam* Cod. Asc. *conceptam* P. — 6) *Corpora* Cod. *corpore* Asc. P. — 7) Cod. *Paeon I.* Numeri signum deest in Asc. et P. — 8) Cod. *sus scribtor.* — 9) Cod. *ne ad* (v superscr.) (i. e. aud) *versum.* — 10) *Longa syllaba* Asc. P. — 11) *Paenultimo;* ita Cod. quemadmodum paullo post *paene.* — 12) Hic finit liber Probi. Sequitur enim subscriptio in Codice talis: FELICITER ARS PROBI GRAMMATICI URBIS EXPLICIT CATHOLICA. Deinde sequitur ab alia manu: *Theodosius Macrobius de g mgr̄* (o superscr.) (sic) *coniugationibus sic ait.* Iam sex versus sequuntur, quos iam descripserat V. Cl. Eichenfeldius et proxime editurus est. Tum leguntur aliquot glossae Graecae, quae extremam libri oram ambiunt. In interiori autem paginae parte sequuntur, quae apud Putschium Probi librum terminant, sed longe recentiori manu scripta, ut Probi esse non credam, sed, quia similis argumenti sunt, ex alio Grammatico excerpta et huc translata statuam. Quum optime e Cod. etiam haec emendari posse viderem, totum locum subiungere non dubitavi. — 13) *Magnus incutiens* Cod. *Incutiens magnos* P. *magnos*

Ex trochaeo et Ionico minore, ut: *doctus imitatur;* ex trochaeo et Ionico maiore, ut: *victus incesserat*[14].

Ex trochaeo et quinque syllabis, quarum tertia sit longa, ut: *ille repugnabilis.*

Ex tribrachy et isdem[15].

Compositio secunda[16] ex amphimacro et spondeo, ut: *dixerat magnus.*

Ex amphimacro et anapaesto, ut: *maximus Fidius*[17].

Ex amphimacro et dactylo, ut: *Mulcifer fecerat*[18].

Compositio tertia[19] ex spondeo et paeone quarto, ut: *doctis*[20] *facilitas.*

Ex spondeo et bacchio, ut: *magnae repulsus*[21].

Ex spondeo et paeone secundo, ut: *ultis*[22] *recesserat.* [1494]

Ex anapaesto et isdem.

Quarta[23] ex palimbacchio et spondeo.

Ex palimbacchio et anapaesto.

Ex palimbacchio et dactylo.

Ex paeone tertio et isdem.

Ex amphibrachy[24] et isdem.

Quinta[25] ex spondio et iambo.

Ex spondio et tribrachy.

Ex anapaesto et isdem.

Sexta ex spondio et iambo et spondio.

Ex spondio, iambo[26] et dactylo.

Ex duobus iambis et spondeo.

Ex duobus iambis et dactylo.

Ex disyllabis[27] iambo et spondeo; in trisyllabis trochaeo et trochaeo[28].

Septima ex spondeo[29] et epitrito secundo.

Ex spondeo et epitrito tertio.

Ex iambo et isdem.

Ex trisyllabo et isdem.

incutiens Asc. — 14) Integer versus excidit in Asc. et P. quae hunc locum ita exhibent: *Ex Trochaeo et Ionico minore, ut, victus incesserat.* Asc. etiam *victas.* — 15) Cod. hic et ubique in seqq. *hisdem;* atque ita etiam Asc. P. — 16) Putsch. in fine versus *Composit. II.* Rectius Asc. eadem tanquam titulum scripta exhibet. — 17) Cod.: *maximus difidus.* Asc. P.: *maximus diffidus.* Certissima coniectura rescripsi *Fidius.* — 18) *Fecerat* ad latus inferius Cod. appositum huc pertinere, res ipsa docet. Deest h. v. in Asc. et P. qui signum vocis ex margine arcessendae pro numero II. habuerunt. Ceterum Cod. scripturam *Mulcifer* non sine caussa retinui. — 19) *Compositio tertia* in Asc. pro titulo supra scripta. — 20) *Doctis* Cod. *doceat* Asc. P. male, ex non intellecto compendio. — 21) Cod.: *magnae herso repulsus.* Sed v. *herso* punctis deletum, quapropter vox nihili eiicienda fuit. *magno errore repulsus* male P. Asc. — 22) *Ultus* Asc. P. — 23) Numeri signum in Asc. pro titulo. In P. in fine versus, importune. — 24) Cod.: *ex amphibrachi.* Asc. P.: *ex amphibracho.* — 25) Numeri signum et in Asc. et in P. in fine versus. In Cod. hic et in supp. omnia continenter scripta. — 26) *Iambis* male P. — 27) Cod. Asc. P. male *ex disyllabo.* Sequentia docent. — 28) *In trisyllabis trochaeo et trochaeo* Cod. *et in tris. trochaeo* Asc. P. Latet vitium. — 29) Quod nunc *spondio*, nunc *spondeo* scripsi, in eo Cod. secutus sum.

Octava ex spondeo et quinque syllabis, quarum duae primae breves sint.
Ex spondeo et pentasyllabo[1], cuius duae secundae breves sint.
Ex iambo et isdem.
Ex trisyllabo et isdem[2].

1) Cod. *ex V. syllabo* pro quo fortasse scribendum fuit: *ex quinquesyllabo.* — 2) Nulla in Cod. subscriptio.

EUTYCHII GRAMMATICI

DE DISCERNENDIS CONIUGATIONIBUS

LIBRI II.

E CODICE SANCTI COLUMBANI BOBIENSIS

RESTITUTI.

PRAEFATIO EDITORIS.

Qui sequitur Grammaticus, non *Eutyches*, ut est apud Putschium, sed *Eutychius* est appellandus, uti antiquissimus Codex Bobiensis nomen diserte scriptum exhibet. Fuit is *Eutychius*, quemadmodum ipse de se testatur, Prisciani discipulus. Sic enim de illo (pag. 2154 ed. P.): *De quibus omnibus terminationibus et traductionibus quia Romanae lumen facundiae, meus imo communis hominum praeceptor in quarto de nomine summa cum subtilitate copiosissime, Grammaticus Priscianus, disseruisse cognoscitur; ideo contentus haec ad renovandam tantummodo legentium memoriam perstrinxisse, reliquae parti promissionis meae satisfacere tentabo* cet. — Ex *Eutychis* cuiusdam libro de orthographia decerpsit quaedam de aspiratione Cassiodorus de Orthogr. c. IX., quorum nihil in his nostris libellis legitur. Idemne fuerit, certo dici nequit, sed fuisse credibile est. Quare fortasse etiam apud Cassiodorum scribendum: *Eutychii de aspiratione.*

Hos igitur Eutychii libellos nunc item ex antiquissimo Codice Sancti Columbani Bobiensis emendatos damus, qui Codex in bibliotheca Vindobonensi publica asservatur. Atque haec quidem tertia est Grammatici huius editio. Primus eum ediderat Io. Camerarius, cuius liber hunc titulum ostendit: *Continentur hoc libro optima et praeclarissima scripta, quod ipsa scilicet ostendent. Marii Victorini Grammatici et Rhetoris de orthographia et ratione carminum libri IIII. Servii Honorati de pedibus versuum libellus. Eutychi, auditoris Prisciani, de discernendis verborum coniugationibus. Servii Marii Honorati de syllabarum quantitate. Quaedam nunc primum, quaedam secus, quam prius, in lucem edita, cum assidua cura et studio diligenti. Quod si non male positum fuisse intellexerimus, dabimus operam, ut etiam posthac officina nostra quasi robustioris eruditionis, non uulgares foetus producat atque edat. Ab Vlrico Morhardo Tubingae, An. M. D. XXXVII. Prid. Calend. Septemb.* Liber est forma quadrata minori excusus. Hunc librum e bibliotheca Zuiccaviensi accepi; quare facere non possum, quin *Hertelio*,

V. Cl., Lycei rectori et bibliothecario, gratias hoc loco publice agam atque eius benivolentiam grato animo agnoscam.

In praefatione pag. A. III. recta testatur Camerarius, se e Codice scripto *Ioannis Sichardi* edidisse *Eutychium*, si nimirum, quod credibile est, idem fuit Codex, ex quo Victorinum edidit; certe non reperio antiquiorem editionem, quare principem hanc esse statuo. Ubique *Eutychi* genitivo scriptum exhibuit nomen Camerarius, id est *Eutychii.* Codex Bobiensis aliquoties *Eutycii* genitivo pariter citat. Quid Putschium adduxerit, ut *Eutychem* diceret, non reperio, nisi si Cassiodori auctoritas eum moverit. Sed dubito lectionem sanam esse apud Cassiodorum, ut dixi, in cuius antiquissimis editionibus *Euticis* de aspiratione citatur, quod fortasse in Codice fuit *Euticii.*

Putschius quum suae collectioni interponeret hos libellos, ex scripti Codicis lectionibus, quas suppeditaverat Ioan. Wower, utiliter eos auxit atque emendavit, ut in praefatione scriptum est. Qui fuerit iste Wowerii Codex, nescio, hoc tantum scio, paucissimas emendationes esse veras, additamenta autem permulta insulsa atque aliena.

Codicis Bobiensis ea pars, in qua habetur *Eutychius*, recentiori scriptura est, quam *Probus.* Membranae non aequali forma, ut videantur pluribus aliis libris detractae et in hunc conglutinatae. Quaedam plagulae sunt rescriptae; prior scriptura Latinam bibliorum interpretationem habuisse videtur; interdum tamen etiam Graecae litterae quadratae dignoscuntur. Scriptura serior, qua perscriptus est *Eutychius*, aliquot habet scribendi compendia, sed intellectu facilia et aliunde satis nota. Interpretamenta quoque et variae lectiones inter versus notantur. Comparent in his aliquot monstra verborum, quae ad quem mortalium sermonem pertineant, non habeo dicere. Sic vox *baritona* (ita enim scribitur) glossam habet supra scriptam *ettorondi;* vox *curia* supra scriptum habet *airect*, si recte legi. Manus correctrices dignoscuntur tres, quarum una est eiusdem, qui librum scripsit; altera ab hac non litterarum ductu, sed atramento tantum differt; tertia valde est recens. Ceterum licet hic illic corrupta reperiatur huius Codicis lectio; tamen longe meliora exhibet, quam quae in Editione Putschiana habentur; ut hi quoque libelli ex hoc antiquissimo fonte nunc demum paene perpurgati ac perpoliti prodire videantur. Scripsi in Gymnasio Zittaviensi Id. Mart. CIƆIƆCCCXXIX.

E U T Y C H I I [2143]

DE DISCERNENDIS CONIUGATIONIBUS

LIBER PRIMUS[1].

AD CRATERUM.

Praefatio.

Cum semper novas quaestiones doctoribus auditorum acutiora commovere solent ingenia, et curiositas humanae familiaris naturae quotidie[2] desiderat aliquid recens; inexcusabilis quodammodo respondendi necessitas praeceptoribus iure videtur imponi. Tuis itaque petitionibus satisfaciens, meorum dilectissime discipulorum, Cratere, quem in omni Graecorum facundia tuos aequiperantem[3] maiores, in sapientia et maxime laudibus excellentes , etiam gaudebam doctrina superavisse[5] Romana, opusculum hoc ad discernendas pertinens coniugationes duobus libellis inclusi, quorum prior observationibus instruitur generalibus, alter indicio finalitatis speciales exsequitur regulas.

Explicit Praefatio[6].

Segm. I.

1. Tres quidem sunt[7] apud Graecos coniugationum species. Una, quae[8] carens tenore in fine *βαρύτονος*[9] ab eis appellatur, quae ex consonantibus, ante finalem *ο*[10] inventis, ordinem sex coniugationum significat. Alia, quae circumflexo accentu prolata, apud eos iure *περισπωμένη*[11] nominatur, et ex vocalibus in secunda persona inventis ordinem trium coniugationum ostendit. Et tertia, quam ex finali terminatione in *μι* desinentem dicunt; licet in paucis verbis quartam habent coniugationem[12]. Latini vero sicut in aliis multis nec prorsus omnia videntur habere

1) Codex h. l. inscriptionem habet a manu recentissima: *Incipit liber primus coniuntionum sive declinationum grammaticalium.* Melius insignitur liber ab ipso auctore paullo post sub finem praefationis. — 2) *Quotidie* Cod. sed *cotidie* P. Cam. — 3) *Aequiperantem* Cod. *aequiparantem* P. Cam. Paullo ante pro *dilectissime* in Cod. et C. est *diligentissime*, quod recte emendatum puto a P. — 4) Ita Cod. et P. Verum haud dubie est scribendum: *in sapientiae maxime laudibus e.* Nam *et* ante *maxime* plane otiosum. Cam. peius etiam: *in sapientia*, *etsi maxime* cet. — 5) *Superasse* Cod. sed ab eadem manu emendatum. — 6) Haec subscriptio e Cod. — 7) *Tres sunt quidem* P. *Tres quidem s.* Cod. Cam. — 8) *Quae* addidi e Cod. et Cam. — 9) Cod. *baritonos.* Fortasse Latinis litteris scribendum. — 10) Male P. *ante finalem os.* — 11) Codex h. l. Graecas initiales habet. Tum *et ex v.* e Cod. et Cam.; om. *et* P. — 12) Locus mihi videtur corruptus. Cam. P. non dis-

coniugationum indicia, nec iterum carere penitus omnibus. Nam in *o* terminationem ex parte videntur imitari, *o* terminalem primae personae in plerisque temporibus habentes. Cumque sint omnia verba linguae natura[1] Romanae *βαρύτονα*[2], hoc est tenore prorsus[3] in fine carentia; nec tamen proprietate circumflexorum carent, ex vocali secundae personae coniugationum ordinem[4] ostendentia. Sed cum secundae personae observatio syllabae terminalis, ex qua [2144] dinosci[5] coniugationes artium scriptores voluerunt, apud Romanos penitus est incerta, quia non ratione cogimur aliqua *scribo* verbum, *scribis* tertiae magis, an[6] *scribas* primae, et *cubo bas*[7] in secunda persona, an *cubis* enuntiare; conabor ex prima, sicuti possum, persona differentias[8] coniugationum quasdam ostendere, tam vocales quam consonantes ante *o* vel *or*[9] finalem positionis verbi considerans, notatis scilicet anomalis vel defectivis, in quibus plerumque ratio deficit analogiae, ut *sum*, *possum*, *prosum*[10], *inquam*, *edo*, *cedo*, *faxo*, *sodes*, *ave*, *ferit*, *infit*[11] et similibus; licet in his ipsis quaedam sunt, quae ex ipsa similitudine finalitatis possunt ceterorum regulis obedire[12] verborum. Ante specialium tamen expositionem regularum prius aliquid[13] de hac ambiguitate coniugationum definire tentabo[14].

2. Quod inchoativa quidem, quae semper derivativa sunt, nec a verbis tantummodo, sed etiam a nominibus derivantur, et in *sco* solum desinunt, et unius tantummodo sunt, omnibus [2145] artigraphis[15] in hoc consentientibus, tertiae coniugationis, ut *hebesco*[16], *calesco*, *pertimesco*, *evanesco*[17], *horresco*, *patesco*, *notesco*, *fervesco*, *labasco*, *tremisco*, *dormisco*[18], *vesperasco*, *purpurasco*, *inveterasco*[19], *senesco*, *iuvenesco*, *glisco*, et reliqua[20]. Quomodo meditativa in *urio* solum desinunt, et quartae tantummodo sunt coniugationis, ut[21] *lecturio*, *dicturio*, *micturio*, *esurio*. Frequentativa vero, quae similiter inchoativis et meditativis derivativa sunt, in *ito*, vel *to*[22], praecedente consonante, vel in *so*, vel etiam in *xo* desinunt, et primae sunt tantum[23] coniugationis, ut *lectito*, *dictito*, *cantito*, *cursito*, *visito*, *canto*, *dicto*, *merso*[24], *curso*, *nexo*. *Viso* enim *visis*, quod et Virgilius Aeneidos libro VIII refert[25]:

has forte invisitis aras;

et in eodem:

cedunt a recepta lectione, nisi quod post v. *quartam* vocem Graecam ὀξύτονον interponunt, quae in Cod. non est, et Cam. *habeant;* Cod. P. *habent.* Neque tamen potuit Grammaticus ὀξύτονον coniugationem apud Graecos memorare, quae nulla est. Tum desideratur subdivisio, quam in superioribus duabus coniugationum speciebus posuerat. Ergo scribendum censeo: *Et tertia, quam ex finali terminatione in μι desinentem dicunt, licet in paucis verbis, quattuor habet coniugationes.* Intelligit Gramm. notissimas coniugationis in μι formas *τίθημι, ἵστημι, δίδωμι, δείκνυμι.* Errori occasionem dedit numerus non perscriptus in archetypo, sed signo *IIII.* notatus. — 1) *Naturae* P. male. Cam. hoc ordine: *cumque sint linguae Romanae omnia verba natura βαρύτονα.* — 2) *Baritona* Cod. sed fortasse rectius Latine scribitur. Supra hanc vocem legitur in Cod. monstrum verbi ab alia manu glossematis instar *ettorondi* (sic). — 3) *Prorsus* in Cod. supra scr. sed ab ead. manu. — 4) *Ordinem coni.* P. — 5) *Dinosci* Cod. Cam. P. quod retinui. — 6) Memorabile est *an* post comparativum, pro *quam.* — 7) Cod. *cubo. bas.* P. *cubo cubas.* — 8) Cod. *deferentias.* — 9) Male P. *ante o vel os.* — 10) Cod. *sum prosum inquam.* Cam. et P. *sum, possum, prosum, inq.* quod retinui. — 11) Cod. Cam. et P. *ave ferit infit*, idque retinui, licet sit corruptum. Scribendum putem: *ave fit infit.* — 12) *Oboedire* Cod. — 13) Cam. P. *aliquid generale.* Atque ita etiam recentissima manus in marg. Cod. Non recte. — 14) Cod. *temptabo.* — 15) *Artigraphis* Cod. *orthographis* P. ὀρθογράφοις Cam. — 16) *Hebesco.* Post hanc vocem pessime intrusa leguntur apud P.: *id est, hebes fio, stultesco, incipio stultus esse;* quae recte absunt a Cod. Ceterum haec et seqq. aliter exhibet Cam. *ut hebeo hebesco: albeo albesco* et sic porro. — 17) *Terresco* h. l. intrudit Cam. P. quod in Cod. quidem scriptum, sed ab antiqua manu correctum *horresco.* Paullo post pro *labasco* Cam. *lavo, lavesco.* — 18) Hic sequuntur in P. *a nomine vespera vel verbo vespero,* quae recte a Cod. ignorantur. In Cam. est: *a nomine vespera vesperasco.* Ceterum Cod. *tremesco dormesco.*

Protinus Arcadiae gelidos invisere fines;

Et Horatius carminum libro primo:

Omne cum Proteus pecus egit altos
Visere montes[26];

quia sensu caret frequentativorum, ideo coniugationem illorum non servat[27]. Perfectae autem formae verba, quae non sunt[28] anomala scilicet vel defectiva, in quattuor[29] inveniri coniugationibus video; quibusdam tamen ea differentiis arbitror posse discerni, et vocalibus quidem antecedentibus facilior est observatio, quam consonantibus. Tres enim[30] vocales ante *o* vel *or*, verbi finalis repperiuntur, *e*, *i*, *u;* quia nec *a* penitus, nec *o*, ante *o* invenitur, nisi in[31] verbo *reboo*, quod factum est a *βοῶ*[32] Graeco verbo, et secundum primam coniugationem declinatum repperitur apud Virgilium in tertio libro Georgicon, ut:

Reboant silvae, et magnus Olympus[33];

Et *inchoo*, *as* quod a *χόω*[34] Graeco verbo traductum.

3. Omnia igitur verba ante *o* vel *or* finalem *e* vocalem habentia, unius tantum sunt, et secundum veteres artium scriptores, secundae coniugationis, quae sola etiam in primitivis hoc habuit proprium, quod vix aliae in derivativis. Nam quomodo prima coniugatio fre- [2146] quentativa, tertia inchoativa, quarta meditativa verba, sic secunda, in *eo* terminationem quasi specialem, ipsa tamen non in[35] derivativis solum, sed etiam in primitivis possidet[36], ut *habeo*, *taceo*, *maneo*, *moneo*, *stupeo*, *scabeo*, *squaleo*[37], *areo*, *censeo*, *candeo*, *timeo*, *egeo*, *doleo*, *pateo*, *caveo.* Eodemque modo in *eor* quoque desinentia, non solum passiva, sed etiam deponentia, vel communia, secundae sunt semper coniugationis, ut est *polliceor*, *licueor*[38], *medeor*, *reor*, *mereor*, *vereor*, *misereor*, *fateor*, *profiteor*, *tueor*, *intueor.* Notantur primae quidem[39] coniugationis, *beo*, *creo*, *meo*, *commeo*, *nauseo*[40], *enucleo*, *laqueo*[41], *screo*[42]. Quartae vero, *eo*,[43] *queo*, et quae tam ex his quam ex illis componuntur sicut *veneo*, *nequeo*[44].

4. *U* quoque vocalem ante *o* vel *or* finalem habentia verba primitiva, tertia sibi sola

sed Cam. *tremeo*, *tremesco: dormio*, *dormisco.* — 19) Male P. *inveteresco.* Idem paullo post *invenisco.* — 20) Hunc locum P. ita exhibet: *a glis gliris venit glisco. Quomodo.* Meliora Cod. quae dedimus. Longe alia habet Cam. ubi ita: *dormio*, *dormisco. A nomine vespero vesperasco. A purpura purpurasco. A calvus calvisco. Invetero*, *veterasco. Senex*, *senesco. Iuvenis*, *Iuvenisco. Glis*, *glisco.* — 21) *Ut est* P. — 22) *Vel in To* P. — 23) *Tantummodo* P. Cam. — 24) *Merso* addidi e Cod. et Cam. — 25) Cod. habet: *aeneidos libro VIIII.* Sed quod citatur hemistichium, neque in octavo neque in nono, immo ne in ullo quidem Virgilii libro legitur. Alter vero versus qui additur, Aen. lib. VIII, 159. invenitur. — 26) Horat. Od. I, 2, 7. Cod. male *invisere montes.* — 27) *Ideo nec coni. illorum servavit* P. Cam. — 28) *Sunt* Cod. Cam. *sicut* male P. — 29) Post numerum *quattuor* Cod. supra scriptum habet *tm̄* i. e. *tantum*, quod incongruum est. — 30) Cod. *facilior est observatio* (iam sequitur novus versus) *Tres quidem.* Sed *quidem* correctum est. Vv. *quam consonantibus* omittit etiam Cam. — 31) *Nisi in eo verbo* P. — 32) *A βοᾶν Graeco v.* Cam. Paullo post *declinatur et reperitur* P. — 33) *Reboantque silvae et* Cod. *reboant silvaeque et* Cam. P. Rectius omittitur *que*, quod sede vaga ostenditur esse additicium. Atque ita etiam apud Virg. Georg. III, 223. legendum censeo. Ceterum apud Virg. etiam Codd. quidam *longus Olympus.* — 34) Cod. *κοο* (sic; *ω* supra scriptum). Cam. *χάω.* — 35) *In* desideratur in Cod. — 36) *Possedet* Cod. — 37) *Scabeo squaleo* in Cod. sunt supra scripta. Tum in margine a rec. manu adduntur: *immineo lugeo deleo*, quae Cam. sic interponit: *pateo*, *lugeo*, *caveo*, *immineo.* — 38) Male Cam. et P. *liqueor.* — 39) *Quidem* addidi e Cam. et P. — 40) Pessime hic interponit P. *enauseo nucleo.* — 41) Male intrudit P. *inlaqueo.* — 42) *Sereo* quod apud Cam. ex errore typ. legitur, retinuit P. In Cod. *screo* cum glossa *sternuto.* — 43) *Et* interponitur a Cam. et P. Tum in Cod. *etiam* pro *tam* sed corr. — 44) Cod. corrupte: *sicut .u. quoque vocalem;* om. v. *veneo nequeo.*

coniugatio vindicat, ut[1] *inbuo*, *tribuo*, *acuo*, *induo*, *arguo*, *fluo*, *pluo*[2], *polluo*, *adluo*, *innuo*, *minuo*, *spuo*, *ruo*, *suo*, *metuo*,[3] *futuo*, *liquor*, *loquor*[4], *fruor*, et ab omnibus his composita[5]; exceptis paucis, quae ad primam coniugationem derivationis ratio trahit, de qua postea dicetur, ut[6] *vacuo*, *viduo*, *tenuo*, *sinuo*, *insinuo*, *continuo*, *fluctuo*, *aestuo*,[7] *mutuor*.

5. *I* vero ante *o* habentia, trium sunt coniugationum, id est primae, tertiae, quartae; confusionis enim discernendae causa melius mihi videtur[8], quartam nominare, licet quidam eam quoque tertiam solam sed productam appellaverunt. Sed illa primae sunt, quae adhaerent[9] nominibus non minus trisyllabis (absque *pio pius* et *hio hius*) *I* penultimam[10], nulla sequente consonante, semper habentibus in omni genere, ut *nuntius*, *nuntio*, *as; socius*, *socio*, *as; saucius*, *saucio*, *as*[11]*; curia*, *decurio*, *as; fiducia*, *fiducior*, *aris; repudium*, *repudio*, *as; tripudium*, *tripudio*, *as; radius*, *radio*, *as; consilium*, *consilior*, *aris; concilium*, *concilior*, *aris; folium*, *defolio*, *as; spolium*, *spolio*, *as; somnium*, *somnio*, *as*[12]*; linea*, *delineo*, *as*[13]*; auxilium*, [2147] *auxilior*, *aris; corium*, *decorio*, *as; furia*, *furio*, *as*[14]*; varius*, *vario*, *as; basium*, *basio*, *as; spatium*[15], *spatior*, *aris; pretium*, *depretio*, *as; initium*, *initior*, *aris*; *vitium*, *vitio*, *as*. Omne itaque verbum[16] in *Io* desinens, et nomen habens appositum[17], *I* puram penultimam terminans, primae coniugationis invenitur, ut dictum est, excepto *hio*, *as*[18], quod licet primitivum est in *Io* desinens, primae tamen est coniugationis. *Amplio* enim *amplius*, ab *amplior* nomine, vel *amplius* adverbio; sicut *satio*, *as*[19], a *satias* nomine, quo utebantur antiqui, pro eo quod est *satietas*, ut Terentius in Eunucho:

Ubi satius fieri coepit, commuto locum[20];

potest venire. *Lanio* quoque verbum a nomine *lanius*, quod idem Terentius in eadem[21] Eunucho pluraliter per apocopam posuit:

Coci et lani, fartores[22];

quod non est dubium fieri. Quodcunque[23] igitur verbum in *Io* desinens, et praedicta carens observatione, id est, sive penitus origine nominis privatum est, sive a nomine derivatum non habet adhaerens sibi nomen omnibus modis, et ultra duas syllabas, et penultimam syllabam in *I* puram desinens, quartae esse coniugationis sine dubio cognoscitur[24]. Cuius rei exempla sunt haec: *ambio*, *ambis; superbio*, *superbis; suncio*,[25] *sarcio*, *farcio*, *expedio*, *impedio*, *fastidio*, *condio*, *custodio*, *erudio*, *obedio*, *vagio*, *praesugio*, *salio*, *sepelio*, *stabilio*, *micturio*, *prurio*, *partu-*

1) *Ut est* P. *Inbuo* dedi e Cod. — 2) *Polluo pluo* Cam. P. — 3) *Statuo* h. l. interponunt Cam. P. — 4) *Loquor*, *liquor* P. — 5) *Ab omnibus eis comp.* Cam. P.— 6) *Ut est* P. — 7) *Tumultuor* h. l. interponunt Cam. P. — 8) *Mihi videtur melius* P. Ceterum *causa* una *s* Cod. — 9) *Adhaerentia* Cod. sed corr. — 10) *I puram penultimam* P. et Cam. in emendationibus, e coniectura, ut videtur. *Puram* om. Cod. — 11) Hoc ordine Cod. Cam. *saucius* — *socius* P. Ceterum Cod. et Cam. semper in his et seqq. *nuntius*, *nuntio*, *as*, ultima verbi forma non perscripta; quam Putsch. semper integrum ascripsit, velut: *nuntius*, *nuntio*, *nuntias* cet. — 12) *Somnior*, *somniaris* P. *somnio*, *as*, *vel somnior aris* Cam. Sed Cod. ita: *somnio. as.* (supra scr. *or aris*) sic male correctum. — 13) *Linia delinio as* Cod. atque ita etiam P. nisi quod ille *delinias*. Secuti sumus Cam. — 14) *Furior*, *furiaris* P. *Furiae*, *furio*, *as* Cam. — 15) *Spacium*, *spacior* P. Cam. littera *c*. Codicem sum secutus, licet scripturam per *c* unice veram existimo. Statim *precium* cet. P. Cam. *pretium* cet. Cod. — 16) V. *verbum* abest a Cod. sed supra scr. — 17) Hoc loco *sibi* intrudit P. — 18) Sequitur hic in P.: *et pio*, *pias*. In Cam. est: *excepto pio*, *as et hio as*. — 19) Syllaba *as* desideratur in Cam. et P. — 20) Terent. Eunuch. V, 5, 3. *commoto loco* supra scriptis in fine prioris vocabuli litteris *ta*. Duo haec verba plane desunt in Cam. — 21) *In eadem Eunucho;* sic recte Cod. *in eodem E.* Cam. P. — 22) Terent. Eun. II, 2, 26. ubi est: *Cetarii*, *lanii*, *coqui*, *fartores*, *piscatores*. Cod. ita scriptum locum exhibet: *coci o lani fartores*, sic *et* supra scr. Quare cum

rio, *haurio*, *irretio*, *sentio*, *gestio*, *effugio*[26], *mollio*, *bullio*, *dormio*[27], *redimio*, *exinanio*, *insanio*, *venio*[28], *lenio*, *insignio*, *finio*[29], *hinnio*, *tinnio*, *grunnio*, *munio*, *punio*, *saepio*[30], *sopio*, *ferio*, *operio*,[31] *aperio*, *garrio*, *ligurrio*[32], *esurio*, *nutrio*, *servio*, *saevio*, *blandior*, *ris*, *ordior*, *diris*, *largior*, *giris*, *sortior*, *iris*, *partior*, *iris*. Haec enim[33] omnia vel primitiva sunt, et carent origine nominum[34], vel aliunde derivata, non a nominibus non minus trisyllabis *i* puram penultimam semper habentibus veniunt[35]. Tamen notantur pauca, quae speciem habentia[36] [2148] supradictorum, cum similiter deberent esse quartae coniugationis, ad tertiam correptam solam coniugationem pertinent[37]. Sunt autem alia *a* vel *i* breves[38] ante *cio* solum, et[39] *a* vel *u* ante *pio*, similiter habentia, ut[40] *iacio*, *facio*, *aspicio*, *elicio*, *inlicio*[41], *pellicio*, *interficio*, *officio*, *capio*, *sapio*, *cupio*. Et praeterea sunt[42] *fodio*, *fugio*, *pario*, *quatio*, *concutio*, *morior*, *patior*, et interdum *orior* et *potior*, et omnia ex his singulis composita. Alia vero omnia[43], quae vocali carent, ante *o* finalem duarum sunt tantummodo coniugationum, id est primae et tertiae; sed plerumque primae sunt quae derivantur a nominibus. Omne enim verbum a nomine derivatum, si non sit meditativum, vel inchoativum, vel frequentativum, quae quasi speciales habent coniugationes proprias, et nec in *co* desinens, ut secundae, vel[44] in *uo* primitivum, ut tertiae, vel in *io*, sine praedictis observationibus ut quartae sit, primae est[45] plerumque coniugationis.

6. Sed quia sunt et a nominibus verba et a verbis nomina derivata, quae possunt in dubium venire, prius mihi videtur de hac aliquid ambiguitate, si possim, disserere. Itaque sciendum est, quod sicut rerum, quaequae sint, sic etiam ubertati[46] vocum studens natura, tam verba de nominibus, quam de verbis nomina procreavit; et multa quidem pene de singulis nominum terminationibus genuit, quae primae coniugationi dedit verborum, de quibus postea dicetur. Pauciores vero nominum terminationes, nec ab omni motu verborum, nec eas ipsas semper in multis nominibus a verborum derivatione traduxit; quas qui perceperit, intellegere[47] facilius potest adhaerentia verbis nomina, utrum ipsa verborum sint origines, an deducantur a verbis[48]. A tribus enim quasi fontibus verbalia[49] nomina deducuntur, id est aut ab indicativo praesenti, aut a praeterito perfecto, aut ab infinitivo futuro, sive participiis; et singulis eorum certae sunt derivationum clausulae, tam generales quam speciales destinatae[50]. Sunt enim[51] generales quidem nominum derivationes, venientes a praesenti tempore verborum. Terminationes hae enim sunt[52]: in [2149] *ium*, in *iculum*, in *bulum*, in *imen*, in *or*, in *es*, tam brevem quam longam, in *is*, in *bilis*, in *ilis*, in *uus*,

Cam. *et* interposui, quod om. P., rectius forsitan. — 23) Cod. *Quidquid igitur verbum*, quod fortasse rescribendum fuit. — 24) *Quartae esse sine dubio coniugationis agnoscitur.* Sic P. quicum sentit Cam. nisi quod etiam hic *cognoscitur*, ut Cod. — 25) H. l. *sancis* interponit P. — 26) Exempla quae hoc loco ponuntur *micturio* — — *effugio* et interposita, desunt h. l. in P. et Cam. sequuntur tamen paullo infra post v. *nutrio*, ita quidem ut *gestio*, *effugio* legantur *gestio*, *vestio*, *effutio*. — 27) *Dormio* h. l. e Cod. et Cam. addidi; plane desideratur in P. — 28) *Venio*, *lenio* hoc ordine Cod. — 29) Pro v. *finio* apud P. est *venio*, male repetitum. — 30) *Saepio* Cod. *sepio* Cam. P. — 31) *Cooperio* addit h. l. P. — 32) *Ligurrio* duplici *r* scr. Cod. — 33) *Enim* deest in P. — 34) V. *nominum* male deest in Cod. — 35) *Venirent* male P. — 36) *Habentia* Cod. Cam. *habent* P. — 37) Hoc ordine Cod. et Cam. *Pertinent solam coni.* P. Statim post *Sicut* male P. pro *Sunt.* — 38) V. *breves* addidi e Cod. et Cam. Paullo ante v. *alia* deest in Cam. — 39) H. l. *alia* interponit P. — 40) *Ut est* P. — 41) *Inlicio* Cod. *illicio* Cam. P. — 42) *Sunt* addidi e Cod. — 43) *Verba* addunt Cam. P. — 44) *Nec* pro *vel* habent Cam. P. — 45) *Est* desideratur in Cod. *Primae plerumque coniugationis invenitur* Cam. — 46) *Ubertate* Cod. sed correctum videtur. — 47) *Intellegere* Cod. *intelligere* Cam. P. — 48) Post v. *verbis* supra scr. in Cod. *q ē et quart:* (sic) quae non concoquo. — 49) Male Cod. *verbialia.* Tum idem *diducuntur.* — 50) Cod. *distinatae* i. e. destinatae; ita enim solet. *distinctae* Cam. P. — 51) *Sunt autem* P. — 52) *Terminationes hae enim sunt.* Ita Cod. Locum aliter exhibet Cam.: *derivationes a praesenti tempore verborum quorum terminationes septemdecim sunt. Hae enim exeunt in* cet.

in *bundus*, in *cundus*, in *idus*, in *ulus*, in *ax*, in *ex*, in *eps*[1]; illo scilicet observando, quod consonans positionis ante *o* vel[2] *eo* vel *io* inventa, servatur in omnibus terminationibus nominum a vocali incipientibus. Et ante *ium* quidem[3], ut *litigo*, *litigium; mercor*, *commercium; obsono*, *obsonium; vestigo*, *vestigium; aedifico*, *aedificium; sacrifico*, *sacrificium; participo*, *participium; mancipo*, *mancipium; impero*, *imperium; convivor*, *convivium; prandeo*, *prandium; gaudeo*, *gaudium; praesideo*, *praesidium; medeor*, *remedium; nubo*, *connubium; iuro*, *periurium; fastidio*, *fastidium*[4]; *exsulo*[5], *consulo*, *u* penultima in *i* conversa, *exsilium*, *consilium; obsequor*, *obsequium; eloquor*, *eloquium; domicilio*, *domicilium*[6]; *solsto*, *solstitium; iusto*, *iustitium*[7]; *cerno*, *silicernium*. Item ante *iculum*, *rideo*[8], *ridiculum; perpendo*, *perpendiculum; everro*, *everriculum; deverto*, *deverticulum; veho*, *vehiculum; pereo*, *periculum; fero*, *ferculum*, absque *i; vinco* vero[9] *vinculum; cingo*, *cingulum*, et *iacio*[10], *iaculum*, finalitatem non in *iculum*, sed in *ulum* converterunt. Item in *imen*[11], ut *rego*, *regimen; tego*, *tegimen*. Et ante *cundus*, *i* vel *e* praeeuntibus[12] etiam, ut *rubeo*, *rubicundus*, *vereor*, *verecundus*[13], quod *e* pro *i*[14] servavit. Ante *or* quoque, quorum pauca ex aliis, pleraque ex secunda veniunt coniugatione et neutralibus[15] maxime verbis; quae quia non possunt ad passivam transeuntia[16] significationem in *or* desinere, verbaliter[17] nomen, a verbo secundae praesertim coniugationis derivatum[18], in *or* desinens, quasi incorporalis rei fecere vocabulum, ubique servata scilicet positionis[19] consonante absque *s* et *t;* quae solae ante *or* inventae[20] solent ostendere nec incorporalia nomina, nec a praesenti, sed ab infinitivo futuri deducta, ut[21] *censor*, *defensor*, *consolator*, *amator*, *venator*, *lector*, *petitor*[22]. Unde *censor* quoque, licet a praesenti[23] *censeo* pote- [2150]

1) Totus hic locus apud P. sic legitur: *in ium*, *in itium*, *in iculum*, *in culum*, *in ulum*, *in men*, *in cundus*, *in or*, *in idus* cet. *In es tam breuem quam longam*, *in is*, *in bulis*, *in bilis*, *in bundus*, *in ilis*, *in uus*, *in idus*, *in ax*, *in ex*. In his vel sine Codice plura corrigenda fuissent, ut *idus* quod bis legitur, *bulis*, quod nihili cet. Cam. sic: *Hae enim exeunt in ium. In bulum. In iculum. In or. In es. (Tam brevem quam longam.) In is. In bilis. In ilis. In uus. In bundus. In cundus. In idus. In ulus. In ax. In ex. In eps.* Quae cum Codice plane consentiunt, nisi quod is *in iculum in bulum*, Cam. ordine inverso. — 2) *Vel* addidi e Cod. *ante o et e* o Cam. — 3) Post haec sequuntur in Cod. duo laterculi sive columnae vocabulorum, exempla ad superiores regulas sistentium, in uno latere paginae; in altero ex adverso primum lati versus, tum duo, tum tres laterculi, sive columnae. — 4) Addit h. l. P. *iusto iustitium*, quae ignorant Cod. Cam. — 5) *Exsulo* scripsi e Cod. *exulo* Cam. P. Similiter paullo post *exsilium* Cod. *exilium* Cam. P. — 6) *Et domunculo domicilium* P. *a domicilio vel domunculo domicilium* Cam. Recte Cod. *domicilio* verbum tantum agnoscit, procusum ut *conciliare*. — 7) Ita quidem scripsi, Cod. et Cam. secutus, sed persuasum habens, falsam esse lectionem. Lege: *sto, solstitium, iustitium.* Nam ita Gramm. composita deducit, ut paullo ante *medeor*, *remedium*, *nubo, connubium, iuro, periurium;* et statim post *cerno*, *silicernium*. — 8) *Rideo* interposui e Cod. et Cam. Paullo post pro *everro*, *everriculum* Cod. *everto*, *everticulum*. — 9) *Vero* interposui e Cod. *Absque i vero vincio* Cam. Ceterum Cod. *ut vinco*, quorum posterius dedi, licet verius existimo *vincio*, quod Cam. et P. exhibent. — 10) *Et iacio*. Ita Cod. *et* abest a Cam. et P. — 11) *Men* male P. Tum *ut rego* Cod. Cam. *ut* deest in P. — 12) Ita dedi e Cam. *E vel i praecedentibus* P. *I vel e pereuntibus* Cod. — 13) Inverso ordine P.: *vereor*, *verecundus*, *rubeo rubicundus*. In Cam. est: *rubeo rubicundus*, *vereor vel veritus*, *verecundus*. — 14) *I pro e* P. et Cam. — 15) *Neutris* P. et Cam. Paullo ante supra verba *pauca ex aliis* in Cod. scriptum legitur: *coniugationibus*. — 16) *Transire* Cod. — 17) Cod. *verbialiter*. — 18) Cod. *derivatur*. — 19) *Positionis consonante* P.; ordinem mutavi e Cod. et Cam. — 20) Mire h. l. P. exhibet *interea* pro *inventae*, quod recte est in Cod. et Cam. — 21) *Tonsor* intrudit P. — 22) *Auditor* in Cod. additur a recentissima manu supra versum. Adiungunt tamen etiam Cam. et P. — 23) Cod. vocem *tempore* a rec. m. h. l. supra scriptam habet. — 24) Interponuntur h. l. *sono sonor* a Cam. et P. — 25) *Caleo*, *timeo*, *teneo*, *tepeo*. Ita Cod. Tria priora absunt a P. qui idem proxima sic exhibet: *tepeo*, *stupeo stupor*, *horreo horror*, *fervеo fervor*, *strideo vel strido stridor*, *tremeo vel tremo tremor*, *cano*, *sapio*, *furio furis*, *licet* cet. Alia et peiora etiam habet Cam.: *algeo algor*, *oleo*

rat traductum videri, tamen quia rem corporalem significat, non a praesenti magis illud, quam ab infinitivo futuri, qui est *censum ire*, factum comprobamus. Sunt autem in *or* desinentium nominum, consonantem positionis servantium, exempla haec: *sudo*, *sudor; amo*, *amor; clamo*, *clamor*[24]*; erro*, *error; rubeo*, *rubor; marceo*, *marcor; candeo*, *candor; algeo*, *algor; caleo*, *timeo*, *teneo*[25], *tepeo*, *horreo*, *ferveo*, *strideo* vel *strido*, *tremo*, *cano*, *sapio*, *furo*, *furis*, *furit*, licet deficiat[26] prima persona, *furor; liquor*, *liqueris* verbum, *liquor*, *liquoris* nomen; *sopio*, *sopor;* quorum duo posteriora notantur, quod penultimam verborum longam corripiunt in nominibus. Item ante *idus* consonans positionis invenitur,[27] *madeo*, *madidus; splendeo*, *splendidus; sordeo*, *algeo*[28], *frigeo*, *caleo*, *timeo*, *tepeo*, *stupeo*, *areo*, *torreo*[29], *ferveo*, *rapio*, *rapidus; cupio*, *cupidus*[30]*; vivo*, *viridus; fluo*, interposita *v*, *fluvidus.* Ab *invideo* et *prandeo* minus una syllaba proferuntur, *invidus*, *prandus*[31]. *Trepidus* enim nomen non a *trepido* verbo, sed a *tremo tremidus* et *trepidus* mihi videtur magis venire, et ex eo facere verbum *trepido*, *trepidas*[32], sicut a *sordidus* nomine, *sordido*, *das*[33] verbum. In *es* quoque tam brevem quam longam, *is*, vel *ilis*, vel *uus*, vel *ulus*[34], sic inveniuntur nomina derivata[35], positionis litteram ante clausulam servantia, *tego*, *teges; mercor*, *merces*[36]*; caedo*, *caedes; luo*, *lues; struo*, *strues; fido*, *fides*, penultima correpta, ut[37] *sopio*, *sopor;* item *torqueo*, *torques.* Item *doceo*,[38] *docilis; nubo*, *nubilis; facio*, *facilis; utor*, *utilis; effutio*, *effutilis*[39]. *Occido* item *occiduus*[40]*; praedo*, *praeduus; cerno*, *cernuus*[41]*; caedo*, *incaeduus; perspicio*, *perspicuus; divido*, *dividuus.* Item *bibo*, *bibulus*[42]*; pendo*, *pendulus; credo*, *credulus; strido*, *stridulus; gero*, *gerulus; lego*, *legulus*, unde *murilegulus*[43]*; tremo*, *tremulus; cerno*, *cernulus; queror*, *querulus; adopto*, *ad-*

olor, *timeo timor*, *teneo tenor*, *tepeo tepor*, *stupeo stupor*, *horreo horror*, *ferveo fervor*, *strideo vel strido stridor*, *tremeo vel tremo tremor*, *cano canor*, *sapio sapor*, *furio furis furiae licet* cet. In quibus omnibus, modo magis modo minus, mala librariorum sedulitas agnoscitur. In Cod. unum *calco* serius, sed ab eadem manu, interpositum. — 26) *Deficiat* Cod. *deficit* Cam. P. — 27) *Ut* interponitur h. l. a Cam. P. In Cod. margini a recent. manu ascr. — 28) *Algeo* addidi e Cod. ubi serius, sed ab eadem manu interpositum. — 29) *Stupeo*, *areo*, *torreo;* ita Cod. sed *stupeo* a secunda manu interpositum, id quod atramenti docet diversus color. Pro *torreo* P. ex typorum mendo *terreo.* — 30) *Rapio, rapidus; cupio, cupidus* Cod. Cam. *rapio*, *capio*, *vivo* P. — 31) *Prandus.* Retinui Cod. et Cam. lectionem licet falsam. P. *pransus,* aperte contra mentem Grammatici. Scribendum haud dubie: *Ab invideo et pando — — invidus*, *pandus.* Paullo post *a trepido verbo* Cod. Cam. *verbo* deest apud P. — 32) *Trepido*, *trepidas* Cod. *trepido*, *as* Cam. P. — 33) *Sordido*, *das* Cod. *sordido*, *as* Cam. *sordido*, *sordidas* P. — 34) *Is vel ilis vel uus vel ulus* Cod. *vel in is vel bilis vel ilis vel uus vel ulus* Cam. *vel Is*, *vel Ibilis*, *vel Ilis*, *vel Vus*, *vel Vlus* P. — 35) *Inveniuntur nomina derivata*, *positionis* Cod. et Cam., nisi quod Cam. *derivativa.* Sed *Inveniuntur, derivativae positionis* P. Male. — 36) *Mergo merges* P. Cam. et Cod. a prima manu. Sed correxit antiqua manus *mercor, merces,* quod dedi. Nam *merges* i. q. spicarum manipulus, non facile a mergendo dictus, licet Servius ad Virg. Georg. II, 517. ita deducat. — 37) *Ut sopio* Cod. *ut est sopio* Cam. *et sopio* P. Statim legitur in Cod. *item torqueo, torques*, pro quibus a recenti manu correctum: *item in is torqueo torquis,* quemadmodum exhibet Cam. *sopor*, *torqueo torquis. Item in Ibilis vel Ilis*, *doceo* P. Pro his posterioribus habet Cod. simpliciter: *Item doceo.* Sed recens manus correxit: *Item in ilis doceo.* — 38) Hoc loco addit P. *docibilis*, quod abest a Cod. et Cam. recte. — 39) Cod.

t t

effutio effutilis (sic). Additum a rec. manu *effugio*, *effugilis.* Pessime. Intelligitur ex hoc et multis similibus locis, quantum sensim depravata sit a librariis Grammatici oratio. — 40) *Occido item occiduus.* Sic cum Cod. exhibere debui. *Item occido occiduus* Cam. *Item in Vus*, *occido occiduus* P. — 41) *Praedo*, *praeduus; cerno*, *cernuus.* Ita Cod. Duo postrema serius interposita, sed ab antiqua manu. Ante v. *praedo* interposita in Cod. *praedico praedicuus*, sed a rec. manu. Cam. *praedo praeduus* om. *cerno cernuus.* P. *praedor praeduus* item omissis illis. Quo referam *praedo praeduus*, non video, nisi statuam, fuisse aliquando apud priscos Latinos in usu, ut *dividuus*, sic *creduus*, *praeduus*, *perduus* et similia, quae tamen voces hodie non inveniuntur. Plura habet talia Eutychius, ut infra *adoptulus.* — 42) *Item bibo* Cod. Cam. recte. *Item in ulus*, *ut* P. — 43) *Murilegulus* Cod. Cam. *murilegus* P.

optulus. Ante *ax* quoque vel *ex*, ut *voro*, *vorax; audeo*, *audax; tumeo*, *contumax*[1]; [2151] *teneo*, *tenax; dico*, *dicax; capio*, *capax*[2]; *rapio*, *rapax; perspicio*, *perspicax; efficio*, *efficax; fallo*, *fallax; emo*, *emax; vivo*, *vivax; sagio*, unde *praesagio*, *sagax*[3]; *salio*, *salax;* unde:

Caudamque salacem[4].

Horatius Sermonum lib. I.[5]; *mentior*, *mendax*[6]; *lateo*, *latex; verto*, *vertex.* In terminationibus autem incipientibus a consonante, consonans antecedens[7] ipsam positionem verbi, invenitur praecedens nominis clausulam, in prima quidem coniugatione, *a* sequente; in reliquis autem[8] *i*, in[9] *bulum* vel *bilis*, ut *sto*, *stas*, *stabulum*, item *stabilis*[10]; *voco*, *vocas*, *vocabulum; puteo*, *pates*, *patibulum; infundo*, *infundis*, *infundibulum*[11]. Item in *bundus*, *erro*, *erras*, *errabundus; ludo*, *ludis*, *ludibundus; morior*[12], *moribundus; furo*, *is*, *furibundus.*

7. Sunt et aliae clausulae nominum a praesenti verborum[13] tempore venientes, non tam generales, nec sic in multis inventae nominibus, ut in *a*, vel in *ela*[14], vel in *erna*, vel in *ina*, vel in *ile*[15], vel in *o*,[16] vel in *io*, vel in *us*,[17] desinentibus, consonante positionis antecedente, ut *scribo*, *scriba; nubo*, *pronuba; fugio*, *fuga; perfugio*, *perfuga; refugio*, *refuga*[18]; *advenio*, *advena; convenio*, *convena; lenio*, *lena; sequor*, *assecula*[19]; *colo*, *caelicola; gigno*,[20] antique *geno*, *terrigena; vivo*, *conviva.* Sic *insideo*, *insidiae*, pluraliter[21]. Item *candeo*, *candela; suadeo*, *suadela*[22]; *luceo*, *lucerna*, vel etiam *lucina; lateo*, *laterna; ruo*, *ruina; rapio*, *rapina; cubo*, *concubina*, *cubile*[23]; *sedeo*, *sedile.* Item in *o* masculina, ut *epulor*, *epulo; lateo*, *latro; lenio*, *leno; comedo*, *palpo*, *verbero*, *incubo*, licet in eadem voce, tam verba sunt, quam nomina. Feminina quoque in *edo* vel *ido*[24], ut *torpeo*, *torpedo*; *cupio*, *cupido; libet*, *libido; formido* item et *caligo*, *propago*, et similiter *comedo*[25], in eadem voce tam verba quam nomina sunt[26]. Item in *io* quoque, ut *opinor*, *opinio; suspicor*, *suspicio.* In *us* quoque [2152] fiunt antecedente consonante positionis, ut *pareo*, *parcus*[27]; *ludo*, *ludus; coquo*, *coquus*[28]; *fido*,

1) Cod. *tumeo*, *contumax*, recte. *tumeo*, *tumax*, *contumeo*, *contumax* Cam. P. *tumeo tumax contumax* recentior man. in Cod. — 2) *Capio capax* Cod. *careo carax* P. utramque lectionem coniunxit Cam. *careo carax*, *capio capax*, pessime. — 3) *Sagio*, *unde praesagio*, *sagax.* Sic optime Cod. *sagio sagax*, *unde praesagio* Cam. P. — 4) Horat. Sat. I, 2, 45. — 5) *Horatius in libro primo Sermonum* solus P. — 6) *Mentax* (sic) Cam. P. Sed Cod. recte *mendax.* — 7) Vv. quae exinde sequuntur: *ipsam — prima*, in Cod. exciderunt, versu uno deficiente, qui tamen in margine ab antiqua manu additus legitur. — 8) *Autem* addidi e Cod. et Cam. — 9) *In* h. l. desideratur in Cod. — 10) Vv. *item stabilis* addidi e Cod. — 11) Addit h. l. P.: *insto instas instabilis*, male. Cam.: *Item sto stas stabilis.* — 12) *Moreris* h. l. interponit P. — 13) *Verborum tempore;* hoc ordine Cod. Cam. — 14) Cod. *vel in ella vel in ena vel in erna*, mediis tribus illis expunctis. — 15) *Vel in le* Cod. *vel in ma vel in ile* Cam. *vel in ile* P. Nimirum in Cam. *ma* errore typorum pro syllabis *ina* exhibetur. — 16) Addunt Cam. P. *vel in Edo*, *vel in Ido*, quae non sunt in Cod. — 17) Hic in P. sequuntur: *vel in Ius*, *vel in Vus*, *vel in Vm*, *vel in Rum*, quae omnia absunt in Cod. et Cam. — 18) *Refugio*, *refuga* addidi e Cod. — 19) *Assecula* Cod. *assecla* Cam. *adsecula* P. — 20) *Vel* interp. P. *vel ut antiqui* Cam. In Cod. *vel* supra scr. a rec. m. — 21) Cod.: *insideo*[i r] (sic, ut sit *insidior*) *insidiae pluraliter.* Cam.: *insideo vel insidior insidiae plurale tantum.* P.: *insideo insidiae pluraliter tantum.* Non est in Cod. *tantum.* — 22) Cod. *candela* (sed corr. *candella*) *suadeo suadella* (sed expuncta altera *l*). — 23) *Concubina et cubile* Cod. *Concubina vel etiam cubile* Cam. *concubina; item cubo cubile* P. — 24) *In edo vel ido* Cod. *In edo vel in ido* Cam. P. — 25) *Et similiter comedo* Cod. a pr. m. *Similiter ut comedo* Cam. P. et Cod. ab altera m. — 26) *Sunt* addidi e Cod. — 27) Hoc loco adiungit P. et Cam. *coco cocus.* — 28) *Coquo coquus* additum hic e Cod. — 29) *Fluo fluus* pr. m. Cod. sed corr. *refluus* — 30) *Laetificus*, *terrificus*, *luctificus.* Hoc ordine Cod. *Luctif. terrif. laetif.* Cam. P. — 31) *Venificus* Cod. *veneficus* P. *venefificus* Cam. — 32) *Naledicus* vitium typogr. apud P. — 33) *Unde* addidi e Cod. et Cam. Locus est Virg. Aen. I, 224. — 34) *Naufragus vel naufra-*

fidus; pando, pandus; luceo, lucus; arceo, arcus; metuo, metus; gradior, gradus; scio, scius, multiscius, inscius, praescius; fluo, refluus[29], *septemfluus.* Sic *invideo, invidus; profugio, profugus.* A *facio* item *lactificus*[30], *terrificus, luctificus, beneficus, maleficus, veneficus*[31]. A *dico, fatidicus, veredicus, maledicus*[32]. A *volo, vis, benivolus, malivolus.* A *volo, volas, velivolus,* unde

Mare velivolum[33].

A *frango, naufragus* vel *navifragus*[34]. In *um* quoque[35], ut *vado, hoc*[36] *vadum,* vel *hic vas, huius vadis; sculpo, sculprum; fulcio, fulcrum; iungo, iugum*[37]. Fiunt et *o* finali tantum reiecta de verbis nomina in *er* desinentia, ut a *fero* vel *gero* composita, *lucifer, corniger*[38]. Item, quamvis rara, fiunt tamen a verbis nomina, quae inceptivam penultimae syllabae verbi consonantem ante clausulam habent nominum, ut in *en* et *os*[39], et in *ex*, et in *eps*[40] desinentia, ut *cano, cornicen; tubicen*[41], *liticen, tibicen.* A *pono compos, impos*[42]; ab *aspicio auspex*, a *facio artifex, opifex;* a *capio municeps, particeps, auceps;* ab *obicio, obex,* sic *praesideo praeses, resideo reses, desideo deses, quiesco quies.* A praeterito quoque perfecto, vel magis ab infinitivo futuro, derivantur generales quidem terminationes hae: in *culum*, in *mentum*, in *men*, in *sio*, in *tio*[43], in *tor* vel[44] in *trix*, in *sor*[45], in *tivus*, in *bilis*[46], in *silis*, in *ilis*, in *icius*[47], et ante *tum* quidem infinitivi[48], posita vocalis vel consonans, servatur etiam in derivationibus, in *culum*, in *mentum*, in *men*[49], in *bilis* desinentibus nominibus, mutatione *um* vel *tum*[50] syllabae in eas facta, ut *oraculum, miraculum, propugnaculum, fundamentum, ornamentum, sacramen-* [2153] *tum, munimentum, alimentum, momentum*[51], *solamen, foramen, purgamen, flamen, liquamen, certamen, numen, flumen*[52]. Sic *amatum ire*[53], *amabilis, laudatum, laudabilis, statum, stabilis, motum, mobilis, notum, nobilis, auditum, audibilis.* In reliquis autem, in *tio*, vel in *tor*, vel in *trix*, vel in *tivus*, et in *sio*, et in *sor;* in *ibilis*, in *silis* et in *ilis*, et in *icius*[54] desinentibus nominibus, ante clausulam nominum invenitur vocalis vel consonans, quae ante *tum* vel *sum* in futuro infinitivi verbi erat, mutatione *um* syllabae in praedictas facta terminatio-

gium P. *naufragus vel naufragus* Cod. Verum habet Cam. *naufragus vel navifragus.* — 35) Addit P. *vel Rum.* Cod. a rec. m. supra scr. exhibet: *sive in rum.* Cam. *In ium quoque vel rum.* — 36) *Hoc* in Cod. ab antiqua m. supra scr. — 37) *Iugo iugum* Cod. a pr. m. P. Sed *iungo, iugum* Cam. et Cod. corr. ab antiq. m. — 38) Adduntur *ignifer, dapifer, lignifer, fructifer, aurifer* a Cam. et P. — 39) *Ut in en et os.* Cod. a rec. m. corr. *ut in cen et pos et in fex et in ceps.* — 40) Hic interponuntur: *et in Es, et in Cen, et in Pos, et in Pex, et in Fex, et in Ceps, et in Bex, et in Ses* a P. Totum locum sic exhibet Cam.: *Ut in en et in os et in ex et in ceps et in ses et in es desinentia.* — 41) *Tubicen* hic interposui e Cod. *Liticen tubicen* Cam. Tum post v. *tibicen* P. addit: *fidicen tubicen,* quae absunt a Cod. *fidicen* statim post *tubicen* add. Cam. — 42) *Impos* interposui e Cod. Tum *aspicio* Cod. *auspicio* Cam. P. Fortasse legendum: *a specio auspex.* — 43) *In sio, in tio* Cod. Cam. Syllabae *in sio* des. in P. — 44) *Vel* add. e Cod. et Cam. — 45) *In sor, in tivus* Cod. Cam. *In tuus, in sor* P. — 46) *In bilis, in silis* Cod. Cam. *In Sibilis* P. omisso priori. — 47) *In ilis, in icius* Cod. *in lis in itius* Cam. *in Tilis, in Ticius* P. Addit his: *in ibilis, in ar* Cam. — 48) *Infinitivi* Cod. *infinitivi verbi* Cam. *infinitivo* P. — 49) *In men* Cod. Cam. *in En* P. — 50) *Mutatione um vel tum* Cod. *mutatione Tum* Cam. P. — 51) V. *momentum* addidi e Cod. Tum P. exhibet: *solamentum, incrementum foramen* cet. Cod. *solamen foramen,* ut v. *incr.* plane desit. — 52) *Certamen, numen, flumen.* Ita Cod. Sed P. *certamen, agmen, fragmen, acumen, munimen, flumen.* Apud Cam. totus hic locus tanta verbositate laborat, ut a vero non aberrare mihi videar, si statuam, male sedulum librarium istius ubertatis auctorem esse. Et sic fere habet: *Mutatione tum syllabae in eas facta, ut oro as, oratum ire, oraculum miro, miras* (sic) *miratum ire miraculum, propugno as, atum, ire,* (sic) *propugnaculum, fundo as, tum ire, fundamentum, orno ornas, atum, ire, ornamentum* et sic porro. Pudet enim insulsa describere. — 53) *Amatum ire* Cod. posterius v. deest in Cam. et P. — 54) *Vel in tivus et in sio et in sor; in ibilis, in silis et in ilis et in icius desinentibus.* Ita scribendum fuit cum Cod. *Vel in tivus, vel in sio, et in sor, ante clausulam nominum invenitur* Cam. mediis omissis. *Vel in Tivus vel in Sio vel in Sor, in Sibilis et in Tilis et in Ticius des.* P.

nes[1], ut *elevatio*, *susurratio*[2], *aequatio*, *observatio*, *exhibitio*, *munitio*, *dictio*, *lectio*, *auditio*. Item *bellator*, *bellatrix*; *venator*, *venatrix*; *fultor*, *fultrix*; *victor*, *victrix*; *petitor*, *petitrix*; *auditor*, *auditrix*[3]; *nutritor*, *nutrix*; minus una syllaba propter euphoniam; *doctor*[4] item *doctrix*, et ab eo *doctrina*; [5]*tonsor*, *tonstrix*, *tonstrina*; *textor*, *trix*, *textrina*. Item *optativus*, *derivativus*, *deminutivus*, *subditivus*. Nec non et in *sio*, et in *ibilis*, et in *icius* desinentibus[6] nominibus, quae mutatione *um*, in has terminationes fiunt, ut *iussio*[7], *visio*, *mersio*, *missio*, *iussor*, *suasor*, *risor*, *pransor*, *sponsor*, *tonsor*, *defensor*, *lusor*; *visibilis*, *passibilis*[8], *sensibilis*, *sessibilis*, *missilis*, *flatilis*, *fictilis*, *textilis*, *altilis*, *scriptilis*, *tortilis*. Sic *adventicius*, *advecticius*; sic *commendaticius*[9]. Sic *statum ire*, *status*, *statio*. Sic ab eo quod est *caedo*, *caesum ire*, *Caesar*. Et praeteriti perfecti consonans licet raro, tamen in verbalibus[10] nominibus invenitur, ut *rexi*, *rex*; *duxi*, *dux*; *luxi*, *lux*; *rupi*, *rupes*; *ambegi*[11], *ambages*. Et participiorum quoque vel similium participiis nominum, per omnia genera eodem modo, per singulas tam coniugationes, quam significationes verborum, inveniuntur derivatae terminationes, ut *amans*, *docens*, *legens*[12], *audiens*[13]; *amandus*, *docendus*, *legendus*, *audiendus*, *metuendus*[14], *furibundus*, [2154] *ludibundus*[15]; *vocatus*, *doctus*, *scriptus*, *auditus*; *vocaturus*, *docturus*, *scripturus*, *auditurus*. Non solum in accidentibus nominibus, sed etiam in fixis vocabulis, vel participiis, et maxime femininis in *ura* desinentibus, ut *pictura*[16], *scriptura*, *litura*, *natura*, *censura*.

8. Licet autem[17] observationem non inutilem tradere, qua cognoscitur, quasdam rerum differentias[18] natura, frequentius artis adminiculo, reperiri[19]; quippe nomina verborum origine deducta[20], et gemino quasi fonte manantia, diversa litterarum divisione separavit. Nam ab indicativo modo[21] praesenti venientibus nominibus ante clausulae casualis vocalem omnes consonantes positionis verborum significativas praeposuit, duabus exceptis tantum, id est *s* et *t*; quibus solis permisit, ut non solum verbis praecedant frequentativis, quae derivativa sunt, sed ut item ante omnes terminationes[22] luceant, quae de praeterito, vel infinitivo futuri[23] descendant, ut exempla nominum declarant ante lata. De quibus omnibus terminationibus et traductionibus, quia Roma-

1) *In praedictas facta terminationes* Cod. Cam. nisi quod Cod. *terminatione*[s] (sic) scriptum habet. Unde intelligitur, quo potuerit modo vitium lectionis oriri in P. *in praedictas syllabus facta terminationę*, quod nihili. — 2) Pro v. *susurratio* in P. est *usurpatio* quod Cod. addit a rec. man. Ceterum ante v. *elevatio* leguntur in P. *probatio*, *invocatio*, *laudatio*, *obiargatio*; in Cam. vero: *probas*, *probatum ire*, *probatio*, *invocatio*, *laudatio*, *obiurgatio*. — 3) *Auditor*, *auditrix* addunt Cod. et Cam. — 4) *Doctor item*. Hoc ordine Cod. Cam. *item doctor* P. — 5) Sequuntur h. l. apud P. et Cam. *textor textrix textrina*, quae exhibet Cod. post v. *tonstrina* sic ut eas dedimus. — 6) *Nec non et in sio et in ibilis et in icius desinentibus*; ita Cod. *in sor* addita a rec. m. *Nec non et in sio, et in sor, et in ibilis et in ilis, et in icius* Cam. *Nec non et in Sio*, *et in Sor*, *et in Sibilis*, *et in Tilis*, *et in Ticius* cet. P. — 7) *Ut iussio*, *visio*, *mersio* cet. Cod. *ut iussio*, *visio*, *incisio*, *laesio*, *missio* Cam. *ut visum*, *visio*, *iussio*, *mersio* cet. P. — 8) *Passibilis*, *sensibilis*, *sessibilis*, *missilis*, *flatilis* Cod. *Possibilis*, *pransibilis*, *plausibilis*, *sensibilis*, *sonabilis*, *missibilis*, *sessibilis a sedeo*, *flatilis* Cam. P. nisi quod apud P. vv. *a sedeo* desunt. — 9) *Adventicius*, *advecticius*; *sic commendaticius* Cod. *Adventicius*, *adtracticius*, *commenduticius* P. *Adventicius commendaticius*, media v. omissa, Cam. Tum in Cod. *Sic statum ire*. In Cam. et P. *Sic steti statum ire*. — 10) *Verbialibus* Cod. P. *verbalibus* recte Cam. — 11) *Ambigi* Cod. *ambaegi* Cam. *ambigui* P. Fortasse scribendum *ambegi*. — 12) *Sapiens* additum h. l. in Cam. P. et Cod. a rec. m. delevi. — 13) P. ex errore operarum *audiensi*. — 14) Cod. *audiendus metuendus*. Quod his duobus interponunt Cam. P. in Cod. post illa additum a rec. m. igitur omisi. — 15) *Ludibundus* addidi e Cod. et Cam. — 16) *Pictura* Cod. Cam. *pistura* P. — 17) *Licet autem et obs*. P. *et* abest a Cod. et Cam. — 18) *Deferentias* male in Cod. — 19) *Reperire* P. et, si recte enotavi, etiam Cod. Sed verum tenet Cam. *reperiri*, quod reposui. — 20) *Diducta* male Cod. — 21) *Modo* addidi e Cod. — 22) Pro v. *terminationes*, quod habent Cam. et P., in Cod. est a pr. m. *vocales*, sed ab antiqua item m. correctum *terminationes*. Ceterum pro v. *luceant* in Cam. est *iaceant*. — 23) *De praeterito vel*

nae lumen facundiae, meus, immo communis hominum[24] praeceptor, in quarto de Nomine libro[25] summa cum subtilitate copiosissime, Grammaticus Priscianus, disseruisse cognoscitur, ideo contentus haec ad renovandam tantummodo legentium memoriam perstrinxisse, reliquae parti promissionis meae satisfacere tentabo, id est, suprapositis observationibus nominum de verbis traductorum exceptis, quidquid[26] verbum appositum nomini repperiatur, non solum[27] a verbo nomen, sed etiam verbum a nomine deductum ostendere[28], quod ipsum verbum a nomine tractum[29], *o* finalem[30] praecedente consonante, non ad aliam[31] nisi ad primam verborum pertinere coniugationem, idque manifestius apparebit, si per singulas unicuique declinationum attributas terminationes exempla decurrant; nisi forte vel mere Graecae sint, quae plerumque in nominibus inventae propriis, [2155] carent huiusmodi verbis: vel nisi aut a propriis[32], aut etiam[33] ab accidentibus derivatae nominibus corporalibus, rerum vocabula significent incorporalium, ut eis merito videatur traductio verbi supervacua[34] rem significantis, quam in nominis ipsius etiam[35] pronuntiatione designabant[36]. Qualia sunt[37] *iustitia*, *pigritia*, *miseria*, *clementia*, *solertia*, *inertia; longitudo*[38], *latitudo*, *fortitudo*, *pulchritudo*, *dulcedo*, *acredo*, *pinguedo*[39]; *claritas*, *severitas*, *honestas*, *libertas*, *paupertas* et similia, de quibus haud facile derivata verba reperies.

Segm. II.

1. Ex primae itaque declinationis in *a* desinente[40] terminatione nominum, maxime fixorum, verba veniunt ad primam coniugationem, pene consonantibus universis praecedentibus, ut *turba*, *turbo*, *bas*[41]; *spica*, *inspico*, *cas; praeda*, *praedor*, *daris; fuga*, *fugo*, *gas; stilla*, *stillo*, *las; stipula*, *stipulor*, *laris; spuma*, *spumo*, *mas; trutina*, *trutino*, *nas; machina*, *machinor*, *naris; pugna*, *pugno*, *pugnas; nundinae*, *nundinor*, *naris; culpa*, *culpo*, *pas; aqua*, *aquor*, *aquaris*[42]; *mora*, *moror*, *raris; quadra*, *quadro*, *quadras; cura*, *curo*, *ras; causa*, *causor*, *aris; rota*, *roto*, *tas; multa*, *multo*, *tas; rixa*, *rixo*, *xas; lixa*, *elixo*, *elixas; conviva*, *convivor*, *varis; baccha*, *bacchor*, *charis.*

infinitivo futuri. Ita recte Cod. *de praet. perfecto vel infinitivo futuro* Cam. P. — 24) *Immo communis omnium hominum.* Sic in Cod. a pr. m. sed voc. *omnium* superinductum est, idemque recte abest a P. sed exhibet Cam. Ceterum *immo* scripsi e Cod. *imo* Cam. P. In Cod. margine glossa legitur: *nota de prisciano.* — 25) *Libro* addidi e Cod. et Cam. — 26) *Quidquid verbum* Cod. *quodcunque verbi* Cam. *quicquid verbum* P. — 27) *Repperiatur, non solum.* Ita Cod. *reperitur. (Nam non solum* Cam. P. ita quidem ut a voc. *Nam* parenthesin incipiant, quae extenditur in P. ad vv. *a nomine tractum).* Verum ita plane perturbatur locus et sensus corrumpitur. Cod. non agnoscit *nam.* — 28) Pendet infinitivus a sup. *tentabo*, quod hoc loco repetit Cam. Statim post pr. v. *quod* in Cod. a pr. m. est *quam*, sed corr. ab antiqua m. *quod.* Ceterum haec omnia: *quod — tractum* desiderantur in Cam. qui ita locum exhibet: *ostendere tentabo) Et o finalem.* Structura *quod — pertinere* pendet a supp. *ostendere*, tanquam si dixisset: *atque id ipsum verbum — pertinere.* — 29) P. *traductum.* — 30) *O finale* P. — 31) *Ad alia* P. — 32) *Romanis* addunt h. l. Cam. P. — 33) *Nisi* h. l. intrudunt Cam. P.; ceterum *sint* in Cod. supra v. *nisi* scriptum. Statim post *accedentibus* Cod. male. — 34) Cam. et P. hoc ordine: *merito supervacua videatur — verbi rem significantis.* — 35) *Ipsius etiam.* Ita Cod. *etiam ipsius* Cam. P. — 36) *Designabat* Cod. a pr. m. Sed corr. *designabant.* — 37) *Qualia sunt.* Inde ab h. l. quae sequuntur nomina columnatim posita sunt in Cod. — 38) *Longuitudo* Cod. — 39) *Dulcido*, *acrido*, *pinguido* Cod. — 40) *Declinatione in a desinente.* Ita Cod. sed correctio a rec. manu. Cam. sic: *Ex prima itaque declinationis in a desinente.* Retinui Putschianam, quae sana videbatur. — 41) *Ut turba*, *turbo bas.* Ita Cod. et Cam. Sed in P. *ut*, *B*, *turba turbo turbas.* Atque ita semper litteram characteristicam apponit P. velut *C*, *spica — D*, *praeda* cet. quae littera ubique omittitur in Cod. et Cam. Ceterum ubique in his exemplis Codicis scripturam diligenter exhibui, modo plenas, modo truncatas verborum formas exhibentem. — 42) *Aqua*, *aquor*, *aquaris.* Ita Cod. ex emendatione, sed veteri; prius fuit *aqua aquo aquas*, neque a vero absimile est, ita voluisse Grammaticum. *Aquor aquaris* etiam Cam. P.

2. Ex secunda similiter declinatione nominum per singulas terminationes, tam accidentibus[1] quam fixis, derivantur verba omnibus consonantibus pene antecedentibus, ut[2] *probus, probo, probas; opacus, opaco, cas; amicus, amico, cas; nudus, nudo, das; foedus, foedo, das*[3]*; vagus, vagor, garis; pius, pio, pias; solus, desolo, as*[4]*; sanus, sano, nas; alienus, alieno, nas; serenus, sereno, nas; unus, aduno, nas; hibernus, no, nas*[5]*; crispus, po, pas; aequus, aequo, as; obliquus, obliquo, as; propinquus, propinquo, as; ignarus, naro,* **[2156]** *ras*[6]*; lassus, lasso, sus; latus, dilato, tas; laetus, laetor, taris; aptus, aptor, taris*[7]*; sollicitus, sollicito, tas; cruentus, cruento, tas; laxus, laxo, xas; viduus, viduo, as; mutuus, mutuor, aris.* A fixis[8]: *locus, loco, cas; focus, suffoco, cas*[9]*; Graecus, Graecor, caris; vulgus, vulgo, gas; stimulus, stimulo, las; fumus, fumo, mas; terminus, termino, nas; annus, perenno, nas*[10]*; sonus, sono, nas; numerus, numero, ras; rivus, dirivo, vas; stomachus* etiam Graecum, *stomachor, charis.* Item a neutris *um* terminatis: *libum, libo, bas; velum, velo, las; colum, percolo, las; collum, decollo, las; peculium, depeculor, laris.* A plurali nomine[11]: *arma, armo, mas; stagnum, stagno, nas; regnum, regno, nas; signum, signo, nas; donum, dono, nas.* In *er* quoque desinentia nomina secundae similiter declinationis[12] faciunt verba, ut *liber, libero, ras; sacer, sacro, cras; ager, agri, peragro, ras; integer, integro, ras; miser, miseror, raris; misereor* potest[13] esse ab impersonali *miseret; satur, ri, saturo, ras; minister, stro, stras*[14].

3. A tertiae quoque declinationis nominibus, supradictis exceptionibus omnibus observatis[15], eodem modo faciunt derivationes verborum per singulas terminationes, *concio, concionis*[16], *concionor, concionaris; ordo*[17], *ordino, nas; virgo*[18], *devirgino, nas.* In *ac* quoque[19], ut *lac, lactis, lacto, lactas.* In *il, vigil, lis, vigilo, las; exsul, exsulo, las*[20]. In *en, semen*[21], *semino, nas; fulmen, fulmino, nas*[22]. In *er, verber*[23], *verbero, ras; uber, exubero, ras; agger, aggero, as; iter, itero, iteras.* In *or, labor, laboro, as; honor, ro, ras*[24]; *memor, memoro, memoras*[25]. In *ur, robur, roboro, roboras; fur, furor, furaris*[26]; *murmur,*

1) *Accedentibus* male Cod. — 2) *Ut probus* Cod. Cam. Sed P. *ut est: B, probus.* Idem paullo post: *C, opacus* et sic porro; quae litterae singulae absunt a Cod. et Cam. — 3) Ita Cod. In Cam. exemplum *foedus, foedo, das* deest. In P. sic est scriptum: *D, fedus fedo fedas, nudus nudo as.* — 4) Interponit h. l. P.: *M, firmus firmo firmas, infirmus infirmo infirmas*; quae absunt a Cod. et Cam. — 5) Cod. *hibernus no. nas proximus adproximo mas crispus* cet. Sed medium exemplum a seriori manu additum. — 6) Cod. *ignarus. naro ras* (o suprascr.), sic, ut corrector *noro* voluisse videatur. Cam. *ignarus, ignoro as.* P. *ignarus ignaro as.* Equidem legendum puto: *gnarus, narro, ras.* Cf. Varro de L. L. VI, 7, 64. *Narro cum alterum facio narum* (l. gnarum). — 7) *Aptor, taris.* Ita Cod. *apto as* Cam. P. Statim post idem Cod. *sollicitus. tor. taris* sed correcta ab antiqua manu. — 8) *A fixis: locus.* Sic Cod. et Cam. Sed P. *A fixis: C, locus;* atque ita in seqq. littera notabili semper praeposita, quam ignorant Cod. et Cam. — 9) *Focus, suffoco, cas.* Ita Cod. et Cam. *Fucus fuco fucas* P. Certum est, *suffōco* non a *fŏco* sed a *faucibus* repetendum esse; sed errasse ita Grammaticum credibile est. — 10) *Peranno as* P. Cam. Recte Cod. *perenno, nas.* — 11) *A plurali nomine: arma.* Cod. *A pl. n. quod est haec arma* Cam. *A plurali nomine quoque, M, haec arma* P. — 12) V. *declinationis* addidi e Cod. — 13) *Etiam* h. l. intrudit P. — 14) Alio ordine apud P. *minister ministro as, satur ri, saturo as.* — 15) *Supradictis exceptionibus omnibus observatis.* Ita Cod. a pr. m. et Cam. Sed in Cod. antiqua corr. manus pro *observatis observationibus* voluit, et apud P. pro *exceptionibus* legitur *exceptis.* Quare legendum quis coniiciat: *supradictis exceptis omnibus observationibus.* Similiter enim paullo ante Segm. I, 8. *suprapositis observationibus nominum de verbis traductorum exceptis.* — 16) *Terminationes, contio, contionis* Cod. *terminationes in, o, desinentia nomina ut concio* cet. Cam. *term. In Io, ut concio* P. Scripturam Cod. *contio* mutandam esse putavi, quando nemo mihi persuadebit, *concionem* non a *conciendo* esse dictam. — 17) Intrudit P. *ordinis.* — 18) Intrudit P. *virginis.* — 19) *In ac quoque ut lac* Cod. suprascr. habens vocem a rec. m. *desinentia.* Cam. *In, c, quoque ut lac.* P. contra: *In C quoque, lac* omisso *ut.* — 20) *In il, vigil, lis, vigilo, las; exsul, exsulo, las.* Ita dedi e Cod. *In il, ut uigil lis, vigilo uigilas. In ul, exul exulo as* Cam. et P. nisi

murmuro, as; augur, auguris, auguro, auguras. In *as* quoque, *nugas*, indeclinabile, *nugor, nuguris; vas, vadis, vador, vadaris.* In *es*, *aries, arieto, arietus; miles, milito, militas; comes, comitor, comitaris; sedes, sedo, sedus; locuples, locupletis, locupleto, locuple-* [2157] *tas; heres, heredis, exheredo, exheredas.* In *is*[27], *turpis, turpo, turpas; tenuis, tenuo, tenuas; tristis, contristor, contristaris; testis, testor, testaris.* In *os, os, oris, oro, oras; ros*[28], *roro, roras; dos*[29], *doto, dotus.* In *us*, *decus*[30], *decoro, decoras; ulcus, ulcero, ulceras; pondus, pondero*[31]; *onus, onero*[32]; *munus, munero*[33]. In *aes, aes, aeris, aduero*[34]. *Laus*[35], *laudo; fraus, fraudo.* [36]*Pax, paco; nex, neco*[37]; *vindex*[38], *vindico*[39]; *remex, remigo; lex, lego*[40]; *radix, eradico; cornix, cornicor, aris. Vox, voco; pernox, pernocto*[41]; *merx, cis*[42], *mercor, aris. Hiems, is*[43], *hiemo; praeceps, praecipito, tas*[44].

4. A quarta etiam declinatione[45] et quinta: *aestus, aestuo; fluctus, fluctuo, as; tumultus, tumultuor, aris*[46]; *gelu, gelo, as.* In *es*[47], *rabies, biei, rubio, as; macies, macio*, vel *macero*[48]; *luxuries, luxurio, as; glacies, glacio;* licet[49] pauca sint harum duarum declinationum exempla, quia pleraque[50] nomina quartae declinationis incorporalium sunt rerum vocabula, et ipsa magis a verbis derivata cognoscuntur, ut *visus, nisus*[51], *motus, nutus.* Idemque[52] potest etiam in quinta[53] deprehendi, ut *acies, facies, fides, res*[54].

Segm. III.

1. Ex omnibus itaque supra scriptis exemplis manifeste monstratum[55] est, de nominibus facta verba primae esse coniugationis. Hoc quoque idem e contrario potest observari, ut si quid verbum[56] nomini appositum[57] consonante praecedente, non sit primae coniugationis, non ex nomine deductum, sed nominis esse principium[58], ut *scribo, scriba; advenio*,[59] *advena; per-*

quod in P. *lis* genitivi significatio deest. — 21) *Seminis* h. l. intrudit P. — 22) Cod. *flumen no nas*; male. — 23) *In Er quoque, verber* P. — 24) Pro vv. *honor, ro, ras* in Cam. est *vaporo vaporas*, in P. *vapor vaporo vaporas.* — 25) H. l. Cam. et P. interponunt: *honor honoro honoras.* — 26) *Furaris* h. l. addidi e Cod. Statim post Cod. *mormar mormuro as.* — 27) *Quoque* h. l. intrudit P. — 28) *Roris* adiungit P. — 29) *Dotis* addunt Cam. P. — 30) *Decoris* addunt Cam. P. — 31) *Ponderas* interponunt Cam. P. — 32) *Honus honero* Cod. sed expuncta bis *h* littera, ut legendum sit *onus, onero.* Cam. et P. *holus holeror.* — 33) *Manero* Cod. *muneror* Cam. et P. — 34) H. l. interponunt Cam. et P. *adaeras. In Aus*, quae absunt a Cod. — 35) *Laudis* intrudit P. — 36) *In ax* addunt Cam. P. Tum post *paco* addunt iidem *as.* — 37) *In ex, nex necis neco necas* Cam. P. — 38) *Vindicis* addunt Cam. P. — 39) *Iudex iudico* interponuntur apud Cam. et P. — 40) Sequuntur apud Cam. et P. *legas. In ix quoque.* Tum post *eradico* addunt iidem *as.* — 41) *In ox, vox voco pernox pernocto* Cam. *In Ox, vox voco, nox pernocto* P. *pernoctas* addit solus P. — 42) *In x merx mercis* Cam. P. — 43) *In ems hiems hiemo as* Cam. *In Ems hiems hiemis, hiemo as* P. — 44) *In Eps praeceps praecipitis praecipito as* P. *In eps praeceps praecipito as* Cam. — 45) *Declinatione* addidi e Cod. — 46) Syllabas *aris* addidi e Cod. — 47) *In es.* His subiungit P. *ut maceries macerior*, quae recte absunt a Cod. et Cam. — 48) *Macio as — macero as* P. Cam. Contra syll. *as* deest in Cam. et P. post *luxurio*; post *glacio* vero additur *as* in Cam. et P. — 49) *Tamen* hic interponitur a P. — 50) *Plerumque* P. male. — 51) *Ut video visus, nitor nisus* Cam. P. Vv. *motus nutus* in Cod. supra scripta, sed ab ant. m. — 52) Cod. *Itemque.* Cam. P. *Idem quoque.* Scribendum fuit *Idemque*, sententia ita efflagitante. — 53) *Declinatione* hic interponunt Cam. P. — 54) *Spes* adiungunt Cam. P. — 55) *Demonstratum* Cam. P. — 56) *Ut si quod simile verbum* Cam. P. Dedi Cod. lectionem, licet veram praestare nolim. — 57) Cod. *obpositum*, sed corr. *appositum.* — 58) H. l. interponit *cognoscatur* P. Sed Cam. ignorat verbum et in Cod. nihil legitur nisi *videtur*, quod a rec. m. supra scriptum est. Infinitivus *esse* pendet a superioribus: *Hoc quoque — potest observari.* Id si recte statuo, particula *ut* post v. *observari* aut eiicienda, aut pro *veluti* habenda est, quod tamen h. l. minus aptum videtur. — 59) *Advenis* h. l. interponunt Cam. et P.

fugio, *perfuga; molo*, *molis*, *mola; consulo*, *consulis*, *consul; vado*, *dis*, *hic vas*[1]; *mergo*, *mergis*, *haec merges*, *gitis; quiesco*, *quiescis*, *haec quies; caedo*, *caedis*, *haec caedes; luo*, *luis*, *haec lues; struo*[2], *haec strues; metuo*, *metuis*, *metus; tribuo*, *tribuis*, *tribus;* [2158] *parco*, *parcus; gradior*[3], *gradus; fido*, *fidus; pando*, *pandus; coquo*, *coquus*[4]; *ludo*, *ludus*, *curro*[5], *currus; vivo*, *vivus*. Et reliqua verba, quae sunt enumerata, cum monstrabantur nomina, quae de indicativo praesenti tempore verborum derivativa[6], non generalibus clausulis terminata, nec in multis adeo nominibus inventa probantur.

2. Quia omnia verba quae non[7] sunt primae coniugationis, quamvis adhaereant nominibus, non ab illis duci monstrantur, sed[8] e contrario nominum esse primordia. *Formido* quoque, et *caligo*, et *propago*, et *palpo pas*, et *indugo as*[9], verba, licet primae sunt coniugationis et habent[10] adhaerentia sibi nomina, *formido*, *caligo*, *propago*, *palpo*[11], *indugo;* tamen quia non respondent syllabis genitivi nominum, merito mihi videntur magis nomina de verbo tulisse, quam de nominibus ipsa producta[12]. Nam et si quis velit attendere perspicacius, artis[13] subtilitatem mirabitur. Quae coniugationum distinguens confusionem a positione verborum traducta verbalia[14] nomina paucissima quidem, et ea ipsa vix in duabus aut tribus terminationibus ex prima, ex aliarum vero coniugationum verbis multa, et a[15] pluribus clausulis, progenuit nomina. Et ceterarum quidem coniugationum praesens indicativum[16], quia nominum[17] traductiones in verbi finalitatem non suscipit, et maxime e tertia[18]; indesinenter[19] non prohibuit multa de se nomina facere. Primae vero coniugationis positio, quia multas nominum suscipit ab omnibus tam declinationibus quam[20] clausulis traductiones in verbo, merito de se nomina non adeo concessit proferre. Secunda enim et quarta licet interdum a nominibus derivata verba suscipiunt; tamen de genitivo nominum per incrementa syllabarum, quibus utraque coniugatio cognoscitur, id est, per *eo* secunda, per *io* quarta, derivatae, carent huiusmodi confusione. Unde potest etiam illa quaestio solvi[21], quam quidam ex supervacuo [2159] proponunt dubitantes, ea verba quae superius a singulis tam declinationibus quam finalitatibus nominum derivata primae coniugationis[22] esse monstravimus, utrum verba de nominibus, an nomina de verbis procreantur. Nam si de verbis essent nomina, non diversas et quasi singulares ex uno fine verborum haberent clausulas, sed ut[23] participia vel nomina verbalia, deberent eodem modo plura sub una eademque terminatione finiri, quod e contrario cernitur. Nominum enim, de verbi positione traductorum, absque paucis generalibus, quas superius ostendimus, reli-

1) *Vado vadis vadum, et hic vas* Cam. P. — 2) *Struis* adiungunt Cam. P. — 3) *Graderis* intrudunt Cam. et P. — 4) *Coquus* scripsi e Cod. *Cocus* Cam. et P. — 5) *Curris* et paullo post *vivis* addunt Cam. et P. — 6) *Praesenti tempore verborum derivativa.* Ita Cod. *praesentis temporis — derivata* Cam. et P. — 7) *Non* addidi e Cod. et Cam. Ceterum vera mihi videtur Cam. lectio: *Quae omnia verba quia non sunt* cet. quae eo est probabilior, quod in nostro Cod. compendiis scribuntur *quae*, *quia*, *quod*, *quam*, *quas* cet. quare fit, ut saepe confundantur istae voculae. — 8) *Possunt* h. l. addunt Cam. et P. Male. Pendet infinitivus e superioribus. — 9) *Indagor ris* Cam. P. Ego Codicem sum secutus. — 10) *Sint — habeant* Cam. P. *Sunt — habent* Cod. (superscr. *n* et *a*) sed posterior emendatio est a recentissima manu. Scriptum igitur voluit librarius *sunt — habent*, quod dedi. — 11) *Palpo* interposui e Cod. — 12) *Ipsa producta.* In Cod. supra scr. *esse* a rec. m. — 13) *Artis* addidi e Cod. pro quo *naturae* exhibet Cam. Ignorat P. — 14) *Verbialia* Cod. P. *verbalia* Cam. — 15) *In* Cam. P. *a* Cod. quod edidi. — 16) *Indicativum* Cod. *indicativus* Cam. et P. — 17) *Multas* interponunt Cam. et P. — 18) *Maxime tertia* P. *maxime a tertia* Cam. Recte Cod. *e tertia.* Sed distinctio mutanda fuit; nam in his demum verbis finit protasis. — 19) *Indesinenter* Cod. *Indifferenter* Cam. P. — 20) *Quam de clausulis* P. Cam. male. — 21) *Solui quaestio* Cam. P. *quaestio solvi* Cod. — 22) *Primae coniugationis.* Hoc ordine Cod.; inverso Cam. P. — 23) *Ut*, quod exhibent Cam. et P., deest in Cod. — 24) Hic interponunt Cam. P. *e contrario*, quae Cod. iubente omisi. — 25) *Ex eo quoque* Cam. P. *Ex q. quod* (superscr. *eo*)

quas speciales, et tam clausulis quam declinationibus divisas, et in rarioribus exemplis inventas terminationes; verborum vero[24] de nominibus factorum et generales finalitates, et ad unam tantum pertinentes coniugationem, et in exemplis innumerabilibus apparentes videmus, ex eoque[25] quod uniformiter et sibi congrue[26], ab omni terminatione nominum plura verba consonantibus praecedentibus traducta primae sunt solius coniugationis, syllabarum etiam genitivi rationem et in verbo servantia, manifestissime probantur verba de nominibus esse traducta. Ut enim feminina nomina masculinis adhaerentia, et ab illis gigni dicuntur, et pares eis semper habere syllabas coguntur[27], ut *ater*, *atri*, *atra; tener*, *teneri*, *tenera; longus*, *longi*, *longa; arduus*, *ardui*, *ardua:* sic haec verba de nominibus fieri dicimus[28], quod genitivorum syllabis positio verbi respondet[29], ut *sacer*, *sacri*, *sacro*, *sacras; liber*, *liberi*, *libero*, *liberas; vigil*, *vigilis*, *vigilo*, *vigilas; semen*, *seminis*, *semino*, *seminas; memor*[30], *memoro; miles*[31], *milito; index*, *indico*[32]*; manceps*, *mancipo.* Et sic semper ex certis incerta, ex manifestis regulantur ambigua[33]; nemoque dubitat, quod[34] priora[35] verbis sunt[36] quaedam nomina, in quibus naturaliter substantia nominis antecedit actum, qui spectatur[37] in verbis.

3. Exempli[38] caussa de multis licet proferre pauca, ut *esca*, *inesco; unda*, [2160]
inundo; pax, *paco; radix*, *eradico; pisces*, *piscor*; *cor*, *concordo*[39], *discordo*, *recordor; odor*, *odoror*[40]*;* Horatius in Epodo:

Proiectum odoraris cibum[41]*;*

radius, *radio*, *as; humus*, *humo; fumus*, *fumo*[42]*; concio*, *concionor; limen*, *elimino; cacumen*, *cacumino;*

— summasque cacuminat aures;

Ovidius Metamorphoseon libro I.[43]*; rumen*, *ruminis*, *rumino*[44]*;*

Ilice sub nigra pallentes ruminat herbas;

Virgilius in Bucolico[45]; *aurum*, *inauro;* Horatius Epistolarum libro I.:

— ut te
Confestim largus imber inauret[46];

scortum, *scortor*; *gurges*, *ingurgito*[47]. Cicero in Pisonem: *Nunquam tein tot flagitia ingurgitasses*[48]. *Cras* adverbium, *crastinus* nomen, et ab eo verbum *crastino*[49]. *Dies* item nomen[50], *perendie* adverbium, *comperendino* verbum. Praeterea de verbis etiam derivata verba consonante praece-

(sic) Cod. i. e. *ex eoque quod.* — 26) Glossa interlinearis in Cod. haec duo adverbia ita interpretatur: *i. e. inɔsb.* (consonantibus?) *observatis. i. e. in numero syllabarum*, quorum interpretamentorum illud ad v. *uniformiter*, hoc ad v. *congrue* spectat. — 27) Inde ab h. l. columnatim scripta leguntur singula exempla in Cod. — 28) *Fieri dicimus* Cod. *Dicimus fieri* Cam. P. — 29) *Responderet* Cod. male; *respondet* Cam. P. — 30) *Memor oris memoro as* Cam. *memor memoris*, *memoro memoras* P. — 31) *Miles militis*, *milito militas* solus P. — 32) *Indico indicas — mancipo mancipas* solus P. — 33) Cod. exhibet: *ex certis incerta et manifestis regulantur ambigua*, quod levi mutatione correxi *et* in *ex* mutato. Cam. P. *ex certis et manifestis incerta regulantur et ambigua.* — 34) *Quod* certissima sigla legitur in Cod. quapropter in eodem paullo post *sunt*, quare ita rescripsi. *Quin — — sint* Cam. P. — 35) H. l. *prorsus* intrudit P. — 36) H. l. *etiam* interponunt Cam. P. — 37) *Exspectatur* Cod. et Cam. quod recte emendatum puto a P. — 38) *Ut exempli caussa* Cam. P. *ut* ignoratur a Cod. — 39) *Concordor* Cod. a pr. m. sed expuncta ultima littera. — 40) *Odoror*, *aris* Cam. P. — 41) Horat. Epod. VI, 10. — 42) *Humo as — fumo as* Cam. P. — 43) Ovid. Met. III. 195. — 44) *Rumen nis*, *rumino as* Cam. P. — 45) Virg. Ecl. VI, 54. Ceterum *palantes* pro v. *pallentes* corr. in Cod. a rec. m. — 46) Horat. Epist. I, 12, 9. ubi Codd. sine varietate: *Confestim liquidus fortunae rivus inauret.* Ceterum Cam. et P. *largus fortunae rivus*, pro quibus Cod. habet, quae dedimus; ut manifeste appareat, Grammaticum memoriter citasse. — 47) *Gurges gurgitis*, *ingurgito as* Cam. et P. nisi quod in Cam. syllaba *as* abest. — 48) Cic. in Pison. c. 18. — 49) *Verbum pro crastino nas* P. *Est ab eo verbum pro crastino* Cam. — 50) V. *nomen* deest in Cod.

dente primae semper sunt[1], ut omnis frequentativa forma[2]. Nec ad aliam potest huiuscemodi verborum derivatio venire coniugationem, nisi forte incidat in clausulam[3], iam ante cuidam coniugationum generaliter deputatam. Ut in *urio* desinentia meditativa quartae; quod facit ipsa forma finalitatem[4]. Et inchoativa tertiae etiam; quae in *sco* desinentia[5], quod proprium est illis primitivis, quae habent consonantem ante se perfecta, si tamen non sint a nominibus, quasi in possessionem tertiae solius concesserunt[6]. Singulisque formis derivativorum verborum singulas accipere coactis ad differentiam sui coniugationes, iure meditativa quidem quartam in *io* terminatione[7] meruerunt; sicut in *eo* desinentia, sive[8] primitiva seu derivativa essent, solam secundam etiam in forma perfecta habeant[9]; frequentativa vero et inchoativa, carentia vocali[10] ante *o*, primam et tertiam invicem necessario sortiuntur; meritoque utraque forma derivativorum ad eam maxime venit coniugationem, in qua suae finalitatis inveniebat[11] etiam primitiva.

4. Et sic alias similiter traductiones verborum antecedente consonante prima [2161]
sibi tantum coniugatio vindicat, seu a verbis, seu a nominibus veniant. Qualia sunt in *co*, vel in *to*, vel in *lo*, vel in *cinor*, vel in *cito*[12], vel etiam in alias quasdam terminationes desinentia; in quibus etiam illud est observandum[13], quod per earum[14] clausularum incrementa, derivatio verbi solet provenire, ut *vello*, *vellis*, *vellico; fodio*, *fodis*, *fodico*[15]*; nutrio*, *nutrico; albus*, *albico; claudus*, *claudico; faber*, *fabrico; alter*, *altercor*[16]*; communico*, *frondico*, *debilito*, *nobilito*, *oscito*, *periclitor*, *ventilo*, *pullulo*, *gratulor*, *latrocinor*, *febricito*[17]. Parique modo etiam *commissor*, *surcino*, *opem tuli*, *opitulor*[18]*; praesto*, *praestolor*. In *go* quoque desinentia *i* brevi antecedente, ut *navigo*, *remigo*, *litigo*, *mitigo*, *fumigo*, sive a nominibus figurantur in verba, sive inest eis verbis ab eo verbo, quod est *ago*, compositio[19], quia cum nomine componuntur, ad primam iure veniunt[20] coniugationem. Eodem modo etiam ab adverbio *intus* vel *intro* verbum fit *intro*, *intras*; et *penitus* item *penetro*[21]; et ab eo quod est *temere*, *temero*, *as*.

1) *Coniugationis* addunt Cam. P. — 2) *Ut omnis frequentativa forma*. Ita recte Cod. *Et omnia frequentativae formae* Cam. P. — 3) Interponunt h. l. Cam. et P. *ut viso visis*, quae ignorat Cod. Ceterum
dictam
Cod. *in clausulam iam ante cuidam*, sic, ut librarius voluisse videatur: *iam ante dictam*, pessime. — 4) Ita quidem Cod. a pr. m.; sed correctum est: *quartae solius, quod facit ipsa formae finalitas*, quae lectio non displicet. *Quartae solius esse facit ipsa forma finalitatis* Cam. *quartae coniugationis esse facit ipsa forma finalitatis* P. — 5) In Cod. est: *quae in sco desinentia perfecta si tamen non sint* cet. In Cam. contra: *Et inchoativa tertiae etiam in sco desinentia perfecta. Quae si non sint tamen a nominibus* cet. Retinui Putschianam, quum in Cod. versus excidisse videatur, quem explet P., vereor tamen ut satis recte. — 6) *Quasi in possessionem tertiae solius concesserunt.* Ita recte Cod. et Cam. *quasi in positione, tertiae solius censuerunt* P. depravate. — 7) *Terminatione* recte Cod. *terminationem* Cam. P. V. *meruerunt* in Cod. supra scr. — 8) *Sive* in Cod. supra scr. — 9) *Habeant.* Ita Cod. Cam. P. neque dubito, quin ita voluerit Gramm., quasi copiam rei faceret et concederet. Statim post in Cam. *Sicut frequentativa vera et inchoativa.* — 10) *Carentes vocali u ante o* P. Cam. vitiose. — 11) *Inveniebat* Cod. Cam. *veniebat* P. Legendum puto: *in qua suae finalitatis inveniebat praerogativam.* — 12) *Qualia sunt in co vel in to vel in lo vel in cinor vel in cito.* Ita Cod. nisi quod prima terminatio sic scripta est: *in* ᶜ*bo*. Alia exhibet Cam.: *qualia sunt in co, vel to, in tor, vel lo, vel lor, vel in do, vel in imor, vel in cito.* Non multum differt P.: *qualia sunt in Co, vel To, in Tor, vel Lo, vel Lor, vel in Do, vel in Cinor, vel in Cito.* — 13) *Illud observandum est* Cam. P. — 14) *Ipsarum* h. l. interponit Cam. et P.
o i o
— 15) Cod. sic: *vellico fido fidis fodico nutrio*; recentissima tamen manus subscripsit: *fido fidis fidico*, quod monstrum verbi recepit P. ita scribens: *fodio fodis fodico as, vel fido fidis fidico, nutrio.* Recte Cam. ut edidimus. — 16) *Altercor* Cod. *alterco* Cam. P. — 17) Hunc omnem locum ita exhibent Cam. et P.: *communis communico, frondes frondico, debilis debilito, nobilis nobilito, os oris oscito, periculum periclitor, ventus ventilo, pullulo pullulo, gratis vel grates gra-*

Segm. IV.

1. Et ne diutius in isdem[22] rationibus immorer, tempus enim me citius quam exempla deficient; si omnes huiusmodi traductiones verborum primae solum[23] coniugationis existant, sic esse potest aliquis contentiosus, ut non alia[24] quoque verba, quibus adhaerent nomina, si non primae sint[25] coniugationis, fateatur[26] de nominibus esse deducta[27]. Ut totam igitur regulam recolligere videar, illud etiam addam supra dictis. Quod a quacunque declinatione nominum[28] traductum sit verbum, siquidem in *eo* desinat, eius est[29] coniugationis, cuius et alia sunt in *eo* desinentia, quae primitiva sunt et a nulla deducuntur origine, id est, secundae solius coniugationis, ut *canus*, *cani*, *caneo; calles*, *callis*, *calleo; flos*, *floris*, *floreo; lux*, *lucis*[30], *luceo; frons*, *dis*, *frondeo; census*, *sus*, *censeo*[31]. In *uo* vero principalia tertiae[32] quidem [2162] solius inveniuntur, ut *imbuo*, *acuo*, *induo*, *arguo*, *luo*, *nuo*, *spuo*, *suo*, *ruo*, *statuo*, *futuo; vacuo* autem, *viduo*, *insinuo*, *tenuo*, *fluctuo*, *aestuo*, *mutuor*, *infatuo*, *tumultuor*[33], quia ex nominibus *vacuus*, *viduus*, *sinus*, *tenuis*[34], *fluctus*, *aestus*, *mutuus*, *fatuus*[35], *tumultus*, derivata sunt, iure sibi prima vindicat coniugatio. Nam tribus et metus et lues et strues magis ipsa deducuntur a verbis, *tribuo*, *metuo*, *luo*, *struo*, quam faciunt verba. Si autem in *io* desinat, tum considerabimus, ut, si nomen[36] quidem habeat appositum ultra duas syllabas, et penultimam in *i* desinentem[37] sequente vocali secundum datas in antedictis observationes, primae erit coniugationis. Hoc autem non consecuto[38] verbum in *io* desinens a nomine derivatum, a quacunque venerit[39] declinatione, paucis illis exceptis, quae superius ad tertiam pertinentia notavimus, quartae erit sine dubio coniugationis. Cuius etiam primitiva sunt in *io* desinentia, idque his confirmatur exemplis. A prima quidem declinatione: *bulla*, *ebullio; poena*, *punio*. A secunda: *superbus*, *superbi*, *superbio; blandus*, *blandior; largus*, *largior; insanus*, *insanio; murus*, *murio*[40] et *munio*, sive a nomine, quod est *moenia*, *moenio*[41] et *munio; saevus*, *sae-*

tulor, *latro latrocinor*, *febris febricito*. Codicis brevitas non una de caussa praeferenda erat. — 18) Cod.
b n
Parique modo etiam commisor sarcino opem tuli opitulor; ut appareat, librarium vel potius correctorem voluisse *combino*, quod fortasse reponere debebam. Cam. *commesor*, *farcino*, *opitulor;* P. *commessor*, *farcino*, *opitulor*. Non dubito, vv. *opem tuli* esse e glossa. — 19) *Sive inest eis verbis ab eo verbo, quod est ago, compositio*. Ita Cod. nisi quod post v. *verbis* supra scriptum cernitur: *quaedam compositio*. Cam. et P. *sive inest eis verbi, quod est ago, compositio*, quae lectio mihi vera videtur. — 20) *Veniunt* Cod. Cam. *perveniunt* P. — 21) *Penitro* Cam. — 22) *In isdem*. Cod. *in hisdem*. Cam. P. *iisdem* om. *in*. — 23) *Primae solius* Cam. P. — 24) *Ut non alia quoque* Cod. *ut alia quoque* P. — 25) *Si primae non sint* Cam. P.; ordinem e Cod. mutavi. — 26) *Non fateatur* Cam. P. — 27) Cod. *nominibus diducta; esse* supra scr. — 28) *Declinatione nominum*. Inter haec duo vv. in Cod. legitur nota sive sigla, quam extricare non possum. Habet ea supra scriptas litteras: *epitho*. Sigla ipsa typis exprimi non potest. — 29) *Est* desideratur in Cod. — 30) *Lucis* addidi e Cod. — 31) *Frons frondeo*, *census censeo*. Cam. P. — 32) *Tertiae quidem* Cod. sed inverso ordine Cam. P. — 33) *Ut imbuo*, *arguo*, *induo*, *luo*, *nuo*, *ruo*, *spuo*, *suo*, *statuo*, *futuo; vacuo autem et viduo — mutuor*, *tumultuor*, *infatuor*, *quia* cet. Cam. P. Ordinem dedi qui est in Cod.; *infatuor* nihili est, nam activum tantum in usu est. Ceterum pro *nuo* in Cod. *buo*, sed supra scr. *nuo*; pariter suprascr. *statuo*. — 34) *Tenuis*, *sinus* Cam. P. Ordinem praebet Cod. — 35) *Fatuus*, *tumultus*. Hoc ordine Cod.; inverso Cam. P. — 36) *Tum considerabimus*, *ut si nomen* Cod. *Tunc considerabimus*, *utrum nomen* Cam. *Tunc considerabimus*, *nomen* P. — 37) *In i puram desinentem* Cam. P. Ceterum locus laborat structura et fortasse aliquid excidit. Legerim: *sequente vocali; id secundum datas* cet. — 38) *Consecuto* Cod. *secuto* Cam. P. — 39) *Venerit* Cod. *venit* Cam. P. — 40) Verbum *murio* nisi fallor nusquam enotatum legitur. Fortasse a Gramm. est fictum. — 41) *Quod est maenia maenio* P. Ceterum totum hunc locum ita in brevius contractum exhibet Cam. *Murus murio*, *et munio*, *saevus saevio*.

rio; servus, servio; lascivus, lascivio. Hisque[1] similiter a nomine *balbus* verbum fit *balbutio*, licet non servavit[2] omnem observationem clausulae. A tertia quoque: *rete, retis, inretior*[3]*; pes, pedis, impedio*[4]*; moles, molis, molior; mollis, mollio; stabilis, stabilio; finis, finio; inanis, exinanio*[5]*; saepes, saepio*[6]*; sitis, sitio; vestis, vestio; custos, custodio*[7]*; mens*[8], *mentior; pars, partior; sors, sortior.* A quarta item: *gestus, gestio.* Notatur *crux, crucio*[9], cum carens observationibus primae, debuit esse quartae coniugationis. *Calcio* enim *calcias* non a *calx, calcis*, sed a *calceus*[10] derivatum, quia penultimae non infertur[11] consonans, iure videtur esse primae. Consonante vero praecedente semper verba de nominibus derivata praedictis modis [2163] primae sunt solius coniugationis. Adeoque vera videtur[12] esse observatio clausularum, quod ex una terminatione nominis duae verbi factae derivationes diversam, pro qualitate finalitatis, coniugationem[13] meruerunt; ut ab eo quod est *meta, metor*[14] quidem, *metaris*, primae, et[15] *metior, iris*, quartae est[16] coniugationis; *servus, servo* primae, *vus*[17], *servio* autem, quod in *io* desinit, quartae est; et a *sanus, sano* quidem, *sanas, insanio*[18] autem, *insanis*, quartae fit; et ab eo quod est *aptus, apto, aptas*, fit verbum, ab eo autem, quod est ex eo compositum nomen *ineptus, ineptio, ineptis* verbum fit. Ut enim in *io* desinentia, nisi habeant adhaerentia nomina[19] trisyllaba *i* penultimam puram habentia, primae esse coniugationis non possunt, sed ad quartam perveniunt, paucis illis exceptis, quae sola sibi tertia vindicat; sic quacunque antecedente consonante ex nominibus facta verba[20], siquidem servent[21] consonantem nominis, primae sunt coniugationis. *I* vero quam non habuit nomen[22] in verbo addentia, respuuntur a prima coniugatione, et ad quartam plerunque redeunt, et una syllaba crescunt a genitivo nominis, ut *punio, superbio, custodio, gestio*[23], *impedio;* quod in verbis primae coniugationis a nominibus deductis[24] non solet evenire. Nam positio verbi, sive quaelibet consonans sit ante *o*, sive *i* vocalis, a quacunque nominis veniat terminatione, syllabas solet genitivi nominis servare, ut *turba, turbae*[25], *turbo, bas; nuntius, tii, nuntio, as*[26]*; ulcus, ris, ulcero, ras; spes, spei, spero, ras;* tantum quartae declinationis nomina, parem nominativo genitivum habentia, ut *u* non amittant, crescunt una syllaba, ut[27]

1) *Hisque* Cod. *Itemque* Cam. P. — 2) *Servavit* Cod. Cam. *servet* P. — 3) *Inretior* dedi e Cod. *irr.* Cam. P. — 4) *Impedior* Cam. P. — 5) Hoc ordine Cod. Sed Cam. P. *inanis exinanio, finis finio.* — 6) *Saepes saepio* Cod. Cam. *sepes sepio* P. — 7) Sequuntur in Cam. et P. *insignis insignio*, quae ignorat Cod. — 8) *Mentis* addunt Cam. et P. — 9) *Crucias* subiungunt Cam. et P. — 10) *A calcius nomine* Cam. P. *Calceus* Cod. om. v. *nomine.* — 11) *Non* in margine a rec. manu in Cod. quod videtur esse necessarium. — 12) *Esse videtur* Cam. P. — 13) *diversam — coniugationem* Cod. Cam. *diversas — coniugationes* P. — 14) Hoc loco addit *deponens* Cam. et P. — 15) Cod. *est metior*, solenni errore; *metior*, om. *et*, Cam. P. — 16) *Est* addidi e Cod. ignorant Cam. P. — 17) Ita Cod. Plura sunt apud Cam. et P. *servo quidem quia ante o caruit i primae est servas, servio* cet. Tum pro v. *quod* Cam. P. *quia.* — 18) *Sano quidem as primae, insanio* P. Sed cum Cod., quem secutus sum, facit Cam. — 19) *Nomina non minus trisyllaba* Cam. P. Tum Cod. *i. e. penultimam* cet. usitato errore. — 20) *Ex nominibus facta verba.* Ita recte, ni fallor, Cam. P. In Cod. est: *nomina facientia ex se verba*, quae si vera sunt, negligentiae arguunt Grammaticum. — 21) *Servent* Cod. *servant* Cam. P. — 22) *Quam nomen non habuit* Cam. P. — 23) *Ineptio* interpp. Cam. P. — 24) *Diductis* Cod. *traductis* P. *deductis* recte Cam. — 25) *Turbae* interposui iubente Cod. — 26) *Nuntius, tii, nuntio.* Ita Cod.; litterae *tii* desunt in Cam. P. Ceterum nomen hoc cum *t* scripsi, Cod. scripturam secutus, licet *c* verum esse credam. Ut enim *nuncupo* est *nomine capio*, nomine, verbo concipio, sic *nuncio* est *nomine cio, nuncius*, qui *ciet nomine*, vel qui *nomen ciet.* — 27) *Ut* Cod. habet in marg. Vv. antecc. sic exhibent Cam. P. *crescunt in verbis una syllaba.* In Cod. abest: *in verbis.* — 28) *Ante o habentia.* Hoc ordine Cod. *habentia ante o* Cam. P. Tum *derivativa* sola P. — 29) *Aegri* addidi e Cod. et Cam. — 30) *Miseri* Cam. et P. — 31) Cod. *deferentium coniugationum a*

fluctus, *fluctuo; aestus*, *aestuo; tumultus*, *tumultuor; sinus*, *sinuo* et *insinuo*. *E* quoque ante *o* habentia[28] derivata verba, quae iure secundam coniugationem sequuntur, una syllaba genitivum nominis vincunt, ut *aeger*, *aegri*[29], *aegreo; miser*[30], *misereor; census*, *censeo*. Eademque diversitas clausularum differentiam coniugationum a nomine venientium solet facere, ut a [2164] nomine[31] venientia verba, siquidem non in *eo* desinant, primae sint[32] coniugationis. In *eo* vero desinentia modis omnibus ad secundam perveniunt, ut *albo*, *albas*[33], et *albeo*, *albes*, ut Virgilius Aeneidos libro XI.:

— campique ingentes ossibus albent[34].

Duro[35], *duras*, et *dureo*, *dures*, unde *duresco*[36]; *denso*, *as*, et *denseo*, *es; miser* quoque, *miseri*, *miseror*, *miseraris*, primae; *misereor*[37] vero secundae. Sicut in aliis quoque verbis primitivis idem[38] evenit, quae in *eo* quidem desinentia secundae coniugationis, *e*[39] autem carentia, tertiae sunt, ut *ferveo*, *ves*[40], et *fervo*, *fervis;* unde Virgilius in VIII. libro:

Fervere Leucaten[41]

dixit; *strido*, *stridis*, ut Virgilius Georg. libro IIII.:

Stridere apes utero[42];

strideo, *strides*, ut Lucanus VI. libro:

Auribus incertum feralis strideat umbra[43].

Et *tueor*, quod apud Statium in libro III. *tuor* legimus, ut[44]:

Nonne ego complexus genitrix, haec oscula nati
Vestra tuor? sic vos extremo in fine ligavit.

Ex quo compositum etiam *intuor*, idem in eodem libro[45] dixit:

Armigeras summi Iovis exultante caterva
Intuor, Inachii sunt hi tibi, concipe, reges.

Idem etiam aliud ab eo compositum in VIII. libro Thebaidos extulit *contuor*, ut:

Namque modo infensos utero mihi contuor enses[46].

nomine evenientium solet facere ut a nomine cet. Sed prius illud *a nomine* supra vers. scr. et prima *e* in *evenientium* expuncta. Cam. et P. plura: *differentias coniugationum a nominum etiam derivatione, in secunda solet facere coniugatione*, *ut a nomine;* nisi quod in P. postrema *Et a nomine*, posita ante plena interpunctione. — 32) *Sunt* Cam. P. et nisi fallor etiam Cod. Mihi videbatur *ut* h. l. vim habere consecutivam, quare *sint* scripsi. — 33) *Ut albo*, *albas* Cod. *ut albus albo as* Cam. P. Paullo ante *modis omnibus* dedi e Cod. Vulgo *omnibus modis*. — 34) Virg. Aen. XII, 36. — 35) *Durus duro* Cam. P. — 36) *Unde et duresco* sola P. Statim post *densus denso* Cam. P. — 37) *Misereo* Cod. sed ab antiqua m. corr. *misereor*. — 38) *Idem* in Cod. supra versum scr. exhibent Cam. P. — 39) *Coniugationis*, *e autem*. Pessime a rec. m. in Cod. *e* expunctum et $\overline{st}$ i. e. *sunt* supra scriptum. — 40) *Ut ferveo*, *ves*. Ita Cod. *Ut est ferveo et fervo fervis* Cam. *ut est ferveo ferves*, *et fervo fervis* P. — 41) Virg. Aen. VIII, 677. — 42) Virg. Georg. IV, 556. — 43) Lucan. VI, 623. *Ferali — umbra* Cam. P. Recte Cod. ut apud Lucanum editur *feralis — umbra*. — 44) *Ut* addidi e Cod. statim post *Hosne ego* Cam. P. sed Codicem sequutus dedi *Nonne ego*. Correctum tamen a rec. m. *vel hosne ego*. Locus est Statii Thebaid. III, 151. Ceterum Cod. a pr. m. *si quos* sed corr. ab antiqua manu *sic vos*. Tum Cod. *extrema in fine*, pro quo *extremo* corr. ant. m. ut videtur. — 45) Statii Theb. III, 532. Cod. *armigeras — exultantes catervas*, sed recte editur apud Stat. *Armigeros*. Cam. habet: *Armigeras — exultante catervas*. Sequutus sum Putschianam. Tum Cod. *Inachii sunt tibi*, supra scripta voce *hi*, quae in margine iterum correcta est *qui*. Deinde Cod. *conciperegres us idem*, sic notatis quattuor litteris; supra scriptum etiam: *gessideme*, quae litterae ostendunt, librarium revera legisse in Cod. continenter scripto: *reges idem etiam*. — 46) *Utroque mihi contuor esse* Cod. cum correctione *utrosque*. Locus est Statii non ex Thebaide, sed ex Achilleidos lib. I, v. 131. citaturque idem a Prisciano

Non sic in omnibus verbis deponentibus h. videtur praeter haec, quae non ab activis verbis aut neutralibus derivantur[1].

2. Sola itaque prima coniugatio syllabas genitivorum nominis[2] custodire solet in verbi traductione, notatis illis paucis terminationibus in *co*, vel in *to*, vel in *cito*, et in *uo*[3] a quarta declinatione traductis[4], et si quae sunt tales derivationes, quas quasi praeter aliarum[5] morem crescentes superius observavimus. Illo quoque generaliter, ut omnis ambiguitas tollatur, addendo, quod licet duplex sit terminatio Latinorum in positione verborum, id est aut *o* aut *or* indica-[2165]tivo praesenti desinens, absque corruptis, quae regulis analogiae carent, ut *sum*, *es*, *est; possum*, *prosum*, *edo*, et similibus[6]; sciendum est in *or* quidem desinentia verba, si passiva sint suorum activorum coniugationem servare, id est, sive vocalis seu consonans sit ante o, addita *r* littera, non mutatur coniugatio[7] si permaneat eadem verbi significatio; ut *curo*, *curor; doceo*, *doceor; scribo*, *scribor; audio*, *audior*. Mutato vero genere et significatione verbi, licet nihil aliud nisi *r* tantum adsumat[8], non observat eandem coniugationem, ut *sperno*[9], *spernor*, *sperneris*, *aspernor*, deponens, *aspernaris; conspicio*, *conspicis*, *conspicior*, *conspiceris*, *aspicio*, *aspicis*, *aspicior*, *aspiceris; conspicor*, deponens, *conspicaris; sterno*, *sternis*, *sternor*, *sterneris*, *consternor* autem, deponens, *consternaris; facio*, neutrum, *gratificor*[10], *caris*, *ludificor*, *caris; sentio* item, *sentis*, *adsentio* et *adsentior*, *adsentor*, deponens, *adsentaris; gero*, *ris*[11], *morigeror*, *morigeraris*.

Et *e* quidem habentia ante *or*, secundae sunt coniugationis[12], ceu ante dictum est, ut *liceor*[13], *polliceor*, *mereor*[14], *reor*, *medeor*, *vereor*, *fateor*, *tueor*, et quae ex his singulis componuntur. *I* autem ante *or* habentia observationibus primae carentia, coguntur ad IIIItam venire coniugationem[15], ut *amicior*, *blandior*[16], *ordior*, *largior*, *molior*, *opperior*[17], *metior*, *sortior*[18], *par-*

VIII, 17, 95. Paullo aliter legitur apud ipsum Statium: *Namque mihi infestos utero modo contuor enses. Infestos* etiam e Prisc. Codd. tanquam varians lectio enotatur a Krehlio, quem vide. Ceterum cf. quae de omni hac fluctuatione inter secundam et tertiam coni. dixi ad Prisciani lib. de vers. Aen. pag. 344. seqq. ubi Grammaticorum locos collegi. — 1) Vv. *Non sic* — — *derivantur* et interposita e Codice adieci. Nolo tamen diffiteri, mihi glossema videri. Litteram *h.* explcas *habere.* In Cod. est *dirivantur.* — 2) Sic Cod. a pr. m. Cam. P. Correctum in Cod. *nominum.* — 3) *In co vel in to vel in cito et in uo.* Ita e Codice dedi. *In co vel to vel cito vel innuo* Cam. P. nisi quod P. *vel in Uo.* — 4) Hoc loco interponit sola P. *et in Io a quinta*, quae a Cod. et Cam. absunt. — 5) *Aliarum* Cod. a pr. m. *aliorum* Cod. e corr. et Cam. P. — 6) *Et his similibus* Cam. P. *his* abest a Cod. — 7) *Coniugatione* Cod. sed expunctae duae ultimae litterae. — 8) *Nisi r tantum adsumat.* Ita Cod. *nisi r assumat* Cam. *nisi r assumat, tantum non* P. quae lectio aperte contra mentem scriptoris. — 9) In his et seqq. exemplis Codicem etiam in plene perscribendis formis verborum secutus sum. In Cam. et P. plerumque secundarum personarum ultimae tantum syllabae leguntur. — 10) Vocabulum *deponens* add. Cam. P. — 11) Voc. *deponens* add. Cam. P. — 12) *Secundae sunt coni.* Ita Cod. *Sec. con. sunt* P. Cam. — 13) *Liqueor* male Cam. P. — 14) *Mereor reor medeor vereor* Cod. *medeor*, *reor*, *mereor*, *misereor vereor* Cam. P. — 15) *Coguntur venire ad quartam coni.* Cam. P. Ut dedi, exhibet Cod., quem ne in talibus quidem derelinquere volui. — 16) *Partior* h. l. interpp. Cam. P. Recte omittit Cod. — 17) *Operior morior* P. *Operior melior* Cam. — 18) *Assentior* intrudunt Cam. P. — 19) *Sequor*, *ris* in Cod. supra scripta. Ceterum terminationes diligenter e Cod. correxi. — 20) Ita Cod. quicum consentiunt Cam. P. non *loquutus*, *sequutus*, id quod ipsa Grammatici verba ostendunt. — 21) *Seu* Cod. et Cam. *sive* P. Paullo ante in Cod. est *derivantur*, sed coniunctivum servat etiam Cam. — 22) *Secuta* Cod. Cam. *sequuntur* P. — 23) *Precor preces*, *vador vas*, *vagor vagus*, *suffragor suffragiis* P. Sed Cod. et Cam. substantiva omittunt. — 24) *Grator* scripsi, quum Cod. habeat *gratior*, sed *i* expuncto et ab alia manu correcto *gratulor*. *Gratior* Cam. Alio ordine *negotior*

tior; exceptis *gradior* et *morior* et *patior*, quae tertiae sunt correptae solius. *Orior* autem et *potior* tam tertiae quam quartae quosdam motus habent. In *uor* quoque desinentia primitiva tertiae sunt, ut *fruor*, *ris*, *liquor*, *ris*, *loquor*, *ris*, *sequor*, *ris*[19]. Quorum posteriora ad consonantium regulam pertinere videntur, et in *cor* desinentium verborum habere praeteritum, *locutus sum*, *secutus sum*[20]. Consonantibus vero solis antecedentibus in *or* desinentia, si passiva non sint, nec [2166] deriventur ab activis ut illorum sequantur coniugationes, sive deponentia sint, seu[21] communia, uniformis illa regula vindicat; ut primae tantummodo sint ipsa quoque coniugationis observationem secuta[22] generalem, quia pleraque sunt a nominibus derivata, ut *precor*[23], *vador*, *vagor*, *suffragor*, *grator*[24], *negotior*, *auxilior*, *opitulor*, *rimor*, *peregrinor*, *dignor*, *miror*, *adversor*, *testor*, *testificor*, et similia[25]. Exceptis paucis, quae sunt tertiae correptae, ut *labor*, *fungor*, *liquor*, *sequor*[26], *loquor*, *queror*, *revertor*, *nitor*[27], *utor*, et quae ab his singulis componuntur, quae ideo excepta iure sunt tertiae coniugationis verborum, quia nullam videntur originis occasionem[28] monstrare. Idemque hoc etiam in superius relatis[29], id est in *ior*, vel in *uor* desinentibus verbis observari potest, quod[30] ad tertiam illa pertinent coniugationem, quae quasi primitiva nominum carent communione[31] ut *gradior*, *morior*, *patior*[32], *orior*, *potior*, *fruor*, *liquor*, *sequor*, *exsequor*[33]. A nominibus derivata[34], *i* quidem penultimam[35] puram habentia, primae sunt, hoc autem privata IIIItae coniugationi[36] necessario deputantur, quod et[37] in *io* desinentibus verbis, id est, activis vel neutralibus, fieri praediximus[38]; paucis illis, superius[39] notatis, ad tertiam redeuntibus primitivis[40], exceptis etiam in *cor*[41] desinentibus, vel deponentibus, *as* vel *is* ante *cor* habentibus, quae sive primitiva sunt seu[42] derivativa, solius tertiae sunt, ut *nascor*, *irascor*, *vescor*, *ulciscor*[43], *nanciscor*, *expergiscor*, *comminiscor*, *adepiscor* vel *indepiscor*[44], *obliviscor*. Meritoque haec quoque verba, licet quaedam ex his derivativa[45] sunt a nominibus, tertiam coniugationem non ef-

negotium, *gratior gratia* P.; nomina omittunt itidem Cod. et Cam. quemadmodum in supp. — 25) *Auxilior auxilium*, *opitulor opem tuli*, *rimor rima*, *peregrinor peregrini*, *miror*, *dignor dignus*, *adversor adversus*, *testificor testificus*, *et sim.* P. In omittendis nominibus consentiunt Cod. et Cam.; in reliquis dissentiunt paullum. Cam. *rimor vel eregrinor*, haud dubie ex errore operarum. *Testor* om. Cam. — 26) *Loquor*, *sequor* Cam. P. Tum *quaeror* ex err. Cam. qui error ad calcem editionis a Cam. corr. — 27) *Nitor* abest a Cod. absorptum haud dubie a seq. voc. — 28) *Originis nominum occ.* Cam. et P. *nominum* in Cod. ab alia m. ascr. — 29) *Idem autem in superioribusque relatis* Cam. *Idemque etiam hoc in superioribus relatis.* Optime Cod. uti dedimus. — 30) *Quia* Cam. P. *quod* diserte Cod. — 31) *Communione carent* Cam. et P. — 32) *Patior e* ex typ. errore apud P. — 33) *Sequor*, *exsequor*, *loquor* Cod. sed expuncta voce ultima, quam ignorant Cam. et P. *exequor* Cam. P. — 34) *A nominibus derivata* Cod. a rec. m. *autem* supra scr. *Ex nominibus autem der.* Cam. et P. — 35) *Penultimam nominis* Cam. et P. — 36) Cod. a pr. manu, ut dedimus. Altera m. corr. *primae sunt coniuḡ hoc autem primitiva*, quod secutus est P. nisi quod *coniuḡ.* omisit. Cam. cum pr. m. Cod. facit. — 37) *Et* addidi e Cod. et Cam. — 38) *Neutralibus fieri praediximus.* Ita Cod. et Cam. nisi quod Cam. *neutris.* Plura exhibet P. *neutris*, *derivata Io terminata quartae primitiva*, *fieri pr.* — 39) *Superioribus* P. Ceterum verba ista omnia: *paucis illis* — *desinentibus* et interposita desunt in Cod. sed ab eadem manu in margine scripta reperiuntur. Eadem desiderantur apud Cam. praeter vv. *exceptis etiam in cor communibus des.* quae leguntur. — 40) *Ut ab tertia redeuntibus exceptis* P. *ad tertiam redeuntibus primitivis exc.* recte Cod. — 41) *Communibus* h. l. interponunt Cam. et P. quod abest a Cod. — 42) *Sunt seu* Cod. *s. sive* Cam. *sive* omisso *sunt* P. — 43) *Paciscor* addunt Cam. et P. quod in Cod. a ser. m. ascr. — 44) *Adepiscor vel indepiscor.* Ita scripsi e Cod. ubi *adaepiscor ū indepiscor* expunctis litteris *ind* et suprascripto v. *antiqui.* Male. Nam *ū* non est *ut*, neque *vel ut*, seds impliciter *vel Adipiscor*, *vel ut antiqui apiscor* Cam. et P. — 45) *Derivata* Cam. et P.

fugerunt, quae unam in *sco* terminationem, tam in [1] derivativis, quae formae sunt inchoativae, quam primitivis, quae formae sunt perfectae, sola possidet; semelque [2] hoc generaliter est [2167] observandum, quod in *io* seu in *ior* desinentia verba, vel primae sunt, cum sint [3] tantum derivativa, sed observatione primae coniugationis carentia; consonantem vero ante *o* vel *or* habentia verba, prima quidem coniugatio vindicat, quamvis [4] plerumque derivata [5], tamen habet interdum et primitiva. Tertia vero, absque in *sco* desinentibus inchoativis et communibus, vel deponentibus in *scor* desinentibus; in quibus solis terminationibus habet derivativa [6]. In omnibus reliquis finalitatibus non facile derivativa, sed primitiva tantum verba habere reperitur. Sed quia in omnibus iam ante dictis sunt tam primitiva, de quibus aliquid potest ignorari, quam derivativa [7], quorum dubia est originatio; ne quid [8] restet ambigui, placet etiam specialiter singulas ter- [2168] minationes verborum [9] scrutari. Quoniam autem [10] de verbis in *eo* vel in *eor*, in *io* vel in *ior*, in *uo* vel in *uor* [11], desinentibus iam ante dictis nihil, ut opinor, addi potest, nisi hoc quod nec secunda, quae semper in *eo* desinit, verbum potest [12] habere dissyllabum, absque *neo*, *nes*, *net* et *fleo*, *fles*, *flet* verbis, quod *nevi* et *flevi* fecerunt [13] in praeterito; unde et *beo*, *creo*, *meo*, licet in *eo* desinentia secundae deberent esse, tamen primae sunt; *eo* quoque et *queo* quartae sunt [14] coniugationis. Nec in *io* desinentia, cuiuscunque sint coniugationis [15], minus tribus syllabis esse possunt; notatis primae quidem *hio*, *hias* [16], *pio*, *pias;* quartae vero, *fio*, *fis*, *scio*, *scis*, et interdum *cio cis*, unde componitur, *excio excis* [17]; quod et *cieo* secundae coniugationis invenitur. Reliquas terminationes verborum consonantibus praecedentibus per [18] ordinem in sequenti libello contemplabimur.

1) *In* addidi e Cod. — 2) Inde a v. *semelque* novum in Cod. incipi segmentum, scriptor notavit in margine his verbis: *aliud epithoma*, quod verum non esse sponte patet. — 3) Vv. *cum sint* male desunt apud P. — 4) Ita recte Cod. *Primae quidem coniugationis ratio plerumque.* Cam P. sine commodo sensu; nam verbum finitum deesse non potest. — 5) *Derivata* Cod. *derivativa* Cam. P. — 6) *Habet derivata* Cod. *habet et derivativa* Putsch. *habet et derivata* Cam. — 7) V. *verba* addunt Cam. et P. — 8) *Forte* h. l. interponunt Cam. et P. — 9) Addunt h. l. *in secundo libro* Cam. et P. — 10) *Quoniam vero* Cam. et P. — 11) *In eo vel in eor, in io vel in ior, in uo vel in uor.* Sic recte Cod. Male dissentiunt Cam. et P.: *in Eo vel in Eor, in Vo, vel in Vor, vel Io, vel Ior* exhibentes. — 12) *Habere potest* Cam. P. — 13) Cod. *absque neo nes net et fleo fles flet verbo quod nevi et flevi fecerunt in pr.* Altera manus correxit *facit.* Ego puto nihil discedendum esse a pr. m. nisi quod *verbo* in *verbis* mutandum, qui error eo ortus, quod particulam *quod* pro pronomine haberent. Cam. et P. *absque neo, nes, net verbo quod nevi facit in praeterito, et fleo, fles, flet.* Haec ex corr. — 14) *Sunt* deest apud P. — 15) *Coniugationis* addidi e Cod. — 16) *Et pio pias* Cam. et P. Copula abest a Cod. — 17) *Excio excire* Cam. et P. Paullo post *cieo cies* P. *cies* abest a Cod. et Cam. — 18) *Secundum ordinem* Cam. et P. Tum *tamen* post v. *ordinem* interponit Cam. et Cod. post v. *sequenti* suprascr. habet. Nos cum P. omisimus.

EUTYCHII GRAMMATICI

LIBER SECUNDUS[1].

1. Omnia in *bo* vel in *bor* desinentia verba quacunque vocali seu consonante praecedente, primae sunt coniugationis, ut *libo*, *libas; probo*, *probas; orbo*, *orbas; titubo*, *titubas; cubo*, *cubas; excubo*, *as*[2]; *subo*, *subas.* Horatius dixit[3] in Epodo:

Iamque subando.

Excipiuntur pauca quae ad tertiam coniugationem correptam perveniunt[4]. *A* quidem antecedente longa unum deponens invenitur, ut[5] *labor*, *laberis*, unde

Labitur uncta vadis abies[6];

apud Virgilium VIII. libro Aeneidos legimus; a quo et participium *lapsus* fit, quamvis sub eodem sensu etiam primae coniugationis activum vel neutrum invenitur antecedente *a*, sed brevi, ut *labo*, *as*, *at*, unde in II.[7] libro Virgilius dixit:

Labat ariete crebro
Ianua.

Scaberet etiam[8], quod tertiae personae imperfecti temporis subiunctivi modi[9] quandam speciem servans, apud Horatium in libro primo Sermonum[10] reperitur, ut:

Saepe caput scaberet vivos et roderet ungues;

notavimus[11] quasi tertiae coniugationis, licet nullum eius alium motum apud aliquem interim cognovimus; nisi infinitivum *scabere* apud Menippeum[12] Varronem in Catamito; quod venire [2169] a positione verbi, quod est *scabio* vel *scabo*, unde *scabies* nomen est derivatum[13], verisimile potest existimari[14]. *I* vero antecedente[15], haec sunt tantum tertiae coniugationis, brevi quidem ut *bibo*, *is;* longa vero ut *scribo*, *is.* Item vocali longa antecedente unum est tertiae[16], *nubo*, *is.* *M* vero[17] antecedente duo sunt, ut *lambo*, *bis*, unde Virgilius II. libro Aeneidos dixit:

Lambere flamma comas[18];

et a[19] verbo *cumbo*, quod simplex in usu non est, composita[20], ut *incumbo*, *bis*, *procumbo*, *bis*,

1) Codex uno tenore ad superiora adiungit: *Explicit lib. I. incipit. II.* Praeterea inscriptio nulla in Cod. *Liber secundus Eutychis de indicatione finalitatis specialium regularum* Cam. et P. quae sunt a male sedulo adiecta. — 2) *Succubo succubas* addit h. l. P. — 3) *Horatius in Epodo — refert* Cam. et P. Locus Horatii est Epod. XII, 11. — 4) *Quae ad tertiam perveniunt coniugationem* Cam. et P. In Cod. vulgata a ser. manu est restituta. — 5) *Ut* adiectum e Cod. — 6) Virg. Aen. VIII, 91. Tum *in libro VIII. Aen.* Cam. et P. — 7) *Unde II. lib. Virgil.* Cam. et P. Locus Virg. est Aen. II, 492. — 8) *Scaberet etiam.* Pro his in Putschiana ex interpretatione leguntur: *Excipitur scabere ex prima coniugatione, ne quis putet primae coniugationis; sed etiam*, quae ignorant Cod. et Cam. — 9) *Est* intrudit h. l. P. — 10) *In I. libro Serm.* Cam. et P. Locus Hor. est Sat. I, 10, 71. — 11) *Notamus* Cam. — 12) *Menippaeum* P. Deest h. v. in Cam. *Menippeum* recte Cod. Hunc locum fragmentis Varronis adnumerato. — 13) *Derivatum et* Cod. Cam. *et* abest recte a P. — 14) *Existimari potest* Cam. P. Ordo noster e Cod. — 15) *Antecedente bo* Cam. P. Porro Cod. *haec tamen sunt tertiae.* — 16) *Coniugationis ut* addunt Cam. P. — 17) *Consonante* intrudunt Cam. P. — 18) Virg. Aen. II, 684. In Cod. et Cam. est: *libro V. Aeneidos.* — 19) Deest praepositio in Cod. — 20) *Sunt* additur in Cod. et Cam.

accumbo, *bis*, *succumbo*, *bis*, quorum [1] primitivum sine *m* enuntiatur [2], tamque [3] simplex, quam compositum sine *m* prolatum, primae coniugationis est, ut *cubo*, *bas; incubo*, *bas; procubo*, *bas; excubo*, *bas* [4].

2. In *co* desinentia verba, primitiva seu derivativa, quacunque vocali antecedente, primae sunt coniugationis, ut *placo*, *as; vaco*, *as*, *neco*, *seco* [5], *plico*, *mico*, *dimico* [6], *emico*, *frico*, *dico* penultima brevi, cuius futurum in I. lib. [7] Virgilius posuit:

Connubio iungam stabili propriamque dicabo.

Unde *dedico*, *indico*, *abdico* componuntur. *Albico*, *cas*, item [8] Horatius carminum libro I.:

Nec prata canis albicant pruinis [9].

Vellico, *as*, item Sermonum libro [10] primo:

Vellicat absentem Demetrius.

Claudico, *claudicas; vindico*, *cas; duplico*, *cas; eradico.*

Terentius in Andria:

Dii te eradicent, ita me miseram territas [11].

Mendico, *suffoco*, *loco*, *voco* [12], quod penultimam nominis longam in verbo corripuit. Notatur tertiae, *coco*, *cocis*, et quae ab eo componuntur, *decoco*, *percoco*, *incoco* [13], cui verbo licet nomen adhaeret *cocus*, tamen non ab eo verbum, sed a verbo nomen deduci monstratum in supradictis sufficienter existimo. Excipiuntur pauca etiam, quae tertiae [14] sunt coniugationis, differentiae caussa. *I* quidem vocali longa antecedente, *dico*, *cis*, id est *narro*, ut distet ab eo [15] [2170] cui brevis *i* antecedit, et sensu et coniugatione et tempore. Unde merito suis respondent primitivis ab utroque composita, ut *edico*, *cis*, *praedico*, *cis;* longitudinem primitivi servans, tertiae est coniugationis [16], praeteritum perfectum tempus in *xi* faciens, ut *praedixi*, quando, quod Graece προλέγω [17], monstrat. *Praedico* autem, *praedicas*, item brevitatem primitivi servans, a prima [18] est, praeteritum perfectum tempus in *avi* faciens, ut *praedicavi*, cum, quod Graece κηρύσσω, significat, et *indico* tam *indicis* longa *i* antecedente, ut [19] apud Virgilium lib. I.:

Et divum templis indicit honorem [20];

apud eundem libro VII.:

Hoc et tum Aeneadis indicere bella Latinus [21];

ex quo [22] perfectum *indixi* fit, ut Lucanus lib. II.:

1) Pro v. *quorum* in Cod. *cu'* (*cuius*) sed correctum in ora libri *quorum*. In Cam. desideratur pronomen. — 2) *Enuntiatur* Cod. *enuntiatum* P. Omnis locus in Cam. ita se habet: *succumbo*, *is*, *primitivum sine m prolatum*; omissis reliquis. — 3) Cod. *tamq.* (sic) i. e. *tamque*, quod dedimus; *tam* P. — 4) *Excubo*, *bas* addita e Cod. — 5) *Plico*, *seco* hoc ordine P. *plico sero* Cam. — 6) *Demico* Cod. a pr. m. sed corr. *dimico.* — 7) *Aeneidos* add. P. Cam. Locus est Virg. Aen. I, 73. — 8) *Albico item cas* Cod. male. — 9) Horat. Od. I, 4, 4. Ceterum Cod. *haec prata* cet. — 10) *Lib. I.* P. Locus est Horat. Serm. I, 10, 79. ubi editi exhibent *vellicet.* — 11) Terent. Andr. IV, 4, 22. In Cod. insulsum interpretamentum supra vocem *Andria: virili arte.* Tum Cod. *miserum.* — 12) *Mendico as*, *suffoco as*, *loco as*, *voco as* Cam. P. — 13) *Notatur tertiae coniugationis coquo coquis — decoquo is*, *percoquo is*, *incoquo is.* Cam. et P. nisi quod in Cam. *praecoquo*, pro *percoquo.* — 14) Cod. *tertiae quae sunt*, sed signis appositis ordo correctus. — 15) *Verbo* addunt Cam. et P. — 16) *Coniugationis* additum e Cod. — 17) *Quod graeci dicunt* προλέγω Cam. P. Graecum verbum in Cod. satis clare scriptum. — 18) *A prima est*; ita Cod. *primae est* Cam. P. — 19) *Legimus* addunt Cam. et P. — 20) Virg. Aen. I, 632. — 21) Virg. Aen. VII, 616. Vv. *et tum* in Cod. supra versum scripta. — 22) *Praeteritum* addunt Cam. P. — 23) Lucan. Phars. II, 4. — 24) V. *uvida* a rec. m. ascriptum in Cod. Locus est Hor. Od. I, 5, 14. seqq. — 25) Cod. a pr.

Indixitque nefas[23]*;*
quam *indicas*, ut apud Horatium Carminum lib. I.:

— Me tabula sacer
Votiva paries indicat, uvida[24]
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

et apud Ovidium in XI. libro Metamorphoseon:

Omnia servavit, lapidis color indicat illum[25].

Apud eundem in XII.[26]:

Cornua fronte gerit; quem vobis indicat auctor[27];

ex quo[28] perfectum fit *indicavi*. *Duco* quoque *u* longa antecedente, tam in simplici[29], quam in omnibus compositionibus tertiae coniugationis est[30], *abduco*, *cis; adduco*, *cis; subduco*, *cis*, *educo*, *educis*, id est, extraho. In una tantum[31] compositione *educo u* brevi profertur, differentiae caussa, significans nutrio, et tum[32] solum primae est coniugationis, ut apud Virgilium[33] libro X.:

Quatuor hic iuvenes, totidem quos educat Ufens.

Tamen videtur *educo*, *educas*, verbum rationabilius a nomine[34] verbali, quod est *dux*, *ducis*, derivatum, iure primae esse coniugationis, ut tempus etiam nominis in penultima verbi servatum significat.

3. Consonante quoque quacunque absque *s* antecedente in *co* finita verba, primae [2171] sunt coniugationis, ut *pecco*, *as; calco*[35], *sulco*, *mulco*, *trunco*[36]; Lucanus in libro VI.[37]:

— Caesorum[38] *truncare cadavera regum;*

ex quo componitur *obtrunco*, *obtruncas*. Sic etiam verbum *inesco*, *cas*, quod Terentius in Adelphis ponit[39]:

Nescis inescare homines Sannio;

primae est coniugationis, licet *s* habeat ante *co*[40], quia a nomine *esca* deductum, tam nominis servavit[41] scripturam in verbo, quam regulam a nomine derivatorum verborum. Notatur tertiae, *vinco*, *vincis*, et ab eo composita, *convinco*, *convincis; devinco*, *devincis; parco* quoque quod solum *r* ante *co* habens tertiae coniugationis est. *S* vero antecedente, si quidem sint inchoativa, tertiae sunt sine dubio, ceu praedictum est, coniugationis, ut *borresco*[42], *tepesco*, *calesco*, *erubesco*, *is*,

m. *indicat et illud*; sed rasura corr. *illum* extrita *et* coni. Locus est Ovid. Met. XI, 405. — 26) *Libro* addunt Cam. P. — 27) Ovid. Met. XV, 596. In Cod. a pr. m. est *geritq.* (sic) *vobis ille indicat;* sed correctum *gerit quem*, ut est apud Ovidium, et v. *ille* expunctum. *Quae* Cam. P. Ceterum in editis apud Ov. *augur*, pro *auctor*. — 28) *Praeteritum* addunt Cam. et P. — 29) *Simplicitate* solus P. — 30) *Ut* interponunt Cam. P. — 31) *Tamen* P. *in unam tamen* (tra) Cam. Ceterum Cod. vitiose: *educo inde educis ex hoc* (sic) *in una tantum*. — 32) P. Cam. *et cum solum*. In Cod. *et m̄i* (sic) *tum solum*. Recipiendum erat *tum*. — 33) *In* add. Cam. P. Locus Virg. est Aen. X, 518. — 34) *Deductum* intrudit solus P. *A nomine verbi* Cam. *verbiali* etiam Cod. quod corrigendum putavi. — 35) *Calcas* add. in Cam. P. — 36) *Truncas* add. in Cam. P. — 37) *Libro VII*. Cam. P. Recte Cod. numerum exhibet. Est enim libri VI, v. 584. — 38) Male v. *bello* hic interponunt Cam. P. quam vocem ignorant Cod. et Edd. Lucani, ubi versus sic legitur: *Sanguine; caesorum truncare cadavera regum*. — 39) In Cod. supra v. *Adelphis* insulsa legitur glossa: *fraternis scripturis*. Ceterum *posuit* exhibet solus P. Tum in Cod. v. *Nescis* voci *inescare* a rec. m. suprascriptum; idem deinde porro *homines insanio* exhibet. Locus est Terent. Ad. II, 2, 12. ubi Bentleius *non scis*. — 40) *Licet habeat s ante co* hoc ordine Cam. P. — 41) V. *servavit* in Cod. suprascr. — 42) *Timesco* interponit solus P.

quae non solum a verbis secundae coniugationis, sed etiam a verbis primae coniugationis, ut[1] *labo*, *labas*, quod est primae, *labasco*, et, licet raro, a nominibus etiam derivata inveniuntur, ut *vesperusco*, *iuvenesco*, *glisco;* et si non sint a verbis, tamen inchoativa sunt. *S* ante *co* habentia, si non[2] a nominibus derivantur, tertiae sunt similiter[3], *pasco*, *pascis*, *pavi; cresco*, *crescis*, *crevi; compesco*, *compescis*, *compescui; disco*, *discis*, *didici; adsuesco*, *adsuevi*[4]; *posco*, *poposci; quiesco*[5], *quievi;* unde nomen derivatum[6], *quies*, *quietis*, quod *inquieto*, *inquietas*, verbum primae coniugationis facit[7], rationabiliter syllabis genitivi nominis respondens. Praedicta autem verba non esse inchoativa praeteritum perfectum tempus ostendit; *inesco* vero, *inescas*, ut[8] nec inchoativum, nec primitivum, sed a nomine *esca* deductum, iure primae coniugationis est[9]. In *cor* desinentia, cuiuscunque sint generis vel significationis, nisi *as*, vel *es*, vel *is*, ante *cor* inveniatur, primae sunt coniugationis, quacunque vocali seu consonante antecedente, ut *precor*, *caris; suspicor*, *ris; ludificor*, *ris; iocor*, *mercor*, *graecor*[10]; Horatius in Sermonum libro secundo:

> — *Vel si Romana fatiget*
> *Militia adsuetum graecari*[11].

Bacchor quoque *baccharis*, ut Virgilius Aeneidos libro IV.:

> *Bacchatur qualis commotis excita sacris* [2172]
> *Thyas*[12].

Est et[13] *stomachor*, *stomacharis*, ut Terentius in Eunucho:

> *Id equidem adveniens mecum stomachabar modo*[14].

Licet in *chor* aspiratum desinunt, ut a nominibus *Baccha*, *stomachus*, derivata; tamen huic regulae sunt imputata[15], et ad primam iure pertinent coniugationem. *As* autem vel *es*, vel *is*, ante *cor* inventa, etiamsi a nominibus deducantur, sine dubio tertiae sunt, ut dictum est, coniugationis, ut *nuscor*, *irascor*, *vescor*[16], *ulciscor*, *nanciscor*, *paciscor*, *comminiscor*, *adipiscor*, *obliviscor*, *expergiscor*[17].

1) Vv. *verbis primae coniugationis*, *ut*, ab antiqua manu in Cod. suprascripta, necessaria sunt et recipienda erant. In Cam. et P. locus ita est mutilatus: *sed etiam a labo as*, *quod est labasco.* Recte etiam Cod. *quod est primae*, *labasco.* — 2) Hunc totum locum ita exhibet P. *Et si non sint tamen inchoativa s ante co habentia si non a verbis sint*, *sed a nominibus deriventur*, cet. Cam. sic: *Et si non sint inchoativa*, *s*, *habentia*, *si non a nominibus deriventur.* Codex sic: *Et si non sint* (a verbis) *tamen inchoativa .s.* (st) *ante .co. habentia si non a nominibus derivantur.* Omnia, quae sic supra scripta sunt, ab antiqua sunt manu. Quae recte collocata et intellecta, optimam praestant lectionem. — 3) *Ut* add. a Cam. et P. — 4) *Adsuesco*, *adsuevi* ita Cod. *asuesco*, *asuevi* Cam. *assuesco*, *assuevi* P. — 5) *Quiescis* intrudit sola P. — 6) *Derivativum* P. Cam. — 7) *Facit* Codex. *fecit* Cam. P. — 8) Cod. *ut nec est inchoativum.* Cam. *ut nec inch.* recte idque dedimus. P. omittit *ut* et *est.* — 9) *Coniugationis est* Cod. *est coniug.* Cam. P. — 10) Glossa in Cod. *luxurior.* — 11) *Adsuetum* Cod. *assuetum* Cam. P. Locus est Hor. Serm. II, 2, 11. Ceterum in Edd. Horatii plerumque *fatigat* indicativo. Glossae in Cod. ad v. *graecari* etiam h. l. ascriptae: *iocari*, *ludere*, *luxoriari.* — 12) Virg. Aen. IV, 301. Ceterum *Thyas*, non *Thyias*, in Cod. — 13) *Est et* haec desunt apud Cam. et P. — 14) Terent. Eunuch. II, 3, 31. *Id* in Cod. deest, sed pro eo *idem* supra versum scriptum. — 15) *Imputanda* Cam. P. *imputata* Cod. — 16) *Irascor*, *vescor*, *ulciscor*, *nanciscor*, *paciscor* ita Cod. *irascor*, *ulciscor*, *vel paciscor* Cam. P. — 17) Addunt h. l. *nanciscor* Cam. P. Ceterum in Cod. *adaepiscor.* — 18) *Verba* deest in Cam. P. — 19) *Subiacebunt* Cod. Cam. *subiacent* P. — 20) Codex sic: *Cicero pro .VI. roscio*, ita ut supra numeri signum legatur *p̄ n̄ n̄* i. e. *praenomen*, et supra v. *roscio*, *cog̅* i. e. *cognomen.* Est locus Cic. pro Rosc.

4. In *do* desinentia verba[18] vocali praecedente, siquidem sint a nominibus derivata, generali regula, primae subiacebunt[19] coniugationi verborum, ut *sedes*, *sedis*, *sedo*, *as; nudus*, *nudo*, *as; foedus*, *foedo*, *as; tardus*, *tardo*, *as; heres*, *exheredo*, *as;* Cicero pro Sexto Roscio[20]: *Exheredare filium pater cogitabat. Lapis*, *lapido*, *as;* ex quo componitur *dilapido*, *das*; Terentius in Phormione[21]:

Priusquam dilapidet nostras triginta minas.

Fraus, *fraudo*, *as; laus*, *laudo*, *das; cor*, *concordo*, *as; udus*[22], *udo*, *das*; et ab eo videtur quasi subudo per syncopam *sudo*, *sudas*, factum, unde *sudor* nomen derivatur[23]. In *do* autem desinentia, nec a nominibus deducta, naturaliter longa vel brevi syllaba antecedente, tertiae sunt coniugationis[24], *vado*, *vadis*, *invado*, *invadis; rado*, *cedo*, *incedo*, *incedis*[25]*; pedo*, *pedis*; Horatius Sermonum lib. I.[26]:

Nam displosa sonat quantum vesica, pepedi.

Fido, *fidis; strido*, *is; laedo*, *caedo*, *inlido*, *occido*[27], quae a *laedo* et *caedo* composita longitudinem diphthongi observaveruut. *Rodo* item *rodis*[28]*; prodo*, *dis; cudo*, *dis; ludo*, *dis*[29]*;* Terentius in Heautontimorumeno[30]:

— *argentum cudo.*

Excudo, *dis; procudo*, *dis;* Virgilius Aeneidos libro I.:

Ac primum silici[31] *scintillam excudit Achates.*

Item in VI.[32]:

Excudunt alii spirantia mollius aera.

Item Georg. lib. I.:

— *durum procudit arator*[33]
Vomeris obtunsi dentem, *cavat arbore luntrem.*

Trudo, *trudis*, *detrudo*, *detrudis*, *abstrudo* et *rudo*, cuius apud Persium legimus infinitivum, rudere: [2173]

Am. c. 19. — 21) Comoediae titulo in Cod. suprascr. *commentariolo*. Locus est Terent. Phorm. V, 7, 4. Cod. exhibet: *nostras stringit animas* pro vv. *nostras triginta minas*, ut sit memorabile exemplum male distinctorum verborum. — 22) *Udi* addunt Cam. P. — 23) *Derivatur* in Cod. supra versum scriptum. — 24) *Ut* h. l. interponunt Cam. P. — 25) *Cuedo*, *incido*, *pedo* male P. *caedo*, *incaedo*, *pedo* Cam. ut dedimus recte exhibet Cod. — 26) *Horatius lib. I. Sermonum* Cam. P. Locus est Horat. Serm. I, 8, 46. — 27) Cod. *inlído occído* (sic). Addit *incido incidis* sola P. — 28) *Rodo item rodis* ita Cod. *Item rodo rodis* Cam. P. — 29) *Cudo cudis* addunt Cam. P. — 30) Cod. *inautontorumenom causam tim: e non argentum cudo excudo.* (m suprascr.) Verba tamen haec: *causam tim* — *non* a scriptore deleta sunt linea supra et subter ducta. Locus est Terent. Heautont. IV, 4, 18. — 31) *Silicis* Cam. P. *silici* recte Cod. Locus est Virg. Aen. I, 174. — 32) *Idem libro VI.* P. Recte Cod. *Item in VI.* Cam. *Item lib. VI.* Tum *Excudent* Cam. P. Locus est Virg. Aen. VI, 847. ubi recte editi futurum exhibent. Nos tamen Codicis lectionem sequendam duximus. — 33) Omnis hic locus in Cod. ita est comparatus: *vomeris obtonsi dentèm: arbore.q. aduntem* (:canat suprascr.) (correctum *luntrem*; gtaidim suprascr.). *trudo trudis detrudo abstrudo et rudo* (sic) *èt* (sic) *cuius apud Persium legimus infinitivum rudere* cet. Alterum illud suprascriptum vocabulum potest etiam *gluidim* legi, quod puto esse barbaram glossam ad v. *rudere*, cuius tamen patriam non habeo dicere. Cam. et P. ita haec praebent: *Vomeris obtusi dentem*, *cavat arbore lintres. Trudo trudis*, *deturdo deturdis* (ita P. ex typographi errore; recte Cam.) *abstrudo*, *obtrudo*, *et rudo cuius apud Persium legimus infinitivum rudere* cet. Edendum igitur e Cod. *obtunsi*, *luntrem*, omittenda vv. *obtrudo* atque *et* ante v. *cuius*. Virg. Georg. I, 261. seq.

Findor ut Arcadiae pecuaria rudere credas[1].

ut est ex participio eius, quo Virgilius utitur, suspicari[2]. Aeneidos enim libro III. dicit:

— *primusque rudentem*
Contorsit laevas proram Palinurus ad undas[3].

Item[4] lib. VII.:

Hinc exaudiri gemitus iraeque leonum,
Vincla recusantum, et sera sub nocte rudentum.

Item Georgic. lib. III.:

Comminus obtruncant ferro, graviterque rudentes
Caedunt[5].

5. Nomen quoque, quo navis funes significantur, id est rudentes, non aliunde nisi a *rudo*[6] reor deductum, ut idem docet Virgilius in I. libro[7] dicens:

Insequitur clamorque virum stridorque rudentum[8].

Plaudo, dis, cludo vel *claudo*[9], *dis; cado* quoque *cadis*, licet antecedens *a* corripitur[10], tertiae coniugationis. Et *occido, occidis, incido, incidis, decido, decidis* etiam, quando a *cado* sunt[11], *i* tantum penultima correpta[12]. *Edo* quoque *es*[13] licet anomalum est per personas, et *divido, dividis*, quamvis penultimam corripit[14], tamen nihil discrepat a coniugatione. Notantur primae coniugationis duo verba producentia *i*[15], *trucido, as, formido, as*, quod in eadem voce tam verbum quam nomen significat; et unum *i* corripiens, *trepido, as*, quod a *trepidus, trepidi*[16] nomine veniens iure primae est[17]. *N* quoque ante *do* habentia tertiae sunt similiter coniugationis, ut *scando, dis; ascendo, dis; pando, dis; pendo, tendo, prehendo, incendo, offendo, findo, scindo, condo, dis; tundo*[18], *mando, fundo.* Nisi tamen[19] eiusmodi verba de nominibus derivantur[20]; tunc enim sine dubio primae coniugationis erunt, ut *unda, undo, as; inundo, as; abundo, as; exundo, as;* Virgilius Aeneid. lib. XII.:

Ad coelum undabat vertex[21]. [2174]

1) Pers. Sat. III, 9. ubi nunc plerumque editur: *Finditur; Arcadiae pecuaria rudere dicas.* Post vocem *credas* in Cod. a recentiori manu suprascripta: *ab eo nempe potest, quod est rudo dis*, quae in Cam. et P. ita leguntur: *Et ab eo verbo venire potest, quod est rudo dis*, quae apertissime interpretamentum serius additum produnt. Tum *ut est ex* Cod. *est* deest in Cam. et P. — 2) *Suspicari potest* Cam. P. Sed Cod. sic: *suspicari* (tur potest) *aeneidos*; quae suprascripta, a seriori manu sunt. Nimirum librarius sive emendator Codicis non intelligens formulam *est — suspicari* varie aggressus est locum mutare, unde omnis corruptio huius loci orta. — 3) Virg. Aen. III, 561. seq. — 4) *Item* Cod. Cam. *Idem* P. Tum Cam. *libro quarto.* Cod. et P. *lib. VII.* Est locus Virg. Aen. VII, 15. — 5) Virg. Georg. III, 374. — 6) Vv. *nisi a rudo* addidi e Codice. Desunt in Cam. P. — 7) *In libro I.* P. *in libro primo* Cam. — 8) Virg. Aen. I, 87. — 9) *Cludo vel claudo* Cod. *Claudo claudis, vel clodo dis* Cam. *Claudo claudis, vel cludo dis* P. — 10) *Corripiatur* Cam. P. Paullo post *tertiae est coni.* Cam. P. *Est* ignorat Cod. — 11) *Quando a cado sunt:* sic Cod. a pr. manu, recentior manus: *si quando composita a cado sunt*, vv. *si* et *composita* suprascriptis. *Quando composita a cado sunt* Cam. P. — 12) *Est* addunt Cam. P. — 13) *Vel edis* addunt Cam. P. Tum *anomalon sit* Cam. P. *anomalum est*, ut dedimus, Cod. — 14) *Penultima corripitur* P. *penultimam corripuit* Cam. et Cod. a rec. man. *penultimam corripit* Cod. a pr. m. — 15) *Ut* interponit P. *verba procedentia, id est, trucido* Cam. — 16) *A trepidus trepido* Cod. *a trepidus, trepidi* recte Cam. P. — 17) *Coniugationis* addunt Cam. et P. — 18) *Condo distundo* cum glossa *tero* Cod. *Condo tundo* P. *Tundo* om. Cam. Tum *mado* typographi errore P. — 19) *Nisi tamen* Cod. P. *nisi cum* Cam. Tum pro *eiusmodi*, quod Cod. exhibet a pr. m., correctum in eodem *huiusmodi.* Sed *eiusmodi*

Idem in eodem:

— *hinc densi rursus inundant*[22].

Idem in IIII. lib. Georgicon:

Ergo apibus fetis idem[23], *atque examine multo*
Primus abundare, et spumantia cogere pressis
Mella favis.

Foecundus, *foecundo*, *as*. Idem in eodem:

Et viridem Aegyptum[24] *nigra foecundat arena.*

Secundus, *secundo*, *as*. Idem Aeneidos lib. III.[25]:

Rite secundaret visus, omenque levaret.

Ab eo quoque[26], quod est *menda* vel *mendum*, nomine[27] (utramque enim terminationem veteres usurpant; Cicero in Praetura Siciliensi[28]: *Quod mendum ista litura correxit.* Ovidius artis amatoriae lib. I.:

Nocte latent mendae vitioque ignoscitur omni[29].

Idem eiusdem[30] lib. II.:

Eximet ipsa dies omnes ex corpore mendas);

verbum fit[31] *emendo*, *as;* ut Iuvenalis lib. V.:

— *Et tamen uno*
Semodio scobis haec emendat servulus unus[32].

et Statius Thebaid. lib. I.:

— *quo tempore tarde*
Terrarum furias abolere, et secula retro
Emendare sat est[33].

Sed etiam differentiae significationis caussa tam primae quam tertiae quaedam ex his inveniuntur,

etiam Cam. P. — 20) *Derivantur* Cod. *deriventur* Cam. P. — 21) Virg. Aen. XII, 673. ubi plerumque editur *vortex*. — 22) Virg. Aen. XII, 280. In Cod. est *inundabant*, sed correctum. Ibidem pro interpretamento a seriori manu supra versum scriptum *fluctus*, relatum ad adi. *densi*. — 23) Cod. ab antiqua manu:

Ergo apium atque examine cet. sed a rec. m. illa *p* suprascripta puncto apposito deleta, et haec ascripta: *apibus fetis idem*. Est locus Georg. IV, 139. seqq. — 24) Cod. *Idem in eodem virilem etus secundus* cet. Sic ab antiqua manu; sed correctum: *Et viridem aegyptum nigra fecundat harena*. Est locus Virg. Georg. IV, 293. — 25) *Aeneid. lib. IV.* P. *aeneidos libro IIII.* Cam. Recte Codex, ut dedimus. Tum *secundarent — levarent* Cam. P. quemadmodum apud Virgilium legitur. Sed Cod. diserte *secundaret — levaret* singulari numero. Locus est Aen. III, 36. — 26) *Ab eo quoque.* Ita Cod. Cam. *Et*, *sive ab eo quoque* male P. — 27) *Nomine.* Ita Cod. et Cam. *nomen* P. — 28) Cicero Act. II. in Verr. lib. II, cap. 42. In Cod. est *litora*, i. e. *litura*, quod dedi. *Littera* Cam. *litera* P. — 29) Ovid. A. A. I, 249. — 30) *Idem in eodem* male Cod. *Eiusdem* Cam. P. quod retinui. Locus est Ovid. A. A. II, 653. *Et eximet* Cod. — 31) *Verbum ex eo fit* Cod. — 32) Iuvenal. Sat. XIV, 66. seq. Lectio apud Iuvenalem fluctuat inter *scrobis* et *scobis*. Cod. noster *scobis* atque ita etiam Cam. P. „Iuvenalis satirae sedecim in multis Codd., tam scriptis quam editis, distribuuntur in quinque libros, quorum primus quinque priores, secundus sextam, tertius septimam, octavam et nonam, quartus decimam, undecimam et duodecimam, quintus tres ultimas complectitur. Hi libri laudantur iam a Prisciano et a vetere Scholiasta ad Sat. III, 240.“ *Rupert. in Ed. Iuv. tom. I, pag. CLXXV.* — 33) Statius Theb. I, 268. *Tarde* Cod. *tandem* Cam. P. et libri apud Statium. Tum in Cod. est: *Emendare facta* supra scriptis his: *en sat*

ut *mando*, *mandis*, id est manduco [1], ut primitivum, tertiae [2]; *mando* [3], *mandas*, quasi [4] *manum do*, id est *permitto*, quasi derivativum vel compositum. primae; unde etiam *amendo* [6], *as*, *commendo*, *as*, facta sunt. Idem quod ad fusionem quidem attinet, *fundo*, *is*, ut primitivum, tertiae, unde *fundus* nomen, id est ager, derivatur, quod fundit nobis fructus; et est aliud [7] nomen *fundus*, quod altitudinem significat; *fundo* [8], *das* verbum, id est, fundamenta pono, quod a nomine quod est *fundus*, id est, *πυθμήν*, derivatur, unde et *profundus* componitur, a quo [9] *fundamenta* dicuntur, iure primae coniugationis est.

6. Verbum vero monosyllabum *do*, *das* simplex quidem, primae [10] est, et si [2175] cum adverbiis vel dissyllabis praepositionibus componatur, servat [11] coniugationem, ut *circumdo*, *circumdas*; *pessumdo*, *as*; cum monosyllabis autem praepositionibus, vel cum nominibus [12] compositum, tertiae fit coniugationis, ut *trado*, *dis*, *reddo*, *dis*, *dedo* [13], *dis*, *perdo*, *dis*, *prodo*, *dis* [14]. Sic etiam *credo*, *vendo*, a *cretum do* et *venum do* [15], ut quidam putant, conposita sunt. Sed quamvis praeter consuetudinem sit Latinorum verborum [16], ut eadem manente finalitate, compositio sola mutet coniugationem; videtur tamen hoc imitatione Graeca mutatum, apud quos simplex quidem verbum circumflexum *ὁρκῶ*, *ὁρκοῖς* tertiae, compositum autem *εὐορκῶ*, *εὐορκεῖς*, *ἐπιορκῶ*, *ἐπιορκεῖς*, primae est; simplex Graecum *συλῶ*, *συλᾷς* secundae; compositum vero *ἱεροσυλῶ*, *εῖς* [17] primae circumflexorum est coniugationis. Quod perspicaciores Graecorum rem tuentes [18] adfirmant huiusmodi verborum declinationes non a verbis simplicibus, sed magis a nominibus compositis, *εὔορκος*, *ἐπίορκος*, *ἱερόσυλος*; inde [19] composita verba [20] facta, verbis in declinatione non respondere primitivis. Ex quo mihi [21] videtur *do* verbum in simplicitate praeter regulam declinatum, suam in compositione cepisse [22] proprietatem. Primitivum enim [23] existens tertiae debuit esse coniugationis, quia in *do* desinentia verba tunc tantummodo primae sunt coniugationis, cum a nominibus derivantur; primitiva vero tertiae solius, ut [24] ante lata demonstrant exempla. Quod igitur, cum circumflexum esset et monosyllabum [25], perdidit, ut non esset tertiae, sed primae coniugationis, more scilicet aliorum monosyllaborum, sicut *no*, *nas*, *nat*; *flo*, *sto*; *for*,

laborat, quae quid sibi velint nescio. *Emendare sat est* Cam. P. et libri Statiani. — 1) Vv. *id est manduco* in Cod. a ser. manu suprascripta sunt. — 2) *Coniugationis est* addunt Cod. et Cam. — 3) *Autem et* male intrudunt Cam. et P. — 4) *Quasi in manum do* Cam. et P. Praepositionem ignorat Cod. — 5) *Est* addunt Cam. P. — 6) Male *emendo* Cam. P. *amendo* Cod. i. e. *amando*. Nisi forte eodem modo recte dicitur *amendo*, ut *commendo*, in qua sententia est Heinrich. ad Cic. orat. pro Scauro Fragmm. pag. 205. ed. Beier. — 7) *Et est aliud nomen fundus* rectissime Cod. *At aliud est n. f.* Cam. P. — 8) *Vero* intrudunt Cam. P. — 9) *A quo fund.* Cod. *a quo et f.* Cam. P. *Et* suprascr. in Cod. a ser. m. — 10) *Coniugationis est* P. *Est coniugationis* Cam. — 11) *Suam* interponunt Cam. P. — 12) Codex mendose: *vel communibus*. — 13) *Dedo* in Cod. suprascr. sed ab antiqua manu. — 14) *Tendo* addit Cam. *tendo*, *is* P. — 15) Haec ita in Cod. *vendo ac redundo et venundo ut quidam* cet. Cam. *vendo a cretum et do ut quidam p.* Iam vide quanto mendosiora haec apud P. *vendo redundo et venundo a cretum ac venum et do ut quidam putant*. Apertum enim est, una litterula mutata verissimam esse codicis scripturam eamque retinendam: *vendo*, *a cretum do et venum do ut q. p.* cet. — 16) Hoc loco, ut videtur ante vv. *ut eadem* haec in Cod. suprascripta leguntur: *non nisi in verbo quod edo tantum videtur*, quae quo referam non habeo dicere. Item paullo post, ante v. *finalitatem* ab alia manu additum *interim*, quod pariter alienum esse videtur. — 17) Graeca haec omnia satis clare scripta in Cod. omissis tamen spiritibus et accentibus. Ante v. *συλῶ* e Cod. interposui *Graecum*. — 18) *Rem tuentes* ita scripsi e Cod., ubi est *renituentes*, ut puto; nam quia punctum supra *i* deest, etiam *rem tuentes* voluisse potest librarius, id quod dedi. Correctum tam *refutantes* a rec. m. idque exhibent P. Cam. — 19) *Inde* Cod. Cam. *unde* P. *inde videntur* Cam. — 20) *Verba graeca* sola P. — 21) *Quoque* addunt Cam. P. — 22) *Cepisse* Cod. *accepisse* P. *recepisse* Cam. — 23) *Enim* deside-

faris, *fatur;* id in compositione recipit, ut ad tertiam solam pertineat coniugationem, absque dua-
bus compositionibus id est *circumdo*, *as;* *pessumdo*, *as*, in quibus videntur integra servari, cum
naturaliter his in unitatem non [26] cohaeret. In *dor* desinentia primae sunt coniugatio- [2176]
nis [27], *vador*, *praedor*, *verecundor*.

7. In *go* vel in *gor* desinentia verba ex antecedentibus litteris dinoscuntur. *A* igitur ante finalem habentia syllabam, primae sunt coniugationis, ut *propago*, *as*, *vagor*, *vagaris*[28], *refragor*, *garis*. Notatur [29] tertiae [30], *ago*, *agis* ut primitivum, et ab eo composita, sive servent *a* in compositione, ut *perago*[31]*;* seu mutent eam, ut *exigo*, *subigo;* seu penitus excludant, ut[32] *cogo*. *E* ante *go* praecedente tertiae sunt, ut *lego;* *dego*[33] etiam *degis* ab *ago* compositum. Excipiuntur[34] *nego*, *negas*, *lego*[35], *legas*, *e* longam habens, ad differentiam primitivi[36], et a nomine, quod est *lex*, *legis*, derivatum. *Lego* enim[37] legitime et iure servans *e* longam nominis, primae est coniugationis[38]. *Allego*[39] quoque et *ablego*[40] et *relego*, licet aliud significare videntur, eiusdem sunt coniugationis, ut a *lego*, quod penultimam longam habet, derivata. Ut Virgilius [41] in III. lib. Georgic.:

Atque ideo tauros procul atque in sola relegant
Pascua.

Terentius in Andria:

Ne[42] *a me credas allegatum hunc senem.*

Cicero Verrinarum IV. lib.: *Causam sese dimisso atque ablegato consilio defensurum negavit* [43]. Lucanus:

— *dum bella relegem*,
Extremum Scythici transcendam frigoris axem [44].

Statius Achilleidos I. lib.[45]:

ratur in Cod. — 24) *Haec ante lata* P. abest pronomen a Cod. et Cam. — 25) *Circumflexum esset et monosyllabum* Cod. Cam. *circumfl. esset, do ipsum ut monos.* P. — 26) *Non sic coheret* Cam. *Non sic cohaeret* P. *Sic* abest a Cod. — 27) *Ut* addunt Cam. P. — 28) *Indagor* h. l. additum in Cod. a ser. m. a Cam. et P. receptum est. Male; est enim activum *indago*, neque inveniri videtur *indagor* deponens. — 29) *Notatur* Cod. *notantur* Cam. P. — 30) *Coniugationis* addunt Cam. P. — 31) *Circumago* Cam. P. *perago* Cod. Statim post *sive* Cam. P. *seu* Cod. — 32) *Ut dego*, *cogo*. Cam. P. *Dego* in Cod. a ser. manu ascr. quod recte omittitur, quia paullo post commemoratur. — 33) *Dego etiam degis* Cod. *dego is etiam* Cam. P. — 34) *Excipitur* Cam. P. *excipiuntur* Cod. — 35) *Enim* male additur in Cam. P. et, si recte enotavi, etiam in Cod. Sed omittendum esse, docet verbum *excipiuntur* omnisque orationis tenor. — 36) *Lego is* intrudunt Cam. P. — 37) Lego *enim legitime et iure servans e longam nominis* ita rectissime Cod. Cam. nisi quod Cam. *longam e* ordine inverso. Pro quibus haec in P. *Lego enim legas longitudinem legitime et iure servans nominis*, cuius corruptionis fontem monstrat Cod. ubi post v. *enim* litterula quaedam legitur quae esse videtur *ē*, sic, lineola supra ducta. Sed eadem magno puncto *imposito* deleta est. — 38) *Est coni.* Cod. *Coni. est* Cam. P. — 39) *Allego quoque* cet. Haec desunt in Cod. usque ad vv. *a lego*, aberrante librario ab *allego* ad *a lego;* ita ut oratio ita manca procedat: *allego quod penultimam.* — 40) Hoc loco rursum *quoque* intrudit P. quod recte ignorat Cam. — 41) *Ut Virgilius* Cod. *ut* om. Cam. P. Locus Virg. est Georg. III, 212. — 42) *Ne* abest a Cod. tuentur tamen Cam. P. Locus est Terent. Andr. V, 3, 28. ubi tamen ordo est: *Ut ne credas a me allegatum hunc senem.* — 43) Cic. Act. in Verr. II, lib. II, 30. Ceterum *caussam* P. *caussam esse* Cam. *causam sese ipso atque* Cod. *dimisso* recte cum libris Ciceronis Cam. et P. — 44) Lucan. Phars. VI, 324. seq. ubi plerumque editur: *frigoris orbem.* — 45) *Achilleidos I. lib.* Cod. *Achilleid. I.* P. *Achil-*

Peleus te nato socerum et Thetis hospita iungunt,
Allegantque suos utroque a sanguine divos.

Ovidius in Ibide [1] participium ponit:

Ille relegatum gelidas Aquilonis ad oras
Non sinit exilio delituisse suo.

I ante *go* antecedente, siquidem sint ex praepositione et *ago* verbo composita, tunc enim servant primitivi coniugationem, et tertiae sunt, ut *exigo*, *ambigo*, *subigo*, *abigo*, *prodigo* [2], sicut etiam *perago*, *circumago*. Carentia vero praepositionis observatione, brevi quidem *i*, primae sunt coniugationis, ut *ligo*, *as*, *rigo*. *Litigo* quoque *as*, *remigo*, *as*, *navigo*, licet [2177] quibusdam videntur ab *ago* verbo composita, tamen quia cum nominibus sunt composita, iure primam coniugationem meruerunt. Longam *i* ante *go* habentia, siquidem trisyllaba sunt, primae sunt similiter [3]; ut *instigo*, *as*, *vestigo*, *fatigo*, *caligo*. Disyllaba [4] vero tertiae sunt [5], ut *figo*, *gis* [6], *fligo*, *gis*, unde *affligo*, *confligo* sunt composita [7]. *O* antecedente primae [8] sunt, ut *rogo*, *interrogo*. *Cogo* enim ab *ago* compositum, quod et ostendit [9] in praeterito perfecto suo *coegi* [10], servat coniugationem primitivi. *U* antecedente primae sunt, ut *fugo*, *iugo*, *conrugo* [11], *rugor*, *garis*, *nugor*, *garis;* quae a nominibus [12] *fuga*, *iugum*, *ruga*, *nugae* facta, iure sunt primae [13]. Notatur tertiae, *sugo*, *sugis*, ut primitivum. Item *n* vel *r* vel *l* [14] antecedentibus ante *go* [15], nisi sint a nominibus [16], quacunque vocali anteposita, tertiae sunt omnia [17] coniugationis, ut *tango*, *frango*, *pango*; Horatius in epistular. [18] lib. I.:

Ne cum venari volet ille, poemata pangas [19].

Plango, *fingo*, *mingo*, *ningo*, *tingo*, *extingo*, *restingo*, *cingo*, *pingo*, *stringo*, *lingo*, *ringo*,

leidos primo Cam. Est autem locus Achilleid. II, 224. seq. ubi tamen editur: *Te Peleus nato*. Tum *suos utrosque* Cam. P. sed recte Cod. ut apud Statium est *suos utroque*. — 1) *In Ibide* Cam. P. *in I. lib.* Cod. Legitur locus Ovid. Ibid. v. 11. ubi editur: *gelidos aquilonis ad ortus*. Tum pro vv. *non sinit exsilio* prima manus in Cod. *non ausus sit exliso* (sic) sed corr. ab alt. m. non *sinit exilio*, quae ipsa exhibent Cam. P. — 2) *Exigo*, *subigo*, *ambigo*, *transigo*, *adigo*, *abigo*, *prodigo*. Cam. P. Ego Codicem sequi malui. Etiam post v. *prodigo* Cam. addit *dirigo redigo*, et P. *colligo*, *dirigo*, *redigo*. — 3) *Coniugationis* add. Cam. P. — 4) *Disyllaba* Cod. Cam. *dissyllaba* P. — 5) *Sunt* interp. Cod. om. Cam. P. — 6) *Frigo* addunt Cam. et P. — 7) *Sunt composita* Cod. *composita sunt* P. *sunt* om. v. *composita*. Cam. — 8) *Coniugationis* add. Cam. P. — 9) *Compositum est*, *quod ostendit et* Cam. P. *compositum*, *quod et ostendit* dedi e Cod. — 10) *Perfecto suo coegi* Cod. *perfecto coegi suo* P. omittit *coegi* Cam. Statim sequitur *et servat* in Cam. P. Recte *et* om. Cod. — 11) Cod. a pr. m. *confugo*, *coniugo*, *conrugo*; sed *conrugo* suprascr. ab antiqua tamen m. et praepos. in duabus prioribus expuncta. *Fugo*, *iugo*, *corrugo* Cam. et P. — 12) Hic v. *venientia* male addunt Cam. P. quae recte ignoratur a Cod. — 13) *Coniugationis* add. Cam. P. — 14) *Vel l* addita e Cod. — 15) *Ante go* ita Cod. praepos. om. Cam. P. Statim sequitur in P. *ut primitiva*, quod recte abest a Cam. et Cod. — 16) *Deducta* addunt h. l. Cam. et P. — 17) *Tertiae sunt omnia coni.* Hoc ordine recte Cod. e correctione et Cam. P. *tertiae sunt om. con.* Cod. a pr. m. — 18) *Epistular.* Ita clare Cod. *Epist.* Cam. P. — 19) *Ne — pangas* Cod. *Nec — panges* Cam. P. Apud Horat. Epist. I, 18, 40. *Nec — panges* editur. Ceterum Cod. mendose: *cum venerati* (one suprascr.) (sic) *volet*. — 20) *Extingo*, *stringo*, *restringo*, *cingo*, *pingo*, *singo quod nunc singultio dicimus*, *iungo* cet. P. *Extingo*, *restringo*, *cingo*, *pingo*, *stringo*, *singo quod nunc singultio dicimus*, *iungo* cet. Cam. *Extingo restingo cingo pingo stringo lingo singo sungo iungo* Cod. a pr. m. sed *singo* correctum *ringo*, unde probabili coniectura etiam sequens verbum *rungo* rescripsi, quod verum esse, interpretamentum illud: *quod nunc singultio dicimus*, certissime comprobat. Est nimirum *rungo* primitivum vetus, unde *ructus*, *ructare*, *ructitare* deducta sunt. Tum Cod. *spungo* expuncto *s; fungo*, sed littera *r* supra ascripta. — 21) Cod. a pr. m. *derivatur et i ante o adsumens*. Sed correcta a ser. m. *derivatur ex*

rungo, *iungo*[20], *ungo*, *emungo*, *pungo*, *spargo*, *mergo*, *tergo*, *surgo*, *invergo*, *fungor*. *Purgo* enim *purgas* a *purus* nomine derivatur; et *i*[21] ante *u* adsumens *iurgo*, *iurgas*, ab eo quod est *iure urgeo* traductum; et *mulgo* etiam, a quo *promulgo*, *as*[22], componitur, a *mulga*[23] nomine deductum, merito primae sunt coniugationis.

8. Adspirationem ante *o* habentia Latina duo sunt, quae nullam occasionem derivationis[24] monstrantia, tertiae sunt coniugationis, ut *traho*, *veho*, et quae ex his componuntur, *retraho*, *subtraho*, *adveho*, *proveho*, *subveho*. Nam *triumpho*, *bacchor*, *stomachor* et Graeca sunt, et a nominibus derivata, iure primae sunt coniugationis.

Aio et *meio*, quod et *mingo* dicitur, *i* pro consonante ante o habentia, tertiae [2178] sunt, ut primitiva, et licet defectiva[25] sint, habent tamen quaedam signa tertiae. Tertia enim persona pluralis *aiunt*, et infinitivum *meiere*, apud Iuvenalem in I. lib. lectum:

Cuius ad effigiem non tantum meiere fas est[26],

indicant[27] coniugationem praedictam. Nam *scio*, *fio*[28], quae sunt quartae, et *hio*, quod primae est, *i* vocalem ante *o* habent, de quibus abunde dictum esse in antelatis[29] existimo.

In *lo* desinentia, *a* vel *e* vel *i* vocalibus antecedentibus, primae sunt coniugationis, ut *halo*, *as*, *exhalo*, *exhalas*, *anhelo*, *gelo*, *as*, *protelo*, *vigilo*, *sibilo*, *ventilo*; excepto *alo*, *is*, id est *nutrio*, intellectus caussa, ut carens gravi spiritu etiam coniugatione differat[30] ab eo quod aspiratum est primae[31] coniugationis, *halo*, *halas*, significans *spiro*, unde:

Exhalat opaca mefitim[32],

Virgilius in VII.[33] protulit. Similiter *o* etiam vel *u* antecedentibus primae sunt, ut *volo*, *as*, *dolo*, *ambulo*, *ululo*, *maculo*, *pululo*, *simulo*, *cumulo*, *exsulo*, *vapulo*[34]; excepto *colo*, *is*, quod

quo et r ante go adsumens. Cam. et P. *derivatur et r vel l ante go assumens.* De litteris *r* et *l* ante *go* iam supra dictum; quod repetere h. l. insulsum. Scripsi igitur antiquam Cod. manum secutus: *i ante u adsumens;* quam veram esse scripturam, ipse Cod. ostendit, qui statim post a pr. m. *iorgo iorgas*, sed corr. — 22) *Et mulgo etiam promulgo as componitur.* Ita Cod. a pr. m. quae correcta: *Et vulgo etiam provulgo as comp.* Cam. P. *Et vulgo etiam, a quo provulgo as comp.* Ex qua lectione retinui *a quo*, quae in Cod. exciderunt; ceterum primam Cod. manum exprimendam duxi. — 23) Cod. a pr. m. *a mulgo nomine*, corr. *a uulgus nomine.* Atque ita Cam. P. Non dubitavi, quin legendum esset *a mulga nomine.* Est enim *mulga* sive *mulca* vetus vocabulum, unde *mulgare* sive *mulcare* i. e. *verberare.* Saltem apud Plaut. in Casina Argum. v. 5. omnes Codd. *mulgat* pro eo quod est *mulcat.* Hoc diversum a *multa*, a quo *multus*, *multare*, quod proprie significat *numerare.* Cf. Scalig. Etymm. Varronn. pag. 172. Est igitur *promulgare* idem quod *proponere*, nostrum *vorschlagen*, *öffentlich anschlagen.* *Leges* enim *promulgabantur*, quum scriptae prius proponerentur, ut populo esset legendi potestas, quam ad concionem ferrentur. Festus: *Promulgari leges dicuntur*, *quum primum in vulgus eduntur*, *quasi provulgari.* Quam usitatam originationem huic Eutychii loco offuisse puto. — 24) *Derivationis occasionem* Cam. P. — 25) *Defectativa* Cod. mendose. — 26) Iuvenal. Sat. I, 131. ubi alii Codd. *mingere.* Praelatum tamen *meiere* ab Edd. — 27) *Indicant* de coniectura scripsi. *Indicat* Cod. Cam. P. — 28) *Scio et fio* Cam. P. Tum *et hio et pio quae sunt primae* P. *et hio quod est primae* Cam. *et hio quod primitivum est* Cod. sed corr. — 29) *Exemplis* intrudunt Cam. P. — 30) *Coniugationem deserat* Cod. quod ortum ex prave scripto v. *deferat* pro *differat.* — 31) *Quod aspiratum habet et primae est* P. *Quod aspiratum primae est* Cam. Cod. — 32) *Fonte sonat*, *saevamque exh. o. m.* Cam. P. In Codice haec ita habentur: *spiro Virgil. in VII protulit unde exhalat opaca mefitim anima mea Similiter* Sic a prima manu; sed signis positis vulgatus ordo restitutus. Verba autem *anima mea* lineola traducta deleta sunt. — 33) *In VII. libro* Cam. P. Locus est Virg. Aen. VII, 84. — 34) *Pallulo*, *simulo as*, *exulo*, *vapulo*, *cumulo*, *as* P. *pululo simulo*, *as*, *exulo*, *vapulo* Cam. om. *cumulo.* In Cod. *cumulo* in margine ascriptum, sed signo indicatum, ubi sit interponendum. Tum in Cod. *exceptis colo lis.*

etiam *o* brevem habet, quod ad culturam pertinet; nam *percolo*, id est *defaeco*, quod longam *o* habet[1] primae est coniugationis, et a nomine, quod est *colum*, compositum, quod significat instrumentum rusticum, unde Virgilius pluraliter:

Colaque praclorum,

in lib. I. Georgic.[3] dixit. Excipiuntur similiter, *occulo*, *lis*, *consulo*, *lis*, ex quo consul nomen derivari praediximus; et ad differentiam verbi, quod est primae coniugationis, *volo*, *as*, verbum anomalum, *volo*, *vis*, tertiae; et ab eo composita *malo*, *mavis*, *nolo*, *non vis*[4], et *molo*, *molis*, unde Horatius compositum dixit[5] in lib. Sermonum I.:

non alienas
Permolere uxores.

Licet *immolo*, *immolas*, primae[6], ut Virgilius[7] lib. X.:

— *lapsumque superstans*
Immolat ingentique umbra tegit[8] —. [2179]

Sed a *molo*, *is*, verbo primitivo, unde compositum *permolo*, *is*, *permolere*, nomen derivatur *mola*, ut est:

Ipsa molam manibusque piis[9] —

Virgilius libr. IV. Et a nomine *mola* fit verbum primae coniugationis compositum vel derivativum[10] a nomine, servans coniugationem, ut *immolo*, *immolas*. Consonante quacunque antecedente vel duabus *l*[11], tertiae magis inveniuntur, cum primitiva sint, coniugationis, ut *fallo*, *vello*, *tollo*, *procello*[12], *excello*, quod etiam *excelleo* antiqui dixerunt, *psallo* Graecum *psallis*, ut Salustius in Catilinaria[13]:

Psallere et saltare elegantius, quam necesse erat probae.

Horatius Epistularum libr. I.:

Psallimus et saltamus Achivis doctius unctis[14].

Pello, *pellis*, id est *trudo*, unde componitur, *appello*, *appellis*. Nam quod ad salutationem pertinet, licet simplex non facile invenitur, tamen in compositione differentiae sensus caussa, pri-

1) *Quod longum o habet* Cod. *quod o longam habet* Cam. P. — 2) *Primae coni. est* Cam. P. — 3) *In libro I. Georgic.* ita Cod. *In I. lib. Georgicon* Cam. *Georgicorum* P. Est e libro secundo v. 242. — 4) *Non vis, excipitur et molo* Cam. P. nisi quod in P. post v. *non vis* plena distinctio ponitur. — 5) *Dixit* additum e Cod. om. Cam. P. Locus est Horat. Sat. I, 2, 34. seq. Ceterum Codex numerum libri om. — 6) *Primae est coniugationis* Cam. P. — 7) *Virgilius lib. X.* Cod. *In lib. X.* Cam. P. — 8) Virg. Aen. X, 540 seq. Cod. *superstant* et *immolant*, sed utrumque correctum. — 9) Virg. Aen. IV, 517. Cod. a pr. m. *ipsam molam manibusq. molebant piis in Virg. lib. IIII.* sed *molebant* expunctum. *Virgilius libro quarto* Cam. — 10) *Vel derivativum a nomine.* Ita rectissime Cod. *Derivatum a nomine* om. *vel* Cam. P. — 11) *Vel duabus ll* Cod. *vel antecedentibus duobus l* Cam. P. — 12) *Tollo tollis procello* Cam. P. Codex om. *tollis*; idem tamen *procello*, quod fortasse legendum *percello*. — 13) *Salustius in Catelinaria* Cod. *Sallustius in Catilinario* Cam. P. nisi quod Cam. etiam *Salust.* Locus est Sal. Cat. c. 25. ed. Gerlach. ubi editur *est probae.* In Cod. *erat probe.* — 14) Horat. Epist. II, 1, 33. Ubi editur *luctamur* pro *saltamus*, et pro *doctius* in plerisque codd. est *scitius.* Codex noster a pr. m. praestat: *achivis dictionibus unctis*, cum varia lectione vel correctione a ser. m. *citius.* Haud dubie prima manus *doctius*, altera *scitius* reddere volebat. *Saltamus* Cod. Cam. P. *scitius* Cam. P. — 15) *Est* deest in Cod. — 16) *Stillo*, *as* add. e Cod. — 17) *Et* pro *ut* in Cam. et P. *et* in Cod. sed ab antiqua manu corr. *ut*, rectissime. — 18) *Stilla* add. e Cod. — 19) *Coniugationis* addunt Cam. P. — 20) *Dixit* addidi e Cod. Ceterum idem Cod. paullo ante *pallor* et h. l. *pallantes.* Locus est Virg. Aen. V, 265. — 21) *Praestulor* Cod. Cam. — 22) *Epulor et populor* P. Cam.

mae est[15] coniugationis, ut *appello*, *as*. *Bello* autem *bellas*, *vallo*, *scintillo*, *vacillo*, *stillo*, *as*[1], ut[17] a nominibus *bellum*, *vallum*, *vacillum*, *scintilla*, *stilla*[18], derivata, generali regula iure primae sunt[19]. In *lor* quoque desinentia primae sunt omnia, ut *palor*, unde in V. libr. Virgilius dixit[20]:

palantes Troas agebat.

Praestolor[21], *fabulor*, *osculor*, *adulor*, *regulor*, *aemulor*, *epulor*[22], *gratulor*, *iaculor*.

9. In *mo* desinentia, quacunque vocali seu consonante praeposita, primitiva seu derivativa primae sunt coniugationis[23]: *amo*, *clamo*, *aestimo*, *domo*, *humo*, *autumo*, *hiemo*, *fumo*, *spumo*, *flammo*, *armo*, *lacrimo*, *firmo*, nisi sint primitiva *e* brevem habentia; tunc[24] tertiae sunt coniugationis, ut *emo*, *is*, *gemo*, *is*, *premo*, *tremo*[25]. Notatur primae[26] *cremo*, *cremas*. *I* quoque brevi[27] ante *mo* habentia primae sunt, ut *aestimo*[28], *lacrimo*, *exanimo*[29], nisi composita sint, ex his quae *e* ante *mo* habent in simplicitate, et in compositione eam etiam [2180] in *i* mutaverunt[30]; tunc[31] enim solius tertiae sunt coniugationis, ut *comprimo*, *is*, *exprimo*, *mis*, *interimo*, *mis*, *adimo*, *dirimo*[32]. In quibus notantur *demo*, *demis*; *promo*, *mis*, quae[33] ab eo quod est *emo*, secundum quosdam composita, longitudinem praepositionis servaverunt, sicut *perimo*, *perimis* brevitatem[34]; quibusdam non ab eo videntur composita[35]. *Sumo* item solum tertiae coniugationis invenitur *u* longam servans, sicut *vomo* *o* brevem ante *mo* habet[36]; et *como* penultima longa a *compono* concisum[37], ut est apud Statium Thebaid. lib. IIII.:

Implet amore sui; comunt furor iraque cristas[38].

Apud eundem lib. VIII.:

Hunc toto capies pro corpore crinem,
Comere quem frustra me dedignante solebas[39].

In *mor* pauca quidem, primae tamen[40] inveniuntur, quippe a nomine derivata, ut *rimor*, *rimaris*, a rima[41]; *racemor*, *maris*, a *racemo*.

10. In *no* desinentia vocali quacunque antecedente, brevi vel longa, primae sunt solius coniugationis, ut *no*, *nas*, *nat*, monosyllabum; Ovidius in lib. I. Metamorpho[42]:

— 23) *Ut* addunt Cam. P. Paullo ante vv. *seu derivativa* in Cod. supra scripta sunt. — 24) *Tunc enim tertiae sunt* Cam. P. — 25) *Fremo* addit sola P. — 26) *Coniugationis* addunt Cam. P. — 27) *Brevi* in Cod. supra scriptum. Paullo post pro v. *habentia*, quod est in Cod., *inventa* Cam. P. — 28) *Aestimas* addunt Cam. P. — 29) Codex: *exanimo examino*; posterius contra sententiam Grammatici additur. Cam. *exanimo exanimas*. P. *examino*. — 30) *Mutaverunt* Cod. *mutaverint* Cam. P. Praeterea Cam. *compositione etiam*, *e*, *in i*, *mut*. — 31) *Tum enim* Cam. P. — 32) *Comprimo*, *interimo*, *adimo*, *dirimo*, *exprimo* Cam. P. — 33) *In quibus notatur demo demis*, *promo mis quod ab eo* Cod. *In. q. notantur demo is*, *promo is quia ab eo* P. *In q. notantur — quae*, ut edidi, praebet Cam. — 34) *Servat* addunt Cam. P. — 35) *Esse* addunt Cam. P. In Cod. a rec. m. ascriptum. — 36) *Habet* Cod. a pr. m. *habuit* Cod. ab altera m. et Cam. P. — 37) *Penultimam longam ut a compono et compositum conscissum* Cam. P. nisi quod in Cam. vv. *et compositam* absunt. In Cod. est: *penultima longa a compono concessum*; (i supra scriptum) i. e. *concisum*, idque dedi. Recentior manus ascripsit: *como as ut at illud enurio comat*. Tum supra v. *compono* scriptum: *ut est como*. — 38) *Libro III.* Cam. P. *lib. IIII.* Cod. Locus est Stat. Theb. III, 424. — 39) *Me me dignante* P. *me vel dignata* Cam. *me dedignante* Cod. Locus est Stat. Theb. IX, 901. seq. — 40) *In mor pauca quidem desinentia*, *primae tantum* Cam. P. — 41) *A rima nomine* P. Cam. Tum *a racemo racemor* Cam. *A rima racimor maris a racimo* Cod. — 42) *In libro I. Metamorpho.* Cod. *in Metamorphoseon libr. I.* P. *in Metamorphoseon libro primo* Cam. Locus est Met. I, 304.

Nat lupus inter oves [1].

Sano, *as*, *mano*, *ceno*, *alieno*, *sereno*. *I* longa antecedente [2], *declino*, *as*, *popino*, *festino*, *divino*, *propino*. Iuvenalis lib. I.:

quando propinat
Virro tibi.

I brevi antecedente, *gemino*, *termino*, *attamino*, *contamino*, *fascino*, *inquino*, *destino*, *nomino*, *procrastino*, *conglutino*. Item longa *o obsono*, *as*. Terentius in Adelphis:

Obsonat, *potat*, *olet unguenta* [3];

dono, *as*. Item brevi *o*, *sono*, *as*, *tono*, *as*. Item *u* longa [4] antecedente, ut *ieiuno*, *as*. Exceptis paucis, quae tertiae sunt coniugationis, ut primitiva, cum pleraque praedictorum derivativa sint [5], et unum quidem exceptorum *a* brevem ante *no* habeat, ut *cano*, *nis*, quam in *i* mutant [6] ex eo composita, *accino*, *concino*, *succino;* Persius:

cui verba? quid istas
Succinis ambages [7]*?*

Duo vero *i* ante [8] *no* habentia, *lino*, *is*, *sino*, *is*, et unum *o*, *pono*, *is*, et quidquid [2181] ab his componitur [9], ut *oblino*, *desino* [10], *compono*, *repono*, et [11] similia. Consonante quacunque antecedente, primae sunt similiter coniugationis, quippe a nominibus pleraque traducta, ut *damno*, *as*, *pugno*, *regno*, *signo*, *verno*, *hiberno* [12]. Exceptis item primitivis et ad tertiam iure venientibus coniugationem [13], *temno*, *nis*, *cerno* [14], ex quo *decerno* et *discerno;* et omnibus quae ab eis singulis componuntur. In *nor* desinentia, communia vel deponentia similiter primae sunt solius coniugationis, ut *opinor*, *aris*, *conor*, *criminor*, *dignor*, *peregrinor*, *patrocinor*, *vaticinor*, *venor*, *minor*. *Consternor* quoque et *aspernor*, ut deponentia, primae sunt coniugationis, licet *sperno* et *sterno* [15] activa, ex quibus quantum ad vocem videntur fieri, tertiae, ceu praediximus. Tamen *consterno* etiam *consternas* differentiae significationis caussa primae invenitur, ut Statius lib. VIII.[16] Thebaidos:

Adiurat, *turmasque metu consternat inani*,

Cuius participium passivum [17] praeteriti temporis Ovidius in V. lib. Fastorum refert:

1) Post locum Ovidii ita pergit P. *Brevi ut mano manas. Longa, ut sano as*, quae omnia absunt a Cam. et Cod. praeter duo ultima *sano sanas*. — 2) Haec et seqq. in Cod. ita leguntur: *I longa antecedente declino as .i. brevi antecedente gemino termino attamino contamino fascino inquino distino nomino procrastino conglutino propino iuvenalis lib. I. quando propinat* ^{r}*viro* (sic, *tibi popino festino divino. Item longa* .o. cet. Quae male traiecta esse, apertum est. *I longa anteposita ut declino as supino supinas festino divino. Quando propinat. Varro tibi. I brevi antecedente gemino*, *termino*, *attamino as*, *contamino*, *fascino*, *inquino*, *destino*, *nomino*, *procrastino*, *conglutino. Item o longa* Cam. *I longa anteposita ut declino*, *as*, *supino supinas*, *festino*, *divino*, *propino. Iuvenalis lib. I. quando propinat. Varro tibi. I brevi antecedente*, *gemino*, *termino*, *attamino*, *as*, *contamino*, *fascino*, *inquino*, *destino*, *nomino*, *procrastino*, *conglutino. Item o longa* cet. P. Quae Putschiana habet, sine Codicis auxilio correcta esse, patet. Mihi Codicis lectionem exputanti, *supino supinas*, quod Cod. ignorat, spurium esse videbatur, quapropter pro eo *popino*, *popinas* reposui, quod Cod. licet alieno loco exhibet. Iuvenalis locus est Sat. V, 127. seq. ubi Codd. omnes *Virro*. — 3) Terent. Adelph. I, 2, 37. In Cod. est *obsonat et potat olet*, sed ad v. *et* suprascr. *optat*, quod mihi videtur esse *opsonat*, ut sit emendatio vulgatae orthographiae. — 4) Addit h. l. P. *pro consonante I*, quae insulsa ignorat Cam. In Cod. est: *tono as. ieiuno item iermus exceptis* cet. Quid illud sit *iermus* extricare non possum. — 5) *Derivata sunt* Cod. Tum *a brevem* Cod. Cam. Vocalem *a* omittit P. — 6) *Quam in i mutant;* ita Cod. nisi

Hippolyte infelix, velles coluisse Dionen,
Cum consternatis deripereris equis.

11. In *po* verba primitiva vel derivativa primae sunt coniugationis, ut *crepo, as, discrepo, dissipo, culpo, usurpo, turpo, nuncupo, mancipo, occupo;* Horatius Sermon. lib. II.:

Quaedam, si credis consultis, mancipat usus[18].

Participo[1], *as, anticipo.* Ovidius Metamorphoseon, lib. II.:

Tardius exierant; sed per compendia montis
Anticipata via est[19].

Palpo, as, quod in eadem voce tam nomen quam verbum[20] significat. Tertiae pauca primitiva reperiuntur, et sunt haec: *scalpo, is, sculpo, carpo, repo, serpo, strepo, rumpo;* et quae ex his componuntur. In *por* quoque desinentia communia vel deponentia primae sunt, ut *aucupor, aris.*

12. In *quo* vel in *quor*, primitiva quidem, quae et pauca sunt et tertiae[21], ut [2182] *linquo, quis, relinquo, quis, delinquo, quis, inquam* vel *inquo*, defectivum, *inquis*, cuius plurale Horatius Sermonum lib. I. refert:

Communi sensu plane caret, inquimus[22] ---

Et imperativum Terentius in Phormione:

Tum autem video filium ab sese amittere
Invitum, inque[23].

Sequor, eris, loquor, eris, liquor, eris, deponens prima syllaba producta, ut Virgilius in I. lib. Georgic.

Vere novo gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, et Zephyro putris se gleba resolvit[24].

Quamvis neutrum sive activum primae coniugationis invenitur, prima tamen syllaba correpta, *liquo, as, eliquo, as;* Lucanus lib. VII.:

Excussit cristas galeis, capulosque solutis

quod *motant.* Male *quam immutant* Cam. P. — 7) Persius Sat. III, 19. seq. In Cod. legitur a pr. m. *Quid verba*, sed corr. a rec. m. *Cui v.* — 8) *Duo vero i ante no.* Ita recte Cod. *I vero ante no* P. *Duo verba, i, ante no.* Cam. Intelliguntur *duo verba*, sed *vero* coniunctio transitum facit, nec desiderari potest. — 9) *Et quidquid ab his componitur* Cod. *Et quae ab eis componuntur* Cam. P. — 10) *Desinis* add. Cam. P. — 11) *His* addunt Cam. P. — 12) *Pugno pugnas, signo signas, regno as, hiberno as* Cam. P. Meliora Cod. *pugno regno signo verno hiberno*, quae dedimus. — 13) *Sperno spernis, sterno sternis* addit sola P. — 14) *Cernis* intrudit sola P. — 15) *Sterno et sperno* Cod. sed signis oppositis ordo mutatus. — 16) *Libro VIII. Thebaidos.* Ita Cod. *lib. VII. Theb.* Cam. P. Est autem lib. VII, 130. — 17) Cod. mendose: *inani. refert hippolite infelix vela coloni* (sed vv. *refert — coloni* cum interpositis lineola traducta deleta sunt) *cuius passivum cuius participium praeteriti temporis Ovidius in .v. lib. fastorum ipse* *refert hippolite infelix vellim* *dionen cum consternatis deripereris equis.* Sic omnia turbata. Rescripsi, quae in Cam. et P. habentur, paucis mutatis. *Dionem* Cam. P. sed recte *Dionen* apud Ovid. et in Cod. nostro. *Diripereris* Cam. P. et apud Ovidium. Puto rectius legi *deripereris.* Locus est Ovid. Fast. V, 309. seq. — 18) Horat. Epist. II, 2, 159. — 19) Ovid. Metam. III, 234. seq. — 20) *Tam verbum, quam nomen* Cam. P. — 21) *Tertiae sunt* Cam. P. *Sunt* om. Cod. — 22) Horat. Sat. I, 3, 66. — 23) Terent. Phorm. V, 7, 25. *Video patrem filium* Cam. P. *patrem* om. Cod. Apud Terent. est: *Tum autem Antiphonem video ab sese amittere invitum eam, inque.* Tum in Cod. nostro *invitium inque* corr *invidum inq.* — 24) Virg. Georg. I, 43. seq.

Perfudit gladiis, ereptaque pila liquavit [1].

Persius:

Phyllidas, Hypsipylas, vatum aut plorabile si quid,
Eliquat, ac tenero supplantat verba palato [2].

Ovidius Fastorum IIII. lib. [3]:

Nec pigeat tritum niveo cum lacte papaver
Sumere, et expressis mella liquata favis.

Cum vero sint a nominibus, tunc iure primae sunt coniugationis, ut *aequus, aequo, aequas; propinquus, propinquo, as; obliquus, obliquo, obliquas; antiquus, antiquo, as; aqua, aquor, aris.* Virgilius in libr. IIII. [4] Georg.:

Sed circum tute [5] *sub moenibus urbis aquantur.*

13. In *ro* desinentia *e* antecedente, omnia primae sunt coniugationis [6], *libero, as, lacero* [7], *desidero, considero, genero, impero, blatero.* Horatius libro Serm. II. [8]:

Magno blateras clamore.

Itero, as, idem [9] lib. I. Carminum:

Nunc retrorsum
Vela dare atque iterare cursus
Cogor relictos [10].

Excipiuntur pauca primitiva, et quae ab eis singulis componuntur, tertiae [11] coniugationis, ut *gero, ris, digero, aggero*, unde:

Aggeritur terrae tumulo;

in II. lib. Aeneidos apud Virgilium legimus [12], ex quo verbo nomen fit *agger*, et ab eo verbum derivatum *aggero, as;* et est primae coniugationis, ut idem Virgil. refert in libro X. [13]: [2183]

Aggerat et longo praedam iubet ordine duci.

Tero item *teris* [14], *detero, protero; sero* [15] item *seris*, ex quo componuntur *insero, dissero* [16], *prosero, desero;* nam *obsero, as*, iure primae coniugationis a nomine, id est haec *sera*, huius *serae*, compositum est [17]. *Queror* item deponens [18] est correpta penultima, *quereris.* *Fero* etiam,

1) Lucan. Phars. VII, 158. seq. — 2) Pers. Sat. I, 34. seq. — 3) *Ovid. Fastorum lib. IV.* Cam. P. *Fastorum IIII. lib.* Cod. Versus est 151. seq. Mirum est, in Cod. legi: *nigro cum lacte.* — 4) *In quarto libro geor.* Sic Cod. *Virg. libr. III. Georgicorum* Cam. P. Locus est Georg. IV, 193. — 5) *Tute* Cod. Cam. *tutae* P. ut apud Virg. editur. — 6) *Ut* intrudit Cam. et P. — 7) *Lacero* h. l. additum e Cod. Tum post v. *considero* in Cam. et P. sequuntur haec: *as lacero, as, aggero, as, numero*, quae absunt a Cod. — 8) Horat. Sat. II, 7, 35. — 9) *Idem* Cod. *item* Cam. P. — 10) Horat. Od. I, 34, 3. seqq. Cod. *nc retrorsum.* — 11) *Tertiae sunt* P. Cam. *sunt* om. Cod. — 12) Ita Cod. Sed in Cam. et P. *unde Aggeritur tumulo tellus, in II. lib. Aeneidos Virgilii legimus.* Est Aen. III, 63. ubi editur, quod apud P. et Cam. legitur: *tumulo tellus.* — 13) *Virgil. refert in libro X.* Ita Cod. *Virgil. in libro refert XI.* P. *in libro refert X.* Cam. Est locus Aen. XI, 79. *Longa* apud P. ex errore typ. — 14) *Tero item teris* Cod. *Item tero is* Cam. P. — 15) *Sero item seris* Cod. *Item sero is* Cam. P. — 16) Cod. *desero* sed corr. *disero.* Idem post v. prosero addit *desero.* Utrumque *dissero* et *desero* a Cam. om. — 17) *A nomine, id est haec sera, huius serae, compositum est.* Ita recte Cod. *A nomine quod est haec sera, huius serae, et ab eo compositum est resero, as.* Cam. P. nisi quod Cam. vv. *quod est* omittit. — 18) *Queror item deponens est* Cod. *Item queror deponens* (om. *est*) Cam. P. — 19) *Quod* additum e Cod. et Cam. — 20) *Perfero* P. Cam. *praefero* Cod. — 21) *Autem* additum e Cod. et Cam. — 22) *Ut tertiae coni. verb. notavimus* Cod. *notavimus tertiae coni. verborum* Cam. P. — 23)

quod [19] licet anomalum est, tertiae tamen coniugationis esse ex quibusdam eius motibus ostenditur, et ab eo similiter derivata, ut *infero*, *suffero*, *praefero* [20]. *Vociferor* autem [21], quod est a *fero*, et *morigeror*, quod est a *gero*, compositum, vel quia cum nominibus componuntur, iure primae sunt coniugationis verborum. Observandum est tamen, quod quae superius ut tertiae coniugationis verborum notavimus [22], omnia dissyllaba sunt, quod in aliis *e* ante *ro* habentibus raro repperitur. Et quacunque alia vocali antecedente *ro* syllabam, similiter verba sunt primae coniugationis, ut *aro*, *as*, *paro*, *as*, *spero*, *spiro*, *deliro*, *voro* [23], *ploro*, *roboro;* Horatius Carminum lib. IV.:

Rectique cultus pectora roborant [24]*;*

laboro, *obscuro*, *instauro*, *inauro*, *figuro;* Horatius Epist. lib. II.:

Os tenerum pueri balbumque poema figurat [25].

Exceptis *uro*, *uris*, et *quaero* activo [26] *quaeris*, ex quo composita, licet *ae* diphthongum in *i* longam convertant, coniugationem tamen servant, ut *inquiro*, *is*, Lucanus lib. VII. [27]:

Inquire nefanda nefandi
Caesaris;

conquiro, *is*. Consonante etiam quacumque [28] antecedente primae sunt, ut *celebro*, *celebras*, *tenebro* [29], *consecro*, *obsecro*, *quadro*, *migro*, *latro*, *lustro*, *narro*, *erro*. Notantur tertiae coniugationis, *curro*, *is*, *verro*, *ris;* Statius Thebaidos lib. VII. [30]:

— sat dubium coetu solante timorem
Fallere, et incultos aris adverrere crines.

In *ror* desinentia deponentia vel communia, primae sunt, ut *exsecror* [31], *morigeror*, *feneror*, *miror*, *moror*, *odoror*, *furor*, *lucror;* excepto *queror*, ut ante dictum est, tertiae. [2184]

14. In *so* similiter primae sunt coniugationis, quia derivativa [32] sunt; nam vel a nominibus pleraque derivantur, vel certe frequentativa sunt, ut *lapso*, *as*, *penso*, *spisso*, *denso*, quod et *denseo* secundae coniugationis, ut in *eo* terminatum, licet raro lectum, invenitur, ut extulit in primo lib. Georgic. Virgilius:

Denset, erant quae rara modo; et quae densa relaxat [33].

Item in XII. lib. Aeneidos:

Delibero voro Cod. *deliro iuro* Cam. P. Retinui *deliro*, quod verum sine dubio. Tum *ploro* in Cod. supra scriptum est, ab antiqua tamen m. ut videtur. — 24) Horat. Od. IV, 4, 34. Tum *laboro obscuro* hoc ordine Cod. *obscuro*, *laboro* Cam. P. — 25) *Poema figurat* Cod. *poeta figurat* Cam. P. Locus est Hor. Epist. II, 1, 126. ubi recte *poeta* editur. — 26) *Activo* Cod. *activum* Cam. P. — 27) *Lucanus lib. VII.* Ita Cod. *Lucanus lib. VIII.* Cam. P. Tum *nefanda nefandi* Cod. a pr. m. Correctum tamen a rec. manu: *in fata nefandi.* Cam. *in facta nefandi.* P. *in fata nefandi.* Locus est Phars. IX, 558. ubi editur *in fata nefandi*, sed in Codd. aliquot: *inquirere fata nefandi.* — 28) *Quacumque* Cod. *qualicunque* Cam. P. — 29) *Tenebro* a Cod. supra scriptum; sed ab ant. m. ut videtur. Eodem modo paullo post vv. *lustro*, *narro*, *erro* supra scripta sunt. — 30) *Statius Thebaidos lib. VII.* Cod. *Statius Thebaid. IV.* Cam. P. Locus est Theb. lib. IV, 201. seq. Ceterum Cod. a pr. m. *sat dubium coctos solent et in morem fallere*, verbis ab alia manu suprascriptis his: *coetus solvant cibos*, absurdissime. — 31) *Exseror* Cod. sed corr. Tum in eodem legitur *feneror* hac scriptura, quam expressi. *Foeneror* Cam. *faeneror* P. Deinde Cod. *miror* *odoror* (supra scr. *moror*) *execror* *furor* (supra scr. *soporor*) *lucror;* sed vv. *execror* et *soporor* punctis superimpositis deleta sunt. — 32) *Derivata* Cod. Cam. *derivativa* P. quod retinendum censui. — 33) Virg. Georg. I, 419. Cod. *dense* (supra scr. *t*) *terant* *q̄.* (supra scr. *q̄*) *rara* (supra scr. *mo̅*) *mo* *q̄.* (supra scr. — *et*) *dense* (supra scr. *a*) *relaxat;* sic varie correcta.

Vela dabit, vos unanimes densete catervas [1].

Cuius infinitivum Salustius [2] historiarum libro II. refert [3]: *Ille festinat subsidiis principes augere et densere frontem. Convaso, convasas* [4]. Terentius in Phormione:

aliquid convassem [5].

Accuso, accusas, merso, curso [6], *cesso.* Excipitur *accesso, lacesso, arcesso* [7], *facesso, incesso, capesso, cesso*, cuius impersonale infinitivum Virgilius duodecimo libro dixit:

Incessi muros, ignis ad tecta volare [8].

Statius quoque in primo lib. Thebaidos [9] extulit eius activum vel neutrale [10] infinitivum:

— hanc etiam poenis incessere gentem
Decretum est —.

Idem libro III [11]:

Nec tua cara fides, nec falsa incessere gaude.

cuius idem imperativum lib. XI.:

— solumque quod ante vocasti
Invideo, ne incesse moras [12] *—;*

licet in eodem libro participium, quasi frequentativum, ut a prima coniugatione veniens, lectum est:

Tecta incessantem [13] *—.*

Viso quoque *visis* [14], et *pinso, is*, tertiae coniugationis sunt, ut Persius:

O Iane, a tergo quem nulla ciconia pinsit [15].

Et defectivum *quaeso, sis*, cuius infinitivum *quaesere* Salustius in primo posuit historiarum libro [16]. In *sor* quoque [17] deponentia vel communia similiter primae sunt coniugationis [18], *caussor, commissor, grassor, conversor, diversor;* licet a *verto, vertis*, vel [19] *vertor, verteris*, [2185]

1) Virg. Aen. XII, 264. Cod. *densate catervas*, sed corr. ab eadem m. *densete*, id quod Grammaticum voluisse patet. Codd. apud Virg. pariter fluctuant inter *densate* et *densete*, sed verum est *densete*. Praeterea apud Virg. *unanimi* pro *unanimes* plerumque editur. — 2) *Salustius* scripsi e Cod. — 3) *Libro tertio refert* Cam. P. In Sallustii verbis *festinat* additum e Cod. *Principes* Cod. P. *princeps* Cam. Ceterum hoc fragmentum Sallustii nondum a quoquam enotatum inveni. — 4) *Convaso — sas* Cod. *Convasso convassas* P. *convasso* Cam. — 5) *Convasem* Cod. *convassem* Cam. P. Locus est Terent. Phorm. I, 4, 13. Apud Terentium Codices variant *convasassem, convasissem* et *conrasissem* deditque Bentleius *conrasissem. Convasavissem* non est librorum scriptura, ut negligenter retulit Reinhardtus ad h. l., sed Hermanni coniectura. Locus omnis sic est legendus:

Récte ego mihi vidissem, et senis essem últus iracúndiam;
'Aliquid conrassem, átque hinc me coniicerem prótinam in pedes.

Protinam ultimam non elidit. *Conrassem* pro *conrasissem*, ut *exstinxem* pro *exstinxissem*, quum non intelligerent librarii, pro suo quisque captu immutarunt. Retinui igitur apud Grammaticum *convassem*, quod genuinae lectionis vestigium servaret. — 6) *Incurso* add. Cam. P. — 7) *Accesso lacesso arcesso.* Ita scripsi vestigia Cod. secutus, qui sic: *acerso lacesso facesso;* (c, arcesso) voc. suprascr. ab antiqua manu. Primum verbum haud dubie *accesso* scribendum, quod lexicis nostris addendum esse videtur, procusum ut *incesso*. Desideratur etiam in lexicis *cesso, cessere*, simplex, quod paullo post legitur. In Cam. locus sic legitur: *arcesso, lacesso, facesso, incesso, capesso, cesso.* In P. *accerso, accesso, lacesso, cesso, facesso, incesso, capesso, cesso.* — 8) Virg. Aen. XII, 596. *Ignesque* Cam. P. *ignis* Cod. *ignes* editur apud Virg. — 9) *In primo lib. Thebaidos* Cod. *libro Thebaidos* omm. *in primo* Cam. *libro I. Thebaidos* P. Locus est v. 245. seq., ubi in editis omittitur *est.* — 10) Cod. *neutralem infinitivum.* — 11) *Libro III.* Cod. *lib.*

simplici, quod est tertiae coniugationis, componuntur, tamen ut deponentia primae sunt coniugationis.

15. In *to* desinentia, quotcunque sint syllabarum, quacunque vocali vel consonante antecedente, primitiva seu derivativa, primae sunt coniugationis, ut *sto*, *stas*, *praesto*, *resto*, *obsto*, *nato*[20], Virgil. IIII. Aeneidos libro[21]:

Natat uncta carina.

Veto, *as*, *vito*, *dubito*, *cogito*, *noto*, *porto*, *muto*, *puto*, *reputo*, *refuto*. Virgilius lib. XII.:

Fors dicta refutet[22].

Confuto, *as;* Terentius in Phormione:

Confutavit verbis admodum iratum patrem[23].

Occulto, *exsulto*, *ausculto*[24], *vasto*, *gesto*, *manifesto;* Statius Thebaid. lib. II.:

Ramus manifestat olivae
Legatum[25] *—;*

Ovidius Metamorphoseon lib. XIII.[26]:

Insidias prodet manifestabitque[27] *latentem.*

Eructo, *as*, *lacto*, *rapto*, *capto*, *salto*, *canto*, *arto*; Lucanus lib. IIII.:

Continuos multis subitarum tractus aquarum
Artavit clausitque animum[28].

Lacto; Terent. in Andria:

Eorum animas lactas[29].

Idem in eodem:

Nisi me lactasses amantem[30].

Marito, *as.*

IV. P. *libro quarto* Cam. Locus est libri tertii v. 301. Tum Cod. *nec falsa.* Cam. P. *ne falsa* cum editis Statii libris. — 12) Cod. *nec incesse mores* cum duplici correctione *moram* ab antiqua manu, et *moras* a rec. Locus est Stat. Theb. lib. XI, 389. seq. ubi legitur *ne incesse moras.* — 13) Stat. Theb. XI, 361. ubi legitur *incessentem.* Cod. a pr. m. mendose *tactam incessantem*, sed corr. — 14) *Viso quoque visis* Cod. *quoque* om. Cam. P. — 15) Persius I, 58. — 16) *In primo posuit hist. libro* Cod. *in I. lib. posuit historiarum* Cam. P. Locum a Gerlachio non video enotatum. — 17) *Quoque* addidi e Cod. — 18) *Ut* h. l. interponunt Cam. P. Sequentia sic leguntur in Cod. *causor*, *commisor*, *grassor*, *conversor*, *diversor; licet* cet. Sed Cam. exhibet: *accusor*, *commessor*, *grassor*, *conversor*, *discissor*, *diversor licet.* In P. sic: *caussor*, *commissor*, *grassor*, *versor*, *diversor*, *aversor*, *adversor; licet.* — 19) *Vel a vertor* sola P. — 20) *Sto*, *stas*, *obsto*, *obstas*, *praesto*, *resto*, *nato* hoc ordine sola P. — 21) *Virg. IIII. Aeneidos libro* Codex. *Virgil. IV. lib. Aeneid.* Cam. P. Est versus 398. — 22) Virg. Aen. XII, 41. — 23) Terent. Phorm. III, 1, 13. ubi Bentl. e Cod. Bemb. reposuit *senem* pro v. *patrem.* — 24) Cod. *asculto* i. e. *ausculto*, quod dedi. *Exulto*, *as*, *culto* male Cam. P. — 25) Stat. Theb. II, 389. seq. — 26) *Metamorphos. lib. IV.* P. *Metamorphoseon libro IIII.* Cam. *Metamorphoseon lib. XIII.* recte Cod. Est lib. XIII, v. 106. — 27) *Prodit manifestavitque* P. *prodet manifestabitque*, Cod. Cam. ut est apud Ovid. In Cod. *prodit* ser. m. — 28) *Lucan. lib. IX. Continuus — amnem.* Cam. P. Lucan. lib. IIII. *continuos — amnem* a pr. m. Cod. sed corr. ab antiqua manu *animum.* Est locus Lucan. IV, 368. qui ita se habet: *Continuus multis subitarum tractus aquarum Aera non passus vacuis discurrere venis Artavit clausitque animam.* Ceterum retinui *continuos*, quod fortasse masculino et nominativo non minus bene aliquando dicebatur, quam neutro *continuom*, et accusativo. — 29) *Animas* dedi e Cod. Vulgo ut apud Terent. *animos. Lactas* Bentleius apud Terentium scribi iussit, quum ibi vulgo legeretur *lactans.* Locus est Ter. And. V, 4, 9. — 30) Terent. Andr. IV, 1, 24.

Dum Pelea dulce maritat
Pelion;

Statius II. Achilleidos[1]. Horatius in Epodo:

Altas maritat populos[2].

Leto, as; Ovidius in Ibide[3]:

Quique Lycurgiden letavit et arbore natam.

Idem in III.[4] Metamorph.:

Letataque corpora vidit.

Exceptis paucis tertiae coniugationis, quae et disyllaba[5] sunt, et primitiva. *A* quidem antecedente, *scato*, *scatis;* licet non sit eius frequens usus. Cuius infinitivum[6] Lucretius in VI. lib. protulit:

Largifluum fontem scatere atque erumpere lumen[7].

Ex quo Horatius participii praesentis accusativum in III. lib. Carmin. protulit[8]:

Sic et Europe niveum doloso
Credidit tauro latus, et scatentem
Beluis pontum, mediasque fraudes
Palluit audax.

E autem vocali, ut *meto*, *peto*, et *c* consonante antecedente, ut *flecto*, *tis*, *necto*, *tis*, *pecto*, *tis*, *r* similiter antecedente, ut *verto*, *tis*, *sterto*, *tis*. *I* antecedente, ut *sisto*, *tis*, *mitto*, [2186] *tis*[9]. In *tor* quoque desinentia deponentia, vel communia, primae sunt[10], *scrutor*, *testor*, *antestor;* ut Horatius Sermonum lib. I.:

Licet antestari[11].

Notantur tertiae coniugationis, *plector*, *amplector*, *complector*, *nitor*, *utor*, et ab his[12] composita; *vertor* quoque et *revertor*.

16. In *vo*, *v* vocali pro consonante ante *o* posita, omnia primae sunt coniugationis, pleraque enim sunt derivata, ut *levo*, *as*, *servo*, *as*, *curvo*. Notantur tertiae duo, *vivo*, *vivis*, unde nomen est derivatum *vivus*, et *luvo*, *is*, ut Virgilius in X.:

1) Stat. Achill. II, 342. seq. Cod. exhibet: *Dum pellidalci maritat peleon*, sed corr. *pelea* et *pelion*. — 2) Recte Cod. *Altas*. Cam. P. *altos*. Tum *maritas* Cod. a pr. m. *marito* corr. *maritat* Cam. P. Horat. Epod. II, 9. — 3) *In Ibin* Cam. P. Recte *in Ibide* Cod. Tum in Codice mendose *licorciden* et mendosius corr. *ligorciden*. Deinde *natum* pro *natam* est apud Ovid., sed *natam* Cod. Cam. P. Ceterum Cod. *Leto* et *letavit*. Cam. P. *Laeto* — *laetavit*. Ov. Ibid. 503. — 4) *Idem in III. Metam.* Cod. *Idem in IV. libr. Metamorph.* Cam. P. Ovid. Met. III, 55. Cod. recte *letata*. Cam. P. *laetata*. — 5) *Disyllaba* Cod. *dissyllaba* Cam. P. — 6) *Etiam* addunt Cam. P. — 7) Lucret. De R. N. VI, 598. — 8) *Protulit* Cod. *Refert* Cam. P. Est Horat. Odar. III, 27, 25. seqq. — 9) Turbae h. l. in Cod. quas male correctas apud Putschium vides: *E autem antecedente vocali, pecto, necto, flecto, et plecto antique. E brevi antecedente duo, peto ac meto. R antecedente, similiter duo, verto et sterto. Geminata vero t ante o, unum, mitto. Et S antecedente, similiter unum, sto.* In quibus plura absurda inesse, patet. Codex ita: *E autem consoñ anteceden-* .c. *te tertiae coniugationis ut flecto tis necto tis plecto tis. r. similiter anteceđ ut verto tis, sterto tis. sisto tis mitto tis. In tor quoque* cet. In his primum illud *consoñ* mendi originem prodit. Tum verba *tertiae coni.* supervacanea sunt, quoniam id supra iam notatum. Et ante v. *sisto* quaedam omissa esse, intelligitur. Proxime ad veritatem accedit Cam. *E aatem vocali, ut meto, peto, et c antecedente. flecto is, necto is, pecto is, r. similiter antecedente, ut verto, sisto, sterto is, immitto.* Fert aliquid auxilii recentior manus in Cod. quae post vv. *sterto, is* haec addit: *S. antecedente ut mesto* (sic) *.i. antecedente ut,* e quibus *i antecedente ut* recepi et lectioni Camerarianae intexui. Iam Camera-

Lavit improba teter
Ora cruor [13].

Horatius Carmin. lib. I.:

Villaque, flavus quam Tiberis lavit [14].

Idem Sermon. lib. I.:

Ora manusque tua lavimus, Feronia, lympha [15].

Quod et primae coniugationis invenitur; Iuvenalis lib. I.:

Nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur [16].

Cuius supinum [17] Horat. in lib. I. Sermon. protulit:

Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum
Admonuit [18].

L vero ante *vo* antecedente, tertiae coniugationis primitiva inveniuntur [19], *volvo*, *volvis; solvo*, *solvis*; *calvo*, id est decipio, ut est apud Salustium in historiarum libr. III. *Contra ille calvi ratus*, *quaerit extis*, *ne somnio ostenderetur thesaurus* [20].

In *vor* desinens deponens, unum est, *convivor*, quod primae [21] est, generali regulae deponentium serviens, cum non respondeat [22] suo primitivo, id est *vivo*, *is*, vel quia de nomine, quod est conviva, derivatur.

17. In *xo* desinentia pauca sunt, primae quidem coniugationis, ut *laxo*, *as*, *luxo*, *vexo*, *taxo*. Sed tertiae non inveni [23], nisi *pexo*, *pexis*, *texo*, *xis*, *nexo*, *is*, et *faxo*, *faxis* [24], defectivum [25]. *Nexo* enim tam *nexas* invenitur, ut ostendit Virgilius [26] participium dicens: [2187]

Nexantem nodis;

quam *nexis* [27], ut Accius [28] in Deiphobo:

Nos continuo ferrum eripimus, omnibus manicas neximus;

licet et *nexui* [29] lectum est, quod etiam a *necto*, *nectis*, sicut a *pecto*, *pectis*, *pexui* [30] potest esse. In *xor* similiter desinentia deponentia [31] primae sunt coniugationis, ut *rixor*, *amplexor*.

rius locum mendosum esse suspicabatur; melior medicina e Codice exspectanda. — 10) *Ut* add. Cam. P. — 11) Horat. Sat. I, 9, 76. — 12) *Ab eis* Cam. P. *ab his* Cod. — 13) Virg. Aen. X, 727. seq. — 14) Odar. II, 3, 18. Cod. *lib. I.* Cam. P. *lib. II.* Tum Cod. *vellaque* sed corr. — 15) *Lympha* Cod. *limpha* Cam. P. Horat. Sat. I, 5, 24. — 16) Cod. *Haec pueri* sed corr. Locus est Iuv. Sat. II, 152. ubi etiam Codd. aliquot *Haec*. *Nisi* abest a Cod. sed in margine ascr. — 17) *Vel participium* add. Cam. P. *sopinum* Cod. — 18) *Libro Sermon.* omisso numero Cam. P.; eum supplet Cod. Locus est Horat. Sat. I, 6, 124. seq. — 19) *Ut* add. P. Eadem addit *volvo*, *volvis*, quod licet desideratur in Cod. et Cam., retinui tamen, quia facile excidere poterat. Tum *calvis* add. P. quod ignoratur a Cod. et Cam. — 20) *Salustium* scr. e Cod. Tum *calvi ratus q. retextis* (sic) *ne somnio* os *tenderetur* (sic) Cod. quod expressi. *An somnio portenderetur* P. *quaerebat ex me an somnio portenderetur.* Cam. In Fragmm. Sallustii recte legitur *num som.* Ceterum prior pars huius fragmenti citatur etiam a Nonio pag. 7. — 21) Vv. *convivor quod primae* in Cod. supra scr. — 22) Cod. *cum non respondens* sed corr. *respondet*. Verum est *respondeat*, quod exhibent Cam. P. — 23) *Inveniuntur* Cam. P. — 24) *Nexo is. Faxo enim faxis* P. *nexo, is, faxo, is, nexo enim* cet. Cam. Turbat Cod. *nexo xis faxo xis defectivum tamen* (nexis enim et) *nexas* (sic). Ex quibus facile intelligitur, quae vera manus scriptoris fuerit. — 25) *Defectivum est* haec plane desunt a Cam. *Est* abest a Cod. — 26) *Virgilius in V.* Cam. P. *in V.* abest a Cod. Est locus Aen. lib. V, 279. — 27) *Nectis* male P. — 28) *Ut Accius in D.* Cod. P. *Ut dicit Actius in D.* Cam. — 29) *Nexui* Cod. *licet et nexuimus a nexui lectum sit* Cam. *licet et nexi lectum est* P. — 30) *Pexui* Cod. Cam. *pexi* P. — 31) *Deponentia* additum e Cod.

In *or* passiva, quacunque praecedente vocali vel consonante, coniugationem suorum sequuntur activorum, ceu ante diximus.

18. Composita quoque in omnibus terminationibus simplicium suorum coniugationes, eadem scilicet manente finalitate, sequuntur; si tamen cum verbis vel cum praepositionibus, cum quibus frequentius solent iungi [1], componantur. Cum verbis, ut *tepefacio*, *calefacio*, *madefacio*, *patefacio* [2], *liquefacio.* Cum praepositionibus, ut *capio*, *praecipio*, *decipio; facio*, *inficio*, *efficio* [3], *deficio; fero*, *praefero* [4], *infero*, *aufero* [5], *suffero*, *defero* [6]*; turbo*, *proturbo; scribo*, *describo*, *conscribo* [7]*; neco*, *eneco*, *vinco*, *convinco; fraudo*, *defraudo; fundo*, *infundo; cedo*, *discedo*, *concedo; ligo*, *inligo* [8]*; ago*, *perago*, *subigo*, *exigo*, *circumago*, *cogo; traho*, *subtraho*; *halo*, *exhalo; fallo*, *refello; clamo*, *reclamo; emo*, *coemo*; *no*, *adno; pono*, *expono*, *repono*, *depono*, *impono* [9]*; crepo*, *discrepo; repo*, *adrepo*, *inrepo* [10]*; aro*, *exaro; curro*, *incurro*, *discurro*, *concurro* [11]*; penso*, *dispenso*, *compenso* [12]*; viso*, *inviso; canto*, *decanto; mitto*, *immitto*, *submitto; curvo*, *incurvo; solvo*, *desolvo* [13]*; duco*, *diduco* [14], *educo*, nisi sensus caussa mutetur coniugatio, producta quidem penultima tertiae, ut [15] *educo*, *cis;* correpta autem [16], *primae*, ut [17] *educo*, *cas*, id est *nutrio* [18], ut Virgilius in lib. X.:

Quatuor [19] *hic iuvenes totidem quos educat Ufens;*

quod a nomine *dux*, *ducis* posse fieri praediximus. Et *manduco*, *as*, licet a *duco*, *is*, verbo videtur componi, tamen cum nomine compositum, quasi manum ad os duco, iure primae est coniugationis [20].

19. Intellectus autem differentia solet interdum [21] in simplicitate verborum mutare [2188] coniugationes [22], ut *dico*, *is*, et *dico*, *dicas; mando*, *is*, *mando*, *as; fundo*, *is*, *fundo*, *as;* sicut *sero* [23] quidem a nomine, quod est haec *sera* [24], licet correpta simpliciter penultima [25], et *lego*, *as* producta [26], primae sunt, ut a nominibus *sera* et *lex* venientia; *sero* autem *seris*, correpta similiter [27] penultima, ex quo *dissero*, *prosero*, *insero* [28] fiunt, et *lego*, *is*, unde *dilego* [29], *sublego*, componuntur, differentiae caussa, ut primitiva, tertiae sunt; *pello* quoque *pellas*, quod simplex in usu non est, unde *appello* [30], *as*, primae est; *pello* autem *is*, *expello* [31], *impello*, *depello*, tertiae sunt; sicut *volo*, *as*, et *volo*, *vis*, intellectus caussa diversas coniugationes meruerunt. *Sono* [32] au-

1) *Coniungi* P. — 2) *Madefacio*, *patefacio* Cod. *patefacio*, *madefacio* Cam. P. — 3) *Efficio* Cod. *officio* Cam. P. Tum in Cod. suprascr. *afficio*, quod omisi. — 4) *Perfero* h. l. add. Cam. P. — 5) *Aufero* Cod. *affero* Cam. P. — 6) *Differo* Cam. P. *defero* Cod. — 7) *Conscribo* additum e Cod. — 8) *Inligo* Cod. *illigo* Cam. P. — 9) *Depono*, *impono* addita e Cod. — 10) *Inrepo* ita Cod. et P. In Cam. desunt *repo*, *adrepo*, *inrepo.* Tum in P. *rado*, *arrado*, *inrado*, quae absunt a Cod. et Cam. — 11) *Concurro* add. e Cod. — 12) *Compenso* add. e Cod. — 13) *Dissolvo* P. sed *desolvo* Cam. Cod. — 14) *Diduco* Cod. *deduco* Cam. P. — 15) *Ut* additum e Cod. — 16) *Penultima* intrudunt Cam. P. In Cam. deest *autem.* — 17) *Ut* add. e Cod. — 18) *Nutrio non extraho* Cam. P. Vv. *non extraho* recte desunt in Cod. — 19) *Quatuor* deest in Cod. Locus est Virg. Aen. X, 518. — 20) *Coniugationis* add. e Cod. — 21) *Et* interponunt h. l. Cam. P. In Cod. a ser. m. ascr. — 22) *Coniugationem* Cam. P. — 23) *Sicut et sero quidem seras*, *a n.* Cam. P. In Cod. abest *et*, suprascriptis his: *tardo seras* a rec. m. — 24) Add. *huius serae* Cam. P. — 25) *Simpliciter* add. e Cod. Est *sine dubio*, ἀτεχνῶς. — 26) *Penultima* additur a Cam. et P. abest a Cod. — 27) Cod. mendose *simpliciter.* Idem ignorat h. l. v. *penultima.* — 28) *Insero* in Cod. a ser. m. ascriptum. — 29) *Dilego* dedi e Cod. i. e. *diligo.* Cam. *deligo.* P. *delego.* — 30) *Appello* Cod. *Compello* Cam. P. In Cod. tamen *conpello* corr. — 31) In Cod. est *ex* (: quom) *pello*, ut videatur voluisse librarius *ex-compello.* Cam. P. *expello.* Paullo post *sunt* deest in Cod. — 32) *Etiam* P. pro quo *enim* exh. Cam. *Autem* Cod. ubi *enim* suprascr. a rec. m. — 33) *Et sono is* Cam. P. — 34) *Infinitivus* Cod. *infinitivum*

tem *sonas*, et *sonis*[33], unde sonere infinitivus[34]; *crepo*, *as*, et *crepo*, *is*, unde et *crepere; fulgeo* et *fulgo*, unde et *fulgere; ferveo* et *fervo*, unde et *fervere; oleo* et *olo*, unde *olere*[35], penultima correpta; *strido*, *is*, et *strideo*, *es;* sicut *albo*, *as*, et *albeo*, *es; denso*, *densas*, et *denseo*, *denses; duro*, *as*, et *dureo*, *es; maturo*, *as*, et *matureo*, *es*; ex quibus *induruit* et *maturuit*[36] praeterita perfecta veniunt, auctoritate sola vetustatis[37] tradidit ratio, unde nec omnes motus haec eadem verba tritos et usitatos in utraque coniugatione habere noscuntur.

20. Cum nominibus autem composita verba mutant plerumque coniugationem. Nam generali[38] regulae subiecta et quasi a nominibus derivata, iure ad primam veniunt coniugationem verborum, ut *litigo*[39], *gas*, *remigo*, *gas*, *vociferor*, *aris*, *morigeror*, *aris;* et maxime excludentia *i*, quam in simplici verbo ante[40] *o* habuerunt, etiamsi cum praepositione componantur, mutant coniugationem, ut *aedifico*, *significo*, *sacrifico*, *laetifico*, *amplifico*, *terrifico; mancipo* quoque, *aucupo*, *participo*, licet possunt haec[41] quasi a nominibus *manceps* et *auceps* et *particeps*; sicut *vindico*, *as*, *iudico*, *as*, *indico*, *auspicor*, *aris*, a nominibus *vindex*, *iudex*, *index*, *auspex* venientia, iure primae esse, idemque etiam de superioribus potest intelligi, ut a *lae-*[2189] *tificus*, *sacrificus*[42], *amplificus*, *terrificus*, nominibus, quae sunt in usu, verba deducantur[43], hisque similiter excurrisse *aedifico* et *significo* verba[44], licet careant positione[45], ad aliorum similitudinem compositis nominibus. Et cum solis tantum praepositionibus verba composita, si in compositione careant *i*, quod habuerunt in simplicitate, mutant[46] coniugationem, ut a *capio*, *capis*, quod est tertiae, primae fiant coniugationis; ut *anticipo*, *occupo*[47]. Ut enim[48] a nominibus verba derivata, *e* vel *i* addentia, una syllaba genitivum primitivi solent vincere, ut *canus*, *cani*, *caneo; insanus*, *insani*, *insanio; sors*, *sortis*, *sortior;* et[49] e contrario a verbis in *eo* vel in *io*[50] desinentibus traducta nomina, id est quae *e* vel *u* vel *i* vocales excludant[51], minus una syllaba proferuntur, ut *arceo*, *arcus; profugio*, *profugus*[52]; *advenio*, *advena; gradior*, *gradus; tribuo*, *tribus; metuo*, *metus*: sic etiam in ipsis verbis solet evenire, ut in *io* verba desinentia, si in compositione *i* excludant, omnibus modis unam minuentia[53] syllabam, coniugationem quoque mutare[54] cogantur; *facio*, *facis; aedifico*, *aedificas; capio*, *capis; occupo*, *occupas*. Sic[55] a *nomine* et *capio nuncupo*, *nuncupas;* eodemque modo a *fugio*, *fu-*

Cam. P. — 35) *Olere penultima* (sic) Cod. *olere penultima* Cam. P. — 36) *Induruit et maturuit* Cod. Cam. *induravit et maturavit* P. male. — 37) *Auctoritate sola vetustatis tradidit ratio.* Sic recte Cod. *Ratio vetustatis* est *usus*, *modus*, quo utebatur vetustas. Et artificiosior sic clauditur periodus, quod amant Grammatici huius aetatis, maxime Eutychius eiusque praeceptor Priscianus. *Auctoritas sola vetustatis*, *non artis ratio tradidit.* Cam. P. — 38) Add. *nominum* Cam. P. male. In Cod. ascr. a ser. m. Eadem tamen rec. m. ascripsit *subiecta*, quod abesse nequit. — 39) Cod. a pr. m. *lego gas* cum corr. *ł litigo* i. e. *vel litigo*. Correctio tamen videtur ab antiqua m. quare retinui, etiam sententia postulante. — 40) Cod. *ante o*. cui consentit Cam. *Antecedente* o P. — 41) *Licet possunt haec* Cod. *licet haec* Cam. P. in quibus infra post v. *esse* additur *videntur*. — 42) *Sacrificus*, *laetificus* Cam. P. — 43) *Deducantur* Cam. P. *diducuntur* Cod. — 44) *Verba videntur* P. V. *videntur* om. Cam. et Cod. — 45) *Licet careant appositis ad aliorum* cet. Cam. P. Pro v. *appositis* Cod. exhibet *positione*, quod dedi. Nam quae sequuntur *ad aliorum similitudinem compositis nominibus* in appositione addita sunt, et ἐπεξήγησιν continent. Ceterum *carent* Cod. a pr. m. — 46) *Motant* Cod. V. supra. — 47) *Anticipo anticipas, occupo occupas.* Cam. P. — 48) *Ut et enim* sola P. — 49) *Et e contrario* ita recte Cod. *Ita e contr.* Cam. P. — 50) *Vel in u o* interponunt Cam. P. — 51) *Id est* add. e Cod. Tum *excludentia* in Cod. corr. a ser. manu. — 52) *Perfugio perfuga* Cam. P. In Cod. est e corr. *refugio refuga*, sed recte prima manus: *profugio profugus.* — 53) *Minuentia unam* Cam. P. — 54) *Motare* Cod. V. supra. — 55) *Sicut a nomine* Cam. P.

gis[1] nomen deductum *fuga* facit ex nomine verbum *fugo*, *fugas;* quo modo a verbo *iungo iungis*[2] nomen *iugum*, et ab hoc verbum *iugo*, *iugas;* et *molo*, *molis*[3], unde nomen *mola*, et ab eo verbum *immolo*, *immolas;* sicut *sedeo* verbum secundae, et[4], quod eiusdem est compositum coniugationis[5], *insideo*, unde nomen *insidiae*, ex quo aliud verbum *insidior*, *insidiaris*, traducitur[6]. Ex praeterito perfecto suo, quod est in primitivo *sedeo*, *sedi*, factum expulsione *e*, quae erat ante *o*, productaque penultima, facit verbum primae coniugationis, *sedo*, *sedas*, quomodo in circumflexis apud Graecos Syracusano more saepe verbi positio derivatur ab alterius verbi praeterito perfecto, ut *ποιῶ*, *πεποίηκα*, *πεποιήκω; νοῶ*, *νενόηκα*, *νενοήκω;* quod potest etiam a praeterito perfecto, quod[7] est *sedi*, nomen fecisse haec *sedes*, eadem verbi longitudine etiam in nomine servata. Ut ab eo quod est *rumpo*, *rupi*, *rupes; sterno*, *stravi*, *strages;* sic a nomine *sedes* derivatum[8] generali regula nominum, iure primae coniugationi dedit se verborum[9]. A nomine quoque plurali, quod est hae *sordes*, *sordeo*, *sordes*, secundae coniugationis verbum deductum, cum fecisset ex se nomen mobile *sordidus*, ab eo verbum derivans *sordido*, *das*, merito primae dedit illud verborum coniugationi. De monosyllabo autem[10] verbo, quod est primae, praeter regulam coniugationis, *do*, *das*, *dat*, et compositionibus eius rationabiliter non respondentibus primitivo, in supradictis abunde reor esse monstratum[11].

1) *Nuncupas; facit eodemque modo a fugio fugis fit nomen.* Codex. *Facit* omittunt Cam. P. *Fit* autem etiam omittendum esse, res ipsa docet, idque feci. — 2) *Iugo iugis* mendose Cod. — 3) *Molo molis* ita recte Cod. *molo molas* Cam. P. — 4) *Et* deest in Cod. sed necessarium. — 5) *Ut* add. Cam. P. — 6) *Et* male interponunt Cam. P. — 7) *Ut est sedeo sedi* P. *quod est sedi* Cod. Cam. — 8) *Derivatum verbum* P. Cam. *Verbum* abest a Cod. — 9) *Dedisse verborum videtur, sedo sedas.* P. *dedisse verborum* omissis reliquis Cod. Recte Cam. *dedit se verborum*, quod expressi. — 10) *Enim* Cam. P. et Cod. a sec. m. *autem* Cod. a pr. m. — 11) Addit librarius in Cod. *Deo gratias explicit feliciter ars eutycii grammatici.*

ARUSIANI MESSI

V. C. OR. COMITIS PRIMI ORDINIS

EXEMPLA ELOCUTIONUM

EX

VIRGILIO SALUSTIO TERENTIO CICERONE

DIGESTA PER LITTERAS.

PRAEFATIO EDITORIS.

Plus quam dimidia parte auctus Arusianus hic Messius prodit, cuius olim libellum Angelus Maius, vir de antiquarum litterarum studio immortaliter meritus, ex codice aliquo Ambrosiano, nomine Cornelii Frontonis praenotato, edidit. Est in bibliotheca Guelpherbytana libellus manu Gudii exaratus, qui talem prae se fert indicem: *Arusiani Messi, V. C. Or. Comitis primi ordinis, exempla elocutionum ex Virgilio, Sallustio, Terentio, Cicerone, digesta per litteras.* Libellus est in charta scriptus, eiusque in fronte notavit Gudius: *In aliquibus codicibus pro Arusiani Messi male irrepsit Cornelii Frontonis.* Is libellus haud dubium est quin ab antiquissimo aliquo codice itemque optimo transscriptus sit; tam enim est incolumis, ut integrum Grammatici opusculum, paucis locis exceptis, repraesentare, Angeli autem Maii codex plane mutilatus truncatusque, maxime vero in posteriori parte, fuisse videatur. Rursum igitur mihi contigit, id quod in prioribus Grammaticis, hucusque a me tractatis, accidisse vehementer laetor, ut antiquissimum librum nactus, fontem integerrimum adire possem, ex quo opusculum quam emendatissimum in lucem proferrem. Nam tametsi relicti sunt loci, in quibus medicina ab alio tantum libro scripto exspectari debet; tamen in plerisque codex hic Gudianus, veram Grammatici manum refert, ac non solum in iis quae Maius iam publici iuris fecerat, auxilium fert integerrimum, verum etiam nova multa satis emendate scripta affert, ita ut, quod supra dixi, plus quam dimidia parte auctus videatur. Atque inter ea, quae nova iam leguntur, maxime memorabilia sunt aliquot Ciceronis fragmenta, antehac non cognita, et, quod maius est, fragmenta permulta ex Sallustii libris Historiarum, quae hucusque nemo vidit. De quibus quum scirem magnam multorum esse exspectationem; nolui committere ut ea diutius traheretur, qua de caussa editionem amplius differendam non censebam.

Ceterum quinam fuerit Arusianus, atque *Messius*ne an *Messus* potius scribendus sit, nunc quaerere non vacabat. Quae de Frontone disputaverat Angelus Maius, quaeque de libello Frontoni abiudicando dixit Niebuhrius in Editione Frontonis reliquiarum, ea huic meae editioni praemittenda iudicavi. Notabile est, in codice Gudiano bis citari Symmachum, quum in reliquis ex quatuor tantum priscis illis scriptoribus, Terentio, Sallustio, Cicerone, Virgilio exempla sint petita. Donec certius constiterit, quo tempore vixerit Arusianus, illos Symmachi locos pro suppositiciis habendos putavi ac proinde in notas transscripsi, non pro certo affirmare ausus, nihil eos ad Arusianum pertinere. Facile enim fieri potuit, ut Arusianus, vel recentis alicuius illecebrae libro suo conciliandae caussa, vel gratiam ac favorem ipsius Symmachi captans, si forte illius aetate viveret, a norma sibi praestituta paullum deflecteret atque recentiorem scriptorem aliquoties in scribendi exemplum laudaret.

Silentio praetereundum non est, me in hoc libello *Salustii* nomen una *l* littera scripsisse, quam veram esse scripturam puto, licet aliter pronunciasse veteres facile largior. Commemorare tamen debeo, huic scribendi rationi non ubique favere codicem Gudianum, quem initio putabam antiquiorem scripturam referre omnibus in locis, qua in re me errasse, postea intellexi. Retinui tamen illam per unam *l* scribendi rationem, qua coeperam. Scripsi in Gymnasio Zittaviensi Idib. Augusti cIɔIɔcccxxx.

PRAEFATIO ANGELI MAII.

Opus grammaticum quod extremum in mea Frontoniana Editione excudendum curo, inscribitur in Codice Ambrosiano (D. 498. part inf.) CORNELII FRONTONIS EXEMPLA ELOCUTIONUM. Iam hic Codex longe alius est, atque antiquissimus Palimpsestus, ex quo superiora Frontonis Scripta prodierunt. Quum mihi exploratum sit, hoc Opus ab aliis tribui Arusiano (seu Volusiano) Messo sequioris aevi oratori et grammatico, proponenda censui quaedam argumenta, ob quae Frontoni nostro asserendum videbatur.

1. Hoc Opus in Codice Ambrosiano nomen Cornelii Frontonis, ut dixi, diserte prae se fert.

2. Codices nullo fere in loco antiquiores nobilioresve, quam in Coenobio Bobiensi fuerunt. Iamvero in eius Coenobii pluteis inter alios Grammaticos veteres *Cornelii* quoque *Frontonis Elegantiae latinae* exstiterunt. Eius rei testis est luculentus in sua Geographia Volaterranus his verbis: „Hic (in Bobiensi Coenobio) anno MCCCCXCIIII. huiuscemodi libri reperti „sunt . . . . Terentianus Maurus de literis, syllabis et metris omnis generis. Caesius Bassus. „Velius Longus de orthographia. Adamantius Martyrius de B litera muta, et V vocali. Probi „catholica. *Cornelii Frontonis Elegantiae latinae.* Sergius grammaticus de litera etc.“ Porro *Elegantias latinas Cornelii Frontonis* quis aliud existimet quam hoc Scriptum, *Exempla elocutionum*, quae reapse sunt Elegantiae sermonis latini? Neque enim hic titulus convenit alii Cornelii Frontonis Opusculo item grammatico edito et inscripto *De Differentiis vocabulorum*, quae dici *Elegantiae latinae* vix posse videntur. Ergo Libellus, *Exempla elocutionum* in Codice Bobiensi Cornelio Frontoni adscriptus fuit. Codex tamen Ambrosianus, quo nos utimur, non est antiquus, nec Bobiensis videtur, sed omnino saeculo XVI. scriptus.

3. Carolus Sigonius qui Fragmenta Ciceronis primus collegit, testatur, se ad eam rem Codice usum esse, in quo erat Opusculum *Cornelii Frontonis Exempla elocutionum.* En eius verba ad Ciceronis Libri I. de Rep. Fragmentum primum: „Hoc Fragmentum, ut multa post „alia, ex Cornelii Frontonis grammatici veteris libro quodam qui *elocutionum Exempla* inscri- „ptus est, mutuatus sum: quem librum ex intimis Rainutii Farnesii, Cardinalis illustrissimi, the- „sauris, domino ipso concedente sumptum ad me Roma iuvenis ornatissimus atque doctissimus „Fulvius Ursinus, amicus meus, misit. Hic autem, cum praeclara multa eaque incognita Cicero- „nis ad antiqui sermonis formulas demonstrandas exempla contineat, adeo mihi ad haec concin- „nanda Fragmenta fuit commodus, ut, quidquid iis ornamenti hac nova editione accesserit, id

1) Lib. 4. prope finem.

„omne humanissimi Principis liberalitati etc. referendum sit.“ Revera in Codice nostro exstat quidquid Tullianum Sigonius ex Farnesiano libro compilavit.

4. Andreas Patricius, qui Fragmenta Ciceronis auxit, ad Particulam Tullianae Orationis inscriptae *Quum quaestor Lilybaeo decederet*, haec ait: „Fragmentum recens allatum a me ex „Frontonis quodam libro, qui continet *Exempla elocutionum.* Quem quidem librum cum Io. „Zamoscius noster, adolescens litteratissimus, ex Italia in Poloniam ad me misisset, quoniam antea „quoque ex eo Sigonius quadraginta fere alia Fragmenta elicuerat, inque suam posteriorem Edi-„tionem transtulerat; dedi et ipse operam, ut inde etiam et huic nostrae commentationi accessio „nonnulla quaesita esse videretur.“ Pergit ibidem Patricius confirmare, auctorem quoque libelli *de Differentiis vocabulorum* unum esse eumdemque Frontonem, de quo videlicet loquuntur Gellius Lib. II. 26. XIII. 28. XIX. 10. 13. et Macrobius in Saturnalibus (v. 1.).

5. Aldus Manutius Sallustii Fragmenta ex libello Frontonis, qui nunc editur, partim eruit. Ad Historiarum enim Sallustii Lib. I. verba illa *Nihil ob tantam mercedem sibi abnuituros*, sic ait[1]: „Ex Cornelii Frontonis *de Exemplis elocutionum* libello, nondum edito, quem legi „commodatum a Scipione Pettio, viro optimo, et singulari quadam in pervestigandis Veterum „libris diligentia praedito.“

6. Nicolaus quoque Heinsius testis est, hunc libellum a nonnullis Frontoni tribui. Sic enim ad Gronovium ex Urbe Neapoli scribit[2]: „Inveni Grammaticorum nonnullorum Opuscula „hactenus, ni fallor, inedita, magno mihi usui futura, quae omnino velim describere. Inter quos „Volusianus est Messus, quem alii *Cornelium Frontonem* volunt. Is Fragmenta Ciceronis ac Sal-„lustii multa citat, quae in eorum Operibus frustra quaerantur. In phrasibus minus usitatis anno-„tandis potissimum occupatur, quas ex quatuor auctoribus selegit, Virgilio, Terentio, ac iis quos „iam nominavi.“

7. Ludovicus item Carrio ad Historiarum Sallustii Lib. I. Editionis Gruterianae p. CCCCLI. sic ait: „Arusianus Messus libello *de elocutionum Exemplis*, quem quidam Cor. Frontoni tribuunt, „haec Sallustiana citat.“ Quod vero idem addit, inepte et inscienter eum libellum Cor. Frontoni adscribi, id demum nos moveret, si assertionis suae argumenta Carrio protulisset.

8. Ianus denique Douza in Notis ad Sallustii Hist. quas videsis in eadem Gruteriana Editione, Frontonis esse autumat libellum ex quo multae Sallustii particulae depromptae sunt.

9. Confirmat hanc opinionem simile aliud Opusculum *de Differentiis vocabulorum*, quod Cornelio Frontoni nemo fere abiudicat. Idem scilicet praestat unum in elocutionibus quod alterum in vocabulis: nempe hoc vocabulorum, illud elocutionum differentias notat. Et Frontonem quidem suorum discipulorum in gratiam grammatica Opera scripsisse mihi facile persuadeo. Iamvero is imperfectam sermonis latini doctrinam tradidisset, nisi post usum verborum, usum quoque elocutionum varium docuisset. Haec fere habui quae pro Frontone meo dicerem, cui hunc Elocutionum libellum vindicandum censui. Ceterum eumdem sub Arusiani (seu Volusiani) Messi nomine laudant Pierius ad Virgilium, Carrio ad Sallustium, Heinsius ad Valerium Flaccum III. 737. et alibi nec non in Epistulis, Io. Rhodius in Lexico Scriboniano voc. *abstinere ab omni re.* Fabricius in Bibliotheca latina[3], Burmannus Iunior in Commentario de Vita Heinsii Adversariis huius

1) In Edit. Sallustii Antverpiensi 1564.

2) Epistulae Virorum illustr. Tom. 3. Epist. ad Gronovium 144. p. 181.

3) Edit. Hamburg. 1722. Tom. 3. p. 914.

praefixo p. IX. Idem Burmannus in praefatione ad Virgilium p. XLI. Ruhnkenius in praefat. ad Rutilium Lupum p. XXVI. Heynius in praefat. item ad Virgilium p. CCXXXXIV. aliique, qui tamen rem ad trutinam revocasse numquam videntur.

Iam utrum hoc, quo scribo, tempore Libellus Elocutionum sit editus, mihi non satis exploratum est. Fabricius quidem ait [1], illum e Codice Godfridi Graevii, Consulis Lipsiensis, ab Andrea Stübelio suis locis insertum novae Editioni Thesauri eruditionis scholasticae Basilii Fabri. Lipsiae an. MDCCXVII. Sed revera Stübelius nonnisi exempla aliquot ex eo libello in Thesauro suo laudat, multa praetermittit, quodque pluris interest, verba Auctoris libelli plane supprimit: adeoque libellus, quod quidem ad Stübelium attinet, plane ineditus est. Anno autem MDCCXLII. de eo libello sic ait Burmannus Iunior in Commentario de Vita Heinsii p. IX. „Luculentum hoc „grammaticae rei monumentum tanto temporis intervallo privatis virorum doctorum armariis pres- „sum mirari sane subit.“ Tum idem anno MDCCXLV. in praefatione ad Virgilium p. XLI. necdum editum dicit. Denique Saxius in Onomastico Edit. Traiecti ad Rh. MDCCLXXV. p. DXI. laudat P. Bondami Adnotationes ad Arusiani Messi *Quadrigam* sive *Exempla elocutionum*, cuius libelli, inquit, non nisi duo folia maiori forma typis descripta sunt. Eam coeptam Editionem equidem videre mirifice cupio, sed eadem incommodissime careo, neque porro Editio mea Frontonianorum Operum moras patitur. Sed utcumque demum ea res se habet, quum ego Frontonis Scripta, quotquot invenire datum est, edenda curem, operae pretium me facturum existimo, si hunc quoque libellum, sive antea editum sive secus, adiungam.

Sane hic libellus pretiosiore sui parte tunc spoliatus fuit, cum docti homines locos ineditos Ciceronis et Sallustii ex eo delibarunt. Neque tamen aliquam dignitatem atque utilitatem adhuc non retinet. Nam primo, Exempla Scriptorum, uti e nostro Codice prodeunt, ab ante editis saepe differunt. Deinde, Auctor libelli suis ipse verbis novos reconditioresque latinae linguae modos diserte docet, qui in Exemplis Scriptorum disiectis et extra ordinem huius libelli collocatis aegre admodum ab Eruditis notarentur. Tum denique fieri potest, ut aliqua particula Veterum nondum edita in hoc Scripto insit. Qua de re etsi ego interdum suspicatus sum, temporis tamen angustiis pressus, nihil affirmandum putavi. Illud etiam moneo, in Codice nonnisi libros Veterum laudari, ut mos est Codicum, immo ne hos quidem nominatim interdum designari: me vero, ut Lectorum commoditati consulerem, non sine gravi mea molestia temporisque iactura capita etiam pleraque omnia Tullii et Sallustii, Terentii autem et Virgilii versus, quantum in tumultuario opere licuit, accurate notasse.

1) Loco nuper laudato.

EX EDITIONE RELIQUIARUM FRONTONIS A NIEBUHRIO

CURATA

DE AUCTORE HUIUS LIBELLI IUDICIUM

NIEBUHRII.

Exstat in bibliothecis Italicis libellus ex lexicorum genere, eo insignis quod plurima servavit ex Historiis Sallustianis, atque ex Ciceronis qui interciderunt libris, fragmenta, in quibusdam codicibus inscriptus M. Frontonis exempla elocutionum, in aliis vero Arusiani (seu Volusiani) Messi quadriga. Prioris generis librorum auctoritate, seculi XVI. eruditi plerique, qui inde fragmenta hauserunt, Frontonem laudant; Maiusque, de augendo Frontonianorum librorum numero sollicitus, in eorum partes concessit, librumque ex Codice Ambrosiano, XVI. seculo scripto, una cum illis edidit. Nullus exstat liber, cui de suo minus attulerit auctor: neque enim eius praeter lemmata verbum ibi invenies, uno fortasse excepto loco v. *detraho de te:* sed ibi quoque ita barbarus est sermo, ut a vetere scriptore profecta esse nequeant. Excerpsit ille ex quattuor scriptoribus (unde quadrigae nomen inditum) Terentio, Cicerone, Sallustio et Virgilio, quae notatu dignae viderentur elocutiones, ita ut ipsas litterarum ordine lemmatis loco poneret, deinde verba subiungeret scriptoris, apud quem invenisset, tali modo: *Abundans illius rei.* Virg. *Ecl. Nivei quam lactis abundans. — Urbs et nomini plurali subiunctum. Virg. Aen. X. Quique urbem liquere Cosas. Cicero de signis: Urbem Syracusas maximam esse Graecarum.* Iam vero, postquam Frontonis de romani sermonis auctoribus iudicium innotuit, qui de Virgilio et Terentio taceat, Ciceronem antiquioribus certe non praeferat, quis illum credat, si huius generis libro consarcinando operam dicasset, non Catonem potius illum suum, Enniumque cum C. Crispo adhibiturum fuisse? Itaque librum, qui tam gravi indicio Frontoni abiudicetur, et ita tenuis, et collectis inde a Carrione, Patricio et Sigonio fragmentis iam nullius fructus sit, qui praeterea a parte testium alii auctori diserte tribuatur, non recepimus, quum praesertim moli sumptuique editionis nostrae parci voluerimus.

Raphael Volaterranus inter libros qui a. 1494. in Bobiensi bibliotheca inventi fuerint, *Cornelii Frontonis elegantias Latinas* recenset: quae si fuerunt *exempla*, de quibus hic sermo est, vetusti quidem Codicis auctoritatem habet qui illa Frontoni vindicat; ea tamen quam infirma sit inter omnes qui sapiunt convenit.

ARUSIANI MESSI

EXEMPLA ELOCUTIONUM

EX CODICE GUDIANO AUCTIUS ATQUE EMENDATIUS EDITA.

ARUSIANI MESSI[1] [487]

EXEMPLA ELOCUTIONUM.

A.

Abundans illius rei. Virg. in Bucol.[2]: *Nivei quam lactis abundans.* Abundans illa re. Cic. pro Cornelio lib. II.[3]: *Quis tam abundans copiis.* Abundat illa re. Cicero[4] pro Cluentio: *Mulier abundat audacia.* Abunde est huius rei. Virg. Aeneid. VII.[5]: *Terrorum et fraudis abunde est.*

Ardet illa re. Virgil. Aen. XI.[6]: *Femineo praedae et spoliorum ardebat amore.* Ardet illam rem. Virgil. in Buc.[7]: *Formosum pastor Corydon ardebat Alexim.* Ardet in illa re. Salust. Bello Catil.[8]: *Ardens in cupiditatibus.* Ardet in illam rem. Virg. Aen. VII.[9]: *Ardet in excitam Ausoniam.*

Avertit hac re. Virgil. Aen. lib. I.[10]: *Nec posse Italia Teucrorum avertere Regem.* Avertit ab illa re. Cic. Philipp.[11]: *Ab Urbe M. Antonii impetus in Galliam avertit.* Aversus ab illo. Cicero in Catilin. III.[12]: *Tam aversus a vero.*

Accingo me huic rei. Virg. Aen. I.[13]: *Illi se praedae accingunt dapibusque futuris.* Ac- [488] cingo illi eam rem. Idem Aen. XI.[14]: *Laterique accinxerat ensem.* Accingor illam rem.

1) Angelus Maius tribuit Cornelio Frontoni, ut in praemonitis disputatum est. — 2) Bucolica Virgilii citat Angelus Maius nomine *Eclogarum.* Quod non in Cod. suo ita inveniri satis constat, quum infra in nota (7) ad vocem *Supervenio* id aperte confiteatur, et sibi commodius visum Eclogas citare, commonstret. Ceterum praeter numerum librorum, qui etiam in nostro Codice exstant, Ang. Maius etiam versus adiecit, quorum significationem ex instituto nostro in notis exhibuimus. Locus est Virg. Ecl. II, 20. — 3) *Pro Cornelio lib. II.* Ita Gu. *Pro Cornelio* 199. Ang. Mai., notans se paginas Tomi II. Editionis Verburg. citare in Fragmm. Ciceronn. Nos citamus secundum Editionem Nobbianam, ubi est Corn. II, 9. Idem locus citatur a Priscian. XVIII, 2. — 4) *Idem pro Cluentio.* Sic A. M., unde mihi suspicio, plura eum mutasse in citationibus. Est cap. 65. — 5) Versu 552. A. M. singulis exemplis singulas ab ora lineas incepit. Contra MS. Gu. omnia exempla, quae ad eandem vel similem locutionem spectant, in unum coniungit. Sic igitur ab initio libelli usque ad hunc locum unum est segmentum; similiter in reliquis seqq. — 6) *Idem XI,* 782. A. Mai. Tum Cod. Gu. *Foemineo.* — 7) *Idem Ecl. II,* 1. A. Mai. *Alexin* Cod. Gu. *Alexim* A. Mai. — 8) Cap. 5. *Salust.* scripsi e Cod. Gu. qui quanquam h. l. *Sallust.* tamen in seqq. omnibus hoc nomen una *l* scriptum exhibet. — 9) Versu 623. ubi *Ardet inexcita Ausonia* editur, quod verum est. — 10) *Idem I,* 38. A. Mai. — 11) Locus est V, 11. ubi: *qui M. Antonii impetus nefarios in Galliam avertit.* Cod. A. Maii *Antonium.* Recte Gu. quod dedi. — 12) *Idem in Cat. III,* 9. A. Mai. — 13) Versu 210. — 14) Versu 489. Hoc totum exemplum tertio loco legitur in Cod. Gu., contra quartum novum segmentum incipit. *Accingor illi illam rem* Cod. Gu. Sed *accingo* ipse Gu. in margine corr.

Idem Aeneid. IIII.[1]: *Magicas invitam accingier artes.* Accingor illa re. Idem Aen. VII.[2]: *Fidoque accingitur ense.*

Appulit huic rei. Virgil. I.[3]: *Forte sua Libycis tempestas appulit oris.* Appulit ad hoc. Terentius in And.[4]: *Peeta cum primum animum ad scribendum appulit.*

Avidus hoc facere. Virg. Aen. XII.[5]: *Avidus confundere foedus.* Avidus illius rei. Idem Aeneid. VIIII.[6]: *Ergo avidum pugnae dictis.* Salustius Hist. IIII.[7]: *Avidior modo properandi factus.* Avidus[8] ad hanc rem. Terent. Eun.: *Aliquantum ad rem est avidior.*

Abnuo fieri hoc. Virg. Aen. X.[9]: *Abnueram bello Italiam concurrere Teucris.* Abnuo de illa re tibi. Salust. Bell. Iug.[10]: *Neque illi senatus de ullo negotio abnuerat.* Abnuo tibi hoc. Idem Hist. I.[11]: *Nihil ob tantam mercedem sibi abnuituros.*

Amicus illi. Virg. Aen. VIIII.[12]: *Et amicum Crethea Musis.* Amicus illius. Terent. Phor.[13]: *Amicus summus mei et popularis Geta.*

Adhibet illi. Virg. Aen. IX.[14]: *Adhibete Penates Et patrios epulis.* Adhibet in illum. [489] Cicero De Domo sua[15]: *Crudelitatem expromo quam in me ipsum ac meos adhibuistis.* Adhibet in illo faciendo. Cicero in Siciliensi[16]: *Adhibentur in scribendo primarii viri.*

Adiuro hoc. Virg. Aen. XII.[17]: *Adiuro stygii caput implacabile fontis.* Adiuro per hoc tibi. Terent. Andria[18]: *Per omnes tibi adiuro Deos.*

Aestimo hoc illa re. Cicero in Verr. de Suppliciis[19]: *Haec vero quae vel vita redimi recte possunt, aestimare pecunia non queo.* Aestimo hoc ex illa re. Salust. Bello Catil.[20]: *Amicitias inimicitiasque non ex re sed ex commodo aestimare.*

Abutor illa re. Cicero in Catil. I.[21]: *Abutere Catilina patientia nostra.* Abutor illam rem. Salust. Bello Catil.[22]: *Quibus mihi videntur ludibrio fuisse divitiae; quippe quas habere honeste licebat, abuti per turpitudinem properabant.* Terent. in And.[23]: *Nam in prologis scribendis operam abutitur.*

1) V. 493. — 2) Versu 604. Ceterum in tribus superioribus exemplis A. Mai. omisit *Aeneidos* significationem. — 3) *Idem I*, 377. A. Mai. — 4) *Terentius in Andria* Cod. Gu. *Ter. And. Prolog.* 1. A. Mai. — 5) Versu 290. — 6) Versu 661. *Aen.* signum omisit A. Mai. — 7) *Salustius*; ita Gu. Est apud Gerlach. inter fragmm. libri IV, numero 30. — 8) *Avidius* apud A. Mai. fortasse typorum errore. Locus est Ter. Eun. I, 1, 51. In Cod. Maii est *aliquantulum*; recte Gu. *aliquantum*, quod verum. — 9) Versu 8. — 10) Cap. 86. *Abnuerat* Cod. Gu. *Abnueret* Cod. Mai. Apud Salustium est: *abnuere audebat.* — 11) Apud Gerlach. n. 36. — 12) Versu 774. *cretea* Cod. Gu. — 13) Cod. Gu. *Terent. Adelph.* Est locus Phorm. I, 1, 1. Uterque Cod. *summus mei et.* Legendum haud dubie *meus*, ut est apud Terentium. Error est eruditului librarii, qui ad significandam genitivi structuram possessivum facere non putaret. — 14) Uterque Cod. e libro IX. citat. Locus est V, 62. Tum in Cod. A. Mai. est: *Adhibere penates et primos ep.* Recte Gu. quod exhibuimus. — 15) Cap. 23. Gud. *expromo*, quod ap. Cic. legitur. *Exprimo* A. Mai. Tum editur apud Cic. *in ipsum me.* — 16) *Idem in Siciliensi* 77. A. Mai. *In scribendo* uterq. Cod.; apud Cic. editur: *Adhibentur in exscribendo de conventu viri primarii.* Ordo *primarii viri* debetur Cod. Gudiano. *Viri primarii* A. Mai. — 17) Versu 816. — 18) Andr. IV, 2, 11. — 19) *Cic. de Suppliciis.* 9. A. M. *In Verr.* addit Cod. Gu. Tum *vel vita* uterque Cod. *nec v.* coniecit in margine Gudius. — 20) *Sal. Cat.* 10. A. Mai. — 21) *Cic. in Cat. I*, 1. A. Mai. — 22) *Sal. Cat.* 13. A. Mai. *Quippe has hab.* Cod. Gu. — 23) *Ter. And. Prol.* 5. A. Mai. — 24) *Cic. in Cat. III*, 6. A. Mai. — 25) Ita recte coniecit A. Mai. Cod. uterque *Abdicat illa re.* Tum *Sal. Cat.* 48. A. Mai. Fortasse tamen scribendum *Abdicat illam rem* in quod ipsum iam incidit Mai. — 26) *Cic. in Frumentaria* 19. A. Mai. Tum pro vv. *populo Romano misisse* Cod. Gud. *praetermisisse* ex male intellecto compendio *p̄. r̄. misisse.* — 27) *Sal. Cat.* 59. A. Mai. Est cap. 56. ed. Gerlach. — 28) *Amplius ad illam rem* Cod. uterque; recte *ad* omisit Mai. Tum *Idem in eodem* 62 A. Mai. Est e cap. 59. ed. Gerlach. *Amplius ad annos* Cod. Maii; praepositionem recte ignorat Cod. Gu. *Fuerunt* Cod. Gu. — 29) *Sal. Iug.*

Abdicat se illa re. Cicero in Catilin. libro III.[24]: *Lentulus cum se praetura abdicasset.* Abdicata illa re[25]: Salust. Bello Catil. *Senatus decernit uti abdicato magistratu Lentulus.*

Amplius illa re. Cic. Frumentaria[26]: *Quid si duabus partibus doceo te amplius frumenti abstulisse, quam populo Romano misisse?* Salust. Catil.[27]: *Amplius duobus millibus.* Amplius illam rem. Idem in eodem[28]: *Amplius annos triginta cum magna gloria fuerat.* [490]

Adversus illius. Sal. Iugurt.[29]: *Acri viro, et quamquam adverso populi, id est adversus illi nobilitatis.* Adversum te pro apud te. Terent. in And.[30]: *Et id gratum fuisse adversum te habeo gratiam.*

Ad et apud confuse ponuntur. Virg.[31] Aen. I.: *Prima quod ad Troiam pro caris*[32] *gesserat Argis.* Idem Aeneid. XI.[33]: *Quicquid apud durae cessatum*[34] *est moenia Troiae.* Terent. Adelph.[35]: *Ego Mitionem, si ad forum est, conveniam.* Idem in And.[36]: *Apud forum modo e Davo audivi.* Cic. pro Roscio[37]: *Ac tantummodo aleretur ad villam.* Terent. Adelph.[38]: *Apud villam est.* Sal. Iug.[39]: *Ibi latine, nam ad Numantiam loqui didicerat, exclamat.* Ad quidam pro iuxta vel circa poni dicunt Ciceronis in Siciliensi exemplo[40]: *Statim Romae et ad Urbem quaerere et agitare cum suis coepit*, id est *in Urbe*, et *profectus iam, iuxta Urbem.* Sed gravius his[41] adfertur exemplum e prima Actione in Verrem[42]: *Ex his quasi decem fiscos ad senatorem illum*[43] *relictos.*

Adsuesco illis rebus. Virg. Aen. VIII.[44]: *Sociorum adsuescite mensis.* Adsuesco illam rem. Idem Aeneid. VI.[45]: *Ne tanta animis adsuescite bella.* Adsuetus illi rei. Virg. Aeneid. VII.[46]: *Mensaeque adsuetus herili.* Adsuetus facere. Idem Aeneid. XI.[47]: *Adsueti longo muros defendere bello.* [491]

Adsidet illi. Cic. in Siciliensi[48]: *Sthenius est hic, qui nobis adsidet, Thermitanus.* Adsidere illum. Cic. *Neque adsidere Gabinium aut alloqui in curia quisquam audebat.* Adsidet illum in illa parte. Sal. Iug.[49]: *Dextra Adherbalem adsedit.*

47. A. Mai. Est e cap. 43. ed. Gerl. Tum pro vv. *et quamquam* Cod. Gu. *aequam.* Uterque codex addit *id est adversus illi nobilitatis*, quae verba omisit Mai. Apud Salustium est: *adverso populi partium*, quemadmodum optimi exhibent Codd. Non igitur dubium est, quin statuendum sit, integrum versum excidisse, qui novam elocutionem contineret, cuius ultima pars, quae exemplum habet, restat. Nisi forte locum sic constituendum putes: *Adverso populi. Idem: adversus ille nobilitatis;* ut intelligatur aliud exemplum a Salustio mutuatum. — 30) *Ter. And. I*, 1, 15. A. Mai. Tum Cod. Gu. *et id gratiori fuisse.* — 31) *Confuse ponit Virg. Aeneid. I.* Cod. Gu. Versus est 24. — 32) *Charis* Cod. Gu. — 33) *Idem Aen. XII.* Cod. Gu. Verum numerum posuit A. Mai.; versus est 288. — 34) *Cassatum* Cod. Mai. *Quidquid* Cod. Mai. — 35) *Terent. Adelph.* Gu. *Ter. Adel.* 3, 5, 2. A. Mai. *Mitionem* Cod. uterque. Tum *ad forum est* Cod. uterq. Edd. Terentii plerumque *apud forum est.* — 36) *Idem And.* 2, 1, 3. A. Mai. — 37) Cap. 15. — 38) Ad. IV, 1, 1. — 39) *Sal. in Iug.* 107. A. Mai. Locus est cap. 101. Edd. Cort. et Gerl. ubi editur *apud.* — 40) Cod. Gud. *dicunt. Cicero in Siciliensi: Extemplo statim.* Cod. Mai. *dicunt Siciliensis exemplo: Statim.* Locus est Act. in Verr. II, 2, 6. — 41) *Grave his* Cod. Mai. *Gravius his*, ut dedimus, Cod. Gu. — 42) *Prima actione in Verrem* Cod. Gu. *primae actionis in Verr.* Cod. Mai. Locus est cap. 8. — 43) *Illum* om. A. Mai. — 44) Versu 174. — 45) Versu 833. — 46) *Idem VII*, 490. A. Mai. — 47) *Idem VIIII.* 511. A. Mai. In Cod. Gu. saepe *Aenead.* scribitur pro *Aeneid.* — 48) *Cic. Siciliensi.* Cod. Gu. Cap. est 34. Tum Cod. Maii *Hearnius est hic.* Cod. Gu. *Stenius est hic.* Apud Cic. *Sthenius est is.* Deinde *Therimitaicus* Cod. Gu. Idem Codex statim post hoc nomen sic pergit: *neque assidere* cet. tanquam idem sit exemplum, non addita elocutionis formula *adsidere illum.* Apud Angelum Maium est: *Adsidere illum. Cic. Neque* cet. Locum hunc reperire A. Mai. non potuit. In ipso exemplo Cod. Gu. *Sabinium* et *alioqui* exhibet. — 49) Cod. A. Maii *Adsidere illum.* Tum idem A. Mai. *Sal. Iug.* 11. Locus in eodem cap. legitur apud Cort. et Gerlach.

Abhorrere illum. Cic. pro Cluentio[1]: *Nemo illum convivio dignum iudicabat: omnes aspernabantur, omnes abhorrebant, omnes, ut aliquam immanem ac perniciosam bestiam pestemque, fugiebant.* Abhorrere ab illo. Terent. Hecyr.[2]: *Abhorrere animum huic video a nuptiis.*

Adnare ad eam rem. Cic. de Rep. II.[3]: *Ut ad eam urbem, quam incolas, possit adnare.* Adnare illi rei. Virg. Aeneid. I.[4]: *Huc pauci vestris adnavimus oris.*

Adgredior illum. Virg. Aeneid. IV.[5]: *Talibus adgreditur Venerem Saturnia dictis.* Adgredior ad illum. Cic. pro Cluentio[6]: *Adgredior ad crimen.*

Accommoda huic rei. Virg. Aeneid. XI.[7]: *Accommoda fraudi Armorumque dolis.* Accommodo ad hanc rem. Cic. pro Cluentio[8]: *Arte quadam praeditus, ad libidines adolescentulorum excitandas accommodata.* Accommodo[9] huic rei. Virg. Aen. II.: *Laterique accom-* [492] *modat ensem.* Accommodo ad hanc rem[10]. Cic. de Rep. I.: *Accommodabo ad ea, si potero, omnem orationem.*

Aeger illius. Salust. Hist. IIII.[11]: *Consilii aeger.* Aeger illo. Idem Bello Catil.[12]: *Pedibus aeger.* Aegre mihi est. Terent. Hecyr.[13]: *Nequid aegre esset mihi.*

Avulsum illi. Virg. Aen. II.: *Avulsumque*[14] *humeris caput.* Avulsum ab illo. Terent. Eun.[15]: *Hunc sperat se a me avellere.*

Applicat huic rei. Virg. Aeneid. XII.[16]: *Terrae applicat ipsum.* Applicat ad hanc rem. Cic. in Siciliensi[17]: *Se ad amicitiam p. r. fidemque applicavit.*

Ago illa re. Cic. pro Ligario[18]: *Quam isto modo a te agi maluisset.* Ago illam rem. Sal. Hist. III.[19]: *Amittendum morem hunc quem agitis.* Virg. Georg. IV.[20]: *Magnisque agitant sub legibus aevum.*

Adit ad illum. Cic. ad Auxium. Lib. I.[21]: *Ad M. Bibulum adierunt.* Ter. Andr.[22]: *Adeamne*

1) Cap. 14. Tum *ac perniciosam* Cod. Gu. *et pern.* Cod. A. M. — 2) *Ter. Hecy. IV.* 4. 92. A. M. *animum huic* A. Mai. *huic animum* Cod. Gu. — 3) *De Rep. I.* 1001. edidit A. M., qui Codicem *lib. II.* indicare dicit. *De Republ.* omisso libri numero Cod. Gu. Tum idem Cod. Gu. *Ut ad eam adeam.* Deinde *possit* uterque Cod. *possis* Ed. Mai. Fragmm. de Rep. — 4) *Virg. Aen. I.* 538. A. Mai. Tum *pauci nostris* Cod. A. Mai. sed recte *vestris* Cod. Gu. — 5) *Idem IIII.* 92. A. M. Tum pro *Saturnia*, quod exhibet Cod. Gu., *Sanctissima* exhibet Cod. A. M. — 6) *Ad illud* Cod. A. Maii. *ad illum* Cod. Gu. Locus est e cap. 3. — 7) *Accommodo huic r.* Cod. Gu. Versus est 522. ubi haud dubie editur *accommoda*, quod Maius e Cod. suo edidit. *Accommodo* etiam in exemplo Virg. Cod. Gu. — 8) *Accommodo* recte Cod. Gu. *Accommoda* Cod. A. M. Locus est e cap. 13. Tum *accommodatum* in exemplo Cod. Gu. — 9) *Adcommodo* hoc loco exhibet Cod. Gu., quod vocabulum etiam in exemplo subiecto ita scriptum exstat. *Virg. Aen. II.* 393. A. Mai. — 10) *Adcommodo* Cod. Gu. atque in exemplo *adcommodabo*. Tum *Cic. de Rep. I.* 1001. A. Mai. *Cic. de Republ.* omisso numero Cod. Gu. Deinde Cod. Maii *omnium orat.* Cod. Gu. *omnem or.* Ed. Fragmm. de Rep. exhibet: *omnem illam or.* — 11) *Sal. Hist. IIII.* 12. A. M. *Salust. IV. Hist.* Cod. Gu. Apud Gerl. 31. — 12) *Idem Cat.* 62. A. M. Cap. 59. Cort. Gerl. — 13) *Aegre inest. Ter. Hecy.* 2. 1. 30. A. Mai. Quod dedimus est in Cod. Gu. Volebat librarius fortasse: *Aegre mi est.* — 14) *Amissum illi. Virg. Aen. II.* 558. *Amissumque* Cod. A. Maii. Recte Cod. Gu. exhibet utrobique *avulsum.* — 15) *Ter. Eun.* 3. 3. 14. A. M. Tum Cod. A. Maii *evellere;* recte Cod. Gu. *avellere.* — 16) *Virg. Aen. XII.* 303. A. M. — 17) Cap. 1. In Verr. Act. II. 11. Compendia *p̄. r̄.* desunt in Cod. Gu. Apud Ciceronem autem plerumque editur *applicuit.* — 18) Cap. 4. *Iste modo* Cod. A. M. Recte *isto modo* Cod. Gu. — 19) A. M. numerum 9. apposuit. Locus desumptus est ex oratione M. Licinii tr. pl. ad plebem, quae integra est servata, ubi *omittendum*

ad eam? Adii illum. Cic. pro Scauro [23]: *Adii causas oratorum.* Adii in illum. Idem de Signis [24]: *Priusquam Romam atque in horum conventum adiretis.*

Adsum illi. Cic. pro Cornelio, lib. I. [25]: *Das enim mihi facultatem eos, qui tum adfuerint Cornelio, nominandi.* Adsum ad hoc. Idem pro Cornelio [26]: *Facite ut facitis qui ad* [493] *causam adestis.*

Abduco ab illis. Cicero pro Deiotaro [27]: *Tu ab avo abduxisti.* Abduco illis. Virg. Aen. X. [28]: *Et gremiis abducere pactas.*

Adiuta hoc illos. Cic. ad Auxium I. [29]: *Si tu nos aliquid adiutare potes.* Adiutat hoc illis. Terent. Hecyra [30]: *Tu pueris curre, Parmeno, obviam, atque his onera adiuta.*

Admovit ad hanc. Cic. de Rep. II. [31]: *Neque enim ad mare admovit, quod ei fuit facillimum.* Virg. Aeneid. XII. [32]: *Admovitque pecus flagrantibus aris.*

Ad illius *quaero*, ut [33] subaudiatur templum sive fanum. Cic. pro Quintio: *Non satis erat — — — deberetur, nisi ad Catonis quaesisses, quantum solveretur.* Idem pro Cluentio [34]: *Sicut in statuis inauratis, quas posuit ad Iuturnae.* Idem Philipp. I. [35]: *Pecunia utinam ad Opis maneret!*

Absente me singulari numero. Cic. Philipp. I. [36]: *Et absente populo et invito.* Absente plurali numero. Terent. Eunuch. [37]: *Nescio quid profecto absente nobis turbatum est domi.*

Alienum hac re. Cic. pro Quintio [38]: *Nihil tamen alienum vita superiore commisit.* Alienum ab hac re. Terent. Adelph. [39]: *Alienum a vita mea.*

Anteeo illum hac re. Terent. Phorm. [40]: *Herum anteeo sapientia.* Anteeo illi hac re. Cic. Philipp. IX. [41]: *Sed cum Servius Sulpitius aetate illis anteiret, sapientia omnibus.*

Adfixa huic rei. Virg. Aeneid. VIII. [42]: *Foribusque adfixa superbis Ora virum.* Adfixa [494] in hac re. Cic. Philipp. XI. [43]: *Idque adfixum gestari iussit in pilo.* Idem de Suppliciis [44]: *In animo sensuque meo penitus adfixa est.*

Accedo illam rem. Virg. Aen. I. [45]: *Penitusque sonantis Accestis scopulos.* Accedo ad illum.

editur. Sed uterque Cod. *amittendum.* — 20) Virg. Ge. IV, 154. Totum hoc exemplum recens accessit e Cod. Gu. Abest ab Ed. A. M. — 21) *Ad Auxium* Cod. uterque. *Lib. I*, 999. A. M. Ed. Nobb. p. 1139. — 22) *Ter. And.* 4. 1. 15. A. M. Idem edidit: *Ad eam ne adeam* Sed. Cod. Gu. *Adeamne ad eam.* Apud Terentium autem est: *ad eum.* — 23) *Cic. pro Scauro* 995. A. M. Inter fragmm. e Codice Taurinensi apud Nobb. 23. pag. 1134. Apud Beierum pag. Legitur ibi *Adii casas oratorum.* Cod. Gu. *caussas.* — 24) Cap. 11. Cod. Gu. *adieritis.* — 25) *Cic. pro Cornelio* 991., omissa libri notatione, A. M. Legitur apud Nobb. inter Fragmm. libri secundi, 10. Cod. Gu. diserte libro primo vindicat. Tum *Da* et *adfuerunt* A. M. *Das — adfuerint* recte Cod. Gu. — 26) *Idem pro eodem ibid.* A. M. Apud Nobb. inter Fragmm. libri II. 11. *Caussam* Cod. Gu. — 27) *Idem pro Deiot.* 11. A. M. — 28) Versu 79. — 29) *Ad Auxium* uterque Cod. Numerum 999. signavit A. M. Fragmm. Epp. XII, 2. pag. 1139. Ed. Nobb. *Si tu aliquid nos* Cod. Gu. — 30) *Ter. Hecy.* 3. 2. 24. A. M. Tum *honera* Cod. Gu. — 31) *Cic. de Rep. II.* 1003. A. M. De Rep. II, 3. pag. 1153. Ed. Nobb. — 32) *Virg. Aen. XII.* 171. A. M. — 33) Verba *quaero, ut* desunt apud A. M. Recte addit Cod. Gu. Tum post v. *erat* integra linea excidisse videtur. Locus enim sic legitur apud Cic. Quint. c. 4. *Non satis erat, in tabulis inspexisse, quantum deberetur.* Cod. Gu. exhibet: *erat ni deberetur*, hoc est *in*, quod ex seqq. residuum. Deinde *ad Catonis* uterque Cod. *ad Castoris* Edd. Cic. — 34) Cap. 36. *Suturnae* Cod. A. M. Recte *Iuturnae* Cod. Gu. — 35) *Idem Phil. I.* 7. A. M. — 36) *Idem in eadem* 2. A. M. Tum *Et abs.* Cod. Gu. Omittit *et* A. M. — 37) *Ter. Eun.* 4. 3. 7. A. M. — 38) Cap. 31. *Tam* Cod. A. M. *tamen* Cod. Gu. — 39) *Ter. Adel.* 5. 8. 21. A. M. — 40) *Ter. Phor.* 1. 5. 17. A. M. — 41) *Cic. Phil. VIIII.* 1. A. M. — 42) *Virg. Aen. VIII.* 196. A. M. — 43) Cap. 2. *Id adf.* A. M. *Idque adf.* Cod Gu. *idque fixum* plerumque editur apud Cic. — 44) Cap. 53. Act. II. in Verr. lib. V. — 45) Versu 201. *Sonantes* Cod. Gu. *sonantis* ed. A. M.

Terent. Phorm.[1]: *Voluntas vestra si ad poetam accesserit.* Cic. de Suppliciis[2]: *Quam ad Pelori aedem accedere.*

Auctor huius rei. Virg. Aeneid. XII.[3]: *Auctor ego audendi.* Auctor hanc rem. Terent. Adelph.[4]: *Idne estis auctores mihi?*

Aequipero illum. Virg. Buc.[5]: *Nec calamis solum aequiperas sed voce magistrum.* Aequo illum. Virg. Aen. X.: *Et ventos aequante sagitta*[6]. Aequo id est paria facio[7]. Idem Aen. V.: *Aequemus pugnas.*

Adsurgo illi. Virg. Buc.[8]: *Atque viro Phoebi chorus adsurrexerit omnis.* Salust. Hist. V.[9]: *Syllam dictatorem uni sibi descendere equo, adsurgere sella, caput aperire solitum.*

Ab integro. Virg. Buc.[10]: *Magnus ab integro saeclorum.* Terent. Adelph.[11]: *Ecce autem de integro.* Cic. pro Cluent.: *De integro funus iam sepulto filio facit.*

Adprima vel adprime. Virg. Georg. II.[12]: *Flos adprima tenax.* Terent. Hecyr.[13] adprime: *Meis me omnibus scio esse adprime obsequentem.*

Ad pro usque. Virg. Georg. IIII.[14]: *Ad limum radiis tepefacta coquebant.* Idem Aen. [495] V.[15]: *Si nondum exosus ad unum.*

Adfectat illam rem. Virg. Georg. IIII.[16]: *Viamque adfectat Olympo.* Terent. Heaut.[17]: *Ad dominas qui adfectat viam.*

Ambobus pro utrisque. Virg. Aen. I.[18]: *Priamumque et saevum ambobus Achillem.*

Amens animi. Virg. Aen. IV.[19]: *Isque amens animi.*

1) *Ad illam* Cod. Gu. *Ter. Phor. Prol.* 30. A. M. — 2) Cap. 3. Act. II. in Verr. lib. V. *Quam* Cod. Gu. *Qui* Cod. A. M. Tum *ad Peloridem* legitur apud Cic. — 3) *Author* A. M. sed in altera formula idem *auctor. Virg. Aen. XII*, 159. A. M. — 4) *Ter. Adel.* 5. 8. 16. A. M. — 5) *Virg. Ecl. V.* 48. A. M. In exemplo *aequiparas* Cod. Gu. — 6) Versu 248. Elocutio cum exemplo recens accessit e Cod. Gu. — 7) *Aequo illa id est p. f.* Cod. Gu. *Idem Aen. V*, 419. A. M. — 8) *Idem Ecl. VI*, 66. A. M. Tum *Phoebei* Cod. Gu. — 9) Legitur idem fragmentum apud Nonium pag. 236. s. v. *Apertum*, sic comparatum: *Quibus de caussis Syllam in victoria dictatorem uni sibi equo descendere, surgere de sella, caput aperire solitum.* Cf. Salust. Fragmm. Hist. lib. V. no. 9. ed. Gerlach. — 10) *Virg. Ecl. IIII*, 5. A. M. *Saeclorum* addidi e Cod. Gu.: ignorat Cod. A. M. — 11) Hunc locum ita exhibet A. M. *Cic. pro Cluentio* 9. *Ecce autem de integro funus iam sepulto f. f.* In nota subiecta dicit, in Codice locum laudari *ex Terentii Adelphis*, subiungens haec: *Quippe Codicis scriptor non solum Opera, sed ipsos Auctores alium cum alio interdum perturbat.* Non est ita. Ut saepe, duo exempla in unum sunt confusa. Cod. Gu. exhibet: Sic Terent. Adelph. *Ecce autem de integro funus iam s. f. f.* Illud *sic* nihil est nisi *Cic.* Vox *de integro* errorem progenuit, a qua aberrans priori ad alteram librarius, omnia turbavit. Locus ex Terentii Adelphis I, 2, 74. sic legitur: *Gaudebam. Ecce autem de integro; nisi quicquid est Volo scire.* Nihil igitur amplius poterat laudare librarius, quam vv. *Ecce autem de integro.* Apud Cic. autem est: *Et ibi de integro funus iam sepulto filio fecit.* Igitur apparere opinor, verissimam esse meam emendationem. — 12) Cod. Gu. *Virg. II.* A. M. *Virg. Georg. II*, 134. — 13) *Ter. Hecy.* 2. 2. 5. A. M. *Terent. Andr.* Cod. Gu. Tum pro *adprime*, quod in utroque est Cod., reposuit A. M. *Phidippe*, non verum. *Omnibus adprime scio esse obs.* hoc ordine Cod. Gu. — 14) *Ad pro adusque* Cod. A. M. male. Versus est 428. Tum *radiis* uterque Cod. sed *radii* Editiones Virg. id quod sententia ibi postulat. — 15) Versu 687. — 16) *Idem Georg. IIII*, 562. A. M. Quoniam hic versus pertinet ad clausulam libri IV. Georgicorum, noster quidem vindicat Virgilio illos extremos versus, quos eidem recentiores aliquot Critici abiudicant. Vide Heynium ad eum Virg. locum. Sed, praeterquam quod antiqui interpretes Servius et Philargyrius in eos commentati sunt, ego hoc moneo: Codices videlicet Ambrosianos, quotquot consului, etiam satis vetustos, illa clausula Georgicorum non carere. A. M. — 17) *Ter. Heaut.* 2. 3. 60. A. M. ubi editur *adfectant.* — 18) Versu 458. Cod. A. M. *Ulyssem;* sed recte *Achillem* Cod. Gu. — 19) *Amens*

Adferimur hunc locum. Virg. Aen. VII.: *Consilio nunc omnes animisque volentibus, urbem adferimur* [20].

Adsimulatus illi vultu. Virg. Aen. XII.[21]: *Formam adsimulata Camerti.*

Attonitus hac re. Virg. Aeneid. XII.[22]: *Coniugis attonitus factis.*

Adnixus hac re. Virg. Aen. XII.[23]: *Ingenti adnixa columna.*

Admonet illius rei. Salust. Catil.[24]: *Admonebat alium egestatis, alium cupiditatis suae.* Admonet hoc fieri. Virg. Aen. XI.[25]: *Fatalem Aeneam manifesto numine ferri Admonet ira Deum.*

Atrox huius rei. Salust. Hist II.[26]: *Ipse animi atrox.*

Abest tot milia. Salust. Iug.[27]: *A quo aberat mons ferme milia XX.* Cicero pro Cor- [496] nelio I.[28]: *Sed ad urbem dierum fuerit iter complurium.* Idem pro Cluentio[29]: *In eo quod est ab Larino XVIII. milia passuum.*

Animadverti in eum. Salust. Catil.[30]: *Ut prius verberibus in eos animadverteretur.*

Artifex huius rei. Sal. B. Iugurth.[31]: *Per homines talis negotii artifices.*

Adflictus illam rem. Sal. Histor. III.[32]: *Adflicti alveos undarum vi mulcato corpore interibant.* Idem Hist. II.[33]: *Circumventi a dextera, unde ferrum erat, saxa aut quid tale, capita adfligebant.* Adflictus ea re. Cic. in Catil. II.[34]: *Quanto tandem illum moerore esse afflictum et profligatum putatis?*

Altum pedes tot. Salust. Hist. IV.[35]: *Clausi lateribus, altis pedem.*

animi. Idem IIII. 203. A. M. nihil amplius. Deerat igitur in eius Codice exemplum. In Cod. Gu. sic legitur exemplum: *Consilio nunc omnes animisque volentibus, isque amens animi.* Apertum est, vv. *Consilio nunc omnes. a. q. v.*, male transposita, pertinere ad sequentem locutionem eiusque exemplum, quod cf. — 20) *Idem VII*, 217. *Urbem deferimur* A. M. *Virg. Aen. VII. urbem adferimur* Cod. Gu. Locus Virgilii integer est: *Consilio hanc omnes animisque volentibus, urbem Adferimur;* atque ita ostenditur, vv. *Consilio - - volentibus*, quae statim vidimus in Cod. Gu. male transposita esse, huc pertinere. Ergo huc reduximus. — 21) *Idem XII*, 224. A. M. — 22) *Idem XII*, 610. A. M. — 23) *Idem in eodem* 92. A. M. Edi solet apud Virgilium *columnae.* — 24) Cap. 22. Sed 21. Gerlach. Cort. *Admonere* apud Salust. aliquot Codd. atque Edd. — 25) Versu 232. Libri nota in Cod. Gu. desideratur. — 26) Apud Gerlach. Frgmm. lib. II, 9. — 27) *Milia* Cod. A. M. *millia* Cod. Gu. In seqq. uterque Cod. *millia. Sal. Iug.* 52. A. M. Cap. 48. Cort. Gerl. ubi editur: *a quo aberat mons ferme millia passuum viginti.* — 28) *Pro Cornelio I.* Ita Cod. Gu. *pro Cornelio* 991. A. M. omisso libri numero. Ad librum II. retulit Nobb. Fragmm. Cic. pag. 1127. 12. Tum *tres fuerunt* Cod. A. M. *fuerit iter* Cod. Gu. quod tamen ne ipsum quidem sanum esse existimo. — 29) Cod. A. M. *pro Cornelio.* Recte Cod. Gu. *pro Cluentio*, quod A. M. edidit: Est e cap. 9. Tum in Cod. Gu. deest praep. *ab*, quae exhibetur ab A. M. et Cic. Edd. Apud Cic. tamen plerumque editur *a Larino.* Nec legitur apud Cic. *In eo*, sed *Theani Appuli*, *quod abest* cet. — 30) *Sal. Cat.* 50. A. M. Est e cap. 51. ex oratione Caesaris. — 31) *Sal. Iug.* 39. A. M. *Talis negocii* A. M. *tales negotii* Cod. Gu. E cap. 35. ed. Cort. Gerlach. — 32) *Sal. Hist. III.* 6. A. M. Tum *adflicti alveo* Cod. Gu. *vi* omm. Cod. A. M. Cod. Gu.; interposuit A. M. Deinde *maleato* Cod. A. M. *malcato* Cod. Gu. *malleato* male scripsit A. M. Legitur idem fragmentum apud Nonium pag. 407. varie corruptum, fortasse sic legendum: *Nam qui enare conati fuerant, icti saepe fragmentis navium, aut afflicti alveos undarum vi, mulcato foede corpore, postremo interiere tamen.* — 33) *Idem II.* 10. A. M. *Circumventi dextra* Cod. M. *circumventis dextera* Cod. Gu. Lege: *circumventi a dextera.* Tum *nuda ferrum erat* Cod. Gu. *unde f. e.* Cod. A. M. Deinde *capiti* Cod. A. M. *capita* Gu. *caput* edidit A. M. — 34) *Cic. in Cat. II.* 1. A. M. *Afflictum*, non *adflictum* uterque Cod. — 35) *Sal. Hist. IIII.* 13. A. M. *Clausi lateribus pedem* Cod. A. M. *Clausi lateribus altis pedem* Cod. Gu. quod dedimus. Iam Douza scribi iusserat: *Clausi lateribus pedem altis.* Cf. Gerlach. Fragmm. lib. IV, 39.

Anxius huius rei. Salust. Hist. IV.[1]: *Anxius animi atque incertus.*

Accepit in illa re. Cic. de Suppliciis[2]: *De eo vulnere multa dixit, quod ille ab hostium duce in capite acceperat.* Accepit illa re. Virg. Georg. IV.[3]: *Accepitque sinu vasto misitque sub amnem.*

Adstringo tibi hoc. Terent. Eun.[4]: *Tibi meam astringo fidem.*

Adquiesco in hoc. Cic. pro Deiotaro[5]: *In tuo ore vultuque adquiesco.* [497]

Adiudico illud huic. Idem pro Cornelio II.[6]: *Si vos huius fortunas paucorum odio adiudicaveritis.*

Admittit in se crimen. Terent. Phorm.[7]: *Culpam Antipho in se admiserit.*

Aversor illum. Sal. Hist. V.: *Regem aversabatur*[8].

Adludit ad hoc. Terent. Eun.[9]: *Habui scortum; coepit ad id adludere.*

Anteverto tibi. Terent. Eun.[10]: *Miror ubi ego huic anteverterim.*

Attendo animum. Terent. Phorm.[11]: *Animum attendite.*

Ausculto tibi[12]. Terent. Adelph.: *Vis tu huic seni auscultare?*

Abstinet se illa re. Terent. Hecyr.[13]: *Plus potus, sese illa abstinere ut potuerit.* Cic. de Rep. I.[14]: *Nec vero iam meo nomine abstinet.*

Adulant illum. Cic. in Pisonem[15]: *Adulantem omnes.* Idem Tusc. II.[16]: *Nostrum adulat sanguinem.*

Affluit illa. Cic. pro Cluentio[17]: *Domumque illam scelere omni affluentem.*

Aspernor illam a me. Idem pro Cluent.[18]: *A suis aris atque templis nefarias preces aspernatos Deos esse confido.* Aspernor illum. Idem pro Cluent.[19]: *Nemo illum aditu, nemo convivio dignum iudicabat; omnes aspernabantur.*

Avocat ab illa re. Cic. de Rep. I.[20]: *A qua isti avocabant.*

Abalienat illum a te. Cicero Siciliensi[21]: *Maximum numerum abs te abalienasti.*

Adrepsit. Cic. Frumentaria[22]: *Ad istius amicitiam adrepserat.* [498]

1) *Idem in eodem* 1. A. M. Apud Gerlach. no. 5. — 2) In Verr. Act. II. lib. V, 1. — 3) Versu 362. — 4) *Ter. Eun.* 1. 2. 22. A. M. — 5) Cap. 2. Tum *acquiesco* dedit A. M. *adquiesco* Cod. Gu. — 6) *Pro Cornelio* 991. A. M. omissa libri nota. Apud Nobb. II, 13. pag. 1127. — 7) *Ter. Phor.* 1. 5. 40. A. M. *Cuplam* errore calami Cod. Gu. — 8) *Adversabatur* Cod. A. M. quod male edidit Gerlach. Fragmm. V, 3. — 9) *Ter. Eun.* 3. 1. 34. A. M. Tum *Hui* pro *Habui* Cod. A. M. *alludere* Cod. Gu. — 10) *Idem Eun.* 4. 5. 12. A. M. Tum *Miror huic* omissis vv. *ubi ego* A. M., quae addidi e Cod. Gu. — 11) *Idem Phor. Prol.* 25. A. M. *Terent. Andr.* Cod. Gu. In Andriae prol. V. 8. legitur *animum advortite.* Est Phor. prol. V. 24. — 12) *Absculto illi* Cod. A. M. *Ausculto tibi* Cod. Gu. quod dedi. Tum *Idem Adel.* 5. 7. 8. A. M. Deinde iterum *abscultare* Cod. A. M. — 13) *Idem Hecy.* 1. 2. 64. A. M. Exemplum sic exhibetur in Gu. *plus potuisse illa abst. ut p.* — 14) *Cic. de Rep.* 1. 1002. A. M. De Rep. I, 3. fin. ed. Nobb. — 15) *Cic. in Pisonem* 41. A. M. — 16) *Idem Tusc. II.* 10. A. M. — 17) Hoc loco *Affluit* uterque Cod. Tum *Idem pro Cluentio* 66. A. M. Exemplum sic exhibetur a Cod. Gu. *Domumque omni scelere affluentem.* — 18) *Idem pro eodem* 68. A. M. Tum voc. *templis* abest a Cod. Gu., qui deinde *aspernantes* pro v. *aspernatos.* — 19) *Idem pro eodem* 14. A. M. *Adit* pro *aditu* Cod. Gu. — 20) A. M. notam libri omisit; idemque scripsit *avocant.* Inter incertorum libror. fragmm. repositum, apud Nobb. legitur sub no. 1. pag. 1170. — 21) *Idem in Siciliensi* 64. A. M. In Verr. Act. II. lib. II, 64. Tum *abalienasti* Cod. Gu., ut est apud Cic.; *alienasti* Cod. A. M. — 22) *Idem in Frumentaria* 68. A. M. Act. in Verr. II. lib. III, 68. — 23) *Idem de Signis* 64. A. M. In Verr. Act. II. lib. IV, 64. — 24) *Virg. Aen. II.* 385. A. M. — 25) Cap. 5. Tum *aspirare* Cod. A. M. *adsp.* Cod. Gu. — 26) *Virg. Aen. I.* 704. A. M. Tum *adolet* A. M. Sed recte *adolere* Cod. Gu. — 27) *Idem Georg. IIII.* 379. A. M. Pro *Panchaeis* in Cod. Gu. est *Panethaeis.* 28) *Cic. de Suppliciis* 5. A. M. *Alligat* uterque Cod. *Ad pallum* Cod. Gu.

Administrat provinciam. Cicero de Signis[23]: *Quod vigilanter provinciam administrasset.*

Adspirat illi. Virg. Aen. II.[24]: *Adspirat primo fortuna labori.* Adspirat ad illud. Cic. in Divin. contra Caecilium[25]: *Qui ad alienam causam accedere aut adspirare audeat.*

Adolet aras. Virg. Aen. I.[26]: *Adolere Penates.* Adolescunt arae. Idem Georg.[27]: *Panchaeis adolescunt ignibus arae.*

Alligat ad hoc. Cic. de Suppliciis[28]: *Et ad palum alligabantur.*

Avius ab illa re. Cic. pro Sylla[29]: *Et avius a sanitate.*

Ante expectatum pro antequam expectatus. Virg. Georg. III.[30]: *Ante expectatum positis stat in agmine castris.*

Audet hoc. Cic. Philip. II.[31]: *Quid enim est quod tu non audeas?* Audet hoc facere. Virg. Aen. V.[32]: *Audet adire virum, manibusque inducere.* Audet in hoc. Virgil. Aen. II.[33]: *Quos ubi confertos audere in proelia vidi.*

Acer his rebus. Virg. Georg. III.[34]: *Humeroque Pelops insignis eburno, Acer equis.*

B.

Bibit illud. Virg. Aen. I.[35]: *Infelix Dido longumque bibebat amorem.* Bibit illo poculo. Virg. Georg. II.[36]: *Gemma bibat.*

Bellum cum illo gerit. Cic. in Hortensio[37]. *Qui cum hodie bellum cum mortuo gerant.* [499] Virg. Aen. XI.[38]: *Bellum importunum cives cum gente Deorum Invictisque viris gerimus.* Bellum contra illum gerit. Cic. Philipp. III.[39]: *Cum bellum nefarium contra vitam fortunasque nostras non cogitari sed geri iam viderem.* Bello bonus. Virg. Aeneid. VIII.[40]: *Gens bello praeclara.* Belli pro in bello. Terent. Heautontim.[41]: *Rem et gloriam armis belli repperi.* Salust. Iug.[42]: *Paucorum arbitrio belli domique agitabantur.*

Tum *alligabantur* Cod. Gu. *alligantur* A. M. quod apud Cic. editur. Locus est Act. in Verr. II. lib. V, 5. — 29) *Idem pro Sylla* 30. A. M. Editiones apud Cic. exhibent *alienus.* Cod. in exemplo *auii.* Non dubito, quin utrobique legendum sit *alienus.* — 30) *Virg. Georg. III.* 348. A. M. In Cod. Gud. est: *Virg. Georg. IV.* In ipso exemplo Cod. A. M. pro *exspectatum* exhibet *exspectatus.* Recte *exspectatum* Cod. Gu. — 31) *Cic. Phil. II*, 7. A. M. *est hoc, quod tu non a.* Cod. Gu. — 32) *Virg. Aen. V.* 379. A. M. Verba: *manibusque inducere* addita sunt e Cod. Gu. Ignorat ea Cod. A. M. — 33) *Idem II.* 374. A. M. Idem e Cod. suo edidit *consertos*, sed Cod. Gu. cum Virgilii Edd. exhibet *confertos.* — 34) *Idem Georg. III.* 7. A. M. Huic exemplo subiungit Cod. Gu. aliam elocutionem cum exemplo huiuscemodi: *Arrisit illi. Symmachus ad Theodosium Imperatorem: Beatum, iam parvulum meum, cui pium . . . . . .* (sic mutilo loco). Hoc mihi additamentum iam propterea suspectum videtur, quod Arusianus e quattuor tantum illis scriptoribus, *Cicerone, Salustio, Virgilio, Terentio* exempla sua depromere solet. Quare vix credibile est, eum ad tam serioris aetatis auctorem esse delapsum. — 35) *Idem Aen. I.* 749. A. M. *Virg. Aen. IV.* Cod. Gu. — 36) *Idem Georg. II.* 506. A. M. Numerus libri desideratur in Cod. Gu. Huic exemplo subiungit hoc etiam Cod. Gu. *Cic. Tusc.* ut *Iovi bibere ministraret*, quod ad aliam elocutionem, h. l. in Codd. omissam, pertinere videtur. Locus est Tusc. I, 26. — 37) *Cic. in Hortensio* 1016. A. M. Exemplum in Cod. Gu. sic notatur: *Quicum mortuo hodie bellum gerunt.* Est apud Nobb. in Fragmm. Hortensii no. 32. pag. 1171. — 38) *Virg. Aen. XI.* 305. A. M. — 39) *Cic. Phil. III.* 1. A. M. *Non cogitari, sed geri* Cod. A. M. *Non cogitavi vel geri* Cod. Gu. *Non comparari sed geri* Edd. apud Cic. — 40) *Virg. Aen. VIII.* 480. A. M. — 41) *Ter. Heaut. I.* 1. 60. A. M. — 42) *Sal. Iug.* 45. A. M. Ed. Cort. et Gerlach. cap. 41. *Agitabantur* uterque Cod, *agitabatur* editur apud Sal.

Benivolus illi. Cic. pro Flacco[1]: *Quam benivolum hunc populo Romano, quam fidelem putatis?*

C.

Certo contra te. Sal. Catil.[2]: *Contra latrones inermes pro patria certare.* Certo tibi. Virg. Bucol.[3]: *Solus tibi certet Amyntas.* Certo cum his. Sal. Iug.[4]: *Cursu cum aequalibus certare.* Certamus inter nos. Idem in Iugurth.[5]: *Inter se duo Imperatores summi viri certabant.*

Contendo tecum. Sal. Catil.[6]: *Cum magnis legionibus hostium contendisse.* Contendo tibi. Virg. Georg. II.[7]: *Nec cellis adeo contende Falernis.*

Certamen illi cum illa[8] est. Cic. pro Cornelio I.: *Quid enim mihi certamen est cum ac-* [500] *cusatore, aut contentio?* Certamen est cum illo[9]. Virg. Bucol. *Et certamen erat, Corydon, cum Thyrside magnum.*

Cogo domum te. Sal. Hist. I.[10]: *Maturaverunt exercitum Durracchium cogere.* Cogo te domi. Virg. Bucol.[11]: *Cogere donec oves stabulis numerumque referre Iussit.*

Concurrunt inter se. Virg. Aeneid. X.[12]: *Ipsos concurrere passus Haud tamen inter se summi Regnator Olympi.* Concurrit ille illi. Virg. Aeneid. VIII.[13]: *Aut montes concurrere montibus altos.* Idem Aeneid. I.[14]: *Audetque viris concurrere Virgo.*

Coruscus hac re. Virg. Aen. II.[15]: *Et luce coruscus aena.* Coruscat hac re. Idem Georg. IIII.[16]: *Elucent aliae et fulgore coruscant.* Coruscat hanc rem. Idem Aen. X.[17]: *Strictumque coruscat Mucronem.*

Consulo illam rem. Virg. Aen. XI.[18]: *Rem nulli obscuram nostrae nec vocis egentem Consulis,*

1) *Benivolus* uterque Cod. Locum non invenit A. M. sed similem inveniri in orat. Philipp. XI. 13. significavit. Cod. Gu. *p. r.* pro *populo Romano*. Exemplum inter Fragmm. reposuit Orell. p. 442. quem cf. — 2) *Sal. Cat.* 62. A. M. Cap. 59. ed. Cort. Gerlach. *Inermos* plerumque editur apud Sal. — 3) *Virg. Ecl. V.* 8. A. M. *Certat* Cod. Gu. — 4) *Sal. Iug.* 6. A. M. *Curru* Cod. A. M. *cursu* recte Cod. Gu. — 5) *Sal. Iug.* 56. A. M. Cap. 52. init. ed. Cort. Gerlach. *Certabunt* Cod. Gu. — 6) *Sal. Cat.* 57. A. M Cap. 53. ed. Cort. Gerlach. — 7) *Virg. Georg. II.* 96. A. M. *Adeo* uterque Cod. *Ideo* est apud Virg. *Faleris* mendose Cod. Gu. — 8) Sic uterque Cod. Sed haud dubie scribendum *illo*. Tum *Cic. pro Cornelio* 991. A. M. Numerum adiicit Cod. Gu. Ad Fragmm. libri II. annumeravit Nobbius. — 9) Cod. Gu. *Certamen est illi cum illo*. Tum *Virg. Ecl. VII.* 16. A. M. — 10) *Sal. Hist. I.* 19. A. M. No. 31. Gerlach. Tum *Durachium* Cod. Gu. *Dyrrhachium* A. M. — 11) *Virg. Ecl. VI.* 85. A. M. — 12) *Idem Aen. X.* 436. A. M. *Aut tamen* Cod. Gu. — 13) *Idem VIII.* 692. A. M. — 14) *Idem I.* 493. A. M. — 15) *Idem II.* 470. A. M. Tum *aena* uterque Cod. Apud Virg. plerumque scribitur *ahena*, quam scripturam falsam esse, asserit A. M. in nobilissimis duobus Codd. Virgilii, Vaticano et Mediceo, semper *aenus* inveniri testatus. Idem conferre iubet in hanc rem A. Gellium II, 3. Quod testimonium quum sit gravissimum, cur ignoratum sit usque ad hoc tempus ab Editoribus, exputare nequeo. — 16) *Idem Georg. IIII.* 98. A. M. *Et lucent alia et* Cod. Gu. qui etiam tertium librum h. l. citat. — 17) *Idem Aen. X.* 652. A. M. Antea in elocutione *coruscant* typorum errore apud A. M. — 18) *Idem XI.* 343. A. M. Cod. Gu. citat e libro II. *Rem nullam obsc.* Cod. A. M. Recte Cod. Gu. *nulli*, quod apud Virg. legitur. Tum *o bone rerum* Cod. A. M. Veram lectionem praestat Cod. Gu. — 19) *Sal. Cat.* 50. A. M. Cap. 51. ed. Cort. Gerl. *Quae* uterque Cod. Apud Sal. legitur *qui*. Tum *consuluerunt* uterq. Cod. *consuluerint* editur apud Sal. — 20) *Consulo illi rei* recte Cod. Gu. *Consulor illi rei* Cod. A. M. *Consulo vel consulto illi rei* de suo edidit A. M. *Cic. in Pisonem* 10. A. M. *Sal. Cat.* 6. A. M. — 21) *Sal. Cat.* 50. A. M. Cap. 51. ed. Cort. Gerl. Tum *Et - - consulam* Cod. A. M. *Quod - - consulant* Cod. Gu. Scripsi id quod scribendum fuit. Nam *quod* ex ignorato compendio ortum et *consulant* error librarii. —

o bone Rex. Et Sal. Cat.[19]: *Quae reges atque populi male consuluerunt.* Consulo illi rei[20]. Cic. in Pisonem: *Reip. consulendo.* Sal. Catil.: *Reip. consultabant.* Consulit de hac re. Sal. Cat.[21]: *Qui de rebus dubiis consultant.* Consulit in illum. Terent. Heaut.[22]: [501] *Quia pessime istac in te atque illum consulis.*

Circumdat hoc illi rei. Virg. Aen. XII.[23]: *Circumdat loricam humeris.* Circumdat hac re illam rem. Sal. Hist. I.[24]: *Occupatusque collis editissimus, cum multa opera circumdat.* Circumdat haec res illam rem. Virg. Aen. I.[25]: *Argentum Pariusve lapis circumdatur auro.*

Corruptus ab illa re. Sal. Iug.[26]: *Ab ignavia atque socordia corruptus.* Corrumpens illo pretio[27]. Cic. pro Cluentio: *Sexcentis millibus numum se iudicium corrupturum esse dixerat.*

Celat illum quem occultat. Virg. Aen. X.[28]: *Silvis genitor celarat Alesum.* Celatus qui fallitur et ignorat. Terent. Hecyr.[29]: *Nosne hoc celatos tamdiu?* Celat te de hoc. Cic. de Signis[30]: *Dixit cupisse te celare de phaleris.*

Consuevit illa re. Terent. Adelph.[31]: *Qui illa consuevit prior.* Illa cum muliere. Terent. Hec.: *Quicum tot consuevisset annos.* Consuetam habeo illam rem. Sal. Iug.[32]: *Et pericula consueta haberem.* Consuevit in illa. Terent. Phorm.[33]: *Cum eius consuevit olim matre in Lemno.*

Cernere erat hoc, id est, hoc videbatur. Virg. Aeneid. VIII.[34]: *Actia bella Cernere erat.* Cernitur nulli pro a nullo. Idem Aeneid. I.[35]: *Neque cernitur ulli.*

Condono tibi hoc. Sal. Iug.[36]: *Ut Iugurthae scelus condonaretur.* Condonatur illam [502] rem[37]. Ter. Eun.: *Habeo alia multa, quae nunc condonabitur.* Idem Phorm.[38]: *Argentum quod habes condonamus te.*

22) *Ter. Heaut.* 3. 1. 28. A. M. *Istac in te* Cod. A. M. *isthac in re* Cod. Gu. In Edd. legitur *istuc.* Tum Cod. Gu. *consulit.* — 23) *Circumdat* littera media *m* scripsi ubique e Cod. Gu. *Virg. Aen. XII.* 88. A. M. *Virg. Aen. II.* Cod. Gu. — 24) *Circundata hac re illam rem* Cod. A. M. pessime. Tum *Sal. Hist. I.* 20. A. M. Apud Gerlach. no. 43. Deinde *eum multa opera circumdat* scripsi e praeclara lectione Cod. Gu. Mire Cod. A. M. *et cum multa opera circundata.* Eundem locum sic citat Priscian. XV, 2. pag. 618. ed. Kr. *Apud Ilerdam cum multa opera circumdata,* pariter mendose. — 25) *Virg. Aen. I.* 593. A. M. — 26) *Sal. Iug.* 33. A. M. Cap. 31. ed. Gerl. Cort. — 27) *Corrumpis illo precio* e Cod. scripsit A. M. Locum Ciceronis non enotavit A. M. sed in adnotatione respicere iubet ad illius orationis cap. 32. Legitur locus cap. 25. — 28) *Virg. Aen. X.* 417. A. M. *Virg. Aenead. XII.* Cod. Gu. Tum *Silvis gemeo celarat Alesim* Cod. Gu. *Sylvis genitor celarat Alesum* Cod. A. M. *Halesum* scribitur apud Virg. — 29) *Ter Hecy.* 4. 4. 23. A. M. *Tandiu* A. M. — 30) *Cic. de Signis* 12. A. M. Act. in Verr. II. lib. IV. cap. 12. fin. In Cod. Gu. sic legitur: *Cicero de signis dixit: Cupis se celare de Falernis.* — 31) *Ter. Adel.* 4. 5. 32. A. M. Tum corrumpit exemplum Cod. A. M. qui exhibet: *Consuevit prior illa muliere, quicum tot consuevisset annos.* Melius Cod. Gu. *Quilla* (sic) *consuevit prior illa cum muliere, quicum cum tot consuevisset annos.* Scilicet duo exempla cum elocutione in unum confusa sunt. Scripserat fortasse librarius omisso verbo elocutionem sic: *Illa cum muliere;* deinde subiunxit exemplum Terentii omisso scriptoris nomine et loco, quod haud dubie addidit auctor; ex quo reliqua corruptio orta. Rescripsi igitur: *Illa cum muliere. Terent. Hec.* Potest enim fieri, ut auctor quoque omiserit h. l. verbi repetitionem. Locus est Hecyrae IV, 1, 40. — 32) *Consuetum ab eo, illam rem* Cod. Gu. mendose. Tum *Sal. Iug.* 87. A. M. Cap. 85. Cort. Gerl. *Habere* Cod. Gu. *habeam* Edd. apud Sal. Legendum fortasse h. l. *ut pericula consueta haberem.* — 33) *Ter. Phor.* 5. 6. 34. A. M. Tum *Cum eius c. o. cum matre in Lemo* Cod. Gu. — 34) *Virg. Aen. VIII.* 676. A. M. — 35) *Idem Aen. I.* 440. A. M. — 36) *Sal. Iug.* 29. A. M. Cap. 27. Edd. Cort. Gerl. — 37) *Condonaretur illam rem* mendose Cod. Gu. Tum *Ter. Eun. Prol.* 17. A. M. — 38) *Idem Phor.* 5. 7. 54. A. M. Tum *condonamur te* Cod. A. M. Sed recte Cod.

Conscius huic rei. Cic. de Signis [1]: *Temeritati meae et mendacio meo conscius.* Conscius huius rei. Virg. Aeneid. XI. [2]: *Conscius audacis facti.*

Cultorem sui. Sal. Hist. IV. [3]: *Collegam minorem et sui cultorem expectans.* Cultor horum. Virg. Georg. I. [4]: *Et cultor nemorum.* Colens huius rei. Cic. pro Plancio [5]: *Qui religionum colentes.*

Congero ad illum. Cicero pro Deiotaro [6]: *Ad quem cum Dii atque homines omnia ornamenta congessissent.* Congero in illum. Cic. Philip. V. [7]: *Pecunia congesta in illam domum.* Congestum illuc. Virg. Bucol. [8]: *Notavi Ipse locum quo congessere palumbes.*

Custos illarum rerum. Virg. Georg. I. [9]: *Pan ovium custos.* Custos illis rebus [10]. Cic. in Catil. II.: *Nullus est portis custos.*

Criminor te illi. Terent. Eun. [11]: *Metui ne me criminaretur tibi.*

Compos animi. Terent. Adelph. [12]: *Vix sum compos animi.*

Commeritus erga me. Terent. Hecyr. [13]: *Nunquam quicquam erga me commeritast, pater.*

Compertos scelere. Cic. Philip. XII. [14]: *Hos nunc omni scelere compertos tolerabiles censes civitati fore?*

Credulus illis. Virg. Bucol. [15]: *Sed non ego credulus illis.* [503]

Considere in illam rem. Virg. Aen. VIIII. [16]: *At non viderunt moenia Troiae Neptuni fabricata manu considere in ignes.* Considere his. Idem Aen. I. [17]: *Vultis his mecum pariter considere regnis.*

Concedo gratiae. Cic. pro Cornelio [18]: *Cur nunc redeant, si tunc gratiae concesserint.* Concedo in gratiam. Sal. Hist. I. [19]: *Quorum in gratiam plerique concesserant.*

Coniurati hoc facere. Virg. Georg. I. [20]: *Et coniuratos coelum rescindere fratres.*

Commoritur illis. Sal. Hist. I. [21]: *Obviam ire et commori hostibus.*

Gu. *condonamus te*, quod legitur apud Ter. — 1) Tota haec elocutio cum suo exemplo in Cod. Gu. post sequentem legitur. Locum Ciceronis A. M. non indicavit. — 2) *Virg. Aen. XI.* 812. A. M. — 3) Ad verba *Cultorem sui* in ora libri Gudiani scriptum: *Sic supra Terent. amicus mei.* Tum *Sal. Hist. IV.* 9. A. M. Est sub no. 19. apud Gerlach. — 4) *Virg. Georg. I*, 14. A. M. — 5) *Cic. pro Plancio* 33. A. M. *Cic. pro Planco* Cod. Gud. — 6) *Idem pro Deiotaro* 4. A. M. — 7) *Idem Phil. V.* 4. A. M. — 8) *Virg. Ecl. III.* 69. A. M. Tum *quod congessere* Cod. Gu. Notavit ad h. l. A. M. editiones exhibere *concessere;* fortasse ita ex errore scripsit, quum scribere vellet, Codicem suum Frontonis ita exhibere. Idem *columbae* edidit; sed Cod. Gu. recte, ut apud Virg. est, *palumbes.* — 9) *Idem Georg. I.* 17. A. M. — 10) *Rebus* addendum fuit e Cod. Gu. *Cic. in Cat. II.* 12. A. M. *Portis* Cod. uterque; Edd. apud Cic. *portae.* — 11) *Ter. Eun.* 5. 2. 16. A. M. *crim. tibi* recepi e Cod. Gu. *cr. uxori* A. M. edidit. — 12) *Idem Adel.* 3. 2. 12. A. M. — 13) *Idem Hecy.* 3. 5. 36. A. M. *Nunquam ego me* Cod. Gu. *commeritus pater* Cod. uterq. *commerita est, pater* edidit A. M. Putabam in *commeritus* latere potius *commeritast*, ut est apud Ter. — 14) *Cic. Phil. XII.* 7. A. M. *His nunc omni scelere compertos tolerabiles censes civitati fore* Cod. Gu. *Compertos* uterq. Cod. quum emendate apud Cic. sit: *coopertos.* Tum *in civitate* Cod. A. M. Recte cum Edd. Cic. *civitati* Cod. Gu. — 15) *Virg. Ecl. VIIII.* 34. A. M. — 16) *Idem Aen. VIIII.* 145. A. M. Tum *Et non v.* Cod. A. M. *At non v.* Cod. Gu. — 17) Tota haec elocutio cum exemplo omissa in Cod. A. M. Locus est Virg. Aen. I. 572. ubi legitur *Vultis et his* cet. — 18) *Cic. pro Cornelio* 991. A. M. Inter Fragmm. lib. I. 41. Nobb. *Cui nunc* ed. A. M. *Cur n.* Cod. Gu. — 19) *Conc. in gratia* male A. M. *Sal. Hist. I.* 3. A. M. *Quorum in gratia* A. M. Utrobique *gratiam* Cod. Gu. Fragmm. Hist. lib. I. no. 9. Gerlach. quem vide. — 20) *Virg. Georg. I.* 280. A. M. *Virg. Aen. VI.* Cod. Gu. mendose. — 21) *Sal. Hist. I.* 18. A. M. Fragmm. lib. I. 22. Gerl. — 22) *Cont. huic rei* A. M. *Cont. huius rei* Cod. Gu. *Virg. Aen. X.* 457. A. M. Legitur apud Virg. *missae fore cred. h.* — 23) *Confer h. c. illo.* Cod. Gu. *in Pisonem* 16. A. M. — 24) *Virg. Aen. XII.* 678. A. M. *Virg. XII.* Cod. Gu. — 25) Non enotavit locum A. M. neque ipse inveni. — 26) *Idem in eadem* 36. A. M. In elocutione *inter nos* scripserat A. M.

Contiguus huic rei. Virg. Aen. X.[22]: *Hunc ubi contiguum missae credidit hastae.*

Confert hoc cum illo. Cic. in Pisonem[23]: *Confer, si audes, absentiam tuam cum mea.* Confert hoc illi. Virg. Aen. XII.[24]: *Stat conferre manum Aeneae.*

Conclusit cum illo. Cic. in Siciliensi[25]: *Tecum tuum conclusisset.*

Commune hoc est inter illos. Cic. in Sicil.[26]: *Ut diceres inter eos omnia esse communia.* Commune est illis hoc. Idem pro Roscio[27]: *Quid est enim tam commune quam spiritus vivis, terra mortuis?*

Coniunctus cum illo. Cicero in Siciliensi[28]: *Cum P. R. coniuncta est.* Coniunctus illi. Virg. Aen. VIII.[29]: *Quodque ab stirpe foret geminis coniunctus Atridis.*

Conversus ad te pro convertendus[30]. Cic. pro Plancio: *Non dubito quin omnis conversa* [504] *fuerit multitudo.*

Conlocat in illo. Cic. pro Roscio[31]: *In curru collocat Automedontem.* Conlocat illi. Idem in Pisonem[32]: *Homini levi et subito filiam collocavit.*

Convenit in illum. Cic. pro Deiotaro[33]: *Tamen id maledictum minime in illam aetatem conveniret.*

Congruunt illi inter se. Terent. Heaut.[34]: *Ne nos inter nos congruere sentiant.*

Citius sive celerius hac re. Virg. Aen. I.[35]: *Et dicto citius tumida aequora placat.* Sal. Hist.[36]: *Illo tertio mense pervenere in Pontum multo celerius spe Mithridatis.*

D.

Despectus mihi est. Virg. Bucol.[37]: *Despectus tibi sum, nec qui sim.* Despectus est a me. Cic. in Pisonem[38]: *Despecto a caeteris, a se ipso desperato.*

Duceres Cod. A. M. Sed recte *diceres* Cod. Gu. — 27) *Idem pro Rosc.* 26. A. M. *Quid enim est* Cod. Gu. Cf. Fr. Vil. Otto in Edit. Cic. Cato. Mai. Excursu I. pag. 222. seq. — 28) Locum non indicavit A. M. In Cod. Gu. legitur: *Cum per . . . . . coniuncta est* (sic lacuna significata). Legitur in Verr. Act. II. lib. II. 68. §. 163. ubi est: *cum populo Romano coni.* quod ostendit, quid sibi velit illud *per* Codicis Gud. — 29) *Virg. Aen. VIII.* 130. A. M. *Ab stirpe* dedi e Cod. Gu. *a st.* Cod. A. M. *fores* Cod. A. M. Recte *foret* Cod. Gu. — 30) Non dubito, quin legendum sit *Conversurus ad te pro c.* Nam hoc voluisse videtur scriptor, *conversurus* intransitive dictum esse illo Ciceronis loco. Legitur enim Cic. pro Pl. 20. *Non dubito, quin omnis ad te conversura fuerit multitudo*, ubi alii *conversura se* scribebant. In exemplo Cod. A. M. exhibet *conversi;* sed Cod. Gu. *omnes conum̄ ū. f. m̄.* (sic); unde patet etiam in exemplo legendum *conversura*, librariis vero fraudem fecisse compendia scripturae. — 31) Memorabile est, scripturam *conlocat*, sublata assimilatione in exemplis non comparere. Recte; vetustior enim est assimilatio. Unus Cod. Gu. in altero exemplo exhibet *conlocavit*, mendose. *Idem pro Roscio* 35. Cod. A. M. *Autu medontem* Cod. A. M. — 32) Locum non enotavit A. M. Orae ascripsit, locum videri pertinere ad fragmentum principii orationis eius quartum ab Asconio servatum. Sed F. V. Ottoni, iuveni doctissimo, rectius videtur initio totius orationis collocandum, legendumque *filiam*, pro *filium*, quod dedi. Omne autem illud fragmentum sic scribendum existimat idem Otto: *Insuber quidam fuit, idem mercator et praeco. Is quum Romam cum filia venisset, adolescentem nobilem Caesonium, hominis furacissimi filium, ausus est appellare. Pisoni, homini levi et subito, filiam collocavit. Quae te, belluam ex utero, non hominem fudit.* — 33) *Idem pro Deiotaro* 10. A. M. *conveniet* ed. A. M. Sed Cod. Gu. recte *conveniret.* — 34) *Ter. Heaut.* 3. 1. 91. A. M. — 35) *Cicius* vitiose e Cod. suo in elocutione scripsit A. M. in exemplo dedit *citius*, quemadmodum utrobique exhibet Cod. Gu. *Virg. Aen. I.* 142. A. M. — 36) *Sal. Hist.* (*Lib. incert.*) 1. A. M. Fragmm. incerta no. 4. Gerl. Uterque Cod. *Illo tertio m.* Diu correctum est *Illi t. m.* — 37) *Virg. Ecl. II.* 19. A. M. Tum *ne quis sim* Cod. Gu. — 38) *Cic. in Pisonem* 41. A. M. *Caeteris* dedi e Cod. Gu. Apud Ciceronem legitur: *Despectum a ceteris, a te ipso desperatum.*

Dives illius rei. Virg. Bucol.[1]: *Quam dives pecoris.* Dives illa re. Virg. Aen. III.[2]: *Quos Africa terra triumphis Dives alit.*

Donata mihi sunt. Virg. Buc.[3]: *Quae tu puero donata dolebas.* Donatus his sum. Virg. Aen. V.[4]: *Donati omnes opibusque superbi.* Donat hoc illi. Virg. Aen. V.[5]: *Donat habere viro decus.* Donat illum hac re. Virg. Bucol.[6]: *Hac te nos fragili donavimus ante ci-* [505]
cuta. Cic. in Pisonem[7]: *Me inaurata statua donarunt.*

Decus tuis. Virg. Bucol.[8]: *Tu decus omne tuis.* Decus tuorum. Idem XI. Aen.[9]: *Astrorum decus et nemorum.*

Dignus hac re. Virg. Buc.[10]: *Et vitula tu dignus et hic.* Dignus qui hoc faceret. Cic. in Rhet.[11]: *Dignus qui remp. gereret.* Dignus fieri. Virg. Buc.[12]: *Et puer ipse fuit cantari dignus.* Et alibi[13]: *Et erat tum dignus amari.* Dignor me illa re. Virg. Aeneid. I.[14]: *Haud equidem tali me dignor honore.* Dignatus illa re, id est dignus habitus[15]. Idem Aeneid. III. *Coniugio, Anchise, Veneris dignate superbo.*

Desine hoc facere[16]. Virg. Aen. IV.: *Desine meque tuis incendere teque querelis.* Desine illam rem. Virg. Bucol.[17]: *Desine Maenalios, iam desine tibia versus.* Terent. Heaut.[18]: *Mulier telam desinit*, i. e. deserit.

Dormit hac re. Virg. Georg. II.[19]: *Et Serano dormiat ostro.* Dormiet in illam sui corporis partem. Ter. Heaut.[20]: *In utramvis aurem otiose ut dormias.*

Dolet illa re. Virg. Aeneid. I.[21]: *Et nostro doluisti saepe dolore.* Dolet illam rem. Sal. Catil.[22]: *Et quasi dolens eius casum.* Doleo vicem tuam, id est, propter te doleo. Cic. de [506]
Domo et Rep. *Vicem lugeo*[23]. Dolet illa pars mihi. Terent. Phor.[24]: *Tuo viro oculi doleant.*

Deiectus illa re. Virg. Aen. III.[25]: *Heu quis te casus deiectam coniuge tanto?* Deiectus ab illa

1) *Virg. Ecl. II.* 20. A. M. — 2) *Idem Aen. III.* 37. A. M. *Aphrica* scripsit A. M. *Dives* om. Cod. A. M. Est autem IV. 37. — 3) *Idem Ecl. III.* 14. A. M. — 4) *Idem Aen. V.* 268. A. M. — 5) *Donat haec illi* A. M. *hoc* Cod. Gu. *Idem V.* 162. A. M. — 6) *Idem Ecl. V.* 85. A. M. *Donavimus* Cod. uterque solito errore. Editur apud Virg. *donabimus. Cicuta* om. Cod. A. M. — 7) *Cic. in Pisonem* 11. A. M. — 8) *Virg. Ecl. V.* 34. A. M. — 9) *Idem Aen. IX.* 405. A. M. — 10) *Idem Ecl. III.* 109. Spurium iudicabat hunc v. Heynius. — 11) *Cic. Rhet. (seu de Invent.) I.* 3. A. M. Tum Cod. A. M. *dignus qui rem pergeret.* Recte exhibet *remp. gereret* Cod. Gu. — 12) *Virg. Ecl. V.* 54. A. M. Tum Cod. Gu. *Et pueri ipse.* — 13) *Et in eadem* 89. A. M. — 14) *Idem Aen. I.* 335. A. M. — 15) *Idem III.* 475. A. M. *Anchise* uterque Cod. *Anchisa* Edd. apud Virg. — 16) *Hoc* addidi e Cod. Gu. *Idem IIII.* 360. A. M. — 17) *Desine hoc* Cod. A. M. *Idem Virg. Ecl. VIII.* 61. A. M. — 18) *Terent. Heaut.* 2. 3. 64. A. M. *Te iam* uterque Cod. solito errore. *Telam* scripsi, certum habens, id voluisse scriptorem. Tum *et deserit* Cod. A. M. *i. e. deserit* Cod. Gu. praeclare, quod interpretamentum etiam Codd. Terentii inhaesit. — 19) Versu 506. *Sarrano* legitur apud Virg. — 20) Vv. *sui corporis partem* adieci e Cod. Gu. *ut* addidi ex eodem. — 21) *Virg. Aen. I.* 669. A. M. — 22) *Sal. Cat.* 41. A. M. — 23) Uterque Cod. *vitam lugeo.* Locus ad Fragmm. de Rep. incerta adiectus ab Orellio. Idem Nobbius fecit pag. 1170. — 24) *Ter. Phor.* 5. 8. 64. A. M. — 25) *Virg. Aen. III.* 317. A. M. — 26) *Idem V.* 542. A. M. *Quanvis* ed. A. M. Sed Cod. Gu. *quamv.* — 27) *Deiectus ab illa re* male hoc loco Cod. A. M. *de* exhibet recte Cod. Gu. Tum *pro Murena* 37. A. M. *Muraena* Cod. Gu. — 28) *Virg. Aen. X.* 225. A. M. — 29) *Sal. Cat.* 26. A. M. Cap. 25. ed. Cort. Gerl. — 30) *Idem in eodem* 46: A. M. Cap. 45. ed. Cort. Gerlach. — 31) *Et Hist. I.* 20. A. M. Fragm. I. 40. Gerlach. — 32) *Ter. Hecy.* 2. 1. 6. A. M. Tum uterque Cod. *militiam*, pro quo legitur et legendum est apud Ter. *malitiam.* — 33) *Virg. Aen. X.* 453. A. M. — 34) *Idem XI.* 500. A. M. Pro vv. *sub altis* in edd. Virg. est *sub ipsis.* — 35) *Sal. Iug.* 54. A. M. *Colli* Cod. A. M. *colle*, ut est apud Sal., Cod. Gu. Cap. 50. ed. Cort. Gerl. — 36) *Sal. Hist. IIII.* 11. A. M. Fragmm. IV. 25. Gerl. — 37) *Cic. Phil. II.* 8. A. M. — 38) *Sal. Hist. I.* 21. A. M. Fragmm. I. 51.

re. Idem Aen. V.[26]: *Quamvis solus avem caelo deiecit ab alto.* Deiectus de illa re. Cic. pro Muraena[27]: *Deiici de urbis praesidio et deturbari de custodia civitatis volunt.*

Doctus illius rei. Virg. Aen. X.[28]: *Quarum quae fandi doctissima Cymodocea.* Doctus illa re. Sal. Catil.[29]: *Litteris Graecis et Latinis docta.* Doctus illam rem. Sal. Catil.[30]: *Per legatos cuncta edoctus.* Et Hist. I.: *Doctus militiam*[31]. Doctus ad illam rem. Terent. Hecyra[32]: *In eodemque omnes mihi videntur ludo doctae ad militiam.*

Desiluit hoc. Virg. Aen. X.[33]: *Desiluit Turnus biiugis.* Desiluit ab hoc. Idem XI.[34]: *Portisque ab equo Regina sub altis Desiluit.*

Digredior illi loco. Sal. Iug.[35]: *Numidas quietos neque colle digredi animadvertit.* Digredior illum locum. Sal. Hist. IV.[36]: *Exercitum dimisit ut primum Alpes digressus est.*

Decet te. Cic. Philipp. II.[37]: *Quam id te, Dii boni, non decebat.* Decet tibi. Sal. Hist. I.[38]: *Locum editiorem, quam victoribus decebat, capit.* Terent. Adelph.[39]: *Ita nobis decet.*

Dimidio pluris id est duplo. Cic. in Frumentaria[40], comment. de Decumis Herbitensium per [507] triennium. Cum primo anno venditas dicat tritici modium XVIII.[41] milibus, secundo tritici modium XXV.[42] milibus, DCCC.; anno tertio supra iaciente[43] Aeschrione venditas dicit medimnum VIII.[44] milibus centum, id est modium XLVIII. milibus DC.[45]. Dupla summa anni[46] proximi addicitur, medimnum VIII.[47] milibus C. *dimidio*[48] *fere pluris, quam superiore anno.* Idem pro Flacco[49]: *Habebat enim Rhetor iste discipulos, quos dimidio redderet stultiores, quam acceperat: neminem tamen adeo infatuare potuit, ut ei nummum concrederet.*

Dedo illi rei. Idem pro L. Otho.[50]: *Hic si se istius vitae dedisset.* Virg. Georg. IV.[51]: *Dede neci.* Dedo in illam rem. Terent. Andr.[52]: *Caesum te in pistrinum, Dave, dedam.* Dede ad hoc.

Gerl. — 39) *Ter. Adel.* 3. 4. 45. A. M. Uterque Cod. *ita nobis decebat.* Illo autem Ter. loco editur *ut vobis decet*; nisi forte alius locus intelligitur. — 40) *Cic. in Frumentaria* 32. A. M. Cod. Gu. *Cic. Comment.* Tres Codd. apud Orell. *Cic. Comment. frumentaria.* Equidem putabam, Grammaticum voluisse: *Cicero in Frumentaria, commentatione de Decumis Herbitensium,* idque rescripsi. De omni autem qui sequitur loco cf. Orellii excursus ad Cic. Act. Verr. II. lib. II. pag. 272. seqq. — 41) *Modiis XXXXIIII. milibus* A. M. *modiis XLIIII.* $\overline{\infty}$. Cod. Gu. Cf. Ursinum apud Orell. l. c. In numerorum signis *L.* et *V.* saepissime Codices confundunt. — 42) *Modiis XXV.* uterque Cod. Depravatio orta ex non intellecto compendio. — 43) *Supra iacente* uterq. Cod. Apud Cic. est: *supra adiecit Aeschrio*; quare iam Ursinus rescripsit *supra iaciente.* Fortasse tamen legendum *supra adiiciente.* Ceterum in Cod. Gu. est *Esthrione.* — 44) *Venditas dicunt medimnis IIII. milibus.* A. M. *Venditus dicunt medimnus* $\overline{IIII}$ *mil̄.* Cod. Gu. *Venditas dicunt medimnum VIII. mill.* Ursin. *Dicit* scripsi, apodosin existimans esse ad superiora *quum venditas dicat.* — 45) *Idem modiis XLVII. milibus dictis* A. M. Recte Cod. Gu. *.i.* quod significat *id est.* Numerum Cod. Gu. habet XLIII. Ursinus probante Orellio restituit XLVIII. *Dictis* praeclare iam Ursinus mutavit in *DC* numerum. Scriptum enim erat $\overline{DC}$, quod stulti librarii pro compendio vocis *dictis* habuerunt. — 46) *Cum proxime* A. M. *cum proximi* Cod. Gu. cum aliis tribus apud Orellium. Praeclare Ursinus emendavit *anni proximi.* Scripturae compendium erat *ān.*, quod pro *cum* legerunt homines imperiti; vel scriptum erat *ani*, simplici *n.* quod facilius etiam erat ad corrumpendum. — 47) *Medimnum* dedi pro *medimnis* cum Ursino. — 48) *Dimidio* adieci e Cod. Gu. quae vox abest a Cod. A. M. Sed iam Ursinus addiderat. — 49) *Idem pro Flacco* 20. A. M. *Concederet* Cod. A. M. sed *concrederet* recte Cod. Gu. Editt. Cic. *crederet.* — 50) *Idem pro Cotho* 992. A. M. *Idem pro Coelio* Cod. Gu. Recte *L. Othone* iam olim rescriptum est. *Viae* Cod. A. M. *vitae* dedi e Cod. Gu. — 51) *Virg. Georg. IIII.* 90. A. M. — 52) *Ter. And.* 1. 2. 28. A. M. *dare dedam* Cod. Gu. Subiungit his idem Cod. *per vitium*, quibus quid faciam, nescio. Apud Terentium additum est: *usque ad necem.*

Cic. pro Cornelio[1]: *Ad miserrimum crudelissimumque dominatum dedi patiamini.* Idem pro Cluentio[2]: *Sed plane ad supplicium dedidit.*

Dat illi. Virg. Aen. IX.[3]: *Da nate petenti.* Dat in illud. Idem IX.[4]: *Saltu sese omnibus armis In fluvium dedit.* Dat ad illum. Terent. Phorm.[5]: *In servitutem pauperem ad ditem dari.*

Deposuit his. Virg. Georg. II.[6]: *Deposuit sulcis.* Deposuit in his. Cic. Philipp. XIII.[7]: *Cum in gremiis mimarum mentum mentemque deponeret.*

Detraho tibi. Cic. pro Cornelio I.[8]: *Nihil senatui detraxisse Cornelium.* Detraho de te. [508] Cicero pro Scauro[9]: *Nihil Sardos Appio gratius esse facturos, quam si de Scauri fama detraxerint.* Volunt[10] quidam distantiam esse, ut lacerare famam, de illo detrahere sit, sed falso. Nam Cic. de Suppliciis[11]: *Quae tu de Rep. detraxeris*, id est imminueris et abstuleris. Idem in Catil. II.[12]: *Et dubitas de possessione detrahere?*

Deficit illam rem. Virg. Georg. I.[13]: *Noctes lentus non deficit humor.* Deficit ab illa re. Cicero de Praetura urbana[14]: *Lampsacena civitas deficere ab imperio ac nomine nostro valebat.* Deficit ad illum. Salust. Iug.[15]: *In his urbibus quae ad se defecerant.* Deficit simpliciter pro deest[16]. Virg. Aen. VI.: *Primo avulso non deficit alter.*

Decedo de hac re. Cic. de Rep.[17]: *Ut hic de via decedendum sit.* Decedo huic simpliciter. Virg. Buc.[18]: *Nec serae meminit decedere nocti.*

Delectat me haec res. Cic. de Rep. I.[19]: *Ipsa cognitio nos delectaverit.* Delectat illa re. Idem in Hortensio[20]: *Hic primum Catulus delectatus ipso loco.*

Desisto hac re[21]. Salust. Hist. II.: *Ut actione desisteret.* Terent. in Phorm.[22]: *Ut herus* [509] *his desistat litibus.* Desiste hoc facere. Virg. Aen. XII.[23]: *Desiste manum committere Teucris.*

1) *Pro Cornelio* 991. A. M. Ad primam orationem retulit Nobbius, codex Gud. secundae tribuit. — 2) *Pro Cluentio* 69. A. M. Est cap. 94. sub fin. Apud Cic. editur *dedit.* — 3) *Virg. Aen. VIIII.* 83. A. M. — 4) *Idem VIIII.* 815. Hoc omne exemplum deest in Cod. Gu. cum eloquutione sequenti *Dat ad illum*, legiturque ad superiorem formulam *Dat in illud* solum exemplum Terentianum. — 5) *Ter. Phor.* 4. 3. 48. A. M. — 6) *Virg. Georg. II.* 24. A. M. *Virg. Georg. III.* Cod. Gu. — 7) *Cic. Phil. XIII.* 11. A. M. Tum in Cod. Gu. est: *cum in gremiis nuptarum mentu deponeret.* Recte Cod. A. M. quod dedimus, conspiratque cum Edd. Cic. nisi quod ibi legitur *deponeres.* — 8) *Idem pro Corn.* 990. A. M. Fragmm. Cic. orat. pro Corn. I. 29. pag. 1126. Nobb. Orationis primae numerum indicat Cod. Gu. — 9) *Idem pro Scauro* 994. In eloquutione est: *Detraho te*, sed iam Gudius in margine notavit legendum esse *D. de te*, quod in Cod. A. M. est. Locus est in Fragmm. orat. pro Scauro 36. Nobb. pag. 1135. Tum in Cod. Gu. legitur: *Nihil ardos Appios.* Deinde ibidem: *de Scauris fama.* — 10) *Voluit* A. M. recte *Volunt* Cod. Gu. — 11) *Idem de Suppl.* A. M. omisso *Nam*, loco non indicato. — 12) *Idem in Cat. II.* 8. A. M. — 13) *Virg. Georg. I.* 290. A. M. — 14) Act. in Verr. II. lib. I. cap. 31. ubi est: *Lampsaceni - - deficere ab imperio ac nomine nostro volebant.* Cod. Gu. exhibet: *nomine non valebat.* — 15) *Sal. Iug.* 65. A. M. Cap. 61. Cort. Gerl. ubi vulgo *ab se def.* quod iam Cortius correxerat. — 16) *Virg. Aen. VI.* 143. A. M. *Virg. VI. Aen.* Cod. Gu. *Primo* addidi e Cod. Gu. *Avusso* mendose exhibebat Cod. A. M. — 17) *Ut de via* A. M. *Ut hic de via* Cod. Gu. quod dedi. Recensetur locus inter Fragmm. de Rep. I. 43. 67. Orell. — 18) *Virg. Ecl. VIII.* 88. A. M. — 19) *Cic. de Rep. I.* 1002. A. M. De Rep. I. 13. ubi paulo aliter legitur: *Te ipsum, Laeli, omnesque avidos sapientiae cognitio ipsa rerum consideratioque delectat.* Ceterum *delectavit* Cod. A. M. *delectaverit* Cod. Gu. — 20) *Idem in Hortensio* 1015. A. M. Pag. 1170. apud Nobb. Editur ibi *delectatur*, sed uter-

Devertit domum[24]. Cic. pro Deiotaro: *Et domum Regis hospitis tui devertisset.* Devertit in domum. Idem pro Milone[25]: *Devertit in villam Pompei.*

Defigit in illa re. Cic. in Catil. I.[26]: *Quod eam necesse putas etiam in consulis corpore defigere.* Defigit illa re. Virg. Aen. XII.[27]: *Defigunt tellure hastas.*

Disco ex illo. Virg. Aen. XII.[28]: *Disce, Puer, virtutem ex me, verumque laborem.* Disco de illo. Terent. Eun.[29]: *Ut sibi liceret discere id de me.*

Deflexit de proposito. Cic. Philip. XVI.[30]: *Laterensis ne vestigium quidem deflexit.*

Disceptata lis est. Cic. Philip. XVI.[31]: *Non est illa dissensio disceptata bello.*

Deporto domum. Cic. de Rep. II.[32]: *Cum aliud nihil domum suam deportasset.* Deportavit in illud. Idem de Praetura urbana[33]: *Haec non domum suam, neque in suburbana amicorum, sed Romam in publicum deportavit.*

Discedit Roma. Cic. in Verr. Act. I.[34]: *Cum haec frequentia Roma discesserit.* [510]

Defungitur his. Cic. in Frumentaria[35]: *Tribus decumis pro una defungeretur.* Virg. Aen. VI.[36]: *O tandem magnis pelagi defuncte periclis.*

Desperat hanc rem. Cic. de Suppliciis[37]: *Desperatis iam omnibus rebus.*

Dilectus huic. Virg. Georg.: *Dilectae Thetidi Alcyones*[38].

Dego illam rem. Virg. Aen. IV.[39]: *Sine crimine vitam Degere.* Cic. pro Roscio[40]: *Inter feras satius est aetatem degere.*

Desuetus his. Virg. Aen. VI.[41]: *Et iam desueta triumphis Agmina.*

Diffidit illi. Virg. Aen. III.[42]: *Cum iam diffideret armis.* Cic. pro Cluentio[43]: *Diffidentem rebus suis.* Salust. Catil.[44]: *Sibi patriaeque diffidere.*

Defende illam rem pro ab illa re. Virg. Aen. X.[45]: *Hunc, oro, defende furorem.* Defende ab illa re. Idem Bucol.[46]: *Dum teneras defendo a frigore myrtos.*

Discrucior[47] huius. Terent. Adelph.: *Discrucior animi.*

Dubius huius[48]. Salust. Hist. III.: *Dubius consilii.*

que Cod. *delectatus.* — 21) *Desiste hac re* A. M. *Sal. Hist. II.* 4. A. M. Fragmm. lib. II. 19. Gerl. — 22) *Ter. Phor.* 4. 3. 29. A. M. *Ulterius h. d. littibus* mendose Cod. Gu. — 23) *Virg. Aen. XII.* 60. A. M. Numerum libri XI. exhibet Cod. Gu. qui idem in eloquutione praestat: *desistere hoc facere.* — 24) Cod. A. M. utrobique *Divertit*, eadem scriptura etiam in exemplis. Recte Cod. Gu. quod dedimus. Cap. 6. orat. pro Dei. legitur *devertisses.* Cod. A. M. *hospitis sui;* veram lectionem *tui* exhibet Cod. Gu. — 25) *Pro Mil.* 20. A. M. *Pompei* dedi e Cod. Gu. *Pompeii* A. M. — 26) *Idem in Cat. I.* 6. A. M. Tum Cod. Gu. *quod tam necesse putas esse in consulis corpore defige.* — 27) *Virg. Aen. XII.* 130. A. M. — 28) *Idem XII.* 435. A. M. Vv. *verumque laborem* addidi e Cod. Gu. — 29) *Ter. Eun.* 2. 2 31. A. M. — 30) Numerum XVI. uterque Cod. exhibet. Sed in numeris exhibendis non magnopere fidem habent hi Codd. — 31) Numerum XVII. Cod. A. M. sed XVI., quem dedi, Cod. Gu. Tum *dessensio* Cod. A. M. Recte *dissensio* Cod. Gu. — 32) *Idem de Rep. II.* 1003. A. M. *Deportavisset* Cod. A. M. — 33) Act. in Verr. II. lib. I. 20. Edd. exhibent apud Cic. *deportasses.* — 34) *Idem in Verr. Act. I.* 18. A. M. — 35) *Idem in Frumentaria* 16. A. M. *Cic. Frumentum tribus* cet. Cod. Gu. — 36) *Virg. Aen. VI.* 83. A. M. — 37) *Cic. de Suppl.* 6. A. M. In Verr. Act. II. lib. V. 6. *Iam* in plerisque edd. Cic. omittitur. — 38) Omnia haec, eloquutio cum exemplo, in Cod. A. M. desiderantur. Locus Virg. est Georg. I. 399. — 39) *Virg. Aen. IIII.* 550. A. M. In exemplo *degerit* Cod. Gu. — 40) *Cic. pro Roscio*, 52. A. M. — 41) *Virg. Aen. VI.* 815. A. M. *Etiam* Cod. Gu. — 42) *Idem III.* 51. A. M. — 43) Locum non indicavit A. M. — 44) *Sal. Cat.* 32. A. M. Cap. 31. Cort. Gerlach. — 45) *Virg. Aen. X.* 905. A. M. — 46) *Idem Ecl. VII.* 6. A. M. In exemplo fortasse *defendo* scribendum est. — 47) *Discutior* Cod. Gu. *Ter. Adel.* 4. 4. 1. A. M. *Discutior animi* Cod. Gu. — 48) *Dubius huius* recte exhibet Cod. Gu. *Sal. Hist. III.* 13. A. M. Fragmm. lib. III. 33. Gerlach. Vv. *Dubius consilii* desunt apud A. M.

Decidi de illa re. Terent. Heaut.[1]: *Heu quanta de spe decidi!*

Deperit amicam. Terent. Heaut.[2]: *Clinia hanc si deperit.*

De subito cum praepositione. Terent. Heaut.[3]: *Bolum mihi tantum ereptum tam de subito ex faucibus.*

Derepente[4]. Terent. Hecy.: *Proripuit derepente tacitus sese ad filiam.*

Duxit se. Terent. Hec.[5]: *Uxor, ubi me ad filiam ire sensit, se duxit foras.*

Diligens huius rei. Cic. pro Cornelio II.[6]: *Quam diligentes libertatis vos oporteat esse.* [511]

Dumtaxat, id est[7] tantummodo vel hoc solo. Cic. pro Corn. II.: *Qui commodis P. R. lingua dumtaxat ac voluntate consuluit.*

Demo de hoc. Cic. pro Corn. I.[8]: *Demi medius fidius de his tormentis aliquantum malim.*

Das hoc facere. Virg. Aen. I.[9]: *Tu das epulis accumbere Divum.* Et V.[10]: *Da flammam evadere classi.* Et XII.: *Da sternere corpus Semiviri Phrygis.*

De die, sicut ex tempore. Terent. Adelph.[11]: *Apparare de die convivium.* Cic. Philipp. II.[12]: *Non solum de die, sed etiam ad diem vivere.*

Detrecto hanc rem. Cic. cum quaestor Lilybaeo decederet[13]: *Quod non detrectare militiam sed defendere provinciam iudicatast.*

Damnatus de caede et caedis utrumque[14]. Cic. Philipp. I.: *Quae iubent, ei, qui de vi, itemque ei, qui maiestatis damnatus sit.*

E.

Experior hoc facere. Virg. Bucol.[15]: *Magicis sanos avertere sacris Experiar sensus.* Experior cum his. Cic. pro Cornelio I.[16]: *Quid quod ne cum his quidem expertus es, quos duces operarum fuisse dixisti?* Experior illam rem. Virg. Georg. IV.[17]: *Aestate laborem Experiuntur.* Terent. Eun.[18]: *Omnia prius experiri quam armis sapientem decet.* Expertus

1) *Ter. Heaut.* 2. 3. 9. A. M. *Heu* deest in Cod. Gu. — 2) *Idem in eadem* 3. 2. 14. A. M. — 3) *Idem in eadem* 4. 2. 6. A. M. *Bolum in tantum* Cod. A. M. *Bolum mihi tanquam* Cod. Gu. *Sabito* Edd. aliquot apud Terentium, quod falsum esse metrum ostendit. — 4) *Derepente* una voce scriptum in Cod. Gu., duabus A. M. *Idem Hecy.* 4. 1. 3. A. M. Cod. Gu. *Proripuit* uterque Cod. *corripuit* edd. apud Tacitum. — 5) *Idem in eadem* 4. 1. 7. A. M. In eloquutione *Duxisse* exhibet Cod. A. M. i. e. *Duxit se.* Cod. Gu. praestat *Duxit.* — 6) *Cic. pro Corn. II.* 991. A. M. Pro Corn. Fragmm. II, 15. Nobb. — 7) *Id est* addidi e Cod. Gu. *Idem pro eodem II. ibidem* A. M. Fragmm. pro Corn. II, 16. *Qui comm. patriae l.* Cod. Gu. quam lectionem ortam puto ex male intellecto compendio *p̄. r̄.*, i. e. *populi Romani*, id quod exhibet Cod. A. M. — 8) *Idem pro eodem I. ibidem* A. M. Fragmm. pro Corn. I, 39. Nobb. *Ornamentis* habet pro *tormentis* Cod. Gu. Utrum sit praeferendum, haud facile quis dicat. — 9) *Virg. Aen. I.* 79. A. M. *Tu das* recte Cod. Gu. *Das* Cod. A. M. — 10) *Et V.* 689. A. M. *Et XII.* 97. A. M. *Et IX.* Cod. Gu. Tum *da corpus sternere semiviri p̄.* Cod. Gu.; ordinem meliorem praestat Cod. A. M. cui tamen ultimum deest vocabulum. — 11) *Ter. Adel.* 5. 9. 8. A. M. — 12) *Cic. Phil. II.* 34. A. M. Pro *v. ad diem*, quae uterq. habet Cod., in edd. Cic. est *in diem.* — 13) *Idem c. q. L. decederet* 989. A. M. *Iudicata est* dedit A. M. quum in Cod. esset *indicata est.* Sed *iudicata sit* Cod. Gu. i. e. *iudicatast*, quod rescripsi. — 14) *Damnatus caede* A. M. Recte *D. de caede* Cod. Gu. *Idem Phil. I.* 9. A. M. Exemplum sic exhibetur e Cod. Gu. *Quae iubent ei qui devitent, q ei qui m.* cet. Nimirum apud Cic. legitur *ei qui de vi itemque ei*, quod ipsum quoque voluisse Grammaticum non dubium est. Verba autem *Quae — itemque* plane absunt a Cod. A. M. — 15) *Virg. Ecl. VIII.* 66. A. M. *Experiar* in eloquutione, *experior* in exemplo habet Cod. Gu. *Experior* utrobique exhibet Cod. A. M. Apud Virg. est *Experiar.* — 16) *Pro Corn.* 991. A. M. Libro primo attribuit Cod. Gu., idemque iam fecerunt Fragmm.

illum Virg. Aeneid. XI.[19]: *Haud ita me experti Bitias et Pandarus ingens.* Expertus illius. Idem Aeneid. X.[20]: *Expertos belli iuvenes.*

Eget illius rei. Virg. Georg. II.[21]: *Nil radicis egent aliae.* Eget illa re. Idem Aen. II.[22]: [512] *Non tali auxilio nec defensoribus istis Tempus eget.* Egens illius[23]. Idem Aen. VIII.: *Non te rationis egentem.* Egenus illius. Idem Aen. I.[24]: *Omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos.*

Evado his. Virg. Aen. IX.[25]: *Quaecumque evaserit undis.* Evado hos. Idem[26]: *Iamque imprudens evaserat hostes.*

Exulat illis locis. Virg. Georg. III.[27]: *Ignotis exulat oris.* Exulat usque ad illa loca. Virg. Aen. XI.[28]: *Atrides Prothei Menelaus ad usque columnas Exulat.*

Egredior illo loco. Virg. Aen. II.[29]: *Est urbe egressis tumulus.* Cic. pro Ligario[30]: *Domo est egressus.* Egressus illam rem. Sal. Hist. I.[31]: *Gens raro egressa fines suos.* Idem Hist. III.[32]: *Postquam egressus angustias.*

Exit illa re. Cic. de Rep. I.[33]: *Nunciatum est venire Laelium domoque iam exisse.* Exit e loco. Cic. de Suppliciis[34]: *Ut exeunt e Sicilia praedones.* Exit illam rem. Virg. Aen. V.[35]: *Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.* Idem: *Et vim viribus exit.*

Emit de me. Cic. pro Roscio[36]: *Quae de viro clarissimo et fortissimo sese dicit emisse L. Cornelius Chrysogonus.* Emit a me. Idem de Suppliciis[37]: *Quod a malo auctore emit.*

Expellit hoc loco[38]. Cic. pro Cornelio I.: *Satius hominem miserum atque innocentem* [513] *eripi P. R., expelli patria, divelli a suis.* Expellit ex hoc loco[39]. Idem pro Sextio: *Expellit ex patria.* Expellit a loco. Cic. pro Cornelio II.[40]: *Expelleret a dispensantibus.*

Expers illius rei. Cic. de Rep.[41]: *Negotii publici expers.* Expers illa re. Sal. Bell. Cat.[42]: *Fama atque fortunis expertes sumus.*

Egregius illa re. Virg. Aen. VI.[43]: *Egregium forma iuvenem et fulgentibus armis.* Egregius illius rei. Virg. Aen. XI.[44]: *Egregiusque animi.* Salust. Hist. I.: *Egregius militiae.* Egre-

apud Cic. collectores. — 17) *Virg. Georg. IIII.* 156. A. M. *Experiantur* Cod. Gu. — 18) *Ter. Eun.* 4. 7. 19. A. M. *Experiri verbis* edidit A. M. ut est in aliquot edd. apud Terentium. Sed Cod. uterque ignorat v. *verbis*, recte. — 19) *Virg. Aen. XI.* 396. A. M. — 20) *Idem X.* 173. A. M. *Expertes* Cod. A. M. — 21) *Virg. Georg. II.* 28. A. M. — 22) *Idem Aen. II.* 521. A. M. — 23) *Egens illius rei* A. M. Abest *rei* a Cod. Gu. *Idem VIII.* 299. A. M. — 24) *Idem I.* 599. A. M. *Exaustos* Cod. A. M. — 25) *Idem VIIII.* 99. A. M. — 26) *Idem in eodem* 386. A. M. — 27) *Idem Georg. III.* 225. A. M. — 28) *Idem Aen. XI.* 262. A. M. *Prothei* uterq. Cod. *Protei* apud Virg. — 29) *Idem II.* 713. A. M. *Ex urbe* Cod. Gu. — 30) *Pro Lig.* 2. A. M. — 31) *Sal. Hist. I.* 19. A. M. Fragmm. I. 29. Gerl. — 32) *Idem III.* 12. A. M. Fragmm. III. 23. Gerl. — 33) *Idem de Rep. I.* 1001. A. M. *Nuntiatum* A. M. — 34) Locum non indicavit A. M. *Ex Sicilia* Cod. Gu. — 35) *Virg. Aen. V.* 438. A. M. Huic exemplo quod alterum subiungitur in Cod. Gu. *Idem — exit*, deest apud A. M. Locus est Virg. Aen. XI, 750. — 36) *Cic. pro Roscio* 2. A. M. *Lucius Corn. Chrysogonus* A. M. — 37) *Idem de Suppl.* 22. A. M. Act. in Verr. II. lib. V, 22. *Emisset* legitur apud Cic. — 38) Hanc omnem eloquutionem cum exemplo suo omisit A. M. Locus orationis I. pro Cornelio nunc primum in lucem editur fragmentisque ascribendus est, fortasse inter 17. et 18. lib. I. Fragmm. oratt. pro Corn. collocandus. — 39) *Expellit de loco* mendose A. M. e Cod. In notis animadvertit, scribendum esse *ex loco*, vel postea in exemplo *de patria*. Utrumque falsum esse, evincit Cod. Gu. cuius lectionem dedimus. Est orat. pro Sext. c. 13. — 40) *Idem pro Corn. II.* 991. A. M. Fragmm. pro Corn. II, 17. Nobb. — 41) *Idem de Rep.* 1001. A. M. De Rep. I, 2, 3. Orell. — 42) *Sal. Cat.* 34. A. M. Cap. 33. Cort. Gerl. — 43) *Virg. Aen. VI.* 862. A. M. *Virg. Aen. II.* Cod. Gu. Verba: *iuvenem et fulgentibus armis* addidi e Cod. Gu. — 44) *Idem Aen. XI.* 417. A. M. Exemplum e Sallustio deest in Cod. A. M.; addidi e Cod. Gu. Simile fragmentum e libro I. Hist. ex-

gius haec. Salust. Iugurth.[1]: *Imperii prolatandi percupidus habebatur, caetera egregius.*

Exterritus animo. Virg. Aen. VIII.[2]: *At Venus haud animo nequicquam exterrita mater.* Exterritus illius rei. Salust. Hist. IV.[3]: *Tetrarchus regesque territos animi firmavit.*

Evenit in illo. Salust. Hist. V.[4]: *Nam si in Pompeio quid humani evenisset.* Evenit illi. Cic. in Pisonem[5]: *An quod tibi proficiscenti evenit.* Evenit his mihi incommode[6]. Ter. Hecy.: *Incommode mihi nuptiis evenit.*

Expedio me hac re. Cic. pro Cornelio I.[7]: *Eiusmodi mihi duos laqueos in causa esse propositos, ut si me altero expedissem, tenerer altero.* Expedio me ex hac re. Terent. Adelph.[8]: *Quo modo me expediam ex hac turba?*

Excessit hoc loco. Virg. Aen. II.[9]: *Excessere omnes adytis arisque relictis Dii.* Excessit ex hoc[10]. Ter. Hecyr.: *Et cura ex corde excessit.* [514]

Excruciat me illa re[11]. Cic. de Praetura urbana: *Socium P. R. atque amicum fumo excruciatum semivivum reliquit.*

Elicit hoc vel huic. Virg. Georg. I.[12]: *Ecce supercilio clivosi tramitis undam Elicit.* Elicit ab hoc. Cic. pro Deiotaro[13]: *In qua quaestione dolor elicere verum vocem possit etiam ab invito.*

Exerceo[14] illam rem. Virg. Aeneid. III.: *Exercent patrias oleo labente palaestras.* Exercetur illa re. Cic. de Signis[15]: *Dum armis exercetur.*

Enixa filium. Virgil. Aeneid. VII.[16]: *Ignes enixa iugales.*

Exsors huius. Virgil. Aen. VI.[17]: *Quos dulcis vitae exsortes.*

Excudit huic. Virg. Aen. I.[18]: *Silici scintillam excudit Achates.* Excussos hac re. Virgil. Aen. VII.[19]: *Quin etiam patria excussos.*

citatur infra v. *Peritus*, ubi tamen est *militiae peritus.* — 1) Locum non indicavit A. M. nec in Bello Iugurthino exstare videtur. *Caetera* dedi e Cod. Gu. *Cetera* A. M. Existimat Fr. Vil. Otto fortasse lacunam esse in Bello Iugurthino c. 79. ubi de Philaenis fratribus sermo est, quo loco illa verba de altero Philaenorum dicta sint. Mihi rem non persuasit. — 2) *Virg. Aen. VIII.* 370. A. M. — 3) *Sal. Hist. IIII.* 11. A. M. Lib. IV, 26. Gerl. — 4) *Idem V.* A. M. *In Pompeio* uterque Cod. id quod formula eloquutionis requirit. Olim in Fragmm. Sal. collectionibus scriptum *Pompeio*, sine praep., notavit A. M. idemque notavit probavitque Cortius, qui tamen Gudiani Cod. nostri lectionem commemorat. — 5) *Cic. in Pis.* 14. A. M. *An quid* Cod. A. M. *an quod* Cod. Gu. — 6) Hoc omne enunciatum cum exemplo suo desideratur in Cod. Gu. Locus est Ter. Hecy. 5. 3. 40. indicante A. M. — 7) *Cic. pro Corn.* 991. A. M. Pro Corn. I, 43. Nobb. *Praepositos* Cod. A. M. *Propositos* recte Cod. Gu. — 8) *Ter. Adel.* 4. 4. 5. A. M. — 9) *Virg. Aen. II.* 351. A. M. *Aditis* Cod. Gu. — 10) *Excessit ex hoc loco* A. M. *Ter. Hecy.* 3. 2. 12. A. M. *Et cura et corde* Cod. Gu. — 11) *Excruciare illa re* A. M. contra constantem Grammatici usum, qui tum demum solet ponere infinitivum, quum idem in ipso exemplo recurrit. *Cic. de Praetura urbana* 17. A. M. *Cic. de praetura* Cod. Gu. Tum *fumo excruciatum unde reliquit semi* . . . . (sic lacuna notata) Cod. Gu. — 12) *Virg. Georg. I.* 108. A. M. — 13) *Cic. pro Deiot.* 1. A. M. — 14) *Exerce* A. M. *Virg. Aen. III.* 281. A. M. — 15) Locum non indicavit A. M. In Verr. Act. II. lib. IV. 25. 55. — 16) *Virg. Aen. VII.* 320. A. M. — 17) *Exors* Cod. Gu. *Idem VI.* 428. A. M. *Quod — exortes* Cod. Gu. — 18) *Idem I.* 174. A. M. — 19) *Idem VII.* 299. A. M. — 20) *Effeta* A. M. *Idem VII.* 440. A. M. Virg. Aen. VI. Cod. Gu. Tum iterum *effeta* A. M. — 21) *Idem VI.* 595. A. M. *Omnipotentis* Cod. uterq. Apud Virg. est *omniparentis.* — 22) *Et Georg. IIII.* 447. A. M. — 23) *Et Ecl. X.* 46. A. M. *Ne sit* Cod. Gu. — 24) *Idem Aen. VIIII.* 271. A. M. — 25) *Cic. pro Ligario* 5. A. M. At uterq. Cod. *pro Deiot.*, quod retinendum erat, licet falsum. Ceterum *Exuit* et *exuisses* Cod. uterq. — 26) *Virg. Aen. XII.* 517. A. M. *Menetem* Cod. Gu. — 27) *Idem IIII.* 616. A. M. — 28) *Sal. Hist. II.* 1. A. M. Libri

Effoeta huius rei[20]. Virg. Aen. VII.: *Verique effoeta senectus.*

Est cernere. Virgil. Aen. VI.[21]: *Terrae omnipotentis alumnum Cernere erat.* Et Georg. IV.[22]: *Neque est te fallere quicquam.* Et Bucol.[23]: *Nec sit mihi credere tantum.*

Excipio illi rei. Idem Aen. IX.[24]: *Excipiam sorti, iam nunc tua praemia, Nise.*

Exuit hac re illam rem. Cic. pro Deiot.[25]: *Nonne omnem humanitatem exuisses?*

Exosus illud. Virg. Aen. XII.[26]: *Exosum bella Menoetem.*

Extorris his. Virg. Aen. IV.[27]: *Finibus extorris.* Salust. Hist. II.[28]: *Orbe terrarum extorres.* [515]

Edormit hoc. Terent. Adelph.[29]: *Edormiscam hoc vini.* Cic. Philipp. II.[30]: *Edormi crapulam et exhala.*

Ex commodo. Salust. Iug.[31]: *Melius esse ratus ex commodo pugnam facere.*

Escendo equum. Salust. Iug.[32]: *Pars equos escendere, obviam ire hostibus.*

Erumpit se inde. Virg. Georg. IV.[33]: *Unde altus primum se erumpit Enipeus.*

Emergit se. Salust. Hist. IV.[34]: *Ubi se laniata navigia fundo emergunt.* Terent. Andr.[35]: *Ex illis se emersurum malis.*

Exorsus orationem. Salust. Hist. IIII.[36]: *Magnam exorsus orationem.*

Expostulo cum eo. Terent. Andr.[37]: *Et cum eo iniuriam hanc expostulem?*

Evolve te hoc. Terent. Eun.[38]: *Hac re te omni turba evolves.*

Elapsus hac muliere. Terent. Hecyr.[39]: *Paulatim elapsus est Bachide, atque huc transtulit Amorem.* Elapsus de hac. Virg. Aen. II.[40]: *Ecce autem elapsus Pyrrhi de caede Polites.*

Emungo hac re illum. Terent. Phorm.[41]: *Emunxi argento senem.*

(Exsequias ire.) Terent. Phorm.[42]: *Exsequias Chremeti quibus est commodum ire, tempus est.*

numerus in Cod. Gu. omissus est. Priores Fragmm. apud Sal. collectores ediderant: *Urbe patriaque extorres.* Gerlach. dedit: *Orbe terrarum patriaque extorres.* Nostram lectionem Cod. uterque tuetur. — 29) *Ter. Adel.* 5. 2. 11. A. M. *Villi* legitur apud Ter. — 30) *Cic. Phil. II.* 12. A. M. *Exala* Cod. A. M. — 31) *Sal. Iug.* 84. A. M. Cap. 82. ed. Cort. Gerl. *Esse* omiserat Cort. restituit e Codd. Gerlach. — 32) *Idem in eodem* 102. A. M. Cap. 97. Cort. Gerl. Verba: *obviam ire hostibus* desunt in Cod. A. M. addidi e Cod. Gu. — 33) *Erumpit inde* Cod. A. M. Addidi *se* e Cod. Gu. Atque ita restitutum volebat iam Nicol. Heinsius apud Rhod. in Lexico Scribon. s. v. *Erumpit.* Tum *Inde altus* Cod. A. M. *Unde a.* Cod. Gu. quemadmodum est apud Virg. *Se erumpit* iterum dedi e Cod. Gu. ut est ap. Virg. *Se* deest in Cod. A. M. Locus est Georg. IV, 368. — 34) *Sal. Hist. IIII.* A. M. Fragmm. IV. 35. Gerl. Pro *navigia* dedit e Cod. suo *vestigia* A. M. Sed recte *navigia* Cod. Gu. — 35) *Ter. Andr.* 3. 3. 30. A. M. Apud Ter. editur *sese.* A quibus editionibus *se* plane abesse dicat A. M. nescio. — 36) *Sal. Hist. IIII.* 1. A. M. Fragmm. IV, 6. Gerl. — 37) *Ter. And.* 4. 1. 15. A. M. — 38) *Idem Eun.* 4. 4. 56. A. M. *Te de turba* Cod. A. M. quapropter edidit *te turba.* Adieci *omni* e Cod. Gu. quo eodem ducit mendum Cod. A. M. Apud Ter. editur: *Hac re et te omni t. e.* — 39) *Idem Hecy.* 1. 2. 94. A. M. *Atque hunc* A. M. *Atque hanc* Cod. Gu. Error ortus ex malo intellecto compendio. Apud Terent. ante Bentl. edebatur *huic*, qui recte *huc* restituit e libro Bembino. — 40) *Virg. Aen. II.* 526. A. M. *Virg.* Cod. Gu. loco non diligentius significato. — 41) *Ter. Phor.* 4. 4. 1. A. M. Ante nomen Ter. signum asterisci est in Cod. Gu. ad quod in margine ascriptum *M. Lacunam.* Tum sequuntur in textu haec: *Terent. Phorm. Exequias Chremeti quibus est commodum ire, tempus est.* Nimirum aberravit librarii oculus a nomine *Terent. Phorm.* ad idem nomen, et exemplum atque sequentem elocutionem omisit. Itaque ope Cod. A. M. locum restituimus. Is vero Codex post v. *senem* statim exhibet eloquutionem *E loco evocat*, omissis omnibus interpositis, quae e Cod. Gu. praeclarissimo adieci. — 42) *Terent. Phorm. V*, 8, 37. ubi editur *ire iam.*

Exporge illud. Terent. Adelph.[1]: *Exporge frontem.*

Exarat ex agro. Cic. Frumentaria[2]: *Ut plus quam decem medimna ex iugero exararent.*

Evocat e loco. Cic. pro Deiotaro[3]: *E tenebris in lucem evocavit.*

Excidit hac re. Virg. Aen. II.[4]: *Tantumque nefas patrio excidit ore.* Terent. Andr.[5]: [516]
Herus quantum audio uxore excidit.

Emissus ex hoc loco. Cic. in Catilin. I.[6]: *Ut abs te non emissus ex urbe.* Emissus hoc loco. Virg. Georg. IV.[7]: *Emissum caveis ad sidera coeli Nare per aestatem liquidam suspexeris agmen.*

F.

Felix illa re. Virg. Aen. VI.[8]: *Felix prole virum.* Felix illius rei. Idem Georg. I.[9]: *Ipsa dies saltus alio dedit ordine luna Felices operum.*

Ferax illo. Virg. Georg. II.[10]: *Illa ferax oleo'st.* Salust. Iugurth.[11]: *Arbore infoecundus, fertilis frugum ager.*

Fidens fugae. Virg. Aen. XI.[12]: *Fugae fidens, et coelum territat armis.* Fidens fuga. Virg. Georg. III.[13]: *Fidentemque fuga Parthum.* Fidens illius[14]. Virg. Aen. XII.: *Regina tui fidissima.* Fido huic rei. Idem Aen. VII.[15]: *Iam fidere terrae.*

Fessus illius rei. Virg. Aen. I.[16]: *Fessi rerum.* Fessus illa re. Idem Aen. II.[17]: *Et longo fessi discedere bello.*

Fortunatus illius rei. Virg. Aen. XI.[18]: *Fortunatusque laborum.* Fortunatus illa re. Salust. Cat.[19]: *Viro, liberis satis fortunata fuit.*

Furens illius. Virg. Aen. V.[20]: *Furens animi dum proram ad saxa suburget.* Furens [517]
hoc. Idem Aen. VIII.[21]: *Ecce furens animis aderat Tirynthius.*

Fruor illa re. Terent. Adelph.[22]: *Huic demus qui fruatur* pro *quo fruatur.* Fruor illam rem. Idem Phorm.[23]: *Ut mihi liceat quod amo, tamdiu frui.* Fructui mihi est illud. Cic. de

1) *Terent. Ad. V*, 3, 53. — 2) Cic. in Verr. Act. II. lib. III, 47. In Cod. Gu. est: *Cicero Frumentum ut plus* cet. — 3) *E loco vocat* Cod. A. M. *Cic. pro Deiot.* 11. A. M. — 4) *Virg. Aen. II.* 658. A. M. *Primo excidit* Cod. A. M. Recte ut legitur apud Virg. *patrio e.* Cod. Gu. — 5) Totum hoc exemplum omisit A. M. Recepi e Cod. Gu. Locus est Ter. Andr. II, 5, 12. — 6) *Cic. in Cat. I.* 11. A. M. — 7) *Virg. Ge. IIII.* 58. A. M. — 8) *Idem Aen. VI.* 785. A. M. — 9) *Idem Ge. I.* 277. A. M. *Alios alio* Cod. A. M. Recte *saltus alio* Cod. Gu. ut est apud Virg. — 10) *Idem Ge. II.* 222. A. M. *Illa ferax Deo sic* Cod. Gu. *Sic* ortum ex *'st* quod restitui. *I. f. oleo* A. M. — 11) *Sal. Iug.* 20. A. M. *Arbore* uterq. Cod. Locus plerumque sic editur: *Ager frugum fertilis, bonus pecori, arbori infecundus.* Sed in Cod. Gu. post v. *infoecundus* sequitur nova elocutio: *Fertilis huius. Ager frugium fertilis* (sic); quam ubertatem librariorum inventum esse puto. — 12) *Virg. Aen. XI.* 351. A. M. — 13) *Fidentem fuga* A. M. *Idem Georg. III.* 31. A. M. — 14) *Fidus illius* edidit A. M. Sed Cod. uterq. *Fidens illius. Idem Aen. XII.* 659. A. M. *Virg. Aen. X.* Cod. Gu. — 15) *Idem VII.* 290. A. M. — 16) *Idem I.* 178. A. M. *Fessus r.* Cod. Gu. — 17) *Idem II.* 109. A. M. *E longo* Cod. Gu. — 18) *Idem XI.* 416. A. M. — 19) *Sal. Cat.* 26. A. M. *Viro* addidi e Cod. Gu. *Fuit* in Sall. edd. plerumque omittitur. — 20) *Virg. Aen. V.* 202. A. M. Verba *ad saxa suburget* addidi e Cod. Gu. — 21) *Idem Aen. VIII.* 228. A. M. — 22) *Ter. Adel.* 5. 8. 27. A. M. — 23) *Idem Phor.* 1. 3. 13. A. M. *Veni liceat quod* Cod. A. M. Recte cum Terentio Cod. Gu. *Ut mihi liceat quod.* Ceterum ordo apud Ter. est: *tamdiu quod amo.* — 24) *Cic. de imp. Pomp.* 6. A. M. Pro lege Manil. 6. Apud Cic. legitur *illis* et *fructuosi.* In Cod. Gu. est: *his rebus frui possessiones nisi* cet. — 25) *Ter. Adel.* 4. 3. 12. A. M. *Et tuo off.* Cod. uterq. *Et tu off.* in vett. ed. apud Ter. notante Maio. — 26) *Idem eadem* 3. 4. 18. A. M. *Idem eandem* Cod. Gu. *Est* desideratur apud A. M. *officium est* ed. Ter. — 27) *Virg.*

Imperio Pompeii[24]: *Putatisne vos his rebus frui posse, nisi eos qui fructui vobis sunt conservaveritis?*

Functus illa re. Terent. Adelph.[25]: *Et tuo officio fueris functus.* Functus illam rem. Idem eadem[26]: *Neque liberalis functus est officium viri.*

Frater illius. Virg. Aen. V.[27]: *Tuus, o clarissime, frater, Pandare.* Frater illi. Salust. Hist. IV.[28]: *Qui uxori eius frater erat.*

Fluit illa res. Virg. Aen. VIII.[29]: *Fluit aes rivis aurique metallum.* Fluit illa re. Idem Georg. II.[30]: *Atque auro plurima fluxit.*

Flet illud tempus. Virg. Georg. IIII.[31]: *At illa Flet noctem.* Volunt aliqui *flet noctem* quasi *usque ad noctem* intelligi; cum videatur melius[32] quod noctem quoque totam flendo consumat. Ut idem in eodem: *Septem illum totos perhibent ex ordine menses Rupe sub aeria deserti ad Strymonis undam Flevisse.*

Furorem furit. Virg. Aen. XII.[33]: *Hunc oro sine me furere ante furorem.* [518]

Futurum illi exitium est. Virg. Aen. II.[34]: *Tum magnum exitium, quod Dii prius omen in ipsum Convertant Priami imperio Phrygibusque futurum.* Futurus exitio ille illi. Idem Aen. IX.[35]: *Multis tamen ante futuri Exitio.* Similiter Cic. pro Ligario[36]: *Saluti civi calamitoso esse vellemus.*

Fretus hac re. Virg. Aen. IX.[37]: *Freti armis.* Salust. Iugurth.[38]: *Et amicitia P. R. magis quam Numidis fretus.*

Festino illud. Virg. Aen. IV.[39]: *Festinare fugam.* Salust. Hist. I.: *Profectionem festinantes.*

Filius familiae vel mater familiae[40].

Filius familiarum et mater familiarum[41]. Cic. de Praetura urbana: *Quam multis istum matribus familiarum attulisse existimatis?* Mater familias. Cic. pro Coelio: *Si matrem familias secus quam matronarum sanctitas postulat nominamus.*

Fine illius rei. Salust. Hist. III.[42]: *Fine inguinum ingrediuntur mare.*

Aen. V. 495. A. M. *Vos o clarissime frater Pandare* Cod. Gu. — 28) *Sal. Hist. V.* A. M. *Salust. Hist. IV.* Cod. Gu. *Et ux.* prima man. Cod. A. M.; altera *qui,* quod dedimus. *Quod uxori* Cod. Gu. — 29) *Virg. Aen. VIII.* 445. A. M. *Fluit aestivis aurique metallum* Cod. Gu. *metallis* Cod A. M. — 30) *Idem Georg. II.* 166. A. M. — 31) *Idem III.* 514. A. M. *Virg. Georg. IV.* Cod. Gu. Recte. — 32) Ita Cod. Gu. In Cod. A. M. locus ita exhibetur: *Cum videatur melius quam noctem quoque totam.* Iam sequuntur tanquam in nova eloquutione *Flendo consumat. Ut idem* cet. Apertum est, male distinctam esse orationem in Cod. A. M., quapropter non dubitavimus sequi Cod. Gu. ubi omnia optime cohaerent. Sententia enim est: Sunt qui explicent *usque ad noctem;* quum tamen (licet) melius videatur illud sic intelligi, ut noctem totam flendo consumat. Oratio Grammatici semibarbara obscuritatem invexit. *In eodem* 507. A. M. *Prohibent* Cod. Gu. — 33) *Idem Aen. XII.* 680. A. M. — 34) *Idem II.* 190. A. M. Verba *quod Dii prius omen in ipsum convertant* desunt in Cod. A. M. — 35) *Idem VIIII.* 315. A. M. — 36) *Similiter* addidi e Cod. Gu. *Cic. pro Lig.* 5. A. M. — 37) *Virg. VIIII.* 676. A. M. — 38) *Sal. Iug.* 23. A. M. Cap. 20. edd. Cort. Gerl. — 39) *Virg. Aen. IIII.* 575. A. M. *Festinate* Cod. Gu. Salust. Hist. Fragmm. nondum accensus locus. — 40) Haec desunt plane apud A. M. In Cod. autem Gu. leguntur ante eloquutionem *Festino,* quod non probabile est, quia Arus. Messus similes elocutiones coniungere solet. Quo casu exempla omissa sint, exputare non possum. — 41) Omnis hic articulus deest in Cod. A. M. *Filii familiarum et Cic. de* cet. Cod. Gu. Qua de caussa putavi unam formulam esse omissam, quam apposui. Nescio tamen an potius ita constituendus sit totus locus: *Filius familiae vel filius familiarum. Mater familiae vel mater familiarum Cic. de Pr.* cet. ut nihil omissum sit iudicandum. Exempla autem non plane essent idonea. Loci Ciceronis sunt: In Verr. Act. II. lib. I, 24. ubi est: *matribus familias — vim attulisse.* Pro Coelio c. 13. — 42) *Idem III.* 14. A. M. Fragmm. III, 38. Gerl.

Fatigatus illius rei[1].

Fugitans litium[2]. Terent. Phorm.: *Erus liberalis et fugitans litium.*

Fugitivus ab illa re. Cic. de Signis[3]: *Neque tam fugitivi illi a dominis, quam tu ab iure et a legibus.*

Firmatus illius rei. Salust. Hist. III.[4]: *Ad Cyzicum perrexit firmatus animi.*

Fartus hac re. Cic. de Suppliciis[5]: *Pulvinus erat perlucidus Melitensi rosa fartus.*

Falsus illius rei. Terent. Eun.[6]: *Ut falsus animi est.*

Fundit humi. Virg. Aen. V.[7]: *Mero libans carchesia Bacchi Fundit humi.*

G.

Gaudet illa re. Virg. Bucol.[8]: *Phoebo gaudet Parnasia rupes.* Gaudet illam rem. Terent. Andr.[9]: *Hunc scio mea solum solide gavisurum gaudia.* Idem Phorm.[10]: *Vin' pri-* [519] *mum hodie facere, quod ego gaudeam, Nausistrata?*

Gerens negotium. Cic. Phil. II.[11]: *Magister equitum negotium publicum gerens.* Gerentes negotii. Cic. pro Sextio[12]: *Negotii gerentes.* Gesto in hac re. Terent. Adelph.[13]: *Quem ego tantillum puerum in manibus gestavi meis.* Gero hac re. Virg. Aen. XII.[14]: *Atque humeris inimicum insigne gerebat.*

Gratum tibi est. Cic. in Hortensio[15]: *Lucullo quidem noster adventus et gratus et iucundus fuisse.* Gratum adversum te pro tibi. Terent. Andr.[16]: *Id gratum fuisse adversum te.*

Genitus illi rei[17] faciendae. Salust. Hist. III.: *Perdendae pecuniae genitus.* Genitus illo loco. Virg. Aen. XII.[18]: *Genitos diversis partibus orbis.* Genitus illo parente. Idem Aen. VI.[19]: *Diis geniti potuere.*

Gratiam illi criminis facio. Salust. Histor. III.[20]: *Post reditum eorum, quibus senatus belli Lepidiani gratiam fecerat.*

Gratificor illam rem tibi. Cic. de Rep. I.[21]: *Populo gratificans et aliena et sua.* Sal. Iug.[22]: *Nisi forte quem inhonesta libido tenet, potentiae paucorum decus atque libertatem suam gratificari.*

1) *Fatigatus illius rei.* Deest exemplum in utroque Cod. — 2) Deest exemplum in Cod. A. M. Desideratur elocutio in Cod. Gu. Nam apud A. M. sic legitur: *Fatigatus illius rei et etiam Fugitans litium nihil amplius.* At in Cod. Gu. *Fatigatus illius rei: Terent. Forma eras liberalis et fugitans litium.* — 3) Locum non indicavit A. M. *A iure* Cod. Gu. Locus est in Verr. Act. II. lib. IV, 50. — 4) *Sal. Hist. III.* 12. A. M. *Firmatum animi* Cod. Gu. Fragmm. lib. III, 24. — 5) *Cic. de Suppl.* 11. A. M. In Verr. Act. II. lib. V, 11. — 6) *Ter. Eun.* 2. 2. 43. A. M. — 7) *Virg. Aen. V.* 77. A. M. *Fudit* Cod. Gu. — 8) *Idem Ecl. VI.* 29. A. M. — 9) *Ter. And.* 5. 5. 8. A. M. *Mea non solum* Cod. A. M. *Mea solum solide* Cod. Gu. *Mea solide solum* apud Ter. editur. — 10) *Idem Phor. V.* 8. 1. A. M. *Vix primum* Cod. Gu. — 11) *Cic. Phil. II.* 25. A. M. — 12) Locum non indicavit A. M. In notis memoravit, simile exemplum exstare in orat. pro Quintio 19. — 13) *Ter. Adel.* 4. 2. 24. A. M. *Tum illum puerum* Cod. Gu. *Puerum gestavi in manibus meis* Cod. A. M. Meliorem ordinem servavit Cod. Gu. — 14) *Virg. Aen. XII.* 944. A. M. — 15) *Cic. in Hort.* 1015. A. M. Fragmm. Hort. 3. Nobb. pag. 1170. *Lucullo quem nostri adv.* Cod. Gu. — 16) *Ter. Andr. I.* 1. 15. A. M. *Adversum te fuisse* Cod. A. M. Verum ordinem servavit Cod. Gu. — 17) *Rei* om. Cod. Gu. *Sal. Hist. III.* 15. A. M. Uberiora citat Asconius. Cf. Fragmm. Sal. III. 39. Gerlach. — 18) *Virg. Aen. XII.* 708. A. M. — 19) *Idem VI.* 131. A. M. — 20) *Sal. Hist III.* 14. A. M. Fragmm. III. 34. Gerlach. — 21) *Cic. de Rep. I.* 1002. A. M. — 22) *Sal. Iug.* 3. A. M. *Inhonesta et perniciosa libido* editur apud Salustium. Tum pro *decus atque* in Cod. A. M. est: *recusatque.* Contra *Nisi forte quam* Cod. Gu. *potentiae paricorum* idem. — 23) *Idem in eodem* 112. A. M. Cap. 104. edd. Cort. Gerlach. Ibi recte legitur:

Gratiae facio crimen meum. Salust. Iugurth.[23]: *Bocchum optimum poenitet, delicta gratiae facit.*

Gnarus illius. Sal. Hist. I.[24]: *Et numeri eorum Metellus per litteras gnarus.*

Gemit extrema. Virg. Aen. XI.[25]: *Atque extrema gementem.* [520]

Gravis illo, id est ex illo gravida[26]. Idem Aen. I.: *Regina Sacerdos Marte gravis.* Gravis hac re. Virg. Aen. IX.[27]: *Hic annis gravis atque animi maturus Aletes.*

Genus Italus pro genere. Virg. Aen. V.[28]: *Cressa genus.* Idem Aen. VIII.[29]: *Qui genus?*

Geminum illis rebus pro simillimum. Cic. in Pisonem[30]: *Illud vero geminum consiliis Catilinae et Lentuli, quod me domo mea expulistis.*

H.

Habito illam rem. Virg. Bucol.[31]: *Atque humiles habitare casas.* Habito illa re. Idem Aen. III.[32]: *Habitabant vallibus imis.* Habito ibi. Idem Aen. VII.[33]: *Hic fortes habitare Latinos.* Habitantur illis illa loca. Idem Aen. III.[34]: *Cuncta malis habitantur moenia Graiis.* Habitant in illo loco. Terent. Andr.[35]: *In hac habitasse platea dictum est Chrysidem.* Habitat ad haec loca. Virg. Aen. III.[36]: *Curva haec habitant ad litora vulgo Infandi Cyclopes.*

Halat illa re. Virg. Georg. IIII.[37]: *Halantes floribus horti.* Halat illam rem. Cic. Philipp. II.[38]: *Edormi crapulam et exhala.* Virg. Aen. VII.[39]: *Seramque exhalat opaca Mephitim.*

Hostis illius[40]. Virg. Aen. VII. *Hinc Agamemnonius Troiani nominis hostis.* Hostis illis. [521] Cic. de Signis[41]: *Neque tam illi hostes hominibus, quam tu Diis immortalibus.*

Haesit his. Virg. Aen. VIIII.[42]: *Et postibus haesit adesis.* Haesit in iisdem[43]. Virg. Aen. V.: *Infelix saxis in procurrentibus haesit.* Cic. pro Milone[44]: *Haesit in poenis.*

Habet a me. Cic. in Pisonem[45]: *A me habere vitam, fortunas, liberos arbitrabantur.* Habet de me. Terent. Phorm.[46]: *Agrum de nostro patre Colendum habebat.* Habere donat.

Celerum Boccho, quoniam poenitet, delicti gratiam facit. Hausit Grammaticus ex corrupto codice. — 24) *Idem Hist. I.* 22. Sal. Fragmm. I. 54. Carrio ediderat *Itineris eorum*; alii teste Gerlachio: *Et muneris.* Uterque Cod. *Et numeri.* — 25) *Virg. Aen. XI.* 865. A. M. — 26) *Gravida* desideratur in Cod. A. M. *Idem I.* 273. A. M. — 27) *Idem VIIII.* 246. A. M. *Armis gravis* Cod. A. M. *Alites* Cod. Gu. — 28) *Idem V.* 285. A. M. *Cresa genus* Cod. Gu. — 29) *Idem VIII.* 114. A. M. — 30) *Cic. in Pis. VII.* A. M. — 31) *Virg. Ecl. II.* 29. A. M. — 32) *Idem Aen. III.* 110. A. M. — 33) *Habito tibi* Cod. Gu. *Idem VII.* 151. A. M. — 34) *Idem III.* 398. A. M. *Aen. III.* omissa poetae significatione Cod. Gu. — 35) *Ter. And.* 4. 6. 1. A. M. — 36) *Virg. Aen. III.* 643. A. M. *Quorum haec h.* Cod. Gu. *Haec h.* omisso primo voc. A. M. *Curva haec h.* editur apud Virg. quod recipiendum duxi. In Archetypo scriptum erat *Qurva*, quod in *quorum* depravatum est. — 37) *Idem Georg. IIII.* 109. A. M. — 38) *Cic. Phil. II.* 12. A. M. *Exala* et paullo post *exalat* Cod. A. M. — 39) *Virg. Aen. VII.* 84. A. M. *Seramque* uterq. Cod. *Saevamque* editur apud Virg. — 40) Tota haec elocutio cum exemplo suo desideratur apud A. M. In Cod. Gu. superest exemplum. Signo illato ascripsit Gudius: Est aliquid supplendum: *Hostis illius.* Recte; idque scripsimus. Locus est Virg. Aen. VII, 723. — 41) Locum non indicavit A. M. — 42) *Virg. Aen. VIIII.* 537. A. M. *Aenis* Cod. A. M. *Adhaesis* Cod. Gu. *Adesis* correxi ex Virg. — 43) *Haesit in sudem* miro errore Cod. Gu. Fortasse legendum *Haesit in iis. Idem Virg.* Tum *Idem V.* 204. A. M. — 44) *Cic. pro Milone* 21. A. M. — 45) *Cic. in Pis.* 11. A. M. *Arbitrabantur* addidi e Cod. Gu. — 46) *Ter. Phor.* 2. 2. 17. A. M.

Virg. Aen. V.[1]: *Loricam Donat habere viro.* Habendo aptat[2]. Virg. Aen. XII.: *Simul aptat habendo Ensemque clypeumque.*

Hortor illos facere. Virg. Aen. II.[3]: *Hortamur fari quo sanguine cretus.* Hortor illos factum, hoc est factum[4] ire. Salust. Hist. III.: *Neque vos ultum iniurias hortor.*

Humi nascuntur. Virg. Bucol.[5]: *Et humi nascentia fraga.* Sal. Catil.[6]: *Humi depressus.* Idem Iug.[7]: *Humi arido atque arenoso nascuntur.*

Huc include. Virg. Georg. II.[8]: *Huc alienum ex arbore germen Includunt.* Huc asperge. Idem Georg. IV.[9]: *Huc tu iussos asperge sapores.* Huc calca. Idem Georg. II.[10]: *Huc ager ille malus dulcesque a fontibus undae Ad plenum calcentur.*

I.

Inhiant illi rei. Virg. Aen. IIII.[11]: *Pecudumque reclusis Pectoribus inhians spirantia consulit exta.* Cic. in Cat. III.[12]: *Quem inauratum in Capitolio parvum atque lactentem*[13] [522] *uberibus lupinis inhiantem fuisse meministis.* Inhiant illam rem. Virg. Georg. II.[14]: *Ni varios inhiant varia testudine postes.*

Indulget illa re. Idem Georg. IIII.[15]: *Nec concubitu indulgent.* Terent. Adelph.[16]: *Vestitu nimio indulges.* Indulget illi rei. Virg. Aen. II.[17]: *Quid iuvat insano tantum indulgere labori.*

Implet illa re. Virg. Aen. III.[18]: *Animam si veris implet Apollo.* Impletur illius rei. Idem Aen. I.[19]: *Implentur veteris Bacchi pinguisque ferinae.*

1) *Virg. Aen. V.* 262. A. M. — 2) *Optat* utrobique Cod. A. M. Recte *aptat* Cod. Gu. *Idem XII.* 88. A. M. *Virg. XI.* Cod. Gu. *Ensemque* om. Cod. Gu. idemque exhibet *clypaeumque.* — 3) *Idem II.* 74. A. M. — 4) *Factu* Cod. A. M. *Sal. Hist. III.* 10. A. M. Invenitur in oratione M. Licinii, tribuni plebis, ad plebem lib. III. 22. *Neque ego vos ultum iniurias hortor.* — 5) *Virg. Ecl. III.* 92. *Humi* A. M. *Et humi* Cod. Gu. — 6) Exempla haec duo apud A. M. desiderantur. Sal. Cat. 55. Cort. Gerl. — 7) *Sal. Iug.* 48. Cort. Gerl. Citat eundem locum Priscian. 18 31. tom. II. pag. 271. Kr. *Oneroso* pro *arenoso* Cod. Gu. *Gignuntur* editur apud Salustium. — 8) *Idem Georg. II.* 77. A. M. *Aliena* editur apud Virg. Ceterum *Includo* in elocutione habet A. M. — 9) *Huc asparge* Cod. A. M. *Idem IIII.* 62. A. M. Iterum *asparge* Cod. A. M. — 10) *Idem II.* 244. A. M. *Dulcisque* A. M. — 11) *Idem Aen. IIII.* 64. A. M. *Pecorumque* Cod. Gu. *Et spir.* Cod. A. M. — 12) *Cic. in Cat. III.* 8. A. M. — 13) *Lactantem* dedit e Cod. suo A. M. Recte *lactentem*, ut est apud Cic., exhibet Cod. Gu. — 14) *Inhio illam r.* C. A. M. *Virg. Georg. II.* 463. A. M. *Ni varios* Cod. A. M. *Hi varios* Cod. Gu. Apud Virg. legitur *nec var.* Tum *varia* Cod. uterque. Apud Virg. est *pulchra.* — 15) *Idem IIII.* 198. A. M. *Ne conc.* Cod. A. M. *Hae conc.* Cod. Gu. *Nec* legendum est apud Virg. quod restitui Grammatico, quia credibile videtur, *c* a seq. *c* absorptum fuisse. — 16) *Ter. Adel. I.* 1. 38. A. M. *Vestitu tu nimio* Cod. Gu. — 17) *Virg. Aen. II.* 776. A. M. *Labori* Cod. uterque. Apud Virg. est *dolori.* His assuta sunt haec in Cod. Gu. *Indulget illam rem dicimus.* — 18) *Idem III.* 434. A. M. — 19) *Implentur illius r.* A. M. *Idem I.* 215. A. M. *Farinae* Cod. Gu. — 20) *Idem VI.* 134. A. M. — 21) *Idem Georg. II.* 451. A. M. Tum *Terent. undam* Cod. Gu. i. e. *Torrentem undam*, ut legitur apud Virg. — 22) *Idem Aen. VIII.* 691. A. M. — 23) *Idem Ecl. VIII.* 16. A. M. — 24) *Sal. Hist. III.* 12. A. M. *Arma sua quisquis* Cod. A. M. *A. f. quisque* Cod. Gu. *Instans* Cod. uterque. Eundem locum sic citavit Serv. ad Aen. IX, 229. *Fessi arma sua quisque stantes incumbere.* Cf. Gerl. Fragmm. lib. III. 25. — 25) Iubet A. M. respicere ad cap. eius orat. VII. ubi legitur: *Quare videte, num dubitandum vobis sit, omni studio ad id bellum incumbere.* — 26) *Idem pro Muren.* 26. A. M. *Muraena.* Cod. Gu. Tum *Praesertim tam incubui* Cod. Gu. *Praesertim quum incubuit* legitur apud Cic. — 27) Articulorum ordo mutatus in Cod. Gu. ubi

Innare illum locum. Virg. Aen. VI.[20]: *Bis Stygios innare lacus.* Idem Georg. II.[21]: *Torrentem undam levis innatat alnus.* Innare illo loco. Idem Aen. VIII.[22]: *Pelago credas innare revulsas Cycladas.*

Incumbo illi rei. Virg. Bucol.[23]: *Incumbens tereti Damon sic coepit olivae.* Incumbo illam rem. Salust. Hist. III.[24]: *Ut sustinere corpora plerique nequeuntes arma sua quisque instans incumberet.* Incumbo ad illam rem. Cic. de Imperio Pompeii[25]: *Incumbite ad id bellum, Quirites.* Idem pro Murena[26]: *Praesertim tamen incubui ad virum bonum.*

Inducite animum[27]. Terent. Heaut.: *Causam hanc iustam esse animum inducite.* Indu- [523]
cite in animum. Cic. pro Cluentio[28]: *Neque enim quicquam eiusmodi matri poterat in animum inducere.*

Indutus illis rebus. Virg. Aen. XI.[29]: *Indutosque iubet truncos hostilibus armis.* Idem XII.[30]: *Tune etiam spoliis indute meorum.* Indutus illas res. Idem Aen. II.[31]: *Qui redit exuvias indutus Achillis.* Induitur illi rei. Idem Aen. VII.[32]: *Indutus capiti sic regia tecta subibat.*

Incumbo in illam rem. Cic. pro Plancio[33]: *Equidem qui in me ipsum incumbat.* Idem Philipp. IIII.[34]: *Incumbite in causam, Quirites.*

Induit se in illam rem. Virg. Georg. I.[35]: *Cum se nux plurima silvis Induit in florem.* Induitur illam rem corpore. Idem Aen. III.[36]: *Induitur loricam humeris.*

Inducitur illa re corpus. Idem Aen. VIII.[37]: *Tunicaque inducitur artus.*

Inludo illi rei. Virg. Aen. IV.[38]: *Et nostris illuserit advena regnis.* Inludo illum. Idem VIIII. *I*[39], *verbis virtutem inlude superbis.* Inludo in illa re[40]. Terent. Andr.: *Adeon' videmur*

elocutio *Inducite in animum* cum exemplo suo huic praeposita est. *Ter. Heaut. Prol.* 41. A. M. *Animum inducite* vero ordine exhibet Cod. Gu. *Inducite an.* Cod. A. M. — 28) Locum non indicavit A. M. *Quenquam quicquam eiusmodi matri poterat in animum inducere.* Cod. Gu. *Quotiescunque quicquam eiusmodi monstri pot. in an. ind.* Cod. A. M. Apud Cic. pro Cluent. c. 15. §. 45. est: *Neque enim legare eiusmodi matri poterat in a. ind.* Qua de caussa apud Cic. legendum videtur: *Neque enim legare quicquam eiusmodi matri* cet. — 29) *Inductus illis r.* Cod. A. M. Etiam sine codice rescribendum erat *Indutus*, quod diserte exhibet Cod. Gu. *Virg. Aen. XI.* 83. A. M. *Aen. XII.* Cod. Gu. *Inductosque* iterum Cod. A. M. — 30) *Idem XII.* 947. A. M. Deest haec loci notatio in Cod. Gu. *Inducte* Cod. A. M. *Indute*, ut in supp., recte Cod. Gu. — 31) Voc. *res* abest a Cod. A. M. *Idem II.* 275. A. M. Verba *Qui redit* desunt in Cod. A. M. — 32) *Idem VII.* 668. A. M. *Si regia t.* Cod. Gu. — 33) *Cic. pro Plancio* 7. A. M. Apud Cic. vulgo legitur *incurrit;* sed cf. Wunder. ad h. l. Ciceronis. — 34) *Idem Phil. IIII.* 5. A. M. *Caussam* Cod. Gu. — 35) *Virg. Georg. I.* 187. A. M. *Georg. I.* Cod. Gu. Apud Virg. editur *induet.* — 36) *Idem Aen. VII.* 640. A. M. At uterq. Cod. *Aen. III.* quod retinui, etsi falsum. Haud dubie prima linea erecta ex numeri signo V. depravata est, ut saepe fit. Apud Virg. v. *humeris* non legitur, videturque Grammaticus duos similes locos confudisse. — 37) *Idem VIII.* 457. A. M. — 38) *Idem IIII.* 591. A. M. Ceterum uterq. Cod. *Inludo* in elocutione, et *illuserit* in exemplo. Rectissime. Nam Grammaticorum tantum diligentiae *inludo*, *conmemoro* et talia debentur, usu nunquam recepta nec pronunciatione frequentata. Quod quum nuper negaverit Wunderus in praef. Editionis Plancianae, recens inducta illa orthographia, quae iam dudum est explosa; fateor me nescire, quid de eius iudicio statuam, ne quid gravius dicam. — 39) *Idem VIIII.* 634. A. M. *Idem VIII.* Cod. Gu. *In Verbis* Cod. A. M. *Verbis*, omisso imperativo, Cod. Gu. — 40) *Inludo in illa re* (*et in illam rem*) A. M. *Inludo in illa re*, ceteris omissis, Cod. Gu. *Ter. And.* 4. 5. 18. A. M. Tum *inludatis. Iterum facere inlusit invitus filiae* Cod. Gu. Quae post v. *illudatis* leguntur, plane desunt apud A. M. Latet in iis elocutio nova cum exemplo notissimo e Terentio petito. Igitur scripsi: *Iterum in eam rem. Ter. Inlusi in vitam filiae.* Locus Terent. est Andr. V. 1. 3. ubi *Illusi vitam filiae*, omissa praepositione, plerumque legitur.

vobis esse idonei, In quibus sic illudatis? Iterum in eam rem. Ter.: *Inlusi in vitam filiae.* Terent Eun.[1]: *Ne impune in nos illuserit.*

Inops illius rei. Virg. Aen. IIII.[2]: *Saevit inops animi.* Salust. Histor. I.[3]: *Agitandi inops.* Inops hac re. Cic. pro Scauro[4]: *Copiis inops, gente fallax.*

Ignarus huius rei[5]. Virg. Aen. II.: *Ignari (scelerum) tantorum artisque Pelasgae.* Igna- [524]
rus faciendi. Idem Aen. V.[6]: *Haud ignara nocendi.*

Iuro per illam rem. Virg. Aen. VIIII.[7]: *Per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat.* Iuro illam rem. Idem Aen. VI.[8]: *Maria aspera iuro.*

Insido illis. Virg. Aen. VI.[9]: *Floribus insidunt variis.* Idem Aen. VIII.[10]: *Iugis insedit Etruscis.* Insido illos. Virg. Aen. X.[11]: *Non satius cineres Troiae insedisse supremos?* Salust. Hist. I.[12]: *Armata montem sacrum atque Aventinum insedit.* Idem in eodem: *Paucos saltum insidentes.*

Insonuit illa re. Virg. Aen. V.[13]: *Insonuitque flagello.* Insonuit illam rem. Idem Aen. VII.[14]: *Verberaque insonuit.*

Indignus hac re. Salust. Hist. I.[15]: *Et indigni republica.* Indignus huius rei. Virg. Aen. XII.[16]: *Magnorum haut unquam indignus avorum.*

Ingens illius rei. Sal. Hist. III.[17]: *Ingens ipse virium atque animi.* Ingens hac re. Virg. Aen. XI.[18]: *O fama ingens, ingentior armis.*

Integer illius rei. Virg. Aen. VIII.[19]: *Atque integer aevi Ascanius.* Integer illa re. Sal. Hist. II.[20]: *Copiis integra.*

Impendet tibi illa res. Cic. in Cat. I.[21]: *Praetermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere proximis tibi Idibus senties.* Impendet te illud. Ter. Phor.[22]: *Ita nunc imparatum subito tanta te impendent mala.*

1) *Idem Eun.* 5. 4. 20. A. M. *Inluserit* scripsit A. M. *illuserit* Cod. Gu. *illaseris* editur apud Ter. — 2) *Virg. Aen. IIII.* 300. A. M. — 3) *Sal. Hist. I.* 6. A. M. Fragmm. lib. I. 16. Gerl. in orat. Lepidi contra Sullam. — 4) *Cic. pro Scauro* 994. A. M. §. 45. b. ed. Orell. — 5) Haec omnis eloquutio cum exemplo suo omissa est ab A. M. Locus est Virg. Aen. II. 106. *scelerum* om. Cod. Gu. haud dubie descriptoris errore. — 6) *Virg. Aen. V.* 618. A. M. — 7) *Idem VIIII.* 300. A. M. Verba *per quod pater ante solebat* addidi e Cod. Gu. — 8) *Idem VI.* 351. A. M. — 9) *Idem VI.* 708. A. M. *Virg. Aen. VIII.* Cod. Gu. — 10) *Idem VIII.* 480. A. M. *Fugis incedit* Cod. Gu. — 11) *Idem X.* 59. A. M. *Troiae* Cod. uterque. *Patriae* editur apud Virg. — 12) *Sal. Hist. I.* 2. A. M. Fragmm. lib. I. 8. Gerl. in maiori illo fragmento ex Augustino petito. Verba *Idem in eodem — — insidentes* ex Cod. Gu. addidi, quae fragmentum continent Salustii antehac nondum cognitum. Ceterum *in eadem* Cod. — 13) *Virg. Aen. V.* 579. A. M. — 14) *Idem VII.* 451. A. M. — 15) *Sal. Hist. I.* 12. A. M. Fragmm. lib. I. 19. Gerl. in oratione Philippi adversus Lepidum, ubi est: *Imo despecti et indigni republica habiti.* — 16) *Virg. Aen. XII.* 649. A. M. *Virg. Aen. II.* Cod. Gu. Verba *haut unquam* e Cod. Gu. addidi, ubi est: *Magnorum aut nunquam.* — 17) Haec elocutio cum exemplo suo sequenti postponitur in Cod. Gu. *Sal. Hist. III.* 13. A. M. *Virg. Aen. III.*, miro errore, Cod. Gu. Fragmm. lib. III. 28. Gerl. — 18) *Virg. Aen. XI.* 124. A. M. — 19) *Idem VIII.* 255. A. M. *Atque* addidi e Cod. Gu. — 20) *Sal. Hist. II.* 2. A. M. Fragmm. lib. II. 10. Gerl. — 21) *Cic. in Cat. I.* 6. A. M. Pro v. *ruinas*, quod A. M. uncis inclusit, *miras* est in Cod. Gu. *Tibi proximis diebus* Cod. A. M. *proximis tibi Idibus* Cod. Gu. cum Cicerone, quod rescripsi. — 22) *Ter. Phor. I.* 4. 2. A. M. *Terent. Eun.* Cod. Gu. *Subito tanta impendent*, omissis vv. *te* et *mala* Cod. Gu. — 23) *Cic. Phil. I.* 9. A. M. — 24) *Ter. Adel.* 3. 2. 22. A. M. *Herum*, ut videtur, Cod. Gu. — 25) *Idem Eun.* 2. 2. 39. A. M. Apud Ter. legitur *summum suum*, sed *suum* abest ab utroque Cod., absorptum videlicet a superiori vocabulo. — 26) *Cic. pro Rosc.* 4. A. M. In Cic. edd. legitur *et populo Romano imp.* — 27) *Virg. Aen. I.* 637. A. M. Tum *interea* Cod. A. M. *Interior* recte, ut est apud Virg.,

Interdicitur tibi illa re. Cic. Philipp. I.[23]: *Iubent ei qui de vi, itemque ei qui maiestatis damnatus sit, aqua et igni interdici.*

Impertio te illa. Terent. Adelph.[24]: *Sed cesso heram hoc malo impertire?* Idem [525] Eun.[25]: *Plurima salute Parmenonem summum impertit Gnatho.* Impertio tibi illam rem. Cic. pro Roscio[26]: *Talem te nobis et Reip. impertias.*

Instruitur hac re. Virg. Aen I.[27]: *At domus interior regali splendida luxu Instruitur.* Instruitur huic rei. Salust. Histor. II.[28]: *Antequam egressus Sertorius instruere pugnae suos.*

Insisto illum locum. Virg. Aen. VI.[29]: *Nulli fas casto sceleratum insistere limen.* Terent. Eun. *Quam insistam viam.* Insisto illo loco. Sal. Hist. III.[30]: *Locum nullum, nisi quo armati institissent, ipsis tutum fore.* Insisto plantis. Virg. Aen. XI.[31]: *Plantis Institerat.*

Inscriptum in illa re. Cic. in Catil. I.[32]: *Insit denique inscriptum in fronte uniuscuiusque quid de Rep. sentiat.* Inscriptus illam rem. Virg. Buc.[33]: *Inscripti nomina regum Nascantur flores.*

Imperator illorum est. Salust. Iugurth.[34]: *Imperatores omnium gentium.* Imperator illis est. Idem in eodem[35]: *Imperator Romanis erat.* Imperat hac regione. Salust. Iugurth.[36]: *Carthaginienses pleraque Africa imperitabant.* Imperium in illos habet. Terent. Eun.[37]: *Qui habes imperium in beluas.*

It illis locis[38]. Virg. Aen. V.: *It clamor caelo.* Et Georg. IV.: *Iuvat ire iugis.* It il- [526] lam rem. Idem Aen. VI.[39]: *Itque reditque viam toties.* Cic. pro Murena[40]: *Ite viam, redite viam.*

Inter illud pro ad illud. Virg. Bucol.[41]: *Tantum inter densas, umbrosa cacumina, fagos Assidue veniebat.* Inter illud pro cum illud agitur. Cic. Philipp. II.[42]: *Si inter coenam atque in ipsis tuis immanibus poculis hoc tibi accidisset.* Salust. Iug.[43]: *Inter dubitationem.* Virg. Bucol.[44]: *Inter agendum Occursare capro, cornu ferit ille, caveto.* Salust. Histor. III. *In-*

Cod. Gu. — 28) *Sal. Hist. II.* 2. A. M. Fragmm. lib. II. 8. Gerl. *Regressus* Cod. A. M. Recte *egressus* Cod. Gu. *Instruere* Cod. uterque. Sed *instrueret* ediderunt fragmentorum Sal. collectores. Denique in fine fragmenti sic est in Cod. Gu. *pugnae suosq rhetor;* quibus asterisci signum apposuit Gudius, quod in ora libri repetitum, nec tamen quicquam est ascriptum. — 29) *Virg. Aen. VI.* 563. A. M. In eloquutione exhibet Cod. uterque *in illum locum*, quod falsum est. Exemplum a Terentio petitum desideratur in Cod. A. M. Locus est Ter. Eun. II. 3. 3. ubi suasore Bentleio legitur *qua — via.* — 30) *Insisto illo l.* Sic recte omissa praepositione Cod. uterque, quod cur A. M. mutandum addendamque praep. existimaverit, non video. Idem in exemplo fecit A. M., quum ibi quoque absit praep. in utroque Cod. Verba: *ipsis tutum fore*, accessere e Cod. Gu. Fragmm. III. 29. apud Gerlach. — 31) *Virg. Aen. XI.* 573. A. M. *Plantis insisteret* Cod. Gu. — 32) *Cic. in Cat. I.* 13. A. M. Tum *Insit* Cod. uterque. *Sit* editur apud Cic. Fortasse error inde ortus, quod librarius numeri signum *I.* ad sequens v. *sit* traheret, unde scripsit *Insit.* — 33) *Virg. Ecl. III.* 106. A. M. *Nascuntur*, indicativo, Cod. A. M. *Nascantur*, coni. ut apud Virg. est, Cod. Gu. — 34) *Sal. Iug.* 35. A. M. Cap. 31. edd. Cort. Gerl. — 35) *Idem in eod.* 7. A. M. — 36) *Id. in eod.* 81. A. M. Cap. 79. edd. Cort. Gerl. Codices Sal. *pleraeque Africae imp.* Tum *Aphrica* Cod. A. M. *Carthaginenses* Cod Gu. — 37) *Ter. Eun.* 3. 1. 25. A. M. Codex uterque *Qui;* editur apud Ter. *Quia.* Ceterum *belluas* Cod. Gu. — 38) *It illis rebus* Cod. Gu. *Virg. Aen. V.* 451. A. M. Exemplum e Georgicis petitum in Cod. A. M. plane deest. Locus est Virg. Ge. III. 292. — 39) *Idem VI.* 122. A. M. *Totiens* scripsit A. M. non addicit Cod. Gu. — 40) *Cic. pro Murena* 12. A. M. *pro Muraena* Cod. Gu. Apud Cic. editur plerumque: *Inite viam;* sed *ite v.* iam correctum est. — 41) *Virg. Ecl. II.* 3. A. M. Poetae locique significatio deest in Cod. Gu. *Veniebant* Cod. Gu. — 42) *Cic. Phil. II.* 25. A. M. *Atque ipsis tuis* male om. praep. Cod. Gu. *Inanibus* idem. — 43) *Sal. Iug.* 32. A. M. Cap. 30. edd. Cort. Gerl. — 44) *Virg. Ecl. VIIII.* 24. A. M. *Occur sacrae capro* Cod. Gu. Verba *cornu — caveto* et interposita om. Cod. A. M. Tum exemplum e Salust. Hist. III.

ter recens domitos Isauros Pisidasque. Inter geminata praepositio. Cic. in Catil. III.[1]: *Ut Tiberis inter eos et pons interesset.* Idem in Pisonem[2]: *Quod autem maius indicium expectatis, nihil inter vos et Catilinam interfuisse?*

In verbera pendent. Virg. Aen. V.[3]: *Pronique in verbera pendent.* Idem X.[4]: *Lucagus ut prono pendens in verbera telo, Ammovit biiugis.* In pedes pro in fugam. Terent. Phorm.: *Atque me coniicere protinus in pedes.* Idem Eun.[5]: *Ego in pedes quantum queo.* In illum exempla facio. Terent. Eun.[6]: *Quid ais? In quem exempla fient?* In illum pecco, similiter. Idem Phorm.[7]: *Vide in cognatam pecces.* In biduum. Terent. Eun.[8]: *In hoc biduum Thais vale.* In os laudare idem quod[9] praesentem laudare. Terent. Adelph.: *Vereor in os te laudare amplius.* In illo loco te diligo. Terent. Andr.[10]: *Si te in germani fratris dilexi loco.* In illum feci sumtus. Terent. Hecyra[11]: *Sumptus quos fecisti in eam.* [527] In medium pro in commune. Virg. Georg. I.[12]: *In medium quaerebant.* Idem Georg. IIII.[13]: *Et in medium quaesita reponunt.* Salust. Hist. IIII.[14]: *Dissidere inter se coepere, neque in medium consultare.*

Indiget illius rei. Virg. Bucol.[15]: *Quorum indiget usus.* Terent. Andr.[16]: *Quasi tu huius indigeas patris.*

Instar illius rei. Virg. Aen. II.[17]: *Instar montis equum, divina Palladis arte Aedificant.* Cic. de Signis[18]: *Navem maximam triremis instar.*

Instat illis locis. Virg. Aen. XI.[19]: *Sive instare iugis, et grandia volvere saxa.* Instat illi rei pro imminet. Virg. Aen. X.[20]: *Ille Instat aquae.* Instat illam rem pro festinat. Idem Aen. VIII.[21]: *Parte alia Marti currumque rotasque volucres Instabant.* Instat illa re illam rem. Idem Aen. XII.[22]: *Trepidique pedem pede fervidus instat.*

Indignatus illam rem. Virg. Aen. VIII.[23]: *Et pontem indignatus Araxes.* Indignatur ille illum

omissum plane in Cod. A. M. Fragmentum hoc recens accedit Salustianis. *Itauros* Cod. Gu. — 1) *Cic. in Cat. III.* 2. A. M. *Eos* deest in Cod. Gu. — 2) *Idem in Pis.* 7. A. M. *Magis iudicium* Cod. Gu. — 3) *Virg. Aen. V.* 147. A. M. — 4) *Idem X.* 586. A. M. *Idem XI.* Cod. Gu. *Prono pendens*, omm. prioribus, Cod. A. M. *Locatus ut prono p.* Cod. Gu. *Lucagus ut pronus pendens* editur apud Virg. Verba *Ammovit biiugis* ascivi e Cod. Gu. *Admonuit biiugos* legitur apud Virg. — 5) Exemplum e Phormione petitum deest apud A. M. ubi sic procedit oratio: *in fugam. Ter. Eun.* 5. 2. 5. *Ego in pedes cet.* Locus e Phorm. est. I. 4. 13. *Atque hinc me coniicerem protinus in pedes.* Post vv. *quantum queo* sequuntur haec in Cod. Gu. *Interea loci. Terent. Eun.* (in margine *Heaut.*) *te interea loci*; quae ab hoc loco aliena videntur. — 6) *Idem in eadem* 5. 5. 6. A. M. — 7) Voc. *similiter* abest a Cod. A. M. *Idem Phorm.* 5. 3. 20. A. M. Tum *vide in cognatum* Cod. A. M. *Vide in eo gnatum* Cod. Gu. Apud Ter. legitur: *Cave ne in cognatam pecces.* — 8) *Idem Eun.* 1. 2. 110. A. M. — 9) Pro vv. *idem quod* in Cod. Gu. est: *id est.* Tum *Ter. Adel.* 2. 4. 5. A. M. — 10) *Idem And.* 1. 5. 58. A. M. *Fratris* om. Cod. A. M. — 11) *Idem Hecy.* 4. 4. 63. A. M. *Sumtus* in elocutione, *sumptus* in exemplo Cod. Gu. — 12) *Pro commune*, om. praep., Cod. Gu. *Virg. Georg. I.* 127. A. M. — 13) *Idem Geo. IIII.* 157. A. M. — 14) *Sal. Hist. IIII.* 9. A. M. Fragmm. lib. IV. 16. Gerlach. — 15) *Virg. Ecl. II.* 71. A. M. — 16) *Ter. And.* 5. 3. 19. A. M. Gud. A. M. laudat ex Eunucho. Cod. Gu. recte ex Andria. — 17) *Virg. Aen. II.* 15. A. M. Verba *divina Palladis arte Aedificant* addidi e Cod. Gu. — 18) Cod. uterque exhibet *Cic. de Signis.* Sed *Cic. de Suppliciis* 17. edidit A. M. Leguntur enim in Verr. Act. II. lib. V. c. 17. haec: *Navem vero Cybeam maximam, triremis instar, pulcherrimam atque ornatissimam.* cet. — 19) *Virg. Aen. XI.* 529. A. M. Verba *et grandia volvere saxa* adieci e Cod. Gu. — 20) *Illi rei* Cod. Gu. *Rei* abest a Cod. A. M. *Idem X.* 196. A. M. — 21) *Instat illum* Cod. A. M. *Inst. illam rem* Cod. Gu. Verba *Parte alia Marti* accesserunt e Cod. Gu. Locus est Aen. VIII. 433. — 22) *Instat illa re aliam* A. M. *Inst. illa re illam rem* Cod. Gu. *Idem XII.* 784. A. M. Pro v. *fervidus* Cod. A. M. *fecudus.* Pro

hoc facere. Idem Aen. VIII.: *Pater omnipotens aliquem indignatus ab umbris Mortalem infernis ad lumina surgere vitae.*

Ingressus loca. Cic. in Pisonem[24]: *Romam vero ipsam, o familiae non dicam Culpurniae et huius urbis, sed Placentini municipii et bracatae cognationis dedecus, quemadmodum ingressus est.* Ingressus locis. Virg. Aen. X.[25]: *Castris ingressus Etruscis.*

Imposuit illi rei. Virg. Georg. III.[26]: *Impositi dorso atque equitem docuere.* Idem Aen. II.[27]: *Ergo age, care pater, cervici imponere nostrae.* Imposuit in illam rem. Salust. Histor. II.[28]: *Omnia sacrata corpora in rates imposuisse.* Terent. Andr.[29]: *In ignem imposita est.* Imposuit in illa re[30]. Cic. de Domo sua: *Non ita crudelem fuisse, ut viventis etiam et spirantis capitibus eum suis navibus imponeret.*

Immigrat in domum. Cic. de Domo sua[31]: *Deos immortales existimatis, cuius labore et eum domum afflictam et aversam immigrare voluisse.*

Inhorruit his. Virg. Aen. V.[32]: *Inhorruit unda tenebris.* Inhorruit illa illam rem. Idem [528] X.[33]: *Et inhorruit armos.*

In haec errat, id est, fertur errando. Virg. Georg. I.[34]: *Quos ignis coeli Cyllenius errat in orbes.* Idem Aeneid.: *Leves equitavit in orbes.*

Invigilo hac re pro invigilo huic rei[35]. Virg. Georg. IIII.: *Invigilant victu.* Idem Aen. VIIII.[36]: *Venatu invigilant pueri.*

In noctem siletur. Virg. Georg. IIII.[37]: *Siletur in noctem.* Salust. Histor. I.[38]: *Ut si illam fugam innocentem in noctem componerent.* Cic. de Rep. III.[39]: *Sermonem in multam noctem produximus.*

Infelix illa huius rei[40]. Virg. Aen. IIII.: *Infelix animi Phoenissa.* Sic Salust. Hist. I.: *Animi immodicus*[41].

instat apud Virg. editur: *urget.* — 23) *Idem VIII.* 728. A. M. *Arastes* Cod. Gu. Quae post v. *Araxes* sequuntur usque ad finem articuli, desunt omnia apud A. M. — 24) Locum non indicavit A. M. Ex omni autem exemplo nihil legitur in Cod. A. M. nisi haec pauca: *Dedecus quemadmodum ingressus*, quae ne accommodata quidem sunt ad eloquutionem. Locus est in Pison. c. 23. ubi paullo plura leguntur. — 25) *Virg. Aen. X.* 148. A. M. — 26) *Rei* addidi e Cod. Gu. ubi *Imposui. Idem Georg. III.* 116. A. M. *Atque* accessit e Cod. Gu. — 27) *Idem Aen. II.* 707. A. M. *chare pater* Cod. Gu. — 28) *Sal. Hist. II.* 9. A. M. Fragmm. II, 48. Gerl. *Rates* dedi e Cod. Gu. *ratem* Cod. A. M. — 29) *Ter. And.* 1. 1. 102. A. M. Recte meliores apud Ter. libri *imposita est*, ut h. l. Cod. uterque. *Posita est* in aliis libris. — 30) Haec locutio cum exemplo suo in Cod. A. M. desideratur. Cic. pro Domo c. 52, 134. — 31) Etiam hic articulus omnis apud A. M. desideratur. Cic. pro Domo c. 41, 107. ubi est: *Deos immortales existimatis — in eius domum afflictam et eversam per unius hominis sceleratissimi nefarium latrocinium immigrare voluisse.* — 32) *Inhorruit illas res illa re* Cod. Gu. *Virg. Aen. V.* 11. A. M. Post vv. *unda tenebris* sequitur novus articulus apud A. M. *Invigilo hac re* omissis illis omnibus quae apud nos interposita sunt, quae addidi e Cod. Gu. — 33) Virg. Aen. X, 711. Recens accessit hic articulus e Cod. Gu. ut dixi. — 34) Virg. Georg. I, 337. ubi legitur *erret.* Alter locus est Aen. X, 885. Omnis hic articulus recens accessit ex Cod. Gu. ut supra dixi. — 35) *Invigilo hac re pro huic* A. M. *Idem Georg. IIII.* 158. A. M. — 36) *Idem Aen. VIIII.* 605. A. M. — 37) *Idem Georg. IIII.* 189. A. M. — 38) Exemplum e Salust. petitum deest apud A. M. Idem locus recens accedit Salustii fragmentis. — 39) Numerum libri adieci e Cod. Gu. — 40) *Infelix huius rei* A. M. notans in Cod. esse *hac re.* In Cod. Gu. est: *Infelix illa*, nihil amplius. Recte scripsit A. M. *huius rei*, quod exemplum docet; sed nominativus, quem praestat Cod. Gu. adiiciendus videbatur. *Virg. Aen. IIII.* 529. A. M. — 41) Haec apud A. M. quasi novus articulus novum versum incipiunt, sic comparata: *Immodicus animi. Sal. Hist. (Lib. incert.)* 7. Sed recte Cod. Gu. ad superiora adiungit, e libro primo desumpta esse indicans. Nus-

In illam rem pro causa illius rei[1]. Virg. Aen. VIII.: *Urit nocturna in lumina cedrum.* Salust. Histor. I.: *Omnium partium decus in mercedem corruptum erat.* Idem. *Etruria omnis cum Lepido suspecta in tumultum erat.*

Implexus illa re. Virg. Georg. IIII.[2]: *Caeruleosque implexae crinibus angues Eumenides.*

Ingratus illius rei[3]. Virg. Aen. X.: *Ingratusque salutis.*

Includunt huic rei. Virg. Aen. II.[4]: *Includunt caeco lateri.* Includuntur in hanc rem. Cic. de Suppliciis[5]: *Includuntur in carcerem condemnati.*

In praepositio communis interdum aliud significans, interdum licenter posita, invenitur. In illa re conditur[6]. Virg. Georg. IIII.: *Quam multa in foliis avium se milia condunt.* Idem Aen. II.[7]: *Et nota conduntur in alvo.* In illum conditur. Virg. Aen. XI.[8]: *Conditur in tenebras altum caligine coelum.* Idem Georg. I.[9]: *Et cum se condit in undas.* Idem in eodem[10]: *Conditus in nubem.* In illa re concidit. Virg. Aen. V.[11]: *Sed pronus in ipso Concidit immundo in fimo sacroque cruore.* In his effusus. Virg. Aen. VI.[12]: *Exciderat puppi mediis effusus in undis.* Diligentiores quidam Grammatici hoc ita dividi volunt: *Cum in mediis undis esset, puppi effusus*[13] *exciderat.* Quale est illud Tullianum pro Roscio: *Qui tanquam si effusa*[14] *Reip. sempiterna nox esset, ita ruebant in tenebris, omniaque miscebant.* Id est *non in tenebras de illustri aliquo loco ruebant, sed, veluti in tenebris* [529] *conversarentur, ruebant*[15]. Offusa quippe circumdat in noctem Reip. Sed hanc omnem acutae rationis distinctionem elocutio Salustiana confundit in Iug. Bello: *Ab Zama discedit in his urbibus, quae ad se defecerant.* In illa re veniens pro illi rei proveniens; vel in illa re digne sui feliciter nascens. Virg. Aen. V.: *Gratior et pulchro veniens in corpore virtus Adiuvat.* [16]Sic per adverbium loci. Georg. I.: *Hic segetes, illi veniunt felicius uvae.* Sic Salust. Bello Catil.: *Sed quia provenere ibi scriptorum magna ingenia.*

Immunis illius rei. Virg. Aen. XII.[17]: *Immunem belli atque impune quietam.*

quam invenio enotatum hoc fragmentum. — 1) Integer hic articulus recens accessit e Cod. Gu. Locus Virg. est Aen. VII, 13. Duo Salustii loci recens accedunt ad fragmenta huius scriptoris. — 2) *Implexus illo* Cod. A. M. *Imp. illa re* Cod. Gu. *Virg. Georg. IIII.* 482. A. M. *Implexa* A. M. nisi error est typogr. *Eumenides* addidi e Cod. Gu. — 3) Articulum hunc e Cod. Gu. adieci. Locus est Aen. X, 666. — 4) *Idem Aen. II.* 19. A. M. — 5) *In hanc rem* Cod. Gu. *In hanc* om. *rem* A. M. *Cic. de Suppl.* 45. A. M. *Condamnati* Cod. A. M. — 6) Verba: *In illa re conditur* desunt in Cod. A. M. *Virg. Georg. IIII.* 473. A. M. *Millia* Cod. Gu. — 7) *Idem Aen. II.* 401. A. M. *Et nota* Cod. Gu. *Et* om. Cod. A. M. — 8) Verba: *In illum conditur* desunt apud A. M. *Idem XI.* 187. A. M. — 9) *Idem Ge. I.* 438. A. M. — 10) *Idem in eodem* 442. A. M. *Et idem* Cod. Gu. — 11) Verba *In illa re concidit* desunt apud A. M. Locus Virg. est Aen. V, 333. ubi legitur: *immundoque fimo.* — 12) Verba: *In his effusus* desiderantur apud A. M. *Idem Aen. VI.* 339. A. M. — 13) *Puppi esset effusus exc.* Cod. Gu. Tum *Ut illud Tullii pro Roscio* 32. A. M. — 14) *Effusa* Cod. uterque. *Offusa* editur apud Cic. — 15) Haec, quae inde sequuntur omnia usque ad v. *nascens* desunt in Cod. A. M. ubi ita pergit oratio: *Ruebant. In illa pro illi. Virg. Aen. V.* 344. *Gratior et pulchro* cet. Locus Salustii est in bello Iug. cap. 61. edd. Cort. Gerl., ubi quum legatur: *et in his urbibus — praesidia imponit;* omnis loci difficultas tollitur, quae negotia facessivit Grammatico. — 16) Haec rursum accessere e Cod. Gu. Nam in Cod. A. M. in v. *Adiuvat* finitur omnis articulus. Locus Virg. est Georg. I, 54., ubi male edi *illic* pro *illi* ex hoc loco intelligitur. Salustii locus est Cat. VIII, 3. — 17) *Idem XII.* 559. A. M. *Immune — quietum* Cod. Gu. — 18) *Irae mihi est, sicut dolori* Cod. A. M. *Idem X.* 716. A. M. — 19) *Idem XI.* 639. A. M. — 20) Haec eloquutio cum exemplo suo deest apud A. M. Locus Virg. est Aen X, 306. — 21) *Impedit ab illo* Cod. A. M. *Impedit illius illa res ab illa re* Cod. Gu. *Sal. Iug.* 32. A. M. Cap. XXX. edd. Cort. Gerl. — 22) *Inrito hom.* Cod. Gu. *Irrito h.* Cod. A. M. *Virg. Aen. X.* 644. A. M. Tum eloquutio *Inritat bel-*

Irae mihi est illud sicut dolori mihi est. Virg. Aen. X.[18]: *Iustae quibus est Mezentius irae.*

Impatiens illius. Virg. Aen. XI.[19]: *Vulneris impatiens.*

Impedit illos illa re[20]. Virg. Aen. X.: *Fragmina remorum, quos et fluitantia transtra Impediunt.* Impedit ab illa re. Sal. Iug.[21]: *Potentia Scauri eos a vero bonoque impediebat.*

Inrito hominem[22]. Virg. Aen. X.: *Irritatque virum telis.* Inritat bellum. Salust. Hist. I.: *Maximo gaudio bellum inritare.*

In illam rem pro in[23] illius rei formam. Virg. Aen. VI.: *Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum.* Et Georg. II.: *Ityreos taxi torquentur in arcus.* In illa re. Cic. pro Roscio: *Qui in sua re fuisset egentissimus, erat, ut fit, insolens in aliena.*

Insolens illius rei. Salust. Hist. I.[24]: *Libertatis insueti.* Insueta facit. Virg. Aen. VIII.: *Atque insueta rudentem.* Insuevit hoc facere. Sal. Catil.[25]: *Insuevit exercitus amare, potare.* Insolitus huius rei. Salust. Hist. II.[26]: *Genus, armis ferox, et servitii insolitum.* Idem Iug.[27]: *Pars insolita rerum bellicarum.*

In illum severus[28]. Cic. in Catil. III.: *In eos, qui haec perficere voluerunt, me severum vehementemque praebebo.* Cic. Philipp. II.[29]: *Si severus, cur non in omnes?* In illo misericors[30]. Sal. Catil.: *Sint misericordes in furibus aerarii.* Cic. in Cat. IIII.[31]: *Sic nos in his hominibus, qui nos, qui coniuges, qui liberos nostros trucidare voluerunt, si vehementissimi fuerimus, misericordes habebimur.*

In rem est pro utile est. Salust. Catil.[32]: *In rem fore credens.* Terent. Andr.[33]: *Si in rem est.*

In tempus, id est[34] processu temporis. Salust. Histor. III.: *Itaque caetera ex licentia aut odio aut avaritia in tempus arsere.* In tempore, id est opportune. Salust. Histor I.[35]: *Quis rebus Sylla suspectis, maximeque ferocia regis Mithridatis in tempore bellaturi.*

In[36] praesentia pro ad praesens. Cic. Sicil.: *Pecuniam sibi esse in omnibus numeratam, in* [530]

lum deest apud A. M. *Sal. Hist. I.* 11. A. M. Fragmm. lib. I, 16. Gerl. Uberiorem citat locum Nonius, pag. 31. ubi ex meis Codd. legendum: *Tam vero Volsci cum ceteris eiasdem caussae ducem se nactos rati, maximo gaudio bellum irritare.* — 23) *In* abest a Cod. Gu. *Virg. Aen. VI.* 42. A. M. Quae post hunc Virgilii locum in hoc articulo sequuntur, desunt in Cod. A. M. Locus Virg. est Georg. II, 448. ubi editur *Ituraeos.* Locus Cic. est pro Roscio cap. 8. extr. Non mihi dubium est, hanc eloquutionem cum Ciceronis exemplo ita esse legendam: *Insolens in illa re. Cic. pro Roscio: Qui* cet. eamque ad sequentem articulum esse traducendam. Istae igitur quinque elocutiones: *Insolens in illa re; Insolens illius rei; Insueta facit; Insuevit hoc facere; Insolitus huius rei*, cum exemplis suis unum conficiunt articulum, a quo errore librarii dirempta est prima et ad superiorem male relata. — 24) Locus Salustii recens accedit eius fragmentis. Locus Virg. est Aen. VIII, 248. — 25) *Sal. Cat.* 11. A. M. — 26) *Insolitus huius* om. v. *rei* A. M. *Idem Hist. I.* 4. A. M. Fragmm. lib. I, 14. Gerl. — 27) *Idem Iug.* 43. A. M. Cap. 39. edd. Cort. Gerl. — 28) *In illum sev. est.* Cod. Gu. Locus e Cic. Catilin. III. recens accedit e Cod. Gu. legiturque apud Cic. Cat. III, c. — 29) *Cic. Phil. II.* 23. A. M. — 30) *In illo misericors est.* Cod. Gu. *In te misericors* A. M. Locus e Salust. Catilin. recens accessit e Cod. Gu. Legitur cap. 52. edd. Cort. Gerl. *Cesarii* Cod. Gu. sed e Salustio scribendum *aerarii*, quod haud dubie scripserat Gramm. — 31) *Idem in Cat. IIII.* 6. A. M. *Vehementissime* Cod. Gu. — 32) *Sal. Cat.* 20. A. M. — 33) *Ter. And.* 3. 3. 14. A. M. — 34) Vv. *id est* desunt in Cod. Gu. *Sal Hist. III.* 9. A. M. Fragmm. III, 22. in orat. Licinii ad plebem. — 35) *Idem I.* 4. A. M. Huius fragmenti in Cod. A. M. nihil exstat nisi tria verba *in tempore bellaturi.* Ex eodem loco haec affert Donat. in Terent. Phorm. II, 4, 24. *Maximeque ferocia regis Mithridatis in tempore bellaturi.* Verba *Quis rebus Sylla suspectis* adieci e Cod. Gu. *Bellari* Cod. Gu. — 36) Tres proxime sequentes articuli cum potiori parte quarti in Cod. A. M. desiderantur. Locus Cic. est Act. in Verr.

praesentia non habere. In praesens pro ad praesens. Salust. Histor. IV.[1]: *Quos in praesens modo satis cautum fuerat.* Idem Histor. IV.: *Quid ab illis nisi dolum in praesens et postea bellum exspectans.*

Idoneum factu. Salust. Hist. III.[2]: *Manus ferreas et alia adnexu idonea iniicere.*

Insulto solo. Virg. IV.[3]: *Equitum docuere sub armis Insultare solo.* Insulto solum. Terent. Eun.: *Fores aperis fortunatus Nae tu istas faxo calcibus saepe insultabis frustra.*

Incidi in illam rem. Cic. Philipp. I.[4]: *Quae ille in aes incidit.* Idem in eadem. *Et in aes incidi iubebitis, credo, illa legitima.* In illa re. Cic. Reip.[5] cum de Sardanapalo diceret: *ea incidi iussit in busto.* Idem in Pisonem[6]: *In eo elogio quod, te consule, in sepulchro Reip. incisum est.*

Incuriosum ab illa re[7]. Salust. Hist. IV.: *Infrequentem stationem nostram incuriosamque tam ab armis.*

In dies pro quotidie. Cic. in Cat. I.[8]: *Crescit in dies singulos hostium numerus.* Sal. Iug.[9]: *Frumentum publice datum vendere, panem in dies mercari.* In diem, id est in futurum. Terent. Eun.[10]: *Sed in diem istud, Parmeno, est fortasse quod minitaris.* Cic. pro Coelio[11]: *O Dii immortales, cur in maximis sceleribus aut connivetis interdum, aut praesentis fraudis poenas in diem reservatis?*

Incertus illius[12]. Salust. Hist. III.: *Perculsis et animi incertis succurritur.* Terent. Hecyr.[13]: *Fecit, animi ut incertus foret.*

Incessit illis illud[14]. Sal. Hist. II.: *Terror hostibus ex fiducia sui incessit.* Incessitur illa res. Virg. Aen. XII.: *Incessi muros.*

Inquies illius[15]. Salust. Hist. IV.: *L. Hostius Dasianus, inquies animi.*

Inferior tibi. Sal. Hist. II.[16]: *Vir gravis et nulla arte cuiquam inferior.*

1) Salustii locus fragmentis illius recens accedit. Legendum fortasse *Quis in praesens* cet. Alterum in hoc articulo fragmentum evulgatum est legiturque in epistola Mithridatis ad Arsacem, ubi est *exspectas.* — 2) *Idoneum factus* Cod. Gu. Sed ultima littera a nomine *Sal.* huc traducta. Tum Cod. *adnexa idonea,* quod facile fuit ad corrigendum. Etiam hic locus fragmentis Sal. accedit. — 3) Virg. Georg. III, 116. Locus Terent. est, Eunuch. II, 54. Cod. Gu. exhibet: *Ne tui istas.* — 4) Cic. Philip. I, 7, 16. *In eos incidit* Cod. Gu. Cic. Phil. I, 10. 26. *In eos* Cod. Gu. — 5) *Cic. Reip.* Non legitur in hodiernis excusis libror. de Rep. hic locus. Similis est de Rep. III. fragmm. inc. Sed legendum fortasse apud Gramm. *Cic. Tusc. Disp.* Nam Tusc. V, 35, 101. legitur: *Ex quo Sardanapali — error agnoscitur, qui inscribi iussit in busto.* Unde intelligitur, verba: *cum de Sardanapalo diceret,* Grammatici esse, non Ciceronis. — 6) *Cic. in Pisonem* 29. A. M. Scilicet ab hoc inde loco demum pergit Cod. A. M., ita ut post v. *bellaturi* (cf. supra art. *In tempus*) statim sequatur novo articulo: *Incidi in illo. Cic. in Pison.* — *Sepulcro* Cod. Gu. — 7) *Incuriosum a. i. re.* Omnis hic articulus cum exemplo deest apud A. M. Locus Salustii ad Fragmm. eius recens accedit. — 8) *Idem in Cat. I. 2.* A. M. — 9) *Sal. Iug.* 48. A. M. C. 44. edd. Cort. Gerl. Verba: *Frumentum publice datum vendere* desunt apud A. M. — 10) Exemplum e Terent. petitum deest apud A. M. Locus est Terent. Eun. V, 6, 19. ubi post Bentleium editur *minare.* — 11) *Cic. pro Coelio* 24. A. M. Verba: *in maximis sceleribus aut connivetis interdum aut* desiderantur apud A. M. — 12) Locus Salustii deest apud A. M. Fragmentum recens editur. — 13) *Ter. Hecy.* 1. 2. 46. A. M. — 14) Omnis hic articulus cum duobus exemplis deest apud A. M. *Fiducia suis* Cod. Gu. Fragmentis ascribe locum. *Incessitur illa re* Cod. Gu. Virg. Aen. XII, 596. — 15) Etiam hic articulus deest apud A. M. Locus Sal. fragmentis accedat. *Hostibus* Cod. Gu. — 16) *Sal. Hist. II.* 5. A. M. Fragmm. II, 32. Idem locus citari creditur a Nonio, ubi tamen haec tantum: *Et continetur gravis,* ex quibus fecerunt cum nostro coniungentes: *Ea continentia vir gravis et nulla arte cuiquam inferior.* — 17) Deest articulus apud A. M. Locus Ter. est, Andr. V, 5, 5. — 18) *Idem Cat.* 2. A. M. *Alio*

Intercedit illud illi rei[17]. Terent. Andr.: *Si nulla aegritudo huic gaudio intercesserit.*
Intentus illa re. Salust. Cat.[18]: *Qui aliquo negotio intentus.*
In ore illius agens pro in conspectu illorum[19]. Salust. Hist. I.: *Ut in ore gentibus agens.*
In maius audivit pro plus quam. Salust. Hist. II.[20]: *Haec postquam Varro in maius more rumorum audivit.*
Introitum in illa loca. Sal. Hist. IV.[21]: *Ita castra sine vulnere introitum.*
Insilire illam rem. Sal. Hist. V.[22]: *Peractis LXX annis armatus equum insilire.*
In praepositio geminata[23]. Terent. Eun.: *In amore haec omnia insunt vitia.* Cic. pro Scauro[24]: *Si denique in illa bona invadere nullo modo potuisset, nisi mortuo Bostare.*

K.

Kave hoc fiat. Virg. Aen. XII.: *Ast armis concurrant arma kavete.* Kave illam rem. Cic. Philipp. II.: *Simul admonent quidam, quod kavebimus.* Salust. Hist. III.: *Kavendus dolus est.* Kave illis[25]. Cic. Phil. I.: *Veterani, quibus hic ordo diligentissime kaverat.* Kave ab illis. Sal. Catil.[26]: *Kavere ab illis magis.* Idem Hist. III.[27]: *Kavete imperatore per kaga Celtibero.* Terent. Eun.[28]: *Tunc pol tibi ab istoc, hera, kavendum intelligo.*
Kareo illa re[29]. Virg. Georg. IV.: *Simulacraque luce karentum.* Kareo illius rei. Terent. Heaut.: *Omnes mihi labores fuerunt, quos coepi, leves, praeterquam tui karendum quod erat.*
Kaptus hac re. Virg. Georg. I.[30]: *Aut oculis capti fodere cubilia talpae.* Sal. Hist. III.: *Collegamque eius Octavium mitem et kaptum pedibus.*
Khao pro e Chao[31]. Virg. Georg. IV.: *Atque Chao densos Divum numerabat amores.*
Kassus hac re. Virg. Aen. II.[32]: *Nunc kassum lumine lugent.*

neg. Cod. Gu. — 19) Accessit hic articulus e Cod. Gu. Locus Salust. ab huius editoribus relatus est ad fragmm. librorum incertorum 79. ed. Gerl., citatus a Donato ad Ter. Adelph. I, 2, 13. ubi legitur: *in ore gentibus agens, populo, civitati.* In eloquutione fortasse *illis* legendum pro *illius.* — Qui sequuntur tres articuli, desunt apud A. M. — 20) Adde fragmentis Salustii. *In ore rumorum* Cod. Gu. quod sine dubitatione corrigendum fuit. — 21) Legitur hic locus inter fragmm. incertorum libror. 86. Gerl. citatus a Servio ad Aen. X, 628. XI, 230. omissa v. *Ita.* — 22) Fragmentum adhuc non editum. Referam huc fragm. illud, quod inter incerta 70. legitur: *et in praeliis actu promptus.* — 23) Voc. *praepositio* om. A. M. *Ter. Eun.* 1. 1. 14. A. M. — 24) Verba: *si denique* et: *nisi mortuo Bostare* accesserunt e Cod. Gu. *Cic. pro Sc.* 995. A. M. Cf. Cic. Fragmm. pag. 1132. 4. f. ed. Nobb. *Bustare* Cod. Gu. — 25) *Kave illis. Idem Phil. I.* 2. *Veterani* cet. Sic Cod. A. M. cetera desunt omnia, ita ut duae eloquutiones cum tribus exemplis desiderentur. Locus Virg. est Aen. XI, 293. Locum Cic. Philipp. II. non repperi. *kaueuimus* Cod. Gu. solenni errore. Locus Salustii legitur lib. III. in orat. Licinii ad plebem. Ceterum *k* litteram in eloquutionibus tantum retinet A. M.; *c* autem in exemplis ponit. In Cod. Gu. *k* plerumque etiam in exemplis legitur. — 26) *Sal. Cat.* 54. A. M. Cap. 52. edd. Cort. Gerl. ubi *magis* plerumque ab editoribus omittitur. *kavete* Cod. Gu. — 27) Recens accedit hic locus ad fragmm. Sal. Legendum autem: *kavete ab imperatore perfuga Celtibero.* — 28) *Ter. Eun.* 5. 2. 44. A. M. Ex Andria citatur in Cod. A. M. *Ab isto Cherea* Cod. A. M. *ab illo Chaerea* Cod. Gu. Apud Ter. est: *Tum pol tibi ab istoc, hera, cavendum intelligo.* Nimirum ex vv. *istoc hera* fecerunt *isto chera*, unde corruptio. — 29) Omnis hic articulus de *Kareo* agens deest apud A. M. Locus Virg. est Georg. IV, 472. Locus Terentii Heaut. II, 4, 19. — 30) *Kaptus hoc* Cod. A. M. In eodem Cod. deest exemplum Virgilii; ita enim pergit Cod. *Kaptus hoc. Sal. Hist.* Locus Virg. est Ge. I, 183. In Sal. loco verba: *Collegamque eius* recens accessere e Cod. Gu. Cf. Fragmm. Sal. lib. III, 42. ed. Gerlach. — 31) Accessit hic articulus e Cod. Gu. Locus Virg. est Ge. IV, 347. ubi legitur *Aque Chao.* — 32) *Kassum hoc* Cod. A. M. Virg. Aen. II, 85.

Klaudus hac re. Idem Aen. V.[1]: *Pars vulnere klauda retentat.*

Kalleo illud[2]. Terent. Adelph.: *Ego illius sensum pulchre kalleo.* [531]

Kalco huic. Virg. Georg. I.[3]: *Huic ager ille malus dulcesque in fontibus undae ad plenum kalcentur.*

Kausatus hanc rem. Sal. Hist. V.[4]: *Sed ubi ille militum voluntatem kausatus.*

Klam illis tenet usus[5]; sed vitiose; klanculum illos. Terent. Adelph.: *Postremo alii clanculum Patres quae faciunt, quae fert adolescentia.*

L.

Ludo illam rem. Virg. Bucol.[6]: *Ludere quae vellem.* Idem Aen. VIIII.[7]: *Illa quae plurima nocte Luserat.* Terent. Eun.[8]: *Et quia consimilem luserat Iam olim ille ludum.* Ludo illa re. Virg. Georg. II.[9]: *Versibus incomptis ludunt risuque soluto.* Cicero Philipp. II.: *Qui non dubitaret vel foro alea ludere.*

Lacessunt illa re[10]. Virg. Aen. VII.: *Cursuque ictuque lacessunt.* Lacessunt illam rem. Virg. Aen. V.[11]: *Immiscentque manus manibus, pugnamque lacessunt.*

Litandum illa re[12]. Virg. Aen. II.[13]: *Animaque litandum Argolica.*

Laetus hac re[14]. Virg. Aen. VI.: *Laeta Deum partu centum complexa nepotes.* Laetus huius rei. Virg. XI.[15]: *Quas illi laeta laborum.* Sal. Hist. II.[16]: *Frugum pabulique laetus ager.* Laetor illius. Virg. Aen. XI.[17]: *Nec verum memini laetorve malorum.* Laetor illam rem. Sal. Catil.: *Ea populus Rom. laetari et merito dicere fieri.* Laetor illa re. Virg. Aen. X.: *Arma, quibus laetatus, habe tua.*

Liber illius rei. Virg. Aen. X.[18]: *Tum libera fati Classem conscendit iussis gens Lydia Divum.* Liber ab illa re. Salust. Catil.[19]: *A spe, metu, partibus Reip. animus liber erat.*

Laboro hac re[20]. Cicero contra Caecil. in Divinat.: *Ut is absolvatur cuius ego caussa laboro.* Laboro ex hac re. Cic. pro Cluentio[21]: *Satis multos annos ex invidia laboravit.*

1) *Idem V.* 278. A. M. *Par vulnere* Cod. Gu. — 2) Tres proximi articuli *kalleo illud*, *kalco huic*, *kausatus hanc rem* desunt apud A. M. Ter. Ad. IV, 1, 17. — 3) Virg. Ge. II, 243. ubi legitur: *Huc ager — — a fontibus.* — 4) Locus Salustii ad fragmenta recens accedit. — 5) Mutilus hic articulus apud A. M. ubi editum est: *Klanculum illos. Ter. Adel.* 1.1.27. *Alii clanculum patres faciunt*; nihil amplius. Cod. Gu. sic: *Klam illis tenet et usus servitio, sed clanculum illos Terent.* cet., quae sine haesitatione corrigenda erant, ut correxi. *Faciunt* deest in Cod. Gu. *quae* ante v. *faciunt* deest in utroque Cod. — 6) *Virg. Ecl. I.* 10. A. M. — 7) *Idem Aen. VIIII.* 335. A. M. Ibi legitur *Illa qui.* — 8) *Ter. Eun.* 3. 5. 38. A. M. *Et quia* addidi e Cod. Gu. — 9) *Ludo re* A. M. *Virg. Ge. II.* 386. A. M. Pro *risuque* Cod. Gu. *nisique.* Exemplum e Cic. quod sequitur deest apud A. M. Locus est: Phil. II, 23. Sequitur in Cod. Gu. hic articulus: *Largior hanc rem. Symmachus ad Theodosium Imp. Solere principes bona verba largiri*; quem additicium puto. — 10) *Lacessunt in illa re* A. M. *Idem Aen. VII.* 165. A. M. Hoc exemplum cum sequenti eloquutione deest in Cod. Gu. — 11) *Idem V.* 429. A. M. — 12) *Litandum re* Cod. A. M. — 13) *Idem II.* 118. A. M. Hoc exemplum cum sequenti eloquutione *Laetus hac re* desideratur in Cod. Gu. — 14) *Laetus huius rei et hac* Cod. A. M. Quomodo eloquutio sit scribenda, sequentia satis ostendunt. Locus Virg. est Aen. VI, 787. Hic locus cum seq. eloquutione deest in Cod. A. M. — 15) *Idem XI.* 73. A. M. — 16) *Sal. Hist. II.* 4. A. M. Fragmm. II, 24. Idem locus citatur a Servio ad Aen. I, 144. et XI, 338. ubi *fructuum* male legitur. — 17) Tres proxime seqq. eloquutiones cum exemplis suis desunt apud A. M. Locus primus est Virg. Aen. XI, 280. Locus Salust. est Cat. 51. edd. Cort. Gerl. Voc. *Rom.* certissime delendum est, quia apud Sal. de populo Athen. sermo est. Virg. Aen. X, 827. *Habetur* pro *habe tua* Cod. Gu. — 18) *Virg. Aen. X.* 154. A. M. *Facti* Cod. Gu. Verba

Libera me hac re[22]. Cicero in Catil. I.: *Magno me metu liberabis.* Libera me ab illa re. Terent. Andr.: *Quam primum ab hoc me libera miseram metu.*

Largus illarum rerum[23]. Virg. Aen. XI.: *Largus opum.*
Lustramur illi Deo. Virg. Aen. III.[24]: *Lustramurque Iovi.*
Liberalis huius rei. Sal. Catil.[25]: *Pecuniae liberales erant.*
Ludificor illum. Sal. Iug.[26]: *Pacis mora principem ludificari.*
Ludi deorum sunt[27]. Cic : *Cum a ludis concionem advocavit, Cerealia, Floralia, Ludosque Apollinares Deorum immortalium esse, non nostros.* Ludi Deo sunt. Sal. Hist. II.: *Cum multa dissereret Ludis Apollini Circensibus.*

Locatus illi. Cic. in Frumentaria[28]: *Fundus erat colono locatus.* Locatus fundus foris[29]. Terent. Adelph.: *Agelli paululum quod locitas foris.*

M. [532]

Memini illius rei[30]. Virg. Aen. XI.: *Nec veterum memini laetorve malorum.* Memini illam rem[31]. Idem in Buc.: *Alternos Musae meminisse volebant.* Idem ibid.[32]: *Haec memini et victum frustra contendere Thyrsin.* Cic. in Catil. III.[33]: *Sed eas quas vosmet ipsi meministis atque vidistis.* Memini illam rem facere. Virg. Aen. VIII.[34]: *Nam memini Hesionae visentem regna sororis Laomedontiadem Priamum Salaminu petentem Protinus Arcadiae gelidos invisere fines.* Cicero in Pison.[35]: *Meministine, coenum, cum ad te hora V. cum C. Pisone venissem, nescio quo te e gurgustio prodire involuto capite soleatum.* Meminisse illum fecisse. Huius elocutionis rarum invenitur exemplum. Virg. Georg. lib. IV.[36]: *Namque sub Oebuliae memini me turribus arcis Corycium vidisse senem.* Memini domi. Terent. Eun.[37]: *Domi focique fac vicissim memineris.*

iussis gens Lydia Divum addidi e Cod. Gu. ubi tamen est *iustis.* — 19) Haec locutio cum exemplo suo recens accessit e Cod. Gu. Locus Sal. est: Cat. c. 4. — 20) Addidi hanc eloquutionem cum exemplo suo e Cod. Gu. Locus est Cic. Div. in Caec. cap. 7, 23. — 21) *Cic. pro Cluent.* 71. A. M. — 22) *Libero te hac et de hac re* Cod. A. M. *Idem in Cat.* 1. 5. A. M. Cod. Gu. habet *in Caecil.* sed corr. in margine. *Ter. And.* 2. 2. 15. A. M. Elocutio *Libera me ab illa re* deest in Cod. A. M. Voculae *ab hoc* exciderunt in Cod. Gu. *de hoc* dedit A. M. sed contra sententiam Gramm. *De* tamen abest in Cod. A. M. *Miserum* Cod. A. M. — 23) *Largus opum. Virg. Aen. XI.* 338. A. M. nihil amplius. — 24) Quae proxime sequuntur duae eloquutiones desunt apud A. M. Virg. Aen. III, 279. — 25) Sal. Cat. cap. 7. edd. Cort. Gerl. — 26) *Sal. Iug.* 40. A. M. Cap. 36. edd. Cort. Gerl. *Praecipem* Cod. A. M. *Principem* Cod. Gu. *Consulem* apud Sal. ubi etiam *ludificare* forma activa. — 27) Integer hic articulus deest apud A. M. Locus Cic. non repperitur. Locus Salustii eius fragmentis recens accedit. — 28) Locum non indicavit A. M. Act. in Verr. II, III. c. 22, 55. — 29) Eloquutio haec cum exemplo Terentii deest in Cod. A. M. Terent. Ad. V, 8, 26. ubi *foras* legitur. — 30) *Memini veterum et veteres.* C. A. M. Virg. Aen. XI. 280. A. M. — 31) Eloquutio *Memini illam rem* deest in Cod. A. M. *Idem Ecl. VII.* 19. A. M. Quae post hoc alterum exemplum sequuntur, omnia desunt in Cod. A. M. — 32) Virg. Ecl. VII, 69. In Cod. Gu. est: *et vic. f. t. c.* (sic). Quae verborum signa explevi ex ipso Virgilio. — 33) Cic. Cat. or. III, 10. Cod. Gu. *Sedeas qua suosmet* cet. Apud Cic. est *sed et has*, male. — 34) Virg. Aen. VIII, 157. seqq. *Haesione* Cod. Gu. *Laometontiadem* Cod. Gu. — 35) Cic. in Pis. c. 6. ubi est: *hora fere quinta.* — 36) Virg. Ge. IV, 125. 127. *Turribus altis* editur apud Virg. — 37) Ter. Eun. IV, 7, 45. Citat eundem locum Prisc. VI, 16. pag. 278. Cf. quae notavi ad Plaut. Triu. IV, 1, 22. Editur apud Ter. *ut memineris.*

Misertus illius. Virg. Aen. XII.[1]: *Miserere tuorum.* Idem Aen. IV.: *Miserere sororis.* Miseratus illum. Idem eodem: *Haud miseratus amantem est.* Miseratus animi pro animo. Virg. Aen. X.[2]: *Continuit iuvenem atque animi miserata repressit.* Miseret te illius. Virg. Aen. VIII.[3]: *Nec te miseret nataeque tuique.*

Manet te hoc. Idem Aen. VII.[4]: *Haec erat illa fames, haec nos suprema manebat.* Idem Aen. X.: *Te triste manebat Supplicium.* Manet tibi hoc. Idem Aen. VIIII.[5]: *Haec eadem matrique tuae generique manebunt.* Cic. Phil. II.[6]: *Quando tibi domi manet quod fuit illorum utrique fatale.* Manet his pro in his perseverat[7]. Virg. Aen. VIII.: *At tu dictis, Albane, maneres.*

Melior hic quam ille. Cic. Frument.[8]: *Tu innocentior, quam Metellus.* Melior illo est hac re[9]. Virg. Aen. V.: *Melior remis.* Et: *Ille pedum motu melior.* Melius illius pro in illo[10]. Salust. Iug.: *Rudes cum belli melioribus manum conserere.*

Medicor illi rei[11]. Virg. Georg. II.: *Et senibus medicantur anhelis.* Terent. Andr.: *Nato ut medicarer tuo.* Medicor illam rem. Idem Aen. VII.[12]: *Sed non Dardaniae medicari cuspidis ictum Evadit.* Medeor illis rebus[13]. Cic. pro Roscio: *Homines sapientissimus vid. quibus rebus maxime mederi convenit.* Medeor illas res. Terent. Phorm.[14]: *In amico cupiditates quas, cum res adversae fient, paullo mederi possis.*

Multa pro multis aut multum[15]. Virg. Aen. III.: *Haud multa moratus.* Idem Aeneid. VII.[16]: *Multa Deos aurasque pater testatur inanes.* Aen. XI.: *Multaque te incusat.* Sic et pauca. Sal. Iug.: *Pauca pro tempore milites hortatus.*

Maturus animi. Virg. Aen. V.[17]: *Aevi maturus Acestes.* Idem Aen. IX.: *Animi maturus Alites.* Maturus huic rei. Idem Aen. VII.[18]: *Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.* Maturo

1) Virg. Aen. XII, 653. Idem Aen. IV, 435. Idem in eod. 370. — 2) Virg. Aen. X, 686. ubi legitur *Continuit, iuvenemque an.* — 3) Virg. Aen. VII, 360. — 4) *Idem Aen. VII.* 128. A. M. *Ista fames* Cod. Gu. Quod sequitur exemplum, omissum est in Cod. A. M. Locus est Virg. Aen. VII, 596. ubi *manebit.* — 5) *Idem VIIII.* 302. A. M. — 6) Cic. Phil. II, 5. ubi editur: *Quoniam id domi tuae est.* — 7) Haec eloquutio cum exemplo suo deest apud A. M. Exemplum petitum est ex Virg. Aen. VIII, 643. — 8) Haec quoque eloquutio cum ex. ex Cod. Gu. accessit. Locus est Cic. in Verr. Act. II. lib. III. c. 16, 43. — 9) *Melior hac re* Cod. A. M. *Virg. Aen. V.* 153. A. M. Tum *Et* 430. A. M. In Cod. Gu. est: *Ille pedum motis m.* — 10) Haec rursum eloquutio cum exemplo deest apud A. M. Locus Sal. est: Iug. c. 49. ubi editur *cum bello melioribus.* Recte Gramm. genitivum ibi legendum statuit. — 11) *Medicor illi* Cod. A. M. *Idem Ge. II.* 135. A. M. *Et* om. Cod. A. M. *Ter. Andr.* 5. 1. 12. A. M. Citatur idem Virg. locus bis apud Prisc. VIII, 4. XVIII, 19. — 12) Haec eloquutio cum ex. om. in Cod. A. M. Locus est Virg. Aen. VII, 756. ubi recte legitur *Evaluit.* — 13) *Medeor illis* Cod. A. M. om. *rebus.* Cic. pro Rosc. 53. A. M. *Quibus rebus me med. convenit* Cod. A. M. Locum sic exhibet Cod. Gu. *Homines sapientissimos vid.* (sic) *quibus me mederi convenit.* Apud Ciceronem autem longe aliter comparatus est locus. *Homines sapientes et ista auctoritate et potestate praeditos, qua vos estis, ex quibus rebus maxime respublica laborat, iis maxime mederi convenit.* Ceterum recte A. M. pro *me* scripsit *maxime;* est enim in Cod. m̄e i. q. *maxime.* — 14) Haec eloquutio cum ex. deest in Cod. A. M. Locus est Ter. Phorm. V, 4, 3. ubi legitur *animo* et *sient.* Ceterum in Cod. Gu. est *cupiditate.* Idem locus bis citatur a Prisciano VIII, 4, 374. et XVIII, 19. pag. 168. — 15) *Multa pro multum* Cod. A. M. *Virg. Aen. III.* 610. A. M. — 16) Quae in hoc articulo leguntur ab hoc inde loco usque ad v. *hortatus* desunt omnia apud A. M. Virg. Aen. VII, 593. ubi legitur *testatus.* Virg. Aen. XI, 471. ubi est: *Multaque se inc.* Sal. Iug. c. 49. fin. edd. Cort. Gerl. — 17) *Idem V.* 73. A. M. Quod sequitur exemplum desideratur apud A. M. Locus est Aen. IX, 246. ubi *Aletes.* — 18) *Maturus huic* om. *rei* Cod. A. M. *Idem VII.* 53. A. M. — 19) *Maturo hanc rem*

illam rem[19]. Virg. Aen. I.: *Maturate fugam.* Cic. pro Cluentio: *Huic mortem maturabat inimicus.* Sal. Hist. I.: *Fugam maturabat.*

Ministrat illam rem[20]. Virg. Aen. I.: *Furor arma ministrat.* Ministrat illis rebus. Virg. Aen. X.: *Ipse sedens clavumque regit velisque ministrat.*

Metuens illius. Virg. Aen. V.[21]: *Et quicquid tecum invalidum metuensque pericli est.* Metuens illud[22]. Sal. Iug.: *Metuentes pericula.* Metuit illis. Virg. Aen. X.[23]: *Tum decuit metuisse tuis.* Metuens hoc fieri[24]. Idem Georg. I.: *Arctos Oceani metuentes aequore tingi.* Metuit ex illo. Sal. Cat.[25]: *Periculum ex illis metuit.* Metuit ab illo[26]. Terent. An- [533]
dria: *Quam metui a Chryside.* Cic. pro Roscio: *Ab eo ne aliquid metuit?*

Mando terra[27]. Virg. Aen. VIIII.: *Mandet humo solita.* Mando terrae. Idem Bucol.: *Terra, tibi mando.*

Molior tibi rem[28]. Idem Georg. I.: *Insidias avibus moliri.* Molior in illam rem. Idem Georg. IV.: *Et validam in vitis molire bipennem.*

Missus in illam rem[29]. Idem Aen. VI.: *Missus in imperium magnum.* Missus illi. Idem Georg. II.[30]: *Levis innatat alnus Missa Pado.*

Medio illius pro illo medio. Sal. Hist.[31]: *Diei medio.* Virg. Aen. VII.: *Tecti medio.* Virg. Aen. XI.: *Ecce fugae medio.*

Mora est pro in mora est[32]. Virg. Aen. IX.: *Rem magnam nunquam moris fore.* Morae illis est. Terent. Adelph.: *Ne morae meis nuptiis egomet siem*[33]. Similiter Cic. pro Ligario: *Saluti civilia initioso esse vellemus*[34]. Idem pro Flacco[35]: *Quibus odio sunt nostrae secures, nomen acerbitati, scriptura, decimae portarum morti.*

Macta illi Deo[36]. Virg. VIII.: *Mactat lectas de more bidentes Legiferae Cereri Phoeboque.* Virg. Aen. IX.[37]: *Mactantur corpora morti.*

Cod. A. M. Virg. Aen. I, 137. *Cic. pro Clu.* 61. A. M. *maturabit* male Cod. A. M. *Sal. Hist. I.* 21. Fragmm. lib. I, 53. ubi v. Gerl. — 20) *Ministrat illam rem.* Hanc eloquutionem cum ex. omisit Cod. A. M. Virg. Aen. I, 150. Tum *Virg. Aen. X.* 218. A. M. *Clavimque gerit* Cod. Gu. — 21) *Idem V.* 716. A. M. Verba *Et quicquid tecum invalidum* addidi e Cod. Gu. — 22) Eloquutionem *Metuens illud* A. M. uncis inclusit. *Sal. Iug.* 44. A. M. Cap. 40. edd. Cort. Gerl. Ceterum *metuens per.* Cod. Gu. — 23) *Virg. Aen. X.* 94. A. M. — 24) Haec eloquutio cum ex. deest apud A. M. Virg. Ge. I, 246. — 25) *Sal. Cat.* 55. A. M. Cap. 52. edd. Cort. Gerl. — 26) Haec eloquutio cum proxime superiori exemplo excidit in Cod. Gu. Contra exemplum proxime sequens e Ter. petitum abest a Cod. A. M. Ter. Andr. I, 1, 79. ubi *quam* plerumque omittitur. *Cic. pro Rosc.* 50. A. M. ubi edd. *metuis.* — 27) *Mando terra et terrae* C. A. M. *Virg. Aen. VIIII.* 214. A. M. Tum *solita. Et Ecl. VIII.* 93. A. M. omissa eloquutione *Mando terrae.* — 28) *Mollior illam irum*, miro errore, Cod. Gu. *Idem Georg. I.* 271. A. M. *Molliri* Cod. Gu. Quae sequitur eloquutio cum exemplo desideratur in Cod. A. M. *Invitis mollire* Cod. Gu. Locus est Virg. Georg. IV, 331. — 29) *Missus in illum* Cod. A. M. *Idem Aen. VI.* 813. A. M. — 30) *Idem Georg. II.* 452. A. M. — 31) *Sal. Hist. I.* 22. A. M. Fragmm. lib. I, 62. Gerl. Sed in Cod. Gu. diserte notatus est numerus libri II. *Medio diei* hoc ordine Cod. A. M. *Virg. Aen. VII.* (59.) *Tecti medio.* Haec desunt apud A. M. *Virg. Aen. XI.* 547. A. M. — 32) Hic omnis articulus usque ad v. *morti* deest in Cod. A. M. Virg. Aen. IX, 232. *Rem magnam pretiumque morae fore.* — 33) Ter. Ad. IV, 5, 78. In Cod. Gu. est: *egomet stem*, i. e. *siem*, quod dedi. — 34) Cic. pro Ligar. c. 5. ubi editur: *Saluti civis calamitosi consultum esse vellemus.* Apertum est, Grammaticum voluisse: *Saluti civi calamitoso esse v.* — 35) Cic. pro Flacc. c. 8. ubi legitur *scriptura, decumae, portorium morti.* Ceterum in Cod. Gu. etiam *acerbitatis*, male duplicata *s* seq. voc. — 36) *Macta Deo* A. M. *Idem VIII.* 544. A. M. *Mactat* Cod. uterq. *laetas* Cod. Gu. Verba *Legiferae Cereri Phoeboque* addidi e Cod. Gu. — 37) Accessit hoc exemplum e Cod. Gu. Locus est Virg. Aen. XI, 197.

Mater illi. Virg. Aen. X.[1]: *Cui diva Venilia mater.* Terent. Adelph.: *Primum huius uxori est mater.* Mater illius. Cic. pro Cluentio: *Nam si Asia huius mater habiti.*

Moderor illis. Salust. Catil.[2]: *Cuius libido gentibus moderatur.*

Motus loco. Cic. in Catil. II.[3]: *Loco ille motus est, cum haec ex urbe depulsus.* Motus ab illo loco. Sal. Hist. I.[4]: *Neque me diversa pars in civilibus armis movit a vero.*

Minister his[5]. Salust. Hist. IV.: *Multitudini ostendens, quam colere plurimum ut mox cupit, is ministrum habere decreverat.* Minister huius. Virg. Aen. XI.: *Pacisque bonos bellique ministros.*

Mille librarum mutuo dedit. Terent. Heaut.: *Cui drachmarum haec argenti mille dederat mutuo*[6]. Cic. de Praetur. urban.: *Verris et uno minus teste haberet ab homo.*

N.

Nomen illi Virgilio est. Virg. Georg. IIII.[7]: *Cui nomen amello.* Sic et Aen. VIIII.: *Cui Remulo cognomen erat.* Nomen illi Virgilius est. Idem VIII.[8]: *Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.* Ter. Hec.[9]: *Hecyra est huic nomen fabulae.* Salust. Hist. III. de flumine, genere neutro: *Nomenque Danubium habet.* Nomen illis Virgilius posuit. Virg. Aen. VII.: *Laurentesque ab ea nomen posuisse colonis.* Idem Aen. III.: *Aeneasque meo nomen de nomine fingo.*

Nescius hoc facere. Virg. Georg. II.[10]: *Nescius hoc fieri.* Idem Aen. XII.[11]: *Et nescia vinci Pectora.* Idem Georg. II.: *At secura quies et nescia fallere vita.* Nescius huius rei. Virg. Aen. X.[12]: *Nescia mens hominum fati sortisque futurae.*

Nixus hac re. Virg. Aen. X.[13]: *Posito pede nixus et hasta.* Nixus in hac re[14]. Cic. pro [534] Deiotaro: *Dico extra conventum et eam frequentiam, in qua oratorum studia niti solent.*

1) Hic omnis articulus deest in Cod. A. M. Virg. Aen. X, 76. Ter. Ad. V, 8, 6., ubi vide Bentl. Cic. pro Cluent. c. 5. ubi legitur: *Nam Sassia, mater huius Aviti*, quae Grammatico etiam restituenda sunt. — 2) *Sal. Cat.* 50. A. M. Cap. 51. edd. Cort. Gerl. — 3) Cic. in Cat. II, 1. Verba: *est*, *cum haec* (lege *hac*) *ex urbe depulsus* addidi e Cod. Gu. Apud Cic. est *cum est ex u. d.* — 4) *Ab illo loco*, omissa v. *motus*, Cod. A. M. *Sal. Hist. I.* 1. A. M. Fragmm. I, 4. Gerl. — 5) Qui sequuntur duo articuli *Minister* et *Mille librarum* apud A. M. desiderantur. Salustii locus eius fragmentis recens accedit, sed quomodo corrigendus sit, dubito. Virg. Aen. XI, 658. ubi legitur: *Pacisque bonas bellique ministras.* — 6) Locus Ter. est Heaut III, 3, 40. Ubi *huic drachm.* Sed in Cod. Gu. porro est *haec argenti minus habet uno*, quae quum aperte repugnent formulae in eloquutione propositae et videantur ex inferioribus huc traducta, emendare non dubitavi. Cic. de praetura Urb. locus mutilus est, quod in Cod. Gu. asterisco ultimae voci *homo* apposito notatur. Locus reperiri non potuit. — 7) *Virg. Ge. IIII.* 271. A. M. *Amello. Et Aen. VIIII.* 593. A. M. *Sic* addidi e Cod. Gu. — 8) *Idem VIII.* 358. A. M. *Saturnia Iuno* Cod. Gu. sed in margine corr. Quae post hoc ex. in hoc articulo sequuntur, accesserunt ex Cod. Gu. — 9) Hecyr. Prol. ab initio. Locus Salustii legitur inter eius fragmm. incert. 57. Gerl. ex Acronio. Virg. Aen. VII, 63. Idem III, 18. ubi legitur *Aeneadasque.* — 10) Desideratur hoc exemplum apud A. M. Locus non invenitur apud Virg. — 11) *Idem XII.* 527. A. M. *Idem Georg. II.* 467. A. M. Loci significatio deest in Cod. Gu. sed locus ipse legitur. — 12) Haec eloquutio cum exemplo deest apud A. M. Virg. Aen X, 501. — 13) *Idem Aen. X.* 736. A. M. — 14) *Nixus in hac*, omissa v. *re*. A. M. *Cic. pro Deiot.* 2. A. M. — 15) *Virg. Aen. XII.* 398. A. M. Hanc loci significationem in Cod. Gu. sequitur extremum in hoc articulo exemplum: *Alternos* cet.; cetera praestat Cod. A. M. — 16) *Idem II.* 380. A. M. — 17) *Idem XII.* 386. A. M. *Longo* Cod. A. M. *Longa* recte Cod. Gu. — 18) Sequuntur in Cod. Gu. duo

Nixus in hanc rem[15]. Virg. Aen. XII.: *Ingentem nixus in hastam.* Nitens huic. Idem Aen. II.[16]: *Pressit humo nitens.* Et hanc rem. Idem Aen. XII.[17]: *Alternos longa nitentem cuspide gressus.*

Nuncius huius rei[18]. Virg. Aen.: *Hic nostri nuncius esto.*

Nihilum vetuste. Id est vel modicum. Nihilum enim antiqui vocaverunt ipsius quiddam exiguitatis minimum. Salust. Iug.[19]: *Nihilo segnius.*

Nimius hac re. Sal. Hist. II.[20]: *Post, ubi fiducia nimius.* Nimius illius. Idem Hist. IIII.[21]: *Impotens et nimius animi est.*

Natus tot annos[22]. Terent. Hecyr.: *Annos LX. natus es.* Natus annos tot maior, id est supra tot annos. Cic. pro Roscio[23]: *Annos natus maior LX.*

Nubit illo. Cic. pro Cluentio[24]: *Nubit genero socrus.* Nupta est cum illo. Terent. Hecyr.: *Esset cum illo nupta.*

Nudus harum rerum. Salust. Iug.[25]: *Loca aequalia et nuda gignentium.*

O.

Obliviscor hanc rem[26]. Virg. Aen. II.: *Obliviscere Graios.* Cic. pro Cornelio: *Obliviscor iniurias tuas, Clodia.* Obliviscor huius rei[27]. Cicero in Cat. I.: *Obliviscere caedis atque incendiorum.* Oblitus huius rei[28]. Virg. Georg. III.: *Catulorum oblita leaena.* Oblitus illam rem[29]. Idem Georg. II.: *Pomaque degenerant succos oblita priores.* Oblitum mihi, id est ex memoria recessit[30]. Virg. Buc.: *Nunc oblita mihi tot carmina.*

Opus est illa[31]. Cic. in Verrem de praetura: *Multa sibi opus esse, multa canibus suis.* Opus fuit[32]. Terent. Andr.: *Quae opus fuere ad nuptias Natae paravi.*

Oro te[33]. Cic. pro Cluentio: *Orat vos habitus Iud.* Oro abs te. Virg. Aen. XI.[34]: *Ve-* [535]

articuli *Nuncius* et *Nihilum*, qui in Cod. A. M. desiderantur. In Cod. Gu. est: Virg. Aen. *Veri ibi hic nostri nuncius esto.* Verba illa *Veri ibi* videntur mihi esse ex numeri nota depravata. Locus est Aen. IV, 237. Si quid video, deest h. l. altera formula *Nuncius huic*, cum exemplo e Virg. Aen. II, 547. *Et nuncius ibis Pelidae genitori.* — 19) Sal. Iug. c. 75. fin. Cort. Gerl. — 20) *Sal. Hist. II.* 2. A. M. Fragmm. II, 11. Gerl. ubi olim editum: *in fiducia.* Sed Cod. uterq. om. praepositionem. — 21) *Idem IIII.* 1. A. M. Fragmm. IV, 7. Gerl. — 22) Qui sequuntur duo articuli *Natus* et *Nubit* desunt apud A. M. Locus Ter. est in Heaut. I, 1, 10. — 23) Cic. pro Rosc. 14, 39. ubi est vitiose: *magis quadraginta;* legendum cum Gramm. *maior.* — 24) Cic. pro Cluent. c. 5. fin. Terent. Hecyr. IV, 1, 19. In exemplo Ciceroniano pro *socrus* legitur in Cod. Gu. *soenis.* — 25) *Nudus rerum* Cod. A. M. *Sal. Iug.* 81. A. M. Cap. 79. Cort. Gerl. — 26) *Obliviscor hanc rem et huius rei* Cod. A. M. *Virg. Aen. II.* 148. A. M. *Cic. pro Coel.* 20. A. M. *Clodi* Cod. A. M. *Clodiae* Cod. Gu. — 27) Elocutio h. l. deest in Cod. A. M. *Idem in Cat. I.* 3. A. M. — 28) *Oblitus huius rei et illam rem* Cod. A. M. *Virg. Ge. III.* 245. A. M. — 29) Elocutio h. l. omissa in Cod. A. M. *Idem II.* 59. A. M. — 30) *Oblitione mihi quod ex memoria recessit* vitiose Cod. Gu. Fortasse legendum: *Oblitum mihi idem quod ex memoria recessit.* Praepos. *ex* desideratur in Cod. A. M. *Idem Ecl. VIIII.* 53. A. M. *Tot oblita* Cod. A. M. *Nunc obl.* Cod. Gu. *Sunt Carm.* Cod. A. M. *tot Carm.* recte Cod. Gu. — 31) *Opus est illa.* Haec elocutio cum exemplo suo deest in Cod. A. M. Locus Cic. est in Verr. Act. II. lib. I, 48. Pro *canibus* Cod. Gu. *cocnibus*, ibidem v. *opus* deest, sed addendum fuisse, docet formula elocutionis. — 32) Formula *opus fuit* abest a Cod. Gu. *Ter. And.* 4. 5. 1. A. M. — 33) *Oro te.* Haec elocutio cum exemplo suo accessit e Cod. Gu. Locus est Cic pro Cluent. c. 70, 201. ubi est: *Orat vos Avitus, Iudices.* — 34) *Virg. Aen. XI.* 358. A. M. *Veniam or.* Cod. Gu. Voc. *cedat* accessit e Cod. Gu.

niamque oremus ab ipso, cedat. Oro tecum pro te oro[1]. Terent. Hecy.: *Egi, atque oravi tecum, uxorem duceres.*

Obnixus huic rei[2]. Virg. Georg. III.: *Arboris obnixus trunco.* Obnixus contra illa[3]. Virg. Aen. X.: *Stant obnixi omnia contra.*

Optavit illud illi[4]. Virg. Aen. III.: *Optavitque locum regno.* Et sic etiam sibi adoptavit. Cic. in Pisonem[5]: *Maiorem sibi Insuper ille avus adoptavit.*

Obverto navem loco. Virg. Aen. VI.[6]: *Obvertunt pelago proras.*

Opportunus illi[7]. Virg. Aen. IX.: *Cana nidis domus opportuna volucrum.* Sal. Iug.[8]: *Opportunus iniuriae.*

Obsto tibi[9]. Virg. Aen. XI.: *Tantumque bonis communibus obsto.* Cic. pro Roscio: *Quid tibi obsto?*

Orbus patre. Virg. Aen. XI.[10]: *Puerique parentibus orbi.* Et orbatus. Cic. in Pisonem[11]: *Non ut tu Insuper dicere ausus es orbatum patria.*

Ob ora[12]. Virg. Aen. XII.: *Turni se pestis ob ora Fertque refertque.*

Opulentus his rebus[13]. Virg. Aen. I.: *Donis opulentum.* Sal. Iug.: *Armis virisque opulentum.*

Opus civitatis, id est labor instar civitatis[14]. Virg. Aen. V.: *Chimaeram urbis opus.*

Obediens praeceptis[15]. Sal. Bello Catil.: *Pecora, quae natura prona atque ventri obedientia finxit.* Obediens praeceptis meis. Sal. Iug.: *Iussis vestris obediens erit.*

Obtrectans illi. Sal. Hist. IV.[16]: *Crassus obtrectans potius collegae, quam boni aut mali publici gravis exactos.* Sic et obtrectat illi. Cic. de Imper. Cui Pompei. *Qui huic obtrectat legi atque caussae.*

Obiit mortem[17]. Terent. Heaut.: *Ea obiit mortem.* Obire est etiam inire[18]. Cic. in Cat. III.: *Nihil erat quod non ipse obiret.*

Otiosus ab illa re[19]. Terent. Phorm.: *Otiosum ab animo.*

1) *Oravi tecum pro oravi te* Cod. A. M. *Ter Hecy.* 4. 4. 64. A. M. Verba *Egi atque* desunt in Cod. A. M. *Diceres* Cod. Gu. — 2) *Obnixus huic.* A. M. *Virg. Georg. III.* 233. A. M. — 3) Haec formula cum exemplo suo deest in Cod. A. M. Virg. Aen. X, 359. ubi *obnixa* editur. — 4) *Optavit illud illi.* Cod. Gu. *Opt. hoc illi* Cod. A. M. *Idem Aen. III.* 109. A. M. Quae sequitur formula elocutionis: *Et sic etiam sibi adoptavit*, deest in Cod. A. M. — 5) Ablegat A. M. ad Asconium eiusque comment. ad fragmm. quartum huius in Pisonem orationis. *Insuper* Cod. uterque. — 6) *Virg. Aen. VI.* 3. A. M. — 7) *Opportunus illi*, om. *rei*, A. M. Exemplum quod sequitur ex Virgilio, om. Cod. A. M. Locus Virg. est Aen. VIII, 235. ubi legitur: *Dirarum nidis d.* cet. — 8) *Sal. Iug.* 23. A. M. Cap. XX. Edd. Cort. Gerl. — 9) Haec elocutio cum duobus suis exemplis accessit e Cod. Gu. Virg. Aen. XI, 435. Cic. pro Rosc. c. 50, 145. — 10) *Virg. Aen. XI.* 216. A. M. — 11) *Cic. in Pis.* 15. A. M. *Insuper* Cod. uterq. Verba *Non ut tu* adieci e Cod. Gu. — 12) Haec elocutio cum exemplo suo deest in Cod. A. M. Virg. Aen. XII, 865. seq. — 13) *Opulentus rebus*, om. *his*, Cod. A. M. *Virg. Aen. I.* 447. A. M. *Sal. Iug.* 61. A. M. Cap. 57. Cort. Gerl. — 14) *Labor et instar* Cod. Gu. *Virg. Aen. V.* 119. A. M. — 15) *Obediens praeceptis.* Hic et proxime sequens articulus desunt in Cod. A. M. Sal. Cat. c. 1. Sal. Iug. c. XXXI, 19. — 16) Sal. Hist. IV. Recens accedit hic locus fragmentis Salustii. Locus Cic. est pro lege Manilia c. 8. fin. ubi *obtrectant.* — 17) Exemplum e Ter. petitum desideratur in Cod. A. M. Locus est Heaut. II, 3, 30. — 18) Hanc formulam ita exhibet Cod. Gu. *Et obire significat inire vel abire*; vitiose. *Cic. in Cat. III.* 7. A. M. *Quod ipse non* Cod. Gu. meliori ordine. — 19) *Ociosus ab illa* (om. *re*) Cod. A. M. *Ter. Phor.* 2. 1. 26. A. M. In Cod. Gu. citatur *Eun.* sed corr. in margine. — 20) *Ortus ex eodem loco* Cod. A. M. *Idem Eun.* 2. 2. 10. A. M. *Videri me* Cod. Gu. — 21) *Ortus hoc* Cod. A. M. *Virg. Aen. VII.* 206. A. M. — 22) Omnis hic articulus desideratur apud A. M. Locus Cic. pro Corn. fragmentis

Ortus ex illo loco. Terent. Eun.[20]: *Viden'me ex eodem ortum loco?* Ortus illo loco[21]. Virg. Aen. VII.: *His ortus ut agris Dardanus.*

Offendi apud vos[22]. Cic. pro Cornel.: *Quid me apud equites Romanos offendisse dicebant.* Offendisti in me. Cic. pro Milone: *Quae si vos oblivio cepit, aut si in me aliquid offendistis, cur non id meo capite luitur potius quam Milonis?*

P.

Plenus hac re. Virg. Georg. II.[23]: *Iovis omnia plena Muneribus.* Idem Aen. V.[24]: *Plenamque sagittis.* Plenus huius rei. Idem Buc.: *Iovis omnia plena.* Terent.: *Plenus rimarum sum.* Plenus illud illa re. Virg. Georg. IV.: *Crura thymo plenae.*

Post praepositionem accusativi casus asserunt quidam interpositu fieri casus alterius[25]. [536] Idem VI.: *Longo post tempore visum.* Sal. B. Cat.: *Multos post annos.* Terentius tamen[26] nec interposuit praepositionem et casum illi ablativum dedit, in Hecyr. *Aiunt tecum post duobus concubuisse eam mensibus.*

Pastus illa re[27]. Virg. Georg. III.: *Frondibus hirsutis et carice pastus acuta.* Pastus illam rem[28]. Idem Aen. II.: *Coluber mala gramina pastus.* Pascitur in illo loco[29]. Virg. Georg. III.: *Pascitur in magna silva formosa iuvenca.* Pascitur illum locum[30]. Idem in eodem: *Pascuntur vero silvas et summa Lycaei.*

Potens illorum. Virg. Aen. I.[31]: *Nimborumque facis tempestatumque potentem.*

Potitur huius rei[32]. Cic. in Catil. II.: *Rerum potiri volunt.* Salust. Iug.: *Ut priusquam legatos conveniret, Adherbalis potiretur.* Potitur hanc rem. Sal. Iug.[33]: *Cuncta potiendi.* Terent. Adelph.: *Ille alter sine labore patriam potitur commodam.* Idem ibidem: *Hic potitur gaudia.*

Paciscor de illa[34]. Salust. Hist. I.: *Nihil esse de Rep. neque libertati pop. Rom. pactum.* Paciscor ab illo illam rem[35]. Sal. Iug.: *Tantum ab eo vitam paciscatur.* Idem Hist. IV.[36]: *Se-*

huius orationis recens accedit. Cic. pro Milone c. 36, 99. ubi ordo paullum mutatus. — 23) *Idem Georg. II.* 4. A. M. Idem scripsit *Tuis hic omnia*, sed Cod. uterque *Iovis omnia plena Muneribus*, qui error non librarii, sed Grammatici esse videtur. *Iovis omnia plena* legitur Virg. Ecl. III, 60. — 24) *Idem Aen. V.* 311. A. M. Quae post hoc exemplum sequuntur, desunt apud A. M. Virg. Ecl. III, 60. Terent. Eun. I, 2, 25. Virg. Georg. IV, 181. — 25) *Post interposita fit casus alterius* nimia brevitate Cod. A. M. *Idem VI.* 409. A. M. *Visum* recte Cod. Gu. *venit* Cod. A. M. *Sal. Cat.* 38. A. M. Cap. 37. Edd. Cort. Gerl. — 26) *Ter. tamen in Hecy.* 3. 3. 33. *ablativo vinxit* A. M. Meliora Cod. Gu. ad cuius lectionem v. *tamen* e Cod. A. M. addidimus. — 27) *Pastus illa et illam rem* Cod. A. M. *Virg. Georg. III.* 231. A. M. — 28) Haec elocutio e Cod. Gu. interposita. *Idem Aen. II.* 471. A. M. — 29) Haec quoque elocutio e Cod. Gu. accessit. *Idem Georg. III.* 219. A. M. — 30) Haec quoque elocutio e Cod. Gu. accessit. *Idem in eodem* 314. A. M. *Lycei* A. M. *Licaei* Cod. Gu. — 31) *Idem Aen. I.* 80. — 32) Haec elocutio cum duobus exemplis suis accessit e Cod. Gu. Cic. in Catil. II, 9. Locus Sal. est Iug. Cap. 25. Edd. Cort. Gerlach. In Cod. Gu. est: *Iug: III. Priusquam —convenire.* Numerus ille plane mendosus, quare in eo latere putavi particulam *Uti.* — 33) *Sal. Iug.* 41. A. M. Ibi legitur *Eius* (*oppidi*) *potiundi;* quare fortasse apud Grammaticum quoque legendum est *Eius potiundi*, vel *Cupido eius potiundi.* Tum *Ter. Adel.* 5. 4. 22. *Hic potitur gaudia* A. M. Nimirum omissa sunt verba *Ille alter — Idem ibidem* et interposita. Locus Terentii prior legitur Adelph. V, 4, 17. alter ibid. v. 22. — 34) Haec formula cum exemplo omissa in Cod. A. M. Locus Salustii huius fragmentis recens accedit. Fortasse legendum *libertate.* — 35) *Paciscor ab illo hanc* A. M. *Sal. Iug.* 28. A. M. Cap. 26. Edd. Cort. Gerl. — 36) Hoc exemplum deest apud A. M. Locus recens accedit Salustii fragmentis. Formula *Paciscor — — pro illa re* non legitur apud A. M.; sed exemplum remansit. *Virg. Aen. V.* 230. A. M.

stertium tricies pepigit a G. Pisone. Paciscor illam rem pro illa re. Virg. Aen. V.: *Vitamque volunt pro laude pacisci.*

Peritus huius. Sal. Hist. I.[1]: *Militiae periti.* Peritus hoc facere[2]. Virg. Bucol.: *Soli cantare periti Arcades.*

Proximus illi. Virg. Aen. V.[3]: *Proximus huic, longo sed proximus intervallo.* Proximus illo. Sal. Iug.[4]: *Proxima Carthagine Numidia appellatur.* Idem in eodem[5]: *Proximi Hispania Mauri sunt.* Proximus illum[6]. Salust. Hist. IV.: *Qui proximi loca hostium erant.* Proxime illum venit[7]. Cic. pro Milone: *Proxime Deos accessit.*

Praesidet huic rei. Virg. Aen. III.[8]: *Geticis qui praesidet arvis.* Praesidet in illa re[9]. [537] Sal. Cat.: *In agro Piceno praesidebat.* Virg. Aen. VII.[10]: *Quis Iupiter Anxyrus arvis Praesidet.* Praesidet illam rem. Salust. Histor. II.: *Titurium legatum cum cohortibus XV. in Celtiberia hiemem agere iussit, praesidentem socios.* Idem Histor. III.: *Incidere in colonos Avellanos praesidentes agros suos.*

Praestans illius. Virg. Aen. XII.[11]: *O praestans animi Iuvenis.* Praestans illo[12]. Sal. Catil.: *Probro atque petulantia maxima praestabant.* Praestat ille illi pro melior est ille illo[13]. Terent. Eun.: *Homo homini quid praestat, stulto intelligens.*

Praefectus illius. Salust. Histor. I.[14]: *De praefecto Urbis quasi possessio Reip. magna utrimque vi contendebatur.* Praefectus illi. Idem Iug.[15]: *Quem elephantis et parti copiarum pedestrium praefectum supra diximus.* Praefectus in illo. Cic. pro Sextio[16]: *Inque eo exercitu inimici mei fratrem praefecerat.*

Praefinitur tibi illa res. Cic. Philipp. II.[17]: *Census praefiniebatur, inquit. Non centurioni quidem solum, sed equiti etiam Romano.*

Pluris quam hoc[18]. Salust. Bello Catil.: *Pluris quam remp. fecistis.* Pluris hoc. Cic. pro Sextio[19]: *Quis Carthaginensium pluris fuit Annibale?*

1) *Sal. Hist. I.* 22. A. M. Fragmm. lib. I, 64. Gerl. *Mil. peritus* A. M. atque ita editur apud Gerl. *M. periti* Cod. Gu. — 2) Formula haec cum exemplo suo accessit e Cod. Gu. Virg. Ecl. X, 32. — 3) *Virg. Aen. V.* 320. A. M. — 4) Sal. Iug. 21. Cap. 18. edd. Cort. Gerl. *Sal. Hist.* mendose Cod. Gu. *Proxima Carthagine* uterque Cod. sed *proxime Carthaginem* post Cort. editur. Cf. quae notavit ad illum locum Cort. — 5) *Idem in eodem* 22. A. M. Cap. 19. edd. Cort. Gerl. ubi Codd. *proxime Hispaniam.* — 6) *Proxime illum* Cod. A. M. Exemplum e Salustio petitum deest apud A. M. Locus recens accedit Salustii fragmentis. — 7) Deest haec elocutio apud A. M. *Proxime Deas* Cod. A. M. Sed recte Cod. Gu. *Deos*, ut est apud Cic. *Cic. pro Milone* 22. A. M. — 8) *Praesidet illi* Cod. A. M. *Virg. Aen. III.* 35. A. M. Ceterum haec formula cum exemplo suo in Cod. Gu. sequenti postponitur. — 9) *Praesidere in illo* Cod. A. M. *Sal. Cat.* 59. Cap. 57. edd. Cort. Gerl. — 10) Exemplum hoc ex Virgilio petitum deest apud A. M. quemadmodum omnia reliqua quae in hoc articulo sequuntur. Locus Virg. est Aen. VII, 799. *Anxyrius* Cod. Gu. *Anxurus* legitur apud Virg. Exempla quae sequuntur e Salustio, huius fragmentis recens accedunt. *hyemem* Cod. Gu. — 11) *Praestans illius et illo* A. M. *Virg. Aen. XII.* 19. A. M. — 12) Formula haec deest in Cod. A. M. *Sal. Cat.* 38. A. M. Cap. 37. edd. Cort. Gerl. — 13) Haec elocutio cum exemplo Terentiano deest apud A. M. Locus Ter. est Eun. II, 2, 1. — 14) Elocutio haec cum exemplo Salustiano e Cod. Gu. accedunt. Locus Salustii adhuc non est evulgatus. Fortasse legendum: *quasi possessore Reip.* — 15) *Idem Iug.* 56. A. M. Cap. 52. edd. Cort. Gerl. — 16) *Cic. pro Sextio* 18. A. M. Pro *Inque* in Cod. Gu. *Imp.* (sic). — 17) Cod. uterque *Philipp. II.* Sed ostendit A. M. locum petitum esse ex Phil. I. c. 8. Verba: *inquit non centurioni quidem solum sed — etiam* addidi e Cod. Gu. quum apud A. M. legatur: *Census praef. equiti romano.* — 18) Hanc elocutionem cum exemplo suo addidi e Cod. Gu. Locus Sal. est. Cat. 52. ed. Cort. Gerl. *Pluris quam re praeficere* Cod. Gu. quae sine cunctatione corrigenda erant. — 19) *Idem pro Sextio*

Praeter illos. Cic. in Pis.[20]: *Praeter unum praetorem, a quo non fuit postulandum, praeterquam duos de lapide emptos Tribunos.* Praeter illi. Sal. Catil.[21]: *Ceterae multitudini diem statuit, praeter rerum capitalium condemnatis.*

Praestolor illi[22]. Cic. in Catil.: *Qui tibi ad forum Aurelium praestolarentur armati.* Praestolor illum. Ter. Eun.: *Quem praestolare, Parmeno, hic ante ostium?*

Praesto est. Cic. de Praetura urbana Verris[23]: *Praesto est, respondet, defenditur.* Praesto adest. Terent. Eun.: *Sed ubi est pater? Praesto adest.* Cic. pro Murena: *Praesto aderat sapiens ille, qui inire viam doceret.*

Parte prior[24]. Virg. Aen. V.: *Parte prior, partem rostro peremit t. v. p.* Partem demissus. Salust. Hist. IV.: *Demissis partem quasi tertiam antennis.*

Plus hoc tempore. Cic. Philipp. I.[25]: *Plus una nocte cupiens me retinere non potuit.* Plus hoc tempus. Virg. Georg. IIII.[26]: *Neque enim plus septima ducitur aestas.* Plus satis; plus quam satis est[27]. Terent. Adelph: *Accede ad ignem hunc; iam calesces plus satis.*

Par his. Cic. pro Cluentio[28]: *Ingenio et virtute par his quos ante memoravi.* Par hac re. Sal. Hist. IIII.[29]: *Scalas pares moenium altitudine.* Par cum his. Idem Iug.[30]: *Parem cum liberis tuis, regnique participem fecisti.* Par hoc facere[31]. Virg. Buc.: *Et cantare pares.*

Pudet illius[32]. Cic. in Verr. Act. I.: *Quos libidinis infamiaeque suae neque pudeat neque* [538] *taedeat.* Pudet illud[33]. Terent. Adelph.: *Non te haec pudent?*

Pertaesum est huius. Virg. Aen. IIII.[34]: *Si non pertaesum thalami taedaeque fuisset.* Virg. Aen. V.: *Et quos Pertaesum magni incoepti rerumque tuarum.* Et Sal. Hist. III.[35]: *Quam vos iniuriae pertaesum est.*

Patet tot pedes. Virg. Buc.[36]: *Tris pateat caeli spacium non amplius ulnas.* Patet tot pedibus.

68. A. M. *Fuit* addidi e Cod. Gu. — 20) Haec formula cum exemplo suo desideratur in Cod. A. M. Locus Cic. est in Pis. 15. *Tribrinos* Cod. Gu. — 21) *Sal. Cat.* 37. A. M. Cap. 36. edd. Cort. Gerl. Pro *diem* uterque Cod. exhibet *idem.* — 22) *Praestolor illi et illum* Cod. A. M. *Cic. in Cat. I.* 9. A. M. Formula *Praestolor illum* deest apud A. M. *Terent. Eun.* 5. 6. 5. A. M. Verba *ante ostium* accessere e Cod. Gu. — 23) *Verris* addidi e Cod. Gu. Fortasse tamen legendum: *Verres praesto est.* Tum Cod. Gu. *i respondet* h. e. *id est resp.*, mendose. Deinde formula *Praesto adest* cum exemplo Terentiano accessit e Cod. Gu. Locus est Terent. I, 8, 20., ubi tamen *frater* legitur pro v. *pater.* — *Cic. pro Murena* 12. A. M. — 24) Totus hic articulus deest in Cod. A. M. Locus Virg. est Aen. V, 187. ubi legitur: *Parte prior, partem rostro premit aemula Pristis.* Ego apices Cod. Gu. dedi. Tum *dimissus* in formula, *demissus* in exemplo habet Cod. Gu. Locus recens accedit fragmentis Salustianis. — 25) *Idem Phil. I.* 3. A. M. *Cic. Philipp.*, numero non addito, Cod. Gu. — 26) *Virg. Georg. IIII.* 207. A. M. *Virg. IV.* Cod. Gu. *Diuiditur* pro *ducitur* Cod. Gu. *Aetas* Cod. A. M.; *aestas* recte Cod. Gu. — 27) Haec formula elocutionis cum exemplo Ter. desunt in Cod. A. M. Locus est Ter. Eunuch. I, 2, 5. — 28) Locum non indicavit A. M. Est e cap. 38., ubi legitur: *Ingenio et diligentia et religione par iis, quos antea commemoravi.* — 29) *Par hac*, om. v. *re*, Cod. A. M. *Sal. Hist. IIII.* 9. A. M. Fragmm. lib. IV, 15. Gerl. — 30) *Idem Iug.* 15. A. M. Cap. 14. edd. Cort. Gerl. — 31) Haec elocutio cum exemplo deest in Cod. A. M. Locus Virg. est Ecl. VII, 5. — 32) *Pudet illius.* Haec elocutio cum exemplo suo deest apud A. M. Locus est Cic. Act. in Verr. I. c. 12, 35. — 33) *Pudet hoc.* A. M. *Ter. Adel.* 4. 7. 86. A. M. — 34) *Virg. Aen. IIII.* 18. A. M. Tum *Et idem V.* 7. 14. A. M. *Virg. Aen. V.* Cod. Gu. *In coepti* Cod. uterque. — 35) *Sal. Hist. III.* 8. Fragm. III, 22. Gerl. in orat. Licinii ad plebem. — 36) *Virg. Ecl. III.* 105. A. M. *Tres patet* Cod. A. M. *Tris pateat* Cod. Gu.

Sal. Histor. IIII.[1]: *Ad Siciliam vergens faucibus ipsis, non amplius patet milibus V. et XXX.*

Pendet illa re. Virg. Aen. VIII.[2]: *Et te, Catilina, minaci Pendentem scopulo.* Pendet de illa re. Idem Buc.[3]: *Dumosa pendere procul de rupe videbo.* Pendet ab illa re. Idem Aen. IIII.[4]: *Pendetque iterum narrantis ab ore.* Pendet illius rei. Terent. Heaut.[5]: *Pendebat animi.*

Proiectus in hac re[6]. Virg. Buc.: *Viridi proiectus in antro.* Proiectus hac re[7]. Idem Aeneid. XI.: *Et toto proiectus tempore Turnus.*

Propinquant illi loco[8]. Virg. Aen. V.: *Iamque propinquabant scopulo.* Propinquant illum locum[9]. Sal. Hist. IIII.: *Tum vero Bithyni propinquantes iam amnem Tartanium.* Propinquum illa re[10]. Salust. Hist.: *G. G. Verris littora Italia propinqua firmavit.*

Piget illius[11]. Virg. Aen. V.: *Piget incepti lucisque.* Piget illud. Terent. Phorm.: *Quod nos post pigeat, Geta.*

Patior hoc facere[12]. Virg. Aen. VIII.: *Patior quemvis durare laborem.* Patior hoc futurum esse[13]. Cic. de praetura urbana Verris: *Patior, non moleste fero, Iudices, me laboris mei, vos virtutis vestrae fructum esse laturos.* Patiens huius. Virg. Georg. II.[14]: *Et patientem vomeris unci.*

Praegnans hac re. Virg. Aen. X.[15]: *Et face praegnans Cisseis Regina.*

Propius illas res. Sal. Catil.[16]: *Quod tamen vitium propius virtutem erat.* Idem Iug.: *Propius mare Africum agitabant.* Propius his rebus. Virg. Georg. I.[17]: *Propius stabulis* [539] *armenta tenerent.* Idem Georg. IIII.[18]: *Ne propius tectis taxum sine.* Propior illi illam rem. Virg. Georg. III.: *Et faciem tauro propior.*

Pepercit huic rei[19]. Virg. Aen. II.: *Non tamen abstinuit, nec voci iraeque pepercit.* Parce hoc facere. Virg. Aen. III.: *Parce pias scelerare manus.* Poenitet me facti. Virg. Buc.[20]: *No-*

1) *Sal. Hist. IIII.* 13. A. M. Fragmm. IV, 38. Gerl. *Vertens* Cod. Gu. *Ipsis* addidi e Cod. Gu. — 2) *Virg. Aen. VIII.* 668. A. M. *Populo* Cod. A. M. Recte *scopulo* Cod. Gu. — 3) *Idem Ecl. I.* 77. A. M. *Re* add. e Cod. Gu. — 4) *Idem Aen. IIII.* 79. A. M. *Re* add. e Cod. Gu. — 5) *Rei* addidi e Cod. Gu. *Ter. Heaut.* 4. 4. 5. A. M. Uterque Cod. *Pendebat*, sed editur apud Ter. *pendebit.* — 6) *Proiectus in hoc* A. M. *Virg. Ecl. I.* 76. A. M. — 7) *Proiectus hac re.* Hanc formulam cum exemplo adieci e Cod. Gu. Locus erit Virg. Aen. XI, 87. ubi tamen legitur: *Et toto proiectus corpore terrae.* — 8) *Propinquat huic* Cod. A. M. *Idem Aen. V.* 159. A. M. — 9) *Propinquat illam rem* Cod. A. M. *Sal. Hist. IIII.* 12. A. M. Fragmm. IV, 36. Gerl. *Bithimii* Cod. Gu.; correctum in margine *Bithini.* — 10) Haec formula cum exemplo suo deest in Cod. A. M. Locum Salustii scriptum exhibui, quemadmodum est in Cod. Gu. perscriptus. Prior littera *G.* numerum libri continet, fortasse sexti. Altera *G.* est nota praenominis *Gaii.* Tum scribendum *Verres.* — 11) Deest hic articulus apud A. M. Virgilii locus est Aen. V, 678. Terent. Phorm. III, 3, 21. — 12) Etiam haec formula cum exemplo suo deest apud A. M. Virg. Aen. VIII, 577. ubi *patiar.* — 13) *Esse* addidi e Cod. Gu. *Verris* addidi e Cod. Gu. Legitur locus in Act. Verr. II. lib. I. c. 1. In Cod. Gu. est: *Patior non moleste, Iudices, me* cet. Apud Cic. editur *Patior, iudices et non moleste fero, me* cet. — 14) *Virg. Ge. II.* 223. A. M. — 15) *Idem Aen. X.* 704. A. M. — 16) *Res* addidi e Cod. Gu. *Sal. Cat.* 11. A. M. Exemplum ex Sal. Iug. petitum recens accessit e Cod. Gu. Legitur c. 18. edd. Cort. Gerl. — 17) *Rebus* addidi e Cod. Gu. *Virg. Ge. I.* 355. A. M. — 18) *Idem IIII.* 47. A. M. Formula ultima cum exemplo suo addita est e Cod. Gu. Locus Virg. est Georg. III, 58. — 19) Proximi duo articuli *Pepercit* et *Poenitet* desunt apud A. M. Virg. Aen. II, 534. Virg. Aen. III, 42. — 20) Virg. Ecl. X, 16. Virg. Ecl. II, 34., ubi *labellum* legitur. — 21) *Ter. Heaut. Prol.* 13. A. M. *Re* omisit A. M. — 22) *Seu de Inv. I.* 2. addidit A. M. male. — 23) Haec

stri nec poenitet illas. Poenitet me hoc fecisse. Idem ibidem: *Nec te poeniteat calamo trivisse libellum.*

Potest ab hac re. Terent. Heaut.[21]: *Sed hic actor tantum poterit a facundia.* Potest hac re. Cic. Rhetor.[22]: *Cum viribus plurimum posset.*

Potis est pro potest[23]. Virg. Aen. IX.: *Potis est per tela per ignes.* Terent. Adelph.: *Peiore res loco non potis est esse.*

Pro hac, id est ante hanc. Virg. Aen. VIII.[24]: *Stabat pro templo.* Cic. in Pisonem: *Pro Aurelio tribunali dilectus servorum habebatur.*

Perosus illam rem. Virg. Aen. VI.[25]: *Lucemque perosi.* Idem VIIII.: *Non genus omne perosos Femineum.*

Poenas illius, quas ille intulit. Virg. Aen. VI.[26]: *Ipsa Deum poenas docuit.* Cic. in Pisonem: *Et gravissimae legum poenae vetarent.* Sic Sal. Hist. I.: *Nam iniuriae validiorum.*

Propter te, id est tui caussa[27]. Virg. Aen. IV.: *Te propter Libyae gentes Nomadumque Tyranni odere.* Propter te i. e. iuxta te[28]. Cic. in Pisonem: *Nihil hic vir clarissimus, qui propter te sedet, Lucius Gellius.* Virg. Georg. III.[29]: *Et viridi in campo templum de marmore ponam Propter aquam.* Propter illam rem. Virg. Aen. IX.: *Et pulchram propter vulnera mortem.* Sal. Iug.: *Aliaque propter.*

Praesagus illius rei. Virg. Aen. X.[30]: *Praesaga mali mens.*

Primus regno. Virg. XI.[31]: *Et primus sceptris haud laeta fronte Latinus.*

Praeses illius rei[32]. Virg. Aen. XI.: *Armi potens praeses belli.*

Posthabeo meam rem tua re. Virg. Buc.[33]: *Posthabui tamen illorum mea seria ludo.* Sic et postduco. Sal. Iug.: *Et sua necessaria post illius negotium ducerent*[34]. Posthabeo illam rem prae illa re[35]. Terent. Adelph.: *Qui omnia sibi postputavit esse prae meo commodo.* Idem Hecyr.: *Cum te postputasse omnes res prae parente intelligo.*

Perge iter. Terent. Hecyra[36]: *Pergam quo occepi hoc iter.*

formula cum duobus suis exemplis deest apud A. M. Virg. Aen. IX, 796., ubi editur: *potis est per tela virosque.* Terent. Ad. III, 2, 47. ubi vulgo *potest*, sed optimus ille liber Bembinus apud Bentl. *potis est.* — 24) *Virg. Aen. VIII.* 653. A. M. Exemplum Ciceronis deest apud A. M. Locus est in Pison. c. 5. ubi recte *delectus.* — 25) *Rem* addidi e Cod. Gu. *Idem VI.* 435. A. M. Tum *Et VIIII.* 141. A. M. *Idem IX.* Cod. Gu. *Foemineum* Cod. Gu. — 26) *Id. VI.* 565. A. M. Exemplum e Cic. orat. in Pisonem deest in Cod. A. M. Pariter *sic* addidi e Cod. Gu. *Sal. Hist. I.* 2. A. M. Fragmm. I, 8. Gerl. Cic. in Pis. cap. 21. extr. *Gravissima* Cod. Gu. — 27) *Propter te i. e. tui caussa.* Haec elocutio cum exemplo suo deest in Cod. A. M. Locus Virg. est Aen. IV, 320. ubi *Libycae g.* — 28) *Id est* addidi e Cod. Gu. *Cic. in Pis.* 3. A. M. Vocem *Nihil* addidi e Cod. Gu. — 29) *Virg. Ge. III.* 13. A. M. *In templo templum* Cod. Gu. sed correctum in margine. Formula *Propter illam rem* cum duobus exemplis desideratur in Cod. A. M. Virg. Aen. Sed novus est articulus, scribendus ita: *Propero illam rem. Virg. Aen. IX.* (401.) *Et pulchram properet per vulnera mortem. Sal. Iug.* (c. 37.) *Aliaque properare.* — 30) *Rei* addidi e Cod. Gu. *Idem Aen. X.* 843. A. M. — 31) *Idem XI.* 238. A. M. — 32) Hic articulus recens accessit e Cod. Gu. *Praesens illius r.* Cod. Gu. Locus Virg. est Aen. XI. 483. *Belli* addidi ex Virgilio, postulante Grammatici sententia. — 33) *Re* addidi e Cod. Gu. *Idem Ecl. VII.* 17. A. M. Quae seqq. verba: *Sic et postduco* desunt in Cod. A. M. — 34) *Sal. Iug.* 76. A. M. Cap. 73. edd. Gerl. Cort. Pro v. *negotium*, quod in utroque est codice, apud Salustium legitur *honorem.* — 35) *Prae illa ré*, omissis vv. *posthabeo illam rem*, Cod. A. M. Tum *Idem in eadem* 3. 5. 33. A. M. Ex quo intelligitur, A. M. Codicem truncatum et mutilatum esse; praecesserat enim locus Salustii. Exemplum e Terent. Adelph. (II, 3, 9.) deest in Cod. A. M. itemque verba: *Idem Hecyr.* Locus Hecyrae est III, 5, 33. — 36) *Ter. Hecy. I.* 2. 119. A. M. *Coepi* edidit A. M. sed in suo Cod. invenerat *accepi;* Cod. Gu. *occepi*, quod dedi.

Progredior illo loco[1]. Virg. Aen. III.: *Progredimur portu.* Progredior intra haec[2]. Virg. Aen. XI.: *Iamque intra iactum teli progressus.*

Per mutua pro invicem[3]. Virg. Aen VII.: *Et pedibus per mutua nexis.* [540]

Pugno in illum. Sal. Catil.[4]: *Contra imperium in hostem pugnaverat.*

Pollens illa re. Sal. Iug.[5]: *Pollens viribus.*

Privus illius[6]. Salust. Hist. I.: *Numeroque praestans, privus ipse militiae.*

Pavesco illa re. Sal. Iug.[7]: *Omni strepitu pavescere.*

Prudens illarum rerum[8]. Sal. Hist. I.: *Prudens omnium quae senatus censuerat.*

Praeminet illa re illam rem. Sal. Hist. II.[9]: *Omnes, qui circumsunt, praeminent altitudine milium passuum duorum.*

Pertinens in illam rem[10]. Sal. Hist. III.: *Unde pons in oppidum pertinens explicatur.*

Promptus illius rei. Sal. Hist. II.[11]: *Neque virgines nuptum a parentibus mittebantur, sed ipsae belli promptissimos diligebant.*

Praeluceo mihi lumine. Sal. Hist. IV.[12]: *Qui Praetores facibus sibi praelucentes ambustas in tectis sine cura reliquerunt.*

Per geminata praepositio. Cic. pro Scauro[13]: *Hoc nomine audito, quod per omnes gentes pervagatum est.*

Profiteor in his. Terent. Eun.[14]: *In his poeta hic nomen profitetur suum.*

Praeut ille quae facit[15]. Terent. Eun.: *Praeut ille quae facit, te ludum iocumque fuisse dicet illum alterum praeut eius scabies quae dabit.*

Post illa, id est postea. Terent. Phorm.[16]: *Eum compressit, unde haec nata est: neque post illa unquam attigit.*

Proruit se pro immisit[17]. Terent. Eun.: *Foras simul omnes proruunt se.*

Postremum vides id est novissime vides. Terent. Andria: *Si id facis, hodie postremum me vides.*

Per tempus, id est opportune[18]. Terent. Andr.: *O Chremes, per tempus advenis*

Apud Ter. editur *coepi.* — 1) *Ingredior loco* A. M. *Virg. Aen. III.* 300. A. M. *Progredimur* Cod. uterq. *Progredior* ed. apud Virg. — 2) *Progredior inter illud* Cod. uterq. *Idem XI.* 608. A. M. *Inter iactum tibi* Cod. Gu. sed recte h. l. Cod. A. M. *intra iactum teli*, quod est apud Virg. — 3) *Pro mutua* Cod. A. M. sed correxit iam A. M. *Per m.* Cod. Gu. *Idem VII.* 66. A. M. — 4) *Sal. Cat.* 56. A. M. Cap. 52. Cort. Gerl. — 5) *Idem Iug.* 6. A. M. — 6) Recens accessit hic articulus e Cod. Gu. Fragmentum Salustii adiice collectionibus. — 7) *Idem in eodem* 75. A. M. *Salust. Hist. I.* Cod. Gu. mendose. Locus est Sal. Iug. 72. edd. Cort. Gerl. *Omnia str.* Cod. A. M. *Omni str.* recte Cod. Gu. — 8) *Prudens rerum* C. A. M. *Idem Hist. I.* 18. A. M. Fragmm. I, 25. Gerl. *Consueverat* male Cod. Gu. — 9) Verba: *illa re illam rem* desunt in Cod. A. M. *Idem II.* 6. A. M Fragmm. II, 33. Gerl. *Altitudinem* Cod. A. M. contra sententiam Grammatici. *Altitudine* recte Cod. Gu. *Milium* Cod. Gu. *millium* h. l. edidit A. M. — 10) *Pertinens in illum* Cod. A. M. *Idem Hist.* (*lib. incert.*) 6. A. M. *Sal. Hist. III.* Cod. Gu. Fragmm. incert. lib. 19. Gerl. — 11) *Rei* addidi e Cod. Gu. *Idem II.* 4. A. M. Fragmm. lib. II, 25. Gerl. *Ipse* Cod. Gu. *Diligebant* Cod. uterque. *Delegebant* iu Fragmm. collectionibus editur. — 12) Formula cum exemplo deest in Cod. A. M. Locus Salustii eius fragmentis recens accedit. Fortasse legendum *Quum Praetores.* — 13) *Praepositio* deest apud A. M. *propositio* mendose in Cod. Gu. *Cic. pro Scauro* 995. A. M. Fragmm. orat. pro Scauro 45. f. Nobb. — 14) *Ter. Eun. Prol.* 3. A. M. — 15) Omnis hic articulus deest in Cod. A. M. Locus Ter. est Eun. III, 2, 9. Iteratio verborum in exemplo: *Praeut ille quae facit* mendosa est. Ceterum apud Ter. nunc legitur: *Praeut huius rabies quae dabit.* Etiam *dicat* apud Ter. editur. — 16) *Id est* om. Cod. Gu. *Idem Phor.* 5. 8. 34. A. M. — 17) Hic totus articulus sic legitur apud A. M. *Proruunt foras simul omnes. Idem Eun.* 3. 5. 51. Nos veram Grammatici manum e Cod. Gu. restituimus. Pro v. *immisit* legendum videtur *emisit.* Addidi *se* ex sententia Grammatici. Formula,

Praeeo tibi[19]. Cic. de Domo sua: *Aut mihi praeeatis, aut postem teneatis.*

Pluit illa re[20] Virg. Georg. IIII.: *Non densior aere grando, Nec de concussa tantum pluit ilice glandis.*

Q. [541]

Queror illam rem[21]. Virg. Aen. I.: *Nec plura querentem passa Venus.* Salust. Histor.: *Nam Syllae dominationem queri non audebat.* Queror de illa re[22]. Cic. pro Cluentio: *Sed nefarium matris pellicatum ferre non posset, de quo ne queri quidem se sine scelere arbitraretur.* Queror tecum pro apud te. Cic. pro Oppio[23]: *Questusque mecum est.* Querela est facti tui[24]. Cic. in Pisonem: *Iam inde, bellua, iam ne sentis, quae sit hominum querela frontis tuae?*

Quae, malum, ista ratio est[25]. **** *Quae, malum, est igitur ista ratio? Cum statueras eripere, ad iniuriam eripiendi fraudem sceleris adiungere.* Terent. Heaut.: *Quas, malum, ambages mihi narrare incipit?* Idem Eun.: *Qui, malum, alii?*

Quietus ab illis rebus. Sal. Histor I.[26]: *Quietam a bellis civitatem.* Quies illarum rerum. Virg. Georg. III.[27]: *Omnibus una quies operum.*

Quicum pro cum quo. Cic. pro Quintio[28]: *Quicum tibi societas, affinitas erat.* Quicum pro cum qua. Virg. Aen. XI.: *Accam ex aequalibus unam, Quicum partiri curas; atque ita fatur.*

Quoad pro Donec[29]. Virg. Aen. XII.: *Quoad visa est fortuna pati.* Sal. Iug.: *Quoad semet ipsa praecipitavit.*

Quid hominis est, pro qualis homo est[30]. Terent. Hecyr.: *Quid mulieris uxorem habes?*

Quadrat in illum. Cic. pro Coelio[31]: *Nisi omnia, quae cum turpitudine aliqua dicerentur, in istam quadrare apte viderentur.*

Quisque nostrum patimur[32]. Virg. Aen. VI.: *Quisque suos patimur mores.*

quae sequitur cum exemplo suo recens accedit e Cod. Gu. Ter. And. II, 1, 22. — 18) *Idem And.* 4. 5. 44. A. M. In edd. Ter. plerumque legitur *o Chreme*; sed Cod. uterque *o Chremes.* — 19) Articulus hic e Cod. Gu. accessit. Locus Cic. est pro Domo c. 52, 133. ubi est: *Ut mihi p. postemque teneatis.* — 20) *Pluit rebus.* Cod. A. M. *Virg. Ge. IV.* 81. A. M. Verba: *Non densior aere grando* accesserunt e Cod. Gu. — 21) Recens accessit haec formula cum exemplis suis e Cod. Gu. Locus Virg. est Aen. I, 386. Salustii locus huius fragmentis est addendus. — 22) Etiam haec formula cum suo exemplo apud A. M. desideratur. Locus Cic. legitur pro Cluent. c. 5. ubi plerumque mutato ordine verborum legitur: *sine scelere se posse.* Sed praeferenda est Arusiani lectio *se sine scelere posse.* — 23) *Cic. pro Oppio* 990. A. M. Fragmm. oratt. deperditt. IV, 4. pag. 1124. Nobb. — 24) Haec quoque formula cum exemplo suo desideratur apud A. M. Exemplum legitur Cic. in Pis. I, 1. — 25) Iste omnis articulus deest in Cod. A. M. Loci primi notatio nulla est in Cod. Gu., sed oratio sic procedit: *Quae, malum, ista ratio est, igitur ista ratio? cum statueras.* Neque repertus est locus usquam. Locus Terent. est Heaut. II, 3, 77. ubi est *narrare occipit.* Alter locus Terent. Eun. IV, 7, 10. — 26) *Rebus* addidi e Cod. Gu. *Sal. Hist. I.* 22. A. M. Fragmm. lib. I, 63. Gerl. — 27) *Illarum* addidi e Cod. Gu. *Virg. Ge. III.* 184. A. M. — 28) *Cic. pro Quint.* 6. A. M. Quae sequitur formula: *Quicum pro cum qua,* cum suo exemplo, deest in Cod. A. M. Locus est Virg. Aen. XI, 820. seqq. Apud Virg. est: *Atque haec ita fatur.* — 29) Haec quoque elocutio cum exemplis accessit e Cod. Gu. Virg. Aen. XII, 147. ubi legitur: *Qua visa est f. p.* Sal. Iug. c. 41. fin. edd. Cort. Gerl. — 30) Huius articuli apud A. M. reliqua sunt haec: *Quid mulieris uxorem habes? Ter. Hecy.* 4. 4. 21. — 31) *Cic. pro Coelio* 29. A. M. *Apte* edidit A. M. Codex uterque mendose *apud te.* — 32) Articuli huius apud A. M. haec tantum restant: *Quisque suos patiamur amores Virg. Aen. VI.* 743. Cod. Gu. exhibet, uti dedimus. Sed apud Virg. legitur: *Quisque suos patimur*

R.

Relegat illi loco[1]. Virg. Aen. VII.: *Et Nymphae Egeriae memorique relegat.* Relegat in illum locum. Sal. Histor. I.[2]: *Relegat in paludes.*

Recordor de illo. Cic. pro Scauro[3]: *De te recordor.* Et illum. Virg. Aen. VIII.: *Et vocem Anchisae magni vultumque recordor.*

Resonat carmen locus[4]. Virg. Buc.: *Formosam resonare doces Amaryllida silvas.* Resonat carmine locus. Idem Aeneid. IV.: *Resonat plangoribus aether.* Resonat illo carmine illum locum. Idem Aeneid. VII.: *Inaccessos ubi solis Filia lucos Assiduo resonat cantu.*

Refugit ab illa re. Idem Aen. III.[5]: *Refugitque ab littore templum.* Refugit illam rem. Idem Aen. VII.[6]: *Aversusque refugit Foeda ministeria.* Refugit illa sui parte[7]. Idem Georg. II.: *Medioque refugerit orbe.*

Recens ab illa re[8]. Virg. Aen. VI.: *Recens a vulnere Dido.* Recens illo loco . Cic. [542] Phil. I.: *Ex his quidam Roma recentes.*

Requiesco illud tempus[10]. Virg. Buc.: *Hic tamen hanc mecum poteris requiescere noctem.* Sic Cic. pro Cluent.[11]: *Qui cum una re et alteram diem desideraretur.* Requiesco cursum meum. Virg. Buc.[12]: *Et mutata suos requierunt flumina cursus.*

Recipit se ab illis[13] locis. Virg. Georg. IIII.: *Quo fessus ab undis Se recipit.* Recipit ex illo illum. Idem Aen. VI.: *Illum ego per flammas et mille sequentia tela Eripui his humeris medioque ex hoste recepi.*

Residunt in illam partem[14]. Virg. Aen. IX.: *Dum se glomerant retroque residunt in partem, quae poste caret.*

Residet illa re[15]. Idem Aen. I.: *Solioque alte subnixa resedit.* Resedit in illa re. Idem Aen. V.: *Siccaque in rupe resedit.*

Reminiscor illam[16] rem. Virg. Aen. X.: *Et dulces moriens reminiscitur agros.*

manes. Videantur Interpp. Virg. ad istum locum. — 1) *Relegat illi loco.* Hanc formulam cum exemplo addidi e Cod. Gu. Locus est Virg. Aen. VII, 775. — 2) *Sal. Hist. I.* 9. A. M. Fragmm. I, 15. Gerl. in orat. Lepidi contra Sullam, ubi editur *relegati.* Sed Cod. nostri Gramm. uterque *relegat.* — 3) *Cic. pro Scauro* 995. A. M. Fragmm. orat. pr. Sc. 49. Nobb. Verba *Et illum* cum apposito exemplo desunt in Cod. Gu. Locus est Virg. Aen. VIII, 156. Legendum tamen haud dubie: *Recordor illum* in formula. — 4) *Resonat carmen locus.* Huius totius articuli apud A. M. nihil reliquum est, nisi hoc: *Resonat plangoribus aether. Idem IV.* 668. Deinde in novo articulo sequuntur: *Resonat hunc hac re* cum exemplo Virg. Aen. VII, 11. Quae omnia quam sint mutilata, nemo non videt. *Clangoribus* God. Gu. — 5) *Refugit ab hoc* A. M. *Idem III.* 536. A. M. — 6) *Rem* addidi e Cod. Gu. *Idem VII.* 618. A. M. — 7) Haec formula cum exemplo suo recens accessit e Cod. Gu. Locus est Virg. Georg. I, 442. — 8) *Recens ab vulnere Dido. Idem VI.* 450. A. M. omissa formula. — 9) *Illo* addidi e Cod. Gu. *Cic. Phil. I.* 3. A. M. — 10) *Tempus* adieci e Cod. Gu. *Virg. Ecl. I.* 80. A. M. *Poteris* uterque Cod. Apud Virg. legitur *poteras.* — 11) *Sic Cic. — desideraretur.* Haec accesserunt e Cod. Gu. Locus est in orat. pro Cluent. c. 13. ubi legitur: *Qui cum unum iam et alterum d. d.* Grammaticus scripsisse videtur: *unam et alteram.* — 12) *Meum* addidi e Cod. Gu. *Idem VIII.* 4. A. M. — 13) *Locis* accessit e Cod. Gu. *Idem Ge. IIII.* 403. A. M. Quae sequitur formula: *Recipit ex illo illum* deest in Cod. A. M. Ibidem desideratur prior exempli versus *Illum ego — tela.* Locus est Aen. VI. 111. — 14) Haec formula cum exemplo suo accessit e Cod. Gu. Locus est Virg. Aen. IX, 539. seq. ubi *peste* legitur. — 15) *Illa* addidi e Cod. Gu. *Idem I.* 506. A. M. Tum formula *Resedit in illa re* excidit in Cod. A. M. *Idem V.* 180. A. M. — 16) *Rem* addidi e Cod. Gu. *Idem X.* 782. A. M. *Agros* uterque Cod. mendose. *Argos* legitur apud Virg. — 17) *Rei* accessit e Cod. Gu. *Idem XI.* 611. A. M. — 18) *Idem IIII.* 329. A. M. *Tantum*

Ritu illius rei[17]. Virg. Aen. XI.: *Crebra nivis ritu.*

Refert illum facie. Virg. Aen. IV.[18]: *Qui te tamen ore referret.* Idem Aeneid. X.: *Nomine avum referens animo manibusque parentem.*

Regnata illi loca, in quibus ille regnavit[19]. Virg. Aen. VI.: *Regnata per arva Saturno quondam.* Idem Aeneid. III.: *Terra procul vastis colitur Mavortia campis; Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo.*

Reapse pro ipsa re[20]. Cic. de Rep.: *Reapse non ratione praeceptio.*

Recursat animo. Virg. Aen. IV.[21]: *Multa viri virtus animo multusque recursat Gentis honos.*

Reponis in illam rem[22]. Virg. Aen. I.: *Sic nos in sceptra reponis?* Repositam in illa re[23]. Cic. de Signis: *Sacra quaedam more Atheniensium reposita in capitibus virginum.* Repone illi rei[24]. Virg. Aen. VII.: *Et vina reponite mensis.*

Repetitum praedae pro ad praedam[25]. Sal. Hist.: *Pirim — quo patefactum est, Remp. praedae non libertati repetitam.*

Restitui in illum locum[26]. Terent. Hecyr.: *Ita poetam restitui in locum.*

S.

Similis illius rei[27]. Virg. Aen. V.: *Delphinum similes.* Similis illi. Idem VIII.: *Illum indignanti similem similemque minanti.* Sal. Cat.: *Similis ceteris efficiebatur.* Similis illi faciem. Virg. Georg. I.: *Faciemque simillima lauro.*

Subeo illam rem[28]. Virg. Aen. III.: *Quem subiisse humeris confectum aetate parentem.* [543] Idem Aen. VIII.[29]: *Haec limina victor Alcides subiit.* Subeo illi rei[30]. Virg. Aen. VII.: *Muroque subibant.* Sic Aen. VI.[31]: *Cui deinde subibit Otia qui rumpet patriae.* Cic. Divin. in Caecilium[32]: *Poteris eis oratione subire?*

pro *tamen* Cod. A. M. Exemplum quod sequitur accessit e Cod. Gu. Locus est Aen. XII, 348. — 19) *Regnata (illi) Idem III.* 14. A. M. Prius exemplum et alterius priorem versum omisit A. M. Prior locus est Virg. Aen. VI, 794. In Cod. Gu. est *aura* pro *arva*, quod statim erat corrigendum. — 20) *Reapse.* Recens accessit hic articulus e Cod. Gu. Locus est e Cic. De Rep. I, 2, 2. ubi est: *Reapse, non oratione, perfectio.* — 21) *Idem IIII.* 3. A. M. *Multusque recursat Gentis honos* Cod. Gu. reliqua accesserunt e Cod. A. M. — 22) *Rem* addidi e Cod. Gu. *Idem I.* 253. A. M. — 23) *Reposita* Cod. A. M. *Cic. de Signis* 3. A. M. In Verr. Act. II. lib. IV, 3. *Scur* — (sic) pro *Sacra* Cod. Gu. — 24) *Rei* adiunxi e Cod. Gu. *Virg. Aen. VII.* 134. A. M. *Et* deerat apud A. M. — 25) Hic articulus recens accessit e Cod. Gu. In loco Salustii, qui fragmentis eius est adiiciendus, legendum puto: *Sal. Hist. prim. Quo patefactum* cet. — 26) *Restitui in locum* Cod. A. M. *Ter. Hecy. Prol.* 21. A. M. — 27) Rei abest a Cod. A. M. Virg. Aen. V, 594. A. M. Deinde pro *Similis illi* Cod. A. M. exhibet *Et illi.* Tum ita pergit Cod. Gu. *Similis illi. Idem similisque caeteris efficiebatur*; omissis interpositis. *Idem VIII.* 649. A. M. *Sal. Cat.* 14. A. M. Postrema formula cum exemplo accessit e Cod. Gu. Locus est Georg. II, 131. — 28) *Subeo illam et illi* Cod. A. M. *Virg. Aen. III.* 599. A. M. *Parentem* deest in Cod. Gu. — 29) Hoc exemplum deest in Cod. A. M. Virg. Aen. VIII, 362. — 30) Deest formula apud A. M. *Et VII.* 161. A. M. — 31) *Sic Aen. — — patriae.* Haec omnia desunt apud A. M. Legitur locus apud Virg. Aen. VI, 813. In Cod. Gu. est: *cui deinde subit otio qui rumpere patria*, quae vel sine Virgilio corrigenda erant. — 32) *Cic. Divin. in Caecilium* 14. A. M. *Cic. in Divin.* Cod. Gu. Verba: *Poteris eis oratione subire* haud dubie mendosa sunt, licet in utroque Cod. pariter nulla cum varietate legantur. Apud Ciceronem est: *Poterisne eius orationis subire invidiam!* quae haud dubie sunt sana. Fortasse tamen Grammaticus legit: *Poteris eius orationis subire invidiae*, quod ipsum arguit et formula praeposita, et Asconii ad hunc

Successit illi rei[1]. Virg. Aen. IV.: *Nostris successit sedibus hospes.* Idem Aen. I.: *O Iuvenes, tectis succedite nostris.* Idem Aen. VII.: *Successitque gemens stabulis.* Successit illam rem. Sal. Hist. I.: *Cum murum hostium successisset.* Idem Hist. III.: *Muros successerunt.* Idem Hist. II.: *Turmam equitum castra regis succedere et properationem explorare iubet.*

Servatus periculis[2]. Virg. Aen. VIII.: *Saevis hospes, Troiane, periclis, Servati facimus.* Servatus ex periculis. Idem Aen. XII.: *Servati ex undis, ubi figere dona solebat.* Servatus a periculis. Idem Aen. V.: *Servate a poste carinam.*

Servans huius rei[3]. Virg. Aen. II.: *Qui fuit in Teucris, et servantissimus aequi.*

Suadet illum facere[4]. Virg. Aen. XII.: *Iuturnam misero, fateor, succurrere fratri Suasi.* Suadet illi. Sal. Iugurth.: *Facile Numidae persuadet.*

Studeo illi rei[5]. Cic. pro Coelio: *Studuit Catilinae iterum petenti.* Studeo me praestare illis. Sal. Catil.: *Qui sese student praestare caeteris animantibus.* Studeo illam rem. Cic. pro Scauro[6]: *Retineret id quod praecipue semper studuit, generis, familiae, nominis dignitatem.* Terent. Heaut.[7]: *Id cum studuisti, isti formae ut mores consimiles forent.* Idem Hecyr.: *Ut omnes mulieres eademque studeant nolintque omnia.* Idem eadem: *Studeo haec prius quam ille redeat.*

Super hac re, id est plus hac re. Virg. Aen. VIIII.[8]: *Nocte super media*, id est plus media. Super hac re, id est de[9] hac re. Idem Aen. I.: *Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.* Idem Georg. IIII.[10]: *Haec super arvorum cultu pecorumque canebam Et super arboribus.* Super hac re pro de hac re. Idem Aen. IV.: *Nec super ipse suam molitur laude laborem.* Super illa re pro in illa re[11]. Idem Buc.: *Fronde super viridi.* Idem

locum annotatio, ubi legitur: Quasi Latine dixit, ut magno ponderi subire; sed scribe potius: *Quasi translate dixit, ut m. p. s.* Additur in fine articuli exemplum hoc. *Virg. Aen. IIII.* 10. *Nostris successit sedibus hospes*, quod deest in Cod. Gu. et haud dubie ad sequentem articulum pertinet, quo transtuli. — 1) Huius totius articuli in Cod. A. M. mutilato nihil superest, nisi haec: *Successit illam Sal. Hist. III.* (15.) *Muros successerant.* Loci scriptorum hi sunt. Primus locus supra a Maio indicatus. Alter est Virg. Aen. I, 627. Tertius Aen. VII, 501. In Cod. Gu. est *gemen stabulis.* Locus Salustii prior recens accedit eius fragmentis, alter legitur Hist. Fragmm. III, 40. Gerl. idemque citatur a Servio ad Virg. Ecl. V, 5. *Successerant* vulgo editur, sed Cod. Gu. *successerunt*, quod rescripsi. Tertium fragmentum nunc primum editur. — 2) Etiam hic articulus valde mutilatus est apud A. M. sic: *Servatus periculis et ex periculis.* Iam duo sequuntur exempla Virgilii, satis truncata: *Virg. Aen. VIII.* 188. *Hospes servate periclis. Idem XII.* 768. *Servati ex undis.* Ita A. M. Tertium exemplum cum elocutione praecedente plane deest apud A. M. Locus est Aen. V, 699. ubi est: *Servatae a peste carinae.* — 3) *Servans illius* Cod. A. M. *Idem II.* 427. A. M. Verba: *Qui fuit in Teucris* addidi e Cod. Gu. — 4) Omnis hic articulus recens accessit e Cod. Gu. Virg. Aen. XII, 814. In Cod. Gu. omittitur *Suasi*, absorptum a vocabulo proxime antecedenti. Locus Salustii est Iug. c. 61. edd. Cort. Gerl. — 5) Duae priores huius articuli formulae cum exemplis suis desunt in Cod. A. M. Cic. pro Coelio c. 5, 12. ubi legitur: *Studuit Catilinae, cum iam aliquot annos esset in foro, Coelius.* Verba *iterum petenti* apud Cic. desiderantur. Sal. Cat. initio. — 6) *Cic. pro Scauro* 995. A. M. Fragmm. orat. pro Sc. 4. e. Nobb. *Retinere* Cod. A. M. sed *retineret* Cod. Gu. ut prius edebatur in fragmm. Verba: *generis, familiae, nominis dignitatem*, e Cod. Gu. recens accedunt. Quam inane fragmenta complendi et coagmentandi studium sit, ex hoc loco intelligitur. — 7) *Ter. Heaut.* 2. 4. 2. A. M. Verba: *isti formae ut mores consimiles forent* addidi e Cod. Gu. ubi tamen legitur *is formae.* Tum prior ex Hecyra locus, qui legitur Hec. II, 1, 2., desideratur apud A. M. Apud Ter. est *eadem aeque.* Alter locus est Hecy. 2. 2. 20. indicante Maio, ubi Editores plerique *ut redeat*, sed Codd. Bentl. *huc redeat.* — 8) *Virg. Aen. VIIII.* 61. A. M. Verba: *id est plus media* adieci e Cod. Gu. — 9) *Id est de his* Cod. A. M. *Idem I.* 750. A. M. *Idem Aen. IV.* Cod. Gu. Verba: *super Hectore*

Aen. I.: *Stratoque super discumbitur ostro.* Idem Aen. VI.[12]: *Gemina super arbore sidunt.* Super illam rem. Idem Aen. I.: *Saeva sedens super arma.*

Subter illam rem[13]. Virg. Aen. III.: *Alpheum fama est hac Elidis amnem Occultas egisse vias subter mare.* Idem Aen. IX.: *Ferre iuvat subter densa testudine casus.*

Sub hac re pro in hac re[14]. Virg. Aen. VII.: *Curvam servans sub imagine falcem Saturnusque senex.* Sub hanc rem pro ad hanc rem. Virg. Aen. V.[15]: *Oculosque sub astra tenebat.* Idem Aen. II.: *Postesque sub ipsos nituntur gradibus.* Idem Aen. IIII.[16]: *Tu secreta pyram tecto interiore sub auras Erige.* Sub hanc rem, prope hanc rem. Idem Aen[17]. I.: *Et sub noctem cura recursat.* Cic. de Domo sua: *Frumentum clausum continebant, ut sub novum mitterent.* Sub hac, prope hanc. Virg. Georg. IIII.[18]: *Eurydicenque suam* [544] *iam luce sub ipsa Respexit.* Sub illam rem coegit. Idem Aen. VII.: *Totamque sub arma coactam Hesperiam.* Sub illam rem removit. Sal. Hist. I.[19]: *Et stationes sub vineas removebat.* Sub hac re subiicit, pro sub hac re crescit. Virg. Georg. II.[20]: *Laurus Parva sub ingenti matris se subiicit umbra.* Sub illam rem locatum. Nove Sal. Hist. IV.[21]: *Dolia cum sub trabes locata vitibus aut virgis vinciebant.*

Suppeditat hac re[22]. Cic. in Siciliensi: *Coriis, tunicis, frumentoque suppeditabat.* Suppeditare sumtibus volo[23]. Ter. Heaut.: *Nam si illi pergo suppeditare sumptibus.* Suppeditor hac re[24]. Cic. in Catil. II.: *Sed si, omissis his rebus, quibus nos suppeditamur, eget ille.*

Satur illius. Terent. Adelph.[25]: *Postquam intus sum omnium rerum satur.* Saturatus illam rem[26]. Virg. Aen V.: *Necdum antiquum saturata dolorem.* Saturatus illa re[27]. Idem Aen. VII.: *Odiis aut exsaturata quievi.*

multa desunt in Cod. Gu. — 10) *Idem Ge. IIII.* 559. A. M. Verba: *pecorumque — arboribus* et interposita accesserunt e Cod. Gu. Quae iam recurrit formula: *super hac re pro de hac re* e Cod. Gu. est, sed omittenda videtur, nisi forte legendum: pro *ad hanc rem.* Locus est Aen. IV, 273. ubi legitur: *tuum moliris.* — 11) *Super illa pro in illa* A. M. *Super illam rem pro in illam rem* Cod. Gu. quod ex sententia Gramm. corrigendum erat. *Idem Ecl. I.* 81. A. M. *Idem Aen. I.* 700. A. M. — 12) Hoc exemplum accessit e Cod. Gu. Locus est Aen. VI, 203. Formula quae sequitur accessit e Cod. Gu. *Idem in eodem* (libro I.) 295. A. M. — 13) Integer hic articulus accessit e Cod. Gu. Prior locus est Aen. III, 694. Alter est Aen. IX, 514. — 14) Haec elocutio cum exemplo suo deest in Cod. A. M. Virg. Aen. VII, 179. — 15) *Sub hac pro ad hanc* A. M. *Idem V.* 853. A. M. Exemplum quod sequitur deest apud A. M. Locus est Aen. II, 442. — 16) *Idem IIII.* 494. A. M. *Pryam* Cod. Gu. sed corr. in margine. — 17) *Sub hanc prope hanc* A. M. *Idem I.* 662. A. M. Exemplum e Cic. orat. pro Domo deest in Cod. Gu. Ibidem deest formula: *sub hac prope hanc. — Cic. de Domo sua* 5. A. M. — 18) *Virg. Ge. IIII.* 490. A. M. Formula quae sequitur: *Sub illam rem coegit* deest in Cod. A. M. *Idem Aen. VII.* 43. A. M. Quae iam sequuntur in hoc articulo, desunt omnia in Cod. A. M. — 19) Recens accedit hoc fragmentum Salustio. — 20) Virg. Ge. II, 19. — 21) Etiam hic locus in fragmm. Salustii nondum legitur. Scribendum fortasse *Dolia, quae.* — 22) *Suppeditat rebus* Cod. A. M. *Cic. in Sic.* 2. A. M. In Verr. II. lib. II, 2. ubi legitur *suppeditato.* Cod. A. M. *suppeditat.* Apertum est, Grammaticum voluisse verbum finitum, non participium; quare statuendum est, eum corrupto exemplo Ciceronis codice fuisse usum. — 23) Haec formula desideratur apud A. M. *Ter. Heaut.* 5. 1. 57. A. M. *Illis sumptibus* in exemplo ediderat A. M., sed pronomen neque in Cod. Gu. neque apud Terentium legitur. — 24) *Suppeditor his* Cod. A. M. *Cic. in Cat. II.* 11. A. M. Apud Cic. editur *suppeditamus.* Sed *suppeditamur* fuit antiqua lectio, quae revocanda erit, etiam iudice A. Maio, qui notat ad h. l. veterem Cic. scholiastam illo Cat. or. loco passivum tueri. — 25) *Ter. Adel.* 5. 1. 3. A. M. *Postquam sum intus* hoc ordine Cod. Gu. — 26) *Rem* addidi e Cod. Gu. *Virg. Aen. V.* 608. A. M. *Nedum* Cod. A. M. *Ne c dum* divisim Cod. Gu. — 27) *Saturatus hac* Cod. A. M. *Idem VII.* 298. A. M. *Exaturata* Cod. Gu.

Sciens huius rei[1]. Salust.: *Sciens horum.* Idem Histor. II.: *Belli sane sciens.* Scit illas res. Virg. Aen. XII.: *Scire potestates herbarum visumque medendi Maluit.*

Scit his rebus. Terent. Eun.[2]: *Videt honestam virginem Et fidibus scire.* Scientem[3] te faciam. Terent. Heaut.: *Nam te scientem faciam, quicquid egero.*

Subgredior illum locum[4]. Sal. Hist. IV.: *Stolide castra subgressus.*

Suetus his rebus[5]. Sal. Hist. II.: *Genus militum suetum a pueritia latrociniis.* Idem ibidem: *Genus hominum vagum et rapinis suetum magis quam agrorum cultibus.*

Sapor illius rei[6]. Virg. Georg. IV.: *Proderit et tunsum gallae admiscere saporem.* Sapor iuxta illam rem. Sal. Hist. IV.: *Sapor iuxta fontes dulcissimos.*

Satagit illarum rerum[7]. Terent. Eun.: *Et si is quoque suarum rerum satagit.*

Sponsa mihi est. Terent. Eun.[8]: *Sponsa mihi est.*

Stat in illo habitu. Virg. Aen. VIII.[9]: *Stabat in egregiis Arcentis filius armis.* Stat hac, id est favet nostrae parti. Idem Aen. XII.: *Ne qua meis esto mora; Iupiter hac stat.*

Siste huc. Virg. Aen. IIII.[10]: *Annam, cara mihi nutrix, huc siste sororem.* Siste his. Idem Aen. XI.[11]: *Hic Dea se primum rapido pulcherrima nisu Sistit.*

Supervenio illis. Virg. Buc.[12]: *Timidisque supervenit Aegle.*

Sublego tibi[13]. Virg. Buc.: *Vel quae sublegi tacitus tibi carmina nuper.* [545]

Subligo illi parti. Virg. Aen. VIII.[14]: *Tum lateri atque humeris Tegeaeum subligat ensem.*

Subnecto illi parti[15]. Virg. Georg. III.: *Cervici subnectite.*

Secundat illam rem[16], id est secundam et prosperam facit. Virg. Aeneid. III.: *Rite secundarent visum.*

Salio per illam rem. Virg. Georg. II.[17]: *Unctos saliere per utres.*

1) Duae formulae iam sequentes cum exemplis suis desunt in Cod. A. M. Prior Salustii locus non invenitur, nisi forte legendum sit *sciens locorum*, ut est Iug. c. 85. edd. Cort. Gerl. In altero Sal. exemplo Cod. Gu. exhibet: *Bellica nesciens*, quod facit contra sententiam Grammatici. Legendum *Belli sane sciens*, quod ipsum fragmentum affertur libro non significato a Commentatore Cruquiano in Horat. Epp. I, 15. Locus Virg. est Aen. XII, 396. ubi recte legitur: *usumque medendi*, quod ipsum Grammatico reddendum. — 2) *Rebus* addidi e Cod. Gu. *Ter. Eun.* 1. 2. 53. A. M. *Vidit* Cod. Gu. Apud Ter. est: *Forma videt honesta virg.* Fortasse legendum est *Forma — honestam*; sed cf. Bentl. ad hunc locum. — 3) Male apud A. M. legitur: *Sciente te faciam quidquid egero. Ter. Heaut.* 4. 8. 33. omissa formula. — 4) Hic articulus deest in Cod. A. M. Locum Sal. adde eius fragmentis. — 5) *Rebus* deest in Cod. A. M. *Sal Hist. II.* 2. A. M. Fragmm. II, 7. Gerl. Pro *militum* Cod. Gu. exhibet *multum.* Locus qui sequitur fragmentis Salustii recens accedit. — 6) Qui iam sequuntur integri quattuor articuli desunt apud A. M. Virg. Ge. IV, 267. Locus Salustii nunc primum evulgatur. — 7) *Ter. Eun.* Non est Eunuchi, sed Heaut. locus II, 1, 13. ubi vide Bentleium. — 8) Apud Ter. Eun. V, 8, 6. legitur *Scis sponsam mihi.* Phorm. IV, 3, 52. *Quae sponsa est mihi.* Fortasse legendum apud Grammaticum: *Sponsam mihi scis*, in exemplo quidem. — 9) Virg. Aen. VIIII, 581. Formula quae sequitur sic comparata est in Cod. Gu. *Stat adest favet n. p.*, quod sine mora corrigendum erat: *Stat hac id est favet n. p.* Tum in exemplo legitur: *Iupiter adstat*, quod pariter haud cunctanter correxi. Ceterum apud Virg. XII, 565. est: *Ne qua meis esto dictis mora; Iupiter hac stat.* — 10) *Virg. Aen. IIII.* 634. A. M. — 11) Haec formula cum exemplo suo deest apud A. M. Pro verbis: *pulcherrima nisu Sistit* in Cod. Gu. est: *pulcherrimi insistit*, quod non dubitavi corrigere. Locus est Aen. XI, 853. — 12) *Idem Ecl. VI.* 20. A. M. Notat ad hunc demum locum A. M. in Codice suo semper laudari Virgilii Bucolica, sed sibi commodius visum, citare Eclogas. Ea non est fides, quae decet Editorem principem. — 13) Deest hic articulus apud A. M. Locus est Virg. Ecl. IX, 21. — 14) *Subligat illi*, om. *parti*, Cod. A. M. Idem Aen. VIII, 549. A. M. *Tegeum* Cod.

Securus huius rei. Virg. Aen. VII.[18]: *Securi pelagi atque mei.*

Siccus hac re. Virg. Aen. VIII.[19]: *Et siccum sanguine guttur.*

Sacer Deo illi. Virg. Aen. XII.[20]: *Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris.*

Sparge illud[21]. Virg. Buc.: *Sparge, marite, nuces.* Sparge illo illud. Cic. pro Cluent.: *Guttam aspergit huic bulbo.*

Sentio de te bona. Cic. in Catil. III.[22]: *Qui omnia de Rep. praeclara atque egregia sentiret.* Sensi crimen ex illo[23]. Cic. pro Syll.: *Addidit me idcirco mea lege ex illo ambitu sensisse.*

Statuo illum capite in terram[24]. Terent. Adelph.: *Sublimem medium abriperem et capite primum in terram statuerem.*

Spectatus ab aetate[25]. Virg. Aen. IX.: *Neve haec nostris spectentur ab annis.*

Sancio peccatum supplicio[26]. Cic. pro Sylla: *Noli observantiam sancire poena.*

Sitiens illius rei. Cic. pro Sylla[27]: *Sitientem me virtutis tuae.*

Sub praepositio geminata[28]. Idem de praetura urbana: *Sub imperium P. R. ditionemque subiunxit.*

Subsedit illam rem. Virg. Aen. XI.[29]: *Devictam Asiam subsedit adulter.* Subsedit hac re[30]. Idem Aeneid. V.: *Galeaque ima subsedit Acestes.* Subsedit in hoc loco. Cic. pro Milone[31]: *Subsedendum aliquo in loco Miloni.*

T.

Tenus hac re. Virg. Aen. II.[32]: *Capulo tenus.* Idem Aen. III.: *Pube tenus.* Cic. pro Deiotaro: *Tauro tenus regnare iussus.* Tenus huius rei[33]. Virg. Georg. III.: *Et crurum tenus a* [546]

A. M. *Tegaeum* Cod. Gu. *Tegeaeum* apud Virg. quod rescripsi. — 15) Deest hic articulus apud A. M. Virg. Georg. III, 167. ubi est *Cervici subnecte.* — 16) Hic quoque articulus deest apud A. M. Locus est Virg. Aen. III, 36. ubi *visus* editur. — 17) *Rem* deest in Cod. Gu. *Idem Ge. II.* 384. A. M. *Utros* mendose legitur in Cod. A. M. — 18) *Rei* deest in Cod. *Idem Aen. VII.* 304. A. M. *Atque mei* addidi e Cod. Gu. ubi *atque mihi.* — 19) *Siccus huc* Cod. A. M. omisso v. *re. Idem VIII.* 261. A. M. — 20) *Deo* omittit Cod. A. M. Idem XII, 766. *Amoris* Cod. A. M. — 21) Proximae duae formulae desiderantur in Cod. A. M. Virg. Buc. VIII, 30. Locus Cic. est orat. pro Cluent. c. 26, 71. — 22) *Cic. in Cat. III.* 2. A. M. *Quod omnia* Cod. A. M. Recte *Qui omnia* Cod. Gu. cum edd. Cic. — 23) Haec formula cum exemplo suo deest in Cod. A. M. Locus Ciceronis est orat. pro Plancio c. 34, 83. ubi legitur: *mea lege exsilio sanxisse.* Sed conf. Garatonium apud Wunderum ad hunc Cic. locum. — 24) *Statuo in illam* Cod. A. M. *Ter. Adel.* 3. 2. 18. A. M. *Sublimen* Cod. A. M. — 25) Haec quoque formula cum exemplo suo deest in Cod. A. M. Virg. Aen. IX, 235. — 26) Etiam hic articulus deest apud A. M. Locus Cic. est pro Plancio 19, 47. — 27) *Siciens* hac scriptura utrobique Cod. A. M. *Rei* addidi e Cod. Gu. Tum *Cic. pro Sylla* Cod. uterque, sed indicante Maio locus legitur in orat. Planciana c. 5. — 28) Voc. *praepositio* addidi e Cod. Gu. *Idem de Praetura urbana* 21. A. M. *Cic. de Imp. Pomp.* Cod. Gu. Similis formula saepe apud Ciceronem legitur, quapropter credibile est, Grammaticum memoria falsum, citasse ex Maniliana, quod ex Verrinarum Act. II. lib. 1. citandum erat. Nam Angeli Maii epitomator haud indoctus de suo mutasse videtur loci notam. Potest tamen fieri, ut, quod saepe factum vidimus, unum exemplum cum alterius nota omissum sit. — 29) *Rem* deest in Cod. A. M. *Virg. Aen. XI.* 268 A. M. — 30) Haec formula cum exemplo suo deest apud A. M. Virg. Aen. V, 498. — 31) *Subsedit in illo* Cod. A. M. *Cic. pro Milone* 19. A. M. Fortasse legit apud Ciceronem ita Grammaticus: *Sic Miloni — — subsidendum aliquo in loco atque exspectandum fuit.* Vulgo ibi desunt verba *aliquo in loco.* — 32) *Virg. Aen. II.* 553. A. M. *Et III.* 427. A. M. *Cic. pro Deiot.* 13. A. M. — 33) *Rei* addidi e Cod. Gu. *Virg. Georg. III.* 53. A. M. *Et*

mento palearia pendent. Idem Aen. X.[1]: *Cui laterum tenus hispida nanti Spumea caeruleos sub pectore murmurat unda.* Tenus hac, id est, hucusque. Virg. Aen. V.[2]: *Hac celebrata tenus sancto certamina patri.* Idem Georg. II.: *Hactenus arvorum cultus et sidera coeli; Nune te, Bacche, canam.*

Temperare huius rei. Terent. Phorm.[3]: *Rei foret aut infamiae temperans.* Temperat ab hac re. Virg. Aen. II.: *Temperat a lacrymis.* Temperat sibi a periculo. Idem Georg. I.: *Iam sibi tum a curvis male temperat unda carinis.* Temperat huic. Cic. de M. Marcello: *Animum vincere et iracundiam cohibere, victui temperare.*

Triumphat de illo. Cic. de Imperio Pompeii[4]: *Triumphavit Lucius Muraena de Mithridate.* Triumphat illud. Terent. Eun.: *Id vero serio triumphat.* Triumphatus, de quo triumphatum est[5]. Virg. Aen. VI.: *Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho Victor aget currum.*

Trepidus de hac re. Virg. Aen. VI.[6]: *Corripit hic subita trepidus formidine ferrum Aeneas.* Trepidus huius rei[7]. Idem Aeneid. XII.: *Illae intus trepidae rerum.*

Tolero illam rem[8]. Virg. Aen. VIII.: *Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva Impositum.* Sal. Catil.: *Quae primum ingentem sumtum stupro corporis toleraverat.*

Trado te in illam rem. Terent. Phorm.[9]: *Tradere hominem in otium.* Cic. Philipp. II.: *At tu te in disciplinam meam tradideras, domum meam ventitaras.* Trado te illi[10]. Virg. Aen. XI.: *Tradit equum comiti.*

Tremit illam partem[11]. Virg. Georg. III.: *Micat auribus et tremit artus.* Tremit illud pro timet[12]. Idem Aen. III.: *Sonitumque pedum vocemque tremisco.* Tremit illa. Idem Aen. VII.[13]: *Tartaream intendit vocem, qua protinus omne Intremuit nemus.*

Tenax huius rei. Virg. Aen. IV.[14]: *Tam ficti pravique tenax.*

crurum Cod. Gu. *Et* omisit A. M. — 1) *Idem Aen. X.* 210. A. M. Verba: *Spumea caeruleos — — unda* et interposita desunt in Cod. A. M. Sed excidit etiam tertius versus, his interpositus: *Frons hominem praefert, in pristim desinit alvus.* — 2) Hoc exemplum deest apud A. M. Locus est Virg. Aen. V, 603. Tum *Idem Georg. II.* 1. A. M. Verba: *Nunc te, Bacche, canam* accesserunt e Cod. Gu. — 3) *Ter. Phor.* 1. 5. 41. A. M. *Aut famae* legitur apud Terentium. Tum pro verbis *Temperat ab hac re* apud A. M. leguntur *Et ab hac re*, uncis inclusa. *Virg. Aen. II.* 8. A. M. *Virg. Aenead. V.* Cod. Gu. *Temperat* Cod. uterque, sed *temperet* apud Virg. Praepositio *a* in exemplo deest Cod. Gu. Quae abhinc in hoc articulo sequuntur, desunt in Cod. A. M. Loci sunt: Virg. Georg. I, 360. ubi *a* praep. ab aliquot edd. omittitur; Cic. pro Marcello cap. 3. ubi editur: *Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare.* Apertum est, Grammaticum voluisse *victoriae temp.* quod ipsum Ciceroni reddendum esse iudico. — 4) *Cic. de imp. Pomp.* 3. A. M. Id est pro lege Manil. c. 3. *Murena* Cod. A. M. Tum pro *Triumphat illud* Cod. A. M. *Et illud. Ter. Eun.* 3. 1. 3. A. M. *Vero* omiserat A. M. qui in Cod. suo pro *serio* invenit *servo.* — 5) *De quo serio triumphatum est* Cod. Gu. male repetita ex supp. voce *serio. Virg. Aen. VI.* 837. A. M. *Capitolio* Cod. A. M. Verba *Victor aget currum* accesserunt e Cod. Gu. — 6) *Trepidus hac* A. M. *Idem in eodem* 290. A. M. Verbum *Corripit* addidi e Cod. Gu. — 7) *Rei* deest in Cod. A. M. *Idem XII.* 589. A. M. — 8) Integer hic articulus deest in Cod. A. M. Locus Virg. est Aen. VIII, 409. Sal. Cat. cap. 24, 3. de cuius loci vera explicatione adeas Kritzium in nuperrima Salustii editione, qui eius generis multa praeclare tractavit. Legitur autem apud Salustium: *Quae primo — toleraverant.* — 9) *Rem* deest in Cod. A. M. *Ter. Phor. Prol.* 2. A. M. ubi plerumque editur *Transdere*, male. Tum Cic. Phil. II, 2. *Ac tu te* Cod. A. M. *At enim te* est in edd. Cic. Verba: *domum meam ventitaras* adieci e Cod. Gu. — 10) Formula haec cum exemplo súo deest in Cod. A. M. Locus est Virg. Aen. XI, 710. Cod. Gu. exhibet *Tradite ecum comiti*, sed *c* in *ecum* transscriptum. — 11) *Partem* deest in Cod. A. M. *Virg. Ge. III.* 84. A. M. — 12) *Pro timeo* Cod. A. M. *Idem Aen. III.* 648. A. M. *Sonitumque pe-*

Transscribo illi[15]. Virg. Aen. V.: *Transscribunt urbi matres.* Idem Aen. VII.: *Et transscribis sceptra colonis.*

Tibi factum pro a te. Virg. Aen. VI.[16]: *Nihil o tibi, amice, relictum.*

Transformat in faciem. Virg. Aen. VII.[17]: *In cultus sese transformat aniles.* [547]

Taedet harum rerum[18]. Terent. Eun.: *Taedet cotidianarum me formarum.* Sal. Iug.: *Dum me civitatis morum piget taedetque.*

Transductus illam rem[19]. Salust. Hist. II.: *Parco legio flumen transducta castra dilatavit.*

Traducor ad hoc faciendum[20]. Cic. in Divinat.: *Qui me ad defendendos homines ab adolescentia dedissem, tempore atque officio coactus ad accusandum traducerer*

Transmitto illa re. Salust. Hist. II.[21]: *Suos Equites hortatus vado transmisit.*

Truncus huius rei. Virg. Georg. IV.[22]: *Et visenda modis animulia miris Trunca pedum primo.*

V.

Utor illo. Virg. Aen XII.[23]: *Utere sorte tua.* Utor illud. Terent. Adelph.[24]: *Mea quae praeter spem evenere, utantur, sine.* Idem Andria[25]: *Quae convenere, in Andriam fatetur transtulisse atque usum pro suis.* Idem Heaut.[26]: *Quod illis aetas mira ad haec utenda idonea est.* Cicero Sicil.[27]: *Quae bona is qui testamentum fecerat aliquando antequam est mortuus, huic Heraclio omnia utenda ac possidenda tradiderat.*

Vacuus hac re[28]. Salust. Hist. I.: *Vacuam istam urbibus militari aetate.* Cic. Philipp. I.: *Vacui metu esse debemus.* Vacuus ab hac re. Idem[29]: *Ab odio, amicitia, ira, misericordia vacuum esse decet.* Vacuus illius rei. Sal. Iug.: *Uter frugum vacuos*[30]. Vacat hac re. Virg. Aen. III.: *Hoste vacare domos.*

dumque vocemque mendose Cod. Gu. — 13) *Idem VII.* 514. A. M. Pro *Intremuit* apud Virg. editur *Contremuit.* — 14) *Rei* deest in Cod. A. M. *Idem IIII.* 188. A. M. *Tum* deest in Cod. Gu. — 15) Articulus hic recens accessit e Cod. Gu. Virg. Aen. V, 750. Alter locus est Aen. VII, 422., ubi est: *Et tua Dardaniis transscribi sceptra colonis.* — 16) *Idem VI.* 509. A. M. *Relictum est* Cod. Gu.; sed *est* abest in Cod. Gu. et edd. Virg. — 17) *Idem VII.* 416. A. M. *In voltus* apud Virg. editur. — 18) Deest hic articulus apud A. M. Ter. Eun. II, 3, 6, ubi est *quotidianarum harum form.*; idemque videtur voluisse Grammaticus. Sal. Iug. c. 4. edd. Cort. Gerl. — 19) Etiam haec formula cum exemplo suo deest apud A. M. Locum Salustii, qui corruptus est, adde huius fragmentis. — 20) Etiam haec elocutio cum exemplo accessit e Cod. Gu. Ciceronis locus est Div. in Caec. c. 2, 4. — 21) *Sal. Hist. II.* 9. A. M. Fragmm. II, 49. Gerl. *Suo* Cod. Gu. — *Transmittit* edebatur ante A. Maium. — 22) *Virg. Ge. IIII.* 310. A. M. *Et visenda* desunt in Cod. A. M. *Primo* deest in Cod. A. M. — 23) Haec elocutio cum exemplo suo desideratur apud A. M. Locus est Virg. Aen. XII, 932. — 24) *Ter. Adel.* 5. 3. 29. A. M. *Utentur* Cod. A. M. *Sine* om. idem. — 25) Exemplum hoc deest in Cod. A. M. Ter. Andr. Prol. 13. *Convenire* Cod. Gu. — 26) Etiam hoc exemplum desideratur apud A. M. Locus est Heaut. I, 1, 81. ubi legitur: *Quod illa aetas magis ad haec utenda idoneast.* Fortasse Gramm. pro *magis ad haec* legit: *mire ad haec.* — 27) *Cic. in Sicil.* 18. A. M. *Heracleo* Cod. A. M. Sed *Heraclio* Gu. cum edd. apud Cic. Ceterum verba: *Quae bona is qui testamentum fecerat aliquando antequam est mortuus, huic* desunt in Cod. A. M. Apud Ciceronem l. c. paucis mutata leguntur: *Quae bona is, qui testamentum fecerat, huic Heraclio, ante aliquando, quam est mortuus, omnia utenda ac possidenda tradiderat.* — 28) Deest hic omnis articulus apud A. M. Salustii locus eius fragmentis est adiiciendus, fortasse sic legendus: *Vacuam istam urbem hominibus militari aetate.* Ciceronis locus legitur Philipp. I, 10, 25. — 29) *Idem* mendose Cod. Gu. Locus est e Bello Cat. c. 51. ex orat. Caesaris init. *Vacuos* est apud Sal. — 30) Apud Sal. Iug. c. 90. edd. Cort. Gerl. haec leguntur: *Ager autem aridus et frugum vacuus.*

Usque sub illam rem[1]. Virg. Georg. I.: *Usque sub extremum brumae intractabilis imbrem.*
Victus illa re[2]. Virg. Aen. XII.: *Victus amore tui, cognati sanguine victus.*
Urbs et nomen plurale subiunctum[3]. Virg. Aeneid. X.: *Quique urbem liquere Cosas.* Cic. de Signis : *Urbem Syracusas maximam esse Graecarum.*
Volutans suis genibus[5]. Virg. Aen. X.: *Genua amplectans genibusque volutans Haerebat. Genua advolvebantur.* Idem.

Locus Virg. est Aen. III, 123. — 1) *Usque sub*, omm. *illam rem*, Cod. A. M. *Virg. Ge. I.* 211. A. M. *Intrectabilis* Cod. A. M. — 2) *Re* deest apud A. M. *Idem Aen. XII.* 29. A. M. Verba: *Victus amore tui* desunt apud A. M. *Victus amor — cognati* (sic) Cod. Gu. Apud Virg. est *cognato.* — 3) *Urbs et nomini plurali subiunctum* Cod. A. M. male. *Idem X.* 168. A. M. *Quibus urbem* Cod. uterque. Recte iam A. M. rescripsit *Quique. Casas* Cod. Gu. *Eoas* Cod. A. M. — 4) *Cic. de Signis* 52. A. M. In Verr. Act. II. lib. IV, 52. *Graecorum* Cod. A. M. *Graecarum urbium* editur apud Cic. — 5) Etiam extremus hic articulus deest apud A. M. Loci duo Virgilii in unum coniuncti videntur. Aen. III, 607. *Genua amplexus genibusque volutans Haerebat;* et Aen. X. 523. *Et genua amplectens* cet. Nisi forte *Genua amplectans* nihil est nisi error librarii. Cuiusnam autem sit locus tertius *Genua advolvebantur*, cuius formulae aliquot exempla apud plures leguntur scriptores, pro certo dicere non possum. Virgilii non est, neque esse potest. Omnino etiam in Codice Gud. finis libri mutilatus videtur.

MAXIMI VICTORINI

LIBELLI TRES:

DE RE GRAMMATICA. DE CARMINE HEROICO. DE RATIONE METRORUM.

PRAEFATIO EDITORIS.

Sequitur iam Maximus Victorinus, de cuius vita ac scriptis haud admodum plura constant, quam de Arusiano Messo. Nominat in primo libello in segmento de verbo sub finem Donatum; in altero autem libello, in segmento de generibus carminis dactylici ait: *Nostra memoria Lactantius de metris Pentameter, inquit, et tetrameter.* Lactantium Firmianum de metris scripsisse non constat; nisi forte intelligitur liber, qui teste Hieronymo in catalogo scriptorum ecclesiasticorum inscriptus erat *Grammaticus.* In tertio vero opusculo *Albinus* de metris citatur, qui utrum sit idem *Albinus*, ad quem inscriptus est libellus Servii *centimetrum* dictus, necne sit, magnopere dubium est. Exstat etiam Symmachi ad Albinum quendam epistola lib. VIII, 25.

Duo priora, quae iam sequuntur opuscula, in Editione Adami Petri Bas. 1527. *Marii Victorini Afri* nomen prae se ferunt, qui potius est alter ille Victorinus, cuius opuscula in Putschiana collectione habentur. Tum in eadem Petri editione tertii opusculi, inscriptio *Maximi* praenomen exhibet, qua eadem inscriptione praeditus est ille libellus in Codice Bobiensi. Sed eadem regnat, ut mihi videtur, in omnibus his opusculis dicendi ratio, idem orationis tenor, eadem doctrina grammatica, quae haud admodum est insignis.

In emendandis autem his tribus opusculis duobus usus sum Codicibus et una Editione Adami Petri Basileensi, quam supra dixi. Codex, qui in duobus prioribus opusculis auxilium tulit, asservatur in bibliotheca Gothana, chartaceus, cuius conferendi negotium in se suscepit benignissime Dübnerus, Vir Clarissimus, in Gymnasio Gothano litterarum doctor publicus. Est ille Codex formae maximae numero 707. signatus, continetque permulta. Incipit a Carmine in novem Musas, quod in Anthologia Latina

legitur, cuiusque est initium: *Clio gesta canens.* Tum sequitur Horatii ars poetica; in fine est subscriptio: *Sebastianus Brant* 1470 vel 1476. Tum post Antonii Romani carmen sequitur Ovidii epistola Sapphus ad Phaonem. Deinde rursum aliquot Antonii Romani carmina, tum versus Leonini, qui dicuntur, de statu ebriorum, tum Cento Virgilianus Hieronymi Paduani de saeva Iudaeorum rabie et amara Christi passione. Postremo post aliquot plagulas vacuas plura Grammaticorum veterum scripta leguntur, inter quae etiam duo ista priora Victorini opuscula, quae tamen solum Victorini nomen prae se ferunt, nullo praenomine assignificato. Plus hic codex mihi attulit utilitatis, quam exspectaram. Nam permultas quidem exhibet interpolationes, sed ita apertas, ut dubitatio nulla oriri posset critico vel parum exercitato. Sed in complurimis locis unice veram Grammatici manum satis luculente ostendit, quibus in locis eum sequi non dubitavi.

Tertium vero opusculum, quod est de ratione metrorum, ex Codice Sancti Columbani Bobiensis integerrime restitutum prodit. Is Codex est idem, ex quo Claudium Sacerdotem proxime publici iuris faciet Vir Clarissimus Eichenfeldius, in bibliotheca Vindobonensi publica custos meritissimus. Vetustissimus ille Codex in huius opusculi fronte gerit inscriptionem hanc, quam in notis descripsi, ubi praenomen *Maximi* disertissime legitur. Recte igitur fecisse videtur Putschius, quod haec tria parvula opuscula Maximi Victorini nomine communiter insignivit.

Quanto emendatiora autem haec opuscula iam prodeant, quam ea apud Putschium habentur, iudicent alii. Ego scio, sic esse immutata, ut, si veram scripturam contineat mea recensio, Putschiana et omnes priores plane nullius amplius pretii esse possint. Scripsi in Gymnasio Zittaviensi Idibus Augusti cIↄIↄcccxxx.

MAXIMI VICTORINI [1937]

DE RE GRAMMATICA LIBER[1].

1. **A**rs uniuscuiusque rei est scientia. Artium genera sunt tria. Animi tantum, ut Poetice, Musice, Astrologia, Grammatice, Rhetorice, Iuris scientia, Philosophia[2]. Corporis, ut iaculatio, saltus, velocitas, oneris gestamen. Animi et corporis, ut ruris cultus, Palaestra, Medicina, Mechanice, Tectonice[3]. Quaedam sunt[4] ex his quas veteres aliis nominibus disgregaverunt[5], in *κακοτεχνίαν, ψευδοτεχνίαν, ματαιοτεχνίαν*[6]. *Κακοτεχνία* siquidem a malicioso fastu, in id quod persuadere[7] quaerit intenta, plerumque ad pervertendam nititur veritatem. *Ψευδοτεχνία* vero, quae animos hominum sensusque quadam specie veritatis illudit, veluti est pictorum et praestigiatorum[8]. *Ματαιοτεχνία*[9], quae difficiles quidem res, non tamen[10] usui necessarias, facit, veluti sunt sphaeropaectae[11], funambuli, caeterique huiusmodi.

De Grammatica[12].

2. Grammatica est scientia interpretandi poetas; et[13] recte loquendi scribendique ratio, dicta *ἀπὸ τῶν γραμμάτων*, id est, ab his literis, unde[14] incipere debet. Quidam eam a voce coeperunt; alii a literis; alii a syllabis; alii a casibus: nos autem a definitione[15], qui tanto melius utique incipimus, quam qui a voce[16], vel a literis incipiunt. Nam vox naturalis est, et sine Grammatica communis etiam cum imperitis.

1) *Marii Victorini Afri, viri eruditissimi, de Re Grammatica liber.* Pe. *Incipit liber Victorini* Cod. Goth. — 2) *Poeticae, Musicae, Astrologiae, Grammaticae, Rhetoricae, Iurisscientiae, Philosophiae* Putsch., cui consentiunt Go. et Pe. nisi quod Go. *philosophia* exhibet. Genitivus plane absonus. — 3) *mechanicae tethonicae* Cod. Go. *mechanice techtonice* Pe. — 4) *Quidam tamen ex his vet.* Pe. Putsch. *Quae sunt ex his quae vet.* Go. quorum emendatio facilis. — 5) *Discrepaverunt* Cod. Go. Graeca quae sequuntur in Cod. Go. Latinis litteris scripta sunt. — 6) *Metatecnia* Go. *μετατεχνία* Pe. Corr. Putsch. Tum in Cod. Go. sequuntur haec. *Kakot. quae est? oratoria, que* (sic) [quare] *kakotechnia siquidem* cet., quae sedulam interpolatoris manum satis arguunt. — 7) *Persuaderi* Pe. Putsch. Recte activum tuetur Go. — 8) *Praestrigiatorum genus* ex interpretatione Go. — 9) *Metatechnia* Go. *μετατεχνία* Pe. — 10) *Non tam* Pe. Go. — 11) *Spiropatae* Putsch. *speropecte* Go. ex quo facilis fuit emendatio *sphaeropaectae* i. e. *σφαιροπαίκται*. Vocem Graecam plane omisit Pe. Ceterum Cod. Go. *ut puta veluti*, quae ubertas debetur interpolatori. — 12) Haec inscriptio deest in Pe. et Putsch. Maiusculis litteris rubris eam exhibet Go. — 13) *poetas; aut* Putsch.: *Poetas atque Historicos ut* Pe. *poetas atque historias et* Go. Interpolatoris vestigia aperta sunt. Tum *scribendi loquendique* Pe. Putsch.; meliorem ordinem praebuit Go. — 14) *A quibus* Pe. Putsch. — 15) *A divisione* Pe. *A diffinitione qui tñ melius* Go. — 16) *Quam qui a definitione vel a litt.* Pe. Go. nisi quod Go. *diff.* Tum *incipimus. Nam* Pe. Go. Error debetur aberranti librarii oculo, qui superiora repetiit.

3. Grammaticae[1] officia sunt quatuor, lectio, enarratio, emendatio, iudicium. Lectio quidem est secundum accentus ad sensum necessitatemque pronunciatio[2]. Enarratio est secundum Poetae voluntatem uniuscuiusque discretionis explanatio. Emendatio est errorum apud Poe- [1938] tas, et figmentorum reprehensio[3]. Iudicium est bene dictorum comprobatio.

De Lectione.

4. Partes lectionis sunt quatuor, accentus, discretio, pronunciatio, modulatio. Accentus est uniuscuiusque syllabae pronunciandi[4] in sono qualitas. Discretio est confusarum significationum perplana significatio. Pronunciatio est scriptorum per personas accommodata[5] distinctione similitudo, ut puta cum aut senis temperamentum, aut iuvenis protervitas, aut feminae[6] infirmitas, aut qualitas uniuscuiusque personae ostendenda est, et mores uniuscuiusque habitus exprimendi sunt. Modulatio est continuati sermonis in iucundiorem dicendi rationem artificus flexus[7], et in delectabilem auditus formam conversus, asperitatis[8] vitandae gratia.

De Definitione.

5. Definitio est oratio quae id de quo quaeritur aperte describit et determinat, veluti si[9] quaeras a me, *quid sit homo;* respondebo: *animal rationale, morale*[10], *risus capax.*

De Latinitate.

6. Latinitas est observatio incorrupte[11] loquendi secundum Romanam linguam. Constat autem tribus modis: ratione, auctoritate, consuetudine. Ratione, secundum technicos, id est, artium traditores. Auctoritate, veterum scilicet lectionum[12]. Consuetudine, eorum quae [1939] modo loquendi usu placita assumptaque sunt.

De Voce.

7. Vox est aer ictus sensibilis, qui auditur quantum in ipso est. Vocis vero species sunt duae; articulata, et confusa. Articulata, quae hominum tantum est[13], unde articulata dicta est, quod articulo scribentis comprehendi possit. Confusa, quae scribi non potest, veluti[14] ovium balatus, equi hinnitus, bovis mugitus, et aliae nonnullae voces sunt[15]. Sonos quoque omnes appellamus voces, ut fluctus qui a litore audiuntur.

1) *Grammatici* Putsch. — 2) *Ad sensum necessitatemque pronunciatio* Pe. Putsch. quae vera lectio esse videtur. *Ad sensuum necessitatem propria pronunciatio* Cod. Go. Non usitatus est pluralis numerus voc. *sensus* hac significatione; et v. *propria* plane est supervacaneum, quapropter etiam haec ubertas interpolatori deberi videtur. — 3) *Deprehensio* Pe. Putsch. — 4) *Pronuntiandae* Pe. Putsch. non recte. Est enim *pronunciandi qualitas* pro una notione sive pro una voce, a qua pendet genitivus *syllabae.* Igitur Cod. Go. obtemperandum duxi. — 5) *Accommodatas* Pe. Putsch. male. *accommodata* Go. — 6) *Vel feminae* Putsch. *Vel foeminae* Pe. *Aut senis vel feminae,* ex qua lectione *aut* pro *vel* recepi. — 7) *In iucundiores dicendi rationes artificis flexus* Pe. Putsch. *In iocundiorem dicendi rationem artificus plexus,* Go., ex quibus emendari facile potuit locus. — 8) *Acerbitatis* Pe. Putsch. *Asperitatis* Goth. quod verum. — 9) *Ut puta veluti si* Go. — 10) *Mortale* Goth. Pe. Putsch. Sed recte monuit Dübnerus ad hunc locum, *mortalitatis* notam iam animali inesse, quapropter *morale* legendum censuit, quod recepi. Tum *capax risus* Cod. Go. — 11) *Incorruptae* Go. Vide supra 1. not. 1. — 12) *Lectione* Pe. Putsch. Statim in Go. *Quid consuetudine? Eorumque verborum medio loquendi usu.* Igitur v. *doctorum* a Cod. abest, recte; nam *doctorum usus* non est con-

De Casibus.

8. Casus sunt quaedam declinationes, inde sic dicti[16], quod per eos pleraque nomina a prima sui positione inflexa varientur, et cadant[17] pleraque, non tamen omnia. Sunt enim quaedam vocabula, quae per casus flecti non possunt, veluti *nugas*, *frugi*, *nihili*. Declinationis casus sunt sex: nominativus, genitivus, dativus, accusativus, vocativus, ablativus. Sed si a cadendo casus dicti sunt, nominativus casus recte dici non potest, qui adhuc in suo statu est, nec a prima sui positione cecidit, quo fit ut a genitivo casus esse incipiant. Ac per hoc iam quinque sunt. Quamvis non aliter nominativum quoque casum dicere possumus, quam ut in gradibus, quos[18] descendimus, illum etiam, qui in summo est, gradum dicimus, cum alioqui superiori planiciei[19] aequalis sit, nec fiat gradus nisi depressione sequentis, quo exemplo per genitivum, in quem cadit, nominativus quoque iam casus est. Addunt etiam nonnulli, quamvis sine nomine, septimum casum[20]. Septimus casus est, qui quasi speciem ablativi habet, nec tamen ablativus est; quippe ipse per accusativum liquidius[21] explicatur, veluti cum dicimus: *nos terra vel mari* [1940] *vectos;* non utique a terra vel mari, sed per terram, vel per mare. Ex quo sensu est:

— *multum ille et terris iactatus et alto*[22].

9. Genitivi casus regula est: genitivus singularis nunquam a nominativo suo[23] minor est. Itaque aut totidem syllabis constare debet, quot et nominativus eius, aut etiam una syllaba excedere. Totidem syllabis, ut Virgilius Virgilii, Terentius Terentii; et ob id geminata est *i*[24], quoniam una excedere debet, ut Hector Hectoris, Nestor Nestoris. Nullus nominativus invenitur, qui etiam duabus syllabis accrescat in genitivo. Incidunt quaedam contra supradictam rationem[25], sicuti[26] est anceps ancipitis, praeceps praecipitis, biceps bicipitis, supellex supellectilis.

10. Ablativi regula est: ablativus singularis exceptis quibusdam nominibus aptotis, nequam et nugas, una ex quinque vocalibus terminatur. Quaecunque igitur nomina ablativo casu[27] singulari *a* vel *o* fuerint terminata, genitivum pluralem in *rum* syllabam mittunt, dativum et ablativum in *is*, ut puta ab hac tabula, harum tabularum, his et ab his tabulis[28]; ab hoc docto, horum doctorum, his et ab his doctis. Quod si *e* vel *i* vel *u*[29] fuerint terminata, correpta litera in ablativis, genitivum pluralem in *um* vel in *ium*[30] syllabas eiiciunt, ut puta ab hoc codice codicum, pariete parietum, item rupe rupium, stirpe stirpium, nocte noctium. Simili quoque modo *i* aliquando in *um* syllabam[31] iacit, ut vigili vigilum[32], pugili pugilum; item agili agilium, facili

suetudo. Cetera ubertas in Cod. interpolatori tribuenda; *verborum* ab interprete ad *eorum* ascriptum fuit, *medio* ex *modo* corruptum. — 13) *Tantummodo* Go. omisso *est.* Saepe *est* et *modo* similibus compendiis scripta confunduntur. — 14) *Ut puta veluti* Go. Sic fere semper. — 15) *Mugitus bovis et nonnullae aliae voces sunt* Go. *Sunt* abest a Pe. et Putsch. — 16) *Unde dicti* Go. ab eo, qui interrogationis formulas adhibendas putabat. — 17) *Varientur et cadunt* Go. — 18) *Quam in gradibus per quos* Pe. Putsch. *Ut* addidi e Cod. Go. *Per* omisi ex eodem. — 19) *Alio quia superiore planitiae.* Cod. Go. — 20) Hic sequitur in Go. et Pe. inscriptio: *De septimo casu*, quam cum Putschio omisi. — 21) *Lucidius vel liquidius* Go. *Lucidius* Pe. Putsch. Praeoptavi *liquidius*, qua eadem voce infra utitur in re simili Gramm. — 22) Virg. Aen. I, 3. — 23) *A suo nom.* Pe. Putsch. — 24) *Geminata est i i* Pe. Putsch. — 25) *Supra dictam* divisim scriptum apud Putsch. Coniunctim exhibent Go. Pe. — 26) *Ut puta sicuti* Go. — 27) *Casu* adieci e Go. — 28) *His et ab his tabulis* deest in Go. — 29) *Quodsi e aut i aut u* Pe. Pusch. — 30) *Um et ium* Pe. Putsch. *In um vel in i et um* Go. quod facile correxi. — 31) *Syllabam* adieci e Cod. Go. — 32) *Ut mugili mugilum* corrupte Pe. Putsch. *Ut hoc vigili vigilum* Go.

facilium[1]: dativum et ablativum in *bus*, ut his et ab his codicibus, parietibus, rupibus[2]. Ablativus quod si *e* produca fuerit, genitivum pluralem in *rum* iacit, ut ab hac specie, harum specierum, his speciebus. At vero si *u*, genitivum in *uum* tantummodo iacit, ut ab hoc fluctu, horum fluctuum; ab hoc curru, horum curruum; his et ab his fluctibus, curribus[3].

De Declinatione nominum. [1941]

11. Declinatio nominum secundum genera nota[4]. Maro, nomen[5] proprium, generis masculini, numeri singularis, figurae simplicis[6], casus nominativi et vocativi, quod declinabitur sic: hic Maro, huius Maronis, huic Maroni, hunc Maronem, o Maro, ab hoc Marone. Et pluraliter: hi Marones, horum Maronum, his Maronibus, o Marones, ab his Maronibus.

12. Musa, nomen appellativum, generis feminini, numeri singularis, figurae simplicis, casus nominativi et vocativi[7], quod declinabitur sic: haec Musa, huius Musae, huic Musae, hanc Musam, o Musa, ab hac Musa. Et pluraliter: hae Musae, harum Musarum, his Musis, has Musas, o Musae, ab his Musis.

13. Factum, nomen appellativum, generis neutrius[8], numeri singularis, figurae simplicis, casus nominativi, accusativi et vocativi, quod declinabitur sic[9]: hoc factum, huius facti, huic facto, hoc factum, o factum, ab hoc facto. Et pluraliter: haec facta, horum factorum, his factis, haec facta, o facta, ab his factis.

14. Parens, nomen appellativum, generis communis[10], numeri singularis, figurae simplicis, casus nominativi et vocativi, quod[11] declinabitur sic: hic et haec parens, huius parentis, huic parenti, hunc et hanc parentem, o parens, ab hoc et ab hac parente. Et pluraliter: hi et hae parentes, horum et harum parentum, his parentibus, hos et has parentes, o parentes, his et ab his parentibus.

15. Felix, nomen appellativum, generis omnis, numeri singularis, figurae simplicis, casus nominativi[12] et vocativi, quod declinabitur sic: hic et haec et hoc felix, huius felicis, huic felici, hunc et hanc felicem, et hoc felix, o felix, ab hoc et ab hac felice, vel felici[13]. Et pluraliter: hi et hae felices, et haec felicia, horum et harum et horum felicium, his felicibus, hos [1942] et has felices, et haec felicia[14], ab his felicibus.

1) *Facili faciliet: dat* Pe. — 2) Verba *Parietibus rupibus* accesserunt e Go. — 3) *Curribus* desideratur in Pe. et Putsch. — 4) *Genera nominum* Pe. Putsch. *Genera nota* recte Go. — 5) *Nomen* adieci e Go. — 6) Verba: *figurae simplicis* addidi e Cod. Go. — 7) *Nominativi, vocativi et ablativi* Pe. Putsch. Statim post *quod* omittunt Pe. Putsch. — 8) *Neutri* Pe. Putsch.; error ortus ex omisso compendio syllabae *us*, quod saepe fit. — 9) *Quod declinabitur* scripsi e Cod. Go. *Quod* om. Pe. Putsch. Tum *Nominativo hoc factum* Pe. Putsch. — 10) *Communis generis* Pe. Putsch. — 11) *Quod* addidi e Cod. Go. — 12) *Nominativi, accusativi et voc.* Pe. Putsch. — 13) *Et hoc felici* Pe. Putsch. Tum deest *Et* in Pe. et Putsch. — 14) *His et ab his f.* Pe. Putsch. — 15) *In communi* Pe. Putsch. Tum *ut puta* Pe. Putsch. *Ut puta veluti* Cod. Go. — 16) *Conceptus* Pe. male. Verba *unde dicta est oratio quasi oris ratio* aliena sunt et aliunde illata videntur. — 17) *Vel pendentis. Mora tribus.* Sic male distinctum in Pe. — 18) *Terminat, Finalis a nobis, τελεία a Graecis dictus hoc modo.* Pe. et Putsch. nisi quod *thesis* pro τελεία in Pe. Verba *et vocatur* interposui ex Go., qui in seqq. verba *dictus hoc modo*, quae aliena sunt, omittit. Idem Cod. pro τέλειος, quod de coniectura dedi, exhibet *thessis*. Θέσις apud Graecos dicitur ipsa distinctio. Cf. Donat. I, 6. — 19) *Et legendi* Go. male. — 20) *Μέσον* Pe. *μέση* Putsch. *HECE* Cod. Go. Huic voci subiungunt *hoc modo* Pe. et Putsch.

De Sententia.

16. Sententia est dictio generalis ad vitae emendationem in commune pertinens[15], veluti: *Ne quid nimis.* Oratio sermo est contextus[16] ad clausulam tendens; unde dicta est oratio, quasi oris ratio. Clausula est compositio verborum plausibilis structurae exitu terminata. Distinctio est apposito puncto nota finiti sensus, vel pendentis mora. Tribus[17] locis ponitur. Summo, cum sensum terminat et vocatur finalis a nobis, a Graecis[18] *τέλειος*. Medio, cum respirandi spacium legenti[19] dat, et dicitur *μέση*[20]. Imo ponitur, cum mora lectionis interruptum terminat tenorem, aut aliud adhuc illatura suspendit[21], et vocatur a Graecis[22] *ὑπεστιγμένη*, a nobis subdistinctio.

De Accentibus.

17. Accentus sunt, qui Graece *προσῳδίαι*[23] dicuntur, acutus, gravis, circumflexus. In omni parte orationis Latinae, item et Graecae aut acutum aut circumflexum poni necesse est, nec amplius quam unum, vel hunc vel illum. Nam gravis in pluribus ponitur. Acutus cum apud Graecos tria loca teneat, ultimam et ei proximam syllabam et antepenultimam; apud nos duobus tantum[24] locis poni potest[25]: aut in penultima syllaba, ut praelegístis; aut in ea, quae a fine est tertia, ut praelégimus[26]. Circumflexus, si pars orationis trium aut amplius fuerit syllabarum, non nisi in penultima locum[27] poterit invenire, ut perturbâre, docêre[28]. Monosyllabae quaecunque positione longae fuerint, acutum habebunt accentum, ut[29] píx, nóx, níx, múx, páx, fáx. Quando natura longae erunt, circumflexo accentu pronunciabuntur, ut dôs, rês, spês, môs, flôs[30]. [1943] In dissyllabis, si prior natura longa erit[31], et posterior correpta, prior circumflectitur, ut hôra, Rôma. Si posterior producta sit, prior, seu longa seu brevis sit[32], acuatur necesse est, ut léges, sálus. Et si ambae breves sint[33], acuetur prior, ut déus, hómo. In trisyllabis, aut his quae plures syllabas habent, si penultima brevis fuerit, quae eam praecedit, acuetur, ut Túllius, Horténsius. Deinde si penultima positione longa fuerit, ipsa habet acutum accentum, praecedentem enim gravem facit, ut Metéllus, Catúllus, Camíllus[34]. Si penultima naturaliter producta fuerit, ita ut ultima brevis sit, penultimam circumflectimus, ut Cethêgus, Románus. Si vero longa erit ultima, penultimae acutum dabimus accentum, ut Athénae, Fidénae[35]. Graeca nomina, si iisdem literis proferuntur, Graecos accentus habebunt, nam cum dicimus *Thyas*, *Nais*[36], acutum habebit posterior accentum; et cum Themisto, Calypso, Theano, ultimam circumflecti videbimus. Quod

— 21) Corruptum hunc locum ope Codicis restitui, ubi sic: *Imo ponitur cum inpono mora lect. interruptum terminat tenorem aut al. adhuc in latina susp.* In Pe. sic editum est: *Imo ponitur cum mora lect. interruptum terminat tenorem, ut aliud adhuc suspendat et vocatur.* In Putsch. excusum est: *Imo ponitur, cum mora lect. interrupto tenore aliud adhuc illatura suspendit*, quae lectio gravi laborat vitio, quod obiecti accusativus ad verb. *suspendit* desideratur. Voc. *inpono* in Cod. undecunque irrepserit, alienum est; *terminat* exhibet etiam Pe.; *in latina* ortum ex *inlatura.* — 22) *A Graecis ὑποδιαστολή* Pe. *A. Gr. ὑποστιγμή* Putsch. A Graecis *YIITECHEHEPA*, h. e. *ὑπεστιγμένη a*, ultima littera *a* ex sequentibus vv. *a nobis* huc traducta est. — 23) *Qui Graece Prosodiae* Putsch. *qui Graeci Pros.* Pe. *qui graecae προςωthiae* Go. — 24) *Tamen* Pe. — 25) *Quibus?* Go. Pe. Putsch. Ab interpolatore profectum. — 26) Accentuum signa addidi ex Pe. — 27) *Nisi penultimum locum* Pe. Putsch. — 28) *Perdocere* Pe. Putsch. — 29) *Ut* adieci e Cod. Go. — 30) Accentus addidi ex Pe. Similiter in seqq. — 31) *Faerit* Pe. Putsch. *erit* Go. — 32) *Sit* adieci e Cod. Go. — 33) *Fuerint* Pe. Putsch. *sint* Go. Paullo post *habebunt* pro *habent* Go. — 34) *Mètèllus*, *Càtúllus*, *Càmillus* Pe. — 35) *Athenae*, *Mycenae* Pe. Putsch. Accentus sunt ex Pe., ut supra indicavimus, recepti. — 36) Verba *Thyas*, *Nais* desunt in Pe. lacuna significata. *thila mays* Go.

utrumque Latinus sermo non patitur, nisi admodum raro, ut sola occurrit *ergo* coniunctio, in qua posterior circumflexa deprehenditur. Item adverbium *pone*, posteriore acutum recipit accentum, ne sit verbum. Forma acuti accentus per oblicum [1] in partem dexteram [2] scandit, ut: ´. Gravis accentus forma a sinistra [3] parte descendit, ut: `. Circumflexus transversa v litera notatur [4]: ^. Longus autem accentus transversa I litera, vel sic iacente: —. Brevis sursum spectat, ut: ᴗ. Sed in illis sonos, in his tempora dinoscimus; quare *δασεῖαν* et *ψίλην* [5], quibus Graeci utuntur, et nos praetermittimus; quoniam adspirationem nobis H litera, quae in duas partes dividitur: ⊦ ⊣, repraesentat, etsi apposita *H* sic erit [6]. His adiiciunt Hyphen [7], cum duo verba, quasi unum, pronunciatione colligimus [8], et formam eius hanc faciunt ‿, et utriusque verbi [9] proximas literas inflexa subter [1944] virgula iungunt, quale est:

> *Turnus ut ante‿volans* [10].

Diastole, dextra pars quaedam circuli, ad imam literam; hac nota male cohaerentia discernuntur, ut est:

> *Ereptae virginis › ira* [11]:
> *Viridique in litore conspicitur › sus* [12].

Item apostrophus sic notatur; ad caput eius consonantis, cui vocalis subtracta est, inflexam virgulam, quae ad eam [13] spectat, apponunt, ut:

> — *tanton' me crimine dignum*
> *Duxisti* [14]*?*

De Litera.

18. Altera est figuratio quaedam, qua [15] cum aliis adnexa, vox emissa comprehenditur. Phoenices primi literarum inventores fuisse traduntur; quamvis alii Assyrios, alii Mercurium apud Aegyptios asserunt. In Graeciam certe Cadmum Phoenicem sedecim [16] attulisse constat, *α β γ δ ε ι κ λ μ ν ξ π ϱ σ τ ω;* eis Troiano bello Palamedem addidisse quatuor, *η ψ φ χ*. Post eum Simonidem Melicum [17] totidem, *υ ζ ο ϑ*. Haec [18] autore Evandro, ut quidam volunt, alii vero Hercule

1) *Oblicum* scriptum in Go. *Obliquum* Pe. Putsch. — 2) *Dextram* Pe. Putsch. — 3) *A dextra* male Putsch. — 4) *Hoc modo* addunt Pe. Pusch. — 5) *Dasiam et psilen* Pe. Putsch. nisi quod Pe. *psylen*. Cod. Go. *acia et Cyιλε*, suprascriptis hic: Θασιαε — ψιλε. — 6) Haec sic leguntur in Cod. Go. *Quoniam adspirationem nobis apposita H litera, quae in duas partes dividitar H repraesentat etsi apposita H sic erit.* In Pe. leguntur sic: *Quoniam aspirationem apponimus H literae, quae in duas partes dividitur, etsi apposita H sic erit.* Quae sic emendasse sibi visus est Putsch. *Quoniam adspirationem nobis H litera, quae in duas partes dividitur, repraesentat, etsi apposita non erit.* Apparet, negationem in postremis plane esse absurdam. Sententia Grammatici haec esse videtur: *H* littera nobis est pro aspiratione. Ea littera dividitur in duas partes ⊦ ⊣; sed si apponitur, semper hanc formam habet: *H*. Ad hanc igitur sententiam locum correxi. — 7) *Hyphin* Pe. Go. fere semper. — 8) *Colligamus* Pe. Putsch. *Collegimus* Go. — 9) *Verba* Pe. Putsch. Go. Dedi *verbi*, quod sententia flagitat. — 10) Verba *Turnus ut* desunt in Pe. et Go. Locus est Virg. Aen. IX, 47. Cf. Donat. I, 5, 3. — 11) Locus est Virg. Aen. II, 413. Diastole in his apud veteres propterea necessaria iudicabatur, ne legeretur: *virgine — sira*, quod sonaret fere ut *virgine Syra*, neu pronunciaretur *conspicit ursus*. — 12) Locus est Virg. Aen. VIII, 83. — 13) *Ad eum* Pe. Putsch. Go. Sed sententia femininum postulat, quia v. *consonantem* respicit. — 14) Virg. X, 668. — 15) *Quia* Pe. Go. — 16) *Sedecim* Cod.

in Italiam a Pelasgis[19] allatae sunt. Tria accidunt unicuique literae, nomen, figura, potestas. Nomen literae est, quo appellatur, ut A. genere effertur neutro[20]. Figura quidem literae est, qua notatur. Potestas est, quae in ratione[21] metrica valet, cum aut producta, aut correpta est. Literarum species sunt duae, vocales et consonantes. Vocales sunt, quae per se efferuntur[22], et per se syllabam faciunt, id est, sine alterius adminiculo; quippe *b*, *c*, caeteraeque huiusmodi nisi consonent[23] proferri non possunt. Vocales sunt, quinque: *a*, *e*, *i*, *o*, *u*. *I* et *v* loco consonantium etiam ponuntur, quando aut ipsae inter se geminantur, aut cum aliis vocalibus iunguntur, veluti si sit in capite *v*[24]: *vorsus*, *virus*, *volvitur*. Quippe non poterit prima syllaba positione fieri longa, nisi sequens vocalis loco consonantis fuerit accepta, ut quidem suo loco docebimus[25]. Conso- [1945]
nantium species sunt duae, quaedam sunt semivocales, quaedam mutae. Semivocales sunt, quae per se[26] syllabam facere non possunt, quarum sunt septem: *f*, *l*, *m*, *n*, *r*, *s*, *x*. Ex his duplex est *x*: constat enim aut ex *g* et *s* literis, aut ex c et *s*[27], ut puta *rex*, *regis; pix*, *picis*. Quippe ante *x* literam, quae postea in compendium inventa est, *rex* per *gs*, item *pix* per *cs* veteres scribebant. Mutae sunt, quae ipsae per se proferri[28] non possunt, neque per se syllabam facere; quarum sunt novem: *b*, *c*, *d*, *g*, *h*, *k*, *p*, *q*, *t*. Duae ex his supervacuae videntur *K* et *Q;* quia *c* litera eorum locum possit explere. Verum has quoque necessarias orthographiae ratio efficit, quoties[29] *a* sequitur, ut per *K* scribendum sit, ut kanna, kalendae, Karthago; quoties *u*, per *Q*[30], ut quoniam, Quirites; quoties reliquae vocales per *c*, ut certus, civis, commodus[31]. H vero existimatur adspirationis nota, veruntamen litera est. Literae peregrinae sunt Z et Y[32], quae peregrinae a nobis propter Graeca quaedam nomina[33] assumptae sunt, ut Hylas, Zephyrus ; quae si non essent, Hoelas, et Sdephirus[34] diceremus; quarum *y* inter vocales habetur, inter mutas z duplex, quae loco duarum consonantium apud nos fungitur, nec aliter metri ratio constare potest in illo versu:

— *ubi est Mezentius*[35].

Siquidem *Me* brevis est syllaba, verum excipitur a duplici *z*, quae si assumpta non esset, per *s* et *d Mesdentium* scriberemus. Literis tredecim[36] finiuntur extremae partes nominum, vocalibus quinque[37], et semivocalibus sex, et mutis duabus. Ideo autem semivocales sex, cum alioqui sint septem, quia[38] nullum nomen Latinum in *f* literam exit. Sunt autem[39]: *a*, *e*, *i*, *o*, *u*, *l*, *m*, *n*, *r*,

Numeri signum exhibent Pe. Putsch. — 17) *Simonidem Elegum* Pe. Putsch. mendose; non enim dicitur poeta *elegus*, sed *elegiacus*. Cod. Go. *meligum*, in quo latere *Melicum* recte vidit Dübnerus. — 18) *Hae* Pe. Putsch. — 19) *A Faliscis* Pe. *A Pilascis* Go. — 20) His subiungit Go. haec: *ut quidem omnes literae sunt*, *cum dicimus*, *deesse unum a vel unum b*. Quae interpolatori debentur. — 21) *Qua ratione* Pe. Putsch. *Quae in ratione* recte Go. — 22) *Proferuntur* Go. — 23) *Huiusmodi consonae prof.* Pe. Go. Lectio, quam dedimus, Putschio debetur, quae undecunque est, vera videtur. Statim pro *non possunt* Go. *nequeunt*. — 24) *Veluti si sit in capite*, *ut vor.* Pe. Putsch. *Ut puta veluti* ut fere semper Cod. Go. Tum *ut* abest; sed desideratur ad superius verbum subst. *sit* subiectum, quod latet in *ut*, videlicet littera *u*, quare scripsimus: *si sit in capite v*, *vor.* — 25) *Edocebimus* Cod. Go. — 26) *Et per se* Go. — 27) Praepositionem adieci ex Go. — 28) Hoc ordine Go.; *proferri per se* Pe. Putsch. — 29) *Quotiens* ubique Go. — 30) *Scribendum* h. iterum loco addidit Go. — 31) *Certus*, *civis*, *commodus* Pe. Putsch. *Certus*, *comm. cinis* Go. — 32) *X*, *Z et Y* Pe. male. *Y et Z* Go. — 33) *A nobis* et tum *nomina* adiecta e Go. ubi est: *siquidem a nobis propter Graeca nomina adsumtae sunt et sumtae*, in quibus haud difficile est, interpolatoris manum dignoscere. — 34) *Depherus* Pe. Putsch. — 35) Virg. Aen. X, 897. ubi legitur: *Ubi nunc Mezentius*. — 36) *Tredecim* Go. *XIII.* Pe. Putsch. — 37) *Quinque vocalibus* Pe. Putsch. — 38) *Quia* Go. *quoniam* Pe. Putsch. — 39) *Sunt au-*

s, *x*, *c*, *t*, ut tabula, monile, frugi, ratio, genu, mel, scamnum, flumen, arbor, flos, nox, halec[1], caput.

De Syllabis.

19. Syllaba est litera vocalis, vel literarum coitus per aliquam vocalem com- [1946]
prehensus. Dicta est autem syllaba *ἀπὸ τοῦ συλλαβεῖν*[2]. Est enim syllaba *σύλληψις* quaedam literarum, id est, conceptio[3]. Qualitas syllabarum dividitur in duas species, in breves et longas; aut enim breves sunt[4] aut longae. Breves efficit correpta vocalis in syllaba. Tempora in brevi est unum[5], in longa duo. Longae syllabae duobus modis deprehenduntur, aut natura, aut positione. Natura, quinque modis; aut cum una vocalis producatur, ex qua dictio constat, ut *o dea*[6]: aut geminata, ut Eurylus: aut incipiens, ut *en:* aut terminans, ut *ne:* aut medio posita, ut *non.* Positione longae fiunt decem modis, aut cum correpta vocalis in duas desinit consonantes, ut *ars:* aut cum desinit in unam consonantem, et excipitur ab altera consonante, ut *arma*: aut cum excipitur a duabus consonantibus, ut *agri:* aut cum desinit in *x* literam duplicem[7], ut *nox:* aut cum excipitur a duplici, ut *nexus:* aut in *z*, quae apud Graecos duplex est, ut *Mezentius:* aut cum desinit in consonantem, et excipitur a vocalibus loco consonantium positis, *u* vel *i*, ut *arva*, *adiuvo:* aut cum correpta vocalis in vocalem desinit loco consonantis positam, excipiturque[8] a vocali loco consonantis[9] posita, ut

Maiior agit deus[10],

et:

Troiiaque nunc stares;

sic enim ista scribi per geminatam[11] *i* metri ratio deposcit: aut cum desinit correpta vocalis in consonantem, in qua pars orationis finitur: aut cum correpta vocalis ipsa per se partem orationis impleverit.

De Verbo.

20. Qualitas verborum est, qua quaeritur, finitum sit verbum, an infinitum. Finitum verbum est, quod habet[12] certum numerum, tempus certum, certamque personam, ut lego, scribo. Infinitum, quod nihil horum certum habet, ut legere, scribere; haec enim omnibus numeris, temporibus[13], personis, incerta sunt. Genera verborum sunt quinque: activum[14], passivum, [1947]
neutrum, commune, deponens. Activum est, quod *o* litera terminatur, et accepta *r* litera[15] facit ex se passivum, ut lego, legor. Passivum est[16], quod *r* litera terminatur, et deposita ea redit in

tem illae Pe. Putsch. — 1) *Allec* Go. — 2) Sic recte Pe. *Ἀπὸ συλλήψεως* Putsch. In Cod. Go. esse videtur: *ἀπὸ τοῦ συλλεμση*, quod videtur prave scriptum pro *συλλαμβάνειν*. — 3) Ita Cod. Go. et Putsch. *Literarum quaedam conceptio* Pe. His subiungit Putsch. *et quasi adsumptio*, quae interpolatori debentur. — 4) *Aut enim breves sunt* sic Go. *Sunt enim breves* Pe. Putsch. — 5) *In brevi syllaba tempora quot sunt? unum* Cod. Go. — 6) *Ut ait o Dea* Go. — 7) *Duplicem literam* Pe. Putsch. — 8) *Ecipiturque vocali* Pe. omissa praepositione. *Excipitur aequae a voc.* Go. — 9) *Consonantis loco* Pe. Putsch. — 10) *Maiior egit et est Troia quae* Go. *Maiior agit et est Troia quae* Pe. Emendavit Putsch. Locus Virg. est Aen. XII, 429. et Aen. II, 56. — 11) *Geminatum* Pe. Putsch. — 12) *Habuerit* Pe. Putsch. — 13) Hoc ordine Go. *Personis, temporibus* Pe. Putsch. — 14) Male in Go. *Activa, passiva, neutra, deponentia et communia.* — 15) Voc. *litera* accessit e Go. — 16) *Passiva sunt quae — terminantur — rediunt in activa* Cod. Go. licet antea

activum, ut legor, lego. Neutrum est, quod o litera terminatur, et non potest recipere[17] *r*, ut curro, vigilo, dormio. Eius significationes sunt duae, aut enim agendi vim habet, ut sedeo, curro; aut patiendi, ut algeo, vapulo. Commune verbum est, quod *r* litera terminatur, et agendi, et patiendi recipit[18] significationem, ut criminor te[19], et a te. Deponens est, quod *r* litera terminatur, et deposita ea Latinum non est, ut loquor, luctor. Deponens autem per[20] antiphrasin dictum est et per catachresin, quod *r* literam non[21] deponat. Huius quoque significationes sunt duae; aut enim agendi vim habet, ut loquor, aut patiendi, ut morior. Numeri verborum sunt duo: singularis, ut lego; pluralis, ut legimus. Figurae similiter sunt duae: simplex, ut lego; composita, ut relego. Totidem modis vero componuntur, quot et nomina. Ex duobus integris, ut describo. Ex integro et corrupto, ut expleo. Ex corrupto et integro, ut effero[22]. Ex duobus corruptis, ut sustineo. Personae verborum sunt tres. Prima, quae loquitur, ut lego. Secunda, ad quam loquitur, ut legis. Tertia, de qua loquitur, ut legit. Coniugationes verborum sunt tres. Prima, quae indicativo modo, tempore praesenti, persona secunda, *a* habet ante *s*, ut amo, amas. Secunda coniugatio, quae indicativo[23], tempore praesenti, persona secunda, *a* habet ante *s*, ut moneo, mones. Tertia coniugatio, quae *i* habet ante *s*, ut lego legis. Coniugatio forma quaedam est, in qua intelligitur, promissivus modus quomodo efferri debeat. Eam quaerimus in verbis activis, neutralibus, o litera terminatis, indicativo modo[24], tempore praesenti, persona secunda, ante novissimam literam. In passivo autem et communi et deponenti, quae *r* litera terminan- [1948]
tur, eodem modo et eodem tempore praesenti, et persona secunda ante novissimam syllabam. Prima et secunda coniugatio futurum tempus, id est, promissivum modum mittunt in *bo*, amo, amas, amabo; moneo, mones, monebo. Tertia coniugatio promissivum modum in *am* et *bo* syllabam mittit[25]; si correptam literam *i* habuerit, promissivum modum[26] in *am* syllabam mittit, ut lego, legis, legam; scribo, scribis, scribam. Quod si *e* correpta[27] fuerit, in *ar* syllabam iacit[28], ut legor, legeris, legar. Si producta *i* fuerit, promissivum modum in *am* et in *bo* iaciet, ut scio, scis, sciam et scibo. Terentius in Phormione:

Scies, Modo ut tacere possis[29].

Item in Heautontimorumeno:

Iam scibis cuius sis coniunx[30].

Hinc est etiam illud in Hecyra:

Matris servibo commodis[31].

Et in Milite Plauti:

Assentiendum est, quicquid hic mentibitur[32].

Ut autem sciamus, quando in secunda persona *i* correpta aut producta sit, in imperativo modo hoc

Activum est. — 17) *Accipere* Pe. Putsch. — 18) *Accipit* Pe. Putsch. — 19) *Criminor, osculor te* Pe. Putsch. Recte omissum *osculor* in Goth. De activo *crimino* cf. Priscian. VIII, 5, 25. Adde Donat. II, 12, 5. — 20) *Per* addidi e Cod. Go. — 21) Negandi particula omissa in Go. — 22) *Effero* scripsi e Go. *Offero* Pe. Putsch. — 23) *In indicativo* Go. Atque ita paullo ante: *quae in indicativo modo.* — 24) *In indicativo modo* Go. *modo indicativo* Pe. Putsch. — 25) *Gerit* Go. — 26) *Modum* addidi ex Go. — 27) *Correptum* Pe. Putsch. — 28) *Iecit* Go. Sic aliquoties variatum in Go. — 29) Terent. Phorm. I, 2, 9. seq. — — 30) *Iam* adieci ex Go. Locus videtur memoriter citatus. Nam apud Ter. Heaut. V, 2, 43. legitur: *Aut scibis, cuius sis* de patre. *Coniux* Pe. Pusch. — 31) Verba: *Hinc est etiam illud in* exhibet Go. Nam in Pe. legitur: *Et in Hecyra.* In Putsch. *Et Hecyra.* Tum *Matris* addidi e Go. ubi *maris.* Locus est Ter. Hecy. III, 5, 45. — 32) *Et in Milite Plautiat sentiendum* Go. Locus est Plauti Mil. I, 1, 35. ubi editur: *Et assentandum.*

adverte. Nam quoties correpta est *i*, detracta *s* litera *i* transibit[1] in *e*, ut lego, legis, lege; scribo, scribis, scribe. Quando autem producta est, perseverat in imperativo modo *i*, ut audio, audis, audi; servio, servis, servi. Modi autem sunt decem[2]: indicativus, promissivus, imperativus, optativus, coniunctivus, concessivus[3], infinitivus, impersonale, gerundi[4], hortandi modus. Addunt quidam percunctativum modum. Indicativus, ut lego: promissivus, ut legam: imperativus, ut lege: optativus, utinam legerem: coniunctivus, cum legam: concessivus, ut legerim: infinitivus, ut legere: impersonale[5], ut legitur: gerundi[6], ut legendo: hortandi, ut legamus: percunctativus, ut[7] legisne. Tempora verborum sunt tria, praesens, praeteritum, futurum. Praesens, ut lego: praeteritum, ut legi: futurum, ut legam. Praeteriti temporis[8] differentiae sunt tres: imperfectum, perfectum, plusquamperfectum, ut legebam, legi, legeram. Formae verborum sunt quatuor, meditativa, inchoativa, perfecta, [1949] frequentativa. Meditativa est[9], ut amaturio; inchoativa, ut fervesco, calesco; perfecta forma[10], ferveo, caleo, algeo; frequentativa, halito, cursito[11]. Defectiva vero sunt verba, quae cum declinantur[12], in genere vel tempore, vel coniugatione, vel persona, aut etiam uniformiter perdurare non possunt, et ob id defectiva dicuntur. Genere deficiunt verba, cum activa significatione, temporis praesentis[13], ad passivam speciem in praeterito transeunt, ut audeo, ausus sum; gaudeo, gavisus sum; soleo, solitus sum, et rel.[14]. Persona deficiunt, quae cum activa significatione, nisi adiuncto pronomine personam acceperint, declinari per se nequeunt, ut taedet, pudet, poenitet, piget, oportet, libet. Dicimus enim, taedet me, te, illum, nos, vos, illos et reliqua similiter. Sunt[15] alia impersonalia, quae a perfectis verbis descendunt, ut ab *eo* et *video*[16]; facit enim *itur* et *videtur*. Dicimus: itur a me, a te, ab illo, a nobis, a vobis[17], ab illis. Coniugatione deficiunt: fero, fers, fert; facit enim in praeterito *tuli*, nec apparet, quotae sit coniugationis, cum secundum formam supradictam indicativi modi nulla vocalis ante novissimam literam[18] *s* inveniatur. Modo sunt quae deficiunt: odi, novi, memini; oderam, noveram, memineram; quae sola duo tempora indicativo modo inveniuntur. Item cedo, cette, ecce, quae solum[19] imperativo modo deprehenduntur, caeteris modis deficientibus[20]. Sunt quae indicativo modo, tempore praesenti dissimilia, in praeterito similia fiunt, ut cerno, cresco, quae faciunt *crevi*[21]. Sed illa quoniam Donatus exposuit, ideo dimisimus.

1) *Transibit in e.* Hoc ordine Go. *In e tr.* Pe. Putsch. — 2) *Decem* addidi ex Go. — 3) *Infinitivus* additum ex Go. Addendum fuisse, seqq. ostendunt. — 4) *Gerendi* Pe. Putsch. — 5) *Impersonalis* Pe. Putsch. — 6) *Gerendi* Pe. Putsch. — 7) *Ut* additum ex Goth. — 8) *Temporis* omissum in Pe. Putsch. — 9) *Meditativa sunt* Pe. Putsch. — 10) *Est* h. l. iterum addit Go. — 11) *Halito* addidi e Cod. Go. ubi *alito*. — 12) *Declinentur* Pe. Putsch. Alienus est coniunctivus. — 13) *Praesentis temporis* Pe. Putsch. — 14) *Et rel.* addidi ex Go. — 15) *Illos. Similiter quae sunt.* Pe. *Illos. Similiter que sunt* Putsch. Nos dedimus lectionem Cod. Go. — 16) *Ut ab eo*, *quod est eo et video* Pe. Putsch. Formula *ab eo quod est* haud familiaris huic Grammatico. — 17) *A vobis a nobis* Pe. Putsch. — 18) *Literam* addidi e Cod. Go. — 19) *Item cedo, cede, qui solo* Pe. *Item c. cede, quae solo* Putsch. *Item cedo cete, ecce, quae solum in imp.* Go. Ex quibus *cete* in *cette* mutandum fuit et *in* praepositio omittenda. In eodem Cod. deest *modo* ante *deprehend.* — 20) Male *deficiunt* Pe. Putsch. Error ortus, quod v. *deficientibus* per compendium scriptum cum seq. *Sunt* in unum verbum coaluerat. *Sunt* deest in Pe. Putsch. Go. Sed Go. paullo post exhibet: *tempore praesenti sunt diss.* — 21) *Cerno, cresco, crevi* Pe. Putsch. *Cerno crescoque faciunt crevi*, quae veram Grammatici manum produnt. *Que* enim est *quae*. Post v. *crevi* haec leguntur in Cod. Go. *Item pellgo et pulleo faciunt et de participio similiter quomodo Donatus expossuit ideo dimisimus.* Quae orta sunt ex pravo additamento, commixto cum inscriptione sequentis capitis *De Participio*. Recte autem Dübnerus videtur coniecisse, sub illis monstris latere *polluo et polleo*, licet *pollui* a *polleo* non in usu fuerit. At hoc ipsum arguit manum interpolatricem. *Dimittimus* pro *dimisimus* Pe. Putsch. In iis, quae hodie Donati exstant, nihil tale legitur nisi forte intellitur locus lib. II, 12,

De Participio.

21. Sunt autem quaedam participia similia appellationibus, ut passus, iussus[22], cultus, quae discernuntur[23] declinatione. Nam quoties nomina sunt, in genitivo singulari in *us* syllabam exeunt[24], ut huius passus, iussus, cultus; dativo et ablativo in *i* et *u*, ut huic passui, ius- [1950] sui, cultui; et[25] ab hoc passu, iussu, cultu; item genitivo plurali in *uum*, ut horum passuum, iussuum, cultuum; dativo et ablativo in *bus*, ut his et[26] ab his passibus, iussibus, cultibus. Quoties autem participia sunt, genitivo singulari in *i* literam[27] exeunt, ut huius passi, iussi, culti: dativo et ablativo in o, huic et ab hoc[28] passo, iusso, culto. Item genitivo plurali in *rum*, ut horum passorum, iussorum, cultorum: dativo et ablativo in *is*[29], ut his et ab his passis, iussis, cultis[30]. Regno et vigilo cum verba neutralia[31] sint, faciunt in praeterito participio[32] passivo regnatus, et in futuro vigilandus, ut apud Virgilium:

Acri quondam regnata Lycurgo[33].

Et:

Quae vigilanda viris[34].

A poetis autem haec[35] figurata sunt, quae cum a verbo originem non habeant, utique non recte participia dicuntur. Participia nominativa seu nomina participialia[36] sunt, quae quasi speciem participiorum habent, ut comatus, galeatus, hastatus[37].

De Adverbio.

22. Adverbium est pars orationis, quae adiecta verbo significationem verbi manifestiorem et planiorem reddit[38], ut docte dixit, pulchre fecit. Nascuntur autem aut[39] a sua positione, aut ab aliis partibus orationis, ut heri, pridem, nuper. Ab aliis quidem trahuntur[40] partibus orationis, ut doctus docte, sapiens sapienter. Adverbiis tria accidunt[41], significatio, figura, comparatio. Significationis species sunt multae. Sunt enim quaedam temporis, ut heri, nuper[42]. Alia loci, quae quidem in quatuor species dividuntur: aut ad locum, ut huc, illuc; aut in loco, ut hic,

8. fin. — 22) *Visus* Pe. Putsch. atque ita in seqq. quotiescunque recurrit *iussus*. — 23) *Tantum* h. l. interponunt Pe. Putsch. *In decl*. Go. — 24) *Exit* male Pe. Putsch. *Syllaba exeunt* Go. — 25) *Et* additum e Cod. Go. Paullo ante *ut* ante *huic p.* deest in Go. — 26) Voculae *his et* additae ex Go. — 27) *In i littera exeunt* Cod. Go. *Litera* deest in Pe. Putsch. — 28) Verba: *Et ab hoc* addita ex Go. — 29) *Dativus et ablativus in bus*. Pe. Putsch. Pessime. *Dativum et ablativum in is* Go. Causam cur sic variatum in terminatione, male intellecta compendia praebuerunt. — 30) *Passis, iussis, cultis* recte Go. *passibus, cultibus, visibus* Pe. Putsch. — 31) *Cum sint verb. neutr.* Pe. Putsch. — 32) *Participio* addidi e Cod. Go., ubi tamen *passivo* omissum. — 33) *Agri quondam r.* Pe. Putsch. *Agricola regnata* Go. Locus est Virg. Aen. III, 14. — 34) Virg. Georg. I, 313. — 35) *Haec autem a poetis* hoc ordine Pe. Putsch. — 36) *Participia nominativa sive Participialia* Pe. Putsch. Veram lectionem praebuit Go. — 37) *Conatus, gal. astutus* Pe Putsch. pessime. *Astatus* Cod. Go. recte emendatum a Dübnero. — 38) Vulgo: *Quae adiecta verbo manifestior et plenior redditur*, perverse. Nam verbi significatio adiectione adverbii redditur plenior et manifestior, non ipsum adverbium. Nihil auxilii fert Cod. Go. Definitio petita est ex Donato II, 13, 1. *Adverbium est pars orationis, quae adiecta verbo significationem eius explanat atque implet.* Ex quibus intelligitur, apud Maximum verba: *significationem verbi* propter simile vocabulum bis positum excidisse, et tum reliqua consequenter a librariis immutata esse. Pro *plenior* Cod. Go. exhibet *blandior*, unde correxi *planiorem*. — 39) *Aut* addidi ex Go. — 40) Verba: *quidem trahuntur* adieci ex Go. — 41) *Accidunt tria* hoc ordine Pe. Putsch. Paullo ante *doctos* Putsch. ex errore typogr. — 42) *Et caetera* addit Cod. Go.

ibi; aut e loco, ut hinc, inde; aut per locum, ut hac, illac. Sunt quaedam temporis et loci, ut hactenus, protenus[1]. Alia terminationis, ut illic. Alia numeri, ut semel, bis, ter. Alia negantis, ut non, nequaquam. Alia affirmantis, ut prorsus, profecto, proculdubio[2]. Alia percunctantis, ut numquid, anne. Alia demonstrantis, ut en, ecce. Alia optantis, ut utinam. [1951] Alia aestimantis, ut fere, ferme. Alia ordinis, ut deinceps, deinde. Alia interrogantis, ut cur, quid ita. Alia similitudinis, ut ceu, quasi, veluti. Alia dubitationis, ut fortasse. Alia vocationis, ut heus. Alia respondendi, ut hem[3]. Alia prohibendi, ut ne. Alia congregandi, ut pariter, una, simul. Alia comparandi, ut magis, satius, potius. Alia eventus, ut forte. Alia adnuentis, ut vero. Alia iurandi, ut edepol, mediusfidius, ekastor[4], mehercule. Alia personalia, ut mecum, tecum, secum. Alia animadvertendi[5], ut at. Alia interiectionis, ut item, rursus[6], saepius, itidem. Alia qualitatis, ut bene, male. Alia quantitatis, ut sat, nimium. Item[7] *dum*, *gentium*, *ad id locorum*, ornativa sunt adverbia, siquidem posita[8] orationem inluminant[9], ablata nihil sensui detrahunt; et cum dicimus *manedum*, *ubi gentium*, *ad id locorum*[10], loci et temporis habent significationem, id quod Salustius indicat in Iugurtha de Mario: *Tamen is ad id locorum talis vir*[11]. Adverbia nominativa, vel ut alii dicunt, nomina adverbialia[12] sunt, veluti cum dicimus: *fui Romae*, *Kapuae*, *Karthagine*[13]. Figurae adverbiorum sunt, ut in caeteris partibus orationis, duae: simplex, ut iuste; composita, ut iniuste. Comparationem possunt adverbia recipere, quoties appellationes, unde transeunt, comparantur, ut iuste, iustius, iustissime; quod[14] iustus, iustior, iustissimus. Adverbiis adiici praepositiones negant omnes technici oportere[15], quamvis veteres licenter usi sunt[16]. Terentius in Hecyra:

Ita corripuit derepente tacitus sese ad filiam[17].

Item Lucretius: *Desubito.*

De Coniunctione.

23. Coniunctio est pars orationis, nectens ordinansque sententiam. Tria accidunt coniunctioni: figura, ordo, potestas[18]. Figura est, quod aut simplices sunt, ut quoniam, [1952]

1) *Protinus* Pe. Putsch. — 2) *Et cetera* additum in Go. — 3) *Heu* exhibent Pe. Putsch. Go. Legendum *eu*, quod apparet ex inferioribus, ubi *eu* recurrit p. 1954. — 4) *Pol, med. ecastor* Pe. Putsch. *Edepol med. edea kastor* Go. Quid illud *edea* occultet, non habeo dicere. — 5) *Animadvertentis* Pe. Putsch. — 6) *Item* addidi ex Go. ubi *itidem* omissum. — 7) *Item* addendum fuit ex Go. — 8) *Posita enim* Pe. Putsch. *Siquidem et posita* Go. — 9) *Inluminant* Cod. Go. — 10) Verba: *Et cum dicimus manedum*, *ubi gentium*, *ad id iocorum*, accesserunt ex Cod. Go. ubi legitur: *manendum*, *ubi dum gentium*. Tum ibidem ita pergitur: *cuius rei habent significationem? Et loci et temporis significant enim cuiusque exemplum Salust.* cet. Quae manum interpolatoris aperte produnt. *Detrahunt: loci enim et temporis habent significationem*, *id quod Sallustius* cet. Pe. et Putsch. — 11) *Tamen is* desunt in Pe. et Putsch. Tum *talis venit vir* Go. Pe. Putsch. At *venit* sine dubio interpolatoris est, qui verbum desideraret ad formulam *ad id locorum*. Locus est Salust. Iug. c. 63. edd. Cort. Gerl. — 12) *Adverbialia nomina* Putsch. *Adverbialia nominativa* Pe. *nominativa adverbialia* Go. Scripsi igitur *nomina adverbialia*, quae vera est appellatio huius generis. — 13) *Romae*, *Cariae*, *Cappadociae* Pe. Putsch. pessime. Veram Grammatici manum servavit Go. Ex eodem adiecta sunt in supp. verba: *veluti cum dicimus*, quae in Pe. et Putsch. male desunt; legitur enim: *ut fui Romae* cet. — 14) *Quod facit iustus* Pe. Putsch. Recte omisit *facit* Go. Est enim *quod* eo quod, propterea quod. — 15) *Oportere* addidi ex Go. ubi est: *adieci praepositiones possunt e negant o. t. oportere.* Male interpositum esse *possunt*, facile apparet. — 16) *Licenter veteres* Pe. Putsch. *Usi sint* Pe. Putsch. — 17) Verba: *ita corripuit* in Pe.

quando; aut compositae, ut quoniamquidem, quandoquidem. Ordo coniunctionum est, quo apparet, quae in loquendo praeponi debeant, et quae subiungi, quae praeponi et subiungi. Igitur praeponuntur: quanquam, quamvis[19]. Subiunguntur: enim, autem, praesertim. Denique et praeponuntur et subiunguntur[20]: quoniam, quatenus. Potestas coniunctionum in quinque species dividitur[21]. Sunt enim copulativae, disiunctivae, expletivae, causales, rationales[22]. Copulativae sunt: que, atque, et, ac, ast, at. Disiunctivae: aut, ve, vel, ne[23], nec, neque. Sed si[24] disiungendi vim habent, quo modo recte coniunctiones dici possunt? Disiungunt quidem sensum verborum, caeterum verba copulant, veluti[25] cum dicimus: *aut hoc*, *aut illud; sive hoc*, *sive illud*, et caetera. Expletivae sunt: quidem, equidem, tamen, porro, saltim[26], prorsus, duntaxat, et caetera. Causales sunt: si, etsi, etiamsi, sin. Rationales sunt: ita, itaque, proin, proinde, denique; quae magis adverbia mihi videntur esse, praeter illas coniunctiones, quae accentu discernuntur ab adverbiis: nequaquam, nusquam, quamvis, quandoquidem, quinetiam, sin, seu, sive, namque, nisi, nisisi, setenim[27], propterea, interea, quatenus, quamobrem, sane, certe, nunc. Quando, non[28] magis adverbium temporis videtur esse; cum acuto accentu effertur, adverbium est[29] temporis: cum autem gravi, coniunctio causalis; significat enim quia vel quoniam, ut:

Quando haec te cura remordet[30].

Sunt revera quaedam, de quibus ambigi potest; unde merito quidam adverbia coniunctiva dicunt, vel coniunctiones adverbiales.

De Praepositione.

24. Praepositio est pars orationis, quae praeposita aliis partibus orationis significationem earum aut inmutat, aut minuit[31], aut auget, ut describo, praescribo, rescribo, facio, sufficio. Aliae vero[32] harum praeponuntur casibus, aliae verbis, quaedam casibus et verbis. Verum ex his quae casibus coniunguntur, aliae accusativum regunt, aliae ablativum, aliae in utroque communes sunt. Accusativis adiunguntur: per, apud, [1953]

et Putsch. ita scripta sunt, tanquam non ad Terentii locum, sed ad praeceptum Grammatici pertinerent. Quod iam correxit antiqua manus in margine Pe. Accedit Cod. Go. ubi est: *in echyra: Ita corr.* Locus est Hecy. IV, 1, 3. Apud Lucretium *Desubito* legitur II, 265. III, 643. — 18) *Potestas*, *Figura*, *Ordo* hoc ordine Pe. Putsch. — 19) *Quam, quamvis* Pe. Putsch. *Quam* deest in Go. Antiqua manus in margine Pe. recte correxisse videtur *quanquam*, quod dedi. Addit Go. *et cetera.* — 20) *Denique subiunguntur et praeponuntur* Pe. Putsch. Recte Go. *et praep. et sub.* — 21) *Dividitur in quinque species* Pe. Putsch. — 22) *Rationales*, *Causales* Pe. Putsch. *Causales et rationales* Go. — 23) *Ne*, *vel*, *ne* Pe. Putsch. — 24) *Si* addidi de coniectura, absorptum haud dubie a praecedente *sed.* — 25) *Ut cum dicimus* Pe. Putsch. — 26) *Saltim* scripsi ex Go. — 27) *Setenim* dedi cum Go. *Sedenim* Pe. Putsch. — 28) *Quando*, *tunc magis adv. t. v. esse*, *quando acuto* Pe. Putsch. *Non* diserte Cod. Go. Pro *cum* in Cod. Go. *quando* initio quidem scriptum fuit, sed eadem manus recte emendavit *cum*, quod dedi. — 29) *Adverbium est enim* Pe. Putsch. Sed *enim* recte deest in Go. Est enim apodosis ad superius *cum.* — 30) Virg. Aen. I, 265. *Te haec c.* Pe. — 31) *Significationem earum aut minuit aut auget.* Ita Pe. Putsch. Sed Cod. Go. *sign. eius inmutat aut auget*, omissis *aut minuit.* Locus ex Donato emendandus fuit, II, 16, 1. ubi est: *Praepositio est pars orationis*, *quae praeposita aliis partibus orationis significationem earum aut mutat*, *aut complet aut minuit.* — 32) *Aliquae vero* Go. Pe. Putsch. *Aliae* de mea coniectura dedi. Statim antea post *sufficio* in Cod. Go. additur: *Et cetera.*

adversum, citra, contra, et caetera. Harum quaedam mutato accentu fiunt[1] adverbia. Nam *ante*, cum gravi accentu pronunciatur, praepositio est, ut:

Ante focum si frigus erit[2].

Si autem acuto, fiet adverbium temporis, ut:

Ante equidem summa de re statuisse, Latini[3].

Item *post* praepositio, cum dicimus, *post tergum;* cum vero significat postea, fit adverbium temporis, ut:

Posthabui tamen illorum mea seria ludo[4].

Harum quaedam verbis adiunguntur, ut *per*, *ad*, *trans*, *ante*, *circum*, *inter*, *ob*, *post*. Dicimus enim perlege[5], adverte, transvehe, antefer, circumfer, interveni, obduc, postpone. Ablativis casibus adiunguntur: *a*, *abs*, *e*, *ex*, *de*, *pro*[6], *prae*. Harum quaedam aeque mutato accentu fiunt adverbia, veluti est *cum*. Nam quoties casui iungitur, praepositio est, ut *cum duce*, *cum amico*. Quoties[7] verbo, erit adverbium, ut:

Cum venit, aulaeis[8].

Et:

Cum subito Aeneas concursu ascendere magno[9].

Ex his quaedam etiam verbis adiunguntur, ut *a*, *ab*, *abs*, *e*, *ex*, *de*, *pro*, *prae*. Dicimus enim amove, abripe, abstrahe, emitte, expone, detrahe, produc, praefer. Quaedam accusativis et ablativis: *in*, *sub*, *super*, *subter*. Accusativo, cum in locum ire vel mittere significa- [1954]
mus; quod quidem plenius supra docuimus. In praepositionibus casualibus haec quoque[10] etiam verbis adiunguntur. Dicimus enim infer, subtrahe, subterpone, superscribe. Quaedam verbis tantummodo praeponimus[11], ut *con*, *di*, *re*, *dis*, *se*, *am*, *o*. Dicimus enim conduco, dimitto, dis-

1) *Sunt adv.* Pe. Putsch. Recte *fiunt* Go. — 2) Virg. Ecl. V, 70. — 3) Virg. Aen. XI, 302. — 4) *Posthabuit non illorum etc.* Pe. Putsch. Emendandi viam ostendit Go., in quo est: *Posthabuit n illorum miserabido.* Scilicet *t n* est *tamen*, et monstrum illud *miserabido*, quid sit, nemo ignorabit, si cui in mentem venit illius versus Virgiliani Ecl. VII, 17. — 5) *Perlego*, *adfero*, *transveho*, *antefero*, *circumfero*, *intervenio*, *obduco*, *postpono*. Pe. Putsch. Cur imperativos maluerit Grammaticus, non habeo dicere; hoc solum video, paullo post imperativos in simili causa recurrere. Ceterum Cod. *advertans* pro *adverte*, a syllaba sequente simili. — 6) *Pro*, *de* Pe. Putsch. — 7) *Quoties cum verbo* Pe. Putsch. Ceterum Cod. Go. ubique *quotiens*, quod iam notavimus. — 8) *Aulis* Go. Pe. Locus est Virg. Aen I, 701. — 9) *Cum subit Aen. c. ascendere* Go. Pe. Putsch. Sed antiqua manus in Pe. correxit *subito* et *accedere*. Retinui tamen *ascendere*, quippe satis accommodatum, ut pro lectionis varietate apud Virgilium haberi possit. Virg. Aen. I, 513. — 10) *Quoque* addidi e Cod. Go. — 11) *Praeponuntur* Pe. Putsch. — 12) *Sepono* addendum fuit ex Go. — 13) *S* vel *f* Pe. Putsch. — 14) *Et talia* additur in Go. — 15) *Sunt autem aut laet.* Pe. Putsch. Tum *laetantis ut va* Go. — 16) *Ut heu* Pe. Putsch. *Ut he* Go. *Ut eu* sic corr. ab antiqua manu in Pe. — — 17) *Ut eu* Pe. Putsch. Recte *heu* Go. atque ita corr. ab antiqua manu in Pe. — 18) *Aut iurantis* Pe. Putsch.

traho, relego, amputo, sepono [12], omitto. *In* et *con* praepositiones aliquando corripiuntur; sequentibus *f* vel *s* [13] literis producuntur, ut instans, infidus: et caeteris omnibus corripiuntur, ut inconstans, imprudens [14]. *In* augendi vim habet, aut minuendi, ut instans, indoctus.

De Interiectione.

25. Interiectio est pars orationis animi affectum significans. Nam [15] aut laetantis sunt, ut *eia*. Aut laudantis, ut *eu* [16]. Aut timentis, ut *hei*. Aut dolentis, ut *heu* [17]. Aut exultantis, ut *euax*. Aut admirantis [18], ut *papae*. Aut respuentis, ut *phei* [19]. Aut animadvertentis, ut *atat* [20]. Aut ridentis, ut *ha ha ha*. Sunt praeterea partes orationis pro interiectionibus positae, ut fas, nefas [21].

Nefas! Aegyptia coiux [22].

Et:

Pecudesque locutae
Infandum! [23]

In utroque enim interiectio est exclamantis. Item *pro*, ut cum dicimus: *pro Iuppiter*, et si qua sunt alia. *Hem* quoque interdum coercentis est, ut Terentius in Heautontimorumeno:

Hem tibi ne diutius licere speras facere? [24]

Aliquando etiam admirantis, ut in Andria: *Hem quid est? Scies* [25]. Ex his deinde caeteri animorum motus colligi possunt [26].

Tum *pap e* Go. Pe. Putsch. — 19) *Phei* sic omnes. Legendum, nisi fallor, *phui*. — 20) *Attat* Go. *At at* divisim Pe. Putsch. — 21) *Ut fas, nefas Item pro Iuppiter.* Pe. Putsch. Interposita omnia recens accesserunt e Go. — 22) Locus est Virg. Aen. VIII, 688. *Coiux.* De hac scriptura cf. Apulei. de orthogr. pag. 7, 17. ed. Osann. — 23) Virg. Georg. I, 478. — 24) *Hem tibi pedentius liquere sp. f.* Go. Locus est Heaut. I, 1, 50. seq. — 25) *Scies* addidi ex Go. Locus est Andr. I, 1, 89. — 26) *Ex his caeteros animorum motus intelligere possumus* Pe. Putsch. *Ex hisdem de ceteri animorum motus colligi possunt.* Go. Hoc est: *Ex his deinde*, ut dedimus. Iam in eodem Go. sequuntur haec plane aliena: *Coniunctio simplex, ut si; et composita ita etsi; sed simplex producitur, composita cum particula quidem corripitur, ut siquidem.* Tum legitur subscriptio: *Explicit liber Victorini.*

MAXIMUS VICTORINUS [1955]

DE CARMINE HEROICO.

1. Metrum est rei cuiuscunque[1] mensura. Metrum vero poeticum est versificandi disciplina, certa syllabarum ac temporum ratione in pedibus observata. Inde autem[2] dictum est, quod veluti mensuram quandam praestituat, a qua si plus minusve erit, pes sive versus minime constabit. Cui rhythmus est consimilis, qui sic definitur: est verborum modulatio et compositio, non metrica ratione, sed numeri sanctione ad iudicium aurium examinata, veluti sunt cantica poetarum vulgarium. Ergo is metrum[3] non est, nec potest ullo pacto idem esse, sed hoc distat a metro, quia rhythmus per se[4] sine metro esse potest, sine rhythmo metrum non potest, quod liquidius ita definitur: metrum est ratio cum modulatione; rhythmus sine ratione metrica modulatio[5]. Plerumque tamen casu quodam invenias etiam rationem metricam in rhythmo, non artificii ratione[6] observata, sed tono et ipsa modulatione ducente.

2. Pes est compositio duarum vel trium, aut aeque[7] quatuor syllabarum, secundum rationem sui cuiusque metri. Pedum genera sunt duo, aut enim simplices sunt, aut duplices. Simplicium species iterum sunt duae; dissyllabi et trisyllabi.

Dissyllabi sunt quatuor: spondeus, pyrrhichius, trochaeus, iambus. Ex his quidam sunt inter se contrarii, pyrrhichius spondeo; trochaeo iambus. Idem autem est pariambus[8], qui et pyrrhichius; idem etiam tribrachus, qui et chorius idemque trochaeus. Spondeus duabus constat longis, ut *heros*[9]. Trochaeus longa et brevi, ut, *vita*, *Roma*. Pyrrhichius, ambabus brevibus[10], ut *Maro*, *Cato*. Iambus, ex brevi et longa, ut *nepos*, *honos*.

3. Pedes trisyllabi sunt octo: dactylus, anapaestus, molossus, tribrachus, item- [1956] que brachysyllabus sive[11] epignomus, amphimacrus, qui et creticus, amphibrachus, sive mesites,

1) *Cuiusque* Putsch. *Cuiuscunque*, ut dedimus, Pe. Go. — 2) *Sic dictum* Pe. Putsch. Paullo post: *a qua si quis plus* Go. — 3) *Ergo is in metro non est* Pe. Putsch. Go. contra sententiam Grammatici, qui paullo post: *sine rhythmo metrum non potest.* Tum *ullo pacto inesse* Pe. Putsch. Scripsi *idem esse*, consequenter superioribus. *Ullo pacto* absunt a Cod. Go. — 4) *Per se* addidi e Cod. Go. — 5) Vv. *metrica modulatio* addidi e Cod. Go. Cf. Diomedes III. pag. 470. *Rhythmus est versus imago modulata, servans numerum syllabarum* cet. — 6) *Artificii observatione servata* Go. — 7) *Aeque* Pe. Putsch. *Aequa* Go. Delendum videtur hoc verbum, ortum ex prava iteratione syllabae proximae in *quatuor.* — 8) *Idem est quippe Iambus* Pe. Putsch. Go. male. Consentio Dübnero, qui in vv. *quippe iambus* latere putabat *pariambus*, provocans ad Diomed. II. pag. 460. et III. pag. 471. *Autem* de meo addidi. Cf. etiam Schol. ad Hephaestion. pag. 158. ed. Gaisf. ubi sic: *τῶν δὲ τρισυλλάβων πρῶτος μὲν ὁ χορεῖος ὁ καὶ τρίβραχυς, ἐκ τριῶν βραχειῶν. Ἐκλήθη δὲ χορεῖος, ὅτι οἱ ὑπὸ τῶν χορευόντων ᾀδόμενοι ἐν ταῖς χορείαις ὕμνοι ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἐκ τοιούτων συνίσταντο μέτρων· Ὁ καὶ τροχαῖος καὶ βραχυσύλλαβος.* — 9) *Ut pleni* Pe. Putsch. — 10) *Quatuor brevibus* mendose Go. — 11) Verba *brachysyllabus sive* accesserunt ex Go. — 12) Pessime Pe. et Putsch. *Bacchius sive Amphibacchius*, *Paeon. Constat autem Datylus* cet. In Cod. Go. hic locus ita comparatus habetur: *bachius sive amphibachius peon phycus. Singuli quique horum quot aut cuiusmodi syllabis constant?* Nihili est voc. *amphibacchius*; et *palimbacchius* ad *bacchium* adiungi et copulari non potest particula *sive.* Excidit igitur ali-

bacchius sive[12] hypobacchius, palimbacchius sive pompeuticus. Singuli autem quique horum constant: dactylus ex longa et duabus brevibus, ut *copia*, *Lydia*[13]. Anapaestus ex duabus brevibus et longa, ut *sapiens*, *Erato*[14]. Molossus ex tribus longis, ut *Maecenas*, *haeredes.* Tribrachus ex tribus brevibus, ut *Lepidus*, *Catulus.* Amphimacrus ex longa et brevi et longa, ut *caritas*, *veritas.* Amphibrachus ex brevi et longa et brevi, ut *corona*, *marina.* Bacchius ex brevi et duabus longis, ut *Athenae*, *Camoenae.* Palimbacchius ex duabus longis et brevi, ut *Latona*, *Lucina*[15].

4. Pedes duplices sive tetrasyllabi sunt sedecim: dispondeus, proceleusmaticus, Ionicus ἀπὸ μείζονος, Ionicus ἀπ' ἐλάσσονος[16], ditrochaeus, diiambus, choriambus, antispastus, paeon primus, secundus, tertius, quartus[17]. Item epitritus sive hippius primus, secundus, tertius, quartus. Horum autem contrarii sunt: proceleusmaticus dispondeo; Ionicus ἀπ' ἐλάσσονος Ionico ἀπὸ μείζονος[18]; diiambus ditrochaeo; antispastus choriambo; epitritus primus paeoni primo; secundus secundo; tertius tertio; quartus quarto. Singuli vero quique constant: dispondeus quatuor syllabis longis, ut *oratores*, *saltatores.* Proceleusmaticus quatuor brevibus, ut *animula*[19], *memoria:* Ionicus ἀπὸ μείζονος ex duabus longis et duabus brevibus, ut *penuria*, *vicinia.* Ionicus ἀπὸ ἐλάσσονος ex duabus brevibus et duabus longis, ut *Diomedes*, *Palamedes*[20]. Ditrochaeus ex longa et brevi, et longa et brevi, ut *aegritudo*, *cantilena.* Diiambus ex brevi et longa, et brevi et longa, ut *benignitas*, *malignitas.* Choriambus ex longa et duabus [1957] brevibus et longa, ut *divitiae*, *simplicitas.* Antispastus ex brevi et duabus longis et brevi, ut *valetudo*, *amaturus.* Paeon primus ex longa et tribus brevibus, ut *Oceanus*, *ruricola.* Paeon secundus ex brevi et longa et duabus brevibus, ut *facetius*[21], *colonia.* Paeon tertius ex duabus brevibus et longa et brevi, ut *Titianus*, *Marianus*[22]. Paeon quartus ex tribus brevibus et longa, ut *cupiditas*[23], *facilitas.* Epitritus primus ex brevi et tribus longis, ut *Palatini*, *Numantini.* Epitritus secundus ex longa et brevi et duabus longis, ut *conditores*, *funditores.* Epitritus tertius ex duabus longis et[24] brevi et longa, ut *vivacitas*, *induciae.* Epitritus quartus ex tribus longis et brevi, ut *Libertinus*, *Florentinus.*

4. Genera versuum sunt in dactylico metro quinque. Est autem dactylicum metrum[25], quod constat dactylo et spondeo. Non dico, ultimo[26] interdum trochaeo, eo quia[27] bono iudicio metrici

quid, in cuius locum *hypobacchius* substitui. Deinde *palimbacchius* inferendus erat; et in monstro illo *peon phycus* haud dubie latet *pompeuticus.* Cf. Schol. ad Hephaestion. p. 159. ed. Gaisford. *Ἕβδομος ὁ Βακχεῖος ἐκ βραχείας καὶ δύο μακρῶν. — ὁ καὶ ὑποβακχεῖος. Ὄγδοος ὁ παλιμβακχεῖος, τούτῳ ἀντικείμενος, ἐκ δύο μακρῶν καὶ βραχείας. — ὁ καὶ προσοδιακὸς καὶ πομπευτικὸς, διὰ τὸ ἐν προσοδίοις ὕμνοις οὕτω καλουμένοις καὶ ἐν ταῖς Διονυσιακαῖς πομπαῖς ἐπιτήδειος εἶναι.* Reliqua emendavi ex iis, quae infra leguntur: *Singuli vere quique constant dispondeus* cet. — 13) *Lydia* addidi ex Go. — 14) *Erato* addidi ex Go. ubi *Eratho.* — 15) *Lucerna*, *lacuna* Pe. Putsch. — 16) *Ionicus Apomizonus I. Apelazonus* Pe. *I apomisonus*, *i. apelasonus* Cod. Go. In eodem Go. sequuntur litterae inextricabiles, quae Graecam illorum nominum scripturam referre videntur. — 17) *Paeon primus*, *Paeon sec. Paeon tert. Paeon quartus* Pe. Putsch. — 18) *Apelazonus — Apomizono* Pe. *apelasonus — apomisono* Go. In margine Pe. Graeca scripta sunt ab antiqua manu. — 19) *Animola* Go. — 20) *Palinurus* male Pe. Putsch. — 21) *Ut facinora*, *colonia* Pe. Putsch. At in Cod. est: *Ut făcīnŭs* (a prima manu, unde factum *colonius* a rec. m.) *calunia*, ex quo Dübnerus coniiciebat *calumnia.* Sed cf. Donat. I, 4, 3. et Diomed. III, 477. Ceterum emendavi *facetius.* — 22) *Ut marianus* Pe. Putsch. In Cod. a pr. manu est *Tĭtănēŭs* (sic) unde recentior manus correxit *Titianus*, quod recepimus. — 23) *Facilitas* addidi e Cod. Go. — 24) *Et* interponit Go. — 25) *Carmen* pro v. *metrum* exhibent Pe. Putsch. — 26) *Ultimo loco nonnunquam troch.* Pe. Putsch. — 27) *Eo quod quidam* Pe. Putsch.

complures[1] hunc pedem de versu hexametro excludendum censuerunt. Quippe omnis syllaba in versu ultima ἀδιάφορος[2] est, id est, indifferenter accipitur, nec interest, utrum producta sit an correpta; siquidem positione longa fiat, cum partem orationis in exitu finit, quo accedit, quod vitiosus eiusmodi versus est, qui trochaeum admittit[3]. Nam cum ita ratio exposcat, ut pleno versu viginti quatuor tempora insint, admisso utique trochaeo curtabitur numerus temporum, et erunt tempora viginti tria, qui est versus colobus[4]. Illa sunt ergo quinque genera in dactylico metro: hexameter, pentameter, tetrameter, trimeter, dimeter.

5. Hexameter dicitur, aut hexametrus[5], utrumque ut Evander, Evandrus, quorum unum venit ex Graeca enunciatione, alterum ex Latina. Quippe Cornelius Epicadus[6] in eo libro, quem de metris scripsit, *Hexameter*, inquit, *versus*. Contra quem item Caesius Bassus, vir doctus atque eruditus, in libro de metris, *Iambicus trimetrus*, ait. Nostra quoque memoria Lactantius de metris, *Pentameter*, inquit, *et tetrameter*. Hexameter ergo sive Hexametrus versus est, quod pedibus sex constet[7], dactylo et spondeo circum se positis, aut alterna interpositione varia- [1958] tis[8]. Hexametri versus genera sunt tria: Est hexameter[9], ubi dactylus tantum est, dactylicus[10] herous. Est hexameter iambicus, qui et senarius, cum constat ex simplicibus. Est item ex[11] duplicibus, trimeter. Si vero versus hexameter sex spondeis constiterit, erit quidem versus[12] spondiazon, metrum tamen dactylicum; quippe eiusmodi compositio non nisi in dactylicum metrum cadit. Hexametri dactylici tantum sunt, qui constant sex pedibus dactylicis, praeter bella et facta[13] heroum quidlibet aliud continentes, veluti sunt Bucolica, Georgica, caeteraque eiusmodi. Hexametri vero dactylici heroici sunt, qui bella heroum et res gestas complectuntur, veluti est Aeneis Virgilii, Ilias Homeri. Quintus ibi pes semper erit dactylus, eo quia semper in versu exceptis[14] aliis locis, in quibus varie ponitur, quintam regionem proprie obtinet; minusque lenis est versus, qui quinto loco magis spondeum[15] quam dactylum habuerit, et vocabitur Spondiazon[16], veluti est illud:

Aut levis ocreas lento ducunt argento[17].

Sic ut spondeus quoque[18] a quibusdam imus pes cognominatur, quod regionem sextam semper obtineat, nec unquam dactylus in fine ponatur. Modus autem syllabarum in versu Hexametro dactylico sive heroico, duodecim syllabis crescit usque ad decem et septem[19]. Nam qui minimus

1) *Metrici complures* addita ex Go. — 2) *In ultimo versus diaphorus* Go. *in versu ultima* διάφορος Pe. — 3) Omnia haec vv. *siquidem — qui trochaeum admittit* et interposita desunt in Pe. et Putsch. quibus demum admissis, quae sequuntur, commodam praebent sententiam, id quod iam vidit Dübnerus. — 4) Verba: *qui est versus colobus* accesserunt ex Go. — 5) *Utrumque* addidi ex Go. — 6) *Epidagus* Pe. Go. — 7) *Cedit* Cod. Go. — 8) *Varietatis* Go. — 9) *Est* deest in Pe. Putsch. — 10) *Dactylicus vocatur herous* Pe. Putsch. — 11) *Est. Itemque ex dup.* Pe. Putsch. — 12) Verba: *quidem versus* accesserunt ex Go. — 13) *Facta et bella* Pc. Putsch. — 14) *Eo quod exceptis* Pe. Putsch. omissis verbis: *semper in versu*, quae accesserunt ex Go. — 15) *Spondeum magis* Pe. Putsch. — 16) *Spondiazon* Go. Pe. Putsch. Sed in margine Pe. correctum ab antiqua manu *spondaizon*, male quidem. — 17) *Lenis ocr.* Pe. Locus est Virg. Aen. VII, 634. — 18) *Quoque* additum ex Go. Paullo post pro *cognominatur* Pe. et Putsch. exhibent *dicatur*. — 19) *Crescita duodecim syllabis usque ad XVII.* Pe. Putsch. Contra usum melioris aetatis *decem et septem* Grammaticus scripsit, quae eadem ratio saepissime apud Priscianum invenitur. — 20) *Non plures quam XVII.* Pe. et Putsch. *Plures* pro *plus* correctoris male seduli. Statim post pro verbis: *Quamvis non negaverim* cet. in Cod. Go. haec leguntur: *Quid ergo non plerumque invenias in versum septimum decimum ac viginti syllabarum, ut sunt hi*; quae sunt mendosissima. — 21) Virg. Aen. IV, 315. *Misere nihil* Pe. — 22) Virg. Georg. IV, 168. *Venientibus agmine* Go. et Pe. — 23) Virg. Aen. IV, 547. — 24) Virg. Aen. XI, 537. — 25)

est, habet syllabas non minus quam duodecim. Qui maximus, non plus quam decem et septem[20]. Quamvis non negaverim esse versus etiam plurium syllabarum, ut sunt hi:

Quando aliud mihi iam miserae nihil ipsa reliqui[21].

Et:

Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto[22].

Et:

Quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem[23].

Et:

Cara mihi ante alias, neque enim novus iste Dianae[24].

6. Sunt quidem plerumque syllabarum decem et octo, et ille, qui ultimo loco positus est, viginti, cui nequaquam invenies parem cum adhuc nullus inveniatur, qui decem et novem syllabis constet[25]. Verum sciendum est in metrica ratione nunquam computari eas syllabas, quas synaloepha intercipit. Quo fit, ut omnes illi versus, qui supradictum numerum syllaba- [1959] rum videntur excedere, detractis synaloephis ad decem et octo aut ad sedecim[26] ac nonnulli etiam ad quindecim syllabas redigantur[27], veluti sunt illi, quos supra exempli causa posuimus[28]. Unde sciendum est, nullum versum dactylicum hexametrum inveniri posse, qui numerum syllabarum decem et septem[29] excedat. Itaque omnis versus Hexameter, si solis spondeis constiterit, duodecim syllabarum; si unum dactylum habuerit, tredecim; si duos, quatuordecim; si tres, quindecim; si quatuor, sedecim; si quinque, decem et septem. Ita quoties dactylus accesserit, toties una syllaba[30] accrescit. Hexameter versus dactylicus variatur per triginta duas species. Nam in versu duodecasyllabo[31] species una est, quippe is sine ulla varietate omnes in se spondeos habet, et vocatur Spondiazon, ut est:

Fortes ducuntur legati[32] *Minturnenses.*

Quod genus versificationis usque adeo durum est, ut Albinus in libro, quem de Metris scripsit, ita posuerit:

Vilem spondeo totum concludere versum[33].
Posse quidem fieri; sed iunges dactylum apte.

In versu tredecim syllabarum species sunt quinque, quippe[34] in eo unus dactylus inter spondeos admissus, quinque locis intervertitur. In versu vero quatuordecim syllabarum species decem sunt[35].

Verba: *cui nequaquam* — *constet* cum interpositis desunt in Pe. et Putsch. Tum *Sed sciendum est* Pe. Putsch. — 26) *Ad XVII. aut XIII.* Pe. Putsch. — 27) *Rediguntur* Pe. Putsch. — 28) *Posuisti* Go. — 29) *Syllabarum XVII.* Sic semper numerorum signis Pe. et Putsch. Tum pro *excedat* Go. *videatur excedere.* — 30) *Monosyllaba accrescit* pessime Pe. Putsch. Recte *una syllaba adcrescit* Cod. Go. — 31) *Duodecasyllabo* Go. Pe. Putsch. fortasse recte. Dicitur enim Graecis δυώδεκα et δώδεκα. — 32) *Forte duc. ligati M.* Pe. et Putsch. Sed in margine Pe. correctum est *privati M.* Verissime *legati M.* Cod. Go. *Fortes* de coniectura dedi. *Fortitudo* Go. — 33) Post hunc versum sequuntur haec in Pe. et Putsch. tanquam Grammatici verba: *Sed iunges dactylum apte in versu. Tredecim.* Ac primum quidem sponte patet, verba: *in versu tredecim syllabarum* cohaerere et post v. *apte* distinctionem collocandam esse. Tum non intelligitur, quomodo enunciatum istud huc pertineat, quod sententiam plane alienam infert. Verba sunt haud dubie *Albini*, ad quae constituenda facit Cod. Go. qui locum sic exhibet: *posse fieri sed iunges d. a.* Ex quibus facile conficias versum: *Posse quidem fieri; sed iunges dactylum apte.* Credibile enim est, Albinum, si vellet v. *dactylum* versui inferre, hoc non elisa ultima posuisse, nisi forte totus locus sic est scribendus: *Vilem spondeo totum concludere versum, Posse quidem fieri; sed iungi dactylus apte*; ut tum sequi debeat *potest* vel *videtur* vel *dicitur.* — 34) *Quippe* additum e Cod. Go — 35) *Sunt X.* Pe. Putsch.

Aut enim primo et secundo loco dactylus ponitur; aut primo et tertio; aut primo et quarto; aut primo et quinto; aut secundo et tertio; aut secundo et quarto; aut secundo[1] et quinto; aut tertio et quarto; aut tertio et quinto; aut quarto et quinto. In versu quindecim syllabarum species sunt similiter decem[2]. Nam ut in illo qui est quatuordecim syllabarum dactylus decies variatur, ita in hoc toties spondeus invertitur. In versu sedecim syllabarum species sunt totidem, quot in tredecim syllabarum, id est, quinque. Nam ut in illo dactylus quinque locis invertitur, ita in hoc spondeus isdem[3] locis, totiesque variatur. In versu syllabarum decem et septem similiter ut in duodecasyllabo[4] species una est; quippe is[5] quinque dactylis constat, excepto ultimo pede, quem necesse est dissyllabum esse, ne contra rationem supradictam syllabarum amplior nume- [1960] rus accrescat. Quid ergo[6]? Numquid dactylus in fine ponitur? Potest quidem, verum non in eo versu, qui ceteros omnes dactylos habet, veluti est illud[7] in Georgicis:

Et spumas miscent argenti, vivaque sulphura.

Quem quidam invertentes, sic legunt:

Et sulphura viva.

Item:

Bis patriae cecidere manus; quin protenus omnia[8].

Quem quidam per synaloepham[9] excludunt, ut sit in scandendo, *omna.* Nec intelligunt synaloepham tunc inter se esse, cum vocales confligunt seu solae, ut:

Multa quoque et bello passus;

seu interposita consonante; ut:

Multum ille et terris iactatus[10].

Quod nequaquam hoc loco adseri potest, quippe absolutus pes est, *omnia*, velut in illo versu:

Omnia fert aetas[11].

Et:

Omnia vincit amor[12].

Possit itaque esse etiam versus ex dactylis sex, si modo metrici admitterent, veluti:

Dicitur in tenero mihi bucula pascere gramine.

Et:

At tuba terribilem sonitum procul excitat horrida.

In supra dictis speciebus triginta duabus in carmine Virgiliano deprehenduntur decem et septem species. Nam ex versu tredecim[13] syllabarum duae species sumptae, secundae aut quintae positionis sunt. Nam aut secundo loco unus dactylus tantum invenitur, ut[14]:

Aut levis ocreas lento ducunt argento[15].

1) Tres species omissae in Pe. et Putsch. Legitur enim: *aut primo et quarto aut secundo et quinto.* Veram praestat lectionem Go. — 2) *Similiter decem.* Sic recte Go. Male pro his *multae* exhibent Pe. Putsch. — 3) *Isdem* Go. *iisdem* Pe. Putsch. — 4) *Duodecasyllabarum* pessime Go. Pe. Putsch. Emendavi de coniectura. — 5) *Hiis* Pe. *hic* Putsch. Recte *is* Go. — 6) Haec et sequentia ita leguntur in Pe. et Putsch. *Ergo dactylus, cum aliis locis, tum etiam in fine aliquando ponitur, sed in his versibus, qui non habeant in caeteris omnibus dactylos, veluti* cet. Quae plane non cohaerent cum prioribus, ubi dixerat Grammaticus, ultimum pedem necesse esse, dissyllabum esse. Igitur ambabus manibus amplexi sumus lectionem, quam praestat Cod. Go. — 7) *Ille* Pe. Putsch. Locus est Virg. Georg. III, 449. — 8) Virg. Aen. VI, 33. *Quia protinus* Pe. Putsch. Sed in Pe. corr. *quin.* — 9) *Synaloephen* Pe. Putsch. atque ita paullo post. — 10) Verba: *Seu so-*

Aut[16] quinto, ut:

Cum Iuno aeternum servans sub pectore vulnus[17].

Item ex versu syllabarum quatuordecim quatuor species assumuntur[18]. Aut enim primo et quinto loco dactylus invenitur, ut:

Quippe vetor fatis; Pallasne exurere[19] *classem.*

Aut secundo et quinto, ut:

Felix qui potuit rerum cognoscere causas[20].

Aut tertio et quinto, ut:

Arcebat longe Latio; multosque per annos[21].

Aut quarto et quinto, ut:

Quarum, quae forma pulcherrima, Deiopeam[22].

Ex versu quindecim syllabarum sex species assumptae. Nam aut primo et secundo loco spondeus invenitur, ut: [1961]

Infandum regina iubes renovare dolorem[23].

Aut primo et tertio, ut:

Hic currus fuit, hoc regnum dea gentibus esse[24].

Aut primo et quarto, ut:

Aeneas scopulum interea conscendit, et omnem[25].

Aut secundo et tertio, ut:

Aut capiunt celsis in puppibus arma Caici[26].

Aut secundo et quarto[27], ut:

Vi superum, saevae memorem Iunonis ob iram[28].

Aut tertio et quarto, ut:

Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor[29].

Ex versu sedecim syllabarum quatuor species assumptae. Nam aut primo loco spondeus invenitur, ut:

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni[30].

Aut secundo, ut:

Nulla tuarum audita mihi, neque visa sororum[31].

Aut tertio, ut:

Servitio premet, ac victis dominabitur Argis[32].

Aut quarto, ut:

lae, ut: Multa quoque et bello passus seu interposita consonante accesserunt e Cod. Go. ubi *seu solere.* Virg. Aen. I, 3. et 5. — 11) Virg. Ecl. IX, 51. — 12) Virg. Ecl. X, 69. — 13) *Deprehenduntur decim et septem quae tredecim* Cod. Go. — 14) *Nam aut secundo loco dactylus est, et unus tantum ut* Pe. et Putsch. — 15) Virg. Aen. VII, 634. *Lenis* Pe. ibidem *lento* deest, sed add. ab a. m. — 16) *Et quinto* Pe. Putsch. — 17) Virg. Aen. I, 36. — 18) *Assumtae* Go. — 19) Virg. Aen. I, 39. — 20) Virg. Georg. II, 490. *Felix* deest in Pe. — 21) Virg. Aen. I, 31. *Longe latae* Go. *Longe late* Pe. sed corr. — 22) Virg. Aen. I, 72. *Deiopoeam* Putsch. *Diopoeam* Pe. — 23) Virg. Aen. II, 3. — 24) Virg. Aen. I, 17. — 25) Virg. Aen. I, 180. *Conscindit* Go. — 26) Virg. Aen. I, 183. — 27) *Secunda et quarta* typothetae errore Putsch. — 28) Virg. Aen. I, 4. — 29) Virg. Aen. I, 67. — 30) Virg. Aen. I, 12. — 31) Virg. Aen. I, 326. — 32) Virg. Aen. I, 285.

Imperium sine fine dedi; quin aspera Iuno[1].

Ex versu syllabarum decem et septem una species assumpta, quae sola in eo est, cum praeter ultimum pedem caeteri omnes dactylici inveniantur, ut:

Quando aliud mihi iam miserae nihil ipsa reliqui[2].

Quatuor sunt species in caesura[3] hexametri versus: coniunctus, districtus, mixtus, divisus.

Coniunctus est, quando scandendo ita concatenatus sibi est versus, ut[4] nusquam finito sensu divisa praeter se[5] verba ponantur. Quod genus versificationis laudabile habetur, [1961] ac melius, veluti est[6]:

Infandum regina iubes renovare dolorem[7].

Districtus[8], qui in scandendo sensum seu partes orationis separatas in se habet, ut:

Dic mihi Clio, quinam primus fingere versus[9].

Mixtus, qui utrumque in se habet, ut in quibusdam coniunctus, in quibusdam separatus, ut:

Hic currus fuit, hoc regnum dea gentibus esse[10].

Divisus, qui in Priapeio deprehenditur metro. Metrum vero Priapeium est, cum in hexametro versu primi tres pedes concatenati inter se, a reliquis[11] tribus sequentibus divisi separatique sunt, veluti in Bucolicis:

Aut Ararem Parthus bibet, aut Germania Tigrim[12].

Et:

Utque viro Phoebi chorus adsurrexerit omnis[13].

Et:

Est mihi namque domi pater, est iniusta noverca[14].

Inde dictum Priapeium, quod pleraque eiusmodi[15] in honorem Priapi ita conscripta sunt. Propter quod multi volunt hoc genus compositionis bucolico carmini magis convenire.

Pythium autem metrum est idem quod hexametrum. Dictum quidam volunt[16] ob id, quod hoc genere metri oracula primum ab Apolline sint edita, qui interfecto Pythone Pythius dictus est. Aliis tamen videtur Pythium metrum esse, quod continet duodecim syllabas, spondiaca[17] videlicet ratione, quod cum in Parnasso Apollo[18] Pythona serpentem in vindictam matris sagittis insequeretur, accolae Delphici hoc illum versu[19] hortati sint[20]: Ἰὴ παιάν, ἰὴ παιάν, ἰὴ παιάν. Hactenus de hexametro dactylico; de caeteris vero suo loco exsequemur[21].

1) Virg. Aen. I, 279. *Dei* pro *dedi* Go. — 2) Virg. Aen. IV, 315. — 3) *Censura* Go. Pe. Putsch. *Caesura* scripsi e coni. — 4) *Continuatus est sibi, ut.* Pe. Putsch. — 5) Verba *praeter se* accesserunt ex Go. — 6) *Utpote est* Pe. Putsch. *Utpote veluti est* Go. 7) Virg. Aen. II, 3. — 8) *Strictus* Pe. Putsch. Vide paullo ante recensionem nominum horum. — 9) Versus est a Grammatico confictus. — 10) Virg. Aen. I, 17. — 11) *Supremi inter se pedes concatenati a reliquis* Pe. Putsch. — 12) *Ararim* Putsch. Virg. Ecl. I. 63. — 13) Accessit hic versus ex Go. ubi est: *Et ut quae Phoebi.* Locus est Virg. Ecl. VI, 66. — 14) Virg. Ecl. III, 33. — 15) *Huiusmodi* et paullo post *sint* Pe. Putsch. — 16) *Pythium autem dictum quidam volunt* Pe. Putsch. *Pitheum itemque metrum est idem quam hexametrum. Unde dictum? Quidam volunt* Go. In quibus interpolatoris manus facile dignoscitur. — 17) *Spondiazonica*, foedo errore, Go. Pe. Putsch. — 18) *Apollo* accessit e Go.; ibidem pro *Pythona* legitur *Pithon*, in Pe. *Pythea.* — 19) *Hunc ipsum versu isto* Pe. Putsch. — 20) *Ortati sunt* Go. Tum in eodem Cod. sequuntur haec *iepa iam tertio actenus.* Haec nimirum sunt ista: ἰὴ παιάν, quae tertio loco etiam repetenda esse, illud *tertio* ostendit. Rescripsi igitur Graeca ἰὴ παιάν, ἰὴ παιάν, ἰὴ παιάν. Cf. Terentian. Maurus v. 1591. ubi cf. notas Santenii. — 21) *Exsequeremur* Cod. Go.

MAXIMI VICTORINI [1963]

DE RATIONE METRORUM

COMMENTARIUS [1].

Segm. I.

1. Liquentes litterae sunt quatuor: *l*, *m*, *n*, *r*. Liquentes[2] ideo dicuntur, quod fluant, et quasi intereant, dum[3] consequuntur aliquam[4] brevem syllabam cum quavis alia[5] consonante. Sunt autem duplicis potentiae. Nam syllabam longam[6] positione facere possunt, si ita poeta voluerit, et brevem non producunt. Quod dico huiusmodi est exemplum, ut hic Lucreti versus[7]:

Nam fierent iuvenes subito ex infantibus parvis.

Sic habetur, quasi dixerit *subtracta s littera: infantibu parvis*[8]; hic enim *s* littera interit. Ennius quoque ait:

— *vita illa dignus, locoque*[9];

quasi *dignu*, *locoque* dixerit. Similiter Lucilius ait[10]:

Tum lateralis dolor certissimus nuntius mortis.

Pro:

Tum laterali dolor certissimu nuntiu mortis.

Sic habetur quasi subtractis *s* litteris; quia licentius antiqui et ipsa quasi pro liquenti utebantur, inerudita adhuc novitate, quod posteriores poetae non ferunt[11], non quod ista defensio rata[12] non esset, sed quod versus suos liquidius decurrere[13] nullis salebris voluerunt.

2. Liquentes autem cognoscere possumus in illo Virgilii versu[14]:

— *Sed haec lento mos est aptare flagello;*

quasi subtracta *l* littera *fagello* dixerit[15]. Sic et in illo:

Phoebe gravis Troiae semper miserate labores[16].

Quasi subtracta[17] *r* littera *gavis* dixerit, non gravis.

1) *Incipit commentum Maximi Victorini de ratione metrorum.* Cod. Bob. — 2) *Vero* interponunt Pe. et Putsch. — 3) *Tum cum cons.* Pe. et Putsch. *Consecuntur* Cod. Bob. — 4) *Aliam* Cod. B. — 5) *Aliqua* Cod. Bob. Pe. — 6) *Longam syllabam* Pe. Putsch. — 7) *Lucretii* Pe. Putsch. Tum *Nam fuerant* Pe. Putsch. Est locus Lucr. I, 187., ubi legitur, ut e Cod. edidimus. — 8) *Quasi dixerit: ex infantibu parvis, subtracta s litera* Pe. Putsch. — 9) Ennii versus apud Hessel. legitur pag. 147. Tum *quasi dixerit vita illa dignu, locoque* Pe. Putsch. *Ait* ante Ennii versum deest in Cod. Bob. — 10) *Lucillius* Pe. Putsch. *Una l* exhibet Cod. Bob. *Ait* additum e Cod. Bob. Paullo post *sic habebitur* omisso *quasi* Cod. Bob. — 11) Pro *ferunt* in Cod. est *gerunt*, sed *g* puncto supposito deleta et syllaba *la* sive *lu* supra scripta est. Voluit fortasse librarius *noluerunt* pro *non gerunt*. — 12) *Definitio recta* Pe. Putsch. *Defensio* dicitur usus antiquiorum, ad quem provocat Grammaticus. — 13) *Discurrere* Pe. et Putsch. — 14) *Cognoscere in illo Virg. versu possumus* Pe. Putsch. Tum verba: *Sed haec lento mos est* accesserunt e Cod. Bob. Locus est Virg. Aen. VII, 731. — 15) Vv. *quasi subtracta littera l* (sic) *flagello* (sic) in Cod. supra scripta leguntur inter versus. — 16) *Gravis* Cod. Bob. *graves* Pe. Putsch. Locus est Virg. Aen. VI, 56. — 17) *Subtracta s* errore typothetarum Pe. et Putsch. Tum *gaves* — *graves* Pe. Putsch. Sed *gravis* — *gravis* Cod. Bob. littera *r* in priori voce puncto supposito deleta.

3. Mihi autem de his magis videtur illud, quod liquentes litterae, de quibus di- [1964]
ximus, tunc detrahantur, cum brevem syllabam duae consonantes[1], quarum altera liquens erit, ita sequuntur[2], ut in duas syllabas se dividant. Quod dico huiusmodi est[3]: *Infantibus parvis*, *s* et *p* litterae in duas syllabas[4] se diviserunt; nam *s* ad *bus* syllabam pertinet, *p* ad *parvis*. Quoties ergo se ita dividunt, tunc liquentes erunt[5]. Alioqui[6] cum duae consonantes ita aliquam brevem syllabam consequuntur, ut eae[7] ipsae consonantes alterius syllabae sint, nec se dividant, tunc illa syllaba, ut poetae voluerint, longa aut brevis erit, hoc exemplo:

Atridas Priamumque[8].

A littera positione longa est, quod[9] eam excipiunt duae consonantes *t* et *r*. Sed quoniam eae consonantes[10] ad alteram syllabam pertinent[11], non semper positione longam faciunt syllabam[12], quam excipiunt, ut est:

— *geminosque in limine Atridas*[13].

Hic *A* brevis est, quoniam consonantes ambas syllaba[14] sibi posterior vindicat, eaeque[15], ut poetae voluntas est, proinde auxiliantur aut cedunt; ut illi Virgilii versus, quos supra posuimus[16], tales syllabas habeant[17] consonantium coitu, non liquentium fluxu.

Segm. II. *De syllabis coniunctis*[18].

1. Coniunctas quoque syllabas animadvertere nobis intentio[19] est. Nam coniunctae syllabae dicuntur, cum longa syllaba in vocali finitur, et a[20] vocali excipitur; atque ideo longa syllaba illa brevis est, quod eam vocalis et terminaverit et exceperit[21], hoc exemplo:

Te Corydon o Alexi; [1965]

sic enim scanditur: *Te Cory*, dactylus; *don o A*, dactylus[22], cuius media syllaba *o* natura longa est. Sed quia et ipsa vocali[23] constat, et excipitur a vocali, coniunctione syllabarum et quasi cognatione vocalium, idcirco[24] veluti gratificatur, et est huic similis ille versus, ut:

Credimus an qui amant[25];

Credimus dactylus est; *an qui a*, alius dactylus. Sed *qui* media syllaba dactyli[26], natura longa

1) *Consequentes* mendose Cod. Bob. — 2) *Ita secuntur* Cod. Bob. atque ita semper. — 3) *Huiusmodi est exemplum ut* Pe. Putsch. — 4) *Syllabas* addidi e Cod. Bob. — 5) Post v. *erunt* in Cod. additur, sed supra versum scriptum: *ipsae consonantes*. — 6) *Alioquin* Cod. Bob. — 7) *Hae ipsae* Pe. Putsch. — 8) *Conspiciunt Atridas Priamumque* Pe. Putsch. *Atridas Priamumque quae*, omisso v. *conspiciunt* Cod. Bob. Locus intelligitur Virg. Aen. I, 458. — 9) *Eo quod* Pe. Putsch. — 10) *Quoniam consonantes hae duae* Pe. Putsch. — 11) *Non pertinent* Pe. Putsch. Coutra sententiam Grammatici. — 12) *Longam syllabam faciunt* Pe. Putsch. — 13) Verba *in limine* accesserunt e Cod. Bob. Locus est Virg. Aen. II, 500. — 14) *Ambas sibi syllaba* Pe. Putsch. fortasse rectius. — 15) *Vendicat. Aeque ut* Pe. Putsch. Praeclaram emendationem praestitit Cod. Bob. — 16) *Praeposuimus* Pe. Putsch. Cod. a pr. m. Recte correctum in Cod. *supra posuimus*. — 17) *Habent* Pe. Putsch. — 18) *De coniunctis syllabis* Pe. Putsch. Verum ordinem recepimus ex Cod. Bob. — 19) *Nobilis intentio* Cod. Bob. — 20) Praepositio deest in Cod. — 21) *Longa syllaba illa natura brevis est, quod eam vocalis terminaverit, et excipitur a vocalibus* Pe. Putsch. Longe concinnius Cod. Bob. ubi tamen etiam voc. *syllaba*, omissum est, quod recte fieri non putavimus. — 22) *Alius dactylus* Pe. Putsch. Locus Virg. est Ecl. II, 65. — 23) *Vocali constat* scripsi de coniectura. *Vocalis c.* Bob. Pe. Putsch. — 24) *Idcirco brevis est veluti* Pe. Putsch. In Cod. verba *brevis est* serius inter versus ascripta. — 25) *Credimus antiqui amant* mendose Cod. Bob. Virg. Ecl. VIII, 108. — 26) *Media dactyli* om. v. *syllaba* Pe. Putsch. — 27) *Natura longa syllaba* Pe. Putsch. — 28) *Sed quia et haec* Cod. Bob. *Sed haec a*

est[27]; sed quia et haec[28] ut superior terminatur, et excipitur a vocali, brevis est. Non enim in hoc, aut in superiori versu synaloepham[29] facere potes sine vitio, versus enim erit ex trochaeo, si feceris[30]; qui nisi novissimus in heroo[31] versu esse non potest.

2. Si tamen in huiuscemodi coniunctis talis[32] synaloepha fieri potest, quae a dactylo spondeum faciat, profecto spondeus usitatior inusitato dactylo anteponendus[33] est, ut est illud[34]:

Nec tota tamen ille prior praeeunte carina[35].

Scanditur enim sic: *Nec to*, spondeus; *ta tamen*, dactylus; *ille pri*, dactylus; *or prae*, spondeus[36]. Hic[37] vides posse alios dicere dactylum esse ratione coniunctarum syllabarum, quae *prae* syllaba vocali finitur, et excipitur a vocali *e*[38]; sed cum synaloepha fieri possit, faciatque spondeum, cur non eam viam sequamur, quam nobis consuetudo frequentior tritam reliquit ante[39]? Novissimus pes est huius versus: *unte ca*[40], quam ideo propono[41], cum synaloephae haec sit consuetudo, ut anterior vocalis[42] excludatur. Tunc tamen non excludi scias, cum sola[43] syllabam facere potest anterior[44], quae excludi non potest. Quod dico, huiuscemodi[45] est exemplum: *praeeunte*, per duas *e* scribitur; est ergo spondeus, *or prae;* sequunturque circa se duae vocales[46], *praeeunte carina.* Sed quoniam[47] *e* littera eadem et syllaba est, *u* autem syllaba ut sit[48], adhibet sibi consonantes, *n* et *t;* idcirco rectius, *ente carina*, quam, *unte carina*, per synaloepham scandimus.

Segm. III. *De dichronis*[49]. [1966]

1. Vocales quinque cum novissimam syllabam verbi, aut nominis tenent[50], tametsi natura breves sint, longe tamen, si ita poeta voluerit, habentur, hoc modo:

Hic amor, hoc studium[51];

mor syllaba brevis est, sed quia vocalis ibi est, produci etiam potest, ut:

Omnia vincit amor, et nos cedamus amori[52].

Scanditur autem[53] sic: *Omnia*, dactylus; *vincit a*, dactylus; *mor et*, spondeus. Vides superius correptam, hic esse productam.

vocali Pe. Putsch. — 29) *Synaloepham* scripsi e Cod. ubi *synalipham. Synaloephen* Putsch. — 30) *Si feceris synaloephen* Pe. Putsch. — 31) *In heroico versu* Pe. Putsch. *In heroo* om. *versu* Cod. Bob. — 32) *Talis* addidi e Cod. Bob. — 33) Ioculari errore Cod. Bob. *antespondeus est.* — 34) *Ut illud* Pe. Putsch. *Illud* in Cod. inter versus script. — 35) Virg. Aen. V, 186. — 36) *Spondeus est, — dactylus est, — spondeus est* Pe. Putsch. — 37) *Autem* interponitur a Pe. et Putsch. — 38) *A vocali quae est e* Pe. Putsch. — 39) *Ante* in Cod. a pr. m. sed corr. *unte*. Male. — 40) *Ente ca* Pe. Putsch. Idem in Cod. a pr. manu; sed correctum *onte ca*, quod verum est. — 41) *Quam idcirco praepono* Pe. Putsch. *Quam ideo propono* Cod. Bob. Legendum vel *quod* vel *quam rem. Propono* praetuli; non enim, ut ex seqq. patet, praefert illam pronunciandi rationem, sed praeceptum aliquod proponit. Paullo post Cod. a pr. manu: *cum in synalipha haec sit;* sed corr. — 42) *Interior syllaba vocalis* Pe. Putsch. *Interior vocalis* Cod. Bob. sed legendum *anterior voc.* et res ipsa clamat et ostendunt sequentia. — 43) *Solam* Cod. Bob. sed inter vers. script. — 44) *Interior* Pe. Putsch. Optime Cod. *anterior.* — 45) *Huiusmodi* Pe. Putsch. — 46) *Ut* h. l. interponitur a Pe et Putsch. — 47) *Quomodo* Pe. Putsch. Error ortus ex male intellecto scribendi compendio. Paullo post *e littera — e autem syllaba* Cod. Bob. male. — 48) *Ut fit* Pe. Putsch. Idem *adhibeat.* — 49) *De dichronis vocalibus vel syllabis* Pe. Putsch. — 50) *Teneant* Pe. Putsch. — 51) Virg. Aen. XI, 739. — 52) Vv. *et nos cedamus amori* in Cod. desunt. Locus est Virg. Ecl. X, 69. — 53) *Enim* Pe. Putsch.

2. Item:

Ostentans[1] *artemque pater, arcumque sonantem.*

Scanditur enim sic: *Osten*, spondeus, *tans ar*[2], spondeus, *temque pa*, dactylus, *ter ar*, spondeus. Vides hic *ter* syllabam longam esse, alio loco brevem.

3. Item:

Sanguis hebet[3].

Hic *guis* syllaba brevis est; in Lucano autem longa est:

Dum sanguis inerat[4].

Vides, *i* literam fecisse[5] hanc potestatem. Item:

Tum sic Mercurium alloquitur, ac talia mandat[6].

Tur syllaba natura brevis[7], sed quia habet vocalem, producitur. Quicquid enim in *tur* syllabam[8] finitur, breve est, ut postea dicemus. Nec interest vocales illae cum novissima[9] syllaba[10] sint solae, an cum consonantibus sint, utroque enim modo dichronae sunt. Video[11] tamen dichronas etiam hoc compendio posse tradi[12], ut in heroo versu cuiuscunque pedis syllaba prima[13], cum a superiore verbo remanserit promiscue longa fuerit an brevis[14], ut poeta voluerit, quoniam[15] in ea pars orationis impletur, quodque[16] ut in versu, sic in verbo vox attendatur.

Segm. IV. *De Graecis nominibus.*

Quaecunque sunt[17] Graeca nomina, id est, quae in Latinis eadem sunt, ea cum in *es* syllabam, aut in *as* exeunt, brevia sunt contra naturam et consuetudinem Latinorum[18], hu- [1967] iusmodi enim nomina Latina, quae plurali numero in *es* syllabam exeunt, aut in *as*, longa natura sunt, ut principes, arbores, milites, optumas[19], feminas, sarcinas[20], idcirco, quae[21] in versu esse possunt Graeca, et in isdem syllabis sunt[22], brevia sunt, ut:

Gorgones, Harpyiasque[23].

Et alibi:

1) *Ostentas* male Pe. Putsch. Virg. Aen. V, 521. — 2) *Tas ar* Pe. Putsch. — 3) *Habet* Cod. Bob. Virg. Aen. V, 396. — 4) Lucan. Phars. II, 338. — 5) *Vides enim i literam fec.* Pe. Putsch. *Vides litteram fecisse* Cod. Bob. — 6) Verba *ac talia mandat* desunt in Cod. Bob. Locus est Virg. Aen. IV, 222. — 7) *Brevis natura* Pe. Putsch. — 8) *Syllaba* Pe. Putsch. — 9) *Cum in novissima* Cod. Bob. — 10) Male h. l. *vel* interponunt Pe. et Putsch. — 11) *Vides* Pe. Putsch. Paullo post *hoc etiam* Pe. Pusch. — 12) *Trahi* Pe. Putsch. pessime. Paullo post *heroico* Pe. Putsch. — 13) *Prior* Pe. Putsch. — 14) *Promiscua fiat, longa erit aut brevis*, male cohaerente oratione, Pe. Putsch. *Promiscue longa erit an brevis* Cod. Bob. Scripsi *fuerit*, quandoquidem *ut* praecessit. — 15) *Quomodo* Pe. Putsch. quemadmodum saepe peccatum in his. — 16) *Quoque ut in versu, sic in verbo non attendatur* Pe. Putsch., quae nullam praebent sententiam. *Quod quoque* Cod. Bob. ex quo faciendum *quodque*, atque ita rescripsi. Pro *non attendatur* de meo scripsi *vox attendatur*, quod fere idem sit, atque *vox acuatur*, aut *inhibeatur*. Sententia enim est haec: et quia simul in versu simul etiam in verbo, quippe terminato, vox paullum inhibeatur, aut attollatur. — 17) *Sunt* addidi e Cod. Bob. — 18) *Latinarum* Cod. Bob. — 19) *Optumas* e Cod. Bob. — 20) Pro *sarcinas* est in Cod.

— *fuso crateres olivo*[24].

Et Lucretius:

Lampadas igniferas manibus retinentia dextris[25].

Vides hic *es* vel *as*[26] syllabas breves esse, ideo quia Graeca sunt nomina.

SEGM. V. *De propriis nominibus.*

1. Nomina[27] propria, quae primam syllabam natura longam non habent, id est, quae non ex[28] duabus vocalibus iunctis constant, ut: *Aeolus*, *Aeneas*[29], et alia; quae ergo primam syllabam natura longam non habent, tales erunt syllabae, ut eas ponere volueris sive longas, sive breves, hoc exemplo:

Exercet Diana choros[30].

Hic *Di*, longa est; alio loco brevis[31]:

— *tune etiam telis moriere Dianae*[32].

Item[33]:

Armatumque auro circumspicit Oriona.

Hic longa est *Or*, alibi[34] brevis:

— *aquosus Orion*[35].

2. Nomina item, quae genitivum in *es* syllabam mittunt, eadem ipsa[36] syllaba brevia sunt, ut: *Lingones*, *Mygdones*, *Teutones*[37], *Vascones;* et accusativo, ut: *Vasconas armipotentes.* Item Graeca nomina quae in *i* litteram finiunt[38], eadem ipsa syllaba brevia sunt, ut:

Quo te Moeri pedes[39].

Scanditur enim sic: *Quo te*, spondeus, *Moeri pe*, dactylus. Videndum etiam hoc[40] est in his nominibus, quae ante novissimam syllabam *i* littera terminantur, ut est, radius, gladius. Haec enim genitivo casu per duo *i* scribuntur, huius radii, gladii; et pluraliter per duo *i*, gladii[41], ut

Bob. *runcidas*, lege: *runcinas.* — 21) *Quia* Pe. Putsch. — 22) *Sunt* addidi e Cod. Bob. — 23) Virg. Aen. VI, 289. ubi legitur: *Harpyiaeque.* — 24) Virg. Aen. VI, 225. — 25) Lucret. II, 25. — 26) *Breves esse syllabas* Pe. Putsch. — 27) *Nomina sunt propria* Pe. Putsch. — 28) *Ex* addidi e Cod. Bob. — 29) *Ut Ealus*, *Aeneas* Pe. Putsch. Sed in margine Pe. corr. *Aeolus*, *Aen.* Cod. Bob. *Aeuolus.* Ceterum in Pe. et Putsch. oratio sic est distincta, ut post *Aeneas* semicolo, post *et alia* plene interpungatur, contra mentem Grammatici. — 30) Virg. Aen. I, 449. — 31) *Brevis est* Pe. Putsch. — 32) *Tunc etiam* Cod. Pe. Putsch. *Tune* ex Virgilio scripsi. Locus est Virg. Aen. XI, 857. — 33) *Item* ascripsi e Cod. Bob. Virg. Aen. III, 517. — 34) *Hic longa est on* (sic) *alio loco br.* Pe. Putsch. Etiam Putschiana *on*, repetito errore typographico. *Hic longa est alibi brevis*, omissa syllaba *or*, Cod. Bob. — 35) Virg. Aen. IV, 52. — 36) *Eadem in ipsu syll.* Cod. Bob. *In* abest in Pe. Putsch. recte. — 37) *Theutones* Pe. Putsch. *Teutones* Cod. Bob. Tum *Bascones — Basconas* Pe. Putsch. sed iam correctum in margine Pe. *Vascones — Vasconas*, quam correctionem confirmat Cod. Bob. ubi est *Uasc.* utrobique. — 38) *In i litera finiuntur*, *in eadem* Pe. Pusch. — 39) Virg. Ecl. IX, 1. — 40) *Est* additum ex Cod. Bob. — 41) *Haec enim per duo i proferuntur in genitivo, huius radii. et pluraliter per duo*

cum poeta voluerit, in[1] hac eadem novissima syllaba, ubi duo *i* esse diximus, synaloepha[2] non fiat[3]; quo modo est versus ille Lucretii: [1968]

Non radii solis, neque lucida tela diei[4].

Scanditur enim sic: *i so*, spondeus. Vide quomodo neque *i* littera[5] interior synaloepha subtracta est, et exterior pedis partem cepit. Sed rursus cum poeta voluerit[6], synaloepham in eodem nomine facit, ut est ille Virgilii[7] versus:

Diversi rumpent radii[8].

Scanditur enim sic[9]: *Diver*, spondeus, *si rum*, spondeus, *pent radi*, dactylus. Hic enim novissima excluditur, quae longa est.

Segm. VI. *De ectasi*[10].

Interdum in nominibus appellativis prima syllaba contra naturam producitur, quia[11] aliter in versu poni non potest, ut:

Italiam contra[12].

Hic enim *I* syllaba contra naturam[13] producta est, ut esse in versu potuisset. Hoc autem modo brevem intelligimus. Necesse enim est[14], ut qualis est prima syllaba in aliquo nomine provinciali, eadem sit natura in[15] ipsa provincia, ut: *Afer* prima longa est; in *Africa*[16] eadem natura est prima littera. Ergo videamus *Italus* prima syllaba qualis sit; dabit Virgilius exemplum, ut:

Antiqua e cedro Italusque, paterque Sabinus[17].

Hic in *Italo* prima syllaba brevis est, quae nos docet, eandem in[18] *Italia* servari oportere.

Segm. VII. *De brevibus syllabis.*

Quatuor syllabae breves pro spondeo poni possunt, ut: *Genua labant.* Hic enim *Genua la*[19], scanditur, in quo pede priores duae breves iunguntur, ut unam longam faciant poetica licentia, quae magis in Iambicis versibus est permissa et[20] celebris.

i, hi gladii. Pe. Putsch. — 1) Praepositio accessit ex Cod. Bob. Ceterum hic turbae in Cod. Bob. *in hanc eandem novissimam syllabam duo .i. est diximus*, omisso *ubi*. Scripsi igitur: *in hac eadem novissima syllaba, ubi* cet. — 2) *Hic synaloepha.* Pe. Putsch. Cod. Aut scribendum *haec s.* aut prior vox omittenda. — 3) *Sit* Pe. Putsch. *Fit* Cod. Bob. scripsi ergo *fiat.* — 4) Lucret. II, 59. — 5) *Quomodo i litera neque int.* Pe. Putsch. — 6) *Voluit;* ita semper in hac formula prima manus in Cod. atque etiam in supp. Sed ubique corr. *voluerit*, quod verum est. — 7) *Ut est Virgilii* omisso pronomine. Pe. Putsch. — 8) Virg. Georg. I, 446. — 9) Verba: *Scanditur enim sic* omissa in Cod. Bob. — 10) *De iectasi* Cod. Bob. Deest inscriptio in Pe. Putsch. — 11) *Qui aliter* Putsch. *Quia* Pe. Cod. Bob. — 12) *Italiam contra* Cod. Bob. recte. *Contra* omm. Pe. Putsch. Virg. Aen. I, 13. — 13) *Hic enim contra naturam syllaba* Pe. Putsch. — 14) *Necesse est enim* Pe. Putsch. — 15) Praepositio accessit e Cod. Bob. — 16) *In Africa enim* Pe. Putsch. — 17) Verba: *Antiqua e cedro* addidi e Cod. Bob. Locus est Virg. Aen. VII, 177. — 18) *Eadem et in* Putsch. *Eandem et in* Pe. — 19) Hic iterum *Genua labant* Cod. Bob. — 20) *Et* desideratur in Pe. Putsch. — 21) *Heroico* Pe. Putsch. — 22) Verba: *superest, quam* accesserunt e Cod. Bob. — 23) *Synaloephen*

SEGM. VIII. *De concatenatis syllabis.*

Interdum in heroo[21] versu novissima syllaba superest, quam sequenti versui adiungi necesse est per synaloepham[23], ut est ille versus in Virgilio: [1969]

Iamque iter emensi, turres ac tecta Latinorum
Ardua cernebant[24].

Scanditur enim sic: *Iamquiter*[25], dactylus; *emen*, spondeus; *si tur*, spondeus; *res ac*, spondeus; *tecta La*, dactylus; *tino*, spondeus. Novissima versus syllaba[26] quae superest *rum*, revocatur ad sequentem versum per synaloepham, ut dicatur[27]: *Rardua cernebant*, et cetera. Huic similis et ille versus est[28]:

Inseritur vero ex foetu nucis arbutus horrida[29].

Syllaba enim novissima, quae est *da*, ad sequentem versum refertur, quare necesse fuerit in re istiusmodi[30] sequentem versum a vocali incipere, ut synaloepha fieri possit illa, quam diximus.

SEGM. IX. *De casibus.*

1. Nominativus omnis numero singulari, qui *us* syllaba terminatur, eadem ipsa syllaba natura brevis est, ut doctus, carus, sanctus, et alia. Genitivus omnis, qui *i* littera terminatur, natura longus est, ut docti, cari, sancti. Dativus omnis in o[31] littera terminatus longus est, ut caro, sancto, docto. Accusativus omnis, qui *m* littera terminatur, positionem exspectat, aut synaloepham, quia nulla syllaba in *m* literam exit, quae non alterutrum quaerat[32]. Vocativus omnis *e* littera terminatus natura brevis est, ut[33] docte, care, sancte. Ablativus omnis *o* littera terminatus natura longus est, ut ab hoc docto, caro, sancto. Nam pluralis nominativus omnis in *i* cum finiet, longus[34] est natura, ut hi docti, cari, sancti. Dativus omnis pluralis in *is* terminatus longus est, ut doctis, caris, sanctis. Accusativus pluralis in his, qui[35] in *os* syllabam finiuntur[36], longus est, ut doctos, caros, sanctos. Vocativus[37] pluralis in *i* litteram finitus, longus est, ut docti, cari, sancti. Ablativus aeque longus qui in *is* finitur[38], ut ab his doctis, caris, sanctis.

Putsch. *Synalipham* Cod. Bob. ut semper. — 24) Virg. Aen. VII, 160. seq. Verbum *cernebant* deest in Cod. Bob. *ardua* inter versus ascriptum. — 25) *Iamquitur* una voce Bob. *Iamque iter* Putsch. *Iamque ter* Pe. — 26) *Novissimus cuns syllaba* Cod. Bob. sed corr. *cuius*, ut igitur scribendum videatur: *spondeus novissimus, cuius syllaba, quae superest* cet. Sed magis placet lectio Pe. et Putsch. quam retinuimus. — 27) *Ut si dicas* Pe. Putsch. *Ut dicatur* Cod. Bob. a prima manu, corr. *ut dicas*; nos primam manum secuti sumus. — 28) *Cernebant etc. Est huic similis ille versus* Pe. Putsch. — 29) Virg. Georg. II, 69. Cf. quae ad hunc locum disputavit Iahn. V. Cl. in ed. Virg. Teubn. Ceterum apud hunc Gramm. legendum est *et foetu* pro *ex foetu*. — 30) *In re istiusmodi.* Ita recte Cod. Bob. *In re* desunt in Pe. et Putsch. — 31) *Dativus semper qui* o Pe. Putsch. — 32) *Utrumque quaerat* Pe. Putsch. — 33) *Brevis est natura ut* Pe. Putsch. — 34) *Omnis in i cum fiet, longus* Bob. fortasse recte. Sed quia huic scriptori usitatius est in similibus v. *finire*, scripsi *finiet*. — *Omnis cum i finitur, longus* Pe. Putsch. — 35) *Accusativus omnis pluralis qui* Pe. Putsch. — 36) *Finitur* Pe. Putsch. Tum *natura longus est* Pe. Putsch. *natura* abest in Cod. Bob. — 37) *Omnis* h. l. interponitur in Pe. Putsch. — 38) *Ablativus omnis qui in is finitur aeque longus est* Pe. Putsch. fortasse melius.

2. Item quicquid in *is* syllabam nominativo et genitivo singulari exit, breve est, [1970] ut lapis, apis. Quicquid in *r* finitur, in genere masculino breve est, ut doctor, cantor, pater, frater. Nam quicquid in *es* syllabam pluraliter finitur longum est, ut doctores, homines, arbores, et quicquid sic terminatur. Item quod exit[1] in *bus* syllabam, breve est, ut cantoribus, doctoribus.

Segm. X. *De genere feminino*[2].

1. In genere feminino casus nominativus solus sic variatur[3]: haec tabula; brevis est nominativo, ablativo longa[4]. Omnia nomina generis feminini[5], quae[6] *a* littera terminantur, novissima syllaba in nominativo brevia sunt[7], ablativo longa[8].

2. Omnis autem casus[9], cuiuscunque generis, *m* littera terminatus[10], novissimam syllabam longam natura habere non potest[11], sed aut positionem, aut synaloepham exspectat.

3. Nomina generis feminini, quae in *es* syllabam finiunt[12], si eadem ipsa syllaba in genitivo non producitur, tam in nominativo, quam in ablativo brevia sunt. Si autem eadem syllaba in genitivo producitur, tam in nominativo, quam in ablativo longa syllaba novissima est[13]. Quod dico exemplum, huiusmodi est[14]: haec lues; *es* syllaba brevis est, quia genitivus[15] *luis* facit: haec fides; *des* syllaba longa est propterea, quia genitivus producit illam[16]; facit enim huius fidei. Quo modo est haec facies; *es* syllaba longa est, quoniam[17] in genitivo producitur, huius faciei. Ergo quas syllabas genitivus producit, hae in nominativo et ablativo longae sunt, ut haec fides, fidei, a fide; facies, faciei[18], a facie. Quas syllabas genitivus corripit, aut mutat, breves sunt nominativo, genitivo et ablativo[19]: lues, luis, lue. Quicquid in genitivo *is* syllaba terminatur, breve est in ablativo, sed hic est genitivus, quo cognoscuntur plerumque novissimae syllabae nominum, quales esse debeant[20], ut est paupertas et palus[21]. *Tas* enim ideo longa est, quia genitivus eam producit; dicimus enim paupertatis, *ta* producta; et paludis[22] media syllaba producta: quomodo est

1) *Quod in bus syllabam exit* Pe. Putsch. — 2) Inscriptio deest in Putsch. Sed in Pe. inscribitur: *In genere Foeminino.* — 3) *Ut* interponitur a Pe. Putsch. — 4) *Brevis est, ablativus longus est* Pe. Putsch. — 5) *Feminini generis* Pe. Putsch. — 6) *In* addunt Pe. Putsch. — 7) *Brevia sunt in nominativo* Pe. Putsch. — 8) *Vero longa* Pe. Putsch. — 9) *Accusativus casus* Pe. Putsch. — 10) *Qui m litera terminatur* Pe. Putsch. — 11) *Habere potest natura* Pe. Putsch. — 12) *Finiuntur* Pe. Putsch. — 13) *Longa est novissima syllaba* Pe Putsch. — 14) *Huiusmodi est exemplum, ut* Pe. Putsch. — 15) *Genitivus* Pe. Putsch. — 16) *Eam* Pe. Putsch. — 17) *Quoniam* recte Cod. Bob. *Quomodo* Pe. Putsch. — 18) *Huius fidei a fide, faciei* Putsch. Nominativum *facies* interponunt Pe. Cod. Bob. *Huius* abest a Cod. — 19) *Breves sunt: In nominativo et ablativo* Pe. *Br. sunt in nominativo et ablativo* Putsch. Statim *ut* addunt Pe. Putsch. — 20) *Sed hic genitivus, quo cognoscuntur novissimae syllabae plerumque, nominativum qualis esse debeat, ostendit* Pe. Putsch. absurde. — 21) *Et palus* desunt in Pe. Putsch. Paulo post *producit eam* Pe. Putsch. — 22) *Palus, paludis* Pe. Putsch. Paullo ante *enim* post v. *dicimus* deest in Pe. Putsch — 23) *Est* addidi e Cod. Bob. Ceterum notandum est, omitti h. l. segmentum de verbo in Cod. Bob. quod infra sequitur, ceteris absolutis. — 24) *Quomodo* Pe. Putsch. errore saepe obvio. — 25) *Et tempora* Pe. Putsch. — 26) *Similis est prima coniugatio novissima syllaba in o.* Pe. Putsch. — 27) *Finiuntur* Pe. Putsch. — 28) *Ut* addidi e Cod. Bob. Tum *clamas manes sedes.* Cod. Bob. — 29) Praepositio deest in Pe. Putsch. — 30) *Clamare, sedere*

hic Samnis; longa est *nis*, facit enim genitivo huius Samnitis, media producta: item [1971] amnis brevis est[23], quoniam[24] syllabam *nis* non producit genitivus.

Segm. XI. *De verbis.*

1. In verbis vel coniugationibus attendendae sunt positiones[25], tempora, et syllabae novissimae, quae his fere regulis colliguntur. Primae coniugationis novissima syllaba[26] similis est in omnibus coniugationibus. Omnes enim coniugationes, quae in *o* litteram finiunt[27], dichronae sunt, ut canto, moneo, dico, sed positionibus discrepant. Nam secunda positio primae et secundae coniugationis longa ut sit necesse est, ut[28] cantas, clamas, mones; hae enim novissimae producuntur in[29] infinitivo modo; dicimus enim cantare, monere[30]. Imperativus quoque modus coniugationum supradictarum syllaba novissima longa[31] est; propterea, quia syllaba ipsa producitur in infinitivo[32]. In tertia[33] coniugatione correpta secundae positiones breves sunt; quia in infinitivo[34] produci non possunt. Dicimus enim: legis legere, ducis ducere. In imperativo[35] quoque eaedem syllabae[36] novissimae breves sunt, quia non producuntur in infinitivo, lege[37], scribe, et omnino quae syllabae mutantur breves sunt; mutantur autem sic[38]: legis, lege, legere: dicis, dice, dicere: scribis, scribe, scribere.

2. Tertia longa, quae dicitur. similis est coniugationis primae et[39] secundae; propterea quod quemadmodum infinitivus producit in illis[40] medias syllabas, sic et[41] in hac. Quapropter *finis*[42], tertia coniugatio est, et ideo longa[43], quia finire dicimus in infinitivo[44] *i* producta; sicut audis audire. Rursus[45] *faxis*, *adsis*, *velis*[46]; nam *is* novissima syllaba ideo longa est, quia pluralis numerus eam producit. Dicimus enim producta media syllaba: *faxitis*[47], *adsitis*, *velitis*. Quae autem produci media in plurali numero non possunt, brevia sunt, ut dicis dicitis, legis legitis. Nam illa longa sunt ut[48] audis, finis, quia producuntur in plurali[49] ut[50] auditis, finitis. Omnes in verbis[51] syllabae novissimae, quae sunt huiusmodi, ut res aut ses[52], longae sunt; quia produ- [1972] cit eas numerus[53] pluralis, ut audires, audiretis, clamasses, clamassetis[54]. Omnes infinitivi, qui

addunt Pe. Putsch. — 31) *Longus est* Pe. Putsch. Paullo ante pro *supradictarum* in Cod. est: *s͞s tarum*, quod fortasse notat: *suprascriptarum*. — 32) *Modo* addunt Pe. Putsch. — 33) *Autem* interponunt Pe. Putsch. Paullo post *correpta* deest in Cod. Bob. non recte. — 34) *Modo* adiicitur in Pe. Putsch. — 35) *Modo* addunt Pe. Putsch. — 36) *Eaedem syllabae* Cod. Bob. *Eaedem* deest in Pe. Putsch. — 37) *Modo, ut lege, duce, scribe* Putsch. *Modo, ut legere, ducere, scribere* Pe. *Modo, ut,* desunt in Cod. Bob. ubi tum legitur: *legere, scribere.* Sed recte imperativum se habere puto, quem recepit Putschius. Omisi tamen *duce.* — 38) Pro vv. *mutantur autem sic* in Pe. et Putsch. legitur *sicut.* Tum voces *lege* et *dice* in Cod. inter versus ascriptae leguntur. — 39) *Tertia longa est quae dicitur similis primae coni.*, absurde, Pe. Putsch. — 40) *Producitur illis* male Cod. Bob. — 41) *Sic producit et* Pe. Putsch. — 42) *Quapropter finire dicimus* Pe. *Quapropter dicimus finis* Putsch. — 43) *Tertia coniugatione longa* Putsch. *Tertia coniugatio est et ideo longa* Pe. Cod. Bob. — 44) *Quia in infinitivo finire dicimus* Pe. Putsch. — 45) *Rursum* Pe. Putsch. — 46) *Velis* om. Cod. Bob. — 47) *Faxitis* om. in Cod. sed post *velitis* ascriptum inter versus. — 48) *Ut* additum e Cod. Bob. — 49) *Plurali numero* Pe. Putsch. — 50) *Ut* additum e Cod. Bob. — 51) *Omnes verbi novissimae syllabae* Pe. Putsch. nisi quod *ubi* pro *verbi* Pe. — 52) *Ut res aut ses.* Ita scripsi e Cod. Bob. Particulas *ut* et *aut* omiserunt Pe. et Putsch. — — 53) *Pluralis numerus* Pe. Putsch. — 54) *Clamares, clamaretis* Cod. Bob. sed corr.

syllaba *re*[1] terminantur, breves sunt, ut clamare, monere, dicere, finire. Omnes in verbis syllabae quae huiusmodi sunt, ut in *tis* exeant, breves sunt, ut clamastis, dixistis, fecistis. Infinitivi[2] omnes passivorum, communium deponentiumque[3] verborum quoniam[4] in *i* exeunt, longi sunt, ut clamari, moneri, dici, finiri. Et quicquid in[5] verborum declinatione in *i* exierit, longum est, ut clamavi, monui, dixi, finivi. Haec[6] de novissimis syllabis dicta sunto[7].

3. De primis autem inveniendis hoc erit videndum. Omnes igitur[8] coniugationes excepta tertia simplici[9], hoc est, longa, in aliquibus verbis primas syllabas temporum ratio permutavit[10]. Nam quae[11] in praesenti tempore breves sunt[12], in omni praeterito perfecto, vel in omni praeterito plusquamperfecto vel in uno futuro modi tantum coniunctivi producuntur, in reliquis autem modis et temporibus breviantur. Ergo prima coniugatio[13] tempore praesenti corripitur, ut lavo; praeterito, ut lavi; et coniunctivo futuri[14] producitur, ut lavero. Secunda similiter praesenti tempore corripitur, ut moneo[15]: praeterito et coniunctivo futuri[16] producitur, ut monui, monuero[17]. Tertia correpta similiter[18] corripitur, ut *odio:* praeterito et coniunctivo futuri[19] producitur, ut odi[20], odero. Infinitivus autem modus similiter in aliquibus verbis tempore praesenti corripitur, ut[21] legere; tempore praeterito et[22] futuro producitur ut movisse, motum ire; legisse, lectum ire. Sed[23] sunt plurima verba, quae nunquam temporum varietate mutantur hoc modo. Est igitur coniugatio prima semper correpta, ut voco; item[24] semper producta, ut numero. Est similiter et secunda semper correpta, ut doleo. Item semper producta, ut debeo[25]. Est aeque tertia semper correpta, ut *tero.* Item semper producta, ut *munio.* Sunt etiam ali- [1973] qua similiter[26] participia, quae in primis syllabis temporum varietate mutantur, ut quae in praesenti tempore brevia sunt, in praeterito et futuro non quidem natura, sed positione producta sunt, ut legens, lectus, lecturus.

3. Nunc de trisyllabis, quae sic variantur, quomodo et disyllaba[27]; hoc uno distant[28], quod indicativo modo, specie imperfecta, in primis syllabis brevia sunt, ut legebam, veniebam; nam in disyllabis hac ipsa imperfecta specie longa sunt[29], ut ibam, nabam. Sed ex hac[30] ratione primas syllabas rite cognoscimus, ut praepositionem verbo illi[31] addamus, cuius prima syllaba[32] cu-

1) *Rem* vitiose Cod. Bob. — 2) *Autem* interponunt Pe. et Putsch. — 3) *Et communium et deponentium verb.* Pe. Putsch. — 4) *Quando* Pe. Putsch. — 5) *Et quidquid in i in verb.* Pe. Putsch. — 6) *Autem* male addunt Pe. Putsch. — 7) *Sunto* dedi de coniectura. *Sunt* Cod. Bob. Pe. Putsch. — 8) Sic Cod. Bob. Pe. Putsch. sed *igitur* delendum videtur. — 9) *Simplici tertia* Pe. Putsch. — 10) *Ratione permutant* Pe. Putsch. — 11) *Nam illa quae* Pe. Putsch. — 12) *Brevia sunt* Pe. Putsch. *Brevis est* Cod. Bob. Scripsi ergo *breves sunt*, relatum ad *coniugationes.* — 13) *Coniugatio prima* Pe. Putsch. — 14) *Praeterito perfecto vel coniunctivo futuro producitur, ut lavi, laveram, lavero.* Pe. Putsch. *Coniunct a t i vo* Cod. — 15) *Moveo* Pe. Putsch. — 16) *Praeterito perfecto vel coniunctivo futuro* Pe. Putsch. *Vel* h. l. etiam Cod. Bob. quod corrigendum erat. — 17) *Movi, moveram, movero* Pe. Putsch. — 18) *Praesenti tempore* addunt Pe. Putsch. — 19) *Praeterito perfecto vel coniunctivo futuro* Pe. Putsch. *Vel* etiam Cod. quod correxi. — 20) *Oderam* male interponunt Pe. Putsch. — 21) *Movere, legere* Pe. Putsch. Cod. Correxi. — 22) *Et* dedi e coni. *Vel* Pe. Putsch. Cod. — 23) *Sed* addidi e Cod. Bob. — 24) *Item* addidi e Cod. Bob. — 25) *Debeo* scripsi e Cod.; *soleo* Pe. Putsch. — 26) *Aliqua participia similiter* Pe. Putsch. — 27) *De trisyllabis nunc item dicendum est, quae* Pe. Putsch. — 28) *Hoc modo distant* Pe. Putsch. — 29) *Nam in dissyllabis in hac ipsa specie longa sunt* Pe. Putsch. *Nam i. d. hac i. sp. perfecta l. s.* Cod. Bob. Sine dubio intelligitur imperfectum tempus, qua de caussa rescripsi *imperfecta sp.* — 30) Praepositio deest in Pe. et Putsch. — 31) *Ut si praepositionem illi verbo add.* Pe. Putsch. Interpretamentum cum genuina lectione coniunctum. — 32)

ius naturae sit, quaerimus. Cum ergo addiderimus verbo praepositionem, sciamus, quomodo id[33] consuetudo pronunciet, cuius rei exemplum hoc est: dico, dicas, dicat, ab eo quod est dicare. Addamus illi praepositionem *de*, et faciamus dedico. Videamus, quomodo pronunciet consuetudo[34], producta media an correpta; utique correpta, ut *dedico*. Sic invenimus et longas, ut clamo. Addamus[35] praepositionem *in*, ut fiat *inclamo;* producta media dicimus, non correpta.

4. Item sunt nomina, quibus praepositio addi non potest, ut *halitus*. Faciamus ex hoc verbum; erit *halo*[36]. Huic addamus praepositionem; fiet *exhalo*[37]; media syllaba producta pronunciamus. Ibi apparebit, qualis etiam sit *halitus* in prima syllaba[38]. Medias ergo syllabas coniugationes docent, extremas verbi ipsius declinationes. Primas autem docent exempla, vel illae, quas dixi, praepositiones. Haec prudenti satis sunt, isque[39] exemplis omnia in promptu habebit.

5. Rhetoricam autem eloquentiam, id est *veram*[40], nosse non poterit, nisi qui ad eam hoc vestigio venerit. Primum ut discat, quot sint metrorum[41]; deinde quae sit natura syllabarum in verbis, quod[42] hic docuimus. Tum quid sit colon[43], quid comma; deinde quid sit periodus, quid numerus[44], quid orationes solutae[45], quid sit[46] numerosum; quae sint praeterea tres primae figurae dicendi, temperamento magnopere subtili[47]. Postremo quae sint figurae verborum, quae[48] sententiarum. His impletis[49] Ciceronis rhetoricam omniaque eius incipiat legere[50], id est totam rhetoricam[51] seque cotidie exerceat.

SEGM. XII. *De participiis.*

Omnia participia, quae in *ans* syllabam aut[52] in *ens* mittunt, positione sua[53] longa sunt. Nam quae in *i* aut in *o*[54] mittunt, quasi nomina existimantur, de quibus iam dictum est.

Primam syllabam Pe. Putsch. — 33) *Quomodo eam c.* Putsch. *Quomodo cum c.* Pe. *Qaomodo eam* Cod. Bob. sed ab eadem manu corr *id*, quod verum est. — 34) *Quomodo consuetudo pronuntiat* Pe. Putsch. Statim *si producta med.* Pe. Putsch. Recte *si* abest in Cod. Bob. — 35) *Illi* addunt Pe. Putsch. — 36) *Faciamus verbum halo* Pe. Putsch. Fortasse recte. — 37) *Ut fiat exhalo* Pe. Putsch. — 38) *Etiam halitas quale sit in pr.* Pe. Putsch. Fortasse rectius. — 39) *Hisque exemplis* Pe. Cod. Bob. Non recte. Nam regulas dedit Grammaticus. Vult vero, ut prudentes inter lectionem attendant atque inde consuetudinem discant. — 40) *Verum* Pe. Putsch. — 41) *Discat qui sint pedes metrorum* Pe. Putsch. — 42) *Iam* h. l. interponunt Pe. Putsch. — 43) *Tum quid sit periodos; deinde quid sit colon* Pe. Putsch. — 44) *Quid comma, quid sit numerus* Pe. Putsch. — 45) Fortasse legendum: *Quid oratio soluta.* — 46) *Sit* deest in Pe. et Putsch. — 47) *Dicendi, magnopere subtile est* Pe. Putsch. *Temperamento magno subtili* Cod. Bob. Ergo emendatio facilis. — 48) *Atque sent.* Pe. Putsch. — 49) *Completis* Pe. Putsch. — 50) *Ciceronis sententias rhetoricas debet nosse omniaque legere incipiat* Pe. Putsch. manifesta interpolatione. Post v. *omniaque* in Cod. sigla est, quae denotat *eius*, quam haud dubie alii librarii non intellexerunt. — 51) *Nosse* h. l. iterum inculcant Pe. Putsch. Ceterum revera videtur hoc loco finis esse totius libelli, quapropter etiam in Cod. Bob. ascriptum *finit.* Nam ut supra indicavi, transpositum est in Cod. segmentum de *verbis*, et librum absolvit. — 52) *Et* Pe. Putsch. — 53) *Sua* interponit Cod. Bob.; deest in Pe. Putsch. — 54) *Syllabam* intrudunt Pe. Putsch.

SEGM. XIII. *De adverbiis.*

Omnia adverbia, quae in *e* mittunt, exceptis *bene* et *male* et *fere*, *prope* et *pone*, *pene* et *saepe*[1]; his ergo exceptis, illa quae de nominibus manant, longa sunt, ut pulchre, sancte, docte[2]. Illa autem brevia sunt, quae[3] nomina nulla habent, unde deriventur[4], quomodo illa: docte, quia doctus; sancte, quia sanctus[5]. Rursum quae a nominibus derivantur, si in *er* syllabam finiunt[6], brevia sint necesse est, ut duriter, turpiter, misericorditer. Quae autem in *m* litteram finiunt[7], positionem aut synaloepham exspectant. Item illa, quae in *a* litteram exeunt, longa sunt, ut ultra, una[8].

1) *Et fere, et prope, et pone, et pene* Pe. Putsch. — 2) *Iuste* interponunt Pe. Putsch. — 3) *Quia nom.* Putsch. *Quae n.* Pe. Cod. Bob. — 4) *Derivantur* Pe. Putsch. *Diriventur* Cod. Bob. — 5) *Iuste quia iustus* addunt Pe. Putsch. — 6) *Exeunt* Pe. Putsch. — 7) *Fiunt* Cod. Bob. ex neglecto compendio. Recte *finiunt* Pe. Putsch. Simile exemplum neglecti in hoc verbo compendio supra legimus, ubi *fiet* in Cod. pro *finiet.* — 8) *Una* deest in Cod. Bob.

ASPERI IUNIORIS

ARS GRAMMATICA.

PRAEFATIO EDITORIS.

Ex quo codice manu exarato Putschius Asperi artem emendaverit, haud indicavit, quare credibile est, nullum ab illo librum praeter eos, qui tunc editi erant, ad usum esse vocatum. Mihi quidem praeter Ascensianam, quae cum Veneta ad singulas fere litteras conspirare solet, quemadmodum in aliis Grammaticis satis sum edoctus, nulla ad manum fuit editio. Codice autem MS. usus sum Gothano, chartaceo quidem, sed quem ex optimo et antiquissimo exemplari esse descriptum satis apparet; cuius conferendi beneficium praestitit mihi Dübnerus, Vir Clarissimus, cui gratiae a me actae sunto, quantae excogitari possunt maximae. Etiam hic *Asper*, cui cognomen Iunioris additum esse puto a recentioribus, ut eum ab prisco illo Grammatico discernerent, qui commentarios in Salustium et Virgilium conscripsit, et quem toties in testimonium vocant Charisius, Priscianus, Servius in commentariis ad Virgilium, et Pompeius, is quando et

ubi vixerit, quid hominis fuerit, haud facile alicubi scriptum legitur, neque in ipso eius libello, quem nunc emendatiorem damus, vestigium aliquod temporis invenitur, si excipias, quod omne orationis genus aetatem non plane extremam prodere et vix infra Prisciani aetatem descendere videatur. Scripsi in Gymnasio Zittaviensi Non. Novembr. cIↃIↃcccxxx.

ASPERI IUNIORIS GRAMMATICI ARS[1]. [1725]

Segm. I.

1. Ars est comprehensio praeceptorum ad utilitatem usui accommodata per artificis sui exercitationem: medendi, ut medici; declamandi, ut rhetoris; legendi, ut grammatici.

2. Grammatica est scientia recte scribendi, enunciandi, interpretandique; poemata[2] per historiam, formata[3] ad usum rationemque verborum. Quam Terentius etiam Varro primum, ut adhuc rudem, appellatam esse dicit *litteraturam*[4].

Segm. II. *De Littera.*

Littera est minima pars vocis explanatae[5]. Sunt autem, ut etiam ratiocinatorum[6] usu receptum est, litterae Latino sermoni accommodatae una et viginti; quibus Graecorum accedunt duae *z* et *y*. Nam *Mezentium* et *Hylam* et alia nobis peregrina nomina scribere et enunciare proprio sono non possumus. Litterarum aliae vocales sunt, aliae consonantes. Vocales quinque: *a*, *e*, *i*, *o*, *u*. Consonantium aliae semivocales septem: *f*, *l*, *m*, *n*, *r*, *s*, *x*. Mutae octo[7]: *b*, *c*, *d*, *g*, *k*, *p*, *q*, *t*. Item *h* in earum numerum redigitur[8], quando non aspirationis, sed litterae loco ponitur. Littera tribus modis intelligitur: nomine, quo enunciatur; potestate, qua valet; figura, qua scribitur[9].

Segm. III. *De Syllaba*[10].

Syllaba est litterarum inter se coeuntium una iunctura, vel enunciatio litterae vocalis cum adiunctione[11] temporis. Syllaba autem sine vocali littera, vel litteris non potest fieri. Syllaba-

1) *Incipit Ars Aspri grammatici* Cod. Go. *Ars Aspri iunioris Grammatici.* Asc. — 2) *Poetas* Asc. P. *poematae* Go. — 3) Verba *per historiam* trahuntur ad sequentia apud P.; sed spectant proxime ad v. *interpretandi*, quare commate distinguendum post v. *historiam.* Tum *formatam* Asc. P. Go. pessime. *Scientia* enim dicitur *formata* ad usum rationemque verborum, quae ipsa est Grammatica. Igitur scripsi *formata.* — 4) *Terentius et Varro Go.* Scripserat illud Varro in libro, quem *de Grammatica* edidit, cuius paucula tantum supersunt fragmenta, quibua accedit hic Asperi locus, ex quo emendandus est Isidori locus Origg. lib. I. c. 3., ubi vulgo legitur: *Eam Varro litterationem vocat;* legendum enim *litteraturam.* Cf. Varron. Ed. Bip. tom. I. pag. 203. — 5) *Explinatae* Go. — 6) *Ratiocinatore usu* Putsch. Asc. ex non intellecto compendio finalis syllabae. Sunt enim *ratiocinatores* qui rationes computant vel computare docent, die Rechner, Rechnenmeister. — 7) *Mutae VIIII* Go. Sed *h* in seqq. omissa, quam male addunt Asc. P. — 8) *Regitur* Go. — 9) His addita in Go. *ut alii et ordine constat*, quae sunt insulsi librarii, qui alicubi legere se meminerat de ordine litterarum. — 10) *De Syllaba.* Haec inscriptio deest apud Asc. et P. — 11) *Vocalis adiunctione* omissa praep. Asc.

rum aliae longae, aliae breves. Longae aut[1] natura sunt, aut positione, et habent bina tempora. Natura duobus modis intelligitur: aut[2] cum vocalis per se longa est, aut cum [1726] vocalis vocalesque inter se iunctae producuntur[3], ut *ae*. Positione longae syllabae fiunt modis octo. Primo modo, quotiens desinit in consonantem et excipitur ab altera consonante, ut: [*Arma virumque cano.*][4] *Ar* enim syllaba cum brevis est, tamen[5] positione fit longa, quia desinit in consonantem *r*, et excipitur a consonante *m*. Ita et *Arma vi*, dactylus, qui constat ex longa et duabus brevibus. Secundo modo fit longa syllaba, quotiens desinit in duas consonantes, ut: [*Ast ego, quae divum incedo.*[6]] *Ast* enim positione longa est, quia desinit in *s* et *t* ambas consonantes. Tertio modo longa syllaba est positione, quotiens excipitur a duabus consonantibus[7], ut: [*Atrides Protei.*[8]] Nam etsi *A* correpta est, tamen positione fit longa, quia sequuntur[9] *t* et *r*. Quarto modo, quotiens desinit syllaba in duplicem litteram, ut: [*Ex illo celebratus honos.*[10]] Quinto, quotiens syllaba excipitur a duplice[11] littera, ut: [*Exulibusne datur ducenda Lavinia Teucris.*[12]] Sexto, quotiens excipitur a vocali consonantis loco posita, ut: [*At vero ingentem quatiens Mezentius hastam.*[13]] Septimo, quotiens desinit syllaba in vocalem loco consonantis positam et excipitur a consonante, ut: [*Audieras et fama fuit.*[14]] Octavo, quotiens syllaba a vocali excipitur consonantis[15] loco posita, ut: [*Troiaque nunc stares, Priamique arx alta maneres.*[16]] Breves sunt syllabae, quae vocali correpta efferuntur et habent tempora singula.

Segm. IV. *De Pedibus.*

Pedes simplices sunt duodecim. Bisyllabi, hoc est, binarum syllabarum, quatuor: [1727] pariambus[17], spondeus, iambus, trochaeus. Trisyllabi, hoc est trinarum[18] syllabarum, octo: anapaestus, dactylus, brachysyllabus, molossus, amphibrachus, creticus, bacchius, palimbacchius. Pariambus[19] constat ex duabus brevibus, et est minimus, solusque duo tempora habet, ut est *homo*. Huic contrarius est spondeus, qui constat ex duabus longis, et habet tempora quatuor, ut *moles*[20]. Iambus constat ex brevi et longa temporum trium, ut *apes*. Huic contrarius est trochaeus, qui constat ex longa et brevi temporum trium, ut *acer*[21]. Anapaestus constat ex duabus brevibus et longa temporum quatuor, ut *aries*. Huic contrarius est dactylus, qui constat ex longa et duabus brevibus temporum quatuor[22], ut *caelifer*. Brachysyllabus, quem quidam tribrachum vocant, qui constat ex tribus brevibus temporum trium, ut *iaculum*. Huic contrarius est molossus, qui constat ex tribus longis, et est de simplicibus pedibus maximus, temporum sex, ut *Aeneas*. Amphibrachus constat ex brevi et longa et brevi, temporum quatuor[23], ut *amicus*. Huic contrarius est creticus, quem et amphimacrum appellant, qui constat ex longa et brevi et longa, temporum quinque, ut *alipes*[24]. Bacchius constat ex duabus longis et brevi,

P. *Voc. tum adi.* Go., quod correxi *cum adi.* — 1) *Longe autem* P.; recte *aut* Go. Asc. Tum *natura fiunt* male Go. — 2) *Intelligitur cuius vocalis* Go. mendose. — 3) *Vocalis vocali inter se iuncta producitur* P. *Vocalis vocali inter se iunctae producunt* Asc. Veram lectionem servavit Go., nisi quod *vocalis vocalesve*, pro quibus putavi rescribendum *vocalis vocalesque*. — 4) Initium Aeneidos. — 5) Verba: *cum brevis est tamen* accesserunt ex Go. desunt in Asc. et P. — 6) Virg. Aen. I, 46. — 7) *A conson. duabus* Asc. P. — 8) *Protei* deest in Asc. P. *Proti* Cod. Go., quod fortasse scribendum fuit. Virg. Aen. XI, 262. — 9) *Sequitur* Asc. P. *secuntur* Go. — 10) *Honor* Go. Virg. Aen. VIII, 268. — 11) *Duplici* Asc. P. — 12) Virg. Aen. VII, 359. *Teucris* deest in Go. — 13) Virg. Aen. X. 762. — 14) Virg. Ecl. IX, 11. — 15) Verba *excip, cons.* male desunt in Go. — 16) Virg. Aen. II, 56. — 17) Male *Pyrrhichius* P. Asc. — 18) *Ternarum* Asc. P. — 19) *Pyrrhichius* Asc. P. — 20) *Ut est moles* Asc. P. — 21) *Ut venter* Asc. P. — 22) Verba *temp. qua-*

temporum quinque, ut *saetosus*[25]. Huic contrarius est palimbacchius, qui constat[26] ex brevi et duabus longis, temporum quinque, ut *Achates*[27].

SEGM. V. *De Partibus Orationis*[28].

1. Partes orationis sunt octo: nomen, pronomen, verbum, adverbium, participium, coniunctio, praepositio, interiectio.

De Nomine.

2. Nomen est pars orationis, qua res quaeque appellatur, sive est animalis, ut homo, Cato; sive inanimalis, ut arbor, lapis; sive etiam incorporalis, ut perfidia, clementia. [1728] Nomini accidunt[29] quinque: qualitas, genus, numerus, figura, casus[30].

3. Qualitas nominum[31] bipartita est. Aut enim propria sunt nomina, aut appellativa. Propriorum alia praenomina[32] dicuntur, ut Caius, Marcus[33]. Alia gentilia, ut Iulius, Portius. Alia cognomina, ut Caesar, Cato. Alia agnomina, ut Numidicus, Germanicus. Sunt et unica; ut Romulus; et bina, ut Paris Alexander; et quae omnia unius sunt, ut Publius Cornelius Scipio Africanus. Appellativorum alia animalia dicuntur, ut homo, bos. Alia inanimalia, ut arbor, lapis. Alia incorporalia, ut sapientia, prudentia. Alia gentem significant, ut Gallus, Graecus. Alia numerum, ut duo, tres. Alia ordinem, ut secundus, tertius. Alia sunt primae positionis, ut ager, capra. Alia derivativa, ut agrarius, caprarius. Alia diminutiva, ut catulus, catellus[34]. Alia ad aliquid, ut pater, mater. Alia qualitatis, ut sapiens, doctus. Alia quantitatis, ut longus, latus. In quibus duobus frequentissime[35] comparatio et superlatio exspectatur. Est enim absolutum, ut doctus, longus; comparativum, ut longior, doctior; superlativum, ut doctissimus, longissimus[36].

4. Genera nominum sunt quinque. Masculinum, ut hic Cato. Femininum, ut haec porta[37]. Neutrum, ut hoc scamnum. Commune aut duobus generibus, ut hic et haec sacerdos; aut tribus generibus, ut hic et haec et hoc elegans. Promiscuum, in quo aut masculina sunt semper, ut corvus, turdus; aut semper feminina, ut aquila, cornix[38].

5. Numeri accidunt[39] duo: singularis, ut hic Cato; pluralis, ut hi Catones. Com- [1729] munis, ut dies, nubes. Sunt quaedam nomina semper singularia, ut aurum, oleum. Quaedam semper pluralia, ut Puteoli, Saturnalia. Alia forma singularia, sed vi pluralia, ut populus, exercitus. Alia contra forma pluralia[40], vi singularia, ut Idus, Nonae[41].

6. Figura nominum duplex est. Aut enim simplicia sunt nomina, ut probus; aut composita, ut improbus. Componuntur autem nomina modis quatuor. Aut enim integra corruptis

tuor desunt in Go. — 23) Vr. *temp. quatuor* desunt in Go. — 24) *Ut insulae* Asc. P. — 25) *Ut Romanus* Asc. P. — 26) Vr. *qui constat* desunt in Asc. P. — 27) *Achates FINIT.* Cod. Go. — 28) Inscriptio deest in Go. — 29) *Nomina accedunt* male Go. — 30) Hoc loco sequitur inscriptio *De Qualitate* in Asc. P. — 31) *Nominis* Asc. P. In Go. est syllabae finalis compendium, quod *um* significat, ex cuius ignoratione ortus error in Asc. et P. — 32) *Pronomina* Go. — 33) *Ut C. Caius, M. Marcus* Asc. P. *Ut C. Marcus* Go. — 34) *Catillus* Asc. P. — 35) *In quibus duo frequentissima — expectatur* Asc. P. Go., ita ut ante ista vr. commate interpungatur. Emendatio sponte se offert. — 36) Iam sequitur inscriptio *De Genere* in Asc. P., quae abest a Go. — 37) *Ut haec Portia* P. *U. haec Porcia* Asc. *Ut haec porta* Go. — 38) Sequitur inscriptio: *De Numero* in Asc. P. *Numeras* in Go. — 39) *Accedunt* Go. — 40) *Aut contra forma pl. sed vi s.* Go. — 41) Sequitur inscriptio *De Figura* in Asc. P.

iunguntur, ut insulsus; aut corrupta corruptis, ut armiger; aut integra integris, ut impotens; aut corrupta integris, ut armipotens[1].

7. Casus nominum sunt sex. Nominativus, ut hic Cato. Genitivus, huius Catonis. Dativus, huic Catoni. Accusativus hunc Catonem. Vocativus, o Cato. Ablativus, ab hoc Catone. Addunt et septimum casum, veluti cum dicimus: *nos terra vel mari vectos*[2], qui speciem ablativi habet, nec tamen est. Ipse enim aliquotiens per accusativum liquidius[3] explicatur; non utique: *terra vel mari*[4] *vectos*, sed: *per terram vel*[5] *mare vectos.* Ex hoc sensu est: [*Multum ille et terris iactatus et alto.*][6] Sunt quaedam nomina, quae non flectuntur[7] in varios casus declinata, sed una appellatione per omnes articulos efferuntur, ut frugi, nequam; quae Graeci monoptota appellant. Sunt quae declinationem omnino in quosdam casus non recipiunt, ut fas, nefas, tantum per nominativum; et sponte, tantum per ablativum in usu habentur[8].

Segm. VI. *De Pronomine.*

1. Pronomen est pars orationis, quae idem quod nomen, sed minus plene signi- [1730]
ficat. Pronomini accidunt[9] qualitas, significatio, positio, genus, numerus, ordo, figura, persona, casus. Qualitas est, qua sunt aut[10] infinita pronomina, ut quis; aut finita, ut ipse. Significatio pronominum in octo partes divisa est. Aut enim personam significant, ut quis, quae; aut rem, ut hoc, istud; aut gentem, ut cuias, nostras; aut numerum, ut quot, tot; aut ordinem, ut quotus, totus; aut qualitatem[11], ut qualis, talis; aut quantitatem, ut quantus, tantus; aut ad aliquid, ut quoius, a, um[12]; aut utraque singularia sunt, ut meus, tuus; aut utraque pluralia, ut nostri, vestri; aut extrinsecus singularia, ut noster, vester; aut intrinsecus pluralia, ut mei, tui.

2. Positio est, qua spectatur utrum interrogativa sint[13] pronomina, ut quis, uter; aut responsiva, ut hic, iste; aut segregativa, ut quisquis, uterque; aut privativa, ut[14] nequis, neuter, nemo, nihil. Numerus pronomini accidit: singularis, ut ego, quis; pluralis, ut nos, quanti; communis, ut quae, quanta. Numerus apud Graecos propter dualem numerum motus[15] habet novem; in sermone nostro quatuor. Aut enim unius numerum significamus, ut meus, tuus; aut multos multorum, ut nostri, vestri; aut unum multorum, ut noster, vester; aut multos unius, ut mei, tui, sui. Ordo accidit[16] pronominibus: nam aut praepositiva sunt pronomina, ut quis, quantus; aut subiunctiva[17], ut is, tantus. Figura pronominum duplex est: aut simplicia sunt pronomina, ut ego, tu; aut composita, ut egomet, tumet. Persona prima, ut mei, mihi; secunda, ut te, tibi; tertia, ut se, sibi. Persona finitis tantum pronominibus accidit; infinitis nunquam. Ca-

1) Sequitur inscriptio *De Casu* in Asc. P. — 2) *Nos terram vel mare vectus* Go. *N. terra vel mare vectos* P. Recte *mari* Asc. — 3) *Per acc. aliquid ιus* (sic) *explicat* Go. — 4) *Mare* Go. — 5) *Vel* deest in Go. — 6) Virg. Aen. I, 3. — 7) *Qae confl.* Go. — 8) *In usu habent* Go. *In usu habetur* Asc. P. — 9) *Accedant* Go. — 10) *Quia aut sunt* Asc. P. — 11) *Aut qualitatis ut* Go. — 12) *Aut ad aliquid, ut quidam quaedam; aut* Asc. P. *Aut aliquid ut quorum quidam, aut* Go. Facilem emendandi rationem monstrat Donatus II, 11, 2. *Alia ad aliquid infinita, quae nec personam, nec locum, nec tempus designant, ut cuius, cuia, cuium.* Quare rescribendum putavi apud Asperum: *ut quoius, a, um.* — 13) *Sunt* Go. — 14) *Ut* additum ex Go. — 15) *Modos* pessime Asc. P. — 16) *Accedit* Go. atque ita semper, id quod etiam de superioribus valet, ubi fortasse notare omiserimus. — 17) *Subiectiva* male P. solus. — 18) Non enotatus a veteribus Grammaticis iste vocativus. Saepius legitur apud Plautum Asin. III, 3, 74. *Meus ocellus, mea rosa, mi anime.* Cistell. I, 1, 55. *Meus oculus, mea Silenium.* Mostell. I, 3, 153. *Euge, oculus meus.* Stich. V, 4, 3. *Meus oculus, da mihi savium.* Reliqui omnes Grammatici vocativum constanter *o mi* indicant. Veluti Pri-

sus sunt sex: nominativus, ut quantus; genitivus, ut quanti; dativus, ut quanto; accusativus, ut quantum; ablativus, ut quanto. Vocativus rarus est; sed tamen invenitur ab eo quod est meus, o meus[18].

Segm. VII. *De Verbo.*

1. Verbum est pars orationis actum, et[19] passivitatem cum tempore et persona [1731] significans. Verbo accidunt: qualitas, significatio, numerus, figura, tempus, persona, coniugatio. Qualitates sunt quinque. Finita, ut lego. Imperativa, ut lege. Optativa, ut[20] utinam legerem. Adiunctiva, cum legam. Infinitiva[21], ut legere. Significationes sunt quinque. Activa, ut lego. Passiva, ut legor. Neutra, quae habet speciem activae, sed non habet vim, quia non habet passivitatem, ut curro. Deponens, quae habet speciem passivae, sed non habet vim, quia non habet activitatem, ut suspicor. Communis, quae et agendi et patiendi pariter obtinet interpretationem, ut consolor[22] illum, et consolor[23] ab illo. Numeri duo: singularis, ut lego; pluralis, ut legimus. Figurae sunt septem. Simplex, ut lego; composita, ut relego; inchoativa, ut calesco; frequentativa, ut lectito; desiderativa, ut dormito; impersonalis, ut piget, taedet; et alterius formae, ut statur; paragoga, ut facesso, lacesso, capesso.

2. Tempora sunt tria: praesens, ut lego; praeteritum, ut legi; futurum, ut legam. Praeteriti gradus sunt tres[24]: imperfectum, ut legebam; perfectum, ut legi[25]; plusquamperfectum, ut legeram. Futuri gradus sunt duo: perfectum, ut legam; plusquamperfectum, ut legero[26]. Personae sunt tres: prima, ut lego, secunda, ut legis, tertia, ut legit. Coniugationes sunt quatuor. Prima, si quando verbum finitiva qualitate, singulari numero, praesenti tempore[27], secunda persona, per *a* et *s* litteras enunciatur, ut laudas. Secunda, cum per eadem[28] verbum in *e* et *s* litteras terminatur, ut sedes. Tertia, cum idem verbum in *i* et *s* litteris[29] exit, ut curris; aut[30] producta, ut venis. Quarta[31], cum alioquolibet[32] modo verbum effertur, ut odisti, meministi.

Segm. VIII. *De Adverbio.*

1. Adverbium est pars orationis, quae verbi vim explicat, ut *scribo bene.* Adverbio accidit significatio, positio, figura, qualitas, quantitas. Significatio est in adverbiis, cum spectamus[33] quid significetur. Nam aut locum ostendunt, aut tempus, aut numerum, aut ordi- [1732] nem. Locum significantia adverbia, aut in loco sunt, ut intus; aut ad locum, ut intro; aut per locum, ut hac; aut e loco, ut hinc. Tempora, quae significant adverbia, aut infinita sunt, ut

scian. XIII, 1. Diomed. I, pag. 319., qui sic: *Veteres mius dicebant, ut sit vocativus secundum regulam mi.* Quicum conferatur Velius Longus de orthogr. pag. 2236., qui testatur antiquos *miis* pro *meis* dat. et ablat. plur. scripsisse. — 19) *Aut* Asc. P. — 20) *Ut* deest in Go. — 21) *Infinita* Go. — 22) *Consulor* Go. — 23) *Consulor* Go. Sed *consolo* a Priscian. lib. VIII, 5, 25. inter ea verba recensetur, quae apud vetustissimos contra consuetudinem activam pro passiva habeant terminationem, h. e. tanquam activa et tanquam deponentia in usu fuerint. — 24) *Praeteritum rursus dividitur in Praeteritum imperfectum* Asc. P. *Praeteriti gradus sunt tres: imperfectum* Go. idque rescripsi. — 25) Vr. *Perfectum, ut legi* accesserunt e Cod. Go. — 26) Totus hic locus: *Futuri gradus sunt — legero* accessit e Cod. Go. Non memini, usquam alibi sic appellari *futurum simplex et exactum.* — 27) *Praesentis temporis* Go. — 28) *Per eundem* Go. Asc. P., quod sensu cassum. Rescripsi *per eadem*, h. e. per supra dicta, eadem forma, *finitiva qualitate, singulari numero* cet. — 29) *Et i et s litteris* Asc. P. — 30) *Et* Asc. P. — 31) *Quarto* P. ex errore typ. — 32) *Cum aliquolibet* Asc. P. *Cum alio quolibet* Go. recte. — 33) *Expectamus* Asc. P.

aliquando, nuper, iam, alias[1], iampridem, quondam; aut finita, ut hodie[2], cras, perendie; aut in confuso finita, ut olim, mox, tandem, saepe[3], subito, repente; aut perfecta in confuso, ut cotidie[4], semper, interea; aut sunt praesentia, ut cum maxime, nunc. Numerum significant[5] adverbia, ut semel, bis, ter. Aut ordinem, ut iterum, tertio, quarto.

2. Sunt adverbia etiam negandi, ut non, haut; prohibendi[6], ut ne. Aut promittendi, ut etiam, quidni. Aut demonstrandi, ut, en, ecce. Aut optandi, ut utinam. Aut interrogandi, ut cur, quid, quare, nempe. Aut similitudinis[7], ut ita, perinde, veluti, ceu, itidem, quasi, qualiter, aliter[8]. Aut[9] dubitandi, ut fortasse. Aut personaliter fiunt, ut mecum, tecum. Aut elective, ut potius. Aut discretive, ut seorsum.. Aut[10] congregative, ut una, pariter, simul. Aut declinative, ut funditus; et quae his[11] proxima sunt, ut meatim, tuatim, raptim, sensim, tornatim[12], tractim. Aut sunt hortandi, ut eia[13]. Aut vocandi, ut heus. Aut respondendi, ut eu[14]. Aut eventum[15] significant, ut forte, fortuitu. Aut ab animo sumuntur[16], ut sapienter, docte. Aut a corpore, ut valenter. Aut extrinsecus, ut bene, fortunate, nobiliter. Aut modum significant, ut satis, largiter, nimis, parumper, plene[17], vaste. Positio accidit adverbiis[18], cum quaedam praepositiva sunt, ut qualiter; quaedam subiunctiva, ut aliter[19]. Figura adverbiorum duplex est. Aut enim simplicia sunt adverbia, ut probe; aut composita, ut improbe[20]. Qualitas et quantitas accidunt[21] adverbio, cum[22] aut absoluta sunt adverbia, ut bene, alte; aut comparativa, ut melius, altius, superlativa, ut optime, altissime.

Segm. IX. *De Participio.*

1. Participium est pars orationis, partem a nomine, partem a verbo capiens: a [1733] nomine genus et casum; a verbo tempora et significationem; ab utroque numerum et figuram. Participio accidunt sex: significatio, tempus, figura, genus, numerus, casus. Significationes sunt quinque: activa, quae habet duo tempora, praesens et futurum, ut legens[23], lecturus; nam semper caret praeterito. Passiva, quae habet duo tempora, praeteritum et futurum, ut lectus[24], legendus; nam praesens[25] non habet. Neutra, quae habet praesens et futurum, ut veniens, venturus. Deponens, quae habet tria tempora, praesens, praeteritum et futurum; ut suspicans, suspicatus,[26] suspicaturus. Communis, quae habet tempora quatuor, praesens, praeteritum et duplex futurum, ut consolans, consolatus[27], consolaturus, consolandus.

2. Tempora participiis accidunt tria: praesens, ut legens; praeteritum, ut lectus; futurum, ut lecturus, legendus. Animadvertendum[28] autem de temporibus[29] et significationibus participiorum, quod neque activa praeterita, neque neutra, nec passiva praesentia reperiuntur[30]. Figurae sunt duae: simplex, ut legens; composita, ut relegens. Genera sunt quatuor: masculinum,

1) *Aliis* Go. — 2) *Hodie, nunc, cras* Asc. P. *Nunc* abest recte a Go. — 3) *Saepi* Go. — 4) *Cottidie* P. sola. *Cotidie* Go. Asc. — 5) *Aut numerum significantia adv.* Asc. P. *Aut* abest a Go. Propterea scripsi *Numerum significant adv.* omisso *aut.* — 6) *Sunt adverbia aut negandi, ut non; aut prohibendi* Go. haud scio an rectius. — 7) *Aut similitudinem* Go. — 8) *Et, aliter* Asc. P. *Et* abest a Go. — 9) *Et* Asc. P. Recte *Aut* Go. — 10) *Et* Asc. P. Recte *Aut* Go. Praeterea haud dubie scribendum *electiva — discretiva — congregativa — declinativa.* — 11) *Iis* Asc. P. — 12) *Sensim, corneliatim tr.* Go. — 13) *Heia Go.* — 14) *Heu* Go. Asc. P. Rescripsi *eu.* — 15) *Aut enim eventum* Go. Tum *utut forte* Go. — 16) *Sumitur* Go. Asc. P. *Sumuntur* scripsi de coni. — 17) *Parum. perplene vaste* Go. — 18) *In adverbiis* Go. Asc. P. Sustuli praepositionem. — 19) *Ut taliter* Asc. P. — 20) *Inprobe* Go. — 21) *Accedunt* h.l. Go. Asc. P. — 22) *Quia* Go. haud scio an rectius. — 23) *Et lecturus* Asc. P. — 24) *Et legendus* Asc. P. — 25) *Praesenti* Go. — 26) *Et suspicaturus* Asc. P. — 27) *Consulans, consulatus* Go. sed statim *consolandus* idem. — 28) *Advertendum* Go.

ut lectus; femininum, ut lecta; neutrum, ut lectum; commune, ut legens. Numeri sunt duo: singularis, ut legens; pluralis, ut legentes. Casus sunt sex: nominativus, ut legens; genitivus, ut legentis; dativus, ut legenti; accusativus, ut legentem; vocativus, ut o legens; ablativus, ut a legente.

Segm. X. *De Coniunctione.*

Coniunctio est pars orationis, copulans ordinansque sententiam. Coniunctioni accidunt vis, figura, ordo. Vis est, cum aut complectendi sunt coniunctiones, ut et, que, atque; aut disiungendi, ut vel, nec, aut, ve, ne[31], caetera; aut dubitandi, ut sive, seu, siquidem; aut repetendi, ut sed; aut ad aliquid[32], ut magis. Aut rationales sunt, ut quia, ideo, propterea, enim. Aut vincunt, ut immo. Aut consentiunt, ut etiam. Aut comparant, ut tam. Aut subiiciunt[33] [1734] sententiam, ut equidem, enimvero. Aut compellunt, ut saltem, tamen, videlicet. Aut concludunt, quarum tres sunt species[34]: relativae, ut quamquam, quamvis, etsi[35]; praelativae, ut si, sin[36]. Sunt et mediae, hoc est, quae et inchoant[37] sententiam, et includunt, ut et, atque; quas generaliter complecti[38] diximus. Aut connexivae sunt coniunctiones, ut igitur, ergo, proinde, itaque, praesertim, quatenus. Aut rationativae, ut quoniam quidem, quandoquidem. Aut supernexivae, ut similiter. Nam omnes nominibus[39] suis designari non possunt propter multitudinem generum, aut subtilitatem discriminum; quibus aliae ab aliis differunt[40]. Sed ex his omnibus has, quas enumeravimus[41], maxime usurpant. Figura coniunctionum duplex est; nam aut simplices sunt, ut uti, si; aut compositae, ut utinam, siquidem. Ordo coniunctionibus accidit, cum quasdam[42] in principio ponere possumus, ut quamquam; quasdam non possumus, et semper subiicimus[43], ut que, ve.

Segm. XI. *De Praepositione.*

Praepositio est pars orationis, quae praeposita aliis partibus orationis vim et significationem eius adiuvat. Praepositiones sunt propemodum hae[44]: *a*, *ab*, *cum*, *con*, *de*[45], *di*, *dis*, *per*, *prae*, *in*, *ex*, *inter*, *praeter*, *propter*, *apud*, *penes*, *trans*, *ante*, *sine*, *erga*, *ob*, *subter*, *am*,[46] *e*, *pro*, *post*, *circum*. Certus vero numerus, propter difficultatem discriminandorum ab adverbiis et coniunctionibus significatuum, non potest comprehendi. Indubitatae tamen praepositiones existimantur ablativi casus septem: *a*, *ab*, *de*, *pro*, *ex*, *cum*, *prae*. Accusativo autem adnexae[47] plerumque adverbiorum vim habent; suntque omnino undecim: *ad*, *per*, *ob*, *post*, *trans*, *apud*, *penes*, *ante*, *propter*[48], *praeter*, *inter*[49]. Utriusque casus sunt duae: *in* et *sub*. Aliae praepositiones nunquam ab aliis partibus separantur, et non nisi verbis participiisque et adverbiis participiorum iunguntur. Verbis sic: concurrit, recurrit. Participiis sic: concurrens. Adverbiis [1735]

— 29) *Est* h. l. interponunt Asc. P. — 30) *Recipiunt* Asc. P. Usitata quidem formula Grammaticis est *recipere*, *recipi* de iis formis, quas usus admittit. Sed Codici tamen obtemperandum duxi. — 31) *Ne*, *ve*, *cet.* (sic) Go. *Ve*, *ne*, *caeterum* male Asc. P. — 32) *Aut aliquid* om. *ad* Go. — 33) *Subiciunt* Go. — 34) *Species sunt* Asc. P. — 35) Pro *etsi* exhibet *sed* Go. — 36) *Sin* deest in Go. — 37) *Quae et incoant* Go. *Et* deest in Asc. et P. — 38) *Complectendi* P. sola. — 39) *Suis nominibus* Asc. P. — 40) *Differuntur* male Go. — 41) *Enarravimus* Asc. P. — 42) *Quasdem* P. ex errore typ. — 43) *Subicimus* Go. — 44) *Hae* additum ex Go. — 45) *De* deest in Go. *con* h. l. deest in Asc. P., sed infra habetur. — 46) *Con* h. l. interponitur ab Asc. P. Ceterum in Cod. Go. h. l. omnia quae leguntur inter superius *apud* et inferius *apud*, quod inter praepp. accusativi casus habetur, desunt, librarii oculis aberrantibus a superiori ad inferius *apud*. In Cod. est *aput*. — 47) *Adnixae* Asc. P. Cod. h. l. deficit, ut dixi. Igitur *adnexae* de coniectura dedi. — 48) *Prope* Asc. P. Recte *propter* Go. — 49) *Intra* Asc. P. *Inter* Go., quod dedi.

sic: composite, requisite, disiecte, constricte. Aliae omnino aliis partibus orationis carere non possunt, ut *cum*, *apud*[1], *penes;* neque aliis quam casibus iunguntur, id est, nomini, pronomini, participio, ut: *cum Cicerone*, *cum illo*, *cum delecto*[2]; *apud Ciceronem*, *apud illum*, *apud delectum*[3]; *penes Ciceronem*, *penes illum*, *penes delectum*[4]. Conveniunt autem hae aut accusativis[5], aut ablativis casibus. Aliae separari, aut iungi possunt, ut *sub*, *in*, *ex*. Separantur[6] hoc modo: *sub monte*, *ex monte*, *in monte*. Adiunguntur sic: *subscribit*, *inrepit*[7], *excurrit*.

De Interiectione.

Interiectio est pars orationis affectum animi significans, aut indignantis, ut *he*[8]; aut timentis, ut *hui;* aut recordantis, ut *hem;* aut silentium iniungentis, ut *st*[9]; aut inmutantis[10], ut *at at;* aut admirantis, ut *papae;* aut prohibentis, ut *ah*[11]; aut conquerentis[12], ut *ha;* aut gementis, ut *oi*, *uae*[13]; aut refectionis, ut *euax;* aut ridentis[14], ut *bombax*[15], *babo*[16], *va*.

1) *Aput* Go. — 2) *Cum electa* Go. *Cum delecto* Asc. P. — 3) *Aput dilectum* Go. *Apud delectum* Asc. P. — 4) *Penes electum* Go. *Penes delectum* Asc. P. — 5) *Accusativo* Asc. P. Statim *aut ablativo* Asc. P. — 6) *Separant* P. solus. *Separantur* Go. Asc. — 7) *Inrepit* Go. *irrepit* Asc. P. — 8) *Hae* Asc. P. *He* Go. Neque *he* neque *hae* indignantis interiectionem quisquam Grammaticorum agnoscit, quapropter scribendum censuerim *vae*. — 9) *Ut ist* Go. — 10) *Inmutantis* ita Go. *Tum attat* Go. — 11) *Ah ah* Asc. P. Alterum *ah* abest in Go. Sed fortasse *ha* scribendum. — 12) *Conquerentis* recte Asc. sola. *Conquirentis* Go. P. Interiectio fortasse scribenda *ah*. — 13) Scribendum *oiei* pro *oi*, *uae*. Cf. quae notavi ad Donat. II, 17. not. 36. Ceterum Cod. Go. P. Asc. *voi*, *vae*. *Vae* autem nusquam est gementis, sed indignantis et mala imprecantis. — 14) *Irridentis* Asc. P. — 15) *Bom*, *bax* Asc. P. Haud dubie una voce scribendum, quod feci. — 16) *Ba*, *bo*, *vua* Go. Asc. P. Scribendum est *babae*, *vah*. — Iam statim sequitur in Cod. Go. tractatus brevis cum hac inscriptione *Declinacio verbi*, nulla ante finiti Asperi nota significata. Quo tractatu quae continentur ita prorsus sunt futilia ac nullius pretii, ut ab Aspero Grammatico profecta esse nequeant, imo vix sani hominis esse videantur. Quapropter omittenda censui.

PHOCAE GRAMMATICI

ARS DE NOMINE ET VERBO.

EIUSDEM

DE ASPIRATIONE LIBELLUS.

PRAEFATIO EDITORIS.

Phocam Constantinopoli post Priscianum Grammaticam docuisse tradunt, quemadmodum Fabricius in bibliotheca Latina refert tom. III, pag. 406. Libellum eius de nomine et verbo Putschius emendaverat e codice MS. Puteani, cuius variantes lectiones acceperat a Bongarsio et Ioanne a Wouwer. Nos in usum vocavimus Editiones Venetam et Ascensianam; codices MSS. habuimus tres, Guelpherbytanum membraneum, Guelpherbytanum chartaceum, Gothanum chartaceum; quorum primus integro segmento tertio caret, ceterum bonus est et aetatis venerandae; liber magni voluminis, qui Isidori Etymologias etiam complectitur. Cf. Ebert. Biblioth. Guelph. Codd. pag. 129. no. 664. Alter Guelpherbytanus duo priora segmenta non exhibet, sed incipit a verbis tertii segmenti primis, quae ita leguntur: *Foeliciter expositis Latinorum* etc. Libellus autem de aspiratione superiori praecedit, inscriptus: *Phocae de orthographia*, qui ab his verbis incipit: *De aspiratione dicturi sumus. Omnia nomina Graeca.* Est is idem codex, quo usus est Osannus, V. Cl., in edendis *Apuleii* de aspiratione et orthographia libellis. Continet enim Apuleii de nota aspirationis et de diphthongis libellos, Servii Honorati Centimetrum, eundem de Orthographia et de ultimis syllabis, Georgii Mediolanensis pedes metricos et inedita quaedam de ac-

centibus. Cf. Ebert. Biblioth. Guelph. Codd. MSS. pag. 129. no. 665. 666. 667. 668. Gothani Codicis lectiones, qui pariter est chartaceus, debemus industriae Dübneri, Viri Clarissimi, qui etiam hunc codicem in usum nostrum contulit diligentissime, quique hac sua diligentia optime meruit de Grammaticis nostris. Codex ignorat duo priora segmenta, tertium autem haud procul ab initio incipit ab his verbis: *declinationis, ut Antas antae* cet. Libellum *de aspiratione,* quem primus ediderat Parrhasius cum Probi Grammaticis institutionibus, exhibent tres nostri codices omnes, quo factum est, ut haud paullo emendatior nunc edatur, quam habetur apud Putschium. Scripsimus in Gymnasio Zittaviensi Non. Novbr. cIɔIɔcccxxx.

PHOCAE GRAMMATICI [1688]

ARS DE NOMINE ET VERBO[1].

I.

Prooemium.

Ars mea multorum es, quos saecula prisca tulerunt[2];
    Sed nova te brevitas asserit esse meam.
Omnia cum veterum sint explorata libellis,
    Multa loqui breviter sit novitatis opus.
Te relegat iuvenis, quem garrula pagina lassat[3],
    Aut si quem paucis seria nosse iuvat.
Te longinqua petens comitem sibi ferre[4] viator
    Ne dubitet; parvo pondere multa vehis.
Te si quis scripsisse volet, non ulla queretur[5]
    Damna, nec ingrati triste laboris onus.
Est[6] quod quisque petat; nunquam censura diserti
    Hoc contemnat[7] opus, si modo livor abest.

Praefatio[8].

Credo nonnullos hoc meum miraturos opusculum, quod in tanta doctissimorum hominum[9] copia, qui varie diligenterque emendati sermonis praecepta tradiderunt, ego potissimum ausus sim temerario ac paene sacrilego conatu libellum de arte[10] comminisci. De quo prius excusandum puto, quam de titulo operis disseram, cum sciam, plurimos quidem regulas artium[11] per ordinem digessisse, quibus ad[12] praerogativam solertiam antiquitas ipsa suffragata [1689]

1) Inscriptio deest in Cod. Gu. *Vetustissimi ac perspicacissimi Phocae Grammatici de Nomine et Verbo liber incipit.* Asc. — 2) *Tulere* Ascen. — 3) *Terret* Asc. Putsch. Ven. Paullo ante *relegant iuvenes*, *quos* Asc. *Gavula* pro *garrula* Cod. Gu. — 4) *Esse* Cod. Gu. Proximo versu *Nec dub.* pro *Ne dub.* Gu. — 5) *Velet nonnulla querentur* Gu. — 6) *Es* pro *Est* Asc. — 7) *Contemnet* Asc. — 8) Post verba: *Credo nonnullos hoc meum* in Cod. Gu. in medio contextu usque ad finem lineae interposita legitur rubrica *Explicit prologus*, *incipit praefatio.* — 9) *Hominum* deest in Gu. — 10) Vv. *de arte* desunt in Gu. — 11) Ordo in Gu. est: *per ordinem regulas* omisso genitivo *artium.* — 12) Praepositio in Asc. deest, sed exhibent Ven. et Cod. Gu. No-

est[1]; sed eorum alios late copioseque scripsisse, ita ut superflua interdum ubertate narrationis memoria[2] confundatur; alios, dum brevitati student, admodum diffusam coartasse materiam, ut sterili compendio nihil ad integram scientiam lectoribus conferant; adolescentes vero nostri seculi non desiderio litterarum, nec amore virtutis ad studia se applicare[3], sed aut necessitate compulsos, aut odore voluptatum per aetatem imbutos[4] exsecrari magistros, quorum ut quisque est diligentior, eo maiori[5] odio premitur; et gymnasium sapientiae, quo ad beatam vitam semita demonstratur, velut teterrimum carcerem detestari; alios autem, quamvis scire cupiant, omne tamen fructuosi laboris onus detrectare, nec assiduis inhaerere lectionibus, nec curiosa perscrutatione veterum eruere commentarios: qui dum numquam esse assidui, semper fieri volunt, docti esse non possunt[6]. Idcirco fateor me hoc negotium[7] suscepisse pluribus profuturum, nisi his[8] qui novellam artis expositionem tractare fastidiunt[9]; praecipueque[10] discipulis nostris, quibus adversus oblivionis iacturam et percunctantium tentamenta consultum esse desidero. In hoc namque nostrae professionis summa versatur, ut in aliorum scientia[11] tui periculum facias; nec, cum ipse scias, sed[12] alios docueris, eruditus esse[13] videaris. Nominum igitur regulas et verborum in unum congessi[14], quoniam hae fere principatum in partibus orationis obtinent, multumque difficultatis habent, et super caeteris abunde dictum a summis doctoribus[15] existimo[16]. Quo in opere nihil mihi sumam, nec a me novi quicquam repertum affirmabo[17]. Multa namque ex multorum libris decerpta[18] concinna brevitate conclusi, ut nec ieiuna parum instruat compensatio, nec verbosa prolixitas fastidium legentibus moveat. Si quid autem a nobis in suscepto negotio commode tractatum est, malo id lectoris iudicio laudari, quam nostra praedicatione iactari. Tu tamen industria vel[19] petulantiae nostrae crimen excusabis, vel laudis si quid merebimur[20], applicabis. **[1690]**

tavit ad hunc locum Collega meus, Langius: „*Ad* praep. retinenda est. Sic Cic. Off. I, 39. *Domus suffragata domino ad consulatum putabatur.* Grammaticus antiquitatem comparat cum centuria praerogativa in comitiis. Sed adi. *praerogat.* constructione ad subst. *solertiam* relatum simul idem valet, quod *praecipuam*, ut sensus sit: quibus ad laudem praecipuae solertiae antiquitas ipsa, tanquam praerogativa centuria, suffragata est.“ — 1) *Solertia vel antiquitas suffragata est* P. *Solertia vel antiquitas suff.* Ven. Asc. *Solertiam antiquitas ipsa suff.* Gu., quod dedimus. — 2) *Legentium* h. l. intrudunt Ven. Asc. P. om. Gu. — 3) *Applicant* male Ven. — 4) *Afflatos* Ven. Asc. P. *Imbutos* dedimus e Gu. — 5) *Maiore* Gu. — 6) *Dum semper esse assidui, nunquam fieri volunt, d. e. n. p.* omisso *qui* P. Ven. *Qui dum semper assidui volunt fieri d. e. n. p.* Asc. *Qui dum numquam semper assidui fieri volunt* Cod. Gu. Sponte patet, scribendum esse: *qui dum numquam esse assidui, semper fieri volunt* cet., quod dedimus. Sententia est: semper sibi proponunt, ut assidui fiant, nunquam revera sunt. — 7) *Negotium hoc* Ven. Asc. P. — 8) *His* accessit e Cod. Gu. — 9) *Fastidiant* Ven. P. — 10) *Praecipue quae discipulis nostris proderit* Asc. *Proderitque praecipue dis. n.* Gu. — 11) *Scientiam* Ven. Asc. P. — 12) *Ne, si ipse scias, sed si alios* P., cui consentit Ven., nisi quod alterum *si* om. *Nec ipse scias sed alios* Asc. *Nec tu ipse scias sed alios* Cod. Gu. *Si* alterum omittunt omnes. Putabam scribendum esse: *nec cum ipse scias, sed alios doc.*, hoc sensu: *neque enim cum ipse scias solus, sed cum alios doctos feceris, videbere eruditus.* — 13) *Esse* om. Cod. Gu. — 14) *Digessi* Cod. Gu. — 15) *Auctoribus* Ven. Asc. P. — 16) *Aestimo* Asc. Gu. — 17) *Deputabo* Gu. — 18) *Discepta* Gu. Librarius volebat haud dubie *discerpta*, male. Tum idem Cod. *continua* pro *concinna.* — 19) *Tua vel petulantiae n.* *Tua* om. Gu. *vel* om. Asc. „*Tua* ferri non potest. Si opus esset pronomine, sensus requireret *mea.* Hoc enim dicit: *propter industriam, quam attuli, etiam arrogantiae indulgebis.*“ Lang. — 20) *Merebitur, ampliabis* Ven. Asc. P. sine sensu. *Applicabis* est *nobis contribues.* — 21) *Aggressus ergo sum* Gu. Ven. P. *Ergo* recte om. Asc. „Verba *Aggressus sum* in Cod. Gu. a littera maiuscula et picta incipiunt. Quod reliquum est lineae spacium minio scripta continet haec: *explicit praefatio - inci-*; quae post verba secundae lineae *ergo nominum regulas*, ita absolvuntur: *-pit libellus.*“ Lang. Videlicet a verbis *Aggressus sum* libellus Phocae incipit. In Edd. omnia usque ad vv. *et sunt fere*

Segm. I.

1. Aggressus sum[21] nominum regulas breviter explanare, et scrupulosam difficilemque materiam adolescentibus perviam facere. Quoniam omnis ambiguitas in genere nominis et in[22] declinatione consistit, primum[23] Latina a Graecis discrevi, ne confusione varietatis perturbaretur memoria. Deinde monosyllaba congesta composui[24], quae diversi quidem sunt generis, tertii autem ordinis formulam, tribus exceptis, sequuntur: et sunt fere haec.

2. Masculini generis: as[25], dens, grex, flos, fons, lar, mons, mos, mas, mus, praes, pons, pes, ros, rex, sal, sol, vir, vas, vadis. Ex his unum est secundae declinationis, vir.

3. Feminini generis: arx, ars, calx, crux, cos, dos, frons, gens, falx, fax, fraus[26], fex, glis, lux, lex, lis, lens, glans, lanx, mors, merx, mens, nux, nix, nex, nox, pix, ops, prex, pars, pax, spes, res, sors, stirps, trabs, vis, grus, urbs, vox, nas, naris. Ex his duo sunt quintae declinationis[27], spes, res.

4. Neutri generis sunt haec: aes, crus, cor, fas, far, git, ir, ius, mel, os, ossis, os, oris[28], par, pus, thus, fel, lac, rus, ver, vas, vasis. Ex his quatuor minime declinantur: fas, git, pus, ir. Tria[29] in plurali numero deficiunt; nam tres tantum casus habent, far, ius, rus[30].

5. Communis generis: bos, dux, sus, fur, grus. — Omnis generis haec duo sola, par, trux.

6. Expositis monosyllabis cuiuscunque[31] generis, de caeteris quotlibet[32] syllabarum nominibus disseremus; quae his clausulis terminantur: quatuor vocalibus, praeter i; et semivocalibus, praeter f; et una muta t; de quibus ordinate[33] subiectas notabimus regulas; exceptis illis videlicet[34], quae minime declinantur, fas[35], nefas, nihili, nugas, gummi, frugi, sinapi[36], pedum, nequam. Ex his[37] neutri generis sunt: fas, nefas, gummi, sinapi[38], pedum. Alia omnis generis[39].

haec ad praefationem referuntur. — 22) Praepositionem recte interponit Gu. in ceteris deest. — 23) *Primum ergo* Gu. Paullo post *decrevi* et *perturbetur* Gu. — 24) *Congesta praeposui* Ven. Asc. P. — 25) In Cod. Gu. hoc ordine leguntur: *as*, *dens*, *grex*, *flos*, *fons*, *mos*, *mons*, *mas*, *maus* (sic), *praes*, *pons*, *pes*, *lar*, *ros ros* (bis), *rex*, *sol*, *sal*, *vir*, *vas*. In Ven. *as*, *dens*, *g. fl. f. las*, *mons*, *mos*, *mus*, *mas*, *praes*, *mars*, *pons*, *lar*, *pes*, *ros*, *rex*, *sal*, *sol*, *vir*, *vas*; atque ita in Asc., nisi quod sexto loco legitur *sal*. Retinuimus P. ordinem, nisi quod *Mars* post *praes* et *Nar* post *pons* sustulimus, et *mas*, *mus* scripsimus, pro quibus P. inverso ordine *mus*, *mas*. — 26) *Fraus* addidi e Cod. Gu. Post v. *fax* hoc ordine leguntur in Cod. Gu. *fraus*, *fex*, *lens*, *glis*, *lux*, *lex*, *mens* (fortasse *merx*) *nux*, *nix*, *nex*, *nox*, *vox*, *pix*, *prex*, *lis*, *lans* (lege *lanx*) *glans*, *mors*, *mens*, *ops*, *pars*, *spes*, *res*, *sors*, *tips* (lege *stirps*) *trabs*, *vis*, *grus*, *urbs*, *nas*. Post v. *glans* in sola P. legitur *vel glandis*, quae omisimus; *merx* om. Ven. Asc. *nex* om. Ven. Asc. Pro *nas*, *naris* Ven. *nar*, *narris*; Asc. *nar*, *naris*. Praeterea legendum videtur *glans*, *laus*, *lanx*, et postea *stips*, *stirps*. Ceterum ordinem P. retinui, nisi quod P. *res*, *spes* exhibet. — 27) H. l. *contra regulam* add. P. Ven. Asc. Tum *res et spes* Ven. A. P. — 28) Vr. *ossis*, *os*, *oris* addidi e Gu. Praeterea in Cod. Gu. ordo hic est: *aes*, *crus*, *cor*, *far*, *fas*, *git*, *ir*, *ius*, *os*, *ossis*, *os*, *oris*, *pus*, *mel*, *thus*, *fel*, *par*, *lac*, *rus*, *ver*, *vas*. Ceterum *ir* om. Asc. *par* om. Ven. Asc. *ir* est idem v., quod vulgo *hir* scribitur. Cf. Priscian. V, 3, 18. et VI, 9, 45., ubi haec: *Et unum neutrum ir, quod est indeclinabile, quamvis quidam, ut Charisius, ir, iris, declinaverunt.* — 29) *Quatuor* Ven. Asc. P. — 30) His addunt *et aes similiter* Ven. Asc. *et aes*, P., quae absunt a Cod. Gu. — 31) *Sint generis* Ven. Asc. P. *generis sint* Gu. Eieci *sint*. — 32) *Quorumlibet* Ven. *Quarumlibet* Asc. *quot* Gu. *Quotquot* probabiliter coniecit Lang., provocans ad Varr. IV, 8., ubi pariter inter *quot* et *quotquot* fluctuat lectio. Ego Putschii tamen lectionem *quotlibet* veram habeo. — 33) Pro *ordinate* in P. est *ex ordine has*, nescio qua autoritate. Tum *regulas subiectas notabimus* hoc ordine Ven. Asc. P. Meliorem ordinem praestitit Gu. Deinde legendum puto *notavimus*. — 34) *Videlicet* addidi e Cod. Gu. — 35) *Ut fas* Gu. P. Recte omittunt *ut* Ven. Asc. — 36) *Sinapis* Gu. — 37) *Ex istis* Gu. — 38) *Sinapis* Gu. Ceterum Ven. Asc. h. l. *fas*, *nefas*, *nihil*, (*nihili* Ven.) *nugas*, *gummi*, *nequam*. — 39) *Sunt* addit Gu.

Segm. II. *De Genere et Declinatione nominis*[1]. [1691]

1. *A* terminata masculina sunt propria, ut Sylla, Seneca, Catilina, Tucca, Cotta[2], Agrippa, Pansa[3]. Pauca sunt appellativa masculini generis, ut hic[4] lanista, dama, talpa, popa[5], nauta, poeta, collega, scurra, lixa[6], assecla[7], scriba, perfuga[8], transfuga, homicida, paricida[9], quae alii communis generis esse dicunt; et illa, quae a verbis colo et gigno componuntur, coelicola, coeligena[10], agricola, silvicola, terrigena, rurigena, serpentigena[11]. Reliqua appellativa omnia feminini sunt generis et primae declinationis, ut fortuna[12], sella, terra, arena[13], carina, habena. Neutri generis latina sunt nulla. Communis generis[14] haec sola: advena[15], convena, auriga, conviva, verna, vernula[16]. Et omnia primae declinationis sunt. Barbara neutri generis duo lecta sunt apud Sallustium nomina fluviorum: hoc Molucha, hoc Turia.

2. *E* finita neutri generis sunt omnia et tertiae declinationis, ut hoc sedile, monile, mare[17].

3. *O* terminata tertiae declinationis sunt omnia, sed diversi generis. Nam quae in *o* puram desinunt, *e* vocali praeposita, masculini generis sunt, ut ganeo[18], aleo, labeo, quae nominativum et vocativum solum habent. Quae *i* ante o habent, aut propria masculini sunt generis, ut Curio, Scipio; aut corpus quidem significantia generis masculini sunt, ut stellio[19], unio, histrio, centurio, gurgulio[20], quaternio, senio, mulio; et omnia o litteram in obliquis casibus productam servant; excepto uno, Anio (flumen est Italiae)[21], quod Anienis facit. Rem autem incorporalem significantia pleraque a verbis transferuntur, et sunt generis feminini, ut haec ratio, oratio[22], actio, statio, lectio, et haec similiter nomina per omnes casus *o* producunt praeter nomi-

1) Inscriptio *De genere et Declinatione nominis* deest in Cod. Gu. Ven. Asc. In Cod. Gu. vv. *Terminata a* tituli instar superscripta sunt et littera picta incipiunt. Tum versus qui sequitur incipit a verbis *masculina sunt.* — 2) *Tucca Quota* Gu. *Cotta*, *Tucca* Ven. Asc. P. — 3) *Pansa* deest in Gu. absorptum a seq. *pauca.* — 4) *Hic lanista* omisso *ut* Gu. Idem Cod. omittit *hic* ante unumquodque seqq. substantt., ubi repetunt pronomen Ven. Asc. P. — 5) *Papa* Gu. Ceterum ordo verborum in Gu. hic est: *lanista*, *dama*, *talpa* (bis), *papa*, *nauta*, *poeta*, *coll.*, *perfuga*, *transfuga*, *scurra*, *lixa*, *assecla*, *hom.*, *paricida*, *scriba.* — 6) *Lissa* Ven. — 7) *Asclla* Asc. *assela* Ven. — 8) *Profuga* Ven. Asc. — 9) *Paricida* recte Gu. Ven. *parricida* Asc. P. Statim post *quae comm. gen. esse dicuntur* Cod. Gu. haud scio an recte. — 10) Vv. *ut hic et haec* ante *coelicola* interposita a Ven. Asc. P. absunt a Cod. Gu. Voc. *coeligena* additum e Gu. — 11) *Serpentigena* additum e Gu. — 12) *Schola* pro *sella* Ven. Asc. exhibent. — 13) *Harena* P. *carina arena* hoc ord. Gu. — 14) *Generis* addendum fuit ex Gu. Ven. Asc. — 15) *Haec sola*, *hic et haec pedisequa*, *advena* Ven. P. Recte vv. *hic et haec pedis.* om. Asc. Gu. — 16) Deminutivum *vernula* additum e Gu. — 17) *Sedile*, *sedilis*, *monile*, *monilis*, *mare*, *maris* P. Genitivi absunt a Gu. Ven. Asc. Ante *mare* legitur etiam *raete* (sic) in Ven. Asc. — 18) *Ut hic ganeo* Ven. Asc. P. Pronomen abest a Gu. — 19) *Ut hic stellio* Ven. Asc. P. Pronomen om. Gu. — 20) *Gurgulio* Gu. P. *Curculio* Ven. Asc. — 21) *Anio flumen Italiae*, sine signis parenthesis, P. *Est* addunt Gu. Ven. Asc. — 22) *Oratio*, *ratio* Ven. Asc. P. Tum *actio*, *statio*, *portatio*, *religio* P. Ven. Asc., nisi quod pro v. portatio in Ven. *ortatio*, in Asc. *hortatio*. Quod dedimus, exhibet Gu. — 23) *Posita b litteram* Gu. omisso v. *vero*. — 24) *Ut haec caro* Ven. Asc. P. Genitivum *carnis* om. Gu. — 25) *Aerugo*, *imago* P. Aerugo, quod post *hirudo* redit, altero tantum loco legitur in Ven. et Asc.; prorsus deest in Gu. — 26) *Hirundo*, *aerugo* Ven. Asc. P. Pro *arundo* habet *irudo* Gu. et cetera sic sequuntur: *fortitudo*, *altitudo*, *magnitudo*, *testudo* cet. *Aerugo* plane deest in Gu. *Hirudo* a praecedente *hirundo* fuit absorptum; *aerugo* a seq. *arundo*, quod utrumque sublatum in G. — 27) *Formido* addidi ex G. — 28) *In utroque elemento generis masculini ut* P. *In utroque genere masculina* Ven. Asc. *In utroque generis masculini* Gu. Retinui lectionem Ven. et Asc. *Ut* om. Gu. — 29) *Mago* Gu. In mentem venit *margo*, sed istud huc non pertinet. Ceterum *hic*, quod ante singula sequentia subst. legitur, primo tantum loco ante *ligo* est in Gu. — 30) Post *spado* in Gu. legitur *vabo*, quod sive

nativum et vocativum numeri singularis. Praeposita vero *b* littera[23] vel qualibet consonante, propria vel appellativa, masculini sunt generis, ut hic carbo, bibo, praeco, mucro, bubo, [1692] latro, homo, tiro, sermo, pavo, Cato; excepto uno proprio feminini generis, haec Iuno; et altero appellativo, quod *o* litteram in obliquis casibus amittit, haec[24] caro, carnis. Sed duae solae consonantes sunt, *g*, *d*, quibus praecedentibus *o* littera terminata nomina generis feminini sunt, ut haec imago[25], caligo, fuligo, origo, propago, hirundo, hirudo, aerugo[26], arundo, magnitudo, altitudo, testudo, formido[27], similitudo, fortitudo, quae *o* in *i* convertunt in obliquis casibus. Excipiuntur in utroque genere masculina[28], hic ligo, mango[29], praedo, cudo, spado[30], quae *o* producunt; hic cardo, ordo[31], quae superiorem formulam sequuntur. Sunt quatuor[32] tantummodo, quae neutralia esse possunt, quorum pars dimidia declinationem[33] patitur, ut duo et ambo. Pondo autem et octo monoptota sunt, et tantum pluraliter efferuntur, ut haec pondo. Nam *unum pondo* non dici sciamus[34], sed in libram referri[35]; *duo* enim et *tria pondo*, et deinceps, dicimus[36]. Observabimus, ut quoties de neutro loquamur, correpte dicamus *duo*, *ambo*[37]; in accentu enim longo *duo homines* et *ambo homines*, *duae mulieres* et *ambae mulieres* dicuntur. Duo autem et ambo etsi communia esse[38] videantur, tamen accusativo[39] dupliciter efferuntur; namque *hos duos* et *haec duo* dicimus. *Inter ambos* et *ambo*[40] apud auctores invenimus communiter. Hi et haec duo, et hae duae[41], et ambo et ambae; horum duorum et amborum, harum duarum et ambarum; his duobus et ambobus, duabus et ambabus; hos duos et ambos, has duas et ambas, haec duo et ambo; his duobus et ambobus, duabus et ambabus.

4. *U* terminata sine controversia neutri generis sunt et quartae declinationis, monoptota[42] in singulari numero, in plurali declinantur. Et sunt perpauca, quae pluralem[43] numerum admit-

vapulo — onis, sive *vero — onis* esse credas, huc non pertinet. — 31) *Hic cardo*, *hic ordo* Ven. Asc. P. *Hic ordo*, *cardo* Cod. Gu. — 32) *Sunt et quatuor* Ven. Asc. P. *Et* recte om. Gu. Idem Cod. exhibet: *Sunt quattuor*, *quae tantum n. e. p.* — 33) *Dimidiam declinationem* P. male. — 34) *Non dicimus* Asc. Ven. P. *Non dici sciamus* recte Gu. — 35) *Sed in libram efferri potest* Ven. Asc. *Sed in libram efferimus* P. *Sed in libros referri* Gu., quam lectionem sic intelligi posse putabat Collega meus, Langius, *scilicet in lexica et etymologiarum libros;* non male. Sed non puto *libros* sic simpliciter dici posse libros Grammaticorum et Etymologorum, quum alii omnes libri, cuiuscunque sunt generis, intelligi possint. Scripsi igitur: *sed in libram referri* sc. sciamus, ut sententia sit, si unum pondo dicendum, summa computando ad *librum* reduci solet. *Libram* singulari numero scripsi, quia *pondo* et *libra* plerumque idem significaut. Cf. Gronovius de pecun. vet. pag. 26. — 36) *Dicimus* addidi de coniectura, quod facile excidere potuit, quippe absorptum a superiori *deinceps.* Deinde *observamus* P. — 37) *Ut quoties de neutro loquamur, correpte dicamus pondo duo millia*, *et in acc.* P. *Vel quoties de neutro loquimur, correpte dicimus pondo in acc.* Ven. Gu. Asc. nisi quod Gu. *in accentu enim longo*, quod dedimus. Recte *vel* in *ut* mutavit P., saepissime enim haec duo confunduntur in Codd. Falsissimum autem est quod omnes exhibent *pondo*, quod noluisse Grammaticum patet ex verbis *quoties neutro dic.*, nam *pondo* non aliter dici potest, nisi neutro. Qua de caussa ante v. *Observabimus* plene distinxi et pro *pondo* posui *duo*, *ambo*, quam emendationem sequentia stabiliunt. — 38) Vulgo *etsi correpta esse videantur*, atque ita libri omnes, pessime. Nam non amplius agitur de correptione ultimae syllabae in *duo* et *ambo*, ut seqq. ostendunt, sed communia, i. e. et neutrius et masculini generis, plerumque haberi refertur. Qua de caussa scripsi *communia* de coniectura. — 39) *In accusativo* Ven. Asc. P.; praepos. om. Gu. — 40) *Nanque hos duos et hoc duo; et ambos et ambo* P. Ven. Asc. Sed in Cod. Gu. est: *namque hos duos et haec duo dicimus. Inter ambos et ambo apud* cet., quae recipere non dubitavimus, sic intelligentes: Legitur apud scriptores *inter ambos* et *inter ambo* sc. homines, indiscrete, sive promiscue. Quod sequitur *communiter* in omnibus libris legitur *communia;* incipitque ab hac voce sequens enunciatum, quod plane est absurdum. Scripsi igitur *communiter*, retulique ad superiora *apud auctores invenimus communiter* h. e. promiscue. — 41) *Hi et hae et duo vel duae* Gu. corrupte. *Et* ante v. *ambo* om. Asc. Ven. — 42) *Aptota* Ven. Asc. P. *Monaptota* Gu. — 43) *Perpauca*, *e quibus plur. n.*

tunt, genu, cornu, veru, specu, tonitru; caetera semper singularia, ut hoc seru, gelu, pecu[1], testu. Dicimus tamen haec testa et pecua[2].

5. *Al* syllaba finita neutri generis sunt et[3] tertiae declinationis[4], ut hoc animal, animalis, hoc vectigal, hoc tribunal, hoc lupercal. Unum est masculini generis monosyl- [1693]
labum, hic sal, salis, et barbara propria[5], ut Annibal[6], Adherbal, Asdrubal, Hiemsal. *El* neutri generis sunt, ut mel et fel[7]. *Il* syllaba terminata[8] masculini generis sunt, ut hic pugil, mugil[9]; sed Iuvenalis *hic mugilis*[10] nominativum dixit. Unum communis, hic et haec vigil; unum feminini generis, ut haec Tanaquil. Et omnia exemplo tertiae declinationis inflectuntur. *Ol* terminatum unum invenitur masculini generis, hic sol[11]. *Ul* syllaba finita duo sunt masculini generis, hic consul, praesul[12]; unum commune[13], hic et haec exsul. Lucanus libro VIII. [*Exsul adhuc iacet umbra ducis.*][14] Et sunt tertiae declinationis, consulis, praesulis, exsulis[15].

6. *Um* syllaba terminata sunt neutri generis et secundi ordinis[16], ut hoc telum, coelum, bellum, imperium, regnum, fatum[17]. In hac extremitate nulla sibi locum ambiguitas[18] vindicat.

En syllaba quae finiuntur[19], *i* vocali praeposita, duo tantummodo masculini generis sunt, ut hic rien, rienis[20]; lien, lienis; quae in obliquis casibus *e* litteram productam servant. Et septem alia eiusdem generis antepositis consonantibus, hic flamen, sacerdos Iovis[21], pecten, tibicen, fidicen, liticen, tubicen, cornicen. Caetera neutri generis sunt procul dubio et tertiae[22] similiter declinationis, ut hoc carmen, nomen, certamen, limen[23], numen, omen, crimen, examen, gluten et his similia.

7. *Ar* syllaba terminata generis sunt neutri omnia[24], ut hoc lucar[25], torcular, pulvinar, laquear, lacunar, calcar; praeter unum proprium masculini generis, hic Caesar. Haec quoque tertiae declinationis formulam sequuntur, sed neutra in obliquis casibus *a* productam habent[26]; notatur iubar, quod solum correptam *a* habet, ut Virgilius: *iubare exorto*[27].

adm. Gu. — 1) Librarius in Cod. Gu. a superiori *specu* ad *pecu* delapsus verba media et ipsum *pecu* praetermisit. Ceterum *seru* idem est quod *serum*, ὀῤῥός, de qua forma cf. Charis. I, pag. 23. — 2) *Dicimus tamen et haec testa et haec specua* Asc. Ven. P. — 3) *Et* addidi ex Ven. Asc. Gu. — 4) *Tertii ordinis* Gu. Idem Cod. om. in seqq. vv. *animal, animalis* et *hoc tribunal, hoc.* — 5) *Ut hic sal salis et propria barbara* Gu. — 6) *Ut hic Annibal.* Ven. Asc. P. *Hiemsal* om. Gu. — 7) Verba: *El neutri gen. sunt, ut mel et fel* om. Gu. — 8) *I. l. finita syllaba* Gu. — 9) *Hic pugil hic mugil* om. *ut* Ven. P. *hic pugil mugil* om. *ut* Asc., adieci *ut* ex Gu. — 10) Iuvenal. Sat. X, 317. — 11) *Ol terminatum unum invenitur, hic sol* Gu. *In ol unum invenitur masculini generis ut h. s.* Ven. Asc. P. Vv. *masculini generis* non videbantur omitti posse. — 12) *Ut hic consul et hic praesul* Ven. Asc. P. *hic praesul, consul* om. *ut* Gu. — 13) *Unum communis generis* P. *generis* om. Ven. Asc. *unum commune* edidi e Cod. Gu. *Ut* addunt Ven. Asc. P. — 14) *Exul adhuc iacet umbra ducis. Lucanus* (om. libri nota) Gu. Asc. Ven. Retinui lectionem, quae est apud P. Locus est Phars. VIII, 837. — 15) *Exsulis* deest in Cod. Gu. — 16) *Secundae declinationis* Gu. — 17) Omnibus his nominibus genitivi additi sunt in P., quos non agnoscunt Ven. Asc. Gu. *Imperium* deest in Gu. Ceterum post v. *fatum* haec leguntur in Gu. *Excipiuntur duo barbara feminini glicerium silorcium* (lege *Glycerium, Philotium*), quibus quum proxime sequentia manifeste repugnent, haud dubie a seriori manu inserta sunt. — 18) *Nullum sibi locum amb.* P. *nulla sibi locum amb.* Ven. Asc. *sibi locum amb. nulla* Gu. — 19) *En syllaba terminata* Gu. — 20) *Ren renis hic l.* Asc. *rien nis hic l.* Ven. P. *rien rienis, lien* Gu. De forma *rien* cf. Charis. p. 24. — 21) *Ut hic flamen id est sac. Iov.* Gu. In seqq. singulis nominibus *hic* pronomen praeponitur in Ven. Asc. P. *Lyricen* pro *liticen* Asc. Ven. — 22) *Caetera sunt neutri generis et procul dubio tert. decl.* Gu. — 23) *Lumen limen* Gu., qui hunc ordinem tuetur: *Carmen* (bis positum), *lumen, limen, certamen, omen, crimen, numen, examen, gluten.* — 24) *Omnia sunt neutri gen.* Gu. — 25) *Hoc iubar, hoc torcular* Asc. Ven. *ut lucanatorcular* (sic) Gu. *Hoc* singulis nominibus praemissum est in Ven. Asc. P. — 26) *Servant* Gu. — 27) Virg. Aen. IV, 130. — 28) *Et haec*

8. *Er* syllaba finita, exceptis duobus feminini generis, haec mater, haec mulier, et neutris his[28]: hoc uber, suber, papaver, cadaver, laser, tuber, siler, siser, cicer[29], iter, quae [1694] omnia tertiae sunt declinationis[30], caetera masculini sunt generis, alia secundae, alia tertiae declinationis. Masculina igitur in *er* syllabam desinentia, si faciunt ex se feminina, *a* littera terminata, secundi sunt ordinis, ut hic pulcher[31], ater, niger; quorum feminina sunt, pulchra, atra, nigra. Notatur sequester, quod sequestra facit femininum, et est tertiae declinationis[32]. Quae[33] ex se aut nulla faciunt feminina, aut in *is* syllabam mittunt[34], tertiae sunt declinationis[35], hic pater, frater, passer, passeris[36], anser, carcer, agger, acer; nam femininum facit haec acris, ut Horatius: [*Solvitur acris hiems;*][37] hic alacer, alacris, volucer, mediocer, celer, equester, pedester, pedestris[38]. Excipiuntur pauca[39], quae quamvis in femininum genus *a* terminatum[40] minime transeant, secundae tamen sunt declinationis, ut hic puer, gener, socer, liber, Auster, aper, cancer, oleaster, caper, culter, raster[41], faber. Unum invenitur communis generis, quod iuxta rationem communium[42] tertii est ordinis, ut hic et haec pauper[43]. Quidam adiiciunt hic et haec uber, uberis.

9. *Ir* syllaba terminatur[44] unum monosyllabum generis masculini secundae declinationis, hic vir, et quae[45] ex illo componuntur, ut hic semivir, duumvir[46], triumvir, septemvir, decemvir, levir; quae eiusdem sunt declinationis. Unum praeterea neutri generis repertum est,[47] monosyllabis insertum, hoc *ir* indeclinabile.

10. *Or* syllaba finita masculini sunt generis et tertiae declinationis, ut hic odor, olor, amor, liquor[48]. Exceptis tribus, quae sexus in feminino genere[49] defendit, eiusdem tamen declinationis[50], ut haec uxor, soror, arbor[51]. Et neutris his, ador, marmor, aequor[52], cor. [1695] Quidam et hoc ebur vel ebor, robur vel robor, femur vel femor, rationabiliter annumerant. Unum est communis generis, hic et haec autor[53]. Unum omnis generis, hic et haec et hoc memor, et compositum ex eo[54], immemor. Et omnia in hanc syllabam desinentia, o in obliquis

mulier neutra sunt P. signis parentheticis ante v. *exceptis* et post v. *mulier* admotis. *Haec mater, haec mulier neutris his hoc urber* (corr. *uber*) *suber* cet. Gu. *Haec mater, haec mulier et neutris his hoc uber, hoc suber.* Ven. Asc. *Hoc* singulis nominibus in seqq. praepositum in Ven. Asc. P. — 29) *Siler hoc cicer* P. *Siser hoc cicer hoc citer* (sic) Ven. Asc. Et *siler* et *siser* desunt in Gu., absorpta a simili *cicer.* — 30) Hoc loco plene distinguitur in P. — 31) Genitivos *pulchri, atri, nigri* addunt Ven. Asc. P. — 32) Verba: *Et est tertiae declin.* om. Gu. — 33) *Et quae ex se* P. *et* om. Ven. Asc. Gu. — 34) *Mittunt* male om. Gu. — 35) Recte sic Gu., nisi quod ordine inverso *decl. sunt tert.* *Sunt* deest in Ven. Asc. P. — 36) Integras genitivorum formas singulis nominibus subiicit P. *stris* et *ris* usque repetunt Ven. Asc. Semel tantum terminationem gen. adiectam habet voci *passer, ris* Gu. Idem Cod. *frater* omittit et *ager* pro *agger* scriptum habet. — 37) Horat. Odar. Lib. I, 4, 1. Paullo ante *hic acer, huius acris* Asc. Ven. P. — 38) Genitivi terminationes etiam h. l. singulis nominibus subiiciunt Ven. Asc. P., quas om. Gu. nisi ultimo loco in v. *pedester, destris.* — 39) *Excipiuntur vel pauca nomina* Cod. Gu. — 40) *In feminino genere terminata* male Cod. Gu. — 41) *Aster, astri, faber, bri* Ven. Asc. male. Recte *raster* Gu. P. Ceterum genitivi formae vel terminationes singulis additae sunt in Ven. Asc. P. — 42) *Iuxta communem rationem* Gu. — 43) *Pauper, pauperis* Ven. Asc. P. — 44) *Ir syllaba terminata est* Gu. — 45) *Vir, viri, et si qua* Ven. Asc. P. — 46) *Duumvir* om. Gu. — 47) *Et monos.* Ven. Asc. P. — 48) Genitivorum formas singulis nom. subiiciunt et pronomen *hic* praeponunt Ven. Asc. P. *Ut hic odor, amor, liquor, odior* (sic) Gu. Postremum fortasse *achor* vel *ichor* legendum. — 49) *Quae sexus feminini generis def.* Gu. — 50) *Id est tertiae* interponit Gu. — 51) *Haec uxor, haec soror, haec arbor.* Gu. — 52) *Hoc ador, hoc marmor, hoc aequor, hoc ebor, hoc robor, quidam et hoc femor* cet. Ven. Asc. P. Quae edidi, leguntur in Gud. hoc tamen ordine: *ador, equor, ris, mar. mor.* (sic), *cor.* *Quidam hoc ebur vel ebor vel robur, femor vel femur r. ann.* — 53) *Autor* scripsi analogiam verbi *autumare* secutus. In P. est *author*, in Gu. Ven. Asc. *auctor.* Statim post *Omnis generis,* om. *unum* Gu. — 54) *Ex eo* desunt in Gu.

casibus productam habent, si sunt appellativa et Latina; excepto[1] arbor, et supradictis[2] neutris, et memor, et immemor. Propria Latina sive Graeca, o correptam habent in obliquis[3] casibus, ut Actor, Hector[4]. Quae in *or* similiter desinunt, *i* littera[5] praeposita, communis sunt generis, eiusdem declinationis, tertiae scilicet, et omnia comparativi sunt gradus, hic et haec melior, doctior.

11. *Ur* syllaba finita generis masculini haec sunt, hic fur, satur: sed fur quidem[6] iuxta rationem monosyllaborum tertiae est declinationis; quod alii communis generis esse dixerunt. Satur autem secundae, quia[7] satura facit femininum. Praeterea turtur, vultur, masculini generis et epicoeni[8], eiusdem declinationis, tertiae scilicet[9]. Caetera neutri sunt generis, eiusdem declinationis[10], ut hoc guttur, sulfur, fulgur, murmur, iecur, coris, vel iecinoris[11]. Unum communis generis, hic et haec augur[12].

12. *As* syllaba terminata feminini sunt[13] generis, tertiae declinationis, ut haec dignitas, pietas, facultas, civitas, potestas, *a* littera in omni casu producta. Pauca inveniuntur masculini generis, partim a propriis civitatum nominibus[14] derivata, ut hic Latinas, Maecenas, hic Arpinas, hic Capenas.

13. *Es* syllaba quatuor modis nomina terminantur, in *es* productam[15], praeposita consonante, et in *es* correptam[16], similiter praeposita qualibet consonante; in *es* puram[17] productam, vocali *i* praeposita; in eandem *es* puram[18] correptam. Nomina igitur, quae in *Es* productam desinunt consonante praeposita, generis sunt feminini et tertiae declinationis, quae totidem[19] [1696] syllabis in genitivo et in caeteris casibus, quot in nominativo proferuntur, ut haec nubes, caedes, proles, moles, strages, labes, tabes, pubes, plebes vel plebs[20]. Excepto uno, quod eiusdem generis est, sed quintae declinationis, fides[21], fidei; et Ceres, quod in genitivo contra morem[22] omnium plus una syllaba profertur, nam Cereris facit; et merces[23], mercedis. In eadem extremitate quatuor reperiuntur propria masculini generis, eiusdem declinationis, hic Hercules, Cocles, Verres, Ulixes[24]. Et quae componuntur a pede, nihil a declinatione simplicis[25] discrepantia, ut

1) *Exceptis* P. — 2) *Suprascriptis* Ven. Asc. P. — 3) *In omnibus cas.* Ven. Asc. P. — 4) *Actor, ris, Hector, ris* Ven. Asc. P. *auctor, Hector* Gu. — 5) *Littera vocali* Asc. Ven. P. — 6) *Far iuxta quidem* pravo ordine Ven. Asc. P. — 7) *Quoniam femininum satura facit* Ven. Asc. P. — 8) *Epichenon* Ven. *epicoenon* Asc. *epichenum* Gu. — 9) *Scilicet* om. Ven. Asc. *tertiae scilicet* om. Gu. — 10) Vv. *Caetera neutri sunt gen. eiusd. decl.* om. Gu. — 11) Ita Gu. et P., nisi quod in P. singulis nominibus pronomen *hoc* praeponitur. *Vel* deest in Asc. — 12) *Generis scilicet augur* Gu. Genitivi terminationem subiungunt Ven. Asc. P. — 13) *As syllaba finita feminini gen. sunt et t. decl.* Gu. — 14) *Partim propria, partim a propriis civitatum nominibus translata* Ven. Asc. P. Vv. *partim propria* et *civitatum* non leguntur in Cod. Gu. Voc. *civitatum* retinendum censui. In seqq. genitivorum formae singulis nominibus subiectae in Asc. Ven. P. — 15) *Id est in productam* P. *i. in es prod.* Ven. Asc. — 16) *Ante es; in correptam* Ven. Asc. P., nisi quod *in es corr.* Ven. Asc. — 17) *Ante es: in es puram* Ven. Asc. P. Vv. *ante es* iterum om. Gu. recte. Idem tamen *in eandem es puram* exhibet, sed pron. *eandem* aptius infra legitur. — 18) *Ante es; in eandem puram* P. *ante es in eadem pura* Ven. Asc. *Et in es correptam i praecedente* Gu. omissis vv. *ante es.* — 19) Post vv. *i praecedente*, quae, ut statim vidimus in Gu. leguntur, omissis nonnullis sequuntur haec: *feminini generis sunt tertiae declinationis et totidem syllabarum in gen.* cet. Gu. — 20) Exempla sic variant: In Asc. Ven. nominativis *caedes* et *moles* genitivi plene scripti adduntur; ceteris terminationes gen. subiectae sunt; pro *plebes* ibidem *plebs* solum exhibetur. Apud P. est: *nubes, bis; caedes, dis; proles, prolis; moles, lis; strages, stragis; labes, labis; pubes, bis; plebes, plebis.* Genitivos ignorat Gu.; idem pro *pubes* exhibet *tabes*, quod interposui, facile absorptum a superiori *labes* et disyllabo *plebes* additum *vel plebs*, quod rescripsi. — 21) *Ut haec fides* Ven. Asc. P. — 22) *Extra morem* Ven. Asc. P.; vitium ortum ex non intellecto compendio *ɔtra*. — 23) *Ut et merces* P. *ut* ignorant Ven. Asc. Gu. — 24) Genitivos *Herculis, Coclis, Verris, Ulyssis* (sic) addunt Ven. Asc. P., nisi quod Asc. *Coclitis*; recte ignorat genitivos Gu. *Ulixes* Cod. Gu. recte. — 25) V. *simplicis* om. Gu. — 26) *Esse* om.

bipes, tripes, quadrupes; haec etiam communis esse[26] generis multi affirmant; sonipes, alipes. Duo praeterea sunt communis generis, quae in genitivo una syllaba crescunt[27], ut hic et haec haeres, locuples[28]. Quae *es* correpta[29] terminantur praeposita consonante, masculini sunt generis, tertiae similiter declinationis[30], et una syllaba in genitivo crescunt, ut hic poples, hic fomes, miles, gurges, stipes, hic cespes, hospes[31]; nam femininum *hospita* facit. Exceptis his, feminini quidem generis, haec seges, teges; et accidentibus communis generis[32], hic et haec teres, praepes, dives, hebes, comes, sospes, superstes. Et omnia genitivum in *tis* syllabam mittunt. Notantur haec sola, quae in *dis* non in *tis* faciunt genitivum, hic et haec praeses, deses, obses, reses[33]. Quae in *es* productam et puram[34] desinunt, feminini sunt generis et declinationis quintae, ut haec facies, acies, effigies[35]. Excepto uno incerti generis, quod nunc masculinum, nunc femininum est, ut hic et haec dies[36], diei; et quod ex eo figuratur masculini generis, hic meridies[37]. Unum praeterea notatur eadem clausula[38] terminatum generis feminini, tertiae declinationis, haec quies, quietis. Quae in *es* correptam *i* praecedente vocali desinunt, duo sunt [1697] masculini generis, hic aries, paries[39]; unum femininum, haec abies; et faciunt genitivum in *tis*[40]. *Es* productam aut correptam nomina habere dignoscuntur per penultimam genitivi. Sic miles *es* correptam habere dignoscitur; quia penultimam genitivi correptam habeat, ut miles, huius militis: sic heres *es* productam; quod penultimam genitivi productam habeat, ut heres, huius heredis. Atque id ita in omnibus fere observandum est, ubi de ultimae syllabae quantitate dubitatur, ut in nominibus, ita et in verbis[41].

14. *Is* syllaba finita, praepositis *n* et c consonantibus masculini sunt generis, ut hic panis, funis[42], finis, amnis, ignis, clunis, piscis, fascis[43]. Unum est feminini[44] generis, haec bipennis. Unum communis, hic et haec canis. Omnia tamen sunt tertiae declinationis. Et illa generis[45] sunt masculini, quae in genitivo una syllaba adcrescunt, ut hic lapis, pulvis, sanguis, vomis, cinis, pollis[46], pubis[47]. Sic Tullius: [*Filiumque eius impuberem*[48].] Ex his unum

Gu. — 27) *Adcrescunt* Ven. Asc. P. — 28) *Haeredis* et *locupletis* genitivos subiungunt nominativis suis Asc. Ven. P. — 29) *Correptam* Gu. — 30) *Tertiae declinationis. similiter et* Gu. — 31) Vel genitivos forma integra, vel terminationes addunt Ven. Asc. P. *Miles* h. l. omittit, infra post v. *comes* intrudens Gu.; male. — 32) Post *teges* (in Ven. Asc. P. *seges, segetis, teges, tegetis*) in Ven. Asc. P. oratio ita continuatur, plena distinctione praemissa: *Communis vero accidentibus licet, hic et haec teres*, quae a sententia laborant. Sed in Cod. Gu. sine distinctione continuatur oratio sic: *teges, et accidentibus communis generis*, ubi aut scribendum: *et adiectivis c. gen.*, aut *accidentibus* pro *adiectivis* positum atque ita intelligendum est. In exemplis Ven. et A. *hic et haec dives* omittunt, ceteris cum P. pronomina addunt et exemplis his *comes, sospes, superstes* genitivos apponunt. Nos Cod. Gu. secuti sumus, excepto quod *miles* falso post *comes* intulisse iudicantes hoc ipsum omisimus. Cf. notam superiorem. — 33) Genitivos singulis subiungunt Ven. Asc. P.; *reses* ignoratur a Ven. Asc. — 34) Vv. *et puram* om. Gu., sed post *desinunt* infert: *i praecedente*. — 35) Genitivos singulis exemplis subiungunt Ven. Asc. P. — 36) *Femininum ut hic vel haec dies* Ven. Asc. P. In proxime supp. pro *nunc* — *nunc* in Cod. Gu. *nec*—*nec* ex non intellecto compendio. — 37) *Meridiei* subiungunt Ven. Asc. P. — 38) *Finitum* Ven. Asc. P. — 39) *Hic paries* Gu. — 40) *Et tertiae declinationis, faciunt enim genitivum arietis, parietis, abietis* Ven. Asc. *Et tertiae sunt declinationis, faciunt genitivum enim ar. par. ab.* P. *Et faciunt genitivum in tis* Gu. atque ita edidi. — 41) Omnia ista: *Es productam* — — *ita et in verbis*, et interposita, desunt in Gu. Asc. Ven. Addidit ea P. haud dubie e Codice Puteani, quo se usum esse profitetur in praefatione. Non sustuli, quia et apta esse et nostro hoc Grammatico non indigna videbam. — 42) *Hic panis, hic funis* omisso *ut* Ven. Asc. P. — 43) *Hic fascis* Ven. Asc. P. — 44) *Unum fem. est gen.* Ven. Asc. *Est* om. Gu. — 45) *Sunt generis* P. — 46) His ac superioribus exemplis genitivi formas adiicit et pronomen *hic* praeponit singulis Ven. cum Asc. et P. — 47) *Hic impubis, impuberis* sola P. — 48) Verba: *Sic Tullius* — *impuberem* plane desunt in Ven. Asc. Gu. Sane quidem raro exempla e scriptoribus subiungit Grammaticus, sed credibilius est, talia omissa

tamen[1] feminini generis est, haec cuspis. Caetera qualibet consonante *is* syllabam praecedente, feminini sunt generis et eiusdem[2] declinationis, nominativum et genitivum parem habentia, ut haec avis, classis[3], turris, puppis, cutis, pellis, securis, messis, navis, scrobis, bilis. Sed si sunt[4] accidentia, id est ad corpus vel ad animam pertinentia, universa communis sunt generis[5], et tertiae declinationis, et neutra[6] ex se faciunt *e* littera terminata, nihil a declinatione communium[7] discrepantia, ut hic et haec fortis et hoc forte, huius fortis; hic et haec dulcis et hoc dulce, huius dulcis; hic et haec suavis, et hoc suave, huius suavis[8]. Et quae derivantur a principalibus[9], *is* syllaba finita, eandem regulam sequuntur, ut a populo, hic et haec popularis, [1698] et hoc populare; et a specie specialis, speciale[10], et quae similia sunt. Sunt praeterea pauca nomina eadem clausula finita[11], quae neque *n*, neque *c*, ante *is* syllabam habent[12], neque in genitivo plus una syllaba proferuntur, ut hic fustis, ensis[13], postis, anguis, unguis[14], follis, collis, corbis, axis[15], mensis, vectis, torris[16], torquis, orbis. Praeterea quae superius nominavimus omnia aut feminini sunt generis, aut communis. Nam secundum declinationem[17] nulla est ambiguitas.

15. *Os* finita monosyllaba[18] tria sunt generis masculini, hic mos, flos, ros. Duo feminini, haec cos, dos. Unum neutri, hoc os, oris; os, ossis[19]. Unum communis, hic et haec bos[20]. Et omnia, secundum definitam superius regulam monosyllaborum, tertiae sunt declinationis. Dissyllaba sunt[21] tria, quorum duo sunt masculini generis, unum communis, eiusdem declinationis, ut[22] hic lepos, leporis; hic nepos, nepotis; hic et haec custos, dis; similiter hic et haec sacerdos, tis.

16. *Us* syllaba terminata nomina masculini sunt generis, aut feminini, aut neutri. Tantum unum est omnis generis tertiae declinationis, hic et haec et hoc vetus, veteris. Sed masculini generis nomina, aut secundae sunt declinationis, aut quartae; exceptis duobus, quae sunt[23] tertiae declinationis, hic Ligus, Liguris, et hic lepus, leporis. Sed illa[24] secundae declinationis

esse a scribis, quam adiecta. Locus est Cic. in Cat. IV, 6. — 1) *Tamen* om. Gu. — 2) *Et tertiae decl.* Gu. *Et eiusdem decl. tertiae s.* (scilicet) Ven. Asc. — 3) *Ut haec avis, huius avis; classis, huius classis* et sic porro P. *Ut haec avis, classis, clavis, turris, puppis, haec cutis, haec pellis, haec securis, messis, navis, scrobis, scobis, haec bilis* Ven. Asc. Et pronomina omittit Gu. praeterquam quod primo loco *haec avis* ponit, et genitivos. *Scobis* autem et P. et Gu. omittunt. De voce *Scobs* et *scobis* cf. Priscian. VII, 8, 40. Kr. — 4) *Sed sunt accidentia idem ad c.* Gu. *Accidentia* fere idem significare atque adiectiva, supra iam vidimus. — 5) *Sunt generis* Ven. Asc. Gu. *Sunt* om. P. — 6) *Et tertii ordinis similiter et neutra* Gu. — 7) Vv. *Terminata* et *communium* om. Gu. male. — 8) *Ut hic et haec fortis et hoc forte, dulcis, suavis* Gu. nihil amplius. — 9) *Principibus* Gu. — 10) *Et hoc populare, huius ris; specialis, speciale* Ven. Asc. P. Verba *et a specie* accesserunt e Cod. Gu. — 11) *Terminata* Gu. — 12) Inculcantur h. l. verba *masculini generis*, a Ven. Asc. P., quae male interturbant orationem. Omisi cum Cod. Gu. — 13) *Ut hic fustis, hic ensis* et sic porro, addito singulis pronomine, Ven. Asc. P. — 14) *Ungis* Cod. Gu. — 15) *Axis* add. e Gu. — 16) *Torris* additum e Gu. — 17) *Super declinatione* Ven. Asc. P. Nulla esse potest ambiguitas *super* aliqua re, sed inesse potest *in re*, quapropter libenter secutus sum Cod. Gu. — 18) Sic Ven. Asc. rectissime. *Os finita syllaba* P., peius adeo Cod. Gu. *Syllaba finita os.* — 19) *Unum neutrum os ossis, os oris* Gu. *Unum neutri, hoc os, oris. Quidam et hoc os, ossis adiiciunt.* Ven. Asc. P. Absona sunt haec: *Quidam — adiiciunt* et a scribis addita videntur, quapropter omisi. — 20) Vv. *Unum comm. — bos* omissa in Gu., qui reliqua sic exhibet: *Omnia supra dictam regulam monosyllaborum tertiae decl. servant*; quae aperte sunt iusto breviora. — 21) *Sunt* om. Gu. Ven. Asc. — 22) *Ut* additum e Cod. Gu. Statim post idem: *hic lepos, nepos, hic et haec custos sacerdos.* In Asc. est: *hic lepos, leporis; nepos, nepotis; hic et haec custos. dissimiliter.* — 23) Vv. *Quae sunt* om. Gu. — 24) *Sed illa masculina* Ven. Asc. P. *Masculina* om. Gu. — 25) Vv. *Quae aut sunt propria aut* addita sunt e Cod. Gu. Tum legitur in G. *aut in generibus femininis transeunt.* — 26) *Aut in generibus femininis non transeunt* Gu. — 27)

accipiunt formulam, quae aut sunt propria, aut[25] in femininum genus transeunt; illa quartae, quae aut a verbis veniunt, aut in femininum genus[26] non transeunt, ut hic ascensus, huius ascensus, a verbo ascendo; hic motus, huius motus; hic nisus, huius nisus[27]; hic portus, huius portus; hic arcus, huius arcus; quoniam in femininum non transeunt. Sed quoniam in *us*[28] plurima inveniuntur, quae nec a verbis veniunt, nec nihilominus[29] quartae sunt declinationis, neque femininum ex se faciunt, et tamen secundae sunt declinationis: discernendae ambiguitatis causa, diligenti inquisitione subiectas notavimus regulas, quo facilius declinationis diversitas deprehendi possit. [1699] Ergo[30] *Us* syllaba terminata nomina, masculini generis, propria vel appellativa, sive feminina[31] ex se faciunt, sive in aliud genus minime transformantur, secundae sunt declinationis, ut Terentius, *tii*[32]; Marcus, *ci;* bonus, *ni;* campus, *pi;* hortus, *ti;* fumus, *mi;* nidus, *di;* fungus, *gi;* mergus, *gi;* somnus, *ni;* lucus, *ci.* Duo tamen excipiuntur[33], quae superius notavimus tertiae declinationis, *us* syllaba terminata eiusdem generis, hic Ligus, lepus[34]. Quae a verbis, aut nominibus veniunt principalibus, quartae sunt declinationis, ut hic status, huius status; hic ductus, huius ductus; hic motus, huius motus; hic consulatus[35], tribunatus, magistratus, equitatus, sequestratus[36], principatus, raptus, receptus, visus, nisus[37]. Notantur haec, quae nec a verbis veniunt, nec a nominibus derivantur, et tamen quartae sunt declinationis, generis masculini, ut hic artus, gradus[38], sexus, caestus, aestus, portus, lacus, sinus[39], vultus, luxus, senatus, fastus, astus, victus, rictus, ritus[40], foetus, situs. Feminini generis eadem extremitate finita secundae sunt[41] declinationis tria tantum: haec colus, huius coli; haec alvus, alvi; haec humus, humi; et omnia nomina arborum, quae in eandem syllabam desinunt, feminini generis sunt, haec pirus, piri[42]; prunus, pinus, fagus, taxus, fraxinus, ulmus, alnus. Tertiae pauca haec[43] tantum: salus, salutis[44]; palus, paludis; iuventus, iuventutis; senectus, senectutis; servitus, servitutis; tellus, telluris; virtus, virtutis; Venus, Veneris. Quartae haec[45] tantum: haec manus[46], anus, porticus, domus, nurus,

Hic risus, huius risus Asc. V. Omnia ista ita exhibet Gu. *ut hic ascensus, motus, cursus, arcus.* — 28) *In us* addita e Cod. Gu. et Asc. — 29) *Nec minus* Ven. Asc. P. contra sententiam loci. *Nec nihilominus* dedimus e Cod. Gu., qui ista omnia sic exhibet: *Sed quoniam plurima inveniuntur, quae nec a verbis, nec nihilominus sunt quartae declinationis diligenti inquisitione subiectas notavimus regulas, quo facilius diversas deprehendendi possint.* Sed Ven. et Asc. a P. non recedunt, nisi quod *declinationis* omittunt. — 30) *Ergo* deest in Gu. — 31) *Femininum* Ven. Asc. P. — 32) Genitivi integri ascripti sunt in Ven. Asc. praeterquam in voce *lucus*, ubi Ven. ascriptam habet syllabam *ci*, Asc. gen. plane omittit. Exempla sic proferuntur in Gu.: *ut Terentius, Marcius, G e r a l d u s, capus* (sic), *orcus, fungus, nidus, sompnus, sonus, lucus.* — 33) *Duo notantur, quae superius posuimus* Ven. Asc. P. — 34) *Ut hic Ligus, ris; hic lepus, ris* Putsch. *Hic ligus, liguris; lepus, ris.* Ven. Asc. *Ut* om. Ven. Asc. Gu. — 35) Terminationes genitivi et pronomen *hic* singulis seqq. vocc. addit P., pronomen tantum Ven. Asc. Utrumque om. Gu. — 36) Vocem *sequestratus* addidi e Gu. Ceterum pro *raptus* in Ven. et Asc. legitur *reptus*, et *raptus* pariter atque *receptus* desunt in Gu. — 37) *Nisus* addidi e Gu. — 38) *Hic artus, hic status, gradus* P. *Hic arcus, huius arcus; hic gradus, fructus, caestus* Ven. Asc. *Status* etiam a Gu. omittitur, recte. *Ut* adieci e Cod. Gu. — 39) *Currus* recte omittitur in Gu. Pro *vultus* male *cultus* in Ven. Asc. — 40) *Rictus vel ritus* P. *Rictus, ritus* Ven. Asc. *rictus* om. Gu. — 41) *Et secundae declinationis* Ven. Asc. P. In prioribus *eadem s u n t extr.* Ven. Asc. Paullo post *sunt tria tantum* P. — 42) *Haec pirus, piri; haec prunus, pruni; fagus, fagi* P. A. V. *Pinus* addidi e Cod. Gu. Ceterum genitivorum terminationes etiam post reliquas vocc. addunt Ven. P. A. — 43) *Tertiae pauca sunt haec* Ven. A. — 44) Praeter v. *salus, salutis* non integros genitivos, sed terminationes tantum addunt Ven. Asc. Genitivos plane ignorat Gu., qui hoc loco videbantur desiderari non posse. — 45) *Quartae declinationis haec* P. Voc. *decl.* om. Gu. — 46) *Haec manus, huius manus, haec anus, huius anus* et sic porro P. *Haec manus, huius manus* om. Ven. Asc. Genitivos pariter atque pronomina omittit Gu. Ultima exempla sic exhibentur in Ven.

socrus, quercus. Neutralia illa sunt, quae in genitivo una syllaba crescunt[1] et in *ris*[2] desinunt, ut hoc decus[3], decoris; hoc sidus, sideris; pondus, ponderis; hoc pecus, pecoris. Exceptis tribus, quae secundae sunt declinationis, correpta *us* syllaba; hoc vulgus[4], vulgi; hoc virus, [1700] viri; hoc pelagus, pelagi. Alia omnia masculini sunt generis, et declinantur[5] exemplo secundae declinationis, aut quartae, iuxta definitas superius regulas[6].

17. *Ax* syllaba terminatur unum[7] masculini generis proprium, Aiax[8]. Unum femininum, haec fornax. Alia omnia sunt accidentia, et trium generum, hic et haec et hoc audax, rapax, fallax, loquax[9], pertinax, minax, procax, contumax, pervicax; et omnia adinstar tertii ordinis declinantur, et *a* in obliquis casibus productam servant[10].

18. *Ex* syllaba finita masculini sunt generis, declinationis tertiae, ut hic vertex, verticis; culex[11], codex, latex, sorex, pollex, cortex, apex[12], murex. Feminini generis haec sola: haec silex, ut Virgilius: [*Ah silice in nuda;*] haec ilex, carex[13], et haec supellex, supellectilis[14]. Si sint accidentia, quae in *ex* desinunt, omnis generis sunt, nihil a declinatione discrepantia; nam tertiae declinationis sunt, ut hic et haec et hoc simplex, duplex, artifex, opifex, aurifex; et omnia in genitivo et in caeteris casibus *e* litteram in *i* convertunt[15]. Unum reperitur masculini generis, quod *e* producit[16] in obliquis casibus, ut hic vervex, vervecis[17].

19. *Ix* syllaba quae terminantur[18], masculini generis sunt, ut hic calix, calicis[19]; fornix, varix. Feminina sunt haec sola[20]: salix, filix, radix, cervix, matrix, cornix[21], lodix. Ex his posteriora quinque[22] *i* producunt in obliquis casibus. Accidentia[23] trium generum sunt, ut[24] hic et haec et hoc felix, felicis; hic et haec et hoc pernix. In eandem syllabam[25] praepositis consonantibus, quarum prior muta, altera liquida est, nomina feminini generis desinunt[26], quae a masculinis *tor* syllaba finitis, et a verbo venientibus figurantur, ut hic genitor, haec genitrix; venator, venatrix[27]; bellator, bellatrix; victor, victrix. Unum eadem clausula terminatum[28] masculini generis, nomen serpentis apud Lucanum libro VIII.[29] lectum est: [*Et natrix violator aquae.*] Et duo[30] feminini, quae a masculinis non veniunt, haec meretrix, haec[31] cicatrix. Omnia ta- [1701] men[32] procul dubio tertiae declinationis sunt.

Asc. P. *haec domus*, *haec nurus*, *haec socrus*, *haec quercus*. — 1) *Quae in genitivo tantum unam syllabam accrescunt* Gu. — 2) *Et literis des.* Asc. — 3) *Ut hoc decus*, *pondus*, *pectus* Gu. Nihil amplius. — 4) *Hoc vulgus*, *pelagus*, *virus* Gu. Nihil amplius. — 5) *Declinantur* om. Gu. — 6) *Iuxta superiores regulas definitas* Gu. — 7) *Ax syll. terminatum unum est* Gu. — 8) *Ut hic Aiax* Ven. Asc. P. — 9) Inter *loquax* et *pertinax* Gu. exhibet *mivax*, quod vix alibi legatur. — 10) *Habent* Ven. Asc. P. — 11) His nominibus singulis pronomen *hic* et integras genitivorum formas adiicit P. Pronomen ante v. *culex* et seqq. om. Ven. Asc., quae eaedem terminationes genitivi nunc addunt, nunc omittunt. — 12) *Apex* addidi e Cod. Gu. — 13) Omisso Virgilii loco Gu. simpliciter: *haec ilex, carex, silex.* Virg. Eclog. I, 15. — 14) *Et haec supellex*, *supellectilis* desunt in Ven. Asc. — 15) *Et omnia e in genitivo et in ceteris casibus in i convertunt.* Gu. — 16) *Quod producit e* Gu. — 17) *Ut* om. Ven. Asc. *hic* om. Gu. — 18) *Ix syllaba terminata* Gu. — 19) *Hic fornix*, *fornicis*; *varix*, *varicis* P. Terminationes genitivi add. Ven. Asc. — 20) *Sola* additum e Gud. Tum singulis vocc. pronomen *haec* praeponunt Ven. Asc. P. — 21) *Cornix* om. Gu — 22) *Posteriora quattuor* Ven. Asc. *Ex his superiora IIII i productam in obliquis habent.* Gu. Error ortus ex numeri signo. — 23) *Haec nomina subscripta accidentia* Gu. — 24) *Ut* om. Ven Asc. — 25) *In eadem syllaba* Ven. Asc. P. commate ante *In* posito et plena distinctione post v. *liquida est* reiecta P. Recte punctum ponitur post v. *pernix* in Ven. Asc. Gu. — 26) *Desinentia* Gu. *Desinunt in ix* Ven. Asc. P. — 27) *Hic venator*, *haec venatrix* Ven. Asc. P. — 28) *Terminatur* P. Gu. — 29) *Libro VIII* desunt in Ven. Asc. Gu. Legitur locus libro nono v. 720. — 30) *Et* om. Ven. Asc. P. *masculino* Gu. — 31) *Haec* ante v. *cicatrix* om. Gu. — 32) *Tamen* om. Gu. — 33) *Quam superius demonstra-*

20. *Ox* syllaba finita, exceptis monosyllabis, omnia accidentia sunt, generis omnis, sed iuxta rationem superius demonstratam[33], ut hic et haec et hoc ferox, atrox, velox; haec quoque, eiusdem[34] declinationis legibus subiacent. Unum feminini generis hac extremitate apud Plautum lectum est[35], *haec celox*, quod scapham[36] significat.

21. *Ux* syllaba terminatur unum masculini generis proprium, Pollux[37]. Monosyllaba cuiuscunque sint[38] generis, definivimus. Feminini monosyllaba, lux, nux, crux[39]. Quidam communis generis hac syllaba finitum asserunt[40], hic et haec coniux; qui nominativum sine *n* littera[41] proferri volunt, quia in genitivo et aliis casibus eadem littera non servatur[42].

22. *T* littera muta unum nomen terminatur, generis neutri, hoc caput[43], capitis; et quae ex eo componuntur, occiput, tis; sinciput, tis. Persius satira sexta: [*Et fissa fumosum sinciput aure*][44].

23. Quae in duas desinunt consonantes, exceptis, ut saepius dictum est[45], monosyllabis, si sint[46] accidentia, trium generum sunt, et tertii ordinis, remota ambiguitate declinationis, ut hic et haec et hoc ingens, tis. Similiter[47] caelebs, bis; inops, solers, consors, potens. Pauca sunt masculini generis propria, Mavors, Mavortis[48]; Aruns, Aruntis. Pauca sunt[49] appellativa, quorum alia masculini generis, alia feminini; hic adeps, adipis; haec cohors, cohortis; haec hiems, hiemis[50]; et similia[51].

S e g m. III.

1. Expositis[52] Latinorum nominum[53] regulis, Graecorum quoque tractanda est declinatio; quoniam[54] his plerumque utimur in sermone, et maxime propriis, quae in[55] usum Latinae linguae admissa sunt, ut etiam certis definienda sint regulis. Memineris autem[56] omnia Graeca nomina propria, vel appellativa, aut primae esse declinationis, aut secundae, aut tertiae; generis masculini, feminini, neutri[57]. Sed primae quidem et secundae declinationis masculina et feminina reperiuntur; tertiae autem masculina, feminina, neutra.

vimus Gu. — 34) *Eisdem legibus* Gu. — 35) *Unum femininum lectum est apud Plautum* Gu. Legitur aliquoties apud Plautum, veluti Captiv. IV, 2, 94. Mil. IV, 1, 40. — 36) *Scapham navis* Gu. — 37) *Proprium, hic Pollux, cis.* Ven. P. *proprium* om. Gu. — 38) *Sunt* P. Respicit Grammaticus ad locum supra lectum Segm. I, 2. 3., ubi de monosyllabis expositum est. — 39) Verba: *Feminini monosyllaba lux, nux, crux* absunt a Gu. — 40) *Afferunt* Asc. — 41) *Sine n proferre* Gu. — 42) *Quia in obliquis illa littera non servatur* Gu. — 43) *Capud* Gu. — 44) Omnia ista vv. *Et quae ex eo componuntur* — — *sinciput aure* desunt in Gu. Locus est Pers. VI, 70. Vv. *satira sexta* desunt in Ven. Asc. — 45) *Ut iam saepe d. e.* Gu. — 46) *Si sunt* P. Coniunctivus praeferendus videtur. — 47) *Hic et haec et hoc celebs*, omisso *Similiter* Ven. Asc. P. In seqq. *hic et haec et hoc inops*, *pis*, et sic porro Ven. Asc. P. Post *inops* P. interponit *expers*, *tis*, quod ignorant Gu. Ven. Asc. Pro *consors* in Gu. est *concors*, et *potens* plane abest. — 48) *Hic Mavors — hic Ar.* P. Genitivos om. Gu. — 49) *Sunt* additum e Gu. — 50) *Hyemps*, *mis* Gu. *Et similia* desunt ibidem. — 51) Post v. *similia* in Ven. Asc. inscriptio legitur: *Explicit regula latinorum, incipit graecorum.* In Gu. rubrica est haec: *Explicit regula latinorum nominum.* Sed in eodem tamen omne hoc segmentum de Graecis nominibus desideratur, et continuo annectuntur verba, quae infra leguntur Segm. IV. *Quoniam genera* cet. — 52) *Feliciter expositis* Ven. Asc. Gu. Qui hic et in seqq. citatur Cod. Gu. alius est, papyraceus, de quo vide praefationem. — 53) *Nominum* deest in Ven. Asc. — 54) *Declinatio, qua plerumque utimur* Ven. Asc. *Decl. quoniam plerumque his utimur* Gu. — 55) *In* deest in Ven. Asc. *In usu* P. in *usum* recte Gu. — 56) *Memineris haec omnia* Gu. — 57) *Vel neutri* Gu.

2. Quaecunque nomina *as*, vel *es*[1], syllabis terminantur, si apud Graecos genitivum in *ου* mittunt, apud nos primae[2] sunt declinationis, ut *ὁ Αἰνείας, τοῦ Αἰνείου*, Aeneas, Aeneae[3]; *ὁ Λυσίας, τοῦ Λυσίου*, Lysias, Lysiae; *ὁ Ἀμύντας, τοῦ Ἀμύντου*, Amyntas, Amyntae; *ὁ Δαμοίτης, τοῦ Δαμοίτου*, Damoetas, Damoetae; *ὁ Κλοάντης, τοῦ Κλοάντου*[4], Cloantes, Cloantae. Exceptis his: *ὁ Ἰωάννης*[5], *τοῦ Ἰωάννου*, Ioannes, Ioannis; *ὁ Ὀρόντης, τοῦ Ὀρόντου*, Orontes, Orontis; *ὁ Ὀρέστης, τοῦ Ὀρέστου*, Orestes, Orestis; *ὁ Ἡρώδης, τοῦ Ἡρώδου*, Herodes, Herodis; *ὁ Πυλάδης, τοῦ Πυλάδου*, Pylades, Pyladis[6]. Atque haec quidem omnia[7] masculini generis sunt. Item illa flexa, quae *s* littera adempta faciunt apud illos genitivum, similiter apud nos eiusdem sunt[8] declinationis, ut Antas, Antae; Menas, Menae. Quae et accusativum singularem in *n* potius quam in *m* syllabam terminant[9], ut Aenean, Anchisen, Lysian. Simili ratione patronymica nomina declinantur, ut hic Priamides, Priamidae; Pelides, Pelidae; hunc Priamiden, Peliden. Graeca autem feminina, quae *a* littera finiuntur, primae sunt declinationis, ut Medea, Medeae; Phaedra, Phaedrae; Andromeda, Andromedae. Et quae in *e* productam[10] apud illos desinunt, apud nos *e* in *a* conversa, sunt eiusdem declinationis, ut haec Circa, Circae; Andromacha, Andromachae. Aut secundum Graecam declinationem inflectuntur per[11] nominativum casum, ut haec Libye, Libyes. Sic Lucanus libro IX.[12] [*Finibus extremis Libyes, ubi fervida tellus.*] [1702]

3. Secundae declinationis sunt Graeca masculina vel feminina, quae *os* syllaba brevi terminantur, *o* littera in *u* mutata apud Latinos secundi ordinis declinationem sequuntur, ut hic Homerus, ri; Hyginus, Hygini[13]; Tyrus, Tyri; Berytus, ti[14]; Cyprus, Cypri; Pontus, ti[15].

4. Item quae apud illos in *eus* syllabam desinunt, sunt[16] masculina propria eiusdem declinationis, ut hic Peleus, Pelei; Tydeus, Tydei; Oeneus, Oenei[17]; Orpheus, Orphei. [1703] Haec dativum singularem duplicem habent; nam et Pelei et Peleo dicimus, Orphei et Orpheo, ut Virgilius[18]: [*Orphei Calliopea, Lino;*] hoc Graeca, illud Latina declinatione[19]. Accusativum tamen habent Graecum, ut Pelea, Tydea.

5. Item illa, quae apud Graecos in *gros* et in *dros* et in *cros* et in *tros*[20] syllabam

1) *Quaecunque nomina in as vel es vel a syllaba* P. Ven. Asc. Recte Gu. *Q. n. as vel es syllabis*, quod dedimus. — 2) *Sunt primae* Ven. Asc. P. — 3) Graecae formae constanter omissae sunt in Cod. Gu. *Hic Aeneas, huius Aeneae* et sic porro P. Nunquam pronomina addita in Gu. Ven. Asc. — 4) *Ὁ Κλοάντης*. Articulum addidi e Ven. Asc. — 5) Articulus adiectus e Ven. Asc. — 6) *Orontes, horondes, Orestes, Pyllades* Gu. — 7) Verba: *Atque haec quidem* om. Gu. Ven. Asc. — 8) *Sunt* interposui ex Ven. Asc. — 9) *Terminant* om. Gu. Goth. Hic paullo ante a voce *declinationis* incipit Cod. Goth. — 10) *Producta* Ven. Asc. — 11) *In nominativum casum* Ven. Asc. *Inter* (sive *intra* non enim manifesto intelligitur) *nom. c.* Gu. *Inter* etiam Goth. Paullo post *huius Libyes* P. *Haec libiae libies* Goth. — 12) *Libro IX* desunt in Ven. Asc. Gu. Goth. Locus est Lib. IX, 624. — 13) *Iginus, Igini* Ven. Asc. P. Recte *Hyginus, ini* Gu. *Yginus, Ygini* Goth. — 14) *Lyritus, ti* Gu. *Beritus, ti* P. Goth. — 15) *Pontus, ti* addita e Gu. Goth. — 16) *Sunt autem masc.* Gu. Goth. — 17) *Aeneus, Aenei* Ven. Asc. P. Peius etiam Goth. *Aeneas aeneae.* Rescripsi *Oeneus, Oenei* de coni. — 18) Virg. Ecl. IV, 57. *Orfi Calliopea* Goth., in quo etiam est: *Peli et Pelio.* De dativo *Orphei* et *Orphi* cf. Conr. Leop. Schneider. Lat. Formenl. pag. 289. — 19) *Hoc graecum est, illud latinae declinationis* Ven. Asc. P. *Sed hoc Graecum est, illud Latinae declinationi* Goth. Tum *Pelia teria* Goth. — 20) *Et in tros* om. Gu. *In dros et in gros*, omissa quarta term. Goth. — 21) Genitivos Graecos addidi ex Gu., qui desunt in Ven. Asc. P. Goth. — 22) *In gros, in bros, in dros, in tros* P. — 23) *Syllabas* Ven. Asc. P. Goth. — 24) Singulis his substantivis Graecas formas praemittit P. *Scrobrus* mendose Goth. — 25) *Masculina nomina* P. *Propria* deest in Goth. — 26) *Et sunt tertiae* P. — 27) *Desinentia* hic interponunt Ven. Asc. P. Goth. — 28) *Applicamus* Gu. *adplicamus* Goth. — 29) *Ἀκάμας* — *Acamantis* accesserunt ex Gu. et Goth. — 30) Ita Cod.

mittunt, postrema syllaba in *er* conversa, eiusdem sunt declinationis, ut *Μελέαγρος, Μελεάγρου*[21], Meleager, gri; *Μένανδρος, Μενάνδρου*, Menander, dri; *Τεῦκρος, Τεύκρου*, Teucer, Teucri; *Ἀντίπατρος, Ἀντιπάτρου*, Antipater, Antipatri. Excipiuntur quaedam in *grus*, in *brus*, in *drus*, et in *trus*[22] syllabam[23] desinentia, quae nominativum non mutant, nihil tamen a declinatione dissentiunt, scombros[24], Andrus, congrus, Petrus.

6. In *or* nomina[25] masculina propria desinunt, et tertiae[26] sunt declinationis, ut Hector, ctoris; Nestor, Nestoris; Mentor, Mentoris; Actor, Actoris. In his omnibus *o* in omni casu corripitur.

7. In *as* masculini generis[27], si apud illos genitivum in *os* mittunt, nos tertiae declinationi applicabimus[28], ut *Θόας, Θόαντος*, Thoas, Thoantis; *Ἀκάμας, Ἀκάμαντος*, Acamas, Acamantis[29]; *Ἄτλας, Ἄτλαντος*, Atlas, Atlantis; *Μένας, Μέναντος*, Menas, Menantis[30]; *Γίγας, Γίγαντος*, Gigas, Gigantis[31]. Et feminina similiter eadem syllaba terminata tertiae sunt declinationis, ut haec Pallas, Palladis; Thyas, Thyadis; Oreas, Oreadis[32].

8. In *es* propria masculini generis desinunt. Quorum si Graeci genitivum in *os* efferunt, simili modo Latini tertii ordinis exemplo declinant[33], *Δημοσθένης, Δημοσθένεος*, Demosthenes, nis; *Πολυνείκης, εος*, Polynices, cis; *Διογένης, εος*, Diogenes, Diogenis. Et quae circumflexo accentu pronunciantur, in suo haec statu[34] remanent, et Graecam declinationem sequuntur, ut hic Eumenes, Eumenus; Euprepes, Euprepus[35]; quanquam quidam sic declinare voluerunt[36]: Eumenes, Eumenis; Euprepes, Euprepis; Eutyches, Eutychis[37]. Et quae in *tis* genitivum mittunt, similiter declinationis sunt tertiae[38], ut Dares, Daretis; Chremes, Chremetis; dicimus autem et Chremis, Diores, Dioris; Antores, Antoris[39].

9. In *is* tam masculini quam feminini generis[40], eiusdem declinationis sunt, ut hic Daphnis, dis; Tigris[41], dis; feminina haec: Thais, dis; Lais, Laidis; Isis, Isidis; Hesperis, Hesperidis. Et omnia genitivum in *dis* syllabam mittunt, excepto uno Simois, quod Simoentis facit genitivum.

10. In *us*[42] masculini generis propria, figurae compositae[43], tertiae sunt declinationis, ut Melampus, Melampodis[44]; Oedipus, dis.

Gu. et Goth., qui posterior Graeca om. Simile quid in aliis quoque Codd. inventum esse, ostendunt Ven. Asc., in quibus h. l. est: *Μαίνας μαίναδος, menas menadis*, quod huc non pertinet, et a P. infra post *Palladis* ponitur. Non invenio nomen proprium *Μένας*, neque apud Graecos, neque apud Latinos; nolui tamen Codices deserere. — 31) In Cod. Gu. Graeca forma hic deest, proque ea scriptum *Acas, Acantis*, quod nihil est aliud, nisi Graecum *ΓΙΓΑΣ*. Cod. Goth. pro Graecis exhibet *cicas, cicantis.* — 32) *Orchas, Orchadis* Gu. *Orcas, orcadis* Goth. — 33) *Ut* h. l. interponunt Ven. Asc. P. Tum pro Graecis, quae seqq., nominibus lacunae relictae sunt in Asc. — 34) *In suo statu haec* Ven. Asc. P. Tum *permanent* P. — 35) *Eumenus — Euprepus* ita recte Gu. Goth. *Eumeneos — Euprepeos* Ven. Asc. P., nisi quod *Euprepetis* Ven. — 36) *Quamquam si declinare voluero* Gu. male. *quamquam sic declinare voluerimus* Goth. — 37) *Euprepetis — Eutychetis* P. *Eumeneis — Euprepeis — Eutychetis* Ven. Asc. *Eumenos — Euprepos* (sic) — *Eutycheos* Cod. Gu., quod fortasse verum ostendit. *Eyprepetis. eyticae tis* Goth. — 38) *Declinationis sunt tertiae.* Ita Codd. Gu. Goth., nisi quod Goth. *simili terciae sunt declinationis ut.* Sed Ven. Asc. P. *similiter declinantur ut.* — 39) *Antor, Antoris* Gu. Goth. — 40) *Generis desinentia, eiusdem* P. Pro v. *desinentia* exhibent *desinunt* Gu. Goth. Ven. Asc. Ego omittendum censui, ut supra aliquoties omissum est idem v. in Codd. Nisi forte legendum *Quae in is — desinunt.* — 41) *Tybris, dis* Ven. Asc. P. Cod. Goth. Sed in Cod. Gu. in contextu scriptum est *tigris, tigridis*, correctum in margine *tybris, dis.* — 42) *In ους* (Graeca terminatione) P. *In os* Ven. Asc. *In us* recte Codd. Gu. Goth. — 43) Male *desinentia* hic rursum intrudit P. *Desinunt* Gu. Goth. Ven. Asc. Cf. quae paullo ante dixi. — 44) *Melampus, Melampodis* Gu. *Melampos, Melampodis* Goth. Uterque Cod. om. *Oedipus, dis.* Sed Ven. Asc. *Melampos, dis, Oedipos, dis. P. hic Melampus, dis, Oedipus, dis.*

In *ys* propria masculini generis et[1] tertiae sunt declinationis, ut hic Capys, Capyis; Panthys, Panthyis[2].

11. *O* littera finita propria sunt generis feminini, quae translata in Latinam linguam nihilominus graecam declinationem obtinent, ut Dido, Manto, Erato, Calypso, Themisto[3]. Declinantur enim hoc modo, haec Dido, Didus, Didoi, Didoa, Dido, ab hac Dido[4]. Errant enim qui Didonis aut Mantonis genitivum dicunt; et vocis asperitas et veterum autoritas eiusmodi declinationem repudiant.

12. In *on* masculini generis propria[5], quae genitivum aut in *os*, aut in *tos* mittunt, apud Graecos, ea nos[6] tertiae declinationis esse asserimus, ut Sinon, Sinonis[7]; Damon, Damonis[8]. Haec interdum apud Latinos mutata novissima littera[9] proferuntur, ut Laocoon, Laocoontis; Hippocoon, Hippocoontis. Et[10] quae in *os* genitivum mittunt, penultimam syllabam productam habent in obliquis casibus; quae in *tos* genitivum, productam habent penultimam in reliquis, ut quae genitivum in *os* efferunt; exceptis duobus, quae in *is* genitivum extollunt, *o* autem corripiunt, ut Memnon, nis; Agamemnon, nis.

13. In *an* masculini generis desinentia nomina[11], ea quoque tertiae declinationis sunt[12], ut Titan, nis; Paean, Paeanis. Horum accusativum tam numeri singularis, quam pluralis, secundum Graecos[13] proferimus, ut Titana, Paeana; hos Titanas, hos Paeanas. Unum etiam genitivum singularem, propter differentiam, in *os* iuxta Graecam declinationem mittit, hic [1705] Pan, huius Panos[14]. Virgilius: [*Panos de more Lycaei.*]

In *in* masculini generis[15], eiusdem declinationis, ut hic delphin, delphinis. Accusativum utriusque numeri, delphina et delphinas, sicut Graeci, proferimus. — In *os* productam generis[16] masculini, tertii ordinis, ut Minos, Minois; heros, herois; Tros, Trois.

1) *Generis sunt et tertiae* Ven. Asc. P. — 2) Pro *Panthys*, *Panthyis* P. exhibet *Phorcys*, *Phorcyis*, renitentibus ceteris libris omnibus. Ven. Asc. *Capis*, *Capis; Pantis*, *Pantis.* In Gu. est: *ut hic Capys*, *Capyis; Panthys*, *Panthyis;* atque ita plane Cod. Goth. *Hic* om. Ven. Asc. P. — 3) *Themisto* om Gu., contra supra post *Dido*, interponit *Iuno* Goth. — 4) Male Ven. Asc. P. *haec Dido*, *Didois*, *Didoi*, *Didoem*, *ab hac Didoe*, quam declinationem nulla unquam aetas admisit. Verum ostendunt Codd. Et Gu. quidem: *haec Dido*, *did*$\overset{o}{u}$*s* (sic) *didoi*, *dido*, *ab hac dido.* Goth. vero: *haec dido*, *didoys*, *didoae*, *dido a dido*, *ab hac dido;* duplicem igitur agnoscit Cod. Goth. accusativum: *Didoa*, *Dido*, quem exhibuimus. Dativum *Didoi* nondum agnoscit Conr. Leop. Schneider. Lat. Formenl. pag. 290., quem tamen in usu fuisse, non est dubium, quum *Minoi* quoque dixerint Latini. Cf. idem Schneider. pag. 288. — 5) *Desinentia* interponunt P. Ven. Asc. *Desinunt* Gu. Goth. Nos omisimus, ut supra. Tum *quae et gen.* Goth. — 6) *Ea apud nos* Ven. Asc. Gu. Tum *asserunt* Ven. Asc. — 7) *Simon*, *simonis* Gu. — 8) *demon*, *demonis* Goth. — 9) *Mutata novissima n littera* Gu. *mutata n littera* Goth. — 10) In seqq. multum turbant libri. In P. ita exhibetur: *Et quae in os genitivum mittunt*, *penultimam syllabam productam habent in obliquis casibus*, *exceptis duobus*, *quae in genitivo* o *corripiunt*, *ut Memnon*, *nis; Agamemnon*, *nis.* Asc. vero sic: *Et quae in os genitivum — in obliquis casibus. Quae in tos genitivum productam habent penultimam in reliquis. Et quae genitivum in os efferunt*, *exceptis duobus*, *quae in is genitivam extollunt os*, *corripiuntur: ut Memnon*, *nis*, *Agamemnon*, *nis.* Ita etiam Ven., nisi quod in extremis discedit: *quae in is genitivam extollunt*, *os corripiunt: ut Memnon* cet. Cod. Gu. sic: *Et quae in os genitivum mittunt*, *penultimam syllabam productam habent in obliquis casibus. quae in tos genitivum extollunt*, *hos autem corripiunt quanquam* (fortasse *quoque*) *Memnon*, *Memnonis; Agamemnon*, *Agamemnonis.* Cod. denique Goth. ita scripta habet: *Et quae — syllabam prodacunt habent in obl. cas. quae in tos genitivum extollunt*, *os autem corripiunt*, *ut memnon*, *memnonis; agamemnon*, *agamemnonis.* Proxime ad veritatem accedit Ven., cuius lectionem paucis mutatis restitui sic: *Et quae in os genitivum mittunt*, *penultimam syllabam productam habent in obliquis ca-*

14. *A* finita Graeca neutri sunt generis, nam super declinatione nulla est ambiguitas; nam eiusdem sunt ordinis, ut poema, poematis; toreuma, toreumatis; emblema, emblematis. Quae quamvis tertiae sunt[17] declinationis, dativum et ablativum pluralem non in *ibus* sed in *is* mittunt, ratione nominum secundae declinationis; nam his poematis, emblematis[18], toreumatis dicendum est.

15. In *ax* vel in *ix*, masculini generis nomina[19] desinunt, et[20] genitivum *is* syllaba finiunt, ut thorax, thoracis; Phoenix, Phoenicis. Et quae in duas desinunt consonantes, tertiae declinationi similiter applicantur, ut hic Cyclops, Cyclopis; chalybs, chalybis.

16. Universa nomina Graeca cuiuscunque sunt[21] generis, genitivum apud illos in has syllabas mittunt: in ης, ut *Κίρκη*[22], *Κίρκης;* in ας, ut *Φαῖδρα*, *Φαίδρας;* in ου, ut *Αἰνείας*, *Αἰνείου;* in α, ut *Ἄντας*, *Ἄντα;* in ω, ut *Γύγης*, *Γύγεω;* in ος[23], ut *Αἴας*, *Αἴαντος;* in ους, ut *Δημοσθένης*, *Δημοσθένους;* in ως, ut *Θησεύς*, *Θησέως*[24]. Igitur quaecunque[25] nomina apud Graecos genitivum in ης vel in ας[26] mittunt, apud nos primae sunt declinationis, ut ἡ[27] *Κίρκη*, *τῆς Κίρκης*, Circa, Circae; ἡ *Φαῖδρα*, *τῆς Φαίδρας*, Phaedra, Phaedrae. Quae in α vel in ου genitivum mittunt, et in nominativo ας vel ης[28] syllabis terminantur, simili modo primae sunt declinationis, ut Antas, Antae; Aeneas, Aeneae; Orestes, Orestae[29]. Quae in ου syllabam exeunt in genitivo, a nominativo ος[30] terminato venientia, secundae sunt declinationis, ut *Ὅμηρος*, *Ὁμήρου;* *Μένανδρος*, *Μενάνδρου*[31]. Item quae in ος exeunt in genitivo a nominativo ευς terminato venientia, secundae sunt, ut *Τυδεύς*, *Τυδέος*, Tydeus, Tydei; *Πηλεύς*, *Πηλέος*, Peleus, Pelei[32]. Quae in ους vel in ος syllabas[33] genitivum singularem mittunt, omnia tertiae sunt decli- [1706]
nationis, remoto dubitationis errore, ut *Δημοσθένης*, *Δημοσθένους*, Demosthenes, Demosthenis; ὁ *Πάρις*, *Πάριδος*, Paris, Paridis; ὁ *Μίμας*, *Μίμαντος*, Mimas, Mimantis[34]; *Παλλάς*, *δος*, Pallas, Palladis; ἡ *Θαΐς*, *δος*, Thais, Thaidis; *τὸ ποίημα*, *τος*, poema, poematis.

sibus; quae in tos genitivum, productam habent penultimam in reliquis, ut quae genitivum in os efferunt; exceptis duobus, quae in is genitivum extollunt, o autem corripiant, ut Memnon, Memnonis; Agamemnon, Agamemnonis. In quibus nihil mutavi, nisi quod *ut* pro *et* scripsi, *autem* vero e Codd. ascivi. — 11) *Nomina* deest in Goth. — 12) *Sunt* deest in Gu. — 13) *Graecam* Goth. *Graecum* Gu. — 14) *Hic Pan Panos. Virgilius* Goth. Gu. *Hic Pan, huius Panos; ut Virg.* V. Asc. P. Locus Virg. est Aen. VIII, 344. — 15) *Masculini generis exeuntia eiusdem* V. Asc. *masc. g. exeunt. ei.* Gu. Goth. — 16) *Producta gen. desinunt m.* Goth. Gu. — 17) *Sint* P. Gu. *sunt* Goth. V. Asc. — 18) *Emblematisque dic. est.* Sic Goth. V. Asc. P., nisi quod in Goth. *est* desideratur. Recte Gu. *emblematis, toreumatis dicendum est*, quod dedi. — 19) *Nomina* om. Gu. — 20) *Et genitivos* Goth. Paullo post *thorax, thoracis; chorax, choracis* Goth. — 21) *Cuiuscunque sint* Goth. V. Asc. — 22) *Ut ἡ Κίρκη τῆς Κίρκης* V. *In is vel in as syllabam mittunt, in is ut ΚΥΡΚΥC* (i. e. *Κίρκης*) Goth. *Ut Κίρκη τῆς Κιρκῆς* Asc. *Ut Κίρκη τῆς Κίρκης* P. Exempla plane desunt in Gu. — 23) *In ου ἄντης, ἀντοῦ; in ω, ut λαας, λαω; in ος, ut Αἴας.* V. Asc. *In ου, ut aeneas, aeneoy; in α, ut antas, anta* Goth. Verba *in ω, ut Γύγης, Γύγεω* e Cod. Goth. recepi. Tum verba: *in ος, ut Αἴας, Αἴαντος* in Cod. Goth. desiderantur, sed idem post *Δημοσθένους* exhibet: *in ος ut toantes, toantos, Γιγας, Γιγαντος.* — 24) *Ut θέσις, θέσεως* V. Asc., quae desunt in Goth. — 25) *Quaecunque* Goth. V. Asc. *quae* P. — 26) *Vel in ης aut in ας* P. *In ης vel ας* Ven. *in ης vel in ας* Asc. Goth. — 27) Articulus accessit ex Ven. Asc. — 28) *In ας vel in ης* V. Gu. *in ος vel in εις* Asc. *in as vel in es* Goth. — 29) Graeca singulis exemplis praemittit Gu. sic: *ἄνθης, ἄνθου, Antas, Antae; Αἰνείας, Αἰνείου, Aeneas, Aeneae; Ὀρέστης, Ὀρέστου, Orestes, Orestae.* — 30) *A nominativo ος syllaba terminato* P. Voc. *syllaba* om. Gu. Goth. V. Asc. *in ος term.* Gu. — 31) Nomina propria etiam Latine ascripta sunt in Gu. — 32) Graeca accesserunt e Gu. Paullo ante verba: *in genitivo a nominativo ευς terminato venientia* recepta sunt e Cod. Gu. — 33) *Syllabis* Asc. V. *syllaba* Goth. *syllabam* Gu. — 34) Sic dedi de coniectura. *Μοίνας, Μοίναντος; Menas, Menantis* Gu. *minans, minantis* Goth. *ὁ μίνας, τος; minas, minantis* V. *minas, tis* Asc. *Μήνας, Μήναδος, Menas,*

Segm. IV.

1. Quoniam genera et declinationes[1] tam Latinorum quam Graecorum nominum dilucide breviterque explanavimus; de caeteris, quae praepositis regularum legibus refragantur[2], disseremus, ut discussa penitus ignorationis[3] caligine, inoffensa luce scientiae, mentes adolescentium[4] illustrentur.

2. Sunt quaedam nomina in utroque numero non eiusdem generis[5]; alia non eiusdem declinationis; alia non in utroque numero declinantur; alia certis casibus deficiunt. De his[6] dicemus, et primum de illis, quae generibus discrepant.

3. In singulari numero generis masculini, in plurali neutri, ut hic locus et haec loca; dicimus tamen[7] et hi loci; hic iocus et haec ioca; dicimus et hi ioci; hic Maenalus, haec Maenala; hic Tartarus, haec Tartara; hic Gargarus, haec Gargara; hic carbasus, haec carbasa; hic Ismarus, haec Ismara; hic sibilus, haec sibila.

4. In singulari numero generis feminini, in plurali neutri, haec Pergamus[8], haec Pergama; haec intibus, haec intiba[9]; haec arbutus, haec arbuta. — In singulari numero generis neutri, in plurali feminini, hoc epulum, hae epulae[10]. Sic Iuvenalis: [*Unde epulum possis centum dare Pythagoreis.*[11]] Alii *hae epulae* semper pluraliter declinant[12]. Hoc balneum, hae balneae; dicimus et haec balnea[13], ut Tullius: [*ad balneas Palatinas*[14].] Iuvenalis: [*Et crudum pavonem in balnea portas.*[15]] Hoc caepe, quod in singulari numero est aptotum; in plurali[16] femininum, hae caepae, et ordine declinatur.

5. In numero singulari generis neutri, in plurali masculini, hoc porrum, hi porri[17]; hoc frenum, hi freni; ut Lucanus: [*Frenosque momordit.*][18] Dicimus tamen et haec frena. [1707]

Menadis P., quae omnia eodem ducunt. In caeteris Graeca non exhibent Goth. et Asc., in qua editione loco Graecorum lacunae sunt significatae. Articulos ἡ et τὸ ante duo postrema Graeca ignorat Gu. idemque post vocem *poematis* exhibet: *Deo Gratias Amen*, sequiturque statim inscriptio: *De impersonalibus*, post quam segmentum incipit: *Quae aut secundae sunt coniugationis aut tertiae*, quae leguntur infra pag. 1717. antiquae edit. in medio segmento. Ab hoc autem loco rursum incipit Cod. Gu. I. membraneus, ut supra significavimus. — 1) *Genera et declinationis* P. *Genera declinationis* Gu. Recte Goth. V. Asc. exhibent, quod dedi. — 2) *Refrangatur* Gu. *refraguntur* Goth. — 3) *Ignorancionis* Goth. *ignoratis* Gu. — 4) *Adolescentum* P. V. A. *adolescentium* Gu. Goth. *inlustrentur* Goth. — 5) Hunc locum sic exhibet Goth.: *Sunt quaedam nomina in utroque numero nec eiusdem generis nec declinationis. Alia nomina in utroque numero declinantur, alia certis* etc. Aperte vitiose. Sed V. A. P. verbositate laborant hoc loco: *S. q. n. i. u. numero non eiusdem generis. Alia sunt non eiusdem declinationis. Alia nomina sunt, quae non in utroque numero* cet. Recte vv. *sunt* et *nomina sunt quae* in Gu. omittuntur. — 6) *De eis* Goth. Statim post: *et primō* (sic) Goth. — 7) Vv. *dicimus tamen* om. Gu.; et paulo post *dicimus* om. Goth. Sed omnia ista: *hic iocus et haec ioca, dicimus et hi ioci* male om. Gu. — 8) *Ut h. P. et h. P.* V. A. P. Omissae particulae in Gu. Goth. — 9) Vv. *haec intibus*, *haec intiba* om. Gu. — 10) *Haec epulae* Goth. *hoc epulum epulae* A. Omnis locus in Gu. sic legitur: *In sing. n. gen. neutri hoc epulum in pl. feminini haec epulae et haec epula.* — 11) Iuvenal. Sat. III, 226. *Posset centum dare. Pitagoras et alii hae haepulae* Goth. — 12) *Declinabant* Goth. Voc. *pluraliter* om. Gu. Idem pergit: *similiter hoc balneum* cet. — 13) *Hae balneae dicuntur et as balneas* Goth. *et haec balneae et haec balnea satis dicuntur* (ita videtur) Gu. Apertum est, Grammaticum sic voluisse: *Hoc balneum, hae balneae; dicimus et haec balnea, ut* cet. quemadmodum supra dixerat: *dicimus et hi ioci.* — 14) Cic. Orat. pro Sex. Rosc. Amerin. c. 7. Cf. Pompei. Comm. A. D. pag. 150., ubi in simili re eundem Cic. locum excitatum reperimus. Adde quae ibi notavimus. *pallacinus* Goth. — 15) Iuvenal. Sat. I, 143. — 16) *In plurali numero* Gu. Paullo post idem: *ordine primo decl.* — 17) *Generis neutri*, *hoc porrum*, *in plurali*, *hi porri* V. Asc. P. Goth. — 18) Lucan. Phars. VI, 398. — 19) *Hi fili et haec fila.* Ita Cod. Goth. omisso pron. *Idem*, quod

Hoc filum, hi fili et haec fila[19]. Idem: [*Traxerunt torti magica vertigine fili.*] Hoc coelum, hi coeli[20]; hoc Argos, hi Argi.

6. In plurali numero mutant declinationem haec. Hoc iugerum in singulari numero secundae declinationis est, in plurali tertiae, nam genitivum horum iugerum, dativum et ablativum[21] his et ab his iugeribus facit. Et vas, quod tertiae est declinationis[22] in singulari numero, in plurali secundae, nam genitivum horum vasorum, dativum et ablativum his et ab his vasis dicimus[23]. Pauca sunt primae declinationis nomina, quae contra regulam dativum et ablativum numeri pluralis in *bus* syllabam mittunt, discernendae ambiguitatis sexus[24] causa, his et ab his deabus, filiabus, mulabus, equabus, libertabus, natabus, dominabus[25], asinabus; quae a viris peritis usurpata sunt. —

7. Haec sunt, quae in utroque numero non admittunt declinationem, quorum alia singulariter, alia pluraliter tantum[26] declinantur. Deorum propria nomina, heroum[27], elementorum, fluminum, montium, singulariter duntaxat declinantur. Item urbium, nisi quae natura pluraliter[28] efferuntur, ut Athenae, Thebae, Cumae, Mycenae, Atellanae, Graviscae, Crustumeri[29], Cosae, Arpi, Puteoli, Ostia. Item metallica, quae omnia sunt secundae declinationis et generis neutri, ut hoc aurum, argentum, ferrum, plumbum, stannum[30]; excepto uno *aes*, quod eiusdem generis est, sed iuxta rationem tertii ordinis monosyllaborum[31] tres casus in plurali numero admittit, nominativum, accusativum et vocativum: hoc aes et haec aera. Item arida vel liquida, quae ad mensuram pondusve referuntur[32], ut triticum, hordeum, frumentum, far, lens, cicer, milium, ervum, faba[33], oleum, vinum, mel, lac, mulsum, defrutum, muria. Ex his multa veteres[34], autoritate licentiae largientes, pluraliter extulerunt, *haec hordea*, *farra*, *mella*, *defruta*, *vina*. Haec etiam usus recipit; nam *vina Chia* dicimus[35] et *mella Attica*. Prae- [1708]

sola P. exhibet. *Hoc filum*, *fili et fila*; *hoc coelum*, *hi coeli* omisso exemplo Gud. *Hoc filum*, *hi fili: traxerunt in arte magica v. f. et haec fila dicuntur* V. Asc. *In arte magica* etiam Goth. Verba: *et haec fila dicuntur* etiam in Goth. repetita inveniuntur, quae vereor ne sint ad similitudinem priorum regularum huc a librariis inserta. Locus est Lucan. Phars. VI, 460. — 20) *Hoc coelum, hic coeli;* accesserunt haec ex Gu. — 21) *Ablativum in bus* Gu. — 22) *Declinationis* insertum ex Gu. — 23) *Declinant* pro v. *dicimus* exhibet Gu. — 24) *Ambiguitatis .i. sexus causa* V. Asc. P. *Ambiguitatis causa sexus* Gu. *Ambiguitatis sexus causa* Go., quod dedimus. — 25) *Dominabus* inserui ex Gu., ubi hoc ordine: *duabus*, *filiabus*, *nathabus*, *dominabus*, *mulabus*, *equabus*, *asinabus*, *libertabus*. In Go. desunt *natabus*, *asinabus*. — 26) *Alia singulariter tantum alia plur. decl.* Gu. V. Asc. *Alia sing. tantum alia plur. tantum* Go., sed expuncto altero *tantum*. — 27) *Heroum* post v. *fluminum* alieno loco inserunt V. Asc. P. recte suo loco legitur in Gu. Go., in quo posteriori est: *eorum*. — 28) *Naturaliter pluraliter* V. Asc. P. *Naturaliter talie eff.* om. in supp *quae* Go. Veram lectionem praestitit Gu. — 29) *Grauissae* Asc. *Graiussae* V. — *Crustumiae* V. Asc. P., quod nomen om. Gu., ubi ista omnia turbato ordine sic leguntur post v. *declinantur: Item metallica, quae omnia sunt secundae declinationis et gen. neutri, ut hoc aurum, ferrum, plumbum, stagnum. quae natura pluraliter efferuntur, ut Athenae, Cumae, Thebae, Mycenae. Excepto uno aes* cet. Clare scriptum *Crustumeri* exhibet Go., quod Grammatico reddendum fuit. Cf. Virg. Aen. VII, 631. Forma *Crustumiae* non in usu fuit, sed *Crustumerium* et *Crustumeria*. Ex Livio I, 9. affertur *Crustumium*, quod ipsum vereor, ne ortum sit ex scripturae compendio. Tum *Carpi* male in V. Asc. P. Verum ostendit Go., ubi sic: *Cosae*, *Arpiae*, *Potheoliae*. — 30) *Stagnum* Gu. Go. — 31) *Monosyllabarum* Gu. V. Asc. Paullo ante pro *sed* exhibet *et si* Go. — 32) *Pondus ve feruntur* Gu. — 33) Voc. *faba* om. V. Asc., in fine adiecit Gu. post v. *muria*, quam idem scriptam habet *murina*, Go. *moria*. Post v. *mel* ignorant *lac* Go. V. Asc. P. addidi ex Gu. V. *defrutum* et infra *defruta* Gu. non exhibet; infra *frumenta* adiicit hoc ordine: *farra*, *ordea*, *frumenta*, *mella*, *vina*. — 34) *Ex his multa auctoritate licentiae largienter pl.* Gu. om. *veteres*. Tum *extulerunt ut hordea* Go. *e. ut farra ordea* Gu. — 35) *Nam vina Coa dicimus et Massica*. V. Asc. P. *Nam vinatia dicimus et mustatia*. *Praeter* Go. *Nam vina et*

ter[1] haec alia sunt, quae[2] in plurali numero deficiunt. Generis quidem masculini[3]: hic fumus, fimus, limus, pulvis, sanguis, genius. Generis feminini: haec fames, lux, labes, pix[4], pax, sitis, tabes, humus. Generis neutri: hoc coenum, foenum[5], ius, lutum, vulgus, pelagus, virus, viscum, aevum, penum.

8. In plurali numero tantum declinantur nomina numeri[6], praeter *unum*, quod plurali numero deficit tantum[7], ut *duo*, *tres*. Memineris autem omnia numeri nomina[8] ab *uno* usque ad *tres* declinari, a *quatuor* usque ad *centum* minime; a *ducentis* usque ad *nongentos* per omnia genera pluraliter[9] declinari. Est etiam unum aptotum neutri generis, semper eiusdem numeri, hoc pondo. Praeterea[10] alia sunt, quae in singulari numero non[11] declinantur. Generis quidem masculini: hi antes, hi carceres, cani, casses, furfures, fori, liberi, manes, optimates, primores, proceres, pugillares, Quirites, sentes, vepres. Generis feminini: argutiae, blanditiae, cunae, exsequiae[12], inferiae, insidiae, inimicitiae, exuviae, manubiae, excubiae, primitiae, bigae, trigae, quadrigae, compedes, deliciae[13], divitiae, dapes, feriae, falerae, genae, facetiae, induciae[14], Kalendae, Idus, Nonae, latebrae, nuptiae, nundinae, quisquiliae, reliquiae, scalae, tenebrae, antiae. Generis neutri: arma, moenia[15], castra, magalia, crepundia, exta, spolia, serta, praesepia, pascua, sponsalia, praecordia, mapalia, cunabula. Item festorum dierum[16] nomina, ut Saturnalia, Neptunalia, Bacchanalia.

9. Certis casibus deficiunt: haec *satias*[17], quod praeter nominativum singularem nullum casum admittit. Hanc *ditionem*[18] et ab hac *ditione*, hoc quoque in omni casu[19] utriusque numeri deficit, praeter accusativum et ablativum singularem. *Laterem*, similiter accusativum tantum lectio usurpavit. *Sponte* et *tabo*, ablativum singularem tantum habent[20]. *Dicam* et *dicas*[21]

mustacia et messica dicimus. Pr. Gu. Scripsi igitur *vina Chia* et *mella Attica.* Nisi quis forte malit simplicius: *nam vina dicimus et mella et muriatica.* Credibile enim est, Grammaticum voluisse pluralem ad v. *muria* ostendere ac proinde scripsisse *muriatia*, ex quo monstrum illud ortum est *mustacia.* Nam *panis mustaceus*, sive *mustaceum*, huc plane non pertinet. Ceterum de omni hoc genere cf. Charisius lib. I, pag. 21. seq. — 1) *Praeterea haec* Gu. — 2) *Quae plur.* om. *in* V. A. P. — 3) *Masculini haec h.* V. A. P. — 4) *Pix* addidi ex Gu. — 5) *Hocceanum fenum* Go. *Letum* pro v. *lutum* Gu. — 6) *Nomina numerorum* V. Asc. P. — 7) *Quod plurali numero def. tantum* desunt in Gu. *quod pluraliter neutro def. numero tantum* Goth. — 8) *Nomina numerorum* om. *omnia* P. *nomina numeri* om. *omnia* V. Asc. — 9) *Pluraliter tantum* Gu. V. Asc. P. Paullo ante *noningentos* Gu. — 10) *Praeter haec* V. Asc. P. *Praeterea haec* Gu. Recte *Praeterea* Go. — 11) Male desideratur *non* in Go. Paullo post *primates* pro v. *primores* V. Asc. — 12) *Exequiae* Gu. V. A. P. *exsequiae* interposita *s* Go. Paullo post *excubiae* add. ex Gu. — 13) *Delitiae* V. A. P. *Deliciae* recte Gu. Go. Ante hoc ipsum voc. in Gu. legitur *decimae.* — 14) *Indutiae* V. A. P. *Induciae* Gu. Go. — 15) Vv. *moenia, castra, magalia, crep., exta* desunt in Go. Post v. *sponsalia* insertum in eodem *altaria.* Omnia ista hoc ordine exhibet Gu.: *arma, moenia, castra, liba, crepundia, exta, spolia, serta, pascua, sponsalia, praecordia, mapalia, cunabula, magnalia.* — 16) *Festorum deorum* V. Asc. P. propagato per editiones operarum errore. Recte *dierum* Gu. Go. — 17) *Quae ceteris casibus deficiunt haec fames pr. n. — admittunt* Gu. *Certis casibus d. haec satias quod — — admittunt* Go. *Saties* V. Asc. P. Unice verum est *satias*, quod dedi. In V. et Asc. superiora segmenti 8. verba usque ad *deficiunt* continuantur, ubi maxima demum ponitur distinctio. — 18) *Ditionem — ditione.* Sic nostri libri omnes, quod retinuimus. Scribendum esse ex etymi ratione *dicionem*, nemo adhuc dubitat. Non enim a *dare — dere*, sed a *dicare* deductum est nomen. Nominativo carere idem voc. auctores sunt Serv. ad Virg. Aen. I, 744. Diom. I, pag. 288. 316. Prisc. XI, c. 6. Ed. Kr. — 19) *Hoc quoque nominativo casu* V. Asc. P. *Hoc quoque nomen casu* Go. Verum praebet Cod. Gu. — 20) *Habent tantum* Go. V. Asc. P. — 21) *Dicam — invenimus tantum.* Haec omnia desunt in Gu. V. Asc. — 22) *A genitivo singulari casus* Gu. Praepositio *a* deest in Goth. — 23) *Ut remex remigis* Go. V. Asc. *Ut remigis a Tullio dictum frondis* cet. Gu. Recte nominativum om. P. Quomodo verba: *a Tullio dictum*

utriusque numeri accusativum invenimus tantum. *Tabes* nominativum et accusativum et ablativum numeri singularis habet duntaxat. Sunt alia, quae a genitivo[22] casu singulari declinatio- [1709] nis sumunt exordium, et in utroque numero recte declinantur, ut[23] remigis, frondis, verberis, ut Lucanus: [*At*[24] *saxum quotiens ingenti verberis ictu.*] Alia duos[25] aut tres tantum casus habent in singulari numero, sed in plurali per omnes[26] declinantur, ut huius opis, hanc opem, ab hac ope; et hanc vicem, ab hac vice[27]. Alia ablativum tantum habent in singulari numero, ut ab hoc frugi, ab hoc obice[28], ab hac prece, ab hoc viscere. Haec quoque in plurali numero[29] declinantur. Pauca sunt, quae cum[30] in singulari numero non deficiant, in plurali tres tantum casus habent, de quibus paulo superius diximus: haec iura, haec rura, haec aera, haec maria[31].

Segm. V[32].

1. Universa nomina primae, secundae et quartae[33] declinationis totidem syllabis in genitivo, quot in nominativo proferuntur [34], praeter unum *vir*, et quae ex eo componuntur; et his quae[35] in *er* syllabam desinunt. Tertiae aut pares[36] habent syllabas in obliquis casibus, aut unam adsumunt. Quintae[37] procul dubio plus una syllaba proferri solent. Pauca inveniuntur tertiae declinationis, quae in genitivo duabus syllabis crescunt[38], iter, itineris; anceps, ancipitis; biceps, tis[39]; triceps, tis; praeceps, tis; iecur, iecinoris, quod et iecoris[40] lectum est; supellex, supellectilis.

2[41]. Omnium nominum cuiuscunque sint declinationis, vocativus similis est nominativo eiusdem numeri; neque hoc in dubium venit. Exceptis nominibus secundae declinationis, quorum vocativus diversis modis exprimitur[43]. Propria igitur nomina, quae in nominativo casu singulari *us* syllaba terminantur, *i* vocali praeposita[44], novissima syllaba ademta, faciunt vocativum, ut hic

irrepserint, non dixerim. *Remigem* dixit Cicero Orat. II, 10. — 24) *Ad saxum* Go. V. Asc. *Vero saxum* Gu. *Qaotiens* Gu. Go. *quoties* P. *Ictu* omnes; sed apud Lucanum III, 469. variatur *actu. Excutitur* ex v. seq. addit sola P. — 25) *Alia nomina sunt, quae duos aut tres casus habent.* Gu. *Alia sunt duo tantum qui tres casus hab.* Go. — 26) *Casus* interponit Gu. — 27) *Ut huius opis opem ab h. o.* Go. V. Asc. *Ut huius opis opem et hanc vicem et ab hac vice* Gu. *Ut h. o. opem ab hac ope et hanc vicem* Go. Igitur genitivum *huius vicis*, qui est in editt., omittit uterque Cod., quod pariter nos fecimus. Ceterum exemplis istis h. l. addit Gu. *dapis, dapem, et ab hac dape, precis, precem, a prece.* — 28) *Hoc opifice et ab h. pr. et* Go. *opice* Asc. Paullo ante *tantum* post v. *ablativum* om. V. Asc. *Ablativum tantum habent singularem* Gu. *Ut hac fruge et ab hoc viscere* Gu. omissis mediis. In vv. *ab hoc frugi* consentiunt Go. V. Asc. — 29) *Numero* abest a Gu. — 30) *Cum* om. Gu. Go. *Deficiant* exhibet Gu., sed ex Go. nihil varietatis in h. v. enotatum. — 31) *Haec iura, rura, aera, maria* Gu. — 32) Huic segmento in P. praefigitur titulus: *De Genitivo casu singulari*, quae inscriptio abest a Gu. Asc. V. Ex Go. nihil diserte enotatum est, quare adesse videtur. — 33) *Secundae quartaeve* Go. *Et secundae et quartae* Gu. — 34) Hoc loco post v. *proferuntur* Gu. et Go. interponunt haec: *exceptis quibusdam secundae declinationis*, nisi quod Go. *declinationis sec.* mutato ordine. Quae tamen insiticia esse, sequentia satis docent. — 35) *Et his quae in ir* unus Go. *His* abest a ceteris, quod recepi. — 36) *Desinunt aut pares* omissa interpunctione et sine voc. *Tertiae* Gu. — 37) *Quintae declinationis* Gu. — 38) *Duabus syllabis crescant* V. A. P. *Duas syllabas accrescunt* Gu. *Duas syllabas crescunt* Go. Fortasse legendum: *duabus syllabis accrescunt*, quae quum compendiis scripta essent sic *duab. syllab.*, syllaba *ac* effecit, ut *syllabas* scriberetur. — 39) *Triceps — biceps —.* Hoc ordine P. Reliqui verum praestant ordinem. *Praeceps, tis* desunt in Gu. et Go. — 40) *Lectam est et iecoris* P. V. Asc. *Sed et iecoris lectum est* Gu. *Quod et iecoris lectum est* Go., quae dedi. Statim post: *subpellex, subpell.* Go. — 41) Hic praemittitur inscriptio: *De vocativo* in P. *De vocativis* in V. Asc. *De vocativo singulari* in Gu. *De vocativo casu singulari* in Go. — 42) *Vocativus singularis sim.* Go. — 43) *Diversis modis expr.* Sic Codd. Gu. Go. *Div. expr. modis* V. Asc. P. — 44) Vv. *i vocali praeposita* om. V. Asc. *i praeposita vocali adempta novissima syllaba* Go. *Dempta novissima syllaba* Gu. *Adempta us faciunt voc.* V. Asc. *Faciunt ut hic* om. v. *vocativum* Go.

Virgilius, Virgili; Terentius, Terenti; hic Domitius, Domiti[1]. Praeposita vero[2] qualibet [1710] consonante, vocativum[3] in *e* correptam mittunt, ut hic Turnus, o Turne[4]; hic Marcus, o Marce; hic Lentulus, o Lentule. Appellativa, quae in *ius* desinunt, vocativum in *e* mittunt, ut fluvius, o fluvie; socius, o socie. Quem veteres iuxta nominativum proferebant[5], ut Virgilius: [*Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum.*][6] Quae consonante praelata[7] in eandem syllabam desinunt, si quidem sunt accidentia vel derivativa, vocativum in *e* mittunt, ut doctus, docte; sanctus, sancte[8]; Romanus, Romane; Hispanus, Hispane. Caetera in *us* potius quam in *e* exeunt[9], ut hic populus, o populus[10] lectum est. Sic Lucanus: [*Degener o populus.*] Lucus, o lucus[11]. Quae[12] a veteribus propter asperitatem vocis minime usitata sunt, adeo ut raro[13] huiusmodi declinationis reperiantur exempla: haec myrtus, o myrte. Virgilius[14]: [*Et te proxima myrte.*]

S e g m. VI[15].

Tertiae quoque declinationis nominum ablativus casus singularis duobus modis proferri solet, aut in *e* aut in *i*[16]. Sed illa, quae in *i* exeunt, communis sunt generis, et in nominativo *is*[17] syllaba terminantur, ut hic et haec suavis[18], ab hoc et ab hac suavi; hic et haec gravis, ab hoc et ab hac gravi[19]. Item neutra, quae in nominativo *e*, vel *r*, vel *l* litteris[20] terminantur, ut hoc sedile, ab hoc sedili; hoc laquear, ab hoc laqueari; hoc animal, ab hoc animali. Excepto cum *e* ante *l* habetur, tunc *e* littera, non *i* terminatur ablativus, ut hoc mel, ab hoc melle; hoc fel, ab hoc felle[21]. Item quae in duas desinunt consonantes in *ns*[22] vel in *x* duplicem, et sunt accidentia, et trium generum[23], ut hic et haec et hoc ingens, et ab hoc et ab hac et ab hoc ingenti; hic et haec et hoc audax, ab hoc et ab hac et ab hoc audaci. Et quae in *r* desinunt masculin vel feminin vel trium generum[24], ut hic et haec acer[25], ab hoc et ab hac acri; hic et haec et hoc par, ab hoc et ab hac et ab hoc pari. Et quae in *im* mittunt accusati- [1711]

1) *Virgilii — Terentii — Domitii* Go. — 2) *Vero* om. V. Asc. — 3) *Vocativum* om. Gu. *Vocalem correptam mittunt* pro vv. *vocativum in e corr. mitt.* Go. — 4) *Hic tronus*, o *trone* Gu. Idem om. exemplum: *hic Marcus*, o *Marce*. — 5) *Proferebant vocativum* V. Asc. P. V. *vocativum* om. Gu. Go. — 6) Virg. Aen. VIII, 77. De his vocativis cf. Pomp. Comm. A. D. XVII, 14. pag. 204. et quae notavi ad Prisc. opp. min. pag. 338. — 7) *Prolata* male propagato typothetae errore V. A. P. — 8) *Sanctus sancte, bonus bone* nihil amplius Gu. — 9) *Quam in e syllabam ex.* Go. V. A. P. — 10) *Hic populus*, *o populus et o popule lectum est* P. *H. p. le et o populus lectum est* Gu., quod corruptionis fontem ostendit. *Exeunt, sic Lucanus: Degener o populus et o popule lectum est.* In Go. Lucani exemplum om. Recte ostendit Pomp. Comm. A. D. pag. 205. Vocativum *o popule* non inveniri, nisi apud Quinctilianum in controversiis. Lucan. Phars. II, 116. — 11) *Locus, o locus* Go. — 12) *Quae tamen* una Putschiana. — 13) *Rara* Gu. V. A. P. Tum *huiuscemodi* Gu. — 14) Nomen om. V. A. *Virgilius declinavit* Go. *Ut Virgilius declinavit* Gu. Locus est Virg. Ecl. II, 54. *O tu pr. m.* Gu. *Et tu pr. m.* Go. — 15) Praefigitur huic segm. inscriptio talis in P. *De Ablativo casu singulari nominum tertiae declinationis.* In Gu. *De ablativo tertiae decl.* In Go., quae in P., nisi quod *casu* om. In V. Asc.: *De ablativo*, nihil amplius. — 16) *Aut in e in i* om. altero *aut* Gu. *Aut in e aut in i exeunt* Go. — 17) *Sed illa in i ex., quae com. sunt gen. et in nom. in es syllabam term.* Gu. — 18) *Ablativo* interponunt h. l. V. Asc. P. ignorant Codd. Gu. Go. — 19) Vv. *Hic et haec — — gravi* et interposita accesserunt ex Gu. Go. V. Asc. Ea desunt in P. — 20) *E vel ar vel ar syllabis* V. Asc. *E vel er litteris term.* Gu. *E vel l vel R litteris term.* Go. *E vel r vel l syllabis term.* P. — 21) Vv. *Excepto cum — — felle* omnia desunt in Cod. Go. Totum locum sic exhibent Gu. V. Asc.: *Excepto cum e ante l habetur* (*habeatur* Gu.). *Sed cum a ante l invenitur ut hoc tribunal ab hoc tribunali, hoc lupercal ab hoc lupercali* (*et caetera* addunt V. Asc.). *Cum e antecedat* (*antecesserit* V. Asc.) *non in i* (*non i* V. Asc.) *terminatur ablativus, sed in e, ut hoc mel* (*et* Gu.) *ab hoc melle, hoc fel* (*et* Gu.) *ab hoc felle.* Lectio Putschiana undecunque sit vera videtur, quapropter a nobis servata est. — 22) *In ns* desunt apud P. *in s vel in x* Go. *in is vel in x* V. Asc. *in us vel in x* Gu. — 23) H. l. interponit Gu.

vum singularem. Sunt autem haec: haec turris[26], hanc turrim, ab hac turri; haec sitis, hanc sitim, ab hac siti; haec[27] puppis, hanc puppim, ab hac puppi; haec securis, hanc securim, ab hac securi; febris, torquis, vectis[28], restis, febrim, torquim, vectim, hanc restim, ab hac resti. Praeterea haec navis, bipennis, hic ignis; similiter[29] ablativum in *i* mittunt, quae s epe poetae per *e* solent efferre[30]. Caetera omnia tertiae declinationis nomina ablativum singularem in *e* mittunt[31].

Segm. VII. *De Verbo.*

1. Quoniam, ut opinor, de nomine convenienter tractatum est; nunc de verbo, sicut praefatio pollicetur, disseremus. Cuius omnis ambiguitas[32] in discernenda coniugatione et cognoscendo praeterito perfecto versatur. De eis[33] nos pro ingenii viribus diligenter docebimus. Nam[34] caetera multorum expositio declaravit.

2. Igitur coniugationes sunt tres, ut alii, quatuor; quas in secunda persona praesentis temporis, indicativi modi[35] noscimus[36]. Formae vero quatuor[37]: perfecta, meditativa, inchoativa, frequentativa. Sed perfectae formae verba[38] omnium sunt coniugationum. Frequentativae tantum primae coniugationis; excepto lacesso, quod venit a lacero. Inchoativae tertiae[39] duntaxat correptae. Meditativae tertiae productae vel quartae.

3. Genera verborum facili ratione dignoscuntur[40]. Aut enim activa sunt, et *o* littera terminantur, et assumpta *r* littera transeunt in passiva. Aut passiva, et adempta *r* novissima[41] littera redeunt in activa. Aut neutra[42], quae actum significant, et activam habent declinationem[43] et in passiva minime transeunt. Aut supina, quae ut activa quidem declinantur, sed significationem habent passivam, ut vapulo, veneo, pendeo[44]. Aut deponentia, superioribus[45] contraria, quae passivorum declinantur exemplo, sed significationem habent activam, neque *r* litte- [1712] ram possunt amittere[46]. Aut communia similia deponentibus et passivis, sed agentis et patientis

haec vv. *in i mittunt ablativum.* — 24) *Et masculini vel feminini vel trium sunt generum* P., quicum faciunt V. Asc., nisi quod istae *Et* initio om. *masculina et feminina vel trium generum sunt* Go. Veram lectionem praestitit Gu. — 25) *Ut hic et haec acer. Ut* om. V. Asc. Go. *Hic et haec acer et hoc acre* Go. *Hic et haec et hoc acer* Gu. Tum ante v. *acri* interponunt *et ab hoc* ad significandum neutrum Gu. Go. De feminino *acer* cf. Priscian. lib. V, 3. pag. 178 seq. (Kr.) Servius A. G. a me cum Pompeio primum edita pag. 489. Servius ad Virg. Aen. VI, 685. — 26) *Sunt autem, haec turris* Gu. V. Asc. P. Addidi alterum *haec* ex Go., ubi *autem* om. Paullo ante v. *singularem* om. V. Asc. — 27) *Haec satis, hanc satim, haec puppis* Gu. — 28) *Febris torquis, vectis, haec restis, hanc r.* P. A. V. *Haec febris, haec restis, haec torquis, vectis, praeter haec navis* Gu. Ego secutus sum Go. — 29) *Quae similiter et abl.* P. *Similiter et abl.* om. *quae* V. A. Gu. Utrumque et *et* et *quae* absunt a Go., quem secutus sum. — 30) *Quae saepe per e poetae solebant proferre.* Gu. — 31) His subscriptionem addunt A. V. talem: *Explicit nominum tractatus de verbo incipit.* — 32) *Omnes ambiguitates* Go. Paullo post *disserenda* pro *discern.* Gu. — 33) *De his* Gu. V. Asc. Tum *pro ingenii nostri viribus vos docebimus.* Gu. — 34) *Nam et caet.* V. Asc. P. *Declarabit* Gu. Tum *Verborum coni.* om. *Igitur* Gu. — 35) *Temporis praesentis modi indicativi* Goth. *praesentis* om. Gu. *modi indicativi* V. Asc. — 36) *Dinoscimus* V. A. P. Infra *dignoscuntur* recte scribitur. — 37) *Formae sunt quatuor* P. *Sunt* om. V. A. *Formae vero IIII* Gu. — 38) *Verborum* V. A. *Sunt* om. Gu. — 39) Vv. *Excepto lacesso q. v. a. l. Inch. tertiae* om. Gu. Vv. *quod venit* om. Go. *Lacesco* pro *lacesso* scriptum in Go. — 40) *Cognoscuntur* Go. P. *Dignoscuntur* recte Gu. V. A. — 41) *Et adempta nov. litt.* P. A. V. *Ut ad nov. lit.* Go. *Et dempta r litera nov.* Gu. — 42) *Aut neutra sunt* V. A. P. *Sunt* om. Go. Gu. Tum *quae aut consignificant* Go. *quae accusativum significant* Gu. — 43) *Significationem* V. Asc. — 44) *Vaeneo pendeo* P. *Veneo pandeo* Go. *Veneno pendeo* Gu. — 45) *Superiori* Go. V. A. *superioribus* Gu. P. Tum *quae modo passiv.* Gu. *Et signif.* Go. V. A. P. *Sed sign.* dedi ex Gu. — 46) *Admittere* Gu. *ammittere* Go.

formam amplectuntur[1]. Unde constat universa verba duobus modis[2] declinari. Nam neutra et supina activorum, deponentia et communia passivorum regulam sequuntur. Sunt praeterea neutropassiva[3], quae in praeterito perfecto et plusquamperfecto passivam declinationem habent; in aliis neutram. Et sunt haec sola, secundae quidem coniugationis[4], ut audeo, gaudeo, soleo; tertiae autem[5]: fido, fio, et si qua ex his componuntur. Praeter haec nulla sunt[6] huiusmodi declinationis verba. Sunt alia passivoneutra[7] superioribus contraria; haec sola: comperior, mereor, devertor[8]; nam in praeterito, comperi, merui, deverti, sicut activa vel neutra proferuntur.

S e g m. VIII[9].

1. Universa verba primae coniugationis, quae in secunda persona *as* syllaba terminantur, sive activa sunt, sive neutra[10], praeteritum perfectum in *avi* syllabas[11] mittunt, ut amo, amavi; aro, aravi; armo, armavi; narro, narravi; canto, cantavi; navigo, navigavi; paro, paravi; servo, servavi. Exceptis novem, quae in *ui*[12] mittunt praeteritum, ut seco, secui; veto, vetui[13]; sono, sonui; tono, tonui; mico, micui; crepo, crepui; plico, plicui; domo, domui; frico, fricui; et si qua[14] annexis praepositionibus componuntur. Explico[15] tamen utramque formam servat in praeterito; nam explicui et explicavi dictum est. Quatuor huic regulae refragantur; nam neque in *ui*, neque in *avi*[16] exeunt: sto, steti; do, dedi; lavo, lavi; iuvo, iuvi; sed duo posteriora quidam superioribus applicant errantes[17]. Nam illa in praeterito una syllaba crescunt; haec totidem quot in praesenti[18] proferuntur[19].

2. Secunda coniugatio — quam non tantum[20] secunda persona, sed etiam prima [1713] facile[21] declarat, quoniam omnia verba, quae *eo* syllabis[22] in prima persona finiuntur, secundae sunt coniugationis, exceptis quatuor, uno tertiae coniugationis productae[23], *eo*, *is;* et si qua ex

1) *Forma inflectuntur* P. Asc. *formam flectuntur* V. *forma plectuntur* Go. *formam amplectuntur* Gu., quod dedi. — 2) *Modis* om. Go. *Verba* om. V. Asc. — 3) *Neutrapassiva* Go. *neutra passiva* Gu. — 4) *Secondae quidem coniug. et si qua ex his* Go. omissis mediis. *Sola quidem secundae coni. audeo, soleo, gaudeo, mereo* Gu. om. *ut.* — 5) *Autem* om. Asc. *Tertiae au fido* V. — 6) *Sunt* om. Gu. — 7) *Passiva neutra* Gu. V. A. P. Vestigium verae lectionis servavit Go., ubi est *passivorum neutra.* Tum *superiori* Go. V. Asc. — 8) *Divertor* et paullo post *diverti* Gu. Go. P. *Devertor — deverti* V. Asc. *Nam* deest in Go. — 9) Inscriptio praemittitur huic segmento talis: *De praeterito perfecto primae coniugationis* in P. *De prima coniugatione* in Gu. Nulla enotata est ex Go. Nulla praemittitur in V. Asc. — 10) *Sive activa sunt, sive neutra.* Sic haud dubie vere emendavit P. Prius *sive* om. Gu. Go. V. Asc. *Sunt* om. Go. Post v. *activa* sic pergit Gu.: *activa sive praeterito perfecto amavi syllabas mittunt, ut amo vi, paro vi, servo vavi.* — 11) *In vi syllabam* P. V. Asc. *perfectum a. vi. syllabis* Go. Exempla hoc ordine exhibet Go.: *paro paravi, servo servavi, aro aravi, armo armavi, narro narravi, canto cantavi, navigo navigavi.* — 12) *In ui divisas syllabas* P. Vv. *divisas syllabas* om. Gu. Go. V. Asc. — 13) *Ut seco secui, neco necui, veto vetui* P. V. Asc. *Neco necui* om. Gu. Go., quod necessarium est propter numerum ante indicatum. Ordinem sic refert Gu.: *veto tui, sono nui, tono nui, mico cui, crepo pui, domo mui, frico cui, plico cui.* — 14) *Si qua* om. Gu., qui exhibet: *et anexibus praepositionibus comp.* — 15) *Plico tamen* Go. — 16) Vv. *Neque in avi* desunt in Go. — 17) *Errantes applicant* Gu. — 18) *Totidem in praesenti* V. Asc. P. *Tot quot in pr.* Go. *Totidem quot in pr.* Gu., quod dedi. — 19) Hoc loco sequitur inscriptio: *De coniugatione secunda* in P. *De secunda coni.* in Gu. V. Asc. Abest inscriptio a Goth., quem secutus sum. — 20) *Non tamen* V. Asc. — 21) *Prima* deest in Go. *facile* abest a Gu. Tum *omnia* om. Gu. — 22) *Quae eo syllaba* P. V. Asc. *quae eo syllabas* Gu. *quae in eo syllabis* Go. — 23) Vv. *Exceptis quatuor uno tertiae coni. productae* om. V. Asc. *Excepto uno tertiae coni. productae* Gu. *Exceptis tribus uno t. c. pr.* Go. — 24) *Et si composita ex eo fig.* P. *et si qua ex eo componuntur* Gu. — 25) *Et duobus primae* Go. V. Asc. — 26) *Beo as* om. V. Asc. *Et* ante *beo* om. Go. — 27) Vv. *in has syllabas* accesserunt ex Gu. *Perfectum in as mittunt* Go. *mittunt* etiam in Gu. Tum *vel in ui divisas syllabas cons. praep.* P. *Videlicet in ui*

eo composita figurantur[24], et tribus primae[25], creo creas, meo meas, et beo, as[26] — praeteritum perfectum mittit in has syllabas[27]: vel in *ui* consonante praeposita, vel in *vi* praeeunte vocali, ut doceo docui, paveo pavi, caveo cavi; pauca in[28] *si* et *xi*, quae inter excepta notavimus[29].

3. Ergo omnia verba secundae coniugationis, qualibet consonante praeposita *eo* syllabis[30], praeteritum perfectum in *ui* mittunt[31], ut habeo habui, debeo debui, rubeo rubui, doceo docui, taceo tacui, misceo miscui, iaceo iacui, noceo nocui, arceo arcui[32], egeo egui, splendeo splendui, candeo candui, madeo madui[33], langueo langui, rigeo rigui, caleo calui, doleo dolui, oleo olui, palleo pallui, timeo timui, tepeo tepui, torpeo torpui, careo carui, pareo parui, vireo virui, floreo florui, horreo horrui, censeo censui, niteo nitui, pateo patui, teneo tenui, caneo canui. Excipiuntur pauca, quae in *si* syllabam mittunt praeteritum[34], ut iubeo iussi, mulgeo mulsi, algeo alsi, fulgeo fulsi, ardeo arsi, suadeo suasi, maneo mansi, haereo haesi, rideo risi, torqueo torsi, indulgeo indulsi. De[35] urgeo et turgeo ambigitur. Alia in *xi*, ut lugeo luxi, frigeo frixi. Illa in *vi*[36] praeteritum mittunt, quae in prima persona, modi indicativi, temporis praesentis, *v* ante *eo* habent, et primam syllabam, quam in praesenti tempore brevem, in praeterito longam habent[37], ut faveo favi, paveo pavi, foveo fovi, moveo movi, caveo cavi, voveo vovi, et quae ex his componuntur. Quaedam, quamvis[38] in praesenti non sint similia superioribus[39], praeteritum tamen[40] in *vi* mittunt producta penultima syllaba, ut neo nevi, fleo flevi, cieo civi[41], impleo implevi, compleo complevi, expleo explevi, deleo delevi. Non multum ab his discrepare videntur[42] etiam haec, quorum prima syllaba in praeterito ex correpta cadit [1714] in productam, ut sedeo sedi, video vidi. Contra omnium[43] regulam est prandeo prandi. Quaedam sunt in secunda coniugatione, quorum praeteritum perfectum iteratur per primam; haec sola[44]: pendeo pependi, spondeo spopondi, tondeo totondi, mordeo momordi. Quae assumptis

praeposita cons. Gu. *Mittit in ui cons. praep.* V. Asc. Go., nisi quod Go. *mittunt.* — 28) *Praceunte vocali* (om. *vel in vi*) *paveo pavi, caveo cavi, in x i et in s i quae* V. Asc. *Praeeunte vocali* (om. *vel in v i*) *pavi pacui, in si et xi quae* Go. *Vel in vi syllabam praeeunte vocali, ut doceo docui, paveo pavi, caveo cavi; vel in di; pauca in xi vel in s i quae.* P. *In v i* (om. *vel*) *praeeunte vocali pauca. Tu s i et e x i quae* Gu. — 29) *Quae intercepta notavimus* Gu. *Notavimas* etiam Go. *Quae inter excepta notabimus* V. Asc. P. — 30) *Eo syllab a* Go. Gu. V. A. *Eo syllabae* P. *syllabis* scripsi de coniectura, ut paullo ante scribendum fuit. — 31) *In ui mittunt* Go. Gu. V. Asc. *In ui divisas syllabas mitt.* P. — 32) Post v. *arcui* interponunt V. A. P. *areo arui*, quod exemplum abest in Gu. et Go. In Go. desideratur etiam *egeo egui*, quod infra post *madui* legitur. — 33) Hic interponunt *aegreo aegrui* V. Asc. P., quod exemplum om. Gu. et Go. In Go. h. l. est *egeo egui.* Omnia autem ista huc ordine exhibet Gu.: *habeo habui, rubeo, doceo, taceo, misceo, iaceo, arceo, noceo, madeo, splendeo, candeo, egeo, langueo, rigeo, caleo, doleo, oleo, palleo, teneo* (leg. *timeo*), *tepeo, torpeo, torreo, horreo, pareo, careo, vireo, floreo, censeo, niteo, teneo, caneo*; in quo ordine, si excipias duo postrema, omnia secundum litterarum seriem terminationi *eo* praecedentium, procedunt. Pro *caneo ui* in Go. est *ganeo ganui.* — 34) *Ut* additum ex Gu. et Go. Tum *mulceo mulsi* ante *mulgeo* exhibent V. Asc. P. — 35) Praep. *De* desideratur in Gu. *Ut* ante *lugeo* interpositum ex eodem Cod. Pro *ambigitur* in eodem *ambigunt.* — 36) *Illa in vi syllabam pr.* P. Voc. *syllabam* om. Gu. Go. V. Asc. — 37) *Habent longam* Gu. — 38) *Quaedam etiam quanquam* P. *Etiam* om. Gu. V. Asc. *Etiam, quanquam* om. Go. *Quamvis* dedi ex Gu. — 39) *Superioribus sim.* Gu. — 40) *Praeteritum perfectum tamen in i mittunt* Gu. *Praeteritum tamen in ui mittunt productam syllabam* (om. vv. *prod. pen.*) Go. *Praeteritam in vi mittant producta syllaba* V. Asc. *Producta penultima syllaba* Gu. *Praeteritum in v i syllabam mittant producta penultima praeteriti* P. — 41) Pro *cieo civi* in Gu. est: *cleo ui;* in Go. *ereo erui.* — 42) *Extirpare videntur* Gu. — 43) *Contra regulam omnium* Gu. — 44) *Quorum praesentis prima syllaba literarum in principio praeteriti: sunt autem haec sola* P., in quibus haud dubie pro *literarum*, quod ex errore typothetae profectum, scribendum est *iteratur.* Reliqui libri sic: *quorum praeteritum perfectum iteratur per primam*, nisi quod Gu. *per primam syllabam iteratur.* Iidem om. vv.

praepositionibus non eodem modo proferenda sunt; nam despondi, et dispendi, et rependi, et detondi, et praemordi[1] dicimus. De neutropassivis abunde[2] dictum est[3].

4. Tertia coniugatio correpta, quae secundam personam in *is* syllabam[4] mittit[5], imperativo modo in *e* solitam[6] converti, praeteritum per has syllabas effert: in *ui*, praeposita consonante; in *vi*[7], praeposita vocali; in *i* consonante qualibet praeposita; in *si*; et in *xi*.

5. Sed illa praeteritum in *ui* mittunt[8], quae in praesenti tempore indicativi modi *u* ante novissimam litteram[9] habent, ut tribuo tribui, statuo statui, minuo minui, imbuo imbui, obruo obrui[10]. Ex his duo notantur[11] tantum, quae in *xi* mittunt praeteritum, fluo fluxi, struo struxi. Et quae in *lo* syllabam exeunt in praesenti, nihilominus praeteritum in *ui*[12] mittunt, ut volo volui, nolo nolui, colo colui, consulo consului, alo alui. Pauca praeterea[13] in eandem extremitatem mittunt praeteritum, quanquam praesens dissimile superioribus habeant[14]: tremo tremui, gemo gemui, fremo fremui[15], compesco compescui, pono posui, necto nexui, sterto stertui[16], pecto pexui, texo texui, senesco senui, gigno genui[17], et si qua ex his componuntur. *Vi* syllaba terminantur in praeterito haec sola: sperno sprevi, sterno stravi, cerno crevi[18], sero sevi, tero trivi, pasco pavi, quaero quaesivi, lino levi[19], quiesco quievi, cupio cupivi, consuesco consuevi, **[1715]** peto petivi, sapio sapivi[20].

6. In *i*[21] praeposita consonante in praeterito desinunt, quae in praesenti *do* syllaba terminantur praecedente *n* littera, ut scando scandi, accendo accendi[22], descendo descendi, offendo offendi, pando pandi, prendo prendi, mando mandi. Tria *n* in praeterito amittunt[23], fundo fudi, linquo liqui, scindo scidi. Sic Lucan. in III. [*Aut scidit, et medias fecit sibi litora terras.*][24] Et quae minus una syllaba proferuntur, producta prima syllaba in praeterito, quae in praesenti corripitur; ut capio cepi, iacio ieci, facio feci, fugio fugi, fodio fodi[25]. Pauca praeterea ean-

sunt autem. Verba *praeteritum iteratur* ex grammatica breviloquentia accipienda sunt *accipit reduplicationem*, ut nunc loquimur, ἀναδιπλοῦται, quod Graeci dicunt. — 1) *Et praemordi* desiderantur in Go. — 2) *De neutris passivis* Gu. V. Asc. Tum *aliunde* V. Asc. P., pro quo in Gu. *habunde*, in Go. recte *abunde*. — 3) Sequitur inscriptio talis: *De tertia coniugatione* in P. V. Asc. *De tertia coniugatione correpta* in Gu. Recte om inscriptio in Go. — 4) *In is correptam* P. *Correptam* om. Go V. A. *In is syllabam* Gu., quod dedi. — 5) *Et in imperativo* P. *In imp.* om. *et* V. A. *Et in* om. Gu. Go. — 6) *In e correptam convertit* P. *In e solidam convertit* Go. V. Asc., nisi quod Go. *converti*. Veram lectionem fontemque erroris monstrat Gu., ubi est: *in e solita est converti.* — 7) *In ui divisas syllabas*, *pr.* P. Locum sic efferunt V. Asc. *effert: in di praeposita consonante, in ui praeposita vocali in i consonante qualibet praeposita in si et in xi.* In Gu. ita habetur: *in ui praeposita consonante. In ui praeposita vocali. In una consonante praeposita qualibet in si et exi.* Veram lectionem servavit Go., quem secutus sum. Vv. *in i consonante qualibet praeposita* desunt apud P. — 8) *In ui divisas syllabas mittunt* P. Paullo ante: *Sed illa tamen* V. Asc. — 9) *Syllabam* pr. v. *litteram* Gu. — 10) Perfecta om. Gu. et exempla addit haec: *annuo, diluo, induo.* — 11) *In his duobus mutantur* Go. *mutantur* etiam Gu. — 12) *In ui divisas syllabas m.* P. — 13) *Praeterea pauca* Gu. — 14) *Praesens simile sup. non habeant* P. *praesens similis sup. habeant* Go. *Non* ignorant etiam V. Asc. Veram lectionem praestitit Gu. — 15) *Parco parui* male h. l. intrudit Go. — 16) *Sterno sternui* pro *sterto ui* male in Go. — 17) H. l. interponuntur in P. Asc. V. *increbresco increbui; nam increbro non invenitur*, nisi quod V. A. *increbesco — increbo* exhibent. Recte ista omittuntur in Gu. et Go. Paullo post *In vi syllaba* Gu. *Disyllaba* V. Asc. — 18) *Cresco crevi* h. l. interposita in Gu. — 19) *Lino livi* P. V. Asc. *Lino levi vel linivi* Gu. *Leno levi* Go. Fortasse legendum: *Lino levi vel livi.* — 20) Post v. *quievi* cetera sic exhibet Gu.: *peto tii vel tivi, sapio sapui, sepio sepui, cupio cupivi, consuesco consuevi.* — 21) *In Di praep.* Go. V. Asc. P. contra mentem Grammatici, qui paullo ante: *in i praeposita qualibet consonante.* Recte Gu. *In i praep.* — 22) *Accendo accendi* dedi ex Goth. *ascendo ascendi* V. Asc. P. Exemplorum ordo in Gu. talis: *ut scando scandi, offendo di, pando di,*

dem clausulam habent novissima littera[26] praesentis temporis in *i* conversa, emo emi[27], vinco vici, rumpo rupi, solvo solvi, cudo cudi, volvo volvi.

7. In *si* syllabam praeteritum[28] mittunt verba, quae in praesenti *do* vel *mo* syllabis terminantur, si sit natura longa penultima, ut ludo lusi, laedo laesi, cedo cessi, plaudo plausi, trudo trusi, rado rasi[29], illido illisi, allido allisi, promo prompsi, sumo sumpsi, demo dempsi, resumo resumpsi. Et premo[30], quamvis correpta sit penultima, in eandem syllabam exit, et quicquid ex eo componitur, ut premo pressi, exprimo expressi, comprimo compressi. Et quae[31] in *bo*, vel in *po* syllabas desinunt, praeteritum similiter in *si* syllabam mittunt, ut scribo scripsi, nubo nupsi, scalpo scalpsi, repo repsi, serpo serpsi, sculpo sculpsi[32]. Praeter haec pauca sunt, quae non eadem[33] extremitate finiuntur in praesenti, praeteritum tamen in *si* syllabam mittunt, spargo sparsi, mergo mersi, tergo tersi[34], mitto misi, uro ussi[35], contemno contempsi, concutio concussi, gero gessi; et si qua ex eis[36] in compositam figuram transeunt.

8. In *xi* syllabam in praeterito desinunt verba, quae in praesenti *go* syllaba terminantur, ut cingo cinxi, pingo pinxi, sugo suxi[37], affligo afflixi[38], pergo perrexi, rego rexi, diligo dilexi, intelligo intellexi, negligo neglexi, fingo finxi[39], tego texi. Excipiuntur tria in *si* [1716] desinentia[40], quae in superioribus notavimus[41]. Et alia quatuor, quae non in *xi*, sed in *gi* syllabam[42] mittunt praeteritum: tango tetigi, frango fregi, lego legi, ago egi. Et si qua ex his componuntur, simplicium formam sequuntur[43]. His simile est impingo, quod impegi facit praeteritum. Praeter haec in *xi* praeteritum mittunt[44], vivo vixi, coquo coxi[45], mingo minxi, illicio illexi, aspicio aspexi, flecto flexi, duco duxi, dico dixi[46], veho vexi, traho traxi.

9. Sunt tertiae coniugationis verba, quae primam syllabam in praeterito duplicant[47], quae omnia subiecta sunt: pello[48] pepuli, tango tetigi, fallo fefelli, pendo pependi, tendo tetendi, pungo pupugi, sed et punxi dicimus[49]; tundo tutudi, caedo cecidi, cado cecidi[50], pario peperi,

prendo di, mando di. — 23) *Tria enim in pr.* V. *Tria n. in praeterito admittunt n.* Gu. — 24) *Sicut Lucas ait Scidit et in medias* nihil amplius Gu. *Sic Lucan. ait Scidit et in medias fecit sibi littora terras* V. Asc. P. Goth., nisi quod in V. *sibi lator aterras;* et in Go. *scidit et med. — sive litt.* Locus Lucani est Phars. III, 61. — 25) His addit Go. *emo emi*, male, quia perfecta una syllaba breviora voluit significare Grammaticus. Ceterum *facio feci* om. Go. — 26) *Eadem clausula habent novissimam litteram — conversam* Gu. Male. Sententia est: *eandem cum superioribus clausulam*, h. e. *disyllaba ut sint*, *habent verba haec* cet. — 27) *Emo emi* addita ex Gu. — 28) *In Si praeteritum mittunt syllabam* V. Asc. P. Goth., nisi quod in Goth. *syllaba.* Veram lectionem praestitit Gu. — 29) *Rado rasi* om. Go. *Sumsi — demsi — resumsi* Go. In Gu. est: *promo si, demo dempsi, sumo sumpsi* omisso *res.* — 30) *Et premo pressi quamvis — ut exprimo expressi* nihil amplius Gu. — 31) *Quae* desideratur in Gu. — 32) Exempla hoc ordine exhibet Gu. *ut scribo si, nubo scalpo si, repo si, serpo si, sculpo si.* — 33) *Quae minime in eadem* Gu. *Quae non eandem extremitatem fin.* Goth. — 34) *Tergo tersi* abest a Go. — 35) *Temno tempsi* interponunt h. l. V. Asc. P. — 36) *Ex his* Go. V. Asc. P. Tum *in comp. fugerunt in compositam figuram* Gu. — 37) *Sugo suxi* addita ex Gu. V. Asc. — 38) *Adfligo adfl.* Go. Tum *Negligo neglexi* om. Gu. V. Asc. — 39) *Figo fixi* Gu. V. *Fingo finxi*, *tego texi* desunt in Go. — 40) *Tria in go desinentia* V. Asc. — 41) *Quae superius notav.* Gu. — 42) *Syllabam* om. Go. V. Asc. — 43) *Secuntur* Go. Tum *His etiam simile est* Gu. — 44) *Mittunt praeteritum* Go. *In xi quaedam praet. m.* Gu. — 45) *Quoquo coxi*, *mingo minxi* Go. *Coquo c. meio minxi* V. P. *Mingo minxi* desunt in Gu. *Inlicio inlixi* Go. *Illeceo* Gu. — 46) *Dico dixi* om. Gu. Go. Asc. *Contraho traxi* Gu. — 47) *Quae prima syllaba in p. dupliciter* Go. — 48) *Ut pello pep. tango tet.* V. Asc. P. *Ut tango tet. pello pep.* Goth. *Tango tetigi*, *pello puli* om. *ut* Gu. — 49) *Sed punxi dicimus* om. *et* Asc. *Pupugi vel punxi* Gu. Mihi hoc omne insiticium esse videtur et a seriori manu additum. — 50) *Tondo totondi, caedo caecidi* Go. Reliquorum ordinem sic praestat Gu.: *tundo tutudi*, *cedo di*, *cado cecidi*, *cano cecini*, *pario peperi*, *disco didici*, *posco poposci*, *curro cucurri*, *pedo pepedi*, *parco peperci.* Recepi ergo *caedo cecidi*, quod a reliquis libris abest. *Pedo pepedi* desunt in Go.

cano cecini, disco didici, posco poposci, parco peperci, facit et parsi[1]; curro cucurri, pedo pepedi. Haec adiunctis[2] praepositionibus non eodem modo proferenda sunt; nam duplicatam[3] in simplici figura syllabam in compositione amittunt[4]. Dicimus enim sic: expendo expendi, decurro decurri, refello refelli, compello compuli, concido concidi[5]. Sed ex his duo sola praepositionibus annexis in suo statu manent[6], dedisco, et deposco; nam dedidici et depoposci faciunt praeteritum. Cano autem neutram regulam sequitur[7], quia occino occinui, succino succinui, concino concinui dicimus[8]. Et si qua composita sunt[9] in eadem coniugatione, quae novissimam syllabam geminant in praeterito; illa videlicet, quae a *do*[10] verbo primae coniugationis componuntur, condo condidi, reddo reddidi, trado tradidi, subdo subdidi, prodo prodidi, addo addidi, abdo abdidi[11]. Similiter proferuntur[12]: credo credidi, vendo vendidi. Excepto circumdo circumdedi, quod secundam personam facit circumdas, et est primae coniugationis[13].

10. Quarta coniugatio, vel tertia[14] producta, quam imperativus modus prodit[15], litteram *i* in fine conservans, praeteritum perfectum in *vi* syllabam mittit, vel in duplicem *i*[16], [1717] ut audio audivi, vel audii; munio munivi, vel munii; saevio saevivi, vel saevii; lenio lenivi, vel lenii[17]; mollio mollivi, vel mollii; finio finivi, vel finii; punio punivi, vel punii; sopio sopivi, vel sopii; accio accivi, vel accii; scio scivi, vel scii; hinnio hinnivi, vel hinnii; exeo exivi, vel exii; ineo inivi, vel inii, et caetera his similia. Pauca in *si* exeunt, et sunt fere haec[18]: sarcio sarsi[19], farcio farsi, haurio hausi, sepio sepsi, sentio sensi. Alia in *xi*, haec[20] sola: sancio sanxi, fulcio fulxi[21], vincio vinxi. Unum invenitur, quod primam syllabam in praesenti corripit, in praeterito producit venio veni; et composita ex eo in hunc modum proferuntur. A pario composita dissentiunt in praeterito. Aperio enim aperui facit, operio operui. reperio autem reperi, et com-

1) Vv. *facit et parsi*, quae absunt a Gu., additamentum a seriori manu esse indico. — 2) *Annexis* Gu. — 3) *Duplicam* Go. — 4) *Syllaba in composita admittunt* Gu. — 5) *Concido concidi* om. Gu., qui exempla sic exhibet: *Expendo pendi, decurro ri, refello li, compello li vel compuli.* In Go. est: *compello compulsi, concedo concedi.* — 6) *Permanent* Gu. Tum *disco et posco et dedidici et depoposci fac. praet.* Go. *Disco et posco nam ded. et dep. fac. pr.* V. Asc. *Nam et ded. et dep.* Gu. *Dedisco et deposco* cum P. diserte exhibet Gu. — 7) *A cano autem composita neutram regulam sequuntur.* P. *Cano autem neutram regulam sequitur* Gu. Go. V. Asc. Putschiana lectio ex interpretatione orta videtur. — 8) *Concino nui, succino nui dicimus* Gu. om. *quia.* Breviora etiam exhibent V. Asc. Go., in quibus post *sequitur* est: *concinui facit;* in Go. etiam *facit* desideratur. Apertum est, integrum versum excidisse. — 9) *Sunt* additum ex Gu. Go. — 10) Verba: *Quae novissimam syll. gem. in praet.; illa videlicet, quae a do* in P. desiderantur, ubi totus locus ita exhibetur: *Et si qua composita in eadem coni. a verbo primae coniug. componuntur, ut condo* cet. In Asc. et V. post vv. *in eadem coni.* plene interpungitur et pro *quae* sigla legitur *Qm̄.* In Gu. autem postr. *dicimus* haec sequuntur: *Composita sunt in eadem coniugatione quae* cet. In Go. *quae* desideratur. — 11) *Abdo abdidi* desunt in Go. Exempla sic exhibet Gu. *condo didi, reddo didi, trado, subdo, obdo, prodo, abdo, edo, addo, perdo, dedo, didici* (sic). — 12) *Proferuntur* om. Gu. — 13) *Excepto — coniugationis.* Haec omnia desunt in Go. Sequitur inscriptio talis: *De Quarta coniugatione* in V. Asc. P. *De producta IIII.* Gu. Non habet inscriptionem Go. — 14) *Sive tertia* P. Omnem locum sic praestat Gu.: *Quarta coniugatio producta quam.* In Goth. legitur: *Quarta coniugatio vel tertia producta est, cuius imperativus modus i litteram in fine conservat.* — 15) *Producit* Gu. *Prodit* recte V. Asc. Tum *conservat* male V. Asc. P. Veram lectionem *conservans* exhibet unus Gu. — 16) *In duplicem ii* Go. *In ii duplicem* Gu. — 17) *Linio linivi, vel linii* P. *Inio inivi, vel inii* V. Veram lectionem praebent Go. Asc. Totum locum sic exhibet Gu.: *ut audio divi vel dii, munio nivi vel nii, sevio sevi vel sevii et cetera hiis similia.* — 18) *Haec fere* Asc. V. P. — 19) *Sarsi vel sarcivi* Gu. — 20) *Sola haec* V. Asc. P. — 21) *Vel si melius* interponit Gu. — 22) Multo breviora h. l. exhibent libri: *Proferuntur. Aperio aperui compositum dissentit reperio repperi* Gu. *Prof. Aperio aperui et huic compositum desentit reperio reperi.* Go. *Aperio aperui, cuius compositum dissentit reperio repperi.* V. Asc. Unde sua hauserit P. incertum

perio comperi[22]. In has fere syllabas omnia verba, quae quartae coniugationis norma complectitur, in praeterito desinunt.

S e g m. IX.

1. Sed ne quid ambiguitatis esse[23] possit lectoribus, non dissimulabimus[24] de illis dicere, quae rationi refragantur[25]. Sunt enim verba, quae personis[26] deficiunt, et impersonalia dicuntur; alia modis; alia temporibus; alia coniugationibus; alia participiis. De his exponemus, et primum de impersonalibus; quae aut secundae[27] sunt coniugationis, aut tertiae, quantum ex tertia persona contemplari licet. Quae secundae coniugationis sunt[28], eorum alia accusativum casum trahunt, ut pudet, taedet, piget, poenitet, miseret, decet; alia dativum, ut licet, liquet, libet. Unum est, quod casu non eget[29], oportet. Et omnia praeteritum in *uit* syllabas[30] mittunt, ut puduit, piguit, poenituit, licuit, libuit, decuit; praeter tria[31], quorum duo deficiunt praeterito, liquet et taedet; unum quasi passivam habet declinationem, miseret, nam misertum est[32] dicimus. Licet tamen[33] et libet ad hanc similitudinem proferri possunt, licitum est, libitum est. Et taedet in composita figura[34], pertaesum est. Tertiae coniugationis impersonalia dativum ca- [1718] sum assumunt, ut contingit[35], evenit, accidit, expedit. Quaedam primae coniugationis impersonalia reperiuntur, ut iuvat, praestat; quae[36] etiam aliter declinari possunt. Sed omnia tam in futuro[37] imperativi modi, quam infinitivi, nec non etiam gerundivis, participialibus[38] et participiis utriusque temporis[39] deficiunt[40].

2. Defectiva[41] in modis sunt haec. Quaeso, quaesumus[42], quod primam personam habet in singulari et plurali indicativi modi duntaxat, licet *quaesere* lectum[43] sit apud Sallustium

est; mutare tamen nolui, quia probabile est, sic Grammaticum scripsisse. Post v. *repperi* in Gu. statim haec sequuntur: *Omnibus syllabis desinuntur* (sic) *omnia verba, quae tertiae coniugationis norma complectitur. Sed neque ambiguitas esse possit* cet. A quibus verbis novum segmentum incipit. — 23) *Possit esse* V. Asc. P. — 24) *Dissimulamus* Go. — 25) *Refragant* Go. — 26) *In personis* Gu. Go. V. Asc. Sed sequentia ostendunt, recte in P. omissam esse praepositionem. — 27) *Aut sunt secundae* V. Asc. P. *Quae aut secundae coniugationis aut etiam tertiae* om. *sunt* Gu. Inde ab his verbis: *Quae aut secundae sunt coniugutionis aut* cet. incipit rursum Cod. Gu. papyraceus, quem alterum dicimus; praefixaque est inscriptio talis: *Focae de impersonalibus.* — 28) *Quae secundae coni. sunt.* Desunt haec verba in omnibus praeter P., qui unde habeat, nescimus. Necessaria tamen videntur. — 29) *Quod casibus non indiget* Go. *Quod casu non indiget* V. Asc. P. — 30) *In uit divisus syllabus* P. *In uit syllabam* Gu. 2. Go. V. Asc. *In uit* om. v. *syllabam* Gu. 1. Rescripsi *syllabus.* — 31) *Praeterea quorum* Go. *Praeter haec tria q.* Gu. 1. — 32) *Nam misertus sum* Gu. 1. — 33) *Et tamen libet licet* Gu. 1. *Et licet tamen et* Go. Tum *ut hanc sim.* Gu. 1. — 34) *In composita figura format pert.* Gu. 1. — 35) *Contigit* Gu. 1. — 36) *Quae et aliter* Go. V. Asc. P. *Et quae etiam aliter* Gu. 1. *Quae et alliquid declarari possunt* Gu. 2. — 37) *Sed omnia futuro tam imp.* P. Tum *imperativi quam infinitivi modi* P. *Quam infiniti* Go. — 38) *Gerundivis* dedi ex Gu. 1. *Gerundii vel participialia* Go. *Gerundia participalia* Gu. 2. *Gerundiis participialis* V. *ger. participalibus* Asc. Verbum *participialibus* deest in Gu. 1. — 39) *Participiis praeteriti et futuri temporis* P. *participiis utriusque def.* om. *temporis* Gu. 1. *participia utriusque temp.* Gu. 2. *participiis utriusque temporibus* Go. *participiis utriusque temporis* V. Asc. — 40) Sequitur in Gu. 2. *Finis.* Tum: *Focae de verbis in modis deffectiva* — 41) *Defectiva verba in* Gu. 1. — 42) *Quaesumus* additum ex Gu. 1. Ex eodem adiicienda fuerunt vv. *in singulari et plurali.* Nam *quaesumus* scriptum *q̿s*, ex ignoratione compendii omissum, reliqua secum traxit. — 43) *Licet quaesi relictum sit* Go. Gu. 2., nisi quod Gu. 2. *quasi.* Pro *quaesere* in Gu. 1. *quaerere.* Tum vv. *et Tullium* om. Gu. 1. Caeterum cf. Cic. in Arat. 18., ubi alii *quaesere* alii *quaerere* infinitivum posuerunt. Ex hoc loco *quaesere* inter fragmenta Sallustii posuit Gerlach. pag. 247. Cf. praeterea etiam Festus s. v. *Quaeso.*

et Tullium. Ovat, infit[1]; haec quoque tertiam personam habent solam, sed ovat participium facit praesentis temporis, ovans; cum in[2] declinatione verbi deficiat. Similiter ausim et duim[3]. Inquam prima persona[4] contra morem omnium profertur; et utrumque numerum modi indicativi praesentis temporis habet tantum[5]; imperativi numerum singularem habet tantum; nam *inque* apud Terentium lectum est. Aio praesens et praeteritum imperfectum habet tantum. Faxo futurum tempus tantum, vel, ut alii, promissivum modum ostendit. Salve, salvete[6], imperativi modi, secunda persona, utroque numero lectum est; et infinitivi[7] modi praesentis temporis, salvere. Cedo et ave similiter et imperativi secundam[8] personam habent numeri singularis. Cedo etiam numeri pluralis lectum est apud Plautum: *cette*[9].

3. Et coniugationibus et praeterito[10] deficiunt haec: Fero fers, praeteritum facit: tuli[11]. Sum, es, est; fui[12]. Ferio, feris; percussi. Tollo tollis[13], sustuli facit. Edo, es, est; edi. Hoc infinitivum[14] praesentis temporis non in *re* syllabam, sed in *se* contra morem omnium mittit; *esse* enim[15] dicendum est. Volo, vis; volui. Hoc quoque incertae est coniugationis, et futuro imperativi et infinitivi modi deficit, et gerundivis vel[16] participialibus; quae supina alii dicunt. Meto messui facit[17]; nam aliter proferri non potest. *Polleo*, *furo*[18], similiter et *glisco* et *quatio*, nullum habent praeteritum. Memineris tamen[19] inchoativae formae verba, quae praeterito perfecto deficiunt. Participiis carent verba alia praesentis[20] temporis, alia futuri, alia utriusque. [1719] In praesenti[21] itaque deficit *sum*, et quae ex eo adiectis praepositionibus componuntur; praeter duo: absens et praesens; quae a verbis absum et praesum veniunt. Et *eo* verbum in participio[22] nominativi casus, numeri singularis deficit, in caeteris recte declinatur. Composita[23] quaedam etiam nominativum habent, ut praeteriens, abiens. Futuri temporis participia[24] in primis verba formae inchoativae non habent, ut horresco, calesco, et his similia[25]. Deinde omnia secundae coniugationis, quae sunt generis neutri, et in formam transeunt inchoativam, ut horreo, caleo, tepeo, niteo[26], pateo, stupeo[27], splendeo, vigeo, vireo[28], rigeo, floreo, paveo, rubeo, tabeo[29],

1) Vv. *Ovat*, *infit* desunt in Gu. 1. — 2) Praep. *in* deest in Gu. 1. *In diffinitione v.* V. Asc. — 3) *Ausim et Perduim* P. *Ausim et perduint pro perdant dicunt* V. Asc. *Ausim edunt* Gu. 2. Recte igitur *ausim et duim* Go. *Et duim* om. Gu. 1. — 4) Post v. persona in P. sequuntur haec: *modi indicativi praesentis temporis numeri singularis contra* cet., quorum nihil, praeter ultimum v., in reliquis libris omnibus. Igitur eieci. — 5) Omnia ista: *utrumque — — habet tantum* accesserunt ex Gu. utroque, Go. V. Asc., qui tamen sic variant: *Inquam in prima persona contra morem omnium profertur et utrumque numerum modi indicativi praesentis temporis et et* (sic bis) *praeteritum habent tantum. Faxo* cet. Gu. 1. *Inquam primam personam contra morem omnium profert utrumque numerum modi ind. temporis praes. inquam imperativum numeri singularis habet.* Gu. 2. *Inquam prima persona contra morem omnium proferuntur utrumque numerum indicativi temp. praes. imperativi numerum singularem habet. nam inquam aput Therent imperfectum tantum* (om. *habet*). Go. *Inquam in prima persona contra morem omnium profert utrumque numerum modi ind. praes. temp. inquam: imperativum numeri singularis habet tantum. nam inque apud Ter. lectum est. Aio praes. et praeteritum imp. habet tantum.* V. Asc. Apparet, has omnes varietates ortas esse ex omissionibus, quae clausulis similibus originem debent. Ceterum *inque* apud Terent. legitur in Heaut. IV, 7, 1. Cf. Prisc. X, 1. — 6) *Salvete* hic om. Gu. 1., sed infra post *lectum est* exhibet *salve*, *salvete*. Vv. *imperativi modi secunda persona utroque numero lectum est* desunt in Gu. 2. Goth. — 7) *Infiniti modi* Gu. 2. Go. Tum *praesens tempus* P. V. Asc. *tempus praesens* Gu. 2. — 8) *Semper* h. l. interponit sola P. *Secundam semper* utrumque om. V. Asc. — 9) *Apud Plautum cedite* Gu. 1. *Ap. Plautum cete* Gu. 2. *Apud Plautum cedite mihi pro dicite* V. Asc. *Est dictum apud Plautum.* *Cetera coni.* Goth. Cod. Gu. 2. h. l. explicit, ascriptumque habet *Finis.* Plauti Merc. V, 4, 4. *Cette dextras nunc iam.* — 10) *Sunt quae in coniugationibus et in praet. def.* Gu. — 11) *Fero fers tuli praet. facit* Gu. — 12) *Est* om. Go. *fui* om. Gu. — 13) *Tollis* om. Gu. — 14) *Hoc infiniti modi* Go. *Hoc in finitivum modum* Gu. Tum *non in rem s. sed in sem* Go. — 15) *Esse enim* om. Gu. — 16) *Gerundiis et part.* P.

madeo, tumeo, sileo, palleo, ferveo, timeo[30], lateo; nam et haec assumptis praepositionibus faciunt inchoativa, ut pertimesco, delitesco[31]. Valeo tamen cum faciat[32] convalesco, in[33] participio futuri temporis minime deficit; nam valiturus[34] dicendum est. Sunt alia praeterea, quae non transeunt in formam inchoativam eiusdem coniugationis et generis, et nihilominus in[35] participiis temporis futuri deficiunt, ut egeo, mereo, polleo[36], calleo, studeo. Praeter haec et[37] volo caret participio futuri temporis, et nolo; et quae ex illis componuntur. Similiter et metuo, fluo, sitio, tremo, saevio, sero, algeo[38], disco, posco, furo[39]; quae verba primitiva utriusque temporis participiis carent. Similiter[40] impersonalia omnia, de quibus superius docuimus, et defectiva illa, videlicet quae ordine declinari non possunt, ut aio, quaeso, inquam[41], faxo, salve, ave[42], cedo, possum[43]; similiter et soleo.

4. Sunt verba, quae in[44] prima persona confusa habentur, quorum significationem secunda persona coniugationis discernit: dico dicas, correpta priore syllaba, dico dicis, producta; fundo fundas, fundo fundis; volo volas, volo vis; appello appellas, appello appellis; compello compellas, compello compellis; mando mandas, mando mandis. Sunt alia, quae ex diversa [1720] forma praesentis[45] temporis in praeterito confunduntur: paveo pavi, pasco pavi; cerno crevi, cresco crevi; acuo acui, aceo acui; lugeo luxi, luceo luxi; pendeo pependi, pendo pependi; frigeo frixi, frigo[46] frixi. Sunt quae idem habent praesens et praeteritum perfectum[47], haec sola: odi, novi, coepi, memini, pepigi. Haec enim[48] in imperativo, praeter memini, quod memento facit, deficiunt et in[49] futuro infinitivi modi, et in supinis, nec non et in participiis[50] utriusque temporis. Unum ex his odi duo participia facit praeteriti temporis[51] figurae compositae, exosus et perosus. Sunt alia, quae in omni declinatione secundae sunt coniugationis, et infinitivo[52] modo quasi tertiae correptae proferuntur: fulgeo infinitivum fulgere facit, ferveo fervere, obsideo obsidere. Lectum est et strido[53], quod tertiae est; alii ut secundae proferunt, ac maxime Lucanus huiusmodi declinationem usurpavit.

Gerundi vel participalibus Go. — 17) *Meto messui* om. *facit* P. V. Asc. *Meto messem facit* Go. Verum exhibet Cod. Gu., ubi tamen verba: *nam aliter proferri non potest*, omittuntur. — 18) *Pelleo furio similiter et glisco et gratio* Gu. *Polleo sitio similiter glisco et quatio* Go. *Polleo Sisto s. e. g. e. q.* V. Asc. P. — 19) *Mem. tantum* Go. Tum *quia praet.* V. Asc. P. *quod in praet.* Go. *Quae* recte exhibet Gu. Errores orti ex non intellecto compendio. — 20) Vv. haec: *Participiis carent verba alia praesentis* apud Putsch. errore typographi exciderunt. — 21) *In praes.* Gu. Go. V. A. Praepos. om. P. — 22) Praep. om. P. — 23) *Composita etiam q.* Go. — 24) *Participia non habent in pr.* V. Asc. Go. P. Vv. *non habent* in Cod. Gu. recte ad finem enunciati reiiciuntur. — 25) Vv. *Et his similia* desunt in Go. — 26) *Nateo* om. *pateo* Go. — 27) *Stupeo* h. l. om. Gu. et post v. *tumeo* interponit. — 28) *Vireo* deest in Go., sed infra post v. *madeo* interp. — 29) *Iubeo* pro *tabeo* in Gu. — 30) *Timeo* deest in Gu. Ibidem paullo post om. *haec.* — 31) *Et delitesco* P. *ut pertimesco, del.* Gu. *ut pert. dilucesco* V. A. — 32) *Facit* Gu. — 33) Praepos. om. P. — 34) *Nam raro valiturus* Gu. — 35) Praepos. om. P. — 36) *Palleo* Gu. Go. V. Asc. male. *Calleo* deest in Go. — 37) *Praeter et haec et.* Gu. — 38) *Algeo* deest in Go. — 39) *Furio* male Gu. Go. V. Asc. Tum *quod verba prima* Go. — 40) In V. A. sic pergitur: Similiter carent participiis impersonalia, quae vv. praeter extremum in reliquis desunt. Ex quibus servavi *Similiter*, quod mihi necessarium videbatur. — 41) *Inquit* Go. — 42) *Ave* adiectum ex Gu. Go. V. A. — 43) *Cedo ausim* Gu. omissis vv. *similiter et soleo. Cedo et possum* Go. V. Asc. — 44) Praepos. om. V. Asc. — 45) *In praesente conf.* Go. — 46) *Frico frixi* V. A. *Frico frixi vel fricui* Gu. *Pendeo pep.* et *frigeo frixi* desunt in Go. — 47) *Perfectum* om. Gu. — 48) *Enim* accessit ex Gu. Praepositio deest in Go. Tum *modo* addit Go. — 49) Praepositio deest in P. — 50) *In sup.* — *in part.* Praeposs. om. P. *Nec non etiam in part.* Go. *Etiam* exhibent V. A. — 51) *Facit praeteritum a compositae figurae* Gu. — 52) *Et in infinitivo quasi* V. Asc. P. *Et infinito q.* Go. *Et infinitivo modo* Gu., quod dedi. Paullo ante *in omni coniugatione* pro *i. o. decl.* exhibet Go. — 53) *Et tribuo* Go.

5. Verba tam passiva quam deponentia, nec non etiam communia, cuiuscunque sunt[1] coniugationis, praeteritum perfectum in has syllabas mittunt: in *tus*, in *ctus*[2], in *sus*, in *xus;* adiuncto in omnibus *sum* verbo, ut amor, amatus sum; doceor, doctus sum; patior, passus sum; nitor, nisus[3] sum. Notantur pauca, quae in[4] praeterito deficiunt. Passiva quidem haec: feror, ferior, tollor. Faciunt enim[5] praeteritum, latus sum, ictus sum, sublatus sum. Poscor; namque[6] hoc quoque deficit in praeterito, postulatus sum; arguor, convictus sum; similiter et metuor et timeor nullum habent praeteritum[7] perfectum. Deponentia vero haec[8]: vescor, fruor, medeor, liquor, reminiscor; quae in praeterito sic proferuntur: pastus sum, potitus sum, medicatus sum[9], liquefactus sum, recordatus sum; quae ab alio praesenti veniunt, sed ad supplementum declinationis defectivis accommodantur. Sunt quaedam deponentia incertae coniugationis[10], haec sola: orior, potior[11]. Nam in secunda persona numeri singularis tertiae productae sunt, hoc [1721] est[12], quartae coniugationis, et in praesenti tempore[13] infinitivi modi[14]. Oriris enim et potiris; item[15] oriri et potiri dicimus. Reliqua ad exemplum tertiae correptae declinantur. Sunt alia, quae a diverso[16] veniunt praesenti, sed[17] in praeterito confunduntur, ut patior passus sum[18], pandor passus sum; ut apud Virgilium: [*Crinibus Iliades passis.*][19] Item vertor versus sum[20] et verror versus sum, ut apud eundem[21]: [*Et versa pulvis inscribitur hasta.*] Sunt alia impersonalia, quae assumptis pronominibus[22] ablativi casus declinantur, et a verbis neutri generis figurantur, vel ab activis[23]; quae dativum casum in serie orationis[24] admittunt, ut sedetur, ambulatur, statur, pugnatur, itur, studetur; veniunt enim, ut dictum est, a neutris[25]: sedeo, ambulo, sto, [1722] pugno, eo[26], studeo. His etiam Graecorum iactantiam, si quam de copia sermonis exercent, refutamus[27]; quod haec propria nequeunt[28] explanare. Similiter nocetur[29], et suadetur, et datur proferimus, quae in activa specie dativo casui iunguntur. Sunt quae in[30] participiis deficiunt, ut fruor, medeor, et reor; quod de praeterito tamen habet[31] participium, et in praesenti et in futuro[32] deficit. Item nascor[33] futuri temporis[34] participio caret. Et impersonalia, sicut in activa declinatione, participia nulla habent, nisi quae poetica usurpavit licentia praeteriti temporis[35], ut *regnata*, *vigilata*, *pugnata*[36]; futuri, ut: [*vigilanda viris.*[37]] Et quae his similia[38].

1) *Sint* Go. Ante vv. *Verba tam p.*, a quibus novum segm. incipit in libris, inscriptio legitur: *De verbo passivo* P. Go. *De passivis* V. A. Inscriptio nulla est in Gu., sed nova linea incipit. — 2) *In gus* Go. *In tus, in sus, in rus* Gu. — 3) *Nixus sum* P. *Passus sum et caetera* ceteris omissis Gu. — 4) Praepos. deest in P. — 5) *Tollor. Faciunt enim* desunt in Go. — 6) *Namque* om. Gu. — 7) *Praeteritum* om. Go. *Perfectum* om. Gu. — 8) *Deponentia verba haec* Go. — 9) *Medicatus sum* deest in Go. — 10) *Incertis coniugationibus* P. V. Asc. — 11) *Potior orior* P. V. Asc. — 12) *Id est* Gu. — 13) *Et praesentis temporis* Asc. — 14) *Infiniti modi* Go. — 15) *Etiam* V. Asc. P. *Item* Gu. Deest v. in Go. — 16) *Ex diverso* V. Asc. P. *A div.* Gu. *q. adverso* Go. — 17) *Et in pr.* V. Asc. *Et pr.* om. praep. Gu. — 18) *Patior passus sum* desunt in Go. *Patior pandor pass. sum* Gu. — 19) *Crinibus ilia depassis* Go. *Crinibus iliades sparsis* Gu. Locus est Virg. Aen. I, 480. — 20) *Vereor veritus sum, veror versus s.* Go. om. *et.* Vv. *et verror versus sum* om. V. Asc. *Item vertor et verror versus sum* Gu. — 21) *Apud Virgilium eundem* Go. Locus Virg. est Aen. I, 478. — 22) *Praepositionibus* V. Asc. P. *praenominibus* Go. *pronominibus* recte Gu. — 23) *Ab activis* Gu. Omittunt praep. Go. V. Asc. P. — 24) *Rationis* Gu. — 25) *A neutris ut dictum est* Gu. — 26) *Eo* abest a Go. *Sto, pugno et caetera* Gu. — 27) *Refutavimus* P. V. Asc. Omnia ista *His etiam — iunguntur.* desunt in Gu. *His enim* V. Asc. Tum *quod nec* V. Asc. — 28) *Nequeant* P. *Nequeunt* Go. V. Asc. — 29) *Noceatur* P. *nocetur* V. *vocetur* Asc. — 30) *Sunt quae part.* P. *Sunt verba quae in p.* Gu. — 31) *Tantum habere p.* Go. — 32) *In pr. — in fut.* praepositiones desunt in P. — 33) *Noscor* Gu. — 34) *Temporis* deest in Go. — 35) *Praeteriti temporis* om. V. Asc. *temporis* om. Gu. — 36) *Regnata pugnata percussa* Go. *regnata percussa pugnata* V. Asc. *regnata* nihil amplius Gu. — 37) Virg. Georg. I, 313. — 38) *Et his similia* Go. V. Asc. P. *Et quae his similia st.* Gu. *Explicit ars Phocae grammatici de nomine et verbo* Go. *Explicit* Gu. *Finis* Asc. V.

PHOCAE GRAMMATICI

DE ASPIRATIONE[1].

SEGM. I.

1. Omnia nomina Graeca in capite suo φ litteram habentia, in medio loco cum p et aspiratione adiuncta[2] scribuntur[3] apud Latinos, ut Phoebus, ephebus.

Omnia nomina Graeca similiter υ litteram in principio suo habentia, praeposita aspiratione scribuntur[4], ut ὑάκινθος, hyacinthus; ὕδρα, hydra; Ὑπάτιος, Hypatius[5].

Omnia nomina Graeca in prima syllaba[6] ρ litteram habentia vocali[7] post ipsam ρ, aspirantur[8], ut Ῥῆνος, Rhenus; exceptis duobus: Remus et Romulus.

Omnia nomina Latina, quae *ir* syllabam in principio suo habent, praeposita aspiratione scribi significamus, ut hirsutus, hircus, Hirpinus[9].

Omnia nomina Graeca ab eo, quod est ἵππος graece, dicta[10], aspirationem praepositam[11] similiter habent in scriptura, ut Ἱππόλυτος, Hippolytus; Ἱπποτάδης, Hippotades. Si hoc in medio nominis[12] fuerit, ista syllaba tum caret[13] aspiratione, ut Φίλιππος, Philippus; Ἀρίστιππος, Aristippus.

2. Omne pronomen articulare praeposita aspiratione scribi notamus, ut hic et haec et hoc, excepto vocativo. Si autem composita fuerint, dasian amittunt, ut istic, istac, istuc. Similiter enim et[14] omne adverbium ex articulari pronomine deductum aspiratur, ut hic ἐνταῦθα[15], huc ὧδε, hinc ἔνθεν, hac ᾗ. In compositione haec dasian amittunt, ut illic, illac, illuc; solum vero adhuc et adhoc, simplicium suorum scripturam servarunt[16], id est, dasian habent in compositione.

3. Omnia nomina Latina[17] vel Graeca *e* vocalem productam in principio suo habentia praeposita aspiratione scribentur; Graecum, ut Ἡρακλῆς, Heracles; Latinum, ut *heres; heri*[18], unde hesternus dictum est.

Omnia nomina Graeca initiata[19] syllaba ις et tau littera statim subsecuta[20], dasia praeposita proferuntur, ut Hister[21], historia. Latina similiter haec proferuntur, ut histrio, ὁ μιμολόγος[22]. Designatum est[23] pronomen iste.

1) Cod. Gu. hanc habet inscriptionem: *Focae orthographia. Christus.* Libellus autem sic incipit: *De aspiratione dicturi sumus. Omnia nomina* cet. — 2) *Iuncta* Gu. — 3) *Scribitur* Gu. — 4) *Scribentur* P. — 5) Ὕπανις, *Hypanis* P. Diserte Gu. quod dedimus, idque in margine repetitum legitur. — 6) Vv. *in prima syllaba* desunt in Gu. — 7) Legendum videtur: *vocali posita post ipsam ρ*. Nam facile absorberi potuit participium ante v. *post*. — 8) *Aspiratur* P. ex errore. — 9) *Hiripinus* Gu. — 10) *Dictam* male P. — 11) *Praepositam* abest a Cod. Gu. — 12) *In medio nominis loco* P. — 13) *Ista syllabarum caret* P. — 14) *Similiter enim et.* Ita etiam Gu. Puto scribendum esse: *Similiter etiam.* — 15) Graeca haec quatuor ex Gu. ascita sunt. Ignorat ea P. — 16) *Servaverunt* P. *servarent* Gu. — 17) *Graeca vel latina* P. — 18) *Ut here, heri* P. *Ut herus, heri* Gu. sed prius correctum *heres*, quod verum. — 19) *Initata syllaba ης in ις et ταῦ tau litera* Gu. — 20) *Subsequta* (sic) Gu. — 21) *Proferuntur, ut Histrio* P. nihil amplius, omisso integro versiculo. Nimirum aberravit librarii oculus a v. *proferuntur* ad idem v. infra positum. — 22) Sic putavi emendandam esse scripturam Codicis: ωμυθολοτος, quod esset: ὁ μυθολόγος, quod ipsum tamen non plane spreverim. — 23) *Designatum est* i. e. inter excepta notatum. Quare nihil mutandum.

4. Omnia nomina Graeca vel Latina, quorum *er* syllaba principium obtinet, [1723] sequente statim μ, aut ν, aut *c* littera[1], cum aspiratione scribi praeposita notamus, ut Ἑρμῆς, Hermes; Ἕρνος, Hernus; Ἡρακλῆς[2], Hercules.

Omnia similiter *o* inchoata, duas[3] consonantes *rr* post ipsam vocalem habentia, praeposita aspiratione erunt pronuncianda, ut horror.

Omnia nomina Graeca *e* vocalem brevem in prima syllaba observantia, statim *e* littera veniente, aspirantur, ut Helenus, Helymus. Excipitur unum: Elis, Elidis, quod nomen est urbis; et Elissa, et elephas similiter.

5. Omnia quae *es* vel *is* vel *os* habentia fuerint[4], et postea *p* litteram subsecutam, ea cum aspiratione praeposita scribuntur[5], ut Hesperus, hispidus hospes.

Omnia Graeca nomina, si a littera *i* fuerint[6] incipientia, et *e*[7] vocalis subsecuta, praeposita aspiratione scribas, ut *[8] et Latina similiter, ut hiems. Designatum est iecur[9], ideo quod *i* consonantis vim explet in isto nomine.

6. Omnia quae *o* vocalem in suo initio habebunt, et postea *m* semivocalem[10], aspirationem praepositam cupiunt in scriptura, ut homo. Designatum est omen.

Omnia quae post o, *n* semivocalem habent, similiter aspirantur, ut Honorius, honos Designatum est onus, τὸ φορτίον[11].

Omnia quae post *a* vocalem in principio nominis locatam *r* unam consonantem habentia fuerint, *a* eam[12] aspirant, ut harena, haruspex. Excipiuntur: ara, arista; et Graeca: Arion, Aratus[13].

7. Omnia quae post *or*, *t* mutam habent, dasian praepositam cupiunt[14], ut Hortensius, hortor. Designatum est ortus, ἀνατολή[15], discretionis caussa propter hortus, ὁ κῆπος.

Omnia nomina Graeca post *e* vocalem *c* mutam habentia aspirantur, ut Hector.

Omnia nomina Latina post *i* vocalem *b* mutam habentia, aspiratione praeposita [1724] proferuntur, ut hibernus, Hiberus[16]. Designatum est *ibi*, adverbium.

Omnia quae a verbo habeo[17] derivantur, ea cum aspiratione praeposita scribuntur[18] ut habitus. Similiter et composita: *prohibeo*[19].

Omnia quae post *er* syllabam *b* mutam sequentem habent, ea cum aspiratione antecedente proferuntur, ut herba.

1) μ, *et ν aut σ littera* P. Male et contra sententiam Grammatici. Recte Gu.: μ, *aut ν aut c l.* quae dedi. — 2) Graecam v. ex Gu. adieci. — 3) *Incohata in duas* P. Veram scripturam et lectionem praestitit Gu. — 4) *Fuerint syllabas* P. posterius v. ignorat Gu. — 5) *Scribentur* P. — 6) *Si i litera fuerint* P. — 7) *Vel e vocalis* P. Gu. Scripsi *et* de coniectura. — 8) Asteriscum posui, ut lacunam significarem, quae in Cod. Gu. integram paene lineam obtinet. Credibile est, scriptum fuisse: *ut Ἱερόνυμος, Hieronymus. Et Latina sim.* — 9) *Iecor* Gu. Sequitur iterum lacuna, in cuius spacio credibile est Graecum vocabulum τὸ ἧπαρ exhibitum fuisse, cuius restat articulus; quamquam lacuna paullo longior. Tum *si cons.* Gu. — 10) Sequuntur in Gu. haec: *habent similiter aspirantur, ut honorius honos;* sed perscripta sunt et infra suo loco recurrunt. — 11) Graecum v. adiectum ex Cod. Gu. — 12) *r eam asp.* P. Gu. Scripsi *a eam asp.* de coni. — 13) *Arator* Gu. Haud dubie Graece scriptum fuit. — 14) *Capiunt* P. Diserte *cupiunt* in Gu. — 15) Graeca vox e Cod. Gu. adiecta. Tum sic pergit P.: *h discretionis caussa amittit propter h.* Veram lectionem praebuit Gu. in quo etiam ὁ κῆπος, quod om. in P. — 16) *hybernus*] *hyberus* Gu. — 17) *A verbo habet* Gu. — 18) *Scribentur* P. — 19) *Similiter et compositum prohibetur.* Gu.

Segm. II.

De Psila[20], *id est, Inaspiratione.*

1 Omnia nomina quae post vocalem *i*, *l* litteram habent, dasian negant, ut Ilion[21], ilex. Excipiuntur hilarus et Hilerda.

Omnia quae post *or* syllabam *d* mutam habent, ignorant aspirationem, ut ordo. Designatum est hordeum[22], *τὸ κριθίον.*

Omnia quae post *i*, *a* fuerint[23] habentia, carent aspiratione, ut Ianus. Designatum est hiatus, *τὸ χάσμα*[24].

Omnia similiter post *i* consonantem, *u* vocalem habentia, psilen amaverunt, ut Iuno. Nam hiulcus ab eo quod est[25] hiatus, de quo supra dictum est, deducitur.

2. Omnia quae *au* diphthongum[26] in prima syllaba habebunt, dasian respuerunt, ut audax. Designatum est haud. Unde haudscio, compositum simplicis[27] habebit scripturam; nam aspiratur. Adverbium autem discretionis causa[28] dasian habet praepositam, ut ne[29] coniunctio fuerit, veluti legimus:

Aut portum tenet[30].

Omnia quae in prima syllaba *eu* diphthongon locatam habebunt, carent aspiratione, ut Euandrus. Excipitur interiectio heu et heus compositum[31].

Omnia quae post *a* vocalem *m* habent, psilen solum in scriptura habere solent, ut amicus. Excipitux hamus, *τὸ ἄγκιστρον*[32], et nomen proprium Hambo[33].

20) *De Spila* Gu. Cetera ut in P., quae reliquimus. — 21) *Ilium* P. — 22) *Designatum hordo το κιριον*, et in margine *το κύριον*. Gu. *Hordeum* praestat P. Graecum voc. emendavi *τὸ κριθίον*, quod abest a P. — 23) *Quae ia fuerint* P. — 24) Graecum voc. adieci ex Gu. — 25) *Est* adiectum ex Cod. Gu. — 26) *Diphthongon* P. — 27) *Unde auri composita simplicem* Gu. *Unde hauscio compositum simplicis*, quae retinui, nisi quod *hauscio* (sic) emendandum fuit *haudscio*. — 28) *Ad discretionis causam* Gu. Fortasse legendum: *Adv. autem haud discr. causa.* — 29) *Ut nec coni.* Gu. — 30) Locus est Virg. Aen. I, 400. — 31) Legendum videtur *et heuheu compositum.* — 32) Graecam interpretationem adieci ex Gu. — 33) Finit libellus in Cod. Gu. hac subscriptione: *τελος. Γεοργος Βαρατουσειος. Grammatici Focae ortographia finitur per petrum. Gratias Deo. Amen.*

I. INDEX SCRIPTORUM I. VOL. CITATORUM.

EXPLICATIO SIGNORUM.

† Crucis signum locum e scriptore aliquo citatum nondum in Editionibus operum eius reperiri denotat; qui loci maximam partem sunt inediti.

* Asteriscus significat locum esse apud scriptorem, sed a nobis nondum inventum.

? Interrogationis nota significat dubitationem, an revera apud eum scriptorem locus inveniatur, ex quo laudetur.

V.

II. INDEX RERUM ET VERBORUM.

D.

E.

H.

I.

J.

K.

L.

M.

O.

Q.

R.

S.

T.

X.

Y.

Φ.

X.

Ψ.

Z.

APPENDIX LOCORUM INDICE I. OMISSORUM.

III. INDEX NOTARUM.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

U.

V.

CORPUS
GRAMMATICORUM LATINORUM VETERUM

COLLEGIT AUXIT RECENSUIT
AC POTIOREM LECTIONIS VARIETATEM
ADIECIT

FRIDERICUS LINDEMANNUS

SOCIORUM OPERA ADIUTUS.

TOMUS II.

PAULI DIACONI EXCERPTA ET SEX. POMPEII FESTI
FRAGMENTA CONTINENS.

LIPSIAE,
SUMPTIBUS B. G. TEUBNERI ET F. CLAUDII.

CIƆIƆCCCXXXII.

VIRO

PERILLUSTRI AC GENEROSISSIMO

BERNHARDO LIBERO BARONI A LINDENAU,

REGI SAXONIAE AB INTIMIS REGNI CONSILIIS, SUPREMO ADMINISTRO IN NEGOTIIS INTERNAM REGNI SALUTEM SPECTANTIBUS, CETT. CETT. CETT.

VIRO DE PATRIA NOSTRA LONGE MERITISSIMO

HANC FESTI EDITIONEM

SACRAM ESSE VOLUIT

EDITOR.

VIRO

PERILLUSTRI AC GENEROSISSIMO

BERNHARDO LIBERO BARONI A LINDENAU

S. P. D.

FRIDERICUS LINDEMANNUS.

Quantum Tibi debeat, Vir Perillustris, haec Grammaticorum Latinorum editio feliciter progrediens et fausto cursu ad umbilicum contendens, et ipse probe scis neque alii nesciunt. Quapropter haud opus videbatur esse, id ipsum ut hoc loco exponerem; verum et gratias agere Tibi et qua ratione continuaretur coeptum opus, hac epistola Tibi enarrare, non sine idonea caussa constitui. Etenim quum haud parvum est, quod Tu, gravissimis regni et restituendi et administrandi curis atque negotiis distractus, doctorum etiam hominum nugas esse aliquid putare soles, quippe ipse principem locum inter viros doctos tenens; tum imprimis magnum et nobis quidem admirabile, quod ne Grammaticae quidem artis ac Latini sermonis studium impensius ac reconditius a Tua cura Tuoque patrocinio alienum existimas. Proinde non dubito profiteri, me non minus favore Tuo, quo amplexus es suscepta mea, quam auxilio, quo mihi es patrocinatus, in opere strenue persequendo esse confirmatum; neque facere possum quin palam omnibus dicam, per quem profecerim, cuius praesidio maxime fretus rem arduam conficere perrecturus sim. Vides, quot et quantas habeam caussas, cur Tibi gratias agam; eaeque Tibi hac Te publice

appellandi concessa opportunitate actae sunto, quantae intelligi possunt maximae, quas, quaeso, comiter et clementi animo excipias.

Quum vero Te maxime auctore et deprecatore effectum sit, ut opera mea in emendandis Grammaticae Latinae auctoribus haud temere posita videretur et prosperum tandem exitum habitura; non abs re putabam esse, si Tibi exponerem, quid iam a me esset praestitum, quae praeparata essent, quae absoluta et confecta, ut fortunatus rei susceptae exitus sperari posset. Et primum quidem scire Te volo, me cum hoc altero Grammaticorum volumine quod Festum eiusque compilatorem Paullum continet, simul tertium prodire iussisse, quod complectitur Isidori, Episcopi Hispalensis, origines sive Etymologiarum opus; quam rem sic institui non magis propter argumenti similitudinem, quum uterque scriptor Romanarum rerum antiquitates praecipue tractet, quam propterea quod auxilia ad Isidorum critica tunc iam habebam parata. Tum scias, secuturum esse proxime Varronem de Lingua Latina, cuius reliquias quartum huius corporis volumen continebit a Papio, doctore Berolinensi, curatas, qui et aliis ad eam editionem facultatibus commendabilis fuit, et scriptas edidit Varronianas lectiones non sine approbatione exceptas, et a me accepit Codicum Lipsiensis et Gothani ad Varronis libros varias lectiones. Deinde Varrone absoluto mea opera editi prodibunt Sosipater Charisius et Diomedes. Et quod ad Charisium attinet, unicus tantum eius liber manuscriptus antiquus adhuc invenitur, qui asservatur in bibliotheca regia Neapolitana, idem, ex quo primus Charisium edidit Pierius Cyminius; cuius collationem a Niebuhrio diligentissime factam, ut ipse ante mortem promiserat, in manus meas tradidit Ioannes Classenius, Vir Clarissimus. Eius collationis ope innumeris in locis emendari, haud admodum augeri et suppleri scripta Charisii poterunt. Diomedi autem insignis contigit felicitas, ut tres eius,

qui in orbe terrarum exstant antiquissimi codices, conferri iubere possem, unum Monacensem, duos vero Parisienses, ad quos diligentissime excutiendos ea, quae Te auctore a regibus nostris pecuniae summa ad me est clementissime delata, accommodatissime insumi potuit.

Hos excipiet Nonius Marcellus, scriptor longe omnium depravatissimus, sed idem tamen ad veteres Latinos scriptores, quos classicos dicimus, emendandos gravissimus atque utilissimus. Eius libros manuscriptos, qui sunt optimae notae et antiquissimi, Parisiis contulit in meum usum Dübnerus, Gothanus, Vir Clarissimus, cuius opera tametsi mihi haud nihili constitit, tamen felicissime actum putabo de omni mea Grammaticorum editione, si simili ope in reliquis Grammaticis edendis uti potero. Post hunc sequetur Priscianus, multas ille quidem iam virorum doctorum manus adiutrices ac servatrices expertus, multum tamen adhuc operae requirens, cui salutaria nunc maxime parantur auxilia Parisiis, ab eodem Dübnero.

Quos Grammaticos omnes excipient Metrici, quorum principem Terentianum Maurum editioni parabit Vir Clarissimus, Wüstemannus, Professor Gothanus, qui idem mihi conciliavit Virum iuvenem doctissimum Braunium, qui nunc Monaci versatur, mox vero in Helvetiam atque Italiam abibit, ubi Grammaticos nostros suae curae suaeque operae commendatos habebit et quicquid dignum memoratu invenerit, mecum communicabit.

Habes iam, Vir Perillustris ac Generosissime, quae Te scire volebam de laboris mei curarumque in Grammaticorum emendatione ponendarum ac iam positarum profectibus. Quarum rerum omnium si Te nactus fuero approbatorem et patronum, in rebus optimis Te suasorem atque

impulsorem me habiturum arbitrabor, ceterorum omnium iudicia nihil magnopere extimescens. Conscius enim ipse mihi sum vel maxime, quanta cura, quam diligenter, quam religiose hoc suscepto munere perfungi studeam, ac si res non ubique ex opinione cesserit; ea est humana imbecillitas ac rerum humanarum circumscripta arctis limitibus condicio, quae homines semper infra sperata animoque concepta subsistere iubet. De qua communi omnium sorte, etsi tristi, me tamen facile consolaturus, nihil ego amplius expeto, quam Tuum, Vir Perillustris, favorem. Quodsi hunc mihi enixe roganti non denegaveris, strenua opera in suscepto negotio pergam, ac Deo O. M. de exoptato laborum meorum fine confidam, cetera securus. Vale. Scripsi in Gymnasio Zittaviensi Idib. Sextil. cIↃIↃcccxxxii.

PRAEFATIO TOMI SECUNDI.

Iucundum est, magno ac diuturno itinere emenso, quum ad ultimam metam perventum est, totum remetiri animo, aliisque quae volueris, quae gesseris, quae videris, quae didiceris, enarrare; qua in re et gaudia, quae perceperis, et labores, quos exhauseris, omnia pari voluptate memorem animum afficere solent. Idem mihi usu evenit. Annus est circumactus, ex quo commentarios virorum doctorum ad Paulli epitomam et Festi fragmenta disponere et editioni aptare coepi. In quo munere recte obeundo quum et facilem et iucundam operam mihi praestandam fore arbitratus essem, voluptatis quidem multum ex immensa atque varia virorum summorum doctrina penitius cognoscenda percepi multumque didici. At facilem opinatus operam magnopere me falsum esse, non sine summo taedio mature intellexi. Nam citatos a viris doctis ex innumerabili veterum scriptorum copia locos requirere atque, id quod plerumque ab interpretibus illorum temporum omissum, accuratius, ubi legerentur, demonstrare, capita ac segmenta enotare, quum mihi haberem propositum; dici vix potest, quanto ea res mihi labore constiterit, quam immensa opera navanda fuerit, propterea quod saepe unius loci investigandi caussa, non unus liber, sed universa volumina perquirenda, non dies unus, sed integrae hebdomades insumendae, non horae subsecivae, sed diuturni temporis bona otia perdenda erant, et tamen loci tanta opera investigati aliquoties non sunt reperti. Sed uti dixi, talia exanclasse, labore peracto, non iniucundum est, quam voluptatem hoc unum turbat, quod multus labor non ubique prosperos habuit successus. Sed ad rem veniam.

Quae Festi libri de significatione verborum fata subierint, Gothofredi verbis, quam meis, exponere malo, cuius propterea ad Festi fragmenta praefationem huic loco reservavi ac meae praefationi interserendam duxi.

M. Verrius Flaccus de significatu verborum scripserat (*Festus in v. Pictor Zeuxis*) libros complures. Ex tanto librorum eius numero Sex. Pompeius Festus intermortua iam ac sepulta verba atque, ipso saepe confitente Verrio, nullius usus aut auctoritatis, praeterire voluit; reliqua vero quam brevissime redigere in libros admodum paucos cum hac inscriptione: *Priscorum verborum cum exemplis. Festus in v. Profanum.* Is liber Festi integer adhuc exstabat Caroli magni temporibus, cum Paullus quidam Diaconus iusta lege talionis Festi librum in epitomen redegit; eo indigno successu, ut prae eo Festus negligeretur. Unus tamen adhuc Festi liber exstabat totius quasi cladis superstes, et is quidem pro temporis iniuria media parte mutilus (huius enim ante *M* litteram nihil exstat; et ab ea ad finem vix dimidium eius, quod antea) ex Illyrico advectus, cuius aliquot pagellas Pomponius Laetus, maiorem partem Manilius Rallus, ab his Angelus Politianus librum accepit agnovit et exscripsit, et ab eo exemplo Petrus Victorius

aliquot locis vulgares Festi libros emendare coepit; reliquiae vero ad Aldum Manutium pervenere, qui conatus est cum Paulli Epitome eas coniungere et quasi unum corpus ex duplicibus membris conficere. Simili ratione ex utroque libro confectus alter liber exstabat apud Achillem Mafeum, Aldino locupletior, reapse tamen imperfectus. Ea res movit Antonium Augustinum accepto veteri monumento Festi a Rainutio Farnesio Cardinale (cui id Michaelis Silvii Cardinalis testamento relictum erat) ad utrumque auctorem Festum et Paullum ordine litterarum paullo aptiore coniungendum; lectore qua licuit admonito eorum quae Festi quaeque Paulli essent, neglecta quoque prava librorum Festi divisione, quam Aldus confecerat. Sed cum antiquitati sua ac peculiaris sit maiestas et forma, Fulvius Ursinus idem vetus monumentum Festi, ex Farnesiorum bibliotheca, uti erat plane mutilum ac lacerum, iisdem pagellis iisdem lineis repraesentavit, nisi quod charactere Italico de suo ingenio ac per coniecturam partim exesas partim fugientes sententias Festi primum supplevit; iis autem quae plene exstabant ac legi poterant, coniecturas margini adiecit. Festo ita mutilo schedas, quae apud Pomponium Laetum fuissent, idem Ursinus, uti eae erant, subiecit. Hunc alii insecuti, spreto tantae vetustatis monumento atque exemplari, Antonii Augustini editioni Ursinianam confudere. Nos contra; utrasque enim separatim edidimus, priore quidem loco post Verrium Flaccum, hoc est Festi fragmentum uti purum ac simplex fuit, cum schedis Pomponii Laeti; secundo compositum ex Paullo Diacono et Festo ab Antonio Augustino corpus. Nam et simplicia natura priora; et hac quoque ratione magnis viris laus sua ac propria redditur; sed et vetustatis venerandae species curiosis conservatur; et reliquis post Ursinum divinandi occasio maior patet: ut nihil dicam, hac etiam editione magnum in eo lectioni adiumentum, quod primores dictiones, de quarum interpretatione agitur, hac nota peculiari ¶ a ceteris distinctae atque separatae sunt, ut primo obtutu in lectoris oculis incurrant, quae alioqui abscedentes ac reliquis commixtae, propter eundem tenorem litterarum, lectori fastidium adferebant. Hoc te volui, Lector.

Hactenus Gothofredus. Ex quibus intelligitur, nobis in hac editione adornanda duo ante omnia fuisse agenda; primum quidem, ut Paulli epitomam a Festi reliquiis plane separaremus, deinde ut ordinem alphabeticum a prioribus editoribus invectum, quem neque Paullus neque Festus iustum atque exactum observarant, tolleremus et utrumque opus ad pristinam suam rationem atque nativam condicionem reduceremus. Atque haec aliis quoque de caussis necessaria esse videbantur. Nam saepe e Festi fragmentis uberiores interpretationes petitae inconsulto Paulli glossis erant admixtae, ut futili epitomatori honos accessisset quo plane videretur indignus. Tum Paullus pariter atque Festus et similes glossas, licet secundum iustum ordinem alphabeticum disiunctas, composuerunt, et saepenumero interpretamenta sua atque orationem particulis coniunctivis et consecutivis coniunxerunt, quae omnia iusto ordine alphabetico introducto plane tollenda orationique scriptorum plane alius color inducendus erat. Igitur non dubitavimus Paulli epitomam secundum antiquissimos Codices manu exaratos edere, Festi autem fragmenta ac schedas secundum Fulvii Ursini editionem referre, hac tamen cautione, ut disruptis et motis loco suo schedis illis, quae apud Pomponium Laetum fuerant, ordinem nativum suumque locum assignaremus.

Quod vero ad auxilia attinet critica, quibus in hac editione novis usi sumus; facile patet ad Festi fragmenta ac schedas a nobis nihil potuisse adhiberi novi, quum laceratus ille ac male habitus codex bibliothecae Farnesianae iam in regia bibliotheca Neapolitana asservetur, ad quam nobis aditus patebat nullus. Neque quicquam salutare sperari poterit tractato illo veteri codice a manibus pretio conductis. Maxime enim videtur esse necessarium, ut homo aliquis egregie doctus

et in reliquiis Festi multa iam lectione versatus Codicem illum summa cum fide ac religione exscribat, spaciolis absumtarum atque exesarum litterarum diligentissime enumeratis atque emensis, ut curatissime notetur, quot numero litterae ubique desiderentur. Cuius rei egregium exemplum propositum est a Niebuhrio, viro incomparabili, Histor. Rom. tom. II, pag. 143. ad quem locum respeximus pag. huius nostrae editionis 563. seq. Ante igitur quam talem tam diligentem Festi codicis Neapolitani habuerimus collationem imo descriptionem, nihil omnino auxilii, quod Festo salutare sit futurum, exspectare poterimus.

Paulli autem compilatoris codices contigit nobis esse tam felicibus ut antiquissimos adipisceremur. Atque in eorum numero primus ponendus est Codex Guelpherbytanus ille, quem secundum diximus, et sigla Gu. 2. insignivimus. Is codex est membraneus forma quadruplicata, seculi decimi, aut etiam antiquior, olim Ludovici Carrionis, cum hac inscriptione: *Excerpta ex libris Pompei Festi de significationibus verborum.* In fine plagulam habet separatam, quae egregias aliquot glossas Teutonicas continet, quae ad seculum octavum pertinere videntur, quas iam alii exscripserunt. Hoc praestantissimum exemplum, quo nullum, quod sciamus, in omni Germania exstat antiquius, quo recentiora sunt adeo quae Lugduni Batavorum atque Parisiis habentur, huic nostrae Paulli editioni pro fundamento subiecimus. Quod ubi interdum ita fecimus, ut antiquior orthographia negligeretur, duabus id de caussis a nobis admissum est; primum quia Paullum sui potius temporis orthographiam introduxisse, quam antiquam religiose servasse putabamus, tum quod codicis antiquissimi fidem sequi quam nostras intrudere coniecturas malebamus, id quod in priori iam horum Grammaticorum volumine factum a nobis esse gaudemus. Alter Codex Guelpherbytanus quem conferri iussimus, chartaceus est, recentissimus, quippe seculi quinti decimi, in cuius fronte a Lauterbachio, bibliothecae illius quondam secretario, haec notata sunt: *Ex hoc codice poterunt suppleri commode lacunae, quae in editione Dion. Gothofredi auctorum lat. linguae* 1584. *in Festo exstant.* Verum plane falsum esse Lauterbachium ac nihil in isto codice haberi, nisi interpolationes, vidit iam Ebertus, V. Cl. in libro: *Bibliothecae Guelpherbytanae Codd. Gr. et Lat.* pag. 72. Hunc codicem hac sigla Gu. 1. notavimus.

Praeter hos duos Codices ad manus nobis fuerunt collationes codicum *Monacensis*, *Berolinensis*, *Lipsiensis*. Et Monacensis quidem libri iam diu mihi collationem perhumane transmiserat *A. G. Cramerus*, ICtus, in Academia Kiloniensi professor, regi Daniae a consiliis reipublicae. Is quum in libro, quem ediderat, *chronica domestica* inscripto, scripsisset, se velle viris litterarum studiosis quae multa haberet collecta ad multos veterum libros emendandos comiter impertire; ego litteris ad eum datis, qui mihi esset *πατρόθεν συμπατριώτης*, petii, ut mihi ad Grammaticos Latinos quae haberet congesta benigne permitteret. Vir praestantissimus statim respondit summa humanitate ac plura promisit. Quibus promissis sic stetit, ut mihi suam Paulli collationem cum Monacensi libro, additis litteris humanitate plenissimis, transmitteret, quarum exemplum hic ascripsi.

A. G. Cramer S. P. Frid. Lindemanno.

Praeterlapsi sunt quatuor fere menses, ex quo et Tibi, V. Cl. gratulatus sum de humanissimis Tuis ad me litteris, et certiorem Te reddidi de proxime transmittenda Festi Tui varietate lectionis e Cod. Monacensi. Quo promisso, quod nunc tandem exsolvo, etsi non steterim nisi sero; facilem tamen paratamque mihi apud Te fore excusationem putavi, ubi perceperis diu-

tinam hanc procrastinationem ortam esse tum ex stomachi valetudine, quae ex multis abhinc annis me quotidie fere exercitum nimis habet, tum e concatenatis laboribus, qui si illa per horas respirare sinit, concessam moram potius muneri, quam officiis dare iubent. Praeterea nec Codicis illius ea esse videtur indoles, ut aut Te aut me huius morae poenitudo vehementer possit incessere, cum quantum adhuc ex eius usu mihi intellectum est, in plerisque conveniat cum antiquioribus Festi editionibus inprimisque cum Aldina, quacum aliquoties ubi usus venit, contendi. Sed haec Tu me melius iudicabis, cum in his scriptoribus habites, ego tantum peregriner. Praeter hanc collationem, quam summa fidelitate a me factam esse, facile ex eo intelliges, quod vel minutissimam et per se nullius pretii diversitatem enotavi, quod ad Festum attinet nihil habeo, quod labores Tuos admodum iuvare possit. Nam quae schedula adiecta continet, excerpta videlicet pauca de Codice Vindobonensi, ea nec magni pretii sunt et transscripta unius horulae spatio, cum iam in eo essem ut vasa colligerem. Praeterquam autem Monacensem illum et Vindobonensem nullus alius per tot Germaniae et Helvetiae bibliothecas, quas peragravi, Codex Festi sese mihi obtulit.

De Nonio vix est, quod commemorem. Exstat in bibliotheca Academiae Hafniensis eius editio, quae Parisiis 1614, 8. prodiit (Merceriana) olimque *κτῆμα* fuit Lucae Langermanni, deinde Gudii. Prior illam ao. 1645., cum Daventriae esset, contulit cum MS. libro Io. Gerh. Vossii et cum editione Iensoniana Venet. 1476., atque utriusque lectiones accuratissime suo exemplo adiecit. Eas ego cum ante quinque annos Hafniae per aliquot menses degerem, describere meoque libro addere coepi. Sed cum intelligerem, utrisque enotandis tempus non suffecturum, missis Iensonianis mox in solis Vossianis substiti, quas tamen ipsas nisi usque pag. 369., negotiis aliis ac tempore impeditus, absolvere tum non potui, impedientibus bibliothecae illius legibus ut mecum ducerem librum Langermannianum. Quum vero Vossianus ille Codex inter omnes Nonii qui ad notitiam virorum doctorum venerunt, facile fama celebratissimus, a multis olim iam inspectus, et, ni memoria me fallit, post Vossii mortem in bibliothecam Lugdunensem delatus sit, iam vero Tute ipse illius bibliothecae thesauris praesens incubuisti; vix futurum puto, ut meum exemplar Tibi usui esse possit, etiamsi daretur illud ad umbilicum usque perficere, quod futurum existimo proxima aestate, si Deus vitam dederit, qua Hafniam denuo excurrere in animo habeo, ut Upsaliam contendam, cuius urbis bibliothecam nemo dum excussit, licet vix possit dubitari in ea multa exstare, quibus iuvari possint antiquae litterae. Quicquid enim vetustorum librorum ex omni orbe convasarunt Heinsius, Bochartus, Salmasius, Schefferus aliique, quo acceptiores essent reginae Christinae, eorum tantum partem secum traxit illa in Italiam et Vaticanae moriens dedicavit, reliqua in Suecia remansit et Upsaliae. Sed haec extra oleas. Quod si vel sic secus putaveris et nec Vossiani diversitates iam possideas, aut meum exemplum Tibi usui esse posse existimes, uno verbo significa, et quicquid est, illico praestabo. Idem promitterem de duobus tribusve exemplis Festi Noniique typis exscriptis, quibus per tempora in margine adscripsi nomina virorum doctorum, in quorum libris olim legi illorum hunc illumve locum aut emendatum aut illustratum, si aut propter quotidianum usum iis facile carere possem, aut suspicari, in iis esse, quae obtutum tuorum oculorum effugerint, magis, quam mei, in eam rem intentorum. Tu interim, Vir Doctiss., vale ex animo et res Tuas litterariique orbis feliciter age. Plura fortasse his adderem, si domi essem et in suppellectile mea. Ruri enim haec scribo, quo valetudinis caussa dego apud fratrem, qui ex tanto numero unus mihi superest. Iterum vale. Scrib. raptim *Arensboci prope Lubecam* d. XXIII. Iulii cIↄIↄcccXXIII.

Haec ille ad me scripsit. Iam gratiae a me sunt agendae viro praestantissimo, qui senex grandaevus adhuc inter vivos et vitae suae praeclarissime actae praemia capit largissima, quod tanto suo beneficio editionem Festi nostram adiuvare voluit. Ceterum de Codice Monacensi haud iure statuit; nam ad meliores libros accensendus est, quod ex eius lectionibus, in quibus saepe optimis libris consentit, facile apparet. Est autem membraneus, formae quadratae minoris, initio, ut videtur seculi XI. scriptus, laterculis in binas partes divisis, scriptura satis nitida, etsi diversa litterarum magnitudine, aliquot etiam scripturae compendia habet.

Huic codici et aetate et bonitate proxime accedit Berolinensis, pariter membraneus, octonis, seculi, ut videtur tertii decimi, quem et ipse inspexi, et varias eius lectiones habui a Niebuhrio ad oram editionis Paulli Venetae ai 1492. enotatas.

Codex Lipsiensis, quem bibliotheca asservat oppidana, recentissimae est aetatis et Varronis reliquias una continet. Is est chartaceus et formae maximae, sed, ut videtur, a bono atque antiquo libro descriptus. Eius conferendi negotium suscepit *Fridericus Vilelmus Otto*, de quo vide quae dixi in praefatione Tomi primi.

Atque hi codices omnes praeter Gu. 1. ea virtute excellunt, ut, quae veterrimae editiones omnes inde a voce *Incomitiare* usque ad finem libri IX. et quaedam ex libro XI. litterae *M.* loco suo mota et ad finem totius Epitomae reiecta exhibent, ea omnia suo loco et iusto ordine posita habeant. Unus Gu. 1., ut diximus, ista omisit, praeterquam quae ex libro XI. litterae *M.* in editionibus in fine posita sunt, quae in Cod. Gu. 1. suo ordine leguntur non omissa nec alieno loco posita. Vide quae notavimus pag. 79. not. 46. Praeterea in codice Berolinensi peculiaris glossa invenitur, quae neque in codicibus aliis neque in editionibus comparet, ac ne in fragmentis quidem Festi servata est. Cf. quae diximus ad pag. 93. not. 65. et quae de sententia Niebuhrii notavimus ad pag. 518. in commentariis.

Ex editionibus has in auxilium vocavimus. Et primum quidem eam contulimus, quam Ebertus, V. Cl., in lexico bibliographico sub no. 7495. recenset, quae ibi sic est notata: *Sext. Pompeius Festus de verborum significatione. Mediol.* 3. *Non. Aug.* 1471. *fol.* Hanc principem diximus. Eius lectiones dedimus integras. Praeter hanc Scaligeri et Dacerii editiones diligenter, ubi opus esse videretur, contulimus. Ad Festi autem fragmenta praeter Scaligeri et Dacerii editiones contulimus editionem Fulvii Ursini, quam principem ibi diximus, ex qua fragmenta illa atque schedas excudi curavimus; praeterea Antonii Augustini editionem ad manus habuimus, cuius lectiones sigla *Ven.* insignivimus, quae eatenus princeps est, quatenus Antonius Augustinus primus fuit, qui Festi fragmenta, sed ad iustum ordinem alphabeticum disrupta et Paulli glossis intermixta, edidit. In his Ant. Augustini, Scaligeri, et Dacerii editionibus pauca quaedam tanquam Festi (non Paulli) leguntur, quae in Fulvii Ursini editione non inveniuntur. Vide quae in commentariis sub voce *Tame* et ad glossam *Tammodo* diximus. Ea igitur aut ab Ursino neglecta, aut, quum Ursinus Codicem Farnesianum tractaret, iam detrita atque exesa fuerunt. Sunt autem paucissima.

Ad Paulli compendium varietatem lectionis conscripsit *Fridericus Vilelmus Otto* ea ratione, quam in praefatione Tomi primi pag. IV. significavi. Quae ille conscripsit, ea ego omnia diligentissime excussi atque correxi, ita quidem, ut eius orationem nihil mutarem, sed omnes emendationes aut removerem aut examinarem, aut novas de meo adiicerem. Sic nihil me inconsulto mutatum est, et quae sunt mutata, ut a me profecta lectoribus apparebunt. Festi fragmenta ac schedas solus ego recensui. Commentarios virorum doctorum diligenter ipse examinavi, recen-

sui et supplevi, ita ut omnia, quae ibi nulla sigla addita reperiuntur, a me profecta existimanda sint. In qua recensione hoc mihi habebam propositum, id quod supra dixi, ut locos a viris doctis citatos requirerem et diligentius demonstrarem, ubi legerentur; quod quum non ubique factum apparet, sciant lectores, me locum licet diu quaesitum, non reperisse. Addidi praeterea quasdam etymorum rationes a me inventas, quas putabam veras esse; ceterum quae ad rerum Romanarum antiquitates vel a me notata vel ex aliorum scriptorum, recentiorum maxime, commentariis exscripta habebam, interpretamentis singularum glossarum adieci. Quae tamen a me profecta omnia, si ingentem commentariorum molem respicias, perpauca sunt et vix in censum venire possunt. Satis igitur habebo, si lectoribus virorum doctorum ad Festum commentarios recte dispositos et emendate expressos dedisse visus fuero. In quibus commentariis disponendis hoc maxime incommodum accidit et laboriosum, quod quum superiores interpretes omnes, Antonius Augustinus, Scaliger, Dacerius, Gothofredus notas suas ad glossas ex ordine iusto alphabetico positas ascripsissent, omnia in commentariis notata disrumpenda et ad antiquum ordinem, qui nativus est, disponenda atque adornanda fuerunt. Praeterea Dacerius fere semper integras Scaligeri notas ita suis intertexuerat, ut saepe vix internosci possent. Qua de caussa aut Scaligeri notae bis erant describendae, aut Dacerii animadversiones in brevius contrahendae atque alieno ornamento denudandae erant, quod posterius feci, uti par erat. Idem in notis Gothofredi saepe faciundum fuit. Tum in notis Fulvii Ursini fragmento Festi ac schedis subiectis locos scriptorum citatorum raro diligentius monstravi, propterea quod iidem loci fere semper in commentariis recurrunt, ubi ista demonstratio, ut diximus, facta est.

Sic igitur haec nova Paulli ac Festi editio tandem ad umbilicum est perducta. Quae quo utilior esset viris doctis eiusque usus promtior; indices curavi adiiciendos, quorum primus glossas Paulli atque Festi continet primis verbis ita indicatas, ut, quum ordinem alphabeticum iniuria his scriptoribus obtrusum reliquerimus, singulae facile reperiri possent. Praeter hunc tres adiiciuntur indices, ita quidem adornati, ut secundus scriptores a Paullo et Festo citatos et eorum locos qui in notis sunt emendati, contineat, tertius sit rerum et verborum a Paullo, Festo et in commentariis illustratorum, qui antiquitates maxime ostendit; quartus denique Graeca monstret. Ita viris doctis, qui hac nostra editione sunt usuri, optime consultum iri putavimus.

In volumine primo huius Grammaticorum corporis inde a pag. 309. usque ad finem, hoc est in Asperi Iunioris et Phocae opusculis ex errore typographico omnes loci ex poetis citati uncis inclusi sunt. Qui unci plane otiosi manuscriptis schedis a me propterea erant adiecti, ut typothetae ostenderem, quae loca separatim excudenda essent; id quod in prioribus plagulis ubique feceram. Verum nescio quo casu factum est, ut ille hoc signum non amplius intelligeret et plane otiosum et supervacaneum poneret. Hoc lectores etiam monitos volebam. Scripsi in Gymnasio Zittaviensi Idibus Sextil. cIↄIↄcccxxxII.

EXCERPTA EX LIBRIS POMPEII FESTI DE SIGNIFICATIONE VERBORUM.[1]

EPISTOLA PAULI PONTIFICIS AD CAROLUM REGEM.[2]

Divinae[3] largitatis munere, sapientia potentiaque praefulgido Domino Regi Carolo regum sublimissimo Paulus ultimus servulus.

Cupiens aliquid vestris bibliothecis addere, quia ex proprio perparum[4] valeo, necessario ex alieno mutuavi. Sextus[5] denique Pompeius Romanis studiis affatim eruditus, tam sermonum abditorum, quam etiam quarundam causarum origines aperiens, opus suum ad viginti usque[6] prolixa volumina extendit. Ex qua ego prolixitate superflua quaeque et minus necessaria praetergrediens et quaedam abstrusa penitus stilo proprio enucleans, nonnulla[7] ita, ut erant posita, relinquens, hoc[8] vestrae celsitudini legendum compendium[9] obtuli. In cuius serie[10], si tamen lectum ire non dedignabimini[11], quaedam secundum artem, quaedam iuxta etymologiam posita non inconvenienter[12] invenietis, et praecipue civitatis vestrae Romuleae[13], viarum, portarum, montium, locorum tribuumque[14] vocabula diserta reperietis; ritus praeterea gentilium et consuetudines, varias dictiones quoque poetis[15] et historiographis familiares, quas in suis opusculis frequentius posuere. Quod exiguitatis meae munusculum si sagax et subtilissimum vestrum ingenium non usquequaque repulerit, tenuitatem meam vita[16] comite ad potiora excitabit. Vale[17].

1) Sic cod. Gu. 2. M. *Pompeii Festi de interpretatione linguae latinae.* L. *Festi Pompeii vocabulorum liber incipit.* B. Vulg. *Sexti Pompeii Festi de verborum veterum significatione libri XX.* — 2) *Epistola*] *Praefatio* Gu. 1. Omittunt hanc epistolam L. B. — 3) *Divinae*] om. Gu. 1. — 4) *perparum*] *parum* Gu. 1. S. — 5) *Sextus*] Sic Gu. 2. M. Vulg. *Festus.* — 6) *prolixa*] *ad prolixa* Gu. 1. — 7) *nonnulla*] om. Gu. 1. — 8) *hoc*] Sic Gu. 1. Vulg. *haec.* Sed illud est aptius. — 9) *compendium*] *compendio* Gu. 1. S. — 10) *serie*] *rei* Gu. 1. — 11) *dedignabimini*] *dignabimini* Gu. 1. — 12) *posita non inconvenienter*] Sic Gu. 2. Vulg. *non inconv. pos.* — 13) *Romuleae*] *Romule* Gu. 1. — 14) *tribuumque*] *que* om. Gu. 1. — 15) *poetis*] *poematis* M. — 16) *vita*] *vitae* M. — 17) *Vale*] om. Gu. 1., qui habet *Explicit praefatio festi pompei.* Cum Gu. 1. consentit Gu. 2.

PAULI DIACONI EXCERPTA EX LIBRIS POMPEII FESTI DE SIGNIFICATIONE VERBORUM.

LIBER I.

Augustus locus sanctus ab avium gestu, id est quia [1] ab avibus significatus est, sic dictus; sive ab avium gustatu, quia aves [2] pastae id ratum fecerunt [3].

Augur ab avibus gerendoque dictus, quia per eum avium gestus edicitur; sive ab avium garritu, unde et [4] augurium.

Auspicium [5] ab ave spicienda [6]. Nam quod nos cum praepositione dicimus *aspicio*, apud veteres [7] sine [8] praepositione *spicio* [9] dicebatur.

Affectare est pronum animum ad faciendum [10] habere.

Armillum vas vinarium in sacris dictum, quod armo, id est humero [11] deportetur.

Aerarii tribuni a tribuendo [12] aere sunt appellati.

Aerarium [13] sane populus Romanus in aede Saturni habuit.

Apricum locum a sole apertum a Graeco vocabulo *φρίκης* [14] appellamus [15], quasi *ἄνευ φρίκης* [16], id est sine horrore, videlicet frigoris, unde etiam putatur et Africa [17] appellari.

1) *quia*] *qui* M. — 2) *aves*] om. L. — 3) *fecerunt*] Sic L. B. Gu. 1. 2. Vulg. *fecere*. — 4) *et*] om. L. — 5) *Auspicium*] *dicitur* add. L. — 6) *spicienda*] *specienda* L. B. Gu. 1. — 7) *aspicio, apud veteres*] om. Gu. 1. — 8) *sine praep.*] Vulgo *sine a praep.*, sed praepositio *a* abest a L. M. Gu. 1. pr. — 9) *spicio*] *specio* L. B. pr. — 10) *faciendum*] obliteratum est in B. — 11) *id est humero*] *id est* om. Gu. 1., qui habet *a hum.* — 12) *tribuni a tribuendo*] M. corrupte *tributa tribuendo*. — 13) *Aerarium*] *vel aera* add. B. — 14) *φρίκης*] M. Gu. 2. *fricis*; B. *φρίκος*. Genitivum illum ne quis elegantiorem putet esse, quam qui Grammatico tribuatur, confer. eiusdem Pauli haec verba: *Amicitiae vocabulum ab amore deducitur.* Gu. 1. *ἀφρίκη*. Om. L. pr. — 15) *appellamus*] om. L. *appellatur* B. M. Gu. 1. 2. — 16) *ἄνευ φρίκης*] *africis* M. Gu. 2. *ἀφρίκης* Gu. 1. Scal. D. *aphrici* L. *ἄφικος* B. Om. pr. — 17) *et Africa*] Sic B. M. Gu. 1. 2. *et Aphr. appellata* L. Vulg. om. *et*. Sed frequens est *etiam et*, quod significat *auch sogar*. Vide exempla ap. Vechner. Hellenolex. I, 6, 1. A codicum igitur auctoritate res pendet, quam h. l. secuti sumus. — 18) *trahant*] In cod. B. corrupte haec adduntur: *melius, quia sine munere id est fructu, id est sine et munus.* Videntur autem eadem ex Isidoro l. XIV. cap. 8. assuta esse. — 19) *Affecta*] *Affectata* L. B. pr. *Adsectata* S. et D. — 20) *appellatur*] *appellatum est* L. — 21) *Aquaelicium*] Sic B. Gu. 1. 2. S. *Aquaelitium* vulg. Recte per *c* scribitur. Est enim ab eliciendo ductum. *Aquilicium* L. — 22) *dicitur*] *vocatur* B. Om. L. — 23) *elicitur*] om. L. — 24) *manali*] *manuali* L. Sed vide ips. Fest. s. v. *Manalem lapidem* etc. — 25) *iuvamur*] *iuvamus* L. Gu. 1. — *vivamus* B. Cfr. Doederlein Latein. Syn. T. I. p. 11. — 26) *tam*] *ideo* L. Om. S., qui pro *igni* habet *ignis*. — 27) *super-*

Amoena dicta sunt loca, quae ad se amanda alliciant, id est trahant [18].

Affecta [19] femina vel in bonam partem dicitur, velut honorata, vel in malam, quasi ad extremum periculum adducta.

Aquagium quasi aquae agium, id est aquaeductus appellatur [20].

Aquaelicium [21] dicitur [22], quum aqua pluvialis remediis quibusdam elicitur [23], ut quondam, si creditur, manali [21] lapide in urbem ducto.

Aqua dicitur, a qua iuvamur [25].

Aqua et igni tam [26] interdici solet damnatis, quam accipiunt nuptae, videlicet quia hae duae res humanam vitam maxime continent. Itaque funus prosecuti redeuntes ignem supergradiebantur [27] aqua aspersi; quod purgationis genus [28] vocabant suffitionem.

Axitiosi factiosi dicebantur, quum plures una quid agerent facerentque. *Axit* autem dixisse antiquos [29] pro *egerit*, manifestum est; unde *axites* [30] mulieres sive viri [31] dicebantur una agentes.

Alites volatu auspicia facientes istae putabantur: buteo [32], sanqualis [33], immusulus [34], aquila, volturius [35].

Axamenta dicebantur carmina Saliaria [36], quae a Saliis [37] sacerdotibus cantabantur [38], in universos homines composita. Nam in deos singulos versus ficti [39] a nominibus eorum appellabantur, ut Ianualii [40], Iunonii [41], Minervii.

Axis, quem Graeci ἄξονα [42] dicunt [43], plures habet significationes. Nam et pars coeli septentrionalis, et stipes teres, circa quem rota vertitur [44], et tabula sectilis axis appellatur [45].

Ador farris genus, edor quondam appellatum ab edendo [46], vel quod aduratur, ut fiat tostum, unde in sacrificio mola salsa efficitur.

Adoriam [47] laudem sive gloriam dicebant, quia gloriosum eum [48] putabant esse [49], qui farris copia abundaret.

Arma proprie dicuntur ab armis [50], id est humeris [51] dependentia, ut scutum, gladius, pugio, sica et ea [52], quibus procul proeliamur [53], tela [54].

gradiebantur] Sic L. M. Vulg. *supergrediebantur*. — 28) *purgat. gen.*] *genus purg.* L. — 29) *dixisse antiquos*] Sic Gu. 1. 2. Vulg. *antiquos dixisse*. — 30) *axites*] Sic scribendum censuit Scal. Gu. 2. *axtes*. Vulg. *axies*. — 31) *viri*] Sic scripsi de coniectura Scal. pro vulg. *dii*, quod nihil est. Om. v. pr. — 32) *buteo*] *buteon* L. *buteos* B. pr. — 33) *sanqualis*] *anquasis* pr. In B. *anqua* est obliteratum. Om. L. Vid. Fest. ipsum s. v. *Sanqualis*. — 34) *immusulus*] Sic Gu. 2. *inmusulus* B. M. Gu. 1. Vulg. *immusculus*. — 35) *volturius*] Sic L. Vulg. *vulturius*, pro quo M. habet *vulturus*. — 36) *Saliaria*] *Salaria* B. Gu. 1. 2. pr. — 37) *Saliis*] om. M. — 38) *cantabantur*] Sic videtur esse legendum, quum vulgo legatur *componebantur*, sed hoc ipsum sequitur. — 39) *ficti*] *fieri* L. *facti* M. S. — 40) *Ianualii*] *Ianuali* L. *Ianulii* B. *Ianuli* M. Gu. 1. 2. — 41) *Iunonii*] *Iunoni* L. — 42) ἄξονα] Sic M. Gu. 1. *axona* Gu. 2. τὸ ἄξιον B. — 43) *dicunt*] Sic M. Gu. 1. 2. Vulg. *vocant*. — 44) *vertitur*] *volvitur vel vertitur* L. — 45) *appellatur*] *dicitur* L. — 46) *edendo*] *edicendo* Gu. 1. — 47) *Adoriam*] *Adoream* L. B. Gu. 1. pr. S. Sed praestat altera forma, quod substantivum est abstractum, quae omnia in *ia* solent efformsri, ut apud Graecos. Analogiae igitur ratio suadet formam in *ia*. Sic *adoriae* scribitur in codice, ex quo Frontonis Epp. editae sunt. Vide ed. Niebuhr. p. 168. — 48) *gloriosum eum*] *eum glor.* Gu. 1. — 49) *putabant esse*] *esse dicebant* L. — 50) *propr. dicuntur ab armis*] *dic. ab armis propr.* L. — 51) *humeris*] *ab hum.* B. — 52) *et*] Sic L. S. Vulg. *ut*. — 53) *proeliamur*] *proeliantur* L. *praeliatur* Gu. 1. *prope prueliatur: sicut tela, quibus procul.* S. — 54) *tela*] *dicuntur* add. B.

Armita [1] dicebatur virgo sacrificans, cui lacinia togae in humerum erat reiecta [2]. Legibus etiam Laurentum sanctum est [3], ne [4] pomum ex alieno legatur in armum, id est, quod humeri onus sit.

Armentum id genus pecoris appellatur, quod est idoneum ad opus armorum. Invenies tamen feminine [5] *armentas* apud Ennium positum [6].

Album, quod nos dicimus, a Graeco, quod est [7] ἀλφός [8], appellatum [9]. Sabini tamen *alpum* dixerunt. Unde credi potest, nomen Alpium a candore nivium vocitatum [10].

Albesia [11] scuta dicebantur, quibus Albenses, qui sunt Marsi generis, usi sunt. Haec eadem decumana vocabantur [12], quod essent amplissima, ut decumani fluctus.

Albiona [13] ager trans Tiberim dicitur [14] a luco Albionarum [15], quo loco [16] bos alba sacrificabatur [17].

Albula Tiberis [18] fluvius dictus est [19] ab albo aquae colore; Tiberis autem a [20] Tiberino Silvio rege Albanorum, quod is in eo exstinctus est.

Ambo ex Graeco ductum [21] videtur, quod illi ἄμφω [22] dicunt.

Ambactus apud Ennium lingua Gallica servus appellatur [23].

Am praepositio loquelaris significat circum, unde supra servus ambactus, id est circumactus dicitur.

Ambest ita tertiae personae verbum est, ut nullam aliam habeat [24] declinationem.

1) *Armita*] Sic L. M. Gu. 1. 2. Vulg. *Armata*, quod eo videtur esse ortum, quod hoc vocab. ab armando duxerunt, h. e. *armis instruere*. Sed derivandum est ab *armo*, i. e. *humero*, ut ipse Fest. explicat. Est igitur *armita virgo* armum obtecta lacinia togae, veluti verbum esset *armire*, id est *armum obtegere*. — 2) *reiecta*] *relecta* M. — 3) *sanctum est*] Sic M. Gu. 2. *sancitum*. Vulg. Videatur Struve über die Lat. Decl. und Coni. p. 294. s. v. *Sancio*. *etiam sancitum erat Laurenti* L. — 4) *ne*] *nec* pr. — 5) *feminine*] Sic L. M. Gu. 1. 2. S. *feminino genere* B. Vulg. *feminei generis*. — 6) *positum*] om. L. — 7) *quod est*] om. B. — 8) ἀλφός] Sic B. Recte. Vid. Lex. Graec. s. v. ἀλφός. Vulg. ἄλφον. Gu. 2. *alphon*. M. *alfon*. L. *alphi*. Om. pr. — 9) *appellatum*] *est* praeponitur vulgo, quod om. B. Gu. 1. 2. — 10) *vocitatum*] *vocatum* L. — 11) *Albesia*] *Albensia* L. — 12) *vocabantur*] *vocabant* L. *vocabatur* pr. — 13) *Albiona*] *Albionata* L. — 14) *dicitur*] om. B. — 15) *Albionarum*] *Albionara* B. Gu. 1. pr. — 16) *quo loco*] *in quo loco* L. Gu. 1. pr. *in quo luco* B. — 17) *sacrificabatur*] *immolabatur* L. — 18) *Tiberis*] Sic omnes codd. Vulg. *Tyberis*. — 19) *dictus est*] Sic Gu. 2. *est dictus* B. Vulg. om. *est*. — 20) *a Tiberino*] om. *a* L., qui habet *Tiberio*, ut M. Gu. 1. 2. S. At vide infra s. v. *Tiberis*. *Tybero* B. — 21) *ductum*] *dictum* L. B. M. S. — 22) ἄμφω] *ampho* Gu. 2. *dicitur* ἄμφω Gu. 1. — 23) *appellatur*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. *dicitur* Vulg. Pro *servus* S. habet *actus*. — 24) *aliam habeat*] *habeat al.* L. pr. — 25) *Ambegni*] Sic B. M. Gu. 1. pr. S. *Ambiegni* L. Vulg. *Ambigni*. — 26) *vervex*] *verbex* Gu. 2. *verbix* M. — 27) *appellabatur*] *appellatur* Gu. 1. — 28) *Abemito*] *Abemitto* B. — 29) *auferto*] *aufero* L. — 30) *antiqui dicebant*] *antiqui enim dicebant*. L. — 31) *Ambarvales*] Om. hunc articulum M. In S. addita deinde est glossa: *Ambarvalis hostia est, quae rei divinae causa circum arva ducitur ab iis, qui pro frugibus faciunt*. — 32) *dicebantur*] Sic Gu. 2. Vulg. *appellabantur*. — 33) *Amburbiales*] *Ambarvales* M. — 34) *ducebantur*] *dicebantur* (sic) M. *dicebantur* Gu. 2. — 35) *circuitus*] *circumitus* Gu. 2. — 36) *in latitudinem*] *altitudine* B. — 37) *in longitudinem*] Apposui his lacunae signum, nam excidisse videtur modus longitudinis, nisi forte putes hunc esse verborum *idem quod aedificium* sensum: *in longitudinem eadem est mensura, qua aedificium*. — 38) *idem*] *id* Gu. 1. — 39) *sed et*] om. L. *et* om. B. Gu. 1. — 40) *appellatur*] Vulg. additur *a circumeundo supplicandoque*, quam interpretationem om. B. Gu. 1. 2. pr. S. tractam scil. ab eodem articulo, qui infra legitur post voc. *Antes*. — 41) *Adolescit*] *Adulescit* B. — 42) *Graeco*] *vocabulo* add. L. — 43) ἀλίζω] Sic scripsi secutus Gu. 2. cod. opt., in quo est *aliso*; prope abest B. οαλιζω, unde M. *oaliso*. Gu. 2. ἀλδαίνω, sed in hoc cod. Graecae voces a recentiore manu additae sunt. Unice verum esse arbitror ἁλίζω, quod est colligere, cumulare, cui signifi-

Ambegni [25] bos et vervex [26] appellabantur, quum ad eorum utraque latera agni in sacrificium ducebantur.

Ambidens sive bidens ovis appellabatur [27], quae superioribus et inferioribus est dentibus.

Abemito [28] significat demito vel auferto [29]. *Emere* enim antiqui [30] dicebant pro accipere.

Ambarvales [31] hostiae dicebantur [32], quae pro arvis a duobus fratribus sacrificabantur.

Amburbiales [33] hostiae appellabantur, quae circum terminos urbis Romae ducebantur [34].

Ambustus circumustus.

Ambitus proprie dicitur circuitus [35] aedificiorum patens in latitudinem [36] pedes duos et semissem, in longitudinem **** [37] idem [38] quod aedificium, sed et [39] eodem vocabulo crimen avaritiae vel affectati honoris appellatur [40].

Adolescit [41] a Graeco [42] *ἀλίζω* [43], id est accresco [44] venit. Unde fiunt adultus, adolescens [45], altare [46]; eo, quod in illo [47] ignis excrescit [48] et exoletus [49], qui excessit olescendi, id est crescendi [50] modum et inolevit, id est crevit.

Altaria sunt, in quibus igne [51] adoletur.

Aliuta antiqui dicebant pro aliter [52], ex Graeco id *ἀλλοίως* [53] transferentes. Hinc est illud in legibus Numae Pompilii [54]: Si quisquam [55] aliuta faxit, ipsos [56] Iovis [57] sacer esto.

Astu apud poetas astutiam significat, cuius origo ex Graeco, ab [58] oppido, *ἄστυ* [59], deducitur, in quo qui conversati [60] assidue sint, cauti atque acuti esse [61] videantur [62].

cationi convenit verbum glossatoris *acresco*. *Oaliso* venit a repetita littera o in verbo *Graeco*. Referenda est enim glossa ad simplex verbum *olescere*, quae est forma, ut ita dicam, transformata in compositione propter suaviorem sonum ex *alesco*, cuius simile videbatur Grammatico *ἀλίζω*. Compositam vocem posuit in lemmate, quod simplex non erat in usu. Alias derivationes vide ap. Forcellini in Lex. Lat. Vulg. habet *ἀδολέσχω*. S. *ἀδολεσχῶ*. Ut nos scripsimus, sic esse in libro aliquo testatur Scal. — 44) *accresco*] *cresco* L. — 45) *adolescens*] *adulescens* B. M. Gu. 2. pr. *et adul.* L. — 46) *altare*] Coniunxi hoc, secutus Scal., cum prioribus, quod una tantum videtur esse glossa, quae ad eandem familiam pertinet. — 47) *in illo*] *in eo* L. Gu. 1. — 48) *excrescit*] *i. et* B. nihil aliud habet. — 49) *exoletus*] *est* add. pr. — 50) *id est crescendi*] om. L. B. Gu. 1. pr. At hoc ipso explicatur verbum obsoletum olescendi. — 51) *igne*] Sic B. Gu. 1. 2. pr. Vulg. *ignis*, quod ex eo est ortum, quod *adoletur* putarunt significare *alitur*. At vide Forcellini Thesaur. L. L. s. v. *Adolere.* — 52) *dicebant pro aliter*] *pro aliter dicebant* B. *alter* L. — 53) *ex Graeco id ἀλλοίως transferentes.*] Sic scripsi ex Gu. 1., cui codici addicunt alii, quanquam corrupte verba proferentes. Primus est L., qui habet *ex Graeco ad alios transferentes*, quod est *ex Graeco id ἀλλοίως* Reuchliniana pronuntiatione, quasi scribatur *ἀλλίως*. Huic proximus est M., qui corrupte habet *atlalius*, id est *ad alios*, h. e. *id ἀλλοίως*. Gu. 2. a prima manu *ex gre ad allios*, cui additum est a recentiore manu iisdem signis, quae addidi: ex *gre* co *a* (sic) *allios*. Punctum significat *ad* esse corruptum, scil. ex *id.* — B. *ex Graeco αλλως transf.* Om. Graeca edit. pr. *Ἀλλοίως* autem ab *ἀλλοῖος* derivatum, quamvis non reperiatur a Graecis usurpatum, tamen Grammaticis concedere possumus. Videmus autem omnino Grammaticos, veluti Festum, multis Graecis vocibus uti, quae nemo facile Graecus usurpaverit, ut videbimus s. v. *Aegrum.* Vulg. est *ἄλλη vel ἄλλως transf.* — 54) *Pompilii*] *Pompili* Gu. 2. optimus cod. Sed vix notum illud praeceptum de talibus Genitivis ad grammaticos pertineat. Est potius ex longiore littera *i*, quae pro *ii* ponitur, orta brevior forma. — 55) *quisquam*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. *quis* Vulg. — 56) *ipsos*] Sic M. Gu. 1. pr. S. *ipsus.* Gu. 2. — 57) *Iovis sacer*] Sic distincte scriptum est in Gu. 1. Ceteri mire *Iovis acer*, quod ipsum significat, scriptum fuisse *Iovis sacer.* Fefellit scribas structura verborum. At vide Cic. Legg. II, 18, 45. *Terra — ut focus domiciliorum, sacra deorum omnium est.* Cfr. Plato Legg. p. 206. *γῆ μὲν οὖν ἑστία τε οἰκήσεως, ἱερὰ πᾶσα πάντων θεῶν.* Cic. in Verr. I, 18, 48. *insula* (Delus) *deorum* (Apollinis Dianaeque) *sacra putatur.* — 58) *ab*] om. L. B. Gu. 1. pr. — 59) *ἄστυ*] *asti* Gu. 2. *astu* M. Om. pr., in qua ad margin. aliquis hanc vocem adscripsit. — 60) *conversati*] *versati* L. — 61) *esse*] om. Gu. 1. — 62) *videantur*] *videntur* L.

Algeo ex Graeco ἀλγῶ [1] ducitur [2], id est doleo, ut sit frigus [3] dolor quidam membrorum rigore collectus [4].

Ast significat at, sed, autem [5].

Anus dicta est [6] ab annorum multitudine, quoniam [7] antiqui non geminabant consonantes; vel quod iam sit sine sensu, quod Graece [8] dicitur ἄνους [9].

Amussim regulariter; tractum a regula, ad quam aliquid exaequatur [10], quae amussis dicitur. Quidam *amussim* [11] esse dicunt [12] non tacite [13], quod muttire [14] interdum dicitur loqui.

Adgrettus [15] apud Ennium *adgrettus fari* [16], pro eo, quod est adgressus [17] ponitur, quod verbum [18] venit a Graeco ἐγείρω, surgo [19].

Agnus [20] ex Graeco ἀμνός [21] deducitur, quod nomen apud maiores communis [22] erat generis, sicut et lupus, quod venit ex Graeco λύκος [23].

Aegrum ex Graeco ἀνιγρόν [24] appellatur; a quibusdam putatur a voce doloris appellari, quod est αἴ [25].

Annus ex Graeco venit, quem illi ἔννον [26] dicunt, et quod nos trimum [27], illi dicunt τρίεννον [28].

Alterum Sinnius ait idem significare, quod apud Graecos ἕτερον [29]. Quidam vero ex utroque esse compositum [30] ἄλλος et ἕτερος [31].

Alter [32] et pro non bono ponitur [33], ut in auguriis altera quum [34] appellatur avis [35], quae utique prospera non est. Sic aliter [36] interdum pro adverso dicitur et malo.

Alliesis [37] dies [38] dicebatur [39] apud Romanos obscoenissimi ominis, ab Allia fluvio scilicet [40], ubi Romanus fusus a Gallis [41] exercitus est.

Adlecti dicebantur apud Romanos, qui propter inopiam ex equestri ordine in senatorum sunt nu-

1) ἀλγῶ] *algo* Gu. 2. ἀλγέω Gu. 1. Om. pr. — 2) *ducitur*] Sic M. Gu. 2. Vulg. *dicitur.* — 3) *frigus*] Doederlein latein. Synom. T. III. p. 90. emendare vult *algor* pro *frigus*, vel utrumque coniungi *algor, frigus.* Qua emendatione non opus est, si recte intelligo Festum. Ex verbo enim *algeo* repetenda est notio frigoris, quasi dixisset *ut sit is algor dolor.* Verte *so dass diese Kälte ein Schmerz sein soll* etc. — 4) *collectus*] Sic scribit idem Doederlein. Sed iam edit. Scal. hoc habet. Vulg. *coniectus*, quod nihil est. — 5) *at, sed, autem*] *sed, at, autem* B. *sed, vel, autem* M. S. — 6) *dicta est*] om. L. — 7) *quoniam*] *quomodo* Gu. 1., in quo supra v. est: alii *qm.* Habent sic B. Gu. 2. *cum* pr. *qm* autem est *quoniam.* — 8) *quod Graece*] Sic L. B. M. Gu. 2. pr. *qui.* Vulg. — 9) ἄνους] Sic ascripsit aliquis ad marg. edit. pr. Prope abest Gu. 1., in quo est ἄνοις *Graece dicitur.* *nus* Gu. 2. Om. pr. L. — 10) *exaequatur*] *exaequetur* pr. — 11) *amussim*] om. L. — 12) *esse dicunt*] *dicunt esse* B. — 13) *tacite*] *tacere* L. B. pr. *tacitate* M. Orta est depravatio ex seq. infin. — 14) *muttire*] Sic Gu. 2. Vulg. *mutire.* Pro *quod* habet B. *sed.* — 15) *Adgrettus*] Sic L. S. Recte. Nam non dicitur *Adgresus*, sed *Adgressus.* *Adgraetus* B. *Adgreptus* Gu. 1. Vulg. *Adgretus.* — 16) *adgrettus*] Sic L. S. *adgraetus* B. — 17) *adgressus*] Sic B. Gu. 2. Vulg. *aggressus.* — 18) *verbum*] *verbo* L. — 19) *a Graeco ἐγείρω, surgo*] Sic B. *a Graeco surgo* L. M. Gu. 2. Om. vv. ἐγείρω, *surgo* vulgata. S. *a Gr.* ἄγρει. — 20) *Agnus*] *Agnos* Gu. 2. — 21) ἀμνός] *amnos* Gu. 2. *deducitur* ἀμρος B., cuius margo habet ἀγω. Om. pr. — 22) *communis*] *omnis* pr. — 23) λύκος] *lycos* Gu. 2. Om. L. pr. — 24) ἀνιγρόν] Sic M. S. *anigron* Gu. 2. *amigron* L. ἄνυγρος Gu. 1. ἀνυρον B. Om. pr. Vulg. αἰάζω. Dicitur ἀνιγρός a serioribus Graecis poetis pro ἀνιαρός. — 25) αἴ] Sic L. M. Gu. 1. 2. latinis litteris. *ai ai* B. om. pr. Vulg. αἴ αἴ. — 26) ἔννον] Sic B. M. S. *ennon* Gu. 2. ἕνον Gu. 1. Vulg. ἐνιαυτόν, quod L. habet supra lineam, quum a contextis absit. — 27) *trimum*] Sic L. Gu. 1. 2. pr. *nostri annum* M. Vulg. *triennium.* — 28) τρίεννον] Sic M. S. τριενον Gu. 1. *triennon* B. *triennum* Gu. 2. Om. L. pr. Vulg. τρίετες. — 29) ἕτερον] *eteron* Gu. 2. ἕτερος Gu. 1. — 30) *esse comp.*] *esse* om. B. — 31) ἄλλος *et* ἕτερος] *allos et eteros* Gu. 2. *alos* B. *illos* L. Edit. pr. habet copulam omissis Graccis verbis. —

mero [42] assumpti. Nam patres dicuntur, qui sunt patricii generis; conscripti [43], qui in senatu sunt [44] scriptis annotati [45].

Altercatio iurgatio [46].

Alternatio per vices successio [47].

Alma sancta sive pulchra, vel alens, ab alendo scilicet.

Altellus Romulus dicebatur, quasi altus in tellure, vel quod tellurem suam aleret; vel quod a Tatio Sabinorum rege postulatus sit in colloquio [48] pacis et alternis vicibus audierit locutusque [49] fuerit. Sicut enim fit diminutive [50] a macro macellus [51], a vafro vafellus [52], ita ab alterno altellus.

Altus [53] ab alendo dictus, alias [54] ab altitudine altus [55].

Alterplicem duplicem [56].

Altertra [57] alterutra [58].

Alcedo dicebatur ab antiquis pro alcyone [59], ut [60] pro Ganymede [61] Catamitus, pro Nilo Melo [62].

Alica [63] dicitur quod alit corpus [64].

Alicariae [65] meretrices appellabantur [66] in Campania solitae ante pistrina [67] alicariorum versari quaestus gratia, sicut hae, quae ante stabula sedebant, dicebantur prostibula [68].

Almities [69] habitus almarum rerum.

Allus [70] pollex scandens proximum digitum [71], quod velut insiluisse in alium videatur, quod Graece *ἄλλεσθαι* dicitur [72].

Alveolum [73] tabula aleatoria [74].

Alvus venter feminae ab alendo dicta [75]. Est enim generis feminini.

32) *Alter*] *Aliter* Gu. 1. pr. Oblit. in B. — 33) *ponitur*] *dicitur* L. — 34) *quum*] om. L. — 35) *avis*] om. L. — 36) *aliter*] *alter* M. S. — 37) *Alliesis*] Sic M. Gu. 2. pr. *Alliexis* B. *Alliensis* Vulg. — 38) *dies*] om. B. — 39) *dicebatur*] *dicebantur* B. pr. — 40) *scilicet*] *idem* L. — 41) *fusus a Gallis*] *a Gallis fusus* L. *profusus* pr. — 42) *sunt numero assumpti*] *adsumpti* Gu. 2. *numero sunt ass.* L. — 43) *conscripti*] *sunt* add. L. — 44) *qui in senatu sunt*] *qui sunt in sen.* L. *cum sunt* Gu. 1. — 45) *scriptis annotati*] *literis adn.* L. — 46) *iurgatio*] *obiurgatio* B. — 47) *successio*] *unde alternatim* add. L. — 48) *colloquio*] *colloquia* B. — 49) *locutusque*] *allocutusque* pr. — 50) *diminutive*] om. L. — 51) *macro macellus*] *Marco Marcellus* L. B. Gu. 1. — 52) *vafellus*] *fafra vafravellus* L. — 53) *Altus*] *Altensis* B., quo in cod. praeponitur *Alterplicem.* L. *Altensis ab alendo dictus vel ab altitudine.* — 54) *alias*] *vel* L. — 55) *altus*] om. L. S. — 56) *duplicem*] *id est dupl.* L. — 57) *Altertra*] Sic cod. quidam Steph. L. B. *Alterna. Altera* Gu. 1. Vulg. *Alterta.* Sed est forma syncopata ex *Alterutra*, unde littera *r* excidere non potest. — 58) *alterutra*] *id est alt.* L. — 59) *alcyone*] Sic B. M. Gu. 1. *alcrone* Gu. 2. Vulg. *halcyone.* — 60) *ut*] *melus pro nilo* add. B. h. l. — 61) *Ganymede*] *Ganimede* B. Gu. 2. *ut pergunt moderata mitus* corrupte Gu. 1. — 62) *pro Nilo Melo*] om. L. — 63) *Alica*] *genus farris* add. L. — 64) *dicitur quod alit corpus*] *quod alit corpus dicitur* B. — 65) *Alicariae*] *Aliceriae* B. — 66) *appellabantur*] *dicebantur* M. — 67) *pistrina*] *pistrinum* L. B. — 68) *prostibula*] *prostibulae* L. M. S. *prostibulare* pr. Additur vulg. *alicariae*, quod om. omnes codd. et S. Tum sequitur vulgo *Alienatus*, *qui alienus factus est*, sed omnes codd. collocant post v. *Armillas.* — 69) *Almities*] *Almicies* L. — 70) *Allus*] *Allux* L. — 71) *scandens proximum dig.*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. S. *prox. dig. scand.* Vulg. — 72) *ἄλλεσθαι dicitur*] Sic Gu. 1. *allesthe dic.* Gu. 2. *dicitur allesthe* Vulg. et M. In L. hic ordo fuit *allesthe dic.*, sed om. Graec. voc. — 73) *Alveolum*] *Alviolum* Gu. 2. — 74) *aleat.*] *alveat.* Gu. 1. — 75) *dicta. Est enim generis feminini*] Sic B. Gu. 2. pr. *est enim feminini gen.* L. M. Gu. 1. Fortasse est glossema, quum dixisset Festus *dicta*, relatum *ad alvus.* Nolui tamen removere, quum sit in omnibus codd. Ab editt. abest.

Angor id [1] est animi vel corporis cruciatus, proprie a Graeco ἀγχόνη [2], id est [3] strangulatione dictus; unde et faucium dolor [4] angina [5] vocatur. Plautus [6]:

Vellem me in anginam [7] verti, quo huic aniculae fauces praeoccuparem [8].

Antigerio [9] antiqui pro valde dixerunt.
Antehac [10] Terentius pro antea posuit.
Anteurbana praedia urbi propinqua.
Antarium bellum, quod ante urbem geritur.
Axare [11] nominare.
Antipagmenta [12] valvarum ornamenta, quae antis [13] appinguntur [14], id est affiguntur [15].
Antefixa, quae ex opere figulino [16] tectis affiguntur sub stillicidio.
Aureax [17] auriga. *Aureas* enim dicebatur frenum, quod ad aures equorum religabatur [18]; *orias* [19], quo ora coercebantur.

Auritus a magnis auribus dicitur, ut sunt asinorum et leporum [20], alias ab audiendi facultate.

Aurum dictum, quia [21] praecipue custoditur. Graece enim ὠρεῖν custodire dicitur [22], unde et thesaurus [23]. Hippocrates medicus de nomine inventoris id dictum [24] putat, quem vocitatum ait Aurion [25]. Quidam ad similitudinem aurorae coloris nomen traxisse existimant [26]; nonnulli, quia mentes hominum avertat; alii a Sabinis translatum putant, quod illi ausum [27] dicebant.

Aurichalcum vel orichalcum [28] quidam putant compositum [29] ex [30] aere et auro, sive quod colorem habeat aureum [31]. Orichalcum [32] sane [33] dicitur, quia [34] in montuosis locis invenitur. Mons etenim [35] Graece ὄρος [36] appellatur.

Acus dicitur, qua sarcinatrix vel etiam ornatrix utitur. Paleae etiam quaedam de frumento [37] acus dicuntur [38]; exercitus quoque instructio, quod ea pars militum vehementissima est ad hostem

1) *id*] om. L. B. M. S. — 2) ἀγχόνη] Sic haud dubie est scribendum. ἄγχη B. ἄγχειν Gu. 1. *anchedellin* Gu. 2. *anchedellen* M. Vide de his corruptelis Scalig. Om. L. — 3) *id est*] om. Gu. 1. — 4) *fauc. dol.*] *dolor fauc.* Gu. 1. — 5) *angina*] *anguina* L. — 6) *Plautus*] om. hoc totum a vv. *Plautus: — — praeocc.* M. Gu. 1. — 7) *anginam*] *anguinam* pr. — 8) *praeoccuparem*] *praeoccuparent* L. — 9) *Antigerio*] Hic ordo est in L. Gu. 1. 2. Tum sequitur *Anacreon.* Vulg. *Angor*, *Anacreon* et *Antigerio* post *Antefixa.* — 10) *Antehac*] Sic scripsi de coniectura, quum in omnibus codd. aut corrupte aut clare scriptum reperiatur *Anacreon*, quod nihil est. Vitium est inveteratum, ortum ex compendio scripturae *añac* h. e. *antehac.* S. *Ante* scripsit. — 11) *Axare*] om. hunc articulum M. — 12) *Antipagmenta*] Sic Gu. 1. 2. S. *antipacmenta* M. *antipegmenta* L. *antipagamenta* pr. Vulg. *antepagamenta.* — 13) *antis*] *antehis* Gu. 2. *anteis* M. Gu. 1. *anteriis* B. *anteris* pr. — 14) *appinguntur*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. *appanguntur* Vulg. — 15) *affiguntur*] *affinguntur* B. pr. — 16) *figulino*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. Vulg. *figlino.* — 17) *Aureax*] *Aureas* L. — 18) *religabatur*] *religabantur* B. — 19) *orias*] Sic L., qui praeponit *ut*, B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *oreas* Vulg. — 20) *leporum*] *luporum vel aliter* B. — 21) *quia*] *quod* L. — 22) *Graece enim ὠρεῖν custodire dicitur*] *a Graeco venit, ὠρεῖν enim* B. ὤρα ωρειν *enim* Gu. 1. *orin*, M. Gu. 2. Om. L. pr. ὠρεῖν. Vulg. ὠρέειν. — 23) *thesaurus*] Vulg. *thesaurum*, quod vix verum esse poterit. Videtur accusativus ab eo esse, qui coniunxit *thesaurum Hippocrates medicus.* — 24) *id dictum*] *additum* L. *indictum* Gu. 2. — 25) *vocitatum ait Aurion*] om. pr. *Aureion* L. *eor* Gu. 1. *Aurion* B. Gu. 2. M. Vulg. *Auryon.* *Aurum* S., qui habet etiam *a similitudine.* — 26) *existimant*] om. B. — 27) *ausum*] Sic B. S. *aufum.* Vulg. — 28) *vel orichalc.*] *et oricalc.* Gu. 1. — 29) *compositum*] *esse* add. B. *componi* L. Gu. 1. — 30) *ex*] *ab* L. B. Gu. 1. pr. — 31) *aureum*] *aurum* pr. — 32) *Orichalcum*] *Oricalc.* Gu. 1. *aurichalcum* M. *Oricalchum* S., qui item hoc habet supra. — 33) *sane*] om. B. *sane ab eo dic.* L. — 34) *quia*] Sic M. Gu. 1. 2. Vulg. *quod.* — 35) *etenim*] *enim* L. Hoc fortasse verum est. Sed quum optimi codd. *etenim* habeant, non ausim mutare, prae-

vulnerandum acumine telorum. Totum autem ex Graeco sermone trahitur, quoniam sarcire [39] apud illos ἀκέσασθαι [40] dicitur.

Assiduus dicitur, qui in ea re [41], quam frequenter agit, quasi consedisse videatur. Alii assiduum locupletem, quasi multorum assium dictum putarunt [42]. Alii [43] eum, qui sumptu proprio [44] militabat, ab asse dando vocatum existimarunt [45].

Andruare recurrere [46] a Graeco verbo ἀναδραμεῖν [47] venit; hinc et *drua* vocata est [48].

Antroare [49] gratias referre. *Truant* movent [50]. *Truam* quoque vocant, quo permovent coquentes exta.

Acupedius [51] dicebatur, cui praecipuum erat in currendo acumen pedum [52].

Adrumavit [53] rumorem fecit, sive commurmuratus est, quod verbum [54] quidam a rumine, id est parte gutturis putant deduci.

Acieris securis aerea, qua in sacrificiis utebantur sacerdotes.

Aplustria [55] navium ornamenta, quae quia erant amplius, quam essent necessaria [56] usu, etiam amplustria dicebantur.

Agina [57] est, quo [58] inseritur scapus [59] trutinae, id est, in quo foramine trutina se vertit, unde aginatores dicuntur, qui parvo lucro moventur.

Agonium dies appellabatur [60], quo rex hostiam immolabat. Hostiam [61] enim antiqui agoniam vocabant. Agonium etiam [62] putabant deum dici [63] praesidentem [64] rebus agendis; Agonalia [65] eius festivitatem [66], sive quia agones dicebant montes. Agonia sacrificia, quae [67] fiebant in monte. Hinc Romae mons Quirinalis Agonus [68] et Collina Agonensis [69].

Agonum id [70] est [71] ludum, ob [72] hoc dictum, quia locus, in quo ludi initio facti sunt, fuerit [73] sine angulo; cuius festa Agonalia [74] dicebantur.

Agea via in navi dicta, quod in ea maxime [75] quaeque res agi solet [76].

sertim quum vix grammaticis hanc subtilitatem scribendi tribuere possis, qua apud priscos scriptores *etenim* non secundo loco ponatur. Vide Ottonem ad Cic. Cat. Mai. 9, 29. p. 76., quamquam etiam his hanc licentiam concedit Wunder. ad Cic. or. pr. Planc. 16, 38. p. 123. — 36) ὄρος] *oros* Gu. 2. ὦρς B. — 37) *quaedam de frumento*] *de frum. quaedam* L. — 38) *acus dicuntur*] *dicuntur acus* B. — 39) *sarcire*] *sarcinare* B. S. *cum sarc.* — 40) ἀκέσασθαι] Sic B. S. *acesasthe* M. Gu. 2. ἀκέσθαι Gu. 1. Om. L. pr. Vulg. ῥάπτειν. Scal. praeponit huic art. hanc glossam: *Acus palea est. Varro rerum rusticarum tertio: acus substruendum parturientibus: acus in areu excutitur. Idem in eodem primo argillam mixtam acere.* — 41) *qui in ea re*] *quia in ea re* L. — 42) *dictum putarunt*] *put. dict.* L. — 43) *Alii eum*] *Alii vero eum* L. *Alii cum qui eum sumptu* B. — 44) *sumpt. propr.*] *propr. sumptu* L. — 45) *existimarunt*] *estimarunt* L. Gu. 2. — 46) *Andruare rec.*] Sic L. Gu. 2. *id est recurr.* vulg. cum reliquis. — 47) ἀναδραμεῖν] Sic Gu. 1. ἀνδραμεῖν B. *andramin* Gu. 2. pr. *anthramin venit* M. *andrami* L. Vulg. δραπετεύω. ἀναδρᾶν *id est invenire* S. — 48) *vocata est*] *textricis instrumentum* add. L. — 49) *Antroare*] *Antrocare* B. *atroare* pr. — 50) *movent*] *moventur* B. M. Gu. 2. pr., in qua pro *truam* est *eam.* — 51) *Acupedius*] *Aucupedius* L. — 52) *acumen pedum*] *ped. acum.* L. — 53) *Adrumavit*] *Andrumavit* pr. — 54) *verbum*] om. B. — 55) *Aplustria*] *Amplustria* Gu. 1. *amplustra dicebantur nav. orn.* B. — 56) *usu*] *usui* L. Fortasse hoc verum est. — 57) *Agina*] *Agnina* B. — 58) *quo*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. Vulg. *qua.* Sed *quo* est *quo in loco.* — 59) *scapus*] *scaphus* B. — 60) *dies appellabatur*] *diem appellabant* L. — 61) *Hostiam*] *hostia* Gu. 1. — 62) *etiam*] om. B. — 63) *deum dici*] *deum* om. B. *dici* om. L. — 64) *praesidentem*] *praesidem* B. — 65) *agonalia*] *agonialia* B. — 66) *festivitatem*] *festivitates* B. Tum in omnibus codd. est *agonos*, sed recte S. *agones.* — 67) *quae*] om. L. — 68) *Agonus*] *Agonius* L. *Egonis* B. M. pr. S. Vulg. *Aegonus.* — 69) *Agonensis*] Sic M. Vulg. *Aegonensis.* — 70) *Agonum*] *Agonium* L. B. M. — 71) *id est*] om. L. — 72) *ob*] *ex* B. Gu. 1. — 73) *fuerit*] *fuit* L. *sine angulo fuerit* Gu. 1. — 74) *Agonalia*] *Agonialia* B. — 75) *maxime*] Sic B. M. Gu. 1. 2. Vulg. *maxima.* — 76) *solet*] *solent* B. Om. L.

Agonias [1] hostias putant ab agendo dictas.

Albogalerus [2] a galea nominatus [3]. Est enim pileum [4] capitis, quo Diales flamines [5], id est sacerdotes Iovis, utebantur. Fiebat enim ex hostia alba Iovi caesa, cui affigebatur apex virgula oleagina.

Apluda est genus minutissimae paleae frumenti sive panici [6], de qua Naevius:

Nec [7] *hércle apluda est hódie, quam tu néquior.*

Sunt, qui apludam sorbitionis liquidissimum putent [8] genus, quod flatu deiiciatur [9] et quasi applodatur [10].

Aridum proprie est [11], quod naturalem humorem amisit. Dicitur autem per contrariam significationem, quod irrigari desierit. Nam ἀρδεύειν Graece irrigare [12] est.

Aptus quum propria significatione intelligatur, poni tamen solet pro adepto, sicut et [13] apisci pro adipisci.

Arca proprie dicitur locus vacuus, quasi exaruerit et non possit [14] quicquam generare [15].

Angulus a Graeco ἀγκύλον [16], sive ab eo, quod est ἐγγύς [17], id est prope.

Aduncantur [18], quae [19] ex diverso coacta [20] faciunt anguli [21] formam.

Affines in agris vicini, sive consanguinitate coniuncti.

Anclare [22] haurire a Graeco ἀντλῶ [23] descendit. Livius:

Florem anclabant Liberi ex carchesiis.

Anclabris [24] mensa ministeriis aptata divinis [25]. Vasa quoque in ea, quibus sacerdotes utuntur [26], *anclabria* appellantur.

Ancunulentae [27] feminae menstruo [28] tempore appellantur [29], unde trahitur inquinamentum.

Antras convalles vel arborum intervalla.

Arferia [30] aqua, quae inferis libabatur, dicta a ferendo; sive vas vini, quod sacris adhibebatur.

1) *Agonias*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. Vulg. *Agunias.* — 2) *Albogalerus*] *Albagalerus* Gu. 1. — 3) *nominatus*] *nominatur* L. B. Gu. 1. — 4) *pileum*] *pilleum* Gu. 2. pr. *pileus* L. — 5) *flamines*] *flaminis* B. — 6) *panici*] *panicii* B. Gu. 2. — 7) *Nec*] Sic scripsi de coniectura, quum in B. esset *ne hercle*; in L. *ne hordiaria*; in Gu. 1. pr. *ne hordea.* *Nec* quamquam non est in Gu. 2., optimo cod., tamen elegi, quod non intelligitur, unde *ne* pro vulg. *non* ortum sit. Veri simile est, scribas *ne*, quod non intellexerunt in *non* mutasse. Sed quum *ne hercle*, i. e. *nae hercle*, haud facile reperiatur, scripsi *nec*, quod haud dubie hic versus cum alio, ad quem referatur istud *nec*, coniunctus fuit. [*Ne* ortum videtur ex compendio *n̄c* quod et *nec* et *nunc* significat.] — 8) *putent*] *putant* L. B. — 9) *deiiciatur*] *deiciatur* Gu. 2. *deicitur* Gu. 1. — 10) *applodatur*] *aplodatur* Gu. 1. *adplodatur* Gu. 2. *adplodatus* B. *adplaudatur* S. — 11) *proprie est*] *et quod proprie* L. *est* om. Gu. 1. — 12) ἀρδεύειν *Graece irrigare est*] Sic M. Gu. 2., nisi quod habet *ardeuein.* ἀρδεύειν B., in quo est *irrigare est* ἀρδ. ἀρδύειν *Graec. irr. est.* Gu. 1. ἄρδειν *Graece irr. est* L. Vulg. *Graece irrigare est* ἄρδειν. — 13) *sicut et*] Sic Gu. 2. Vulg. om. *et.* — 14) *possit*] *potest* L. — 15) *generare*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. Vulg. *regenerare.* — 16) ἀγκύλον] Sic B. Gu. 1. 2. S. *aggilos* L. ἀγκύλον *venit* M. venit ἀγγιλον ἄγκυλον Gu. 1. *ancylon* Gu. 2. Om. pr. — 17) *est* ἐγγύς] *eggys* Gu. 2. *egis* Gu. 1. Om. pr. *est* om. L. — 18) *Aduncantur*] Sic scripsi de coniectura. Scalig. scripsit *aduncatur* pro *adducatur*, sed verbum *faciunt* postulat pluralem. Vulg. est *prope quod adducatur.* Codd. lectiones sunt hae: *prope adducantur* B. M. Gu. 2. *proprie adducantur* L. Gu. 1. *prope adducatur* pr. Sed quid h. l. de adducendo? haud dubie, quod, quae sunt ἐγγύς, prope admoveantur. Sed quum mox de anguli forma loquatur Festus, mihi non est dubium, quin scripserit *aduncantur.* Itaque novum articulum incepi. — 19) *quae*] *quia* L. *quod* B. Gu. 1. pr. S. — 20) *coacta*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *coactam* L. Vulg. *coacto.* — 21) *anguli*] *angulis* B. — 22) *Anclare*] Sic M. Gu. 1. 2. pr. S. *anhelare* L. B. Vulg. *Antlare.* Eadem varietas est in versu Livii. — 23) *a Graeco* ἀντλῶ *descendit*] *ex Graeco descendit* Gu. 1. ἀντλῶ om. L. B., in cuius margine est ἄνδλω, M. Gu. 1. 2. pr. — 24) *Anclabris*] *Antlabaris* B. — 25) *ministeriis aptata divinis*] Sic Gu. 2. pr. *min. div.*

Affatim dictum [31] a copia fatendi [32], sive abundanter. Livius:

affatim edi
Bibi lusi [33].

Terentius *affatim* dixit pro eo, quod est ad lassitudinem.

Amenta [34], quibus, ut mitti possint, vinciuntur [35] iacula, sive solearum lora; ex Graeco, quod est *ἅμματα* [36], sic [37] appellata [38], vel quia aptantes ea ad mentum trahant [39].

Attegrare [40] est vinum in sacrificiis augere. Integrare enim et attegrare [41] minus factum, est [42] in statum [43] redigere.

Attritum [44] et tritum ex Graeco descendit, quia illi vestem tritam *τρίβωνα* appellant [45].

Attestata dicebantur [46] fulgura [47], quae iterato [48] fiebant, videlicet significationem [49] priorum attestantia.

Attibernalis [50] habitator continuae tabernae, quod genus domicilii antiquissimum Romanis fuisse testimonio sunt exterae [51] gentes, quae adhuc tabulatis habitant aedificiis; unde etiam tecta castrensia, quamvis pellibus contegantur, tabernacula tamen dicuntur.

Attae appellantur, qui propter vitium crurum aut pedum plantis insistunt [52] et attingunt [53] magis terram [54], quam [55] ambulant, quod cognomen Quinctio poetae adhaesit.

Attam [56] pro reverentia seni cuilibet [57] dicimus, quasi eum avi nomine appellemus.

Adagia ad agendum apta.

Adasia ovis vetula recentis partus.

Abrogare infirmare [58].

Ad aut proprie personam significat, ut: *eo ad Pompeium;* aut locum, ut: *abit* [59] *ad theatrum.*

Apud mutuam loci et personae coniunctionem demonstrat [60], ut quum dicimus, *coeno apud amicum.*

At differentiam rerum significat, ut cum dicimus: *Scipio est bellator*, *at Marcus Cato orator.*

Addicere est proprie [61] idem dicere et approbare dicendo; alias *addicere* damnare est.

aptata M. *min. div. apta* L. S. Vulg. *min. apta div.* — 26) *Vasa quoque in ea, quibus sacerdotes utuntur, anclabria appellantur*] Sic vulg. Turbant multum codd. *Vasa quoque quibus in ea sacerdotes utuntur* L. *vasa quoque aenea, quibus antlabar appellantur, sacerdotes atuntur* B. *quibus anclabra appellantur, sacerdotes utuntur.* Gu. 1. pr. *aenea* pro *in ea* scripsit Scal., quod fortasse verius est, sed quum optimi codd. *in ea* habeant, nolui mutare. — 27) *Ancunulentae*] Sic B. S. *anculunentae* M. Gu. 2. *ancumulentae* pr. *acumulentae* Gu. 1. Vulg. *anculentae.* Vid. Scalig. — 28) *menstruo*] *in menstruo* B. — 29) *appellantur*] *appellabantur* B. — 30) *Arferia*] *Afferia* L. — 31) *dictum*] *est* add. B. — 32) *fatendi*] Sic B. M. Gu. 2. pr. Vulg. *fandi.* — 33) *lusi*] *luxi* B. Versus, qui sunt Saturnini, distinxi ad Hermanni sententiam in Elem. Doctr. Metr. p. 625. — 34) *Amenta*] *Ammenta* B. pr. — 35) *vinciuntur*] *vinciunt ut iac.* pr. — 36) *ἅμματα*] *amata* Gu. 2. Om. L. pr. — 37) *sic*] om. L. — 38) *appellata*] *est* add. L. — 39) *trahant*] Sic L. M. Gu. 1. 2. Vulg. *trahunt.* — 40) *Attegrare*] Sic Gu. 2. *Ategr.* B. Vulg. *Adtegrare.* — 41) *et attegrare*] om. L. — 42) *minus factum, est*] *est minus factum* L. — 43) *statum*] *statutam* M. S. — 44) *Attritum*] Sic Gu. 2. Vulg. *Adtritum.* — 45) *tritam τρίβωνα appellant*] Sic scripsi de coniectura, quum in M. Gu. 1. 2. sit *tribonas. tribonam appellabant* B. *trivion et trivonion appellant id est vestis attrita et lacera* L. *vestem tritam appellant* pr. omissa v. Graeca. — 46) *dicebantur*] *dicuntur* B. — 47) *fulgura*] *fulgora* M. Gu. 2. — 48) *iterato*] *in theatro* pr. — 49) *significationem*] *sacrificationem* L. — 50) *Attibern.*] *Adtibern.* B. M. *adtybern.* Gu. 1. *Adtubernalis* S. — 51) *exterae*] *externae* B. — 52) *insistunt*] *insisteret* B. — 53) *attingunt*] *attigant* L. B. — 54) *terram*] *ad terram* L. — 55) *quam*] *quamquam ambulent* B. — 56) *Attam*] Sic L. S. *Attim* B. Gu. 1. Vulg. *Attin*, quod facile a librariis confundi potuit cum illo. Vid. Scal. notam. — 57) *cuilibet*] *quolibet* B. Fortasse scriptum fuit *quoilibet.* — 58) *infirmare*] *id est inf.* B. — 59) *abit*] Sic L. Gu. 1. 2. Vulg. *ab iit.* — 60) *demonstrat*] Sic Gu. 2. Vulg. *significat.* — 61) *est propr.*] *propr. est* L.

Aedis domicilium in edito positum simplex atque unius aditus. Sive ideo aedis [1] dicitur, quod in ea aevum degatur, quod Graece *αἰών* [2] vocatur. Itaque aedificare quum sit proprie aedem facere, ponitur tamen *καταχρηστικῶς* in omni genere constructionis [3].

Aedituus aedis sacrae [4] tuitor [5], id est curam agens.

Aeditumus [6] aedis intimus.

Aedilis initio dictus est [7] magistratus, qui [8] aedium non tantum sacrarum, sed etiam privatarum curam gerebat. Postea hoc [9] nomen et ad magistratus [10] translatum est [11]. Dictus [12] est autem aedilis, quod facilis ad eum plebi aditus esset. Sed et [13] aedilatus [14] dicebatur, sicut pontificatus, magistratus, eadem dignitas [15].

Atrium proprie est [16] genus aedificii continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluvia descendit. Dictum autem atrium vel [17] quia id genus aedificii Atriae [18] primum in Hetruria sit institutum, vel quod [19] a [20] terra oriatur, quasi aterrium [21].

Avus, patris matrisque pater, dictus a Graeco vocabulo, quod est apud eos *πάππος* [22], mutatis quibusdam litteris. Alii volunt, quod ex ea voce appelletur, quod apud eosdem [23] Graecos *αἰπὺς* [24] appellatur, significatque magnum, quoniam veluti magnus pater sit avus. Alii putant *avum* dictum esse, quia ad duos attineat, quasi *adduum* [25], vel quia ad patrem sit additus [26].

Abavus dicitur, quia abest ab avo et est avus [27] avi.

Atavus [28], quia atta [29] est avi, id est pater, ut pueri [30] usurpare solent.

Avunculus, matris meae frater, traxit appellationem ab eo, quod aeque [31] tertius a me, ut avus, est, sed non eiusdem iuris: ideoque vocabuli [32] facta diminutio est. Sive avunculus appellatur, quod avi locum obtineat [33] et proximitate tueatur sororis filiam [34].

Amita [35] patris mei soror, quia similiter tertia a me sit; atque avia videri potest dicta ex eo, quod ab antiquioribus avita sit vocitata [36]. Sive amita dicta est, quia a [37] patre meo [38] amata est. Nam plus sorores a fratribus, quam fratres diligi solent, videlicet propter dis-

1) *ideo aedis*] *aedis ideo* B. — 2) *αἰών*] Sic vulg. *αἰῶνα* Gu. *enion* Gu. 2. om. L. pr. M. *αἰώνιον*. — 3) *ponitur tamen* etc.] Sic Gu. 2. M. *in omni genere catacristicos καταχρηστικῶς nomen grece constructionis* B. *καταχρ. in omni* Gu. 1. *ponitur tamen in genere constr.* L. lacunae signo ante *in gen.* Vulgo *pro omni gen.* — 4) *aed. sacr.*] Sic L. B. Gu. 1. 2. pr. Vulg. *sacr. aed.* — 5) *tuitor*] Sic B. Gu. 2. S. Vulg. *tutor.* — 6) *Aeditumus*] Sic Gu. 1. antiqua orthographia servata. Vulg. *Aeditimus Aedit. id est* B. pr. — 7) *dictus est*] *est dict.* L. — 8) *qui*] *quia* B. Gu. 2. Ortum ex seq. *aed.* — 9) *hoc*] *et hoc* M. — 10) *magistratus*] *magistratum* B. — 11) *est*] om. B. — 12) *Dictus est autem*] *Dictus est etiam* pr. *est* om. B. — 13) *Sed et*] *et* om. B. — 14) *aedilatus*] *aedilitas* L. — 15) *sicut* etc.] Ita Gu. 2. Vulg. *dicebatur eadem dign., sicut pontif. mag.* — 16) *est* om. B. — 17) *vel quia id genus — instit.*] om. pr. — 18) *Atriae primum in Hetruria sit inst.*] *ab atriensibus Hetruriae sit primum inst.* L. *Atrii* M. — 19) *vel quod*] Sic M. Gu. 1. 2. pr. Vulg. *quia.* — 20) *a terra*] Sic L. B. Gu. 1. 2. pr. S. Vulg. *e terra.* — 21) *aterrium*] *atrarium* B. Gu. 1. pr. *atereum* S. — 22) *πάππος*] *pappos* Gu. 2. *παπεσος* B. — 23) *eosdem*] *eos* L. — 24) *αἰπύς*] Sic scripsi de coniectura, Scalig. coniecit *ἄππα*, a quo longe absunt codd., quorum B. habet *αὐος* M. *ayos.* Gu. 1. *ἀρος* Gu. 2. *aroc.* Ex his nihil aliud feceris, nisi *αἰπύς* sive Homericum illud *αἰπός*, idque verum esse, ostendunt sequentia: *significatque magnum* cet. Om. pr. Vulg. *τάττα* S. *τάτα*. Idem postea pro *quoniam* habet *cum.* — 25) *adduum*] *adavum* pr. — 26) *additus*] *aditus* L. B. pr. — 27) *avus*] *coaevus* L. B. Gu. 1. pr. — 28) *Atavus*] *Attavus* B. M. — 29) *atta*] Sic L. M. Gu. 2. *asta* B. pr. *est atta* Gu. 1. Vulg. *tata.* — 30) *ut pueri*] *ut puta pueri* B. — 31) *aeque*] *est aeque* B. — 32) *vocabuli facta diminutio est*] *facta vocab. dim.* L. *voc. facta diminutione* B. pr. — 33) *obtineat*] *obtinet* B. — 34) *filiam*] *filium* L. S. — 35) *Amita*] Praeponitur vulgo glossa *Amites perticae aucupales*, sed eadem repetitur post *Amsegetes.* Priore loco om. omnes codd. —

similitudinem personarum, quae ideo minus habent dissensionis, quo minus aemulationis.

Avillas agnus [39] recentis partus.

Agnus dicitur a Graeco *ἀπὸ τοῦ ἀγνοῦ* [40], quod significat castum, eo quod sit hostia pura [41] et immolationi [42] apta.

Avere nihil aliud est [43], quam cupere. Argumento est avidum et aviditatem [44], ex quibus praecipua [45] cupiditas intellegitur [46], quum significet et gaudere.

Adscripti dicebantur, qui in colonias [47] nomina dedissent, ut essent coloni.

Adsciscere est [48] adiungere vel assumere.

Adscripticii [49] veluti quidam scripti dicebantur, qui supplendis legionibus adscribebantur. Hos et *accensos* dicebant, quod ad legionum censum essent adscripti [50]. Quidam *velatos* [51], quia vestiti inermes sequerentur exercitum. Nonnulli *ferentarios*, quod fundis lapidibusque proeliaturi ea [52] modo ferrent, quae in hostes iacerent [53]. Alii *rorarios* [54], quod id genus hominum, antequam acies coirent, in modum rorantis tempestatis dimicaret [55].

Auctarium [56] dicebant antiqui, quod super [57] mensuram vel pondus iustum adiiciebatur [58], ut cumulus vocatur in modio.

Auctum vocabatur spacium circi, quod super [59] definitum [60] modum victoriae adiungitur.

Argennon [61] argentum percandidum [62].

Arbiter dicitur iudex, quod [63] totius rei [64] habeat arbitrium [65] et facultatem.

Amicinum utris pediculum [66], ex quo vinum diffunditur [67].

Arbosem [68] pro arbore antiqui dicebant [69] et [70] robosem [71] pro robore.

Arbitrium [72] dicitur sententia, quae ab arbitro [73] statuitur.

Arbitrarium, quum adhuc res apud arbitrum [74] geritur.

Amicitiae vocabulum ab amore deducitur, quamvis interdum vituperandus sit amor. Ab antiquis autem *ameci* et *amecae* per *e* litteram efferebantur [75].

Adpromissor est [76], qui, quod suo nomine promisit, idem pro altero quoque promisit [77].

36) *vocitata*] *vocita* M. — 37) *a*] om. B. — 38) *meo*] om. L. B. Gu. 1. pr. — 39) *agnus*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. Vulg. *agnas*. — 40) *ἀπὸ τοῦ ἀγνοῦ*] Sic B. Gu. 1. *apotu agnu* M. Gu. 2. *ἀγνός* Vulg., quod om. L. *a Graeco ἀγν.* om. pr. — 41) *sit hostia pura*] *hostia pura sit* B. — 42) *immolationi*] *molatu* L. — 43) *nihil aliud est*] *nihil est aliud* L. — 44) *Argumento est*] Fortasse scriptum erat *Avere nihil aliud esse quam cupere, argumento est avidum et aviditas.* — 45) *praecipua*] om. L. — 46) *intellegitur*] Sic Gu. 2. Vulg. *intelligitur*. Sed ego in orthographia secutus sum codd., qui antiquiorem exhibent scripturam. — 47) *qui in colonias*] *in colon. qui* B. — 48) *est* om. B. — 49) *Adscripticii*] *Adscriptitii* B., ut idem cod. paulo post habet. Sed nolui h. l. veriorem scripturam recipere, ne etymologia obliteraretur. — 50) *cens. essent adscr.*] *essent cens. ascr.* B. — 51) *velatos*] *velites* L. *vellatos* B. Fortasse veram lectionem praestat L. *Velites*, quod nomen Grammaticus male a *velando* dictum esse putabat. Pro *quia* Scal. habet *quod*. — 52) *ea*] *eo* L. B. pr. — 53) *quae in hostes iacerent*] om. L. — 54) *rorarios*] *roranos sive rorarios* L. — 55) *id gen. hom.* etc.] *id genus hom. currens in modum* L. *coirent in modum ror. temp. dimicare* B. Gu. 1. pr. — 56) *Auctarium*] *auctatarium* L. — 57) *super*] *supra* M. — 58) *adiiciebatur*] *adicieb.* Gu. 2. — 59) *super*] *supra* M. S. — 60) *defin.*] *diffin.* B. Gu. 1. — 61) *Argennon*] Sic M. Gu. 2. pr. S. Vulg. *Argenon*. — 62) *percand.*] *ἀργέννον* addit Gu. 1. — 63) *quod*] *qui* L. — 64) *rei*] om. Gu. 1. — 65) *arbitrium*] *arbitrarium* L. — 66) *pediculum*] *pendiculum* pr. — 67) *diffunditur*] *defunditur* L. M. *defend.* B. — 68) *Arbosem*] *Arbosen* B. *Arbosenum* pr. — 69) *ant. dic.*] *dic. ant.* B. — 70) *et*] om. L. — 71) *robosem*] *robosenum* pr. — 72) *Arbitrium*] *Arbitrarium* L. — 73) *ab arbitro*] *ab arbitrio* L. *ex arbitrio* B. — 74) *arbitrum*] *arbitrium* M. — 75) *ameci et am.* etc.] *amici et ameci* L. *Amici et ameci per literam e ab ant. autem eff.* B. exhibet. — 76) *est*] om. B. — 77) *promisit*] Sic Gu. 2. Vulg. *promittit*.

Arcere [1] est continere. Unde et [2] arcus in aedificiis dictus est, quia se ipse continet. Alii dicunt *arcum* dictum esse ab opere arrigendo in altitudinem.

Arcuma [3] genus plaustri est [4] modici, quo homo gestari possit.

Argeos vocabant scirpeas effigies, quae per virgines Vestales annis singulis [5] iaciebantur in Tiberim.

Arcere prohibere est [6]. Similiter [7] *abarcet*, prohibet. *Porcet* quoque dictum ab antiquis, quasi porro arcet, et pro eo, quod est continet, ponitur; unde et [8] *coercere* [9] continere dicimus. Trahitur autem hoc verbum a Graecorum magistratu, quem illi *ἀρχήν* [10] vocant, in cuius potestate est vel [11] cogere, vel prohibere.

Arcani sermonis significatio trahitur sive ab arce, quae tutissima pars urbis est [12], sive a genere sacrificii, quod in arce fit ab auguribus, adeo remotum a notitia vulgari, ut ne litteris quidem mandetur, sed per memoriam successorum celebretur; sive ab arca, in qua quae clausa sunt, tuta manent, cuius ipsius origo ab arcendo pendet [13].

Arculum appellabant [14] circulum, quem capiti imponebant ad sustinenda [15] commodius vasa, quae ad sacra publica capite portabantur.

Arculus putabatur esse [16] deus, qui tutelam gereret arcarum.

Arculata [17] dicebantur circuli, qui ex farina in sacrificiis fiebant.

Arcula dicebatur avis, quae in auspiciis vetabat aliquid fieri.

Asseres dicti, quod assideant parieti trabibusque.

Assiratum [18] apud antiquos dicebatur genus quoddam potionis ex vino et sanguine temperatum, quod Latini prisci sanguinem *assir* [19] vocarent [20].

Ambrices [21] regulae, quae transversae asseribus et tegulis [22] interponuntur [23].

Antes sunt extremi ordines vinearum. Unde etiam [24] nomen trahunt antae [25], quae [26] sunt latera ostiorum.

Ambitus proprie dicitur [27] inter vicinorum aedificia locus duorum pedum et semipedis ad [28] circumeundi facultatem relictus. Ex quo etiam honoris ambitus dici coeptus est a circumeundo supplicandoque. Ambitio est ipsa actio ambientis [29].

1) *Arcere*] *Arcire* L. — 2) *et*] om. L. Scal. pro *ipse* habet *ipsum*. — 3) *Arcuma*] Sic Gu. 1. *Arcima* B. Vulg. *Arcirma*. — 4) *est*] om. B. — 5) *annis sing.*] *sing. annis* L. — 6) *prohib. est*] *est proh.* L. — 7) *Simil.*] *et sim.* L. — 8) *et*] om. L. — 9) *coerc.*] *coherc.* B. — 10) ἀρχήν] Sic Gu. 1. *archen* M. Gu. 2. *voc.* ἀρχόν B. om. pr. — 11) *vel*] om. pr. — 12) *tut. pars urbis est*] Sic Gu. 2. *tut. est pars urb.* L. *tut. pars est urb.* M. Gu. 1. pr. S. *tut. pars urbis erat* B. Vulg. *est* om. — 13) *pendet*] *dependet* B. pr. — 14) *appellabant*] *appellant* M. — 15) *sustinenda*] *sustinendum* B. — 16) *putabatur esse deus*] Sic L. Gu. 1. 2. pr. *putabatur esse dictus deus* B. Vulg. pro *esse* *etiam* legitur. — 17) *Arculata*] *Arcula* B. — 18) *Assiratum*] Sic scripsi secutus Scalig. Vulg. *Assaratum*. — 19) *assir*] *assyr.* M. *massir* pr. — 20) *vocarent*] *vocabant* L. — 21) *Ambrices*] *Acobrices* Gu. 2. — 22) *tegulis*] *regulis* L. — 23) *ass. et teg. interp.*] *interp. ass. et teg.* B. — 24) *etiam*] *et* B. — 25) *antae*] *anteae* B. — 26) *quae*] om. L. — 27) *propr. dic.*] *dic. propr.* Gu. 1. — 28) *ad circum*] *et ad* Gu. 1. — 29) *ambientis*] *ambiendi* L. — 30) *proprie dic.*] *dic. propr.* Gu. 1. — 31) *circumnando*] *circumdando* Gu. 1. — 32) *quoniam*] *quod* L. S. addit *Am.* — 33) *sumptum*] *est* add. L. *tractum* B. pr. — 34) *quae est ἀμφί*] om. L., qui habet *quod significat.* ἀμφί om. pr. — — 35) *circum et nare*] *circumnare id est fluere* L. *circumnare et fluere* pr. *nare sive fluere* B. In edit. Scal. addita est glossa: *Amoebaeum carmen est, quotiens aliqui ex aequali numero versuum canunt: et ita se habet ipsa responsio, ut aut malum aut contrarium aliquid dicat.* Haec ab omnibus codd. absunt. — 36) *agi part.*] *partes agi* L. — 37) *ἀμφίβολα dicuntur*] Sic B. *amphibola dicuntur* Gu. 2. *dicuntur ἀμφίβολα* Gu. 1.

Amnis proprie dicitur [30] a circumnando [31], quoniam [32] ex Graeca praepositione sumptum [33], quae est *ἀμφί* [34], significat circum, et *nare* fluere [35].

Ambiguum est, quod in ambas agi partes [36] animo potest. Huiusmodi apud Graecos *ἀμφίβολα* dicuntur [37].

Ambrones fuerunt gens quaedam Gallica [38], qui subita [39] inundatione maris quum amisissent sedes suas, rapinis et praedationibus [40] se suosque [41] alere coeperunt. Eos et Cimbros Teutonosque [42] C. Marius delevit. Ex quo tractum est, ut turpis vitae homines *ambrones* dicerentur.

Antiae muliebres capilli demissi [43] in frontem [44] appellati ex Graeco videntur; quod enim nos [45] *contra*, illi *ἄντιον* [46] dicunt.

Amneses [47] appellantur urbes sitae prope amnem, ut a mari maritimae. Unde [48] interamnae et antemnae dictae sunt, quod inter amnes sint positae [49] vel ante se habeant amnes.

Amtermini, qui circa terminos provinciae manent. Unde *amiciri*, *amburbium*, *ambarvalia*, *amplexus* dicta sunt.

Angiportus iter compendiarium [50] in oppido, eo [51] quod sit angustus portus, id est aditus in portum.

Angeronae deae sacra a Romanis instituta sunt, quum angina omne genus animalium consumeretur, cuius festa *Angeronalia* dicebantur [52].

Actus modo significant [53] in comoediis et tragoediis certa spacia canticorum, modo iter inter vicinos quatuor [54] pedum latum; modo in geometrica [55] minorem partem iugeri [56], id est centumviginti pedum; modo motum corporis, ut histrionum et saltatorum, qui etiam ex hoc ipso *actuosi* dicuntur.

Auxiliares dicuntur in bello socii Romanorum exterarum [57] nationum, dicti ex Graeco vocabulo *αὔξησιν* [58], quod nos dicimus rerum crescentium auctionem [59].

Ausonium appellavit Auson Ulixis [60] et Calypsus filius eam primum [61] partem [62] Italiae, in qua sunt urbes Beneventum et Cales; deinde paulatim tota quoque Italia, quae Apennino [63] finitur, dicta est Ausonia ab eodem duce, a quo conditam Auruncam urbem etiam [64] ferunt.

dicuntur amphiboli L. Vulg. *ἀμφίβολον dicitur.* — 38) *gens quaedam Gallica*] *gentes quaedam Gallicae* L. B. — 39) *qui*] *quae* L. M. — 40) *et praed.*] *depraedat.* Gu. 1. omisso *et*, — 41) *suosque*] *atque suos* L. — 42) *Teutonosque*] Sic B. Gu. 1. pr. S. *Teotonosque* M. Gu. 2. Vulg. *Teutonesque.* — 43) *demissi*] *dimissi* Gu. 2. *remissi* L, — 44) *frontem*] *fronte* L. — 45) *quod enim nos*] *q. nos enim* Gu. 1. — 46) *illi ἄντιον*] Sic Gu. 1. *illi antion* B. M. Gu. 2. *anthion illi* L. *ἀντί* om. pr. *illi ἀντί* Vulg. — 47) *Amneses*] Sic M. Gu. 2. Vulg. *Amnenses*, sed recepi illud, quia in optimo est cod. et supra eodem modo *Albesia* scuta ab *Albensibus* dicta sunt. — 48) *Unde*] *et* add. B. — 49) *sint pos.*] *sunt pos.* pr. *pos. sunt* L. — 50) *iter comp.*] *est inter comp.* L. M. — 51) *eo*] om. Gu. 1. *et quod* L. — 52) *dicebantur*] *appellabantur* Gu. 1. — 53) *significant*] *significat* B. Gu. 1. S. — 54) *quatuor*] *vel quat.* B. — 55) *geometrica*] Sic B. M. Gu. 2. S. *geometria* Vulg. — 56) *iugeri*] *iugeris* B. — 57) *exterarum*] *externarum* B. — 58) *αὔξησιν*] *auxesim* Gu. 2. B. M. om. L. Gu. 1. pr. In Vulg. est *αὔξησις*, quod verius esse videtur, quum alterum haud dubie originem debeat accusativis, qui sequuntur, frequenti scribarum vitio. — 59) *auctionem*] Sic Vulgata. Sed M. Gu. 2. pr. *actionem*, quod nihili videtur. — 60) *Ulixis*] Sic L. B. Gu. 1. 2. *Ulyxis* M. *Ulyssis* vulgo, vitiose. — 61) *primum*] Sic Gu. 2. Recte. Respondet *deinde*. *primam* Vulg. — 62) *partem*] om. L. — 63) *Apennino*] *Appennino* M. — 64) *conditam Aurunc. urb. etiam fer.*] Sic Gu. 1. 2. *urb. Ar. cond.* L. *Aruncum* (a superscr.) (sic) B. *cond. fuisse Ar.* M. *Auruncam* scripsi ex Scalig. coniectura. Vulg. *etiam cond. Ar. urb. fer.* Fortasse *etiam* est eiiciendum. *cond. fuisse Ar. urb. fer.* S.

Alumeto [1] pro Laumedonte [2] a veteribus Romanis necdum assuetis Graecae linguae dictum est. Sic Melo pro Nilo, Catamitus pro Ganymede, Alphius pro Alpheo dicebatur.

Accensi [3] dicebantur, qui in locum mortuorum militum surrogabantur [4], dicti ita, quia ad censum adiiciebantur [5].

Acerra ara, quae ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebant [6]. Alii dicunt arculam esse thurariam, scilicet [7] ubi thus reponebant [8].

Apex, qui est sacerdotum insigne, dictus est ab eo [9], quod comprehendere antiqui vinculo [10] *apere* dicebant. Unde aptus is, qui convenienter alicui iunctus est.

Atanuvium [11] est poculi fictilis genus, quo in sacrificiis utebantur sacerdotes Romani [12].

Atroces appellantur ex Graeco, quia illi *ἀτρώγια* [13] appellant, quae cruda sunt; sive atrox dicitur ab eo [14], quod nihil timeat [15]; *τρέσαι* [16] enim [17] Graeci dicunt timere.

Auguraculum appellabant antiqui, quam [18] nos arcem dicimus, quod ibi augures publice auspicarentur.

Arseverse [19] averte ignem significat. Tuscorum enim lingua *arse* averte [20], *verse* ignem constat appellari. Unde Afranius ait [21]:

Inscribat [22] *aliquis* [23] *in ostio arse verse.*

Aborigines appellati sunt, quod [24] errantes convenerint [25] in agrum [26], qui nunc est [27] populi Romani. Fuit enim [28] gens antiquissima Italiae.

Aboloes [29] dicebant pro ab illis; antiqui enim litteram non geminabant [30].

Aventinus mons intra urbem dictus est, quod ibi rex Albanorum Aventinus bello fuerit [31] exstinctus atque sepultus.

Adorare apud antiquos significabat [32] agere; unde et [33] legati oratores dicuntur, quia mandata populi agunt.

Armilustrium [34] festum erat apud Romanos, quo res divinas armati faciebant, ac, dum sacrificarent [35], tubis canebant.

Adeo duas habet significationes. Nam quum prima acuta effertur [36], idem significat, quod *accedo*, ut [37] quum dicimus *adeo praetorem*. Quum autem secunda, idem [38] quod *usque eo*,

1) *Alumeto*] Sic Gu. 1. *Alumento* Vulg. — 2) *Laumed.*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. S. Vulg. *Laomed.* Vide Scalig. not. — 3) *Accensi*] Sic L. M. Gu. 2. *Adcensi* Vulg. — 4) *surrog.*] Sic L. M. Vulgo *subrog.* — 5) *adiicieb.*] *adicieb.* M. Gu. 2. — 6) *incendebant*] *incendebantur* L. S. — 7) *scilicet*] om. B. — 8) *reponebant*] *reponebatur* B. — 9) *dictus est ab eo*] Sic Gu. 2. pr. Vulg. om. *est.* — 10) *comprehendere ant. vinc.*] *compr. vinc. ant.* L. — 11) *Atanuvium*] Sic scripsi secutus Scal. Vulgo *Athanuv.* *Athanavium* B. *Athavium* pr. *Attanium* L. — 12) *uteb. sacerd. Rom.*] Sic Gu. 2. *Romani* om. L. B. Gu. 1. Vulgo additur post *Rom.* *Potitii* pro quo *Potitiani* L. *Potiani* B. Gu. 1. pr. Om. prorsus M. Gu. 2. Vulg. *Romani uteb. sac. Potitii.* — 13) *ἀτρώγια*] Sic ad marg. notatur in Gu. 1. *atrogia* B. Vulgo *atrocia*, sed Graeci non dicebant *atrocia*; Graeca igitur voce opus est. Hoc autem voc. quamquam in Lexicis non reperiatur, tamen a Grammaticis inventum esse in libris puto. Est enim a τρώγω, unde multi hoc vocab. derivant. Vide Doederlein Latein. Syn. T. I. p. 38. — 14) *ab eo*] om. Gu. 1. — 15) *timeat*] *de se* add. L. — 16) *τρέσαι*] Sic Gu. 1. S. *trese* B. M. Gu. 2. *trein* L. om. pr. Vulg. τρέω. — 17) *enim* om. L. Gu. 1. — 18) *quam*] *quod* L. — 19) *Arse verse*] *averse averte* L. — 20) *arse averte*] *arte verse* B. — 21) *ait*] *inquit* L. — 22) *Inscribat*] Sic L. B. Gu. 1. 2. pr. *inscribit* Vulg. — 23) *aliquis*] *aliquid* L. — 24) *quod*] *qui* L. — 25) *convenerint*] *convenerunt* L. — 26) *agrum*] *agris* L. — 27) *nunc est*] om. L. — 28) *enim*] om. L. — 29) *Aboloes*] *Abolis* L. *Aboloos* Gu. 1. — 30) *litt. non gem.*] *non gem. litt.* L. — 31) *fuerit*] *fuit* L. — 32) *significabat*] *significat* L. B. — 33) *et*] *etiam* B. — 34) *Armilustrium*] *Armilustrum* L. M. — 35) *sacrificarent*]

non quidem secundum rationem, quia *ad* praepositio accusativis accommodata est, sed vetusta quadam [39] loquendi consuetudine.

Argea loca Romae appellantur, quod in his sepulti essent quidam Argivorum illustres viri.

Asparagus herba dicta, quod in aspero virgulto nascatur.

Assidelae mensae vocantur, ad quas sedentes flamines sacra faciunt.

Anceps significare videtur id, quod ex utraque parte caput habeat, ut secures, bipennes [40]; sed magis a capiendo, quod ex utraque parte [41] aeque [42] captatur [43], appellatum est [44].

Ancus appellatur, qui aduncum brachium habet, et [45] exporrigi non potest.

Ancillae dictae ab Anco Martio rege, quod is bello magnum feminarum numerum ceperit. Sive ideo sic appellantur [46], quod [47] antiqui *anculare* dicebant pro ministrare, ex quo dii quoque vel [48] deae feruntur coli, quibus nomina sunt Anculi et Anculae.

Ancaesa dicta sunt ab antiquis vasa, quae [49] caelata appellamus [50], quod circumcaedendo talia fiunt [51]. Ipsum quoque *caelare* verbum ab eadem causa est dictum, *d* littera cum *l* permutata.

Aerosam appellaverunt antiqui insulam Cyprum, quod in ea plurimum aeris nascatur.

Aenesi [52] dicti sunt [53] comites Aeneae.

Aenatores [54] cornicines dicuntur [55], id est cornu canentes.

Aenariam appellavere locum [56], ubi *Aeneas* classem a Troia veniens appulit.

Audacia ab avide, id est cupide agendo dicta est [57].

Aceratum lutum cum paleis mixtum [58].

Adassis [59] tunica ab humeris non consuta [60].

Arilator [61], qui etiam *cocio* appellatur, dictus [62] videtur [63] a voce Graeca, quae est *αἶρε* [64] tolle, quia sequitur merces, ex quibus quid cadens lucelli possit tollere. Lucellum enim [65] diminutivum est a lucro [66].

Artitus bonis instructus [67] artibus.

Arnae [68] *caput* [69], agni caput.

Arsineum [70] ornamentum capitis muliebris.

sacrificabant L. B. Gu. 1. — 36) *prima ac. eff.*] *ac. effert. prima* B. *prima adeo ac.* Gu. 1. — 37) *ut*] om. B. M. Gu. 1. pr. — 38) *idem est*] *id est quousque* B. M. pr. *est* om. L. Gu. 1. 2. — 39) *quadam*] Sic M. Vulg. *quidem.* At *sed quidem* non placet: *quadam* significat ignorationem rei, quod h. l. multo est melius. — 40) *secures bipennes*] *securis bipennis* L. B. Gu. 1. pr. S. — 41) *parte*] *acie* L. om. B. Gu. 1. — 42) *aeque*] om. L. — 43) *captatur*] Sic B. M. Gu. 2. pr. — 44) *appell. est*] *est app.* L. — 45) *et*] Sic M. Gu. 2., quod verum esse ostendit Indicat. *potest*, qui est in M. Gu. 1. 2. pr. Vulg. *ut* — *possit.* *Ut* et *et* frequenter permutantur. In sequenti glossa om. Scal. *rege.* — 46) *sic app.*] om. L. — 47) *quod*] *quia* L. — 48) *vel deae*] Sic Gu. 2. *atque deae* B. *ac deae* Vulg. — 49) *quae*] *in Umbria* add. B. — 50) *appell.*] *dicimus* L. — 51) *fiunt*] *sunt* Gu. 2. — 52) *Aenesi*] *Aenesii* L. *Aenensi* pr. — 53) *sunt*] om. L. — 54) *Aenatores*] Sic M. Gu. 1. S. *Aeneatores* Vulg. — 55) *dicuntur*] om. L. — 56) *locum*] *insulam* L. — 57) *dicta est*] *est dicta* L. Gu. 1. — 58) *mixtum*] Sic B. M. Gu. 1. 2. S. *mistum* vulg. — 59) *Aclassis*] *Aclasis* M. — 60) *consuta*] *suta* B. — 61) *Arilator*] Sic S. *Arillator* M. Gu. 2. *Arillatur* Gu. 1. pr. *Arilatur* L. B. *Arilat. coctio, qui etiam* etc. L. B. M. Gu. 1. 2. pr. *Arrulator* vulg. — 62) *dictus*] *dictum* Gu. 1. pr. — 63) *videtur*] om. B. — 64) *αἶρε*] *area* M. Gu. 2. om. L. pr. — 65) *Lucell. enim*] *etiam luc.* L. om. *enim* M. Gu. 1. 2. S. — 66) *lucro*] *luco* B. — 67) *instructus*] *institutus* B. — 68) *Arnae*] *Arni* M. — 69) *caput, agni caput*] Sic L. (qui *dicebatur* add.) B. M. Gu. 2. pr. S. Vulg. primo loco *caput* om. — 70) *Arsin.*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. Vulg. *Arlin.*

Artus ex Graeco appellantur, quos [1] illi ἄρθρα [2] dicunt: sive *artus* dicti, quod membra membris artentur.

Arquites arcu proeliantes, qui nunc dicuntur sagittarii.

Arbilla arvina, id est pinguedo corporis.

Artifices dicti, quod scientiam suam per artus [3] exercent, sive quod apte opera [4] inter se artent, qua ex causa etiam et *artes* [5] sunt appellatae [6].

Arytenam [7] sive artenam [8] vas ab hauriendo sic appellabant [9].

Amsegetes [10] dicuntur, quorum ager viam [11] tangit.

Amites [12] perticae aucupales.

Ampendices [13] dicebantur ab antiquis, quod circumpenderent [14], quos [15] nunc *appendices* appellamus.

Ablegmina [16] partes extorum, quae diis immolantur [17].

Ambulacra, ambulationes.

Amian [18] genus piscis.

Ameria urbs in Umbria [19], ab Amiro [20] sic [21] appellata.

Adsipere [22] et *praesipere* dicebant antiqui a sapiendo [23], sicut nos quoque modo [24] dicimus ab aequo *iniquum*, ab [25] quaerendo *inquirere*.

Admissivae aves dicebantur ab auguribus [26], quae consulentem iuberent.

Adulari est compositum ex accedendo et adludendo [27].

Addubanum [28] dubium [29].

Adulter et *adultera* dicuntur, quia [30] et ille ad alteram et haec [31] ad alterum se conferunt.

Aquilus color est fuscus et subniger, a quo aquila dicta esse videtur, quamvis eam ab acute volando dictam volunt. — *Aquilus* autem [32] color ab aqua [33] est nominatus. Nam quum antiqui duos omnino naturales nossent [34], id est album et nigrum, intervenerit autem is [35] quoque, qui ita neutri similis est, ut tamen ab utroque proprietatem trahat, potissimum ab aqua eum denominarunt [36], cuius incertus est color.

1) *quos illi*] *quod illi* L. — 2) ἄρθρα] *arthra* Gu. 2. om. pr. — 3) *artus*] *artes* L. — 4) *opera*] *operam* B. — 5) *etiam et artes*] Sic L. B. M. Gu. 1. Vulgo *et* om. Sed similiter s. v. *Apricus* ex optimis codd. restitui *etiam et.* Vid. ibid. not. — 6) *appell. sunt*] *sunt app.* L. B. Gu. 1. 2. — 7) *Aryten.*] *Ariten.* B. Gu. 2. *Arithen.* Gu. 1. — 8) *artenam*] Sic M. pr. S. Vulg. *artennam.* — 9) *appellabant*] *appellant* B. Gu. 1. addit ἀπὸ τοῦ ἀρτύειν. Cod. quidam Scal. ἀρύεσθαι. — 10) *Amseg.*] *Anseg.* B. Gu. 1. — 11) *ager viam*] *viam ag.* Gu. 1. — 12) *Amites*] Ita vulgo et in omnibus codd., nisi quod B. in textu exhibeat *Antices*, in margine vero *Amites*, ut vulgo. — 13) *Ampend.*] *Ampedices* L. Gu. 1. S. — 14) *circumpend.*] *pendendo* M. — 15) *quos*] *quas* B. — 16) *Ablegmina*] Sic M. Gu. 2. Vulg. *Albegm.* Vid. Scalig. not. — 17) *immolantur*] Sic Gu. 1. *immolabant* ceteri. — 18) *Amian*] Sic M. Gu. 2. pr. *Amiam* B. Gu. 1. Vulg. *Amia.* — 19) *in Umbria*] *Umbrariae* L. om. B. — 20) *Amiro*] *Armirio* B. *Amero* pr. — 21) *sic app.* Sic L. M. Gu. 1. 2. pr. S. Vulg. om. *sic.* — 22) *Adsipere*] Gu. 2. bis habet hunc articulum, hoc loco et post voc. *Apud.* Hoc loco om. vv. *a sapiendo*, non item altero loco, ubi etiam *persipere* pro *praesipere* habet. — 23) *a sapiendo*] om. M. Gu. 1. 2. *antiqui a sap.* om. pr., quae item bis cum Gu. 2. habet hunc articulum. — 24) *quoque modo*] om. B. — 25) *a quaer.*] *ab quaer.* B. M. Gu. 1. 2. pr. — 26) *aves diceb. ab aug.*] *dic. ab aug. aves* B. — 27) *adludendo*] *alluendo* M. Gu. 2. pr. — 28) *Addubaxum*] *Adubanum* L. B. — 29) *dubium*] Sic M. Gu. 2. Vulg. *Danubium*, quod vitium simile est ei, quo *Anacreon* pro *Antehac* in omnibus est codd. Scalig. legendum censet *Ad dubienum, ad dubium.* Quidni *Addubienum*, ut *addubito*, dicatur? Unde praepositione *ad* in interpretamento non opus esse puto. — 30) *quia et*] *quod et* M. *et* om. L. — 31) *haec*] *illa* B. — 32) *autem*] om. L. — 33) *aqua*] *aquila* B. — 34) *nossent*] *no-*

Aquilo ventus [37] a vehementissimo volatu ad [38] instar aquilae appellatur [39].
Anquirere [40] est circum quaerere [41].
Andron [42] locus domicilii [43] appellatur angustior longitudine [44], in quo viri plurimum [45] morabantur, ut gynaeceum a mulieribus [46].
Apud et *penes* in hoc differunt, quod alterum personam cum loco [47] significat [48], alterum personam et dominium ac [49] potestatem, quod trahitur a *penitus*.
Anxur vocabatur, quae nunc [50] Tarracina [51] dicitur Volscae [52] gentis, sicut ait Ennius [53]:

Vulsculus [54] *perdidit Anxur.*

Aquarioli dicebantur mulierum impudicarum sordidi asseculae [55].
Aquipenser [56] genus piscis.
Apellinem [57] antiqui dicebant pro Apollinem.
Aperta idem Apollo vocabatur [58], quia [59] patente cortina responsa ab eo dentur.
Abditivi abortivi [60].
Ape apud antiquos dicebatur [61] prohibe, compesce.
Apua genus minimi pisciculi.
Abs praepositio a Graeco deducitur *ἄψ* [62]. Significat autem retractationem [63] in partem posteriorem.
Apollinares ludos, hoc est in laudem [64] Apollinis, populus laureatus spectabat, stipe data pro cuiusque copia.
Apiculum filum, quo flamines velatum apicem [65] gerunt.
Abacti magistratus dicebantur [66], qui coacti deposuerant imperium.
Agere modo significat *ante se pellere*, id est minare [67]. Virgilius:

Et [68] *potum pastas age* [69] *Tityre* [70].

Modo significat [71] *iurgari*, ut [72] dicimus [73] *agit cum eo furti;* modo *rependere*, ut cum dicimus [74] *gratias ago;* modo *verbis indicare*, ut cum dicimus [75] *causam ago;* quin etiam si accessit [76] gestus et vultus quidam decor, ut cum scenici agere dicuntur.

sceret B. — 35) *is*] *iis* B. — 36) *denominarunt*] *nominaverunt* B. — 37) *ventus*] om. B. — 38) *ad*] om. L. — 39) *appellatur*] *ventus* add. B. — 40) *Anq.*] *Amq.* pr. — 41) *circumquaerere*] *circumquirere* Gu. 2. pr. Fortasse verum, sed nolui propter perspicuitatem etymologiae recipere. — 42) *Andron*] *Antron* pr. — 43) *loc. dom.*] *dom. loc.* L. — 44) *longitud.*] *latitud.* Gu. 1. — 45) *plurimum*] B. Vulg. *plurimi.* — 46) *ut gynaeceum a mulieribus*] Sic M. Gu. 2. S. *ut gynaecion γυναικοιον* B. *ut a mulieribus* reliquis omissis L. Gu. 1. Vulg. ut τὸ *γυναικεῖον ἀπὸ τῶν γυναικῶν.* — 47) *person. cum loco*] *cum loco pers.* L. — 48) *significat*] *signat* pr. — 49) *ac*] *et* L. — 50) *nunc*] om. L. — 51) *Tarrac.*] *Terrac.* M. *dicitur Tarr.* B. — 52) *Volscae*] *Vulscae* B. M. Gu. 2. — 53) *ait Enn.*] *Enn. ait* B. — 54) *Vulsculus*] Sic B. Gu. 1. 2. *Vulculus* M. pr. Om. versum L. — 55) *asseculae*] L. M. Gu. 1. 2. pr. Vulg. *adseclae.* — 56) *Aquipenser*] *Accipenser* L. *Arvip.* B. — 57) *Apellin.*] L. ita: *Aperta idem Apollo vocabatur. Apellinem pro Apolline vocabant, quia patente cortina ab eo responsa dentur.* — 58) *vocabatur*] *dicebatur* Gu. 1. — 59) *quia* om. Gu. 1. — 60) *abortivi*] *dicuntur* add. L. — 61) *apud antiquos dicebatur*] *antiqui dicebant* L. B. *antique dicebatur* Gu. 1. pr. — 62) *ἄψ*] om. L. B. M. Gu. 1. 2. pr. — 63) *retractationem*] Sic B. M. Gu. 1. 2., in quo a secunda man. Vulg. *retractionem.* — 64) *laudem*] Sic M. Gu. 1. S. Vulg. *laude*, frequenti vitio, linea supra *e* neglecta. — 65) *vel ap.*] *ap. vel* Gu. 1. — 66) *dicebantur*] *dicebant* B. — 67) *minare*] *minari* B. — 68) *Et*] *ad* L. — 69) *age*] *agere* B. — 70) *Tityre*] om. M. Gu. 2. — 71) *significat*] om. B. — 72) *ut dicimus*] Sic M. Gu. 1. 2. Vulg. *ut cum dicimus.* — 73) *cum dicimus*] om. L. — 74) *cum dicimus*] om. L. — 75) *cum dicimus*] om. L. — 76) *quin etiam si accessit*] *quando etiam successit* L.

Abgregare est a grege ducere: *adgregare* [1] ad gregem ducere: *segregare* ex [2] pluribus gregibus partes seducere, unde et *egregius* dicitur e grege lectus [3]. Quorum verborum frequens usus non mirum si ex pecoribus pendet, quum apud antiquos opes et patrimonia ex his praecipue constiterint, ut adhuc etiam [4] *pecunias* et *peculia* dicimus.

Acetare dicebant, quod nunc dicimus *agitare*.

Autumnum quidam dictum [5] existimant, quod tunc maxime augeantur hominum opes, coactis agrorum fructibus.

Agedum significat *age modo*. Est enim adhortantis sermo.

Aulas antiqui dicebant, quas nos dicimus *ollas*, quia nullam litteram geminabant. Itaque *aulicocia* [6] *exta*, quae in ollis [7] coquebantur, dicebant, id est *elixa*.

Avidus a *non videndo* propter nimiam [8] cupiditatem appellatur; sicut *amens*, qui mentem suam non habet.

Aureliam familiam ex Sabinis oriundam a sole dictam putant, quod ei publice a populo Romano datus sit locus, in quo sacra faceret [9] soli, qui ex hoc *Auselii* [10] dicebantur, ut *Valesii Papisii* pro eo, quod est *Valerii*, *Papirii* [11].

Aemiliam [12] gentem appellatam dicunt [13] a Mamerco, Pythagorae philosophi filio, cui propter unicam humanitatem [14] cognomen fuerit *Aemylos* [15]. Alii, quod ab Ascanio descendat [16], qui duos habuerit [17] filios, *Iulium* et *Aemylon* [18].

Aerumnulas [19] Plautus refert furcillas [20], quibus religatas sarcinas viatores gerebant. Quarum usum quia Gaius [21] Marius retulit, Muli Mariani postea [22] appellabantur. Itaque aerumnae labores onerosos significant [23]; sive a Graeco sermone deducuntur. Nam *αἴρειν* Graece [24], Latine *tollere* dicitur.

Aemidum tumidum [25].

Aequidiale apud antiquos dictum est [26], quod nunc dicimus *aequinoctiale*, quia nox diei potius, quam dies nocti annumerari debet. Graeci quoque in hoc consentiunt, *ἰσημερίαν* [27], id est *aequidiale* dicentes.

1) *a grege ducere*] Sic L. Gu. 2. Vulg. *ab grege* omisso verbo *ducere*. *ab grege ducere* M. S. *a grege ducere ad gregem* Gu. 1. omissa voce *aggregare*. *a grege deducere ad gregem ducere* pr. *a grege ad gregem* B. — 2) *ex plur.*] *est a plur.* B. — 3) *lectus*] om. Gu. 1. — 4) *etiam*] *et* Gu. 1. — 5) *dictum*] om. B. — 6) *aulicocia*] *auliquona* pr. *aulicoqua* S. — 7) *ollis*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. Vulg. *aulis*. — 8) *nimiam*] om. B. — 9) *faceret*] *facerent* B. *sacrificaret* M. — 10) *Auselii*] *Auseli* M. Gu. 2. pr. *Auxeli* Gu. 1. *Aurelii* B. — 11) *Papirii*] *ut Valesii pro eo, quod Valerii. Papisii Papirii* L. *Paperii* M. *Parii* Gu. 2. *Pampisii* pr. — 12) *Aemiliam*] Hic est ordo in cod. Gu. 2., quem h. l. sequuntur B. M. Gu. 1. Vulgatus ordo est *Aerumnulas. Aemil.* B. *Aemyl.* — 13) *dicunt*] *appellatam* denuo addit B. — 14) *un. hum.*] *hum. unic.* B. — 15) *Aemylos*] Sic scripsi ex etymologica ratione, quum Graece id dicatur *Αἱμύλος*. *Aemilios* B. pr. — 16) *alii quod ab Ascanio descendat*] *alii a Stanio descendere dicunt* L. — 17) *habuerit*] Sic M. Gu. 1. 2. Vulg. *habuit*. — 18) *Aemylon*] Sic M. *Aemilion* pr. *Aemilium* B. — 19) *Aerumnulas*] Sic ordo est in cod. Gu. 2. Vulg. *Aerumn. Aemil. Aemidum*. — 20) *furcillas*] *furculas* Gu. 1. — 21) *Gaius*] Sic M. Gu. 2. Vulg. *C.* — 22) *postea*] *propterea* M. — 23) *significant*] *significat* L. — 24) *αἴρειν Graece*] om. Gu. 1. *αἴρειν* om. pr. *Graece ayrin* L. — 25) *tumidum*] *timidum* B. — 26) *apud ant. dict. est*] *dict. est ap. ant.* L. — 27) *ἰσημερίαν*] Sic S. *isimerian* Gu. 2. *hismeriam* B. *simerian* M. om. Gu. 1. pr. Vulg. *ἰσομερίαν*. — 28) *undique, id est pec. coll.*] *id est pec. undique collig.* L. — 29) *Aequilavium*] Sic M. Gu. 2. pr. S. Vulg. *Aquilav.* — 30) *quod*] *ut* L. *ut crebrae* B. M. Gu. 1. 2. S. pr. *ita* om. S. — 31) *videantur*] L. M. Gu. 1. pr. — 32) *in eo*] om. L. — 33) *Aege*] Sic L. M. B. Gu. 1. 2. pr. Vulg. *Aegeum*.

Aeruscare aera undique, id est pecunias colligere [28].

Aequilavium [29] significat ex toto dimidium, dictum a lavatione lanae, quae dicitur aequilavio redire, quum dimidium decidit sordibus.

Aegeum mare appellatur, quod [30] ita crebrae in eo sint insulae, ut procul aspicientibus species *caprarum* videantur [31]; sive quod in eo [32] *Aege* [33] Amazonum regina perierit; sive quod in eo [34] *Aegeus* pater Thesei se [35] praecipitaverit.

Aestimata poena ab antiquis ab aere dicta est, qui eam aestimaverunt [36] aere, ovem decussis, bovem centussis, hoc est decem vel centum assibus.

Allucinatio erratio.

Adigas dare cogas.

Acies, acumen, acus et acuere dicuntur ab *ἀκόνη* [37], quam Latine dicimus *cotem*.

Auxilla olla parvula.

Amputata, id est [38] circumputata dicuntur ab eo, quod antiqui *putum* [39] pro puro dicebant, unde deducuntur [40] *pudor* [41] et *pudicus*.

Appia via et aqua ab Appio Claudio est appellata [42].

Ariminum [43] a nomine fluminis [44] propinqui est dictum.

Animula [45] urbs parvarum opum fuit [46] in Apulia.

Arca diminutivum facit [47] arculam et arcellam, ut a porco [48] porculum et porcellum [49], a [50] mamma mammulam et mamillam [51].

Alebria bene alentia.

Agasones equos agentes, id est minantes.

Arcubii [52], qui excubabant [53] in arce.

Armillas ex auro, quas viri militares ab imperatoribus donati gerunt, dictas esse existimant, quod antiqui humeros cum brachiis *armos* vocabant [54]; unde *arma* ab his dependentia sunt vocata [55].

Abalienatus dicitur, quem quis a se removerit. *Alienatus* [56], qui alienus est factus.

Asserere manum, est admovere, quo ea quoque, quae in terra [57] demittuntur [58], seri dicuntur; unde

Scal. *Aegaea.* — 34) *in eo*] *eo quia* M. *in eum* pr. — 35) *se*] om. Gu. 1. — 36) *aestimaverunt*] Sic M. Gu. 2. pr. S. *existimaverunt* Gu. 1. Vulg. *extimaverunt.* Mox Scal. *decussi* — *centussi.* — 37) *dicuntur ab ἀκόνη*] Sic S.; in codd. M. Gu. 1. 2. Latinis literis scripta est vox Graeca. *dicitur ab acone* B. *ἀκόνη* om. pr. In B. post *cotem* legitur *ἀπο της ακονης.* Vulg. *ἀπὸ τοῦ ἀκόνη.* — 38) *id est*] om. L. B. Pro *dicuntur* S. habet *dicitur.* — 39) *putum*] om. L. — 40) *deducuntur*] *dacuntur* M. — 41) *pudor*] *pudeo* L. — 42) *est appell.*] *app. est* Gu. 1. *Appia via est, quae ab Appio Claudio est app.* pr. — 43) *Ariminum*] *Arimnon* B. — 44) *flaminis*] *fluvii* L. — 45) *Animula*] *Amimula* L. Vide quae dixi ad Plaut. Milit. III, 1, 53. p. 74. ed. Teubner. *Aminula* S. — 46) *fuit*] *enim* add. B. — 47) *facit*] om. pr. — 48) *porco*] *porcu* B. — 49) *porcellam*] *porcellam* Gu. 1. — 50) *a mamma*] *ut a* L. — 51) *mammulam et mamillam*] *mammulam et mammillum* — *mammula et mamilla* L. *et mamillam* om. pr. — 52) *arcubii*] *arcubiae* L. S. *argubiae* B. Gu. 1. pr. Cfr. Doederlein Latein. Syn. T. II. p. 162. — 53) *excubabant*] *excubant* L. — 54) *armos voc.*] *voc. arm.* L. — 55) *vocata*] *nominata* B. — 56) *Alienatus*] Haec glossa adiuncta in vulgaribus exemplaribus glossae *Alicariae* recte in codd. omnibus hoc loco coniungitur cum altera *Abalienatus.* Sequitur codd. editio princeps. — 57) *in terra*] Sic Gu. 2. Vulg. *in terram*, quae syntaxis quamquam est usitatior, tamen quum altera non minus legitima sit, secutus sum cod. optimum. Cfr. Cic. in Verr. IV, 33, 73. *ille nobilis taurus* — *quo vivos, supplicii causa, demittere homines* — *solebat.* Vide Drakenborch. ad Liv. XXXVIII, 59, 10. — 58) *demittuntur*] Sic scripsi e Scaligeri coniectura. Vulg. *dimittuntur* — *dimittantur* B. *dimittitur* L. Pro *manum* edit. Scal. habet *manu* et pro *quo*, habet *quod.*

etiam serae appellantur, quia foribus admotae opponuntur defixae [1] postibus, quemadmodum ea, quae terrae inserunt [2].

Arvum dicimus agrum necdum satum.

Apica [3] dicitur ovis, quae ventrem glabrum habet.

Ae syllabam antiqui Graeca consuetudine per *ai* scribebant, ut *aulai*, *musai* [4].

Auceta [5] saepe aucta.

Abercet [6], prohibet [7].

Advosem, adversarium, hostem.

Axe agglomerati [8], universi stantes, id est [9] cohortibus aut legionibus.

Aeramina [10] utensilia [11] ampliora.

Avolant [12] advolant [13].

Astassint [14] steterint [15].

Ambaxi [16], qui circum eunt [17] et catervatim.

Apor [18] apud.

Amosio [19] annuo.

Antiquum [20] veteres etiam pro nobili [21] posuere.

Aestimias aestimationes [22].

Abisse [23] pro *adisse* [24] dicebant.

Abambulantes abscedentes.

Aquilius praenomen ab *aquilo* colore, id est nigro, est dictum.

Antiquare est in morem [25] pristinum reducere.

Attingem [26] pro attingam posuere.

Appellitavisse [27] appellasse.

Alteras ponebant pro eo, quod est [28] adverbium *alias*.

Argutum iri in discrimen vocari.

Aureas dicebant frenos [29], quibus [30] equorum aures religantur.

Audacias [31] pluraliter Cato dixit.

1) *defixae*] *fixae* pr. — 2) *inserunt*] Sic Gu. 2. Vulg. *inseruntur* — *referuntur* B. — 3) *Apica*] om. hunc articulum Gu. 1. — 4) *aulai*, *musai*] *aulai*, *pictai*, *musai* S. — 5) *Auceta*] *Avecta at auceta* B. *avata* M. Gu. 2. — 6) *Abercet*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. *Abarcet* Vulg. — 7) *prohibet*] *prohibetur* L. M. B. Gu. 1. 2. pr. — 8) *agglomerati*] *glomerati* B. — 9) *id est*] *in* L. — 10) *Aeramina utensilia ampliora*] Sic scripsi e Scalig. coniectura. Vide eius not. Vulg. *Acrum aerum utens. ampl.* *Aerum aerum autensil. ampl.* M. *acrum vas ad utens. ampl.* L. *Acrumaeruma* S. — 11) *utensilia*] *autensilia* M. Gu. 1. — 12) *Avolant*] Sic Scalig. ed. *evolant* L. *aevolunt* B. Gu. 1. 2. pr. *aevolum* M. Vulg. *Aevolvunt*, quod nihil est. — 13) *advolant*] Sic L. B. *evolant* pr. S. *avolant* Gu. 2. cum vulg. — 14) *Astassint*] Sic coniecturâ Scalig. certissima. *astasent* M. Gu. 2. Vulg. *Astassent*. Videatur Struve Lat. Decl. und Coni. p. 174. *Adstassent* S. — 15) *steterint*] Sic scripsi e Scalig. coniectura pro vulgato *steterunt*. Quod si non statuitur verum esse, tota glossa pessime corrupta est. — 16) *Ambaxi*] Sic scripsi e Scalig. coni. Vulg. *Ambiaxio*. *Ambaxio* M. *Ambrasio* Gu. 1. — 17) *qui circum eunt et catervatim*] Sic scripsi e coniectura Scal., quum vulgata habeat: *qui circumeuntes catervatim*, quod nihil est. *quem circumeuntes cat.* L. *quae* M. Gu. 1. *circumeuntem* B. — 18) *Apor*] *Apot* L. — 19) *Amosio*] Sic vulgo. Scaliger fecit *annos*, cuius genit. esset *annotis*, unde *annotinus*. Post *annuo* add. L. *omnia*. — 20) *Antiquum*] Sic omnes codd. et editt. Scal. scripsit *Anticum*. — 21) *nobili*] Sic L. Vulg. *omnia*, quod nihil est. Scalig. fecit inde *ianua*. Sed mihi vera videtur cod. Lips. scriptura, quod *antiquus* etiam de generis antiquitate et de morum probitate dicitur. — 22) *aestimationes*] Sic M. Omnes reliqui cum vulg. *aestimationibus*. Mutavit Scalig. — 23) *Abisse*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. Vulg. *Abiisse*. — 24) *adisse*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr.

Ausis audeas [32].
Audax diminutivum facit *audaculus*.
Arvocitat [33] saepe advocat.
Annaria [34] lex dicebatur ab antiquis ea, qua finiuntur anni magistratus capiendi.
Aliorsum et *illorsum* sicut *introrsum* dixit Cato.
Abietaria negotia dicebantur [35], quam materiam nunc dicimus, videlicet [36] ab abietibus coemendis [37].
Aletudo corporis pinguedo.
Aeribus pluraliter ab aere, id est aeramento, Cato dixit [38].
Adduis [39] addideris.
Aristophorum vas, in quo prandium fertur [40], ut discus.
Allicit est perducit aliquem in rem, dictum a verbo *lacit* [41], id est decipit. Hinc descendit [42] *illicere* et [43] *oblectare*, id est frustrantem [44] inducere.
Abnutare saepe abnuere [45].
Aliae rei dixit Plautus pro eo, quod est alii [46] rei.
Affabrum fabrefactum.
Alimodi pro alius modi.
Aeneolum [47] quod ex [48] aere fit [49] dicimus.
Aenulum vas ex aere parvum.
Ad exitam aetatem ad [50] ultimam aetatem.
Amosio [51] ab amore denominatum.
Anginam [52] *vinariam* habere dicuntur [53], qui vino suffocantur.
Adulterina signa dicuntur alienis anulis facta.
Arabice [54] *olet*, id est ex odoribus Arabicis.
Ausculari dicebant antiqui [55] pro osculari, quod est os cum ore [56] conferre.
Adaxint [57], adegerint.
Argus oculeus [58]. Argus [59] nomen est [60] hominis, qui fuisse fingitur oculis plenus [61].
Amasso amavero.

adiisse Vulg. — 25) *morem*] *modum* L. B. — 26) *Attingem*] Sic coniecit Scal., quum vulg. *attinge* sine sensu sit. *attige* L. *attingit* B. Scribendum videtur *attigem*. — 27) *appellasse*] *pro app.* L. — 28) *est*] om. Gu. 1. — 29) *frenos*] *frena* L. — 30) *quibus equor.*] *equor., quibus* B. — 31) *Audacias*] Hic ordo est cod. Gu. 2. Vulgatus est *Ausis. Audac.* — 32) *audeas*] *pro audeas* L. — 33) *Arvocitat*] Sic B. M. Gu. 1. 2. *avocat* L. Vulg. *Advocitat.* — 34) *Annaria*] *Atrinaria* Gu. 1. — 35) *dicebantur*] om. Gu. 1. — 36) *videlicet*] om. L. — 37) *abiet. coem.*] *coem. abiet.* L. — 38) *Cato dixit*] Sic L. M. Gu. 1. 2. Vulg. *dicit Cato. dixit Cat.* pr. — 39) *Adduis*] Sic scripsi de coniectura. Vulg. *addues*. Sed *adduis* est *dederis* antiqua forma. — 40) *fertur*] *effertur* L. B. Gu. 1. *offertur* pr. — 41) *lacit*] *lacet* B. — 42) *descendit*] *attendit* L. *tendit* B. Gu. 1. pr. — 43) *et*] *id est* L. — 44) *frustrantem*] *frustrando ind.* pr. *frustrando te* B. *Frustrantem* pro subiecto esse videtur. — 45) *abnuere*] *adnuere* L. — 46) *alii*] Sic L. et ita legendum esse conieci ad Plaut. Milit. III, 1, 206. p. 80. ed. Teubner. Tum etiam mutandum erat *Ali* in *aliae*, ut ibidem conieci. — 47) *Aeneolum*] Sic L. S. Vulg. *Aeneolo* sine constructione. — 48) *ex*] om. Gu. 1. — 49) *fit*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. Vulg. *sit*. — 50) *ad*] *id est* L. — 51) *Amosio*] *Amutio* B. M. Gu. 1. 2. pr. *Amatio* S. — 52) *Anginam*] Sic B. Gu. 1. 2. pr. S. *Aginam* M. Vulg. *Anginum*. Male. — 53) *hab. dic.*] *dic. hab.* B. — 54) *Arabice*] Hoc ordine glossas habet Gu. 2. Vulg. *Auscul. Arab.* — 55) *diceb. ant.*] *ant. dic.* Gu. 1. — 56) *quod est os cum ore conferre*] *quod osculum ore conferre* L. — 57) *Adaxint*] *adacsint* Gu. 1. — 58) *oculeus*] *oculus* L. — 59) *Argus*] om. L. Coniunxi haec, quum unam rem explicent. — 60) *est*] om. L. — 61) *fuisse fingitur oculis plenus*] *fing. oculis plenus fuisse* B. *fuisse plenus oculis fing.* Gu. 1. *fuisse oculis pl. dicitur* L.

Amiculum genus est [1] vestimenti, a circumiectu dictum.
Auditavi [2] saepe audivi.
Allivescit [3], livere [4] incipit, hoc est lividum [5] fieri.
Atticissat Attice loquitur. Plautus:

Non [6] *atticissat, sed sicilissat;*

id est Sicule loquitur.
Atritas [7] atri coloris.
Aegyptinos [8] Aethiopas [9].
Advelitatio iactatio quaedam verborum figurata ab hastis velitaribus. *Velites* dicuntur expediti milites quasi volantes [10].
Auctor communis erat generis [11] apud antiquos.
Adnictat saepe et leviter [12] oculo [13] annuit. Naevius in Tarentilla:

'Alii [14] *adnutat, álii adnictat, álium amat, aliúm tenet.*

Atriplexum herba [15], quae nunc [16] *atriplex* dicitur.
Adoptaticius [17] ex adoptato [18] filio natus.
Aleonem aleatorem. Naevius:

Péssimorum péssime audax, gáneo, lurco [19], *áleo.*

Aditiculum [20] parvum aditum.
Atra bilis ab atro, id est animi [21] vitio dicta [22]. Est enim [23] *atrum* nigrum, id est a candore remotum.
Anctos [24] excruciatos [25].
Anatem dicebant morbum anuum [26], id est [27] vetularum, sicut *senium* morbum senum.
Altaria ab altitudine sunt dicta [28], quod antiqui diis superis in aedificiis a terra exaltatis sacra faciebant; diis terrestribus in terra, diis infernalibus in effossa terra.
Assa [29] dicebantur [30] cantus tibiarum.
Aves ab adventu [31] earum dicuntur, quod inde veniant, unde non quis [32] suspicetur.

1) *est*] om. L. B. M. pr. — 2) *Auditavi*] Sic L. et Gu. 1. a prim. man., sed supra vers. est syllaba *vi*. Habet nimirum vulg. *Audivitavi*. Sed ignoro simile frequentativum. — 3) *Allivescit*] Sic L. B. Gu. 2. pr. S. *Allibescit* vulg. — 4) *livere*] Sic L. B. Gu. 2. pr. S. *libere* Vulg. — 5) *lividum*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *libitum* Vulg. — 6) *Non attic.*] *Non me attic.* B. Vide Menaechm. prol. 12. — 7) *Atritas*] *Atritus* L. *atratas* S. — 8) *Aegyptinos*] *Aegyptionos* B. — 9) *Aethiopas*] *ethiopias* L. — 10) *quasi volantes*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. Vulg. *quasi volites id est volantes.* — 11) *erat gen.*] *gen. erat* Gu. 1. *erat* om. pr. S. — 12) *leviter*] *leniter* L. Gu. 1. — 13) *oculo*] om. Gu. 1. — 14) *Alii*] *illa alii* B. — 15) *herba*] *herbam dicimus* L. — 16) *nunc*] om. L. — 17) *Adoptaticius*] Sic B. M. pr. S. *Adoptativus* L. Vulg. *Adoptatius* quod ex negligentia ortum videtur, nisi cum Scalig. malis legere *Adoptarius.* — 18) *adoptato*] *optato* L. — 19) *lurco*] *lustro* L. M. Gu. 1. pr. *lustra* B. — 20) *Aditiculum*] *Aditiculus* B. — 21) *animi*] *cum* B. frequenti harum vocum confusione e comp. *am.* — 22) *dicta*] Sic scripsi cum vulg., omisso *est*. Miro modo B. M. Gu. 1. 2. *dictus* sine *est*; L. *dictum est.* — 23) *enim*] om. L. — 24) *Anctos*] Sic Scal. coniecit. Vulg. *Antios*, quod nihil est. — 25) *excruciatos*] Sic Gu. 2. Vulg. *id est excr.* — 26) *dicit morb. an.*] Sic L. B. Gu. 1. 2. Vulg. *morb. an. dic.* — 27) *id est vet.*] *id est* om. B. — 28) *sunt dict.*] Sic L. B. Gu. 1. 2. Vulg. *dict. sunt.* — 29) *Assa*] *Axa* B. — 30) *dicebantur*] *dicebatur* M. Gu. 1. pr. — 31) *adventu*] *aventu* Gu. 1. *eventu* B. — 32) *non quis*] Sic Gu. 1. 2. pr. Vulg. *quis non. ne quis* B. — 33) *Agolum*] *Agulum* Gu. 1. — 34) *dicitur*] om. Gu. 1. — 35) *tempestive*] *tempestate* B. — 36) *sint* om. L. *sunt* B. Gu. 1. pr. — 37) *Bombitatio*] Sic L. B. Gu. 1. pr. S. Cet. *Bombizatio.* — 38) *apium*] Sic L. M. Gu. 1. 2. *apum* vulg. Vide Gernhard. ad Cic. Cat. Mai. 15, 54. — 39) *ipso*] om. B., sed habet eius loco βομβοῶ. — 40) *sonitu*] *sono* L. — 41) *ut*] Sic M. Gu. 2. *sicut* vulg. — 42) *βοῶ*] Sic scripsi e B., in quo est ἀπὸ τοῦ βοῶ. *boon* L.

Agolum [33] pastorale baculum, quo pecudes aguntur.
Abortum gravidae mulieris dicitur [34], quod non sit tempestive [35] ortum.

LIBER II.

Bona, id est substantia rerum, dicta sunt, quod digna sint [36] bonis.
Bombitatio [37] est sonus apium [38] ab ipso [39] sonitu [40] dictus: ut [41] mugitus boum, hinnitus equorum.
Boare, id est clamare, a Graeco descendit *βοῶ* [42].
Boarium forum Romae dicebatur, quod [43] ibi boves venderentur [44].
Bocas [45] genus piscis a boando, id est vocem emittendo appellatur.
Barrire elephanti dicuntur, sicut oves dicimus balare, utique a sono ipso vocis [46].
Balaenam belluam [47] marinam [48] ipsam dicunt [49] esse pistricem, ipsam esse et [50] cetum.
Bacchanalia dicebantur [51] Bacchi festa.
Basilica ἀπὸ τοῦ βασιλέως [52], hoc est rege dicta est [53].
Basilicum regale [54].
Bovinatur [55], conviciatur [56].
Bova [57] serpens est aquatilis, quem [58] Graeci *ὕδρον* [59] vocant, a [60] qua icti obturgescunt. Crurum quoque tumor viae labore collectus bova [61] appellatur.
Batus genus [62] herbae [63].
Bacrionem [64] dicebant genus vasis longioris manubrii. Hoc alii trullam [65] appellant.
Bacar [66] vas vinarium simile bacrioni [67].
Barathrum [68] Graeci appellant locum praecipitem, unde emergi non possit, dictum ab eo, quod est *βαθύς* [69].
Balaenae [70] nomen a [71] Graeco descendit. Hanc [72] illi *φάλαιναν* [73] dicunt antiqua consuetudine, qua *πυῤῥόν* [74] burrum [75], *πύξον* [76] buxum [77] dicebant.

boao pr., ut vulg. *βοάω* habet. Om. M. Gu. 1. 2. — 43) *quod*] *quia* L. — 44) *boves vend.*] Sic Gu. 2. *vend. bov.* vulg. — 45) *Bocas*] *Boias* B. — 46) *vocis*] *quia elephanti barri* add. L. — 47) *belluam*] *beluam* B. M. — 48) *marinam*] *maritimam* Gu. 2. Fortasse hoc non plane reiiciendum, quippe quod paullo insolentius dictum librarii mutarint. Dicuntur enim etiam *fluctus maritimi* h. e. *qui a mare proficiscuntur.* — 49) *dicunt*] om. B. — 50) *esse et*] *etiam esse* L. *et* om. S. — 51) *dicebantur*] *dicuntur* B. — 52) *Basilica* etc.] *Basilicha a basillicho hoc est rege est dictam* Gu. 1. *a basileo* L. B. M. Gu. 1. 2. pr. — 53) *dicta*] *est* pro *sunt*, quod vulgata habet, est in B. Gu. 2. pr. om. *sunt* L. *dictum est* M. — 54) *Basilicum regale*] add. vulg. *Nam βασιλεύω est regno.* Omittunt hoc supplementum L. B. M. Gu. 1. 2. S. In edit. principe *Nam* tantum omittitur et *basileuo* reperitur. — 55) *Bovinatur*] *Boviniatur* M. Gu. 2. pr. — 56) *conviciatur*] *hoc est conv.* B. — 57) *Bova*] Sic B. M. Gu. 1. 2. *Boa* vulg. — 58) *quem*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. *quam* vulg. — 59) *ὕδρον*] *idron* Gu. 2. pr. *ydron υδρον* B. om. Gu. 1. — 60) *a*] om. L. B. ita habet: *crurumque tum viae labore collectus bova appellatur, a qua icti obturgescant.* — 61) *bova*] Sic L. B. Gu. 1. 2. pr. *boa* vulg. — 62) *genus*] *est* add. L. — 63) *herbae*] *veprem licet dicunt Graeci* add. L. — 64) *Bacrionem*] *Bactrionem* L. *baicironem* (sic) B. — 65) *trullam*] *trulam* pr. — 66) *Bacar*] *Baccar* B. Gu. 1. — 67) *bacrioni*] *bactrioni* L. — 68) *Barathrum*] *Baratrum* B. Gu. 1. — 69) *βαθύς*] *bathis* M. Gu. 1. 2. pr. B. in marg. *βάδιως βάρυς.* add. L. *id est profundo aspectum.* B. *profundum aspectu.* — 70) *Balaenae*] *Ballenae* M. Gu. 2. — 71) *a Graeco*] *quod a Gr.* Gu. 1. — 72) *Hanc*] *Nam* L. — 73) *φάλαιναν*] Sic L. M. Gu. 1. 2. pr. S. Latine, vulg. *φάλαινον.* — 74) *πυῤῥόν*] *pyrrhon* pr. *pirron* Gu. 2. *pyrrhum* B. om. Gu. 1. — 75) *burrum*] Sic Gu. 2. S. *burrhum* vulg. — 76) *πύξον*] *pyxon* pr. *pixon* Gu. 2. om. Gu. 1. — 77) *buxum*] *pro buxum* L.

Burrum [1] dicebant antiqui, quod nunc dicimus rufum [2]; unde rustici burram appellant buculam [3], quae rostrum habet rufum [4]. Pari modo rubens cibo ac potione ex prandio burrus [5] appellatur.

Basiliscus [6] appellatur genus serpentis, vel quod in capite album habeat [7] instar diadematis, vel quod reliqua serpentium [8] genera eius vim [9] fugiant [10].

Barbaricum appellatur clamor exercitus, videlicet quod eo genere barbari utantur.

Breve a Graeco descendit, quod est *βραχύ* [11].

Brutiani [12] dicebantur, qui officia servilia magistratibus praestabant [13]; eo quod hi primum se Hannibali [14] tradiderant et cum eo perseveraverant [15], usque dum [16] recederet de Italia.

Bruma a brevitate dierum dicta [17].

Brutum [18] antiqui gravem [19] dicebant.

Brachium nos, Graeci dicunt *βραχίων* [20], quod deducitur a *βραχύ*, id est breve, eo quod ab humeris ad manus breviores [21] sint, quam a coxis plantae.

Brassica [22] a praesecando [23] est dicta.

Brutianae [24] parmae dicebantur scuta, quibus Brutiani sunt usi.

Bubinare est menstruo mulierum sanguine inquinari [25]. Lucilius [26] *Haec*, inquit, *te* [27] *imbubinat, at* [28] *contra te* [29] *imbulbitat. Imbulbitare* est puerili [30] stercore inquinari [31] dictum ex fimo, quod Graeci appellant *βόλβιτον* [32].

Bucerum pecus de bubus [33] dicimus.

Bustum proprie dicitur [34] locus, in quo mortuus est combustus et sepultus, diciturque [35] bustum, quasi bene [36] ustum; ubi vero combustus quis tantummodo, alibi vero est sepultus [37], is locus [38] ab urendo ustrina [39] vocatur; sed modo busta sepulchra [40] appellamus [41].

1) *Burrum*] Sic M. Gu. 2. S. *Byrrhum* B. *Burrhum* vulg. — 2) *rufum*] *ruffum* M. utroque loco. Consentit Gu. 1., qui praeponit *buffum* et om. *unde. rustum* B. — 3) *buculam*] *bucculam* B. Gu. 1. — 4) *rufum*] *ruffum* M. Gu. 1. — 5) *burrus*] Sic B. Gu. 1. 2. S. *burrhus* vulg. — 6) *Basiliscus*] *Basillicus* Gu. 1. — 7) *album habeat*] Sic Gu. 1. 2. B. *hab. alb.* vulg. — 8) *serpentium*] Sic Gu. 2. *serpentum* vulg. — 9) *eius vim*] Sic Gu. 2. *vim eius* vulg. — 10) *fugiant*] Invertitur ordo verborum in B., qui habet *vel quod reliqua serpentum genera vim eius fugiant, vel quod in capite album habeat instar diadematis.* Inter verba *serpentum* et *vel* linea est ducta. — 11) *βραχύ*] *brachi* M. Gu. 2. pr. *brachis* L. Om. Gu. 1. — 12) *Brutiani*] *Bruciani* B. Gu. 1. — 13) *praestabant*] *instabant* Gu. 1. — 14) *se Hannibali*] *Hann. se.* L. — 15) *perseveraverant*] *perseverarant* L. *perseverarint* M. *perseverarunt* S. — 16) *usque dum*] *dum* om. Gu. 1. — 17) *dicta*] *est dicta* L. Add. vulg. *quasi βραχὺ ἦμαρ*, quae interpretatio omittitur in codd. et a S. — 8) *Brutum*] Sic M. Gu. 2. S. *Butrum* B. Gu. 1. pr. L. *Butrum antiqui brutrum dixerunt. Brucum* vulg. — 19) *gravem*] Sic M. Gu. 2. S. *grabem* vulg. — 20) *Brach. nos, Graeci dicunt βραχίων*] Sic Gu. 2., nisi quod *βραχίων* Latinis literis habet scriptum. *Brachium nos, Graeci brachion dicunt* L. *Brachium nos Graeci braglion dicunt* M. *dicimus dicunt greci* Gu. 1., nihil amplius. *Brachium nos dicimus, quod Graeci βραχίων* vulg. Verba *quod deducitur a βραχύ id est breve* Lips. habet ita *Nam dicitur brachi breve.* — 21) *breviores*] *breviora* M. Dac. Mox L. *quam coxae a plantis* pro vulg. *quam a coxis plantae.* — 22) *Brassica*] *Braxica* L. — 23) *praesecando*] *persecando* Gu. 1. *persiccando* L. — 24) *Brutianae*] *Brutinae at brutianae* B. — 25) *inquinari*] *inquinare* L. — 26) *Lucilius*] Omnia, quae ab hoc inde verbo leguntur usque ad finem articuli om. L. — 27) *te*] om. B. — 28) *at*] *ac* B. Gu. 1. — 29) *te*] om. M. Gu. 1. 2. — 30) *puerili*] *pueri* Gu. 1. — 31) *inquinari*] *inquinare* M. — 32) *βόλβιτον*] *bolbiton* Gu. 2. om. Gu. 1. pr. — 33) *bubus*] *bobus* L. Gu. 1. — 34) *proprie dicitur*] *dicitur propr.* L. — 35) *diciturque*] *dicitur et* L. *que* om. pr. — 36) *bene*] om. Gu. 1. M. — 37) *est sepultus*] *sepult. est* L. — 38) *locus*] om. L. — 19) *ustrina*] *ostrina* M. — 40) *busta sepulcra*] *busta eo quod sepulcra* M. Dac. *busta eo quod sepelitur, sepulcra* S.

Buteo genus avis, qui [42] ex eo se alit, quod accipitri eripuerit, vastitatisque est causa his locis [43], quae intraverit, ut bubo, a quo etiam appellatur buteo.

Buccina [44], quam nos appellamus, Graeci βουκιανόν [45] a similitudine soni [46] dicunt.

Bulimam Graeci magnam famem dicunt, assueti magnis et amplis rebus praeponere βου [47], a magnitudine scilicet bovis [48]. Hinc est, quod grandes pueri βούπαιδας [49] appellant, et mariscam [50] ficum [51] βούσυκον [52].

Bubleum [53] est [54] genus quoddam vini.

Bucephalus vocatus est equus Alexandri regis propter quandam bubuli capitis similitudinem.

Benna [55] lingua Gallica genus vehiculi appellatur, unde vocantur combennones [56] eadem [57] benna [58] sedentes.

Bessem appellatum esse [59], quod bis triens sit, quamvis dura [60] compositio fiat [61]; bessis octo sunt unciae, triens tres [62].

Bellum a belluis [63] dicitur, quia [64] belluarum sit perniciosa dissensio.

Barium [65] urbem Italiae appellarunt [66] conditores eius expulsi ex insula Bara [67], quae non longe est a Brundisio.

Brundisium [68] quidam poetae brevitatis causa Brendam [69] dixerunt.

Beneficiarii [70] dicebantur milites, qui vacabant muneris beneficio; e contrario [71] munifices vocabantur, qui non vacabant, sed munus reipublicae faciebant.

Benignus proprie dicitur is [72], qui bonis et dignis [73] largitur. Est autem compositum ex bono et gignendo [74].

Bellona dicebatur dea bellorum [75], ante cuius templum erat columella [76], quae Bellica vocabatur, super quam hastam iaciebant, quum bellum indicebatur.

Bidental [77] dicebant quoddam templum, quod in eo bidentibus hostiis sacrificaretur [78].

— 41) *appellamus*] Sic Gu. 2. *vocamus* vulg. — 42) *qui*] *quae* L. S. — 43) *his*] *is* B. — 44) *Buccina*] *Bucina* B. M. Gu. 2. — 45) βουκιανόν] Sic scripsi e vestigiis codd. M. Gu. 2., in quibus est *buchianon*, ut habet S. B. in marg. habet βουχίανον Scal. coniecit *bucanen*. Neutra vox in lexicis Graecis reperitur. Unum afferunt verbum βουκινίζω i. e. *buccinare*. Sed saepe videre licet, ultimae Graecitatis verba ad etymologias suas confirmandas afferre Grammaticos. Unde non mirum est, si tale vocabulum quaesierint. *buchia* est vulgata lectio. — 46) *soni*] *vocis* L. — 47) βου] *apud Graecos valde significat* add. B. — 48) *bovis*] *bois* Gu. 1. — 49) βούπαιδας] *bupedas* M. Gu. 1. 2. pr. — 50) *mariscam*] *mare Sicanium* L. *mare scansicum* B. *mare scanficum* pr. *mare santasicum* Gu. 1. — 51) *ficum*] om. L. — 52) βούσυκον] *busicon* Gu. 1. 2. *bussicon* B. *buscycon* M. — 53) *Bubleum*] *Bubeum* M. Gu. 2. *Bubeumen* L. B. Gu. 1. pr. — 54) *est*] om. L. B. Gu. 1. pr. — 55) *Benna*] *Bena* B. — 56) *vocantur combennones*] Sic L. B. M. Gu. 2. pr. S. *vocatur* Gu. 1. *vocantur* om. vulg. — 57) *eadem*] additur vulgo praepos. *in*, quam om. Gu. 2. — 58) *benna*] *eandem bennam* pr. *bena* B. — 59) *Bessem appellatum esse*] Sic M. Gu. 1. 2. Recepi hoc pro vulg. *Bes appellatum est*, quia in optimo est codice et Paulus saepe per infinitivi constructionem glossas componit. *est* om. B. *beses* L. B. — 60) *dura*] *dira* Gu. 1. — 61) *compositio fiat*] additur vulgo *bessis ex triente*, quod om. omnes codd. — 62) *bessis octo sunt unciae, triens tres*] Sic Gu. 2. *bessis novem sunt unciae, triens tres* B. Gu. 1. *unde bes novem sunt unciae, triens tres* L. *bessis novem sunt unciae triens tresis* M. om. totum edit. princeps. *bessis unciae octo, triens quatuor* vulg. *bessis unciae octo sunt, triens quatuor.* S. — 63) *belluis*] *beluis* B. M. Gu. 2. pr. *e bel.* M. — 64) *quia*] *quod* L. — 65) *Barium*] *Barum* L. B. pr. — 66) *appellarunt*] Sic M. Gu. 2. *appellaverunt* vulg. — 67) *Bara*] *Barra* B. M. Gu. 2. — 58) *Brundisium*] Sic M. Gu. 2. S. *Brundus.* vulg. *Brundisium vero* L. *Brundisiver* Gu. 1. pr. — 69) *Brendam*] *Breondam* B. — 70) *Beneficiarii*] *Beneficiarii* B. *Benefictarii* Gu. 1. pr. *Benefactari* Gu. 2. — 71) *e contrario*] *et e converso* L. — 72) *dicitur is*] *is dicitur* Gu. 1. *dicitur* om. L. — 73) *et dignis*] *e dignis* M. *et benignus* Gu. 2. — 74) *gignendo*] *ex gign.* L. — 75) *dea bellorum*] om. B. — 76) *columella*] *colomella* M. pr. — 77) *Bidental*] *Bidemtal* M. — 78) *sa-*

Bidentes autem sunt oves[1] duos dentes longiores ceteris habentes[2].

Biseta porca dicitur, cuius a cervice[3] setae bifariam dividuntur, quum iam esse incipit[4] maior sex mensium.

Bignae geminae dicuntur, quia bis una die natae sunt.

Bigenera[5] dicuntur animalia[6] ex diverso genere nata, ut leopardalis[7] ex leone et panthera[8]; cicur[9] ex apro et scropha[10] domestica; muli[11] ex equo[12] et asina[13].

Billis[14] apud Afros appellatur[15] semen humanum humi profusum[16].

Blaterare[17] est stulte et praecupide[18] loqui, quod a Graeco βλάξ[19] originem ducit. Sed et camelos, quum voces edunt, blaterare dicimus.

Balatrones et *blateas*[20] ballas[21] luti ex itineribus, aut quod calciamentorum[22] solis[23] eraditur, appellabant[24].

Bilbit factum est[25] a similitudine[26] sonitus, quit fit in vase. Naevius *Bilbit amphora* inquit.

Bibliothecae et apud Graecos et apud nos[27] tam librorum magnus per se numerus, quam locus ipse, in quo libri collocati sunt[28], appellatur[29].

Blitum genus oleris a saporis stupore appellatum esse ex Graeco putatur, quod ab his βλάξ[30] dicatur[31] stultus[32].

Bardus stultus, a tarditate ingenii appellatur. Caecilius:

Nimis audacem nimisque[33] *bardum barbarum.*

Trahitur autem a[34] Graeco, quod illi βαρδύς[35] dicunt.

Bardus Gallice cantor appellatur, qui virorum fortium laudes canit, a gente Bardorum, de quibus Lucanus:

Plurima securi fudistis carmina Bardi.

Belutus[36] bestiae similis.

Beneventum colonia[37] quum deduceretur, appellari coeptum est melioris ominis causa. Namque eam urbem antea Graeci incolentes *Μαλόεντον*[38] appellarunt[39].

Bulgas[40] Galli sacculos[41] scorteos appellant.

---

crificaretur] *sacrificetur* L. B. Gu. 1. pr. — 1) *oves*] *oves sunt* B. *hostie* L. — 2) *habentes*] *vel quod biennes ita appellarunt* add. L. — 3) *a cervice*] *acumine* B. — 4) *esse incipit*] *incipit esse* Gu. 1. — 5) *Bigenera*] *Bigneta* B. — 6) *dicuntur animalia*] Sic M. Gu. 1. 2. S. *an. dic.* vulg. om. *dicuntur* pr. — 7) *leopardalis*] *leopardus* L. B. Gu. 1. pr. S. — 8) *panthera*] *pantera* B. — 9) *cicur*] additur vulgo *sus*, quod om. M. Gu. 2. pr. Pro utroque voc. in Lips. est *ibris*. — 10) *scropha*] *scrofa* L. M. pr. — 11) *muli*] Sic L. M. Gu. 2. pr. *mulus* vulg. — 12) *equo*] Sic L. Gu. 1. 2. *equa* vulg. — 13) *asina*] Sic L. Gu. 1. 2. *asino* vulg. — 14) *Billis*] *Biblis* Gu. 1. *Bilis* pr. — 15) *apud Afros app.*] *app. apud Afr.* Gu. 1. — 16) *profusum*] *perfusum* Gu. 1. *sparsum* L. — 17) *Blaterare*] *Blatterare* L. M. Gu. 1. pr. ut iidem codd. mox exhibent. — 18) *praecupide*] Sic L. M. Gu. 1. 2. pr. *prae cupidine* B. *percupide* vulg. — 19) *βλάξ*] *blax* Gu. 2. pr. *βλαξ blax* B. om. L. Gu. 1. — 20) *blateas*] Sic. M. Gu. 1. 2. vulg. *blatheas*. *balatras* B. — 21) *ballas*] Sic B. M. Gu. 1. 2. *bullas* vulg. — 22) *calciamentorum*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. *calceam.* vulg. Iidem codd. om. *de*, quod vulgo ante *calciam.* praeponitur. — 23) *solis*] Sic B. Gu. 2. pr. *soleis* vulg. — 24) *appellabant*] *appellatur* B. — 25) *est*] om. L. — 26) *a similitudine*] *ad similitudinem* B. — 27) *nos*] *Latinos* B. S. — 28) *libri collocati sunt*] *collocati sunt libri* L. *ipsi libri* B. *collocantur* Gu. 1. — 29) *appellatur*] Sic M. Gu. 1. 2. *appellantur* vulg. — 30) *βλάξ*] *blax* Gu. 2. pr. om. L. Gu. 1. — 31) *dicatur*] Sic L. B. Gu. 2. *dicitur* vulg. — 32) *stultus*] Sic M. Gu. 2. *stupidus* vulg. — 33) *nimisque*] *que* om. B. — 34) *a*] *ex* L. — 35) *βαρδύς*] Sic scripsi e M. Gu. 2. pr., in quibus codd. est *bardis* — *βραδύς* B. *βάρδεις* S. om. L. Gu. 1. *βάρδιστος* vulg. — 36) *Belutus*] *Bellutus* B. pr. — 37) *colonia*] *coloni* B. — 38) *Μαλόεντον*] Sic scripsi e Gu. 2. M., in quibus est *maloeton*. *malo-*

Bovem bidentem a dentium numero dicunt appellari[42].

Bellicrepam saltationem dicebant, quando cum armis saltabant, quod[43] a Romulo institutum est, ne simile pateretur[44], quod fecerat[45] ipse, quum a ludis Sabinorum virgines rapuit.

Bilingues Brutaces Ennius dixit[46], quod Brutii[47] et Osce[48] et Graece loqui soliti sint[49]. Sunt autem[50] Italiae populi vicini Lucanis.

Bitienses dicuntur, qui peregrinantur assidue.

Baiulos[51] dicebant antiqui, quos nunc dicimus operarios. Unde adhuc[52] baiulari[53] dicitur[54].

Blandicella verba blanda per diminutionem sunt dicta.

Bellarium[55] et *bellaria*[56] res bellis[57] aptas appellabant.

Bellitudinem sicut magnitudinem Verrius[58] dixit.

Boiae, id est genus vinculorum, tam ligneae, quam ferreae dicuntur[59].

Botulus genus farciminis propter connexionem a bolis sic appellatur.

Blennos stultos esse, Plautus indicat, qui ait:

Stúlti, stolidi, fátui, fungi[60], *búrdi, blenni, búccones*[61].

Binominis[62], cui geminum est[63] nomen, ut Numa Pompilius, Tullus[64] Hostilius.

Barbari dicebantur antiquitus omnes gentes, exceptis Graecis. Unde[65] Plautus Naevium poetam Latinum barbarum dixit. Fortasse et ab[66] hoc noster apostolus Graecis et[67] barbaris se debitorem esse fatetur.

Bellule apud Plautum deminutivum adverbium est a bene, quod facit belle et bellule.

Burranicum[68] genus vasis.

Bucar[69] similiter genus est vasis.

Butubatta[70] Naevius pro nugatoriis posuit, hoc est, nullius dignationis[71].

Bulla aurea insigne erat puerorum praetextatorum, quae dependebat eis a pectore, ut significaretur eam aetatem alterius regendam consilio. Dicta est autem[72] bulla a Graeco sermone βουλή[73], quod consilium[74] dicitur Latine; vel quia eam partem corporis bulla contingat, id est pectus, in quo naturale manet consilium.

pon L. *malaetion* pr. μαλοίτιον vulg. — 39) *appellarunt*] *secundum Livium Maleventum prius dicebatur* add. L. — 40) *Bulgas*] *Bullas* pr. — 41) *sacculos*] *saculos* Gu. 1. — 42) *a dentium numero dicunt appellari*] *dicunt app. a dent. num.* L. *dicuntur* M. — 43) *quod*] om. L. — 44) *pateretur*] *peteretur* B. — 45) *fecerat*] *faceret* B. — 46) *Brutates Ennius dixit*] Sic S. *Bruttates* M. *Brutii censemus dicti* L. *brutacesennium dicti* B. Gu. 1. pr. *Brutaces* vulg. — 47) *Brutii*] *Bruti* B. Gu. 1. 2. *Brutti* M. — 48) *Osce*] *obsce* Gu. 1. — 49) *loqui soliti sint*] *loquebantur* L. *loqui dicti sunt* B. pr. — 50) *Italiae*] *aliae It.* Gu. 2. — 51) *Baiulos*] *Baiolos* B. M. Gu. 1. pr. — 52) *adhuc*] *opeurariis* add. L. — 53) *baiulari*] *baiolarii* B. Gu. 1. — 54) *dicitur*] Sic M. Gu. 2. S. *dicuntur* vulg. — 55) *Bellarium*] *Bellarum* B. Gu. 1. pr. — 56) *bellaria*] *bellariae* B. — 57) *bellis*] *belli* L. B. pr. *aptas bellis* M. — 58) *Verrius*] *Varro* L. B. Gu. 1. *Varvus* pr. — 59) *dicuntur*] *dicebant* L. — 60) *fungi*] om. L. B. — 61) *buccones*] *bucones* B. Gu. 1. pr. — 62) *Binominis*] Sic Gud. 2. *Binominus* pr. *Binomius* vulg. At vix est dubium, quin rectissime legatur *Binominis*, quod dicitur ut *cognominis*, *e*. — 63) *geminum est nomen*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. S. *est* om. vulgata. — 64) *Tullus*] *Tullius* Gu. 1. 2. — 65) *Unde* etc.] Quae sequuntur ab hoc verbo usque ad finem articuli om. L. Usque ad verba *ac barb.* om. Gu. 1. pr. — 66) *ab hoc*] *ob hoc* M. *ab* om. B. — 67) *et*] *ac* M. Gu. 1. pr. *Graecis et* om. B. — 68) *Burranicum genus vasis*] om. L. — 69) *Bucar*] Sic M. Gu. 2. annectunt hanc glossam superiori. om. glossam B. Gu. 1. pr. S. Dac. *Burar* M. — 70) *Butubatta*] Sic M. Gu. 1. 2. *Buttubata* vulg. *Burrabata* B. — 71) *dignationis*] *dignitatis* B. — 72) *est autem*] Sic M. Gu. 2. *autem est* vulg. *est* om. L. — 73) βουλή] *bulle* pr. *bullin* M. *bulin* Gu. 2. om. Gu. 1. — 74) *consilium*] *concilium* L.

Boicus ager dicitur, qui fuit Boiorum Gallorum. Is autem est in Gallia citra Alpes, quae togata dicitur[1].

Burrunica potio appellatur lacte mixtum[2] sapa a rufo colore, quem burrum[3] vocant.

LIBER III.

Corona quum videatur a choro dici, caret tamen aspiratione. Sive coronae dicuntur quod[4] honorent[5] eos, quibus imponuntur.

Coturnix[6] appellatur[7] a sono vocis.

Cornua Liberi patris simulacro adiiciuntur, quem inventorem vini dicunt, eo quod homines nimio vino truces fiunt[8].

Corgo apud antiquos pro adverbio, quod profecto[9], ponebatur.

Corbitae dicuntur naves onerariae, quod in malo earum summo pro signo corbes solerent suspendi.

Colurna[10] hastilia ex corno arbore facta[11].

Cothones[12] appellantur portus in mari interiores[13] arte et manu facti.

Collatia oppidum fuit prope Romam, eo quod ibi opes aliarum civitatum fuerint[14] collatae[15], a qua porta Romae[16] Collatina dicta est.

Collucare[17] dicebant, quum profanae silvae rami deciderentur officientes lumini.

Collativum[18] sacrificium dicitur, quod ex collatione[19] offertur.

Colophon[20] dixerunt, quum aliquid finitum significaretur.

Concinnare est apte componere. Concinere enim convenire est[21].

Concilium dicitur a populi consensu; sive concilium dicitur a concalando[22], id est vocando[23].

Conciliabulum locus, ubi in[24] concilium convenitur.

Concio[25] significat conventum, non tamen alium, quam eum, qui a[26] magistratu vel a sacerdote publico per praeconem convocatur.

Contubernales dicuntur a tabernis, quae fiebant ex tabulis. Unde et[27] tabernacula sunt dicta[28], licet ex tentoriis pellibus[29] fiant.

1) *dicitur*] *in quibus sunt Mediolanenses* add. L. M. Gu. 1. pr. S. Dac. — 2) *lacte mixtum*] Sic M. Gu. 1. 2. pr. *lacte mistum* L. B. *lac commistum* vulg. *lacte commixtum* S. — 3) *burrum*] Sic B. M. Gu. 1. S. *burrhum* vulg. — 4) *quod*] *quo* M. Gu. 2. — 5) *honorent*] *cohonorent* B. S. — 6) *Coturnix*] *Cotornix* M. Gu. 1. — 7) *appellatur*] *vocatur* L. — 8) *fiunt*] Sic B. Gu. 1. 2. pr. S. *fiant* vulg. — 9) *quod prof.*] Sic Gu. 2. interponitur vulgo *est*. — 10) *Colurna*] *Colurnea* B. — 11) *facta*] *potius quam ex corylo* vulg. additur, quod praeter B. in quo est *magis ex corilo puto*, omnes codd. et editt. princ. Scal. ignorant. — 12) *Cothones*] Sic B. M. Gu. 2. *Cotones* vulg. Om. totum articulum Scal. et Dac. — 13) *interiores*] *interiore* M. — 14) *fuerint*] *fuerunt* B. pr. — 15) *collatae*] *collectae* B. — 16) *Romae*] om. L. *ratione* Gu. 1. — 17) *Collucare*] Sic L. Gu. 1. *conlucare* M. Gu. 2. pr. S. *collucrare* B. *conculcare* vulg. — 18) *Collativum*] *Collatum* L. Gu. 1. — 19) *collatione*] Sic Gu. 1. *conlat.* vulg. — 20) *Colophon*] *Colofon* B. — 21) *Concinere enim convenire est*] om. L. — 22) *concalando*] Sic B. M. Gu. 1. 2. S. *concalendo* vulg. — 23) *id est vocando*] om. B. — 24) *in concilium*] om. B. *in* om. L. M. Gu. 1. 2. Absorptum est nimirum propter compendium ab anteced. *ubi,* quum hoc modo scriptum esset: *ubi ī conc.* Praepositio abesse nequit. — 25) *Concio*] *Contio* B. M. Gu. 2. *Concitio* Gu. 1. — 26) *a*] om. M. Gu. 2. — 27) *et*] om L. B. — 28) *sunt dicta*] *dicta sunt.* M. — 29) *ex tentoriis pellibus*] Sic scripsi e coniectura, quum vulgo legatur *ex tentoriis et pellibus*, pro quo L. M. Gu. 1. 2. S. habent *ex tentoriis et ex pellibus.* Utrumque falsum esse vidit Scalig., cuius notam vide. Vult enim Festus dicere tabernas factas

Contubernium dicitur contubernalium habitatio.

Conclavia[30] dicuntur loca, quae una clave clauduntur.

Contemplari dictum est a templo, id est loco[31], qui ab[32] omni parte aspici[33], vel ex quo omnis pars videri potest[34], quem antiqui templum nominabant.

Comitiales dies[35] appellabant, quum in comitio conveniebant; qui locus a coeundo, id est insimul[36] veniendo est dictus[37].

Calatores dicebantur[38] servi, ἀπὸ τοῦ καλεῖν[39], quod est vocare, quia semper vocari posseut ob necessitatem servitutis.

Condulus[40] anulus.

Condalium similiter anuli genus.

Contestari est, quum uterque reus dicit: *Testes estote.*

Codeta ager[41], in quo frutices existunt in modum codarum[42] equinarum[43].

Condictum est, quod in commune[44] est dictum.

Coctum a cogendo dicitur[45], quia cogendo[46] coercetur[47], ut ad[48] utilitatem vescendi perducatur.

Cocula vasa aenea, coctionibus apta. Alii cocula dicunt[49] ligna minuta, quibus facile decoquantur[50] obsonia.

Cohum lorum, quo temo buris cum iugo colligatur, a cohibendo dictum.

Cohum poetae coelum[51] dixerunt, a chao[52], ex quo putabant[53] coelum esse formatum[54].

Comoedias constat appellari ex eo, quod initio in vicis iuvenes cantare soliti essent crebro convenientes.

Coclacae[55] dicuntur lapides ex flumine, rotundi ad cochlearum similitudinem.

Cocetum[56] genus edulii ex melle et papavere factum.

Confugelam antiqui confugium dicebant.

Compraedes eiusdem rei populo sponsores.

Compascuus ager, relictus ad pascendum communiter vicinis[57].

Compescere est velut[58] in[59] eodem pascuo continere.

Compitalia festa, quae in compitis peragebant[60].

esse ex tabulis et tabernacula a tabernis dicta, quamvis non ex tabulis, sed ex pellibus fiant. At quid tum *tentoria et pelles?* Lege *tentoriis pellibus. Pelles tentorias* i. e. *pelles ad tentoria aptas* commemorat Valerianus apud Trebellion. in vit. Claudii cap. 14. *pellium tentoriarum.* Quidam coniecerunt *licet et tentoria ex pellibus fiant.* Scal. *licet ex tentis pellibus fiant.* Error inde ortus est, quod *pelles tentorias* non intellexerunt scribae. — 30) *Conclavia*] *Conclava* B. Gu. 1. — 31) *loco*] *a loco* Gu. 1. — 32) *ab*] om. L. — 33) *aspici*] *potest* add. L. — 34) *potest*] *possit* B. — 35) *dies*] bis positum est in Gu. 1., non tamen ex errore. Tum enim coniungenda sunt verba ita: *Comitiales dies, dies app.* Hoc est, *ii dies app.* — 36) *insimul*] *simul* L. B. Gu. 1. — 37) *est dictus*] *dictus est* B. — 38) *dicebantur*] *dicuntur* Gu. 1. — 39) ἀπὸ τοῦ καλεῖν] *apoto kalin* Gu. 2. απο το κλιν M. ἀπὸ τοῦ om. pr., quae habet *kalin.* Graeca om. L. Gu. 1. — 40) *Condulus*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *Condylus* vulg. — 41) *ager*] *est ager* B. — 42) *codarum*] *caudarum* B. Gu. 1. — 43) *equinarum*] *id est qui caudas equinas representat* add. L. — 44) *commune*] *communi* B. Gu. 1. pr. — 45) *dicitur*] *dictum* L. Gu. 1. — 46) *cogendo*] *coquendo* Gu. 1. *coeundo* L. B. — 47) *coercetur*] *coarcetur* Gu. 2. *coartetur* S. — 48) *ad*] om. B. — 49) *cocula dicunt*] *dicunt coc.* Gu. 1. — 50) *decoquantur*] *coquantur* L. — 51) *coelum*] om. L. — 52) *chao*] Sic M. Gu. 2. *chaos* vulg. — 53) *putabant*] *putant* L. — 54) *formatum*] *firmatum* L. Gu. 1. — 55) *Coclacae*] *Cochalacae* M. — 56) *Cocetum*] Sic Gu. 1. S. *Coccetum* vulg. — 57) *ad pascendum communiter vicinis*] *comm. vicin. ad pasc.* B. — 58) *velut*] *veluti* B. — 59) *in*] om. Gu. 1. pr. — 60) *peragebant*]

Congruere dictum est[1] a gruibus, qui non fere segregantur[2], sive quum volant[3], sive quum pascuntur.

Cognomines dicuntur, qui eiusdem sunt nominis.

Cerrones[4] leves et inepti[5], a cratibus dicti, quod Siculi adversus Athenienses cratibus[6] pro scutis[7] sunt usi, quas Graeci γέῤῥα[8] appellant.

Coniptum[9] genus libaminis, quod ex farina conspersa faciebant.

Comptum[10] Afranius pro ornatu et cultu[11] posuit.

Conflages loca dicuntur[12], in quae[13] undique confluunt[14] venti.

Copona taberna a copiis dicta.

Compilare cogere est[15] et in unum condere.

Compernes nominantur[16] homines genibus plus iusto coniunctis.

Confoedusti[17] foedere coniuncti[18].

Commissatio[19] a vicis, quos Graeci κώμας[20] dicunt[21], appellatur[22]. In his enim[23] habitabant, priusquam oppida conderentur, quibus in locis alii alios convictus causa invitabant.

Committere proprie est[24] insimul[25] mittere: nunc eo[26] utimur et pro facere, aut pro relinquere, aut pro incipere.

Condere proprie est in unum et[27] interiorem locum dare ad custodiam faciliorem; quod verbum nunc significat conscribere, nunc facere, nunc componere et[28] instruere.

Consulas antiqui ponebant non tantum[29] pro consilium petas et perconteris[30], sed etiam pro iudices et statuas.

Cossi ab antiquis dicebantur[31] natura rugosi corporis homines, a similitudine vermium ligno editorum, qui cossi appellantur.

Consilium vel a consulendo dicitur, vel quod in unam sententiam plurium mentes consiliant et conveniant; sed a silentio[32] credibilius dictum putatur, quo maxime invenitur.

Conscripti dicebantur, qui ex equestri ordine patribus ascribebantur[33], ut numerus senatorum expleretur.

Consposos[34] antiqui dicebant fide mutua colligatos.

Consualia ludi dicebantur, quos in honorem Consi[35] faciebant, quem deum consilii putabant[36].

parebant L. — 1) *est*] om. L. — 2) *non fere segregantur*] Sic M. Gu. 2. *se non segregant* Gu. 1. *non segregantur* L. *non se segregant* vulg. *qui* pro vulg. *quae* habent Gu. 2. pr. — 3) *sive quum volant*] om. pr. — 4) *Cerrones*] *Crones* Gu. 1. — 5) *et inepti*] *et* om. Gu. 1. — 6) *cratibus*] *et crat.* Gu. 2. — 7) *scutis*] *stratis* L. pr. *crat. pro scut.* om. Gu. 1. — 8) γέῤῥα] *cerrhas* M. Gu. 2. *gerrha* pr. *gerrha γέῤῥα* B. om. Gu. 1. — 9) *Coniptum*] Sic in vet. libro esse testatur Dacer., qui rectissime *coniptum* a κονίπτω, pulvere aspergo, derivat. *Conitum* pr. S. *constum* L. *Computum* B. *Comtum* vulg., quae orta est e sequenti glossa. *ex* om. B. Gu. 1. pr. — 10) *Comptum*] *Computum* B. *Conitum* Gu. 1. pr. — 11) *cultu*] *excultu* M. S. — 12) *loca dicuntur*] *dic. loca* B. — 13) *quae*] *quibus* Gu. 1. — 14) *confluunt*] *conflant* Gu. 1. — 15) *cogere est*] Sic Gu. 2. *est cog.* vulg. — 16) *nominantur*] *appellantur* B. — 17) *Confoedusti*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *Confoedisti* vulg. — 18) *coniuncti*] *coniunctus* Gu. 1. — 19) *Commissatio*] Sic L. M. Gu. 1. 2. S. *Commessatio* vulg. — 20) κώμας] *komas* B. *comas* Gu. 2. pr. om. Gu. 1. — 21) *dicunt*] om. L. — 22) *appellatur*] *appellant* L. — 23) *enim*] om. L. — 24) *proprie est*] *est proprie* B. Gu. 1. — 25) *insimul*] *simul* B. — 26) *nunc eo*] *eo nunc* B. — 27) *et*] om. B. — 28) *et*] *nunc* add. B. — 29) *non tantum*] om. L. — 30) *perconteris*] Sic B. M. Gu. 1. 2. S. *proconteris non tantum* L. *percuncteris* vulg. — 31) *ab ant. dic.*] *diceb. ab ant.* L. Gu. 1. — 32) *silentio*] *silendo* B. — 33) *ascribebantur*] Sic Gu. 1. vulg. *adscr.*, *adscribantur* M. — 34) *Consposos*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. *Consponsos* vulg. — 35) *Consi*] *Consii* B. — 36) *consilii putabant*] *put. cons.* B. — 37) *intelligitur*] *in-*

Conventus quatuor modis intelligitur[37]. Uno[38], quum quemlibet hominem ab aliquo conventum esse dicimus. Altero[39], quum significatur multitudo ex compluribus[40] generibus hominum contracta in unum locum. Tertio, quum a[41] magistratibus iudicii causa populus congregatur[42]. Quarto quum aliquem in locum frequentia hominum supplicationis aut gratulationis causa colligitur.

Convicium[43] a vicis, in quibus prius[44] habitatum[45] est, videtur dictum, vel immutata litera quasi convocium.

Contuoli[46] oculi sunt in angustum coacti continentibus[47] palpebris.

Consternatio, quae est concitatio[48] quaedam subita ex aliquo metu, a sternutamento deducta est, quod eo[49] toto concutimur corpore.

Considerare a contemplatione siderum videtur[50] appellari.

Constitutus[51] hominum a consistentium multitudine appellatur.

Convallis est planicies ex omni parte comprehensa montibus collibusve. Vallis duobus lateribus inclusa[52] planicies. Vallis diminutivum vallicula facit.

Convoti iisdem[53] votis obligati[54].

Cibus[55] appellatur ex Graeco, quod illi peram, in qua cibum recondunt[56], *κίβισις*[57] appellant.

Ciccum membrana tenuis malorum punicorum.

Cispius[58] mons[59] in urbe[60] Esquilinae regionis de nomine cuiusdam hominis dictus.

Citimus extremus. *Uls* enim[61] facit *ultra*, *ultimus*[62]: *cis*[63], *citra*, *citimus*.

Cicindela[64] genus muscarum, quod noctu lucet, videlicet a candela[65], unde etiam candelabra putantur appellata.

Citrosa vestis appellata est a similitudine citri.

Civicam coronam civis salutis suae causa servatus in proelio dabat, quae erat ilignea[66], frondem habens perennem.

Circanca dicitur avis, quae volans circuitum facit.

Circites circuli ex aere facti.

Cilium[67] est folliculus[68], quo oculus tegitur[69], unde fit[70] *supercilium*.

Cimmerii dicuntur homines, qui frigoribus occupatas terras incolunt, quales fuerunt inter Baias

tellegitur M. — 38) *uno*] *modo* add. L. pr. — 39) *compluribus*] *pluribus* Gu. 1. — 40) *Altero*] *alio modo* L. — 41) *a*] om. M. — 42) *congregatur*] *congregaretur* L. — 43) *Convicium*] *Convitium* B. — 44) *prius*] Sic M. Gu. 2. S. *primum* vulg. — 45) *habitatum*] *habitum* B. — 46) *Contuoli*] *Contoli* B. — 47) *continentibus*] *conniventibus* B. M. S. *connitentibus* Gu. 1. pr. Ex hoc, quod *conniventibus* in quibusdam codd. est, vult Scal. efficere, scribendum supra esse *Connivoli*. At *Contuoli* est ita diminutive dictum, ut oculos significet micantes, (nos dicimus *blinzelnde Augen*,) qui non plane et aperte tuentur, sed paullum contractius. *Connivoli* esset glossema vocis *Contuoli*. — 48) *concitatio*] *constitutio* Gu. 1. — 49) *quod eo*] Sic L. Gu. 2. S. *quo eo* Gu. 1. *quod ex eo* B. *eo quod* vulg. — 50) *videtur*] om. B. — 51) *Constitutus*] *Constitus* B. — 52) *inclusa*] *comprehensa* L. — 53) *iisdem*] *hisdem* L. B. — 54) *obligati*] *alligati vel obligati* B. — 55) *Cibus*] *Cibum* L. M. Gu. 1. — 56) *cibum recondunt*] *recondunt cib.* B. — 57) *κίβισις*] Sic scripsi de coniectura, quum in M. Gu. 2. esset *cibis*. *cibesim* edit. princ. *κιβώτιον* vulg. om. L. Gu. 1. — 58) *Cispius*] *Cispios* Gu. 1. pr. *cespios* L. — 59) *mons*] om. L. B. M. Gu. 1. pr. vulg. additur *est*, sed hoc om. Gu. 2. S. — 60) *urbe*] *est* add. L. B. pr. — 61) *enim*] om. L., qui eius loco habet *sic*. — 62) *ultimus*] *vel ult.* B. — 63) *cis*] om. L. — 64) *Cicindela*] *Candindela* L. *Cincindella* Gu. 1. pr. *Cindela* B. — 65) *candela*] *candeo* L. pr. *candea* B. — 66) *iligneа*] *lignea* L. Gu. 1. 2. pr. — 67) *Cilium*] *Cillum* B. M. — 68) *folliculus*] *folliculum* L. M. Gu. 1. 2. — 69) *oculus tegitur*] *oculi teguntur* Gu. 1. — 70) *fit*] *est* Gu. 1.

et Cumas in ea regione, in qua convallis satis eminenti iugo[1] circumducta[2] est, quae neque matutino, neque vespertino tempore sole contegitur.

Cimbri lingua Gallica latrones dicuntur.

Cingulos appellabant homines, qui his locis[3], ubi cingi solet[4], satis sunt tenues.

Cillibae[5] mensae rotundae.

Chilo dicitur cognomento a magnitudine labrorum[6].

Cilo sine aspiratione, cui frons est eminentior, ac[7] dextra sinistraque velut[8] recisa[9] videtur.

Cisterna dicta est, quod cis inest infra[10] terram.

Camillus proprie appellatur[11] puer ingenuus.

Capuam in Campania quidam[12] a *Capye*[13] appellatam ferunt, quem a pede introrsus curvato nominatum[14] antiqui nostri Falconem[15] vocant[16]; alii a planicie regionis.

Camenae musae a carminibus sunt dictae, vel quod canunt antiquorum laudes, vel quod sint castae mentis praesides.

Camara[17] et *camuri* boves a curvatione ex Graeco *κάμπη* dicuntur[18].

Cappas[19] marinos equos Graeci a flexu[20] posteriorum partium appellant[21].

Catampo genus est lusus.

Carissa[22] apud Lucilium vafram[23] significat.

Caerimoniarum causam alii ab oppido Caere dictam[24] existimant; alii a caritate dictam iudicant[25].

Coelibem dictum existimant, quod dignam coelo vitam[26] agat[27].

Catamitum[28] pro Ganymede dixerunt, qui fuit Iovis concubinus[29].

Caeculus condidit[30] Praeneste. Unde putant Caecilios ortos, quorum erat nobilis familia apud Romanos. Alii appellatos eos[31] dicunt a Caecade[32] Troiano, Aeneae comite.

Coelius[33] mons dictus est a Coele[34] quodam ex Etruria, qui Romulo auxilium adversus[35] Sabinos praebuit[36], eo quod in eo domicilium habuit[37].

Caecum[38] vallum dicitur, in quo praeacuti pali terrae affixi[39] herbis vel frondibus occuluntur.

Catillones[40] appellabant antiqui gulosos.

1) *satis eminenti iugo*] Sic L. B. M. Gu. 2. pr. *iugo satis em.* vulg. *iugo* om. Gu. 1. — 2) *circumducta*] *circumdata* L. B. Gu. 1. pr. — 3) *his locis*] *in his l.* M. pr. *in loco* L. — 4) *solet*] *solent* B. — 5) *Cillibae*] *Cellibae* B., in marg. *vel Cill.* — 6) *labrorum*] Sic L. B. Gu. 1. 2. pr. Cod. Lips. addit haec: *et dicitur chilo cibus quidam, unde Achilles dicitur quasi sine chilo, id est cibo, quia parcus fuit, id est moderatus in cibo et potu.* — 7) *ac*] *a* Gu. 2. — 8) *velut*] *veluti* M. — 9) *recisa*] *rescissa* L. — 10) *quod cis inest infra*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *quod est cis id est infra* vulg. — 11) *propr. app.*] *app. propr.* L. *propr. vocatur* B. — 12) *in Camp. quidam*] *quidam in Camp.* Gu. 1. — 13) *Capye*] Sic M. Gu. 2. *Capiis* L. *Capys* B. *Capy* vulg. *a Capy* om. Gu. 1. — 14) *nominatum*] Sic L. M. Gu. 1. 2. pr. S. *nominatim* B. *nominarunt* vulg. — 15) *nostri Falc.*] *falc. nostri* pr. — 16) *vocant*] *vocabant* B. — 17) *Camara*] Sic L. B. M. Gu. 2. S. *Camera* Gu. 1. pr. — 18) *κάμπη dicuntur*] *dic. κάμπη* B. om. Graecam vocem L. M. Gu. 1. pr., quae habet *flexura.* L. add. *Camera fornix est.* — 19) *Cappas*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *Campas* vulg. — 20) *flexu*] *flexione* L. B. Gu. 1. pr. S. — 21) *appellant*] *appellabant* B. — 22) *Carissa*] Sic S. *Carissam* vulg. male. — 23) *vafram*] *vafrum* B. Gu. 1. 2. Sed vide not. Scal. *sign. vafram* L. — 24) *dictam*] *dictas* L. B. M. Sic infra pr. — 25) *iudicant*] *indicant* B. *alii iudicant* Gu. 1. — 26) *dignam coelo vitam*] *vitam coelo dign.* L. — 27) *agat*] *agant* B. *ducat* L. — 28) *Catamitum*] *Cantamitum* L. — 29) *concubinus*] *concubitus* Gu. 1. *de genere Troiano* add. L. — 30) *condidit*] Sic M. Gu. 2. S. *conditor* vulg. — 31) *eos dicunt*] *eos esse dic.* B. *eos* om. L. — 32) *a Caecade*] *ab Achate* L. — 33) *Coelius*] *Caelius* M. — 34) *Coele*] *Caele* M. *Coelo* B. *Coelio*

Catillatio[41] grave opprobrium hominibus[42] generosis obiiciebatur, si qui provincias amicas populi Romani exspoliassent.

Cesticillus[43] appellatur circulus, quem superponit[44] capiti, qui aliquid est laturus[45] in capite.

Cespes est terra in modum lateris caesa cum herba, sive frutex recisus et truncus[46].

Catulinam carnem esitavisse, hoc est comedisse Romanos[47] Plautus in Saturione[48] refert.

Catax[49] claudus.

Caecultare est[50] caecos imitari.

Caesariati comati.

Catularia porta Romae dicta est, quia non longe ab ea ad placandum caniculae sidus frugibus inimicum rufae canes immolabantur, ut fruges flavescentes ad maturitatem perducerentur.

Caedem[51] putant ex Graeco dici, quod apud illos *καίνειν*[52] significet[53] caedere.

Cenina[54] urbs, quae fuit vicina Romae, a Cenite conditore appellata est[55].

Catulus[56] quoddam genus[57] vinculi, qui[58] interdum canis appellatur.

Caestus vocantur et ii[59], quibus pugiles dimicant et genus quoddam ornatus mulierum[60].

Caediliae tabernae in via Appia domini[61] nomine sunt vocatae.

Cavillatio est iocosa calumniatio.

Cati fons, ex quo aqua Petronia[62] in Tiberim fluit, dictus, quod in agro fuerit cuiusdam Cati[63].

Cacula[64] servus militis. Plautus:

Video caculam[65] *militarem.*

Dicitur autem[66] a Graeco *κᾶλον*[67], quod fustibus clavisque ligneis ad tutelam dominorum armari soliti sunt[68].

Canalicolae forenses homines pauperes dicti, quod circa canales fori consisterent.

Cana dicunt Graeci, nos *canistra*[70] et[71] per diminutionem *canistella.*

Canicae[72] furfures de farre a cibo canum vocatae.

Cancri dicebantur ab antiquis, qui nunc per diminutionem cancelli[73]; ex quo genere sunt calces, qui per diminutionem appellantur[74] calculi.

Canentas[75] capitis ornamenta.

L. — 35) *adversus*] *adversum* M. — 36) *praebuit*] *posuit* Gu. 1. — 37) *habuit*] *monte* add. L. — 38) *Caecum*] *Cacum* M. — 39) *affixi*] Sic B. *adfixi* vulg. — 40) *Catillones*] *Catiliones* B. M. Gu. 1. 2. *Catuliones* L. — 41) *Catillatio*] *Catilatio* Gu. 1. — 42) *hominibus*] om. L. — 43) *Cesticillus*] *Caest.* M. *Cistic.* L. — 44) *superponit*] *supponit* L. B. — 45) *est laturus*] *lat. est* B. — 46) *truncus*] Sic M. Gu. 2. *truncatus* vulg. *truncatus est* S. — 47) *Romanos*] *apparet* add. L. — 48) *Saturione*] *Saturnione* L. — 49) *Catax*] *Caeax* B. — 50) *est*] *exconsimilari id est caecos im.* L. — 51) *Caedem*] *Caedere* L. — 52) *καίνειν*] Sic scripsi de coniectura, quum similia in codd. reperissem, quorum B. habet *καὶν;* L. *keun;* M. Gu. 2. *kethin;* *κταίνειν* vulg. om. Gu. 1. pr. — 53) *significet*] Sic L. Gu. 1. 2. *significat* vulg. — 54) *Cenina*] *Cenita* L. pr. *Cenum* M. *Cemea* Gu. 1. — 55) *appellata est*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. om. *est* vulg. *appellata* om. L. — 56) *Catulus*] *Catullus* Gu. 1. — 57) *quoddam genus*] *genus quoddam* B. M. Gu. 1. — 58) *qui*] *quod* M. — 59) *ii*] *hi* B. M. pr. — 60) *ornatus mulierum*] Sic L. M. Gu. 1. 2. *ornatus mulieris* B. *muliebris ornatus* vulg. — 61) *domini*] *a dom.* L. B. M. pr. — 62) *Petronia*] *praetoria* L. — 63) *fuerit cuiusdam Cati*] Sic Gu. 2. *cuiusd. fuerit Cati* vulg. — 64) *Cacula*] *Catula* B. — 65) *caculam*] *catulam* B. — 66) *autem*] om. M. — 67) *κᾶλον*] *calon* pr. *καλων* B. *calin* M. Gu. 2. om. L. Gu. 1. — 68) *sunt*] Sic Gu. 2. *sint* vulg. — 69) *homines — canales*] haec omnia om. M. — 70) *canistra*] *canista* B. — 71) *et*] om. L. — 72) *Canicae*] *Canices* L. *Canites* B., in marg. *Canicae.* — 73) *cancelli*] *calculi* Gu. 1. Quae hinc sequuntur om. Gu. 1. — 74) *appellantur*] Sic L. B. M. Gu. 2. pr. S. *dicuntur* vulg. — 75) *Canentas*] *Canentes* M.

Canta[1] pro cantata[2] ponebant.
Caudicariae naves ex[3] tabulis crassioribus[4] factae.
Candelabrum dictum, quod in eo[5] candelae figantur[6].
Cantherius hoc distat ab equo, quod[7] maialis a verre, capo[8] a gallo, vervex[9] ab ariete. Est enim cantherius equus, cui testiculi amputantur.
Cavillum cavillatio, id est irrisio.
Caudecae[10] cistellae ex iunco, a similitudine equinae caudae factae.
Caulae a cavo dictae. Antiquitus enim ante usum tectorum oves in antris claudebantur[11].
Cavum a chao[12] dictum et[13] eius inanitate[14].
Caculatum[15] servitium.
Calones calcei ex ligno facti.
Clacendix[16] genus conchae.
Calpar genus vasis fictilis.
Calces ampullae plumbeae.
Calbeos armillas dicebant, quibus triumphantes utebantur, et quibus ob virtutes[17] milites donabantur.
Calix, quod in eo calidum bibitur[18].
Calpurni[19] a Calpo Numae regis filio sunt oriundi.
Calim[20] antiqui dicebant pro *clam*, ut *nis* pro *nobis*, *sam* pro *suam*, *im* pro *eum*.
Calicata aedificia calce polita.
Calyptra[21] genus est[22] vestimenti, quo capita operiebant[23].
Calathos Graeci, nos dicimus[24] *quasillos*.
Caduceatores legati pacem petentes. Cato *Caduceatori*, inquit, *nemo homo nocet*[25].
Carinantes probra obiectantes[26], a carina dicti[27], quae est infima[28] pars navis; sic illi sortis infimae.
Cadmea terra, quae in aes coniicitur[29], ut fiat orichalcum[30].
Casa a cavatione dicta.
Cascum[31] antiquum.
Casnar senex Oscorum lingua.
Cassiculum reticulum a[32] cassibus[33] per diminutionem dictum.
Caseus a coeundo dictus.

1) *Canta*] *Cantas* L. — 2) *cantata*] *cantatas* L. Gu. 1. — 3) *ex*] *e* M. — 4) *crassioribus*] *grossioribus* B. M. Gu. 1. 2. pr. — 5) *eo*] Sic L. M. Gu. 1. pr. S. *ea* vulg. male. — 6) *candelae fig.*] *fig. cand.* B. — 7) *quod maialis*] *quo* L. *magialis* B. — 8) *capo*] Sic M. Gu. 1. 2. *capus* vulg. — 9) *vervex*] *berbix* M. *berbex* Gu. 2. — 10) *Caudecae*] *Caudicae* S. — 11) *claudebantur*] *ducebantur* L. Gu. 1. — 12) *chao*] *cavo* B. — 13) *et*] *ab* L. — 14) *inanitate*] *immanitate* Gu. 2. — 15) *Caculatum servitium*] Hic articulus in uno cod. Gu. 2. et edit. Scal. et Dac. reperitur. Cett. omittunt. — 16) *Clacendix*] Sic L. B. M. Gu. 2. S. *Calcendix* vulg. — 17) *virtutes*] *virtutem* B. Gu. 1. pr. — 18) *bibitur*] *bibatur* L., qui addit: *vel a Graeco cylix*; similiter ed. Scal. *vel a Graeco* κύλιξ. — 19) *Calpurni*] *Calphurni* B. *Calpani* Gu. 1. — 20) *Calim*] Sic L. pr. S. *calam* Gu. 1. *Callim* vulg. — 21) *Calyptra*] vulg. *Caliptra* M. Gu. 1. 2. S. *Calisprta* B. *Capitra* L. — 22) *est*] om. B. M. Gu. 1. pr. — 23) *operiebant*] *operiebantur* B. — 24) *dicimus*] om. B. Verba: *Calathos* — *quasillos* om. L. — 25) *nocet*] *nocat* L. Fortasse fuit *noceat* scriptum a Catone. — 26) *obiectantes*] Sic M. Gu. 2. S. *obiicientes* vulg. — 27) *dicti*] *sunt* add. B. om. *dicti* Gu. 1. — 28) *infima*] *ultima* Gu. 1. — 29) *coniicitur*] *coicitur* L. M. — 30) *orichalcum*] *ericalc.* M. *oric.* Gu. 1. — 31) *Cascum*] *Cassum* L. — 32) *a*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. S. *e* vulg. — 33) *cassibus*] *casionibus* M. — 34) *Casabundus*] Sic L. *Cassabundus* vulgata cum cett. —

Cassilam antiqui pro casside ponebant.

Casabundus[34] crebro cadens.

Casaria, quae custodit casam.

Cassia via a Cassio strata.

Caput ex Graeco dictum, quod illi interdum κάρα dicunt[35].

Caperatum[36] rugosum a cornuum caprinorum similitudine dicitur.

Capis poculi genus, dictum a capiendo.

Capsae a Graeco appellantur; has illi κάμπτρας[37] dicunt.

Capital[38] facinus, quod capitis poena luitur.

Capronae equorum iubae in frontem devexae, dictae[39] quasi a capite pronae.

Capidulum genus vestimenti, quo caput tegebatur.

Caprae dictae, quod omne[40] virgultum carpant, sive a crepitu crurum. Unde et crepas eas prisci dixerunt.

Cuppes[41] et *cuppedia*[42] antiqui lautiores cibos nominabant; inde et macellum et[43] forum cupedinis[44] appellabant. Cupedia[45] autem[46] a cupiditate sunt dicta, vel, sicut Varro ait, quod[47] ibi fuerit Cupedinis[48] equitis domus, qui fuerat ob latrocinium damnatus.

Caprunculum vas fictile.

Curatores dicuntur, qui pupillis loco tutorum dantur; sive illi, qui rei frumentariae agrisve[49] dividundis[50] praepositi sunt.

Curia locus est[51], ubi publicas curas gerebant. *Calabra*[52] curia dicebatur, ubi tantum ratio sacrorum gerebatur. Curiae etiam nominantur, in quibus uniuscuiusque partis populi Romani quid geritur, quales sunt hae[53], in quas Romulus populum[54] distribuit, numero triginta, quibus postea additae sunt quinque, ita ut in[55] sua quisque curia sacra publica faceret feriasque observaret, iisque[56] curiis singulis nomina Curiarum[57] virginum imposita esse dicuntur, quas virgines quondam Romani de Sabinis rapuerant[58].

Curriculo pro cursim ponebant. Plautus *Licet*, inquit, *vos*[59] *abire curriculo.*

Curriculus diminutivum est[60] a curru.

Curtilacum[61] appellatur a Curtio, qui eo[62] loco in profundissimum se ob salutem Romani populi[63] proiecit hiatum.

Curionium[64] aes dicebatur, quod dabatur curioni ob sacerdotium curionatus.

Curis est Sabine hasta. Unde Romulus Quirinus, quia[65] eam ferebat, est dictus[66]; et Romani

35) *Quod illi interdum κάρα dicunt.*] Sic cum vulgata scripsi. *illi* om. L. *kapa* B., in quo post lacunam sequitur *tēphi ãnt.* *karatenphi* M. Gu. 2. — 36) *Caperatum*] *Capperatum* Gu. 1. *Capparratum* B. *Caperratum* pr. *Capratum* L. — 37) κάμπτρας] Sic S. *camptras* Gu. 2. *camptra* M. κιβώτια vulg., quod om. L. Gu. 1. pr. — 38) *Capital*] *Capitale* L. — 39) *dictae*] *dictum* Gu. 1. — 40) *omne*] Sic L. Gu. 2. S. vulg. *omnem.* om. pr. — 41) *Cappes*] Sic Gu. 1. 2. pr. *Cupes* vulg. — 42) *cuppedia*] Sic Gu. 1. 2. pr. *cupedia* vulg. — 43) *et*] om. L. B. M. Gu. 1. S., qui utrumque *et* om. — 44) *cupedinis*] *cupidinis* Gu. 1. *cupedines* pr. — 45) *Cupedia*] *Capidia* Gu. 1. pr. — 46) *autem*] *aut* L. — 47) *quod*] *quae* B. — 48) *Cupedinis*] *Cupidinis* Gu. 1. pr. — 49) *agrisve*] *agrisque* B. — 50) *dividundis*] Sic edit. princ. *dividendis* vulg. — 51) *locus est*] *est locus* B. *est* om. Gu. 1. — 52) *Calabra*] Sic L. Gu. 1. S. *culabra* M. Gu. 2. pr. *Calabria* vulg. — 53) *hae*] om. B. *eae* Gu. 1. — 54) *Romulus pop.*] *pop. Rom.* B. — 55) *in*] om. L. — 56) *iisque*] *hisque* B. M. Gu. 1. pr. — 57) *Curiarum*] om. L. — 58) *rapuerant*] *rapuerunt* L. M. Gu. 1. S. Sequuntur in B. haec: *un raptae ēm mŏr sabĩn* (sic). — 59) *vos*] *nos* B. — 60) *dimin. est*] *est dimin.* L. — 61) *Curtilacum*] *Curtillacum* L. *Curtii locus* S. Dac. — 62) *eo*] *in eo* M. — 63) *Rom. pop.*] *pop. Rom.* L. B. M. — 64) *Curionium*] Sic M. Gu. 2. S. *Curionum* vulg. — 65) *quia*] *qui* M. — 66) *est dict.*] *dict. est* L.

a Quirino Quirites dicuntur. Quidam[1] eum dictum putant a Curibus, quae fuit urbs opulentissima Sabinorum[2].

Curitin Iunonem appellabant, quia eandem ferre hastam putabant.

Curiales eiusdem curiae, ut tribules et municipes.

Curules equi quadrigales.

Curiata comitia a curiis sunt appellata[3].

Centurionus antea, qui nunc centurio, et curionus[4] et decurionus[5] dicebantur[6].

Currules[7] magistratus appellati[8] sunt, quia curru vehebantur.

Curiati[9] *fana*[10] a Curio dicta[11], quia[12] eo[13] loco domum habuerat.

Cura dicta est, quasi cor edat, vel quia cor[14] urat.

Cum imperio est[15] dicebatur apud antiquos, cui[16] nominatim a populo[17] dabatur[18] imperium.

Cum potestate est[19] dicebatur de eo, qui a populo alicui negotio praeficiebatur[20].

Cuniculum id est foramen sub terra occultum aut ab animali, quod simile est[21] lepori, appellatur, cui[22] subterfossa terra[23] latere est solitum, aut[24] a cuneorum similitudine, qui omnem materiam intrent[25] fidentes[26].

Clunaculum[27] cultrum sanguinarium dictum[28] vel quia ad clunes dependet, vel quia clunes hostiarum dividit[29].

Cumerum vas nuptiale a similitudine cumerarum, quae fiunt[30] palmeae[31] vel sparteae[32] ad usum popularem, sic appellatum[33].

Culcita, quod tomento[34] inculcatur, appellata[35].

Culcitula[36] fusticulus[37] quidam ligneus in sacris dicebatur.

1) *Quidam*] *vero* add. B. — 2) *fuit urbs op. Sab.*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *fuit op. Sab. urbs* L. *urbs fuit op. Sab.* vulg. — 3) *sunt appellata*] Sic M. Gu. 2. om. *sunt* vulg. — 4) *et curionus*] om. L. — 5) *decurionus*] Sic L. M. Gu. 1. 2. pr. S. *decuriones* vulg. — 6) *dicebantur*] *dicebatur* L. — 7) *Currules*] Sic M. Gu. 2. *Curules* vulg. — 8) *sunt appellati*] *appellatus est* L. — 9) *Curiati fana*] Sic M. Gu. 1. 2. pr. *Curiatia* L. *Curiata* B. *Curii fana* vulg. Scal. vult *Curia tifata*. Vide eius notam. — 10) *fana*] *fama* Gu. 1. pr. — 11) *dicta est*] Sic B. Gu. 1. 2. pr. — 12) *quia*] *qui* L. Gu. 1. pr. — 13) *eo*] Sic L. M. Gu. 1. 2. pr. S. vulg. *in eo*. — 14) *cor*] om. Gu. 1. — 15) *est*] Sic L. M. Gu. 1. 2. pr. *esse* vulg. — 16) *cui*] *quoi* pr. — 17) *a populo*] om. L. — 18) *dabatur*] om. pr. — 19) *est*] Sic L. B. Gu. 1. 2. pr. *esse* vulg. — 20) *praeficiebatur*] *praeferebatur* L. B. M. Gu. 1. 2. pr. Lubentissime obsecutus essem tot codd. consensui, modo explicari posset illa lectio. Haud dubie tamen communis scribarum error, ortus ex non intellecto scripturae compendio. — 21) *sim. est*] *est sim.* L. — 22) *cui*] *qui* B. *quod* S. Dac. — 23) *subterfossa terra*] *sub terra fossa* L. — 24) *aut*] om. B. — 25) *intrent*] Sic Gu. 2. *intrant* vulg. — 26) *findentes*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. S. *fidentes* vulg. — 27) *Clunaculum*] Sic Gu. 2. *Clunaclum* L. M. S. *Clunadum* vulg. — 28) *dictum*] *aiunt* add. L. — 29) *vel quia ad clunes* etc.] Hoc ordine L. Gu. 1. 2. *vel quia clunes host. div., vel quia ad clun. dep.* vulg. *dependit dividit* Gu. 1. *hostiorum clunes* B. *dependit* Gu. 1. M. — 30) *fiunt*] *sunt* L. — 31) *palmeae*] Sic B. M. Gu. 2. S. *palmae* L. Gu. 1. pr. *palma* vulg. — 32) *sparteae*] Sic B. M. Gu. 2. S. *sparti* pr. *parte* Gu. 1. *porte* L. *sparto* vulg. — 33) *appellatum*] *appellatur* Gu. 1. — 34) *tomento*] *tormento* B. Gu. 1. pr. Pro *Culcita*, quod est in B. M. Gu. 1. 2. pr. S., habet vulgata *Culcitra*. — 35) *appellata*] om. L. *sic app.* B. *appellatur* Gu. 1. In L. sequitur *Culcita, quae tormento iaculatur.* — 36) *Culcitula*] *Culticula* M. — 37) *fusticulus*] *fasciculus* Gu. 1. — 38) *ita* om. L. — 39) *scilicet pro scias*] om. L., qui *et* ante *si vis* habet. *scies* B. pr. — 40) *viridium*] *viridum* B. — 41) *culleorum*] Sic B. M. Gu. 2. pr. *culeorum* vulg. — 42) *Cussilirem*] *Cusiliris* L. — 43) *dicebant antiqui*] *dicebatur apud antiquos* L. — 44) *comitia vocare*] *ad comitia advocare* L. *com. advocare* B. — 45) *sed*] *si* L. — 46) *etiamsi div.*] *etsi in div.* L. — 47) *Coturnium*] Sic L. Gu. 1. B. pr. S. *Cuturnium* vulg. — 48) *in*] om. Gu. 1. — 49) *Culignam*] om. B. — 50) *feno*] Sic M. Gu. 2. *foeno* vulg. — 51)

Cumalter significat cum altero, dictum ab antiquis ita[38] brevitatis causa, ut sodes pro si audes, scilicet pro scias[39] licet, sis pro si vis.

Culliola cortices nucum viridium[40] dicta a similitudine culleorum[41], quibus vinum sive oleum continetur.

Cussilirem[42] pro ignavo dicebant antiqui[43].

Cum populo agere hoc est populum ad concilium aut comitia vocare[44].

Cuncti significat quidem omnes, sed[45] coniuncti et congregati, at vero omnes, etiamsi[46] diversis locis sint.

Cunire est stercus facere, unde et inquinare.

Coturnium[47] vas, quo in[48] sacrificiis vinum fundebatur.

Culigna vas potorium. Cato *Culignam*[49], inquit, *in feno*[50] *Graeco ponito*[51], *ut bene oleat.*

Coctiones[52] dicti videntur a cunctatione[53], quod in emendis vendendisque mercibus tarde perveniant ad iusti pretii finem. Itaque apud antiquos prima syllaba per *u* literam scribebatur[54].

Custodelam dicebant antiqui, quam nunc dicimus custodiam.

Cymbam[55] Graeci *κύμβην*[56] appellant.

Cutis Graecam habet originem. Hanc enim illi dicunt *κύτιν*[57].

Cotiliae[58] lacus appellatur, quod in eo est insula, *Κοτύλη*[59] nominata a Graecis.

Cnephosum[60] antiqui dicebant tenebricosum[61]. Graeci enim *κνέφας* appellant obscurum[62].

Cymbium[63] poculi genus a similitudine[64] navis, quae *κύμβος* dicitur[65], appellatum[66].

Calasis[67] tunicae genus, quod Graeci *καλάσινον*[68] dicunt. Alii dicunt nodum esse tunicae muliebris, quo connexa circa cervicem[69] tunica summittitur[70].

Cyparissae[71] dicuntur ignes prodigiosi a[72] similitudine cypressorum[73].

ponito] *ponit* L. B. M. Gu. 2. *Gr. ponito* om. Gu. 1. — 52) *Coctiones*] *Cuctiones* B. *Cunctiones* Gu. 1. — 53) *cunctatione*] *conctatione* B. — 54) *prima syllaba — scribebatur*] *primam syllabam — scribebant* L. *scribetur* B. — 55) *Cymbam*] *Cumbam* M. Gu. 1. 2. — 56) *κύμβην appellant*] *cymbin app.* L. Gu. 2. *cymbim* M. *app. κύμβην* S. om. Graecum B. Gu. 1. pr. *κύμβιον* vulg. — 57) *dicunt κύτιν*] Sic scripsi e Gu. 2., in quo est *dicunt kytin; kytin dicunt* L. M. *cyton* pr. *dicunt κύντην* B. *κύτος dicunt* vulg. Forma *κύτις*, cuius hoc loco accusat. legitur, quamquam nusquam reperiatur, tamen recepi propter optimorum codd. auctoritatem. Et habent sane grammatici suam quandam Graecitatem, qua etymologias suas probabiles reddant. — 58) *Cotiliae*] Sic S. *Cutile* L. B. *Cutille* vulg. Vide Scal. not.; pro *lacus* Gu. 1. *locus* habet, et pro *appellatur* in L. est *dicitur.* — 59) *Κοτύλη*] Sic scripsi Graecis literis e vestigiis codd. M. Gu. 2., in quibus est *Cotili; Cotilla* Gu. 1. *Cotilia* vulg. — 60) *Cnephosum*] *Cenephosum* L. Gu. 1. — 61) *tenebricosum*] *tenebrosum* L. — 62) *κνέφας appellant obscurum*] Sic. S. *knepas appellant obscurum* Gu. 2. *appellant oscurum cnephos* L. *appellant κνεφος* B. *cnephas* pr. *appellabant obsc.* omissa Graeca voce Gu. 1. *κνέφας appellabant obsc.* vulg. — 63) *Cymbium*] *Cimbium* L. B. Gu. 1. — 64) *a similitudine*] *ad similitudinem* L. — 65) *quae κύμβος dicitur*] Sic scripsi e vestigiis Gu. 2., in quo est *quae cymbis dicitur; quae dicitur cimbis* L. M. *quae dicitur cymba* B. S. *dicitur appellatum* Gu. 1. pr. omissa Graeca voce. *quam diximus cymbion* vulg. — 66) *appellatum*] *appellatur* L. B. M. — 67) *Calasis*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. S. *Calassis* vulg. — 68) *καλάσινον dicunt*] Sic scripsi e M. Gu. 2., in quibus est *calasinon. dicunt calasnon* L. *dicunt καλλασιν* B. *καλλάσιριν dicunt* S. *callopisten dicunt* pr. *καλλόπιστον dicunt* vulg. Recepi optimi cod. Gu. 2. lectionem, quamquam voc. *καλλάσινον* in Lexicis Graecis non reperitur. Om. Graecum vocab. Gu. 1. Fortasse verum vidit Scaliger, qui *χάλασιν* reponendum censebat. Praetulerim tamen ego *χαλασμόν.* — 69) *cervicem*] *crinem* B. — 70) *summittitur*] *submittitur* B. M. Gu. 1. pr. S. — 71) *Cyparissae*] Sic Gu. 1. 2. S. *Cirapissie* L. *Cyparissiae* vulg. — 72) *a*] om. L. B. M. Gu. 1. pr. — 73) *cypressorum*] Sic B. M. Gu. 2. pr. *cipress.* L., qui codex haec addita habet: *arborum, quae a latitudine incipiunt et in angustum desinunt; cupressorum* vulg.

Cybebe[1] mater, quam dicebant magnam, ita appellabatur[2], quod ageret[3] homines in furorem, quod Graeci *κύβηβον*[4] dicunt.

Cybele vero eadem[5] dicta a loco, qui est in Phrygia[6].

Cytherea[7] Venus ab urbe Cythera, in quam primum devecta esse dicitur concha, quum in mari esset concepta[8].

Cyllenius[9] Mercurius dictus, quod omnem rem sermo[10] sine manibus conficiat, quibus partibus corporis qui carent *κυλλοί*[11] vocantur, ideoque quadratum eum fingunt. Alii volunt sic appellatum, quod in Cyllenia[12] via sit nutritus. Alii, quod in monte Arcadiae[13] Cyllene. Alii, quod a Cyllene[14] sit nympha educatus[15].

Cypria Venus, quod ei primum in Cypro[16] insula templum sit constitutum, vel quia parientibus praesideat[17], quod Graece *κύειν* parere sit[18].

Cynthius[19] Apollo a Cyntho[20] Deli monte vocatus.

Chalcidicum[21] genus aedificii ab urbe Chalcidica[22] dictum.

Choragum[23] instrumentum scenarum.

Chaos appellat Hesiodus[24] confusam quandam[25] ab initio unitatem, hiantem patentemque[26] in profundum. Ex eo et[27] *χάσκειν*[28] Graeci[29], et nos *hiare* dicimus. Unde Ianus[30] detracta aspiratione nominatur ideo[31], quod fuerit[32] omnium primum[33]; cui[34] primo[35] supplicabant veluti parenti et a quo rerum omnium factum putabant initium.

Choenica[36] mensurae genus.

Cybium[37] dictum, quia eius medium aeque[38] patet in omnes partes, quod genus a geometricis[39] *κύβος*[40] dicitur. Unde etiam tessellae[41] quadratae *κῦβοι*[42]. Hinc et cybios genus piscis, quia piscantes[43] id genus piscium velut aleam ludant.

Cnasonas[44] acus, quibus mulieres caput scalpunt[45].

Creperum dubium, unde increpitare dicimus, quia maledicta fere incerta et dubia sunt.

Crepiculum[46] ornamentum[47] capitis; idem[48] enim in[49] capitis motu crepitum facit.

1) *Cybebe*] Sic M. Gu. 2. *Cybele* vulg. *Cibele* L. B. ut paulo post. — 2) *appellabatur*] *appellatur* pr. — 3) *quod ageret*] *quod* om. Gu. 1. *agebat* L. — 4) *κύβηβον*] Sic S. *cibibon* M. Gu. 2. *κυβικον* B. *Graeci dicunt* Gu. 1. hoc ordine, omissa Graeca voce. — 5) *eadem*] *dea* add. L. — 6) *Phrygia*] *Cybelas* add. L. — 7) *Cytherea*] *Citherea* L. *id est* add L. B. pr. Sic mox *Cithera* L. B. — 8) *concepta*] *vel quod ipse in se occultet amores* add. B. — 9) *Cyllenius*] *Cyllenus* L. *Cillenius* Gu. 1. — 10) *sermo*] *ſmo* (sic) B. — 11) *κυλλοί*] *killoi* M. Gu. 2. *ciloe mutilati* pr. om. L. Gu. 1. — 12) *Cyllenia*] *Cillenia* M. — 13) *Arcadiae*] om. Gu. 1. — 14) *Cyllene*] *Cilleno* M. *Cilene* B. — 15) *educatus*] *nutritus vel educatus* B. — 16) *Cypro*] *Cypri* L. — 17) *praesideat*] *praesidebat* B. — 18) *Graece κύειν parere sit*] *Graece parere sit κύειν* B. Eodem ordine L., nisi quod om. Graecam voc., ut Gu. 1. *kiein* Gu. 2. *cyen* pr. — 19) *Cynthius*] *Cinthius* L. — 20) *Cyntho*] *Cintho* L. — 21) *Chalcidicum*] *Chalcidium* L. pr. *Calchidium* B. Gu. 1. — 22) *Chalcidica*] Sic M. Gu. 2. pr. S. *Calchidica* Gu. 1. *Calcidica* L. *Calchidia* B. *Chalcidia* vulg. — 23) *Choragum*] Sic M. Gu. 2. *Coragum* L. *Choragium* pr. S. *Coragium* vulg. Verum est *Choragium*. — 24) *appellat Hesiodus*] *appellat est siodus* (sic) M. — 25) *quandam*] *quondam* Gu. 1. pr. — 26) *patentemque*] *petentemque* M. — 27) *et*] *quod* L. — 28) *χάσκειν*] *Ichaskein* Gu. 2. *chaschein* M. *chanein* pr. *καίνειν* B. *χάνειν* vulg. om. L. Gu. 1. — 29) *Graeci*] *κανειν Gr.* B. — 30) *Ianus*] *hianus* M. *Clanus* Gu. 1. — 31) *ideo*] *id* Gu. 2. *eo* L. B. Gu. 1. pr. — 32) *fuerit*] om. Gu. 1. — 33) *omnium primum*] *omnium primus* B. M. *primus omnium* L. — 34) *cui*] *quoi* pr. — 35) *primo*] om B. — 36) *Choenica*] *Choenix* L. — 37) *Cybium*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *Cubum* L. *Cymbium* vulg. — 38) *aeque*] om. B. — 39) *geometricis*] Sic M. Gu. 2. *geometris* vulg. — 40) *κύβος*] *cibos* M. Gu. 2. pr. *κυβος a geom.* B. om. L. Gu. 1. — 41) *tessellae*] *tesserulae* L. — 42) *κῦβοι*] *cyboe* M. Gu. 2. pr. *cybeae* B. — 43) *piscantes*] *piscantur* M. — 44) *Cnasonas*] Sic M. S. *Cinasones* L. *Cinasonas* B.

Crocotillum valde exile. Plautus:

Extortis talis cum crocotillis crusculis[50].

Crusculum diminutivum a crure.

Crines a discretione dicti, quam Graeci *κρίσιν* appellant[51]. Nam iidem eos *κρινίδας* vocant[52].

Crocatio corvorum vocis[53] appellatio.

Crucium, quod cruciat. Unde Lucilius[54] vinum insuave crucium dixit.

Crocotinum[55] genus operis pistorii.

Crustariae[56] tabernae a vasis potoriis[57] crustatis dictae[58].

Cracentes graciles. Ennius:

Succincti gladiis media regione cracentes.

Crevi modo significat haereditatem adii: modo maior aetate vel censu sum[59]: modo iudicavi, modo divisi. Quae omnia[60] a duobus verbis cresco et cerno veniunt[61], cuius unius origo ex Graeco trahitur[62], quod illi *κραίνειν* dicunt perficere[63].

Creterrae[64] vocabulum trahitur a cratere, quod est vas[65] vini.

Craticulum a Graeco *κρατεύτᾳ*[66] deducitur.

Centuria in agris significat ducenta iugera; in re militari centum homines.

Centuriatus ager in ducena[67] iugera definitus, quia Romulus centenis civibus[68] ducena[69] iugera tribuit.

Centuriata comitia item curiata comitia[70] dicebantur, quia populus Romanus per centenas[71] turmas divisus erat.

Centenariae coenae dicebantur, in quas lege Licinia non plus centussibus praeter terrae nata[72] impendebantur[73], id est centum assibus, qui erant breves numi ex aere[74].

Coena apud antiquos dicebatur, quod nunc est prandium. Vesperna, quam nunc coenam appellamus.

Censionem facere dicebatur censor, quum[75] multam[76] equiti irrogabat.

1) *dic. deors. vers.*] *deors. vers. dic.* L. *Deorsum dic. deors. vers.* B. — 2) *qui*] *quod* Gu. 1. — 3) *princeps*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *principes* vulg. — 4) *dictus*] *est* vulgo additum, quod om. L. M. Gu. 1. 2. pr. — 5) δέος] *theos* L. om. Gu. 1. *deos* Gu. 2. pr. — 6) *hominibus*] *omnibus* L. — 7) *ex Graeco esse dictum*] Sic M. Gu. 1. 2. pr. Vulg. *ex Gr. θεός esse d.* — *ex Graeco θεός* om. L. — 8) *antiquis*] *antiquitus* L. — 9) *et diurnum*] *id est divinum* L. — 10) *ἀπὸ τοῦ Διός*] *apotu dios* Gu. 2. *dios* pr., omissis vv. *ἀπὸ τοῦ*. om. L. B., qui in marg. habet *ζεὺς διος dios*, et Gu. 1. — 11) *adhuc*] *ad hoc* M. — 12) *diu*] Sic M. Gu. 2. *divo* L. B. Gu. 1. pr. *dio* vulg. — 13) *sit*] Sic L. B. Gu. 1. 2. S. *fit* vulg. — 14) *cui*] *quod* pr. — 15) *est*] om. L. — 16) *dicebant antiqui*] Sic Gu. 2. *ant. diceb.* vulg. — 17) *rebus*] *diebus* B. — 18) *crepera iam vita*] om. Gu. 1. pro *iam* L. *ideo* habet. — 19) *se*] om. L. — 20) *crepitum*] *id est sonum* add. L. — 21) *Decimanus*] Sic B. M. Gu. 2. *Decumanus* vulg. — 22) *appellatur*] *appellabatur* B. — 23) *nascitur*] *dicitur* L. — 24) *fieri maximus*] *max. fieri* B. — 25) *Deprensa*] *Deprehensa* B. Gu. 1. S. — 26) *dicitur genus*] *genus dicitur* B. — 27) *Decures decuriones*] Hunc articulum bis habent codd. Gu. 1. 2. pr. edit. Nam eadem vox vulgo post *Desiderare* legitur, ubi eandem codd. glossam repetunt cum edit. princ. — 28) *lactantem*] *lactentem* B. — 29) *pubes fieri*] *fieri pubes* B. — 30) *Decotes* etc.] *Detoges detritae togae dicuntur* L. — 31) *putabant*] *putant* L. — 32) *noctu*] om. pr. — 33) *ostendat*] *vel a retibus, quae δυκτυα Graeci vocant, est enim dea venandi* add. B. — 34) *Nam* etc.] Sic Gu. 2. M., nisi quod *blacas* scriptum est, ut in pr. *Nam Gr. βλάκας st. app.* S., ut

Dictynna Diana, quam esse lunam putabant[31], dicta, quod fulgore noctu[32] omnia ostendat[33].

Deblaterare est stulte loqui. Nam Graeci *βλάκας* stultos appellant[34].

Dicaearchia vocabatur[35], quae nunc Puteoli, quod ea civitas quondam iustissime regebatur.

Δῆμοι[36] apud Atticos[37] sunt, ut apud nos pagi.

Dice pro dicam[38] antiqui posuere[39].

Decermina[40] dicuntur, quae decerpuntur[41] purgandi causa.

Desertiones[42] divisiones patrimoniorum inter consortes.

Dispensatores dicti, qui aes pensantes expendebant, non adnumerabant. Hinc deducuntur[43] expensa, sive dispensata vel compensata. Item compendium, dispendium, assipondium, dupondium[44].

Dispescere est proprie pecus a pastione deducere, ut compescere una pascere et[45] in uno loco continere.

Despretus[46] valde spretus.

Desivare[47] desinere[48].

Dissulcus porcus dicitur, quum in cervice setas dividit.

Disertus[49] a disserendo dictus.

Dignorant, signa imponunt, ut fieri solet in pecoribus[50].

Disertim pro diserte dixerunt antiqui[51].

Distisum et pertisum dicebant, quod nunc distaesum et pertaesum[52].

Delubrum dicebant fustem delibratum[53], hoc est decorticatum, quem venerabantur pro deo[54].

Delicia est tignum[55], quod[56] a culmine ad tegulas angulares infimas versus fastigatum[57] collocatur[58]; unde tectum deliciatum et tegulae deliciares.

Degere antiqui posuerunt pro exspectare.

Deteriae porcae, id est macilentae.

Delibare[59] aquam sulco derivare[60].

Delicare ponebant pro dedicare.

Deliquium solis a delinquendo dictum[61], quod delinquat[62] in cursu suo.

Delinquere est praetermittere, quod non oportet praeteriri; hinc deliquia[63] et delicta.

nos scripsimus. *Nam βλ. stult. app. Graeci* vulg.; om. totum hoc L. Gu. 1. *Nam stult. app. Gr. κλάτους* B., qui in marg. habet *vel βλάκας*. — 35) *vocabatur*] *vocant* B. om. Gu. 1. — 36) *Δῆμοι*] Scripsi Graecis literis, quum vulg. Latinis scriptum reperiatur; at ut supra *Δέῤῥις* Graece scriptum est, ita hoc quoque loco faciendum esse putavi, quum Graeci non dicant *Demoe*. *Δεῦμοι* B. — 37) *Atticos*] *antiquos* B. pr. — 38) *dicam*] *dic* M., ut S. *Dice pro dic.* At non intellexisse Festum videntur, a quo, quum optimi codd. consentiant, non recedam. Vult enim, opinor, hoc dicere Festus *Dicis* vocabulo veteres usos fuisse pro *Dica* i. e. *δίκη*. — 39) *posuere*] *posuerunt* B. — 40) *Decermina*] *Discermina* L. *Dicerm.* B. — 41) *decerpuntur*] *discerpuntur* L. — 42) *Desertiones*] *Disectiones* L. *Disertiones* B. Om. articulum Gu. 1. — 43) *deducuntur*] *deducitur* L. B. — 44) *assip. dup.*] om. L. *dispond.* B. — 45) *et*] om. L. — 46) *Despretus*] *Dispretus* L. — 47) *Desivare*] *Desinare* B. — 48) *desinere*] *vel desivare desinare* B. — 49) *Disertus*] *Diserto* pr. — 50) *pecoribus*] *paribus* B. — 51) *dixerunt antiqui*] Sic L. B. M. Gu. 2. S. *ant. dix.* vulg. — 52) *pertaesum*] *dicimus* add. Gu. 1. — 53) *delibratum*] *delibratam* Gu. 1. — 54) *vener. pro deo*] *pro deo ven.* Gu. 1. — 55) *tignum*] *lignum* L. — 56) *quod*] om. B. — 57) *fastigatum*] *fastigium* B. Gu. 1. *fastigiatum* pr. — 58) *collocatur*] *collocatum* L. — 59) *Delibare*] Sic M. Gu. 1. 2. pr. *Delibrare* L. S. *Derivare* vulg. — 60) *derivare*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *deducere* vulg. — 61) *dictum*] om. L. — 62) *delinquat*] *delinquatur* L. Gu. 1. — 63) *deliquia*] *Delinquia* Gu. 2. *deliquia* vulg. cum ceteris.

Deliquum[1] apud Plautum significat minus.

Detudes[2] esse detunsos[3], deminutos[4].

Delaniare[5] est discindere[6] et quasi lanam trahere, unde lacinia[7] et lanius dicitur, qui pecus discindit[8].

Delapidata, lapide strata.

Dextans dicitur, quia assi deest sextans, quemadmodum duodeviginti et deunx.

Deluit solvit a Graeco διαλύειν[9].

Dilectus[10] militum, et is, qui significatur amatus, a legendo dicti sunt.

Deliberare a libella, qua quid perpenditur, dictum.

Detrectare[11] est male tractare.

Dextimum et *sinistimum* antiqui dixerunt.

Dextra[12] auspicia prospera.

Dextrarum tibiarum genus est, quae dextra tenentur.

Diobolares meretrices dicuntur, quae duobus obolis ducuntur.

Dies dictus, quod divini sit operis, sive a[13] Iove, eius, ut putabant, rectore, qui Graece *Δία*[14] appellatur; sive quod aer diurnus dehiscat in candorem.

Diabathra genus solearum Graecanicarum.

Deorata perorata.

Deactio peractio.

Dianius locus Dianae sacratus.

Diffarreatio genus erat sacrificii, quo[15] inter virum et mulierem fiebat dissolutio dicta diffarreatio[16], quia[17] fiebat farreo libo adhibito.

Dium[18], quod sub coelo est extra tectum, a Iove[19] dicebatur, et Dialis flamen et *dius* heroum aliquis ab Iove genus ducens.

Defrensam[20] detritam atque detonsam[21].

Deinde compositum est[22] ex praepositione et loci significatione, ut exinde, perinde[23], proinde[24], subinde[25], quae item tempus significant.

Diox genus piscis frequens in Ponto[26].

Deincipem antiqui dicebant[27] proxime quemque captum, ut principem primum captum.

Diomedis campi in Apulia appellantur[28], qui ei in[29] divisione regni, quam cum Dauno fecit, cesserunt.

1) *Deliquum*] *Deliquium* B. — 2) *Detudes*] *Detusos* L. *Detuses* Gu. 1. — 3) *detunsos*] *detonsos* L. B. M. Gu. 2. pr. *detensos* Gu. 1. Est autem a *tundo*, non a *tondeo*. — 4) *deminutos*] *vel dem.* L. — 5) *Delaniare*] *Delanicare* L. Gu. 1. pr. — 6) *discindere*] *descendere* L. *discedere* B. Gu. 1. *decedere* M. — 7) *lacinia*] *lenones et lenonicinia* L. *lanocinia* B. pr. *lanicina* Gu. 1. *lacina* M. — 8) *discindit*] *discedit* L. M. Gu. 1. *discidit* Gu. 2. — 9) *a Graeco διαλύειν*] om. L. Gu. 1. *dialyin* M. Gu. 2. *dialyein* pr. διαλειν B. — 10) *Dilectus*] Sic M. Gu. 2. pr. S. *Delectus* vulg. — 11) *Detrectare*] *Detractare* L. B. Gu. 1. — 12) *Dextra*] Sic L. M. Gu. 2. S. *dextera* vulg. — 13) *a Iove*] *ab Iove* M. *Dilove* L. *Dione* B. *Diove* Gu. 1. pr. — 14) *Δία*] Sic M. Gu. 2. S. ζεὺς διὸς vulg. om. L. Gu. 1. pr. — 15) *quo*] *quod* L. B. Gu. 1. — 16) *diffarreatio*] *a farre* L. — 17) *quia*] *nam* L. — 18) *Dium*] usque ad *dicebatur et* om. L. — 19) *a Iove*] Sic Gu. 1. 2. *ab I.* vulg. — 20) *Defrensam*] *Defresam* L. — 21) *detonsam*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *detunsam* vulg. — 22) *est*] om. L. B. — 23) *perinde*] om. L. B. Gu. 1. pr. — 24) *proinde*] om. Gu. 1. — 25) *subinde*] *et sub.* Gu. 1. — 26) *Ponto*] *Divum quod sub coelo est extra tectum, a Iove dicebatur* add. L. — 27) *antiqui dic.*] *dic. ant.*

Diomedea[30] insula, in qua Diomedes sepultus est, excedens Italia.
Depontani senes appellabantur[31], qui sexagenarii de ponte deiiciebantur.
Desiderare et considerare a sideribus dici certum est.
Decures decuriones.
Defomicatum a fomitibus succisum, quibus confoveri erat solitum lignum[32].
Depeculatus a pecore[33] dicitur. Qui enim[34] populum fraudat, peculatus poena tenetur.
Decultarunt valde occultarunt[35].
Decalicatum calce litum[36].
Dium fulgur appellabant diurnum, quod putabant Iovis, ut nocturnum Summani[37].
Dicassit[38] dixerit.

LIBER V.

Elucum significat languidum ac[39] semisomnum, vel, ut alii volunt, alucinatorem[40] et nugarum[41] amatorem, sive halonem[42], id est hesterno[43] vino languentem, quod ἕωλον[44] vocitant Graeci[45].
Emere, quod nunc est mercari, antiqui accipiebant pro sumere.
Elices sulci aquarii, per quos aqua collecta educitur e liris[46].
Ennam etiamne.
Elaudare plus quam nominare.
Elecebrae argentariae meretrices ab eliciendo argento dictae.
Electabo[47] eliciam.
Enunquam ecquando.
Emussitata ad amussim facta.
Endoitium initium.
Em[48] tum.
Empanda[49] paganorum dea.
Emem eundem.
Elumbum[50] evulso[51] lumbo.
Elinguem sine lingua.
Elacatena genus salsamenti, quod appellatur vulgo[52] melandrea[53].
Enubro[54] inhibenti.
Elixa a liquore[55] dicta.

L. — 28) *appellantur*] *appellabantur* L. — 29) *in*] om. L. — 30) *Diomedea*] *Diomedia* M. — 31) *appellabantur*] *appellantur* M. — 32) *lignum*] om. L. B. Gu. 1. pr. — 33) *pecore*] *pecude* pr. *pecure* M. — 34) *enim*] om. Gu. 1. — 35) *occultarunt*] Sic L. Gu. 1. S. *occuparunt* vulg. Pessime. — 36) *litum*] *ligatum* Gu. 1. — 37) *ut noct. Sum.*] *Nocturnum fulmen Summano attribuebant* L. — 38) *Dicassit dixerit*] om. L. *Diccisit, disserit* Gu. 1. *Dicassit direxit* Gu. 2. — 39) *ac*] *et* L. — 40) *alucinatorem*] Sic M. Gu. 2. *allucinatorem* L. Gu. 1. S. *halluc.* vulg. — 41) *nugarum*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *nugatorum* vulg. — 42) *halonem*] *halonen* Gu. 2. *alomen* M. *alenem* Gu. 1. *haliatonem* B. — 43) *hesterno*] Sic L. S. *hestremo* B. *externo* vulg. Pessime. — 44) ἕωλον] *eolon* Gu. 2. pr. εωλον *eolon* B. om. L. Gu. 1. — 45) *vocitant*] *vocunt* L. B. Gu. 1. — 46) *e liris*] *e* om. B. *lyra* L. — 47) *Electabo*] *Elactabo* M. — 48) *Em*] Om. hunc articulum L. S. Dac. *Eri* B. Gu. 1. — 49) *Empanda*] *Emparda* L. *Empada* Gu. 1. — 50) *Elumbum*] *Elumbem* S. D. — 51) *evulso*] Sic M. Gu. 2. S. D. *avulso* vulg. — 52) *vulgo*] *a vulgo* L. — 53) *melandrea*] *malandria* L. *malandrea* B. M. Gu. 1. pr. S. D. — 54) *Enubro*] *Enubrio* L. — 55) *liquore*] *licore* B.

Endoplorato implorato, id est cum questione inclamare. Implorare namque est, cum[1] fletu rogare, quod est proprie vapulantis.

Endo procinctu[2] significat autem, quum ex castris in proelium exitum est, precinctos, quasi praecinctos atque expeditos. Nam apud antiquos togis[3] incincti[4] pugnitasse[5] dicuntur.

Emptivum militem, mercenarium.

Emancipati duobus modis intelliguntur[6], aut ii[7], qui ex patris iure exierunt[8], aut ii[9], qui aliorum fiunt dominii[10]; quorum utrumque fit mancipatione[11].

Eum antiqui dicebant pro eorum.

Em[12] pro eum[13], ab eo, quod est *is*.

Egeriae nymphae sacrificabant praegnantes, quod eam putabant facile conceptam alvum egerere.

Escariae mensae quadratae vocantur[14], in quibus homines epulantur[15]. *Anclabris*[16] ea, quae[17] in sacrificando[18] diis anclatur[19], quod est hauritur ministraturque.

Escit, erit[20].

Eapse ea ipsa.

Evelatum eventilatum[21], unde velabra, quibus frumenta ventilantur.

Egens velut exgens, cui[22] ne gens quidem sit reliqua.

Eiuratio significat, id, quod desideretur[23], non posse praestari. Plautus[24]:

Eiuravit[25] *militiam.*

Everriator[26] vocatur, qui iure accepta[27] haereditate iusta facere defuncto debet[28]; quae[29] si non fecerit, seu quid in ea re turbaverit, suo capite luat. Id nomen ductum[30] a verrendo. Nam exverrae[31] sunt purgatio[32] quaedam domus, ex qua mortuus ad sepulturam ferendus[33] est, quae fit per everriatorem[34] certo genere scoparum adhibito, ab extra verrendo dictarum.

Egretus et *adgretus* ex[35] Graeco sunt ducta[36] a[37] surgendo et proficiscendo[38]. Unde et Nyctegresia quasi noctisurgium[39].

Eccere[40] iurisiurandi[41] est, ac si dicatur per Cererem, ut ecastor[42], edepol. Alii[43] *eccere* pro *ecce* positum accipiunt.

Eamus ex Graeco *ἴωμεν*[44].

1) *cum*] om. B. — 2) *procinctu*] *in procinctu* add. M. S. D. — 3) *togis*] *toti* L. B. Gu. 1. pr. — 4) *incincti*] *succincti* L. B. Gu. 1. pr. — 5) *pugnitasse*] Sic M. Gu. 2. *pugnasse* vulg. Hoc verbum frequentativum quamquam in Lexicis non reperitur, recepi tamen, quum in optimo sit codice. Credibilius est enim, mutasse librarios vocem, quam se non alias legisse meminissent. — 6) *intelliguntur*] *intelleg.* M. *dicuntur* L. — 7) *ii*] om. L. *hi* B. M. — 8) *exierunt*] *exiverunt* L. — 9) *ii*] *illi* L. *hi* Gu. 1., qui om. *qui*. — 10) *dominii*] Sic M. S. D. *domini* vulg. — 11) *mancip.*] *emanc.* B. — 12) *Em*] Sic L. S. D. *En* vulg. — 13) *eum*] *eam* B. — 14) *vocantur*] *sunt quadr. voc.* pr.; hinc intelligitur duplicem fuisse scripturam, et: *mensae sunt quadr.* et: *mens. quadr. vocantur.* Quae coniunxit editor edit. princip. — 15) *hom. ep.*] *ep. hom.* B. — 16) *Anclabris*] om. articulum ab hoc inde loco B. — 17) *quae*] *qua* Gu. 1. pr. — 18) *sacrificando*] *sacrificio* L. — 19) *anclatur*] *acclaratur* L. M. Gu. 1. 2. *anclaratur* pr. — 20) *Escit, erit*] *Escit id est exit* L. — 21) *eventilatum*] *ventil.* L. — 22) *cui*] *quoi* pr. — 23) *desideretur*] *desideratur* L. — 24) *Plautus*] om. Gu. 1. — 25) *Eiuravit*] *seiuravit* M. — 26) *Everriator*] *Everrator* B. pr. — 27) *iure accepta*] *acc. iure* M. — 28) *defuncto debet*] *debet def.* L. — 29) *quae*] Sic L. S. D. *qua* B. Gu. 1. pr. *et qui* M. *qui* vulg. — 30) *ductum*] Sic L. B. Gu. 2. pr. S. *dictum* Gu. 1. *deductum* vulg. — 31) *exverrae*] *exvernae* B., qui in marg. exhibet: *vel exverriae*, M. pr. *exvervae* L. — 32) *purgatio*] *purgationes* B. — 33) *ferendus*] *deferendus* Gu. 1. — 34) *everriatorem*] *everrationem* pr. — 35) *ex*] *a* L. — 36) *ducta*] *dicta* B. M. — 37) *a*] om. B. — 38) *proficiscendo*] *proficiendo* L. — 39) *Unde* etc.] *et nyctegr.* om. L. *nyctegr.* om. Gu. 1. *unde et pernocto quasi noct.* (sic) cum lacunae signo B. pr. *nonsurg.* M. — 40) *Eccere*] *Eceres* L. — 41) *iurisiurandi*] *iusiurandum* L. B. Gu. 1.

Europam tertiam orbis partem[45] ab Europa Agenoris filia certum est[46] appellari. Sed alii de amore Iovis in taurum versi narrant. Alii eam a praedonibus raptam, et navem, quae Iovis[47] tutelam[48], effigiem tauri habuerit[49], in eam regionem esse delatam. Quidam ob pulchritudinem regionis per simulationem[50] raptae filiae occupatam eam[51] terram ab Agenore et[52] Phoenicibus ferunt.

Epolonos[53] dicebant antiqui, quos nunc epulones dicimus. Datum[54] est autem his nomen, quod[55] epulas indicendi Iovi caeterisque diis potestatem haberent.

Eudiaeon[56] lineum filum, quod medici extremo[57] in clysterio relinquunt, per quod[58] *κλυσμός*[59] emittitur.

Euboicum talentum numo[60] Graeco septem millium et quingentorum cistophorum est, nostro[61] quatuor millium denariorum.

Extrarium ab extraneo sic distinguitur: *Extrarius* est[62], qui extra focum sacramentum iusque sit; *extraneus* ex altera terra, quasi exterraneus[63].

Exta dicta, quod ea diis prosecentur, quae maxime exstant eminentque.

Extimum extremum ita[64] significat, ut intimo sit contrarium.

Exterraneus[65] ex alia terra[66].

Exterraneus[67] quoque dicitur, qui[68] ante tempus natus vel potius eiectus est. Dictus autem exterraneus[69], quod eum mater exterrita alvo eiecit.

Externus[70] est alienus[71] terrae.

Experrectus a corrigendo se vocatus, quod fere facimus recentes a somno.

Expreta[72] antiqui dicebant, quasi expertia[73] habita.

Excudere, *procudere* et *incus*[74] ipsa a caedendo dicta sunt.

Explorare antiquos[75] pro exclamare usos, sed postea prospicere et certum cognoscere coepit significare. Itaque speculator ab exploratore hoc distat, quod speculator hostilia silentio perspicit[76], explorator pacata[77] clamore cognoscit.

Expapillato brachio, exerto[78]; quod quum fit, papilla nudatur.

Exbures[79] exinteratas[80], sive exbuae[81], quae exbiberunt, quasi epotae.

pr. — 42) *Ecastor*] *Castor* Gu. 1. — 43) *Alii*] usque ad verbum *ἴωμεν* om. L. — 44) *ἴωμεν*] *iomeri* Gu. 2. *iomen* pr. *ἰομεν* B. om. Gu. 1. — 45) *orbis part.*] *part. orb.* L. — 46) *certum est*] *est cert.* B. — 47) *Iovis*] *in* L. — 48) *tutelam*] *tutela* L. — 49) *habuerit*] *habuit* L. — 50) *per simulationem*] *propter sim.* L. *similitudinem* B. M. — 51) *eam*] om. B. Gu. 1. pr. — 52) *Agenore et Phoen.*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. S. D. vulg. om. copula *et*, quae abesse nequit. — 53) *Epolonos*] *Epolones* L. B. — 54) *Datum est autem*] *Datum aut. est* pr. *Dictum* B. — 55) *quod* etc.] *Iovi ceterisque diis epulas potestatem haberent.* Sic corrupte est in L. — 56) *Eudiaeon*] *Eudicem* L. *Eudicon* B. — 57) *extremo*] om. Gu. 1. — 58) *per quod*] *quod per* Gu. 1. — 59) *κλυσμός*] Sic scripsi de coniectura, quum in B. M. Gu. 1. 2. esset *climos*, quod habet S. *chymos* vulg. *chimos* L. De voc. *κλυσμός* vid. Lex. Graec. — 60) *numo*] *numero* L. — 61) *nostro*] *apud* L. Haud dubie erat scriptum *apud nos.* — 62) *Extrarius*] *Extranus* Gu. 1. — 63) *exterraneus*] *extraneus* Gu. 1. — 64) *ita significat*] Sic M. Gu. 2. *significat, ita* vulg. — 65) *Exterraneus ex alia terra*] om. L. *Exterraneus* B. M. Gu. 2. pr. S. *Extraneus* vulg. — 66) *alia terra*] *terra alia* B. — 67) *Exterraneus*] *Exterrinius* L. *Exterricrineus* B. *Exterricinius* pr. — 68) *qui*] *et qui* L. B. M. S. — 69) *exterraneus*] *extercinius* L. *exterricineus* B. pr. — 70) *Externus*] *Exterheus* pr. — 71) *alienus*] Sic L. M. Gu. 2. pr. *alienae* vulg. Offendit scil. librarios *alienus* cum genitivo positum. — 72) *Expreta*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. S. D. *Experta* vulg. — 73) *expertia*] Sic M. Gu. 1. pr. S. D. *experitia* vulg. — 74) *incus*] *incudis* B. M. Gu. 1. 2. — 75) *antiquos*] *apud ant.* B. — 76) *perspicit*] *prospicit* B. — 77) *pacata*] om. L. *peccata* B. Gu. 1. pr. — 78) *exerto*] *extento* L. — 79) *Exbures*] *Exberes* L. B. Gu. 1. pr. *Exbueres* S. D. — 80) *exinteratas*] *exenteratos* L. — 81) *exbuae*] Sic L. B.

Exdorsua[1] dorsum confringe[2]; alii, exime.
Exfir[3] purgamentum, unde[4] adhuc manet suffitio[5].
Escendere[6] egredi.
Experitos imperitos.
Explenunt explent.
Exdutae[7] exuviae.
Excipuum[8], quod excipiatur[9], ut praecipuum, quod ante capitur.
Exciet excutiet.
Expatare in locum patentem se dare, sive in spacium se conferre.
Exdecimata[10] electa.
Expectorat, ex pectore eiicit.
Experrectus est[11], qui per se vigilare coepit: expergitus ab alio excitatus, quem solemus dicere expergefactum[12].
Excidionem urbis a caedendo dictam manifestum est.
Effata elocuta.
Exporgere porro agere, exporrigere.
Exoletus, qui adolescere, id est crescere[13] desiit.
Exanclare, exhaurire.
Examen est et[14] aequamentum et iudicii investigatio[15] et apium[16] congregatio vel locustarum.
Exagogen evectionem.
Exurgentes[17] exprimentes.
Exgregiae[18], egregiae, id est e grege[19] lectae.
Exodium exitum.
Examussim regulariter. Amussis enim regula fabrorum est: vel, ut alii volunt, ferramentum, quo in poliendo utuntur[20].
Exoriri surgere[21].
Exuviae ab exuendo dictae.
Exercitus et militum copia dicitur, et homo multis negotiis exercitus; sed[22] superius quarti ordinis, hoc[23] secundi est.
Exomides sunt comici vestitus exertis humeris[24].

Gu. 1. pr. S. D. *exburae* vulg. — 1) *Exdorsua*] Sic in Gu. 1. est, sed punctis notatum *u*. — 2) *confringe*] Sic B. M. Gu. 1. pr. S. D. *constringe* vulg. Sed *exdorsuare* est dorsum ita caedere, ut nullum appareat, confringere, non tantum constringere. — 3) *Exfir*] *Exfit* L. Gu. 1. — 4) *unde*] *et* add L. — 5) *suffitio*] *suffio* L. pr. Sequitur in L. glossa, quae neque in aliis codd., neque in editt. exstat: *Exlitius iudex, quem una pars eligit.* — 6) *Escendere*] Sic M. Gu. 2. *Exscendere* L. B. Gu. 1. *Excedere* vulg. — 7) *Exdutae*] *Exduitae* L. *Exductae* B. — 8) *Excipuum*] *Excipium* Gu. 1. — 9) *excipiatur*] *excipitur* M. *capiatur* Gu. 1. — 10) *Exdec.*] *Edec.* M. — 11) *est*] om. B. — 12) *dicere exp.*] *exp. dic.* B. — 13) *id est crescere*] om. B. — 14) *et*] om. B. — 15) *investigatio*] *examinatio* add. L. B. Gu. 1. — 16) *apium*] Sic M. Gu. 2. Vide Gernhard. ad Cic. Cat. Mai. 15, 54. — 17) *Exurgentes*] Sic scripsi e vestigiis codd. M. Gu. 2., in quibus est *Exurguentes* antiqua orthographia. *Exurgientes* B. *Exsurgentes* L. *Exugentes* vulg. — 18) *Exgregiae*] *Egreg.* M. *Exegregiae* L. — 19) *e grege*] *exgrege* L. *egregie* B. M. — 20) *utuntur*] *utitur* B. — 21) *surgere*] Addit L. glossam *Egregius e grege lectus.* — 22) *sed*] usque ad finem om. L. — 23) *hoc*] *vero* add. B. — 24) *vestitus exertis humeris*] *exertis humeris vestiti* B. — 25) *et ilia*] om. L. — 26) *inarum*] *viarum* M. S. D. — 27) *in chartis*] om. L. — 28) *videntur*] *unde vid.* L. *in chart. app. ita videtur esse dicta* pr. — 29) *dicta*] Add. L. glossam *Ebulus*

Exiles et ilia[25] a tenuitate inarum[26], quas Graeci in chartis[27] ita appellant, videntur[28] esse dicta[29].
Exilica causa, quae adversus exulem agitur.
Exitium antiqui ponebant pro exitu; nunc exitium pessimum exitum dicimus.
Exercirent, sarcirent[30].
Exercitionem exerciti dicebant antiqui exercitationem[31] exercitati. Item[32] exercitiorem, exercitissimum, sicut[33] ab exercitato exercitatiorem, exercitatissimum.
Exfuti effusi[34], ut *mertat* pro mersat.
Effari et *effata*[35] a fando, quod ipsum[36] ex Graeco ὥς φάτο[37].
Equiria ludi, quos Romulus Marti instituit[38] per equorum cursum, qui in campo Martio exercebantur.
Equirine iusiurandum per Quirinum.
Equestre aes, quod equiti dabatur.
Equitare antiqui dicebant[39] equum publicum merere[40].
Equus Marti immolabatur, quod per eius effigiem Troiani capti sunt[41], vel quod eo[42] genere animalis Mars delectari[43] putaretur.
Equo vehi flamini Diali non licebat, ne, si longius digrederetur, sacra negligerentur[44].
Exinfibulabat exerebat. Infulas[45] enim sacerdotum filamenta[46] vocabant.
Existimare dictum ab aestimatione.
Exrogare[47] est ex lege vetere[48] aliquid eximere per novam legem.
Eximium inde dici coeptum, quod in sacrificiis optimum pecus e grege eximebatur, vel, quod primum erat natum[49].
Exemplum est, quod sequamur, aut vitemus. Exemplar, ex quo simile faciamus. Illud animo aestimatur, istud oculis conspicitur.
Exhaustunt, efferunt.
Exin[50] metri causa dicitur pro exinde.
Exesto, extra esto. Sic[51] enim lictor in quibusdam sacris clamitabat: *hostis*, *vinctus*[52], *mulier*, *virgo exesto;* scilicet interesse prohibebatur[53].
Epulares appellabantur[54], qui in quibusdam ludis nocte epulabantur.
Epistylium[55] trabs, quae super columnas ponitur.
Epeus nomen cuiusdam fabri, qui equum Dureum[56] fecit.

graece Sambucus dicitur. — 30) *Exercirent, sarcirent*] *Exerciret sarciret* B. — 31) *exercitationem*] *exercionem* L. B. *exercitionem* Gu. 1. *excitationem* Gu. 2. — 32) *Item*] *etiam* Gu. 1. — 33) *sicut* etc.] om. usque ad finem L. — 34) *effusi*] *exfusi* L. B. M. pr. — 35) *effata*] *ecfata* B. — 36) *ipsum*] om. B. — 37) ὥς φάτο] Sic scripsi e M. Gu. 2., in quibus est *osphato* — φημὶ *dico* vulg. *phemi* φημί B. *phemi* pr. om. L. Gu. 1. — 38) *instituit*] *constituit* B. — 39) *antiqui dicebant*] *dic. ant.* B. — 40) *merere*] Sic L. Gu. 1. 2. *mereri* vulg. — 41) *sunt*] Sic Gu. 1. 2. *sint* vulg. — 42) *eo*] *ex eo* L. — 43) *delectari*] *laetari* B. — 44) *neglig.*] *negleg.* M. — 45) *Infulas*] *fibulas* L. — 46) *filamenta*] om. L. — 47) *Exrogare*] *Erog.* Gu. 1. — 48) *vetere*] *veteri* B. — 49) *erat natum*] *natum erat* L., in quo haec glossa addita est: *Electrum in Capadocia gigni testis est Archelaus, qui ibi regnum obtinuit, translucens; et formicas, culices, sive muscas et folia sicca, itemque paleas, ut magnes, ferrum ad se trahens. Ebenus lignum est interius, nigrum, solidum, pulchrum, aptum ocularibus.* — 50) *Exin* etc.] *Exin pro exinde causa ponitur* B. — 51) *Sic*] *sicut*] L. B. Gu. 1. — 52) *vinctus*] *victus* L. pr. — 53) *prohibebatur*] *prohibeatur* B. *prohibetur* (with *a* written above) (sic) Gu. 2. — 54) *appellabantur*] om. L. — 55) *Epistylium*] *Epistilium* L. B. M. Gu. 1. pr. — 56) *Dureum*] *Troianum* L.

Epicrocum genus amiculi croco tinctum, tenue et pellucidum[1].

Epulam antiqui etiam singulariter posuere[2].

Epilimma[3] genus vilissimi unguenti.

Erctum[4] *citumque*[5] fit inter consortes, ut in[6] libris legum[7] Romanorum[8] legitur. Erctum a coercendo dictum. Unde et erciscendae[9] et ercisci[10]. Citum autem est vocatum[11] a ciendo.

Ederam flamini Diali neque tangere, neque nominare fas erat, pro eo, quod edera vincit, ad[12] quodcunque se applicat. Sed ne anulum quidem gerere ei licebat[13] solidum, aut aliquem in se habere nodum.

Edeatrae[14], qui praesunt regiis epulis[15], dicti ἀπὸ τῶν ἐδεσμάτων[16].

Ervum et *ervilia* a Graeco sunt dicta, quia[17] illi ervum ὄροβος[18], erviliam ἐρέβινθος[19] appellant.

Ergo correptum significat idem, quod apud Graecos οὐκοῦν[20]; producte idem, quod χάριν[21], hoc est gratia, quum scilicet gratia intelligitur[22] pro causa. Sed illud superius etiam sine exemplis notum est; hoc inferius sic formatur[23], quum dicimus de aliquo: statua donatus[24] est honoris virtutisque ergo, id est honoris virtutisque causa.

Eritudo servitudo[25].

Erugere semel factum significat, quod eructare saepius. Illud enim perfectae formae[26] est, hoc frequentativae.

Erebum Virgilius interdum obscuritatem quandam[27] esse describit apud inferos, cum ait:

— *Imas Erebi descendit ad umbras.*

Interdum flumen eiusdem loci, dicens[28]:

— *Et magnos Erebi transnavimus amnes.*

Varro vero Erebo natam noctem ait[29]. Unde est et illud:

— *Erebo creáta*[30] *fuscis crínibus nox, te*[31] *ínvoco.*

Effafilatum, exertum, quod scilicet omnes[32] exerto brachio sint exfilati[33], id est extra vestimentum filo contextum.

1) *pellucidum*] *perlucidum* L. M. Gu. 1. pr. — 2) *posuere*] *posuerunt* L. — 3) *Epilimma*] Sic M. Gu. 2. S. D. *Epillima* B. *Epilimina* L. — 4) *Erctum*] Sic B. M. Gu. 1. 2. S. D. *Erectum* vulg. — 5) *citumque*] *citum, quod* B. pr. *cinctumque* Gu. 2. — 6) *in*] om. L. — 7) *legum*] *regum* L. Gu. 1. — 8) *Romanorum*] Sic Gu. 1. 2. pr. *Romanarum* vulg. — 9) *erciscendae*] Sic M. Gu. 2. B. *erciscunde* L. Gu. 1. pr. S. *herciscundae* vulg. — 10) *ercisci*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *hercisci* vulg. — 11) *est vocatum*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. S. *voc. est* vulg. — 12) *ad*] *et ad* L. pr. — 13) *ei licebat*] *lic. ei* L. *eius lic.* Gu. 1. — 14) *Edeatrae*] *Edeatriae* L. — 15) *praes. reg. ep.*] *reg. ep. praes.* L. — 16) ἀπὸ τῶν ἐδεσμάτων] *apoton adesmaton* Gu. 2. *apototon edesmaton* pr., quae post lacunae signum addit *pulmentum. dicti a Graeco* L., omissis verbis Graecis, quae etiam Gu. 1. om.; ἐδεσματων. *Nam ἔδεσμα significat pulmentum* B. Idem haud dubie in cod. fuit, e quo princeps edit. est excusa. — 17) *quia*] *nam* pr. — 18) ὄροβος] *orobos* pr. *orobus* Gu. 2. M. *orovon* L. ερεβος B. om. Gu. 1. — 19) ἐρέβινθος] Sic scripsi e Gu. 2., in quo est *erebintos; erebinton* pr. *erebinicus* M. om. L. Gu. 1. ἐρέβινον vulg. — 20) οὐκοῦν] Sic scripsi e M. Gu. 2., in quibus est *ukun. ucon* pr. om. L. Gu. 1. οὖν vulg. — 21) χάριν] *charin* Gu. 2. pr. χαριτι B. om. L. Gu. 1. — 22) *intelligitur*] *intelleg.* M., ut semper. — 23) *formatur*] Sic M. Gu. 2. S. *somniatur* B. Gu. 1. pr. *sonat* L. *sumitur* vulg. — 24) *donatus*] *donatum* L. — 25) *Erit. serv.*] *Erit. servitus est sive servitudo* L. — 26) *perfectae formae*] *perfecta forma* M. — 27) *quandam*] om. B. — 28) *dicens*] *dum dicit* B. — 29) *Erebo nat. noct. ait*] *ait Er. nat. n.* B. — 30) *creata*] *creatam*

LIBER VI.

Fornacalia sacra erant, quum far in fornaculis torrebant.

Formiae oppidum appellatur ex Graeco, velut hormiae[34], quod circa id crebrae stationes tutaeque erant, unde proficiscebantur navigaturi[35].

Forma significat modo faciem cuiusque rei, modo calidam, ut, quum exta, quae dantur, *deforma* appellantur[36]. Et Cato ait de quodam aedificio aestate frigido, hieme formido[37]. Item *forma* appellatur puls miliacia, ex melle[38].

Fordicidiis[39] boves fordae[40], id est gravidae, immolabantur[41], dictae a fetu.

Foedus appellatum ab eo[42], quod in paciscendo foedere[43] hostia necaretur[44]. Virgilius[45]:

— *Et caesa iungebant foedera porca.*

Vel quia in foedere[46] interponatur fides.

Forcipes dicuntur, quod his forma, id est calida capiuntur[47].

Forbeam antiqui omne genus cibi appellabant, quam[48] Graeci φορβήν vocant.

Foedum antiqui dicebant pro hoedo[49], *folus* pro olere, *fostem* pro hoste, *fostiam*[50] pro hostia.

Furvum nigrum, vel atrum. Hinc dicta furnus, furiae, funus, fuligo, fulgus, fumus.

Fodare fodere.

Forctes, frugi et bonus, sive validus.

Forum[51] sex modis intelligitur. Primo negotiationis locus, ut forum Flaminium[52], forum Iulium, ab eorum nominibus, qui ea fora constituenda[53] curarunt; quod etiam locis[54] privatis et in viis et in agris fieri solet. Alio[55], in quo iudicia fieri, cum populo agi, conciones haberi solent. Tertio, quum is, qui provinciae praeest, forum agere dicitur, quum civitates vocat et de controversiis eorum cognoscit. Quarto, quum id forum antiqui appellabant, quod nunc vestibulum sepulcri dicari[56] solet. Quinto, locus in navi, sed tum[57] masculini generis est et plurale[58]. Sexto fori significant et Circensia spectacula, ex[59] quibus etiam minores *forulos* dicimus. Inde et forare, foras dare[60], et foras, fores[61] et foreculae[62], id est ostiola dicuntur.

Fons a fundendo[63] dictus[64].

Fomites sunt assulae ex arboribus, dum caeduntur excussae, dictae, quod in eo opere occupati

L. — 31) *nox te*] *noctem* L. *nocte* B. Gu. 1. — 32) *omnes*] *omen* L. pr. *omni* Gu. 1. — 33) *sint exfilati*] *sit exf.* pr. *sit exfilatum* L. — 34) *velut hormiae*] *velut* om. L., qui habet *hormitae.* πορθμός pro *hormiae* B. — 35) *navigaturi*] *negotiaturi* L. — 36) *appellantur*] *appellabantur* L. — 37) *formido*] *fervido* B. — 38) *miliacia ex melle*] *ex milio et melle facta* L. *miliacea* M. — 39) *Fordicidiis*] *Fordicidis* B. M. Gu. 1. 2. pr. L. *Fordicales boves id est fordae boves grav.* — 40) *boves fordae*] *fordae boves* L. *forvidae* B. — 41) *immolabantar*] *immolabant* M. *immolantur* B. L. *dictae a fetu, quae immolabantur; fordicidia sacra cum forda bos mactatur.* — 42) *ab eo*] om. L. — 43) *foedere*] *foede* Gu. 2. — 44) *necaretur*] *mactaretur* L. *notaretur* pr. — 45) *Virgilius*] om. Gu. 1. — 46) *in foedere*] *in foedera* B. Gu. 1. pr. *inter foedera* L. — 47) *capiuntur*] Sic L. S. D. *rapiuntur* vulg. — 48) *quam*] usque ad fin. om. L. *vocabant* B. *forbin* M. Gu. 2. *phorben* pr. om. Gu. 1. — 49) *hoedo*] *ut et dicunt* add. L. — 50) *fostiam*] Sic M. Gu. 1. 2. pr. S. *fostia* vulg. Paullo ante *fostim* pro *hostem* habent Gu. 1. S. *fustim* Gu. 2. *fostum* L. — 51) *Forum*] *quod* add. B. — 52) *Flaminium*] *Flamineum* L. — 53) *constituenda*] *custodienda* Gu. 1. pr. — 54) *locis*] vulg. *in locis.* *In* om. M. Gu. 1. (qui etiam ante *agris* om.) 2. pr. S. — 55) *Alio*] *Secundo* B. — 56) *dicari*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. *dici* vulg. — 57) *tum*] *quum* B. M. Gu. 1. — 58) *plurale*] *est* add. Gu. 2. — 59) *ex*] om. pr. — 60) *foras dare*] *foros dare* L. — 61) *et foras, fores*] Sic Gu. 2. *et fores et foras* vulg. *et* alterum om. cum Gu. 2. M. — 62) *foreculae*] *forculae* L. B. Gu. 1. — 63) *a fundendo*] *quia aquam fundit* add. L. — 64) *dictus*] Sic M.

cibus potuque confoventur. At Opilius[1] adustas iam vites[2] fomites vocari existimat[3]. Alii vocari putant scintillas, quae ex ferro candenti malleis excutiuntur[4]; dictae autem ita, quia igni sunt confotae. Pari modo assulae, quae sunt securibus excussae.

Fontinalia, fontium sacra. Unde et Romae Fontinalis porta.

Folium a Graeco venit, quod illi dicunt *φύλλον*[5], sed ideo per unum *l*, quia antiqui non geminabant consonantes.

Focus, fomenta, focillationes, foculi a fovendo, id est calefaciendo dicta sunt[6].

Folliculare appellatur pars remi, quae[7] folliculo est tecta, a quo vita follicularis[8].

Ferentarii[9] auxiliares[10] in bello, a ferendo auxilio dicti, vel[11] quia fundis et lapidibus pugnabant, quae tela feruntur, non tenentur[12], ita appellati[13].

Firctum[14] genus libi dictum, quod crebrius ad sacra ferebatur[15], nec sine strue, altero genere libi, quae qui afferebant[16] struferctarii[17] appellabantur.

Feralia[18] diis manibus sacra[19] festa, a ferendis epulis, vel a feriendis[20] pecudibus appellata.

Feria[21] a feriendis victimis vocata[22].

Februarius[23] mensis dictus, quod tum, id est[24] extremo mense anni[25] populus februaretur, id est lustraretur ac purgaretur[26], vel a Iunone februata, quam alii februalem, Romani februlim[27] vocant, quod ipsi eo mense sacra fiebant, eiusque feriae erant Lupercalia, quo die mulieres februabantur, a lupercis, amiculo Iunonis, id est pelle caprina; quam ob causam is quoque dies februatus appellabatur. Quaecunque denique purgamenti causa in[28] quibusque[29] sacrificiis adhibentur, februa appellantur[30]. Id vero, quod purgatur, dicitur februatum.

Fescennini versus, qui canebantur in nuptiis, ex urbe Fescennina dicuntur allati, sive ideo dicti, quia fascinum[31] putabantur arcere.

Fenus[32] et[33] feneratores[34] et lex de credita pecunia fenebris[35], a fetu dicta[36], quod[37] crediti nummi alios pariant, ut apud Graecos eadem res τόκος dicitur[38].

Fenum quoque pratorum ab hac causa est appellatum, quando[39] id ipsum manens quotannis novum parit. Unde etiam et[40] *festuca* vocata[41] est.

Felicata[42] patera dicta, quod ad[43] filicis[44] herbae speciem sit caelata[45].

Gu. 2. *dicitur* vulg. — 1) *Opilius*] *orbilius* L. — 2) *vites*] *fomites* M. — 3) *fomites vocari exist.*] Sic Gu. 2. *voc. exist. fom.* vulg. — 4) *excutiuntur*] *exci untur* (sic) Gu. 2. Fortasse scriptum fuit *exciduntur*. — 5) *φύλλον*] *phillon* L. M. Gu. 2. om Gu. 1. — 6) *dicta sunt*] om. L. — 7) *quae*] Sic L. M. Gu. 1. 2. pr. S. *quod* vulg. — 8) *follicularis*] *follicaris* Gu. 1. — 9) *Ferentarii*] *Ferentani* Gu. 1. — 10) *auxiliares*] *auxiliatores* L. Gu. 1. — 11) *vel*] *ita appellati* h. l. addit L. — 12) *tenentur*] *contenentur* M. — 13) *ita appellati*] om. pr. *appellati ita* B. — 14) *Firctum*] *Ferentum* L. *Fertum* B. *Ferctum* S. — 15) *ferebatur*] *ferebantur* M. — 16) *afferebant*] *ferebant* L. — 17) *struferctarii*] Sic B. Gu. 2. pr. S. *strufettarii* Gu. 1. *strufectari* M. *struferentarii* L. — 18) *Feralia*] om. articulum Gu. 1. — 19) *sacra*] Sic L. Gu. 2. *sacrata* vulg. — 20) *feriendis*] Sic Gu. 2. S. *ferendis* vulg. — 21) *Feria*] *Feriae* L. — 22) *vocata*] Sic M. Gu. 2. *appellata* vulg. *dicta* L. — 23) *Februarius*] om. Gu. 1. hunc articulum usque ad verba *februa appellantur*. — 24) *id est*] om. B. — 25) *anni*] om. L. — 26) *purgaretur*] *qui mensis erat anni ultimus* add. L. — 27) *februlim*] *februalim* L. *februllam* B. *februllum* M. *februllim* Gu. 2. — 28) *in*] om. L. — 29) *quibusque*] *quibuscunque* B. pr. — 30) *appellantur*] *appellabantur* L. *appellatur* pr. — 31) *fascinum*] *fascinationes* L. — 32) *Fenus*] Sic tota familia verborum, a verbo *feo* derivata, in omnibus codd. nostris per *e* scribitur, nusquam per *oe*, ut est in vulgatis exemplaribus, a quibus recte recessit Scal. — 33) *et*] om L. — 34) *feneratores*] *fenerator* L. *est fenerata res* B. *et fenerata res* Gu. 1. pr. — 35) *de credita pecunia fenebris*] *fenebris de credita pecunia* L. In B. et M. incipit a voce *fenebris* novus articulus. — 36) *a fetu dicta*] *dicta sunt a fetu* L. — 37) *quod*] *quia* L. — 38) *τόκος dicitur*] *dicitur τοκος* B. om. L. *τόκος* om. Gu. 1. *tokoc* Gu. 2. *tocos* pr. — 39) *quando*] *quoniam* L. —

Fescenoe[46] vocabantur, qui[47] depellere fascinum credebantur.

Ferias antiqui festas[48] vocabant; et aliae erant sine die festo, ut[49] nundinae; aliae cum festo, ut Saturnalia, quibus adiungebantur epulationes ex proventu fetus[50] pecorum frugumque.

Ferire dictum, quod ferientes ferantur[51].

Felicones[52] mali et[53] nullius usus, a filice[54] dicti[55].

Ferus[56] ager, incultus.

Factio et factiosus initio honesta vocabula erant; unde adhuc factiones histrionum et quadrigariorum dicuntur. Modo autem[57] nomine factionis seditio et arma vocantur.

Fama a fando dicta, sic[58] apud Graecos *φήμη ἀπὸ τῆς φάσεως*[59].

Familia[60] antea in liberis hominibus dicebatur, quorum dux et princeps generis vocabatur[61] pater et mater familiae[62]. Unde familia nobilium[63] Pompiliorum, Valeriorum[64], Corneliorum, et familiares, ex eadem familia. Postea hoc nomine etiam[65] famuli appellari coeperunt permutata *i* cum *u* littera.

Facessere significat interdum facere, ut est:

Iussa facessunt.

Interdum vero pro *abeat* ponitur. Pacuvius:

Facessite omnes hinc,

id est[66] abite.

Facul antiqui dicebant et faculter pro facile; unde facultas et difficultas videntur dicta. Sed postea facilitas morum facta est, facultas rerum.

Famuletium dicebatur, quod nunc servitium.

Famicosam[67] terram palustrem vocabant.

Famuli origo ab Oscis dependet[68], apud quos servus *famel*[69] nominabatur[70], unde et familia vocata[71].

Fagutal sacellum Iovis, in quo fuit fagus arbor, quae Iovis[72] sacra[73] habebatur.

Fovii, qui nunc Fabii[74] dicuntur, dicti, quod princeps gentis eius ex ea natus sit, cum qua Hercules in fovea concubuit. Alii putant, eum primum ostendisse, quemadmodum ursi et lupi foveis caperentur[75].

40) *etiam et*] Sic L. M. Gu. 2. Vide notam supra ad voc. *Apricum* locum. *et* om. vulg. *est etiam et fest. voc. est* Gu. 1. — 41) *vocata*] *dicta* L. — 42) *Felicata*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. *Filicata* vulg. Verius, opinor, hoc est, quam *felicata*, quum deducatur a subst. *filix*, quod non scribitur *felix*. Retinui tamen codd. scripturam, mire inter se consentientium. Usui tamen etiam aliquid tribuendum est. — 43) *ad*] om. Gu. 1. — 44) *filicis*] *felicis* M. Gu. 1. — 45) *caelata*] *id est sculpta* add. L. — 46) *Fescenoe*] Sic scripsi e cod. Ursini, quod ipse probat. Et proxime ad hoc accedit Gu. 2., in quo est *Fescemnoe*. Vid. Ursini, Scal. et Dacerii notas. *Fesnoue* vulg. atque ita reliqui libri nostri. — 47) *qui*] *quae* L. — 48) *festas*] *festa* B. — 49) *ut — cum festo*] om. L. B. Gu. 1. pr. — 50) *fetus*] om. L. Gu. 1. — 51) *ferantur*] *feruntur* L. B. Gu. 1. pr. S. *feriantur* M. — 52) *Felicones*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. *Filicones* vulg. Vid. not. ad glossam *Felicata*. — 53) *et*] om. B. — 54) *filice*] *felice* M. Gu. 2. — 55) *dicti*] *Filtra sunt incantationes ad viros in amorem deducendos vel alienandos* add. L. — 56) *Ferus*] *Efferus* L. — 57) *autem*] om. L. — 58) *sic*] *sed* Gu. 1. — 59) *φήμη ἀπὸ τῆς φάσεως*] *pheme apo tes phaseos* pr. *phiou apo tis phaseos* M. Gu. 2. om. Graeca L. Gu. 1. — 60) *Familia*] *autem* add. L. B. Gu. 1. pr. — 61) *vocabatur*] *vocabantur* B. pr. — 62) *familiae*] om. L. — 63) *nobilium*] *nobiliorum* Gu. 1. — 64) *Valeriorum*] *Valesiorum* L. — 65) *etiam*] *et* Gu. 1. — 66) *hinc, id est*] *id est hinc* L. — 67) *Famicosam*] Sic M. Gu. 2. *Famelicosam* vulg. — 68) *dependet*] *dependit* M. Gu. 2. pr. — 69) *famel*] *famyl* L. — 70) *nominabatur*] *vocabatur* B. — 71) *vocata*] om. B. — 72) *Iovis*] Sic M. Gu. 1. 2. pr. Vide not. ad glossam *Aliuta*. *Iovi* vulg. — 73) *sacra*] *sacrata* L. B. — 74) *Fabii*] *Favii* B. Gu. 1. 2. pr. *Favi* M. — 75) *foveis cap.*] *cap. fov.* L.

Faces antiqui dicebant, ut fides.

Famino, dicito.

Facem in nuptiis in honorem Cereris praeferebant; aqua[1] aspergebatur[2] nova nupta, sive ut casta puraque ad virum veniret[3], sive ut ignem atque[4] aquam cum viro communicaret.

Fabam nec tangere, nec nominare Diali flamini licet, quod ea putatur ad mortuos pertinere. Nam et Lemuralibus iacitur larvis, et parentalibus adhibetur sacrificiis[5], et in flore eius luctus literae apparere videntur[6].

Flamen Dialis dictus, quod filo assidue[7] veletur; indeque[8] appellatur flamen, quasi filamen. Dialis autem appellatur a Dio[9], a quo vita dari putabatur[10] hominibus.

Famella diminutivum a fama.

Faviani[11] et Quintiliani appellabantur luperci, a Favio[12] et Quintilio[13] praepositis suis.

Fastorum libri appellantur[14], in quibus totius anni fit[15] descriptio. Fasti enim dies festi sunt.

Fanum a Fauno dictum, sive a fando, quod dum pontifex[16] dedicat[17], certa verba fatur.

Fastigium aedificii summum.

Favi[18] a favendo[19].

Favissae[20] locum sic appellabant, in quo erat aqua inclusa circa templa. Sunt autem, qui putant, favissas[21] esse in Capitolio cellis[22] cisternisque similes, ubi reponi erant solita ea, quae in templo vetustate erant facta inutilia[23].

Faventia bonam ominationem significat. Nam praecones clamantes populum sacrificiis favere iubebant. Favere enim est bona fari, at[24] veteres poetae pro silere usi sunt favere[25].

Falcones dicuntur, quorum digiti pollices in pedibus intro sunt curvati, a similitudine falcis.

Farreum[26] genus libi ex farre factum.

Falarica genus teli missile[27], quo utuntur ex falis[28], id est ex locis exstructis dimicantes.

Fatantur, multa fantur.

Falae[29] dictae ab altitudine[30], a falando[31], quod apud Etruscos significat coelum.

Farfenum virgulti genus.

Fascinum et fas a fando nominantur[32].

Fartores, nomenclatores, qui clam velut infercirent[33] nomina salutatorum in aurem candidati.

1) *aqua*] vulg. *aquaque;* om. *que* L. B. M. Gu. 1. 2. — 2) *aspergebatur*] *sparg.* pr. *expergebantur* Gu. 1. — 3) *veniret*] *venisset* Gu. 2. — 4) *atque*] *ut* add. L. — 5) *adhibetur sacr.*] *sacr. adh.* L. — 6) *luctus literae apparere videntur*] *cum apperitur luctus apparere videtur* L. — 7) *assidue*] Sic L. M. Gu. 1. 2. pr. S. *assiduo* vulg. — 8) *indeque*] Sic L. B. Gu. 1. 2. pr. S. *que* om. vulg. — 9) *Dio*] *id est Iove* add. L. — 10) *dari putabatur*] *putabatur dari* B. — 11) *Faviani*] *Fabiani* L. quod fortasse verum. — 12) *Favio*] *Fabio* L. quod verum videtur. — 13) *Quintilio*] *Quintiliano* B. — 14) *appellantur*] *appellabantur* B. — 15) *fit*] *sit* L. Gu. 2. — 16) *pontifex*] *maximus* add. vulg. Sed om. Gu. 2. S. — 17) *dedicat*] *indicat* Gu. 1. — 18) *Favi*] *Favus* L. — 19) *favendo*] *fovendo* M. Gu. 2. — 20) *Favissae*] *Favisce* Gu. 2. *Favisae* M. Gu. 1. — 21) *favissas*] *favisas* B. M. Gu. 1. pr. — 22) *cellis*] *subterraneis* add. L. — 23) *vetustate erant facta inutilia*] *erant vet. facta inut.* B. — 24) *at*] *et* pr. — 25) *pro silere usi sunt favere*] *favere pro silere usi sunt. Virg. Ore favete omnes.* B. — 26) *Farreum*] om. glossam B. — 27) *missile*] *missilis* L. — 28) *falis*] *faliis* B. *falissi* Gu. 1. — 29) *Falae*] *Falcae falae* B. — 30) *ab altitudine*] *a multitudine ab altitudine* Gu. 1. — 31) *falando*] *falado* M. Gu. 1. *falendo* B. — 32) *nominantur*] *nominabantur* L. — 33) *infercirent*] Sic B. M. Gu. 2. pr. *infarcirent* vulg. — 34) *Furnalia*] *Furinalia* L. — 35) *dicebant*] Sequitur in L. haec glossa: *Fugere est putrefieri, M. T. libro tertio officiorum ait vinum fugiens vendat sciens, nam si putrefiat fugit ab usu nostro.* — 36) *suspendebantur*] Sic L. B. Gu. 2. *suspendebant* vulg. — 37) *quod*] *qui* B. — 38) *quam*] *quem* B. M. Gu. 2. *quae* Gu. 1. — 39) *est*] om. Gu. 1. — 40) *et*] om. B. — 41) *pro saepius*] *saepius pro* B. — 42) *posuit*] *ponit* L. —

Furnalia[34] sacra Furinae, quam deam dicebant[35].
Furcilles sive furcilla, quibus homines suspendebantur[36].
Fundus dicitur ager, quod[37] planus sit ad similitudinem fundi vasorum. Fundus quoque dicitur populus esse rei, quam[38] alienat, id est auctor.
Futare arguere est[39], unde et[40] confutare. Sed Cato hoc pro saepius[41] fuisse posuit[42].
Futiles dicuntur, qui silere tacenda nequeunt, sed ea effundunt[43]. Sic et vasa futilia[44] a fundendo vocata[45].
Flagratores dicebantur genus hominum[46], quod[47] mercede flagris caedebantur.
Flustra dicuntur, quum in mari fluctus non moventur, quam Graeci *μαλακίαν* vocant[48].
Flator tibicen[49].
Flemina dicuntur, quum ex labore viae sanguis defluit circa talos[50].
Flaminius circus et via Flaminia[51] a Flaminio consule dicta sunt, qui ab Hannibale[52] interfectus est ad lacum Trasimenum.
Flaminia[53] aedes domus flaminis Dialis.
Flammearii, infectores[54] flammei coloris, *Violarii* violatii dicuntur[55].
Flumentana[56] porta Romae appellata, quod Tiberis partem ea[57] fluxisse affirmant.
Flammeo[58] amicitur nubens ominis[59] boni causa, quod eo assidue utebatur flaminica, id est flaminis uxor, cui non licebat facere divortium.
Fidusta a fide denominata[60], ea quae maximae fidei erant.
Fides genus citharae dicta, quod tantum inter se chordae eius, quantum inter homines fides concordet[61]; cuius diminutivum *fidicula* est.
Fixulas[62] fibulas.
Fiscellus casei mollis appetitor, ut catillones[63] catillorum[64] liguritores[65].
Fiber genus bestiae quadrupes[66]. Plautus:

Sic me subes cottidie[67], *quasi fiber salicem;*

quo nomine extremae orae fluminis[68] appellantur. Unde et *fibras* iocinerum[69] et *fimbrias* vestimentorum dicimus.
Fratria, uxor fratris.

43) *effundunt*] *fundunt* L. *diffundant* Gu. 1. — 44) *futilia*] *fictilia* Gu. 1. — 45) *vocata*] *dicta* L. — 46) *genus hominum*] *homines* L. B. — 47) *quod*] *qui* L. — 48) *quam Graeci μαλακίαν vocant*] *quam Graeci vocant γαλήνη* B. *quam* om. M. *malakian* Gu. 2. *malacian id est languorem voc.* pr. om. Graecam vocem Gu. 1. — 49) *tibicen*] *a flando dictus* add. L. — 50) *talos*] *talum* L. B. Gu. 1. pr. — 51) *via Flaminia*] *Flaminia via* L. — 52) *Hannibale*] Sic L. M. Gu. 2. *Annibale* vulg. — 53) *Flaminia*] *Flaminea* L. *Flaminae* M. *Flaminiae* Gu. 2. — 54) *infectores*] Sic L. M. Gu. 2. pr. S. *interfectores* vulg. — 55) *Violarii violatii dicuntur*] Sic Gu. 1. 2. pr. *violarii violatii coloris dicuntur* M. S. *Violarii interfectores violatii dic.* B. *Flammearii interfectores coloris violarii dicuntur* L. *Violarii interfectores violatii coloris dicuntur* vulg. — 56) *Flumentana*] om. articulum Gu. 1. — 57) *ea*] *per eam* L. — 58) *Flammeo*] om. articulum Gu. 1. *Flamineo* B. pr. — 59) *ominis*] om. L. — 60) *denominata*] *nominata* M. Gu. 1. — 61) *concordet*] Sic M. Gu. 1. 2. *concordent* vulg. Offendit hoc dicendi genus, quod verbi attractionem vocant, librarios. At vide Krueger über die Attraction der latein. Sprache. §. 29. — 62) *Fixulas*] om. articulum L. *Fisulas* Gu. 1. — 63) *catillones*] *catilliones* L. B. *catiliones* Gu. 2. — 64) *catillorum*] *catilliorum* Gu. 1. *catalorum* L. — 65) *liguritores*] *ligurritores* M. pr. — 66) *quadrupes*] *quadripes* M. Gu. 2. Ceterum libri *vespae* pro *bestiae*; correxerunt Scal. Dac. Gothofr. — 67) *cottidie*] Sic M. Gu. 2. *quotidie* vulg. — 68) *orae fluminis*] Sic L. B. Gu. 1. 2. *fluminis orae* S. *fluminum orae* vulg. — 69) *iocinerum*] Sic B. Gu. 1. 2. *iocinorum* M. pr. S. *iecinorum* vulg.

Frivola sunt proprie vasa fictilia quassa. Unde dicta verba frivola, quae minus sunt fide subnixa.
Frater a Graeco dictus est[1] φρήτρη[2], vel quod sit fere alter.
Frontem antiqui masculino genere[3] dixere.
Fremitum dictum velut ferimentum.
Fratilli villi sordidi in tapetis[4].
Fraecbunt[5], displicebunt[6].
Forago, filum, quo textrices diurnum opus distinguunt, a forando dictum.
Frutinal templum Veneris Fruti[7].
Fringilla[8] avis dicta, quod frigore cantet et vigeat; unde et friguttire[9].
Fratriare[10] puerorum mammae dicuntur[11], quum primum tumescunt, quod velut fratres pares oriuntur, quod etiam in frumento spica facere dicitur[12].
Frigere et frictum a Graeco venit[13] φριγεῖν[14].
Fregellae[15] locus in urbe, in quo civitatis[16] felii[17] hospites habitaverunt[18].
Festram antiqui dicebant, quam nos fenestram.
Firmum[19] ἀπὸ τοῦ ἕρματος[20], quod significat sustentaculum[21], dictum videtur[22].
Frausus erit, fraudem[23] commiserit.
Faleri[24] oppidum a fale dictum.
Fraxare[25] vigiliam circuire[26].
Florifertum dictum, quod eo die spicae feruntur ad sacrarium[28].
Frugamenta a frugibus appellata.
Frendere est frangere; unde et faba fresa[29]; unde et dentibus dicimus[30] frendere.
Formucales[31] forcipes dictae, quod forma[32] capiant, id est ferventia[33].
Farrago appellatur id, quod ex pluribus satis pabuli causa datur iumentis.
Fetiales[34] a feriendo[35] dicti. Apud hos enim belli pacisque faciendae ius est[36].
Feretrius Iuppiter[37] dictus a ferendo, quod pacem ferre putaretur; ex cuius templo sumebant sceptrum, per quod iurarent, et lapidem silicem, quo foedus ferirent.
Femur[38], femoris et femen, feminis.
Fenero et feneror dici potest.
Frux, frugis dixerunt antiqui.

1) *Increta*] om. glossam B. Ut ego scripsi, sic exhibet L. pr. S. *Incrcta* vulg. — 2) *minare*] *munerare* L. *vel numerare* add. B. *numerare* pr. — 3) *Init*] *Iniit* B. — 4) *concubitu*] *concubuit* S. — 5) *iniit*] *init* L. M. — 6) *introiit*] *introit* M. pr. — 7) *Init*] Sic L. M. Gu. 2. *Iniit* vulg. — 8) *armis*] *id est armis* L. — 9) *In*] om. L. cum voc. *aedes.* — 10) *tutelae*] *tutela* L. B. pr. — 11) *valit.*] Sic L. B. Gu. 2. pr. *valet.* vulg. — 12) *aegroti*] *aegrotis* B. — 13) *immolabantur*] *immolantur* B. — 14) *regis mortui*] *mortui regis* L. *regis* om. B. — 15) *possint*] *possent* L. pr. — 16) *pro tempore*] *aliquando* add. L. — 17) *Intergerivi*] *Intergerini* B. pr. — 18) *inter*] *intra* L. B. — 19) *confines*] *fines* M. — 20) *intergeruntur*] *intrager.* B. — 21) *Internecio*] Sic L. Gu. 2. pr. S. *Internectio* B. *Internitio* vulg. — 22) *privatio*] *est priv.* L. — 23) *a nece — voc.*] *ab internecio id est interficio a vere denominato* L. — 24) *Inter cutem*] *Intra cut.* B. — 25) *Interduatim* etc.] L. ita: *Interduatim interdum. Interatim interim.* — 26) *est*] om. L. B., qui in fine addit *significat.* — 27) *quum*] usque ad fin. om. L. — 28) *dictum est*] *est* om. M. — 29) *quum*] *quoniam* B. — 30) *pristinam*] *pristinum* L., omisso voc. *similitudinem.* — 31) *iunguntur*] *distinguuntur* L. — 32) *circuituque*] *circucinctuque* L. *circuitu qui* B. pr. *circumitu qui* M. Gu. 2. — 33) *videlicet*] om. L. B. — 34) *fluminibus*] *in flum.* M. — 35) *ac*] *aut* L. — 36) *eminent*] *imminent* B. pr. *dictaeque* add. L. — 37) *salo*] *id est mari* add. L. — 38) *Instigare*] om. glossam L. — 39) *Insimulare*] om. glossam L. — 40) *Insuasum*] Sic S. *Insursum* omnes codd. et edit. pr. Om. glossam L. — 41) *stillicidio*] *substillidio* pr. *ob* B., omisso voc. *stillicidio.* — 42) *sed*] om. L. — 43) *aliquotiens*] Sic B. M. Gu. 2. pr. S. *aliquoties* vulg. *aliquando* L. — 44) *Inseque*] *Insexit* L. — 45) *apud Ennium dic*] *pro dixerit apud Ennium* L. *dixit* B. *direxerit* M. *direxit* Gu. 2. — 46) *tam*

Insuasum[40] appellabant colorem similem luteo, qui fiebat ex fumoso stillicidio[41].
Insitum ab inserendo tractum, sed[42] aliquotiens[43] significat impositum.
Inseque[44] apud Ennium *dic*[45]. Insexit *dixerit*.
Insignis tam[46] ad laudem, quam ad[47] vituperationem inflecti potest[48].
Inseptum non[49] septum, ponitur tamen[50] et pro non aedificatum.
Insecta non secta, sed[51] et aliquotiens[52] significant[53] secta[54].
Insipare[55] iniicere, unde fit dissipare.
Insons extra culpam, a quo dici morbus quoque[56] existimatur[57] sonticus, quia perpetuo noceat[58].
Inscitia[59] stultitia.
Insessores latrones, quod circa vias insidientur sedentes.
Immanis ferus, sive magnus.
Imago ab imitatione dicta.
Ingluvies[60] a gula dicta. Hinc et[61] inglüviosus[62] et gluto, gulo[63], gumia[64], guttur[65], gutta[66], gutturosus[67] et gurgulio.
Immusulus[68] avis genus, quam alii regulum, alii ossifragam dicunt.
Infindere[69] intercipere, interponere.
Inferiae sacrificia[70], quae diis[71] manibus inferebant[72].
Infectores[73], qui alienum colorem in lanam coniiciunt[74]. *Offectores*, qui proprio colori novum efficiunt[75].
Infrequens appellatur[76] miles, qui abest afuitve[77] a signis[78].
Involvus vermiculi genus, qui se[79] involvit pampino[80].
Infit incipit. Sed diversae significationis est[81] ab eo, quod est *fit*. Nam *infit*[82] agentis est[83]; *fit*[84] autem patientis[85].
Infiteri[86] non fateri.
Infitiari creditum fraudare[87].
Infulae sunt filamenta lanea, quibus sacerdotes et hostiae templaque velantur.
Inferum[88] vinum id, quod in sacrificando infra labrum paterae[89] ponebatur.

– *quam*] *et – et* L. — 47) *ad*] om. L. — 48) *inflecti potest*] *pot. flecti* L. — 49) *non*] *pro non* B. — 50) *tamen*] L. ab hoc voc. usque ad *dissipare* hanc corruptam exhibet scripturam: *est tamen non permittere, unde fit dissipare.* — 51) *sed*] om. pr. — 52) *aliquotiens*] Sic B. M. Gu. 2. pr. S. *aliquoties* vulg. — 53) *significant*] Sic Gud. 2. Fortasse cum M. scribendum est *significantur. significat* vulg. — 54) *secta*] *sectam* pr. — 55) *Insipare*] *Insupare* M. Gu. 2. pr. — 56) *quoque*] om. L. — 57) *existimatur*] om. B. — 58) *noceat*] Sic B. M. Gu. 2. pr. S. *nocet* vulg. — 59) *Inscitia*] om. glossam L. B. — 60) *Ingluvies*] *Illuvies* L. *Inluvies* M. Gu. 2. pr. — 61) *et*] om. B. — 62) *ingluviosus*] *gluviosus* M. — 63) *gulo*] *gluo* B. — 64) *gumia*] *gunua* B. — 65) *guttur*] om. M. — 66) *gutta*] Sic scripsi e coniectura, quum in codd. L. M. Gu. 2. pr. sit *guttu*, pro quo vulg. exhibet *guttus.* om. B. — 67) *gutturosus*] *guttumosus* L. *gutturiosus* B. pr. — 68) *Immusulus*] Sic Gu. 2. *Immissulus* B. *Immuscilus* pr. *Immusculus* vulg. *Iusculus* L. — 69) *Infindere*] Sic M. Gu. 2. S. *Infidere* vulg. *Infundere* pr. Om. glossam L. B. — 70) *sacrificia*] om. B. — 71) *diis*] *dis* Gu. 2. — 72) *inferebant*] *inferebantur* L. *fiebant* pr. — 73) *Infectores*] Praecedit in vulg. glossa *Infetari non fetari*, quae nullo in cod. nec in edit. pr. exstat. — 74) *coniiciunt*] *coiciunt* M. Gu. 2. — 75) *efficiunt*] *officiunt* L. — 76) *appellatur*] Sic M. Gu. 2. *appellabatur* vulg. — 77) *afuitve*] Sic M. Gu. 2. *abfuitve* vulg. *furtive* L. B. om. pr. — 78) *signis*] *id est vexillis* L. add. — 79) *se*] *semper* B. — 80) *pampino*] *pampinis* L. — 81) *sign. est*] *est sign.* L. — 82) *infit*] *fit* L. pr. — 83) *est*] add. L. Gu. 2. pr. vulg. abest. — 84) *fit*] *infit* L. *fit autem* om. B. pr. *autem* om. L. — 85) *patientis*] vulg. additur *est*, quod. om. B. Gu. 2. — 86) *Infiteri*] *Infateri* pr. — 87) *fraudare*] *denegare* add. L. — 88) *Inferum*] Sic B. Gu. 2. *Inferium* vulg. — 89) *labrum pat.*]

Inlicium vocare antiqui[1] dicebant ad concionem vocare.
Inlicies canales, in quos aqua confluit in viis lapide stratis, ab eliciendo dicti.
Inlecebrae[2] item ab illiciendo dictae.
Inlex[3] producta sequenti syllaba significat[4], qui legi non paret. *Inlex* correpta sequenti syllaba significat inductor[5], ab inliciendo. Plautus[6]:

Esca est meretrix[7], *pectus*[8] *illex.*

Inliterata pax est, quae literis[9] comprehensa non est.
Inlaqueatum[10] alii pro vincto[11] utuntur, alii pro soluto[12].
In conventione in concione.
Iustum vadem, idoneum sponsorem.
Infra classem significantur[13], qui minore[14] summa, quam centum et viginti millium[15] aeris censi sunt.
Intercutitus[16] vehementer cutitus[17], id[18] est valde stupratus.
Inlicitator emptor.
Infibulati sacrificabant flamines propter usum aeris antiquissimum, aereis[19] fibulis.
Immusulus[20] ales ex[21] genere aquilarum est, sed minor[22] virium, quam aquilae[23]; quae volucris[24] raro et non fere praeterquam[25] vere apparet, quia aestum algoremque metuit. Appellatur autem ita, quod subito et inexspectata se immittat[26].
Inarculum virgula erat[27] ex malo punico incurvata, quam regina sacrificans in capite gestabat.
Iniuges boves, qui sub iugo non[28] fuerint[29].
Insanum pro valde magnum usus est Plautus.
Ircei genus farciminis in sacrificiis[30].
Incalative vocative.
Indigitanto imprecanto[31].
Illicium dicitur, quum[32] populus ad concionem[33] elicitur, id est evocatur[34]. Unde et *colliciae* tegulae, per quas aqua in vas defluere potest.
Indigitamenta incantamenta, vel[35] indicia[36].
Insignes appellantur[37] boves, qui in femine et[38] in pede album habent, quasi insigniti.
Internecivum testamentum est, propter quod dominus eius necatus est.
Increpitato ferito.

Sic Gu. 2. *pat. labr.* vulg. — 1) *vocare antiqui*] *ant. voc.* L. B. *vocare* om. pr. — 2) *Inlecebrae*] Om. glossam L. pr. — 3) *Inlex*] Sic L. B. Gu. 2. S. *Illex* vulg. Praeterea notandum est, quod B. et pr. invertunt ordinem ita: *corr.* — *producta.* — 4) *significat*] *significatur* utroque loco L. Primo loco consentit Gu. 2. — 5) *inductor*] Sic L. B. M. Gu. 2. pr. *inductorem* vulg. — 6) *Plautus*] *in Asinaria* add. L. — 7) *meretrix*] *meretricis* L. — 8) *pectus*] *lectus* L. B. — 9) *literis*] *in lit.* L. — 10) *Inlaq.*] *Illaq.* L. M. Gu. 2. pr. — 11) *vincto*] *victo* pr. — 12) *soluto*] *utuntur* add. L. — 13) *significantur*] *significat* pr. — 14) *minore*] *minori* B. — 15) *millium*] *milia* B. — 16) *Intercutitus*] *Intercuticus* B. *Interniciens* L. — 17) *cutitus*] *cuticus* B. *cuciens* L. — 18) *id*] *hoc* L. M. — 19) *aereis*] *aeris* L. *aeres* M. — 20) *Immusulus*] *Immussulus* M. Gu. 2. *Immustulus* S. — 21) *ales ex*] *avis est et gen.* L. — 22) *minor*] Sic B. M. Gu. 2. *minorum* vulg. At credibilius est librarios mutasse insolentiorem genitivum, qui condicionem indicat. Verte enim *in Rücksicht auf die Kräfte kleiner.* — 23) *aquilae*] Sic L. B. M. Gu. 2. pr. S. *aquila* vulg. — 24) *volucris*] om. pr. — 25) *praeterquam*] *quam* om. L. — 26) *immittat*] *ostendat* L. — 27) *virgula erat*] *virgulta erant* L. — 28) *non*] *modo* L. — 29) *fuerint*] *fuerunt* B. *fuere* L. — 30) *sacrificiis*] *sacrificio* L. — 31) *Indigitanto imprecanto*] *Indigitando imprecando* L. B. pr. — 32) *quum*] *quom* B. — 33) *concionem*] *concilium* B. — 34) *evocatur*] Sic L. Gu. 2. pr. *vocatur* vulg. — 35) *incant. vel*] om. L. — 36) *indicia*] *indicium* L. — 37) *appellantur*] *dicuntur* L. — 38) *in femine et*] om. L. *femore* pr. — 39) *inscientiam*] *inscientia* Gu. 2. *inscitiam* B. — 40) *Iecuna-*

Increpitare clamare, maledicere.
Imbelliam belli inscientiam[39].
Iecunanum[40] victimarium.
Inori minores[41].
Incalanto invocanto.
Ingens dicitur augendi consuetudine, ut inclamare, invocare[42]. Quia enim gens populi est magnitudo, ingentem per compositionem dicimus, quod significat valde magnum.
In pelle lanata nova nupta considere[43] solet, vel propter morem vetustum, quia antiquitus[44] pellibus homines erant[45] induti[46], vel quod testetur[47] lanificii officium se praestaturam[48] viro.

LIBER X.

Lucetium[49] Iovem appellabant, quod eum lucis esse causam credebant.
Lemnisci[50], id est fasciolae coloriae[51], dependentes ex coronis, propterea dicuntur, quod antiquissimum fuit genus coronarum lanearum[52].
Lectus dictus vel[53] a collectis foliis ad cubitandum, vel quod fatigatos ad se alliciat, vel[54] a Graeco λέκτρον[55].
Lapidem silicem tenebant iuraturi[56] per Iovem, haec verba dicentes: *Si sciens fallo, tum*[57] *me Diespiter*[58] *salva urbe arceque bonis eiiciat, ut*[59] *ego hunc lapidem*[60].
Lepista genus vasis aquarii.
Legio Samnitum linteata appellata est[61], quod Samnites intrantes singuli ad aram velis linteis circumdatam non[62] cessuros se[63] Romano militi iuraverunt[64].
Lenones ab alliciendo adulescentulos[65] appellati.
Letum ab oblivione, quam Graeci λήθην[66] vocant, dictum.
Lemonia tribus a pago Lemonio appellata[67], qui est a porta Capena via Latina.
Levir[68] est uxoris[69] meae frater[70].
Leria[71] ornamenta tunicarum aurea.
Lesbium genus vasis caelati a Lesbiis[72] inventum.
Legimus aut scriptum, aut oleam glandemve et alia quaedam[73]; et addita[74] praepositione dicimus[75] colligimus, deligimus[76].

num] *lecinorum* L. — 41) *minores*] Sic L., qui praeponit *id est*, B. M. Gu. 2. pr. S. *sine ore* vulg. — 42) *invocare*] *ingentem valde magnum* add. L., qui om., quae sequuntur. — 43) *considere*] *consedere* L. B. M. pr. — 44) *quia antiquitus*] *qui antiqui* L. — 45) *pellibus homines erant*] Sic Gu. 2. *homines pellibus erant* vulg. *homines erant* om. L. — 46) *induti*] *vestiti* L. — 47) *testetur*] *testatur* B. — 48) *praestaturam*] *praestit.* B. — 49) *Lucetium*] Sic M. Gu. 1. 2. S. *Lucecium* vulg. — 50) *Lemnisci*] *Lennisci* B. pr. *lennasti* Gu. 1. — 51) *coloriae*] *colorisae* B. Gu. 1. pr. *corollae* L. — 52) *lanearum*] *laurearum* L. — 53) *vel*] om. pr. — 54) *vel — λέκτρον*] om. L. — 55) *λέκτρον*] om. Gu. 1. *lectron* Gu. 2. pr. — 56) *iuraturi*] *iurati* L. — 57) *fallo, tum*] *falletur* L. B. Gu. 1. *falleret* pr. — 58) *Diespiter*] *Dispiter* M. Gu. 2. *despicit* Gu. 1. — 59) *ut*] *uti* M. *ubi* Gu. 1. — 60) *lapidem*] *eiicio* add. L. — 61) *lint. app. est*] *app. est lint.* B. *app.* om. L. — 62) *non*] *enim* add. B. — 63) *se*] om. B. — 64) *iuraverunt*] Sic L. B. Gu. 2. pr. S. *iuraverant* vulg. — 65) *adulesc.*] Sic M. Gu. 2. *adol.* vulg. — 66) *λήθην*] om. L. Gu. 1. *lithin* M. Gu. 2. — 67) *appellata*] *est* add. M. — 68) *Levir*] om. glossam L. B. Gu. 1. — 69) *uxoris*] *uxori* M. — 70) *frater*] *meus* add. M. Gu. 2. — 71) *Leria*] *Lenia* L. Gu. 1. *Leuao* M. *Leva* Gu. 2. — 72) *Lesbiis*] *Lesbis* M. Gu. 1. 2. — 73) *aut oleam glandemve et alia quaedam*] L. ita: *ad holera, glandem oleamne sunt a quaedam alia addita.* Pro *oleam* habet B. Gu. 1. pr. *olera*, et pro *glandemve* B. pr. *glandesve*. *grandemve* Gu. 1. *quaedam* pro vulg. *quidem* exhibent L. B. M. Gu. 2. S. — 74) *et addita*] om. Gu. 1. — 75) *dicimus*] om. L. — 76) *delig.*] *et dilig.* B.

Lectosia[1] insula dicta a consobrina Aeneae ibidem sepulta.

Lictores dicuntur[2], quod fasces virgarum ligatos ferunt. Hi[3] parentes magistratibus[4], delinquentibus[5] plagas ingerunt.

Liber repertor vini ideo sic appellatur, quod vino nimio[6] usi omnia libere loquantur[7].

Limis[8] obliquus, id est transversus; unde et[9] limina.

Limites in agris nunc termini, nunc viae transversae[10].

Limitatus ager est in centurias dimensus.

Librile scapus[11] librae.

Librilla[12] appellantur[13] instrumenta bellica[14], saxa scilicet ad[15] brachii crassitudinem[16] in modum flagellorum loris[17] revincta.

Liberalia Liberi festa, quae apud Graecos dicuntur *Διονύσια*[18]. Naevius:

Libera lingua[19] *loquimur*[20] *ludis Liberalibus.*

Limaces cochleae[21] a limo appellatae.

Litatum alii solutum[22], deditum deo, quasi luitatum[23]. Alii ex Graeco a precibus, quas illi *λί-τας*[24] dicunt.

Lixae, qui exercitum sequuntur[25] quaestus gratia, dicti, quod extra ordinem sint militiae, eisque liceat, quod libuerit. Alii eos a Licha[26] appellatos dicunt, quod et[27] ille Herculem sit secutus; quidam a liguriendo quaestum[28].

Lingula[29] per diminutionem linguae[30] dicta; alias a similitudine linguae exsertae, ut in calceis[31]; alias[32] insertae, id est intra[33] dentes coercitae, ut[34] in tibiis.

Libella diminutivum est[35] a libra.

Lacit decipiendo inducit. *Lax* etenim[36] fraus est.

Lituus appellatus[37], quod litis[38] sit testis. Est enim genus bucinae[39] incurvae, quo[40] qui cecinerit, dicitur liticen[41]. Ennius:

Inde loci[42] *lituus sonitus*[43] *effudit*[44] *acutos.*

Litis[45] cecidisse dicitur, qui eius rei, de qua agebat, causam amisit.

1) *Lectosia*] *Lectos* Gu. 2. — 2) *dicuntur*] *dicunt* Gu. 1. — 3) *Hi*] *enim* add. L. — 4) *parentes magistratibus*] *imperantes* B. Gu. 1. *imperantibus* pr., omisso *ferunt.* — 5) *delinq.*] *qui del.* pr. — 6) *nimio*] om. pr. — 7) *loquantur*] *loquebantur* B. — 8) *Limis*] *Limus* L. S. At ut imbecillus et imbecillis dicitur, sic quoque *limis* et *limus* dici potest. Nisi forte *limes* potius legendum. — 9) *et*] om. B pr. — 10) *transversae*] vulgo add. *sunt*, quod om. L. M. Gu. 2. pr. S. — 11) *scapus*] *scirpus* B. in marg. — 12) *Librilla*] *Libula* L. — 13) *appellantur*] om. L. *appellabantur* M. — 14) *bellica*] *bellicosa* B. — 15) *saxa scilicet ad*] om. L. — 16) *brachii crassitudinem*] *crassitudine brachii* L. *grossitudinem* B. Gu. 1. pr. — 17) *loris*] om. Gu. 1. — 18) *Διονύσια*] *dyonisia* L. *dionisia* Gu. 1. 2. *διονυσια dic.* B. — 19) *Libera ling.*] *ling. lib.* L. — 20) *loquimur*] *loquemur* pr. *loquuntur* L. Gu. 1. — 21) *cochleae*] *cocleae* L. B. M. Gu. 2. — 22) *solutum*] *solitum* L. B. Gu. 1. pr. — 23) *luitatum*] om. L. Gu. 1. pr. — 24) *λίτας*] om. Gu. 1. — 25) *sequuntur*] *secuntur* M. — 26) *Licha*] Sic M. Gu. 2. S. *Lica* vulg. *lixa* Gu. 1. *lixo* L. — 27) *et*] om. L. — 28) *quaestum*] L. addit glossam: *Litus quicquid aqua maris alluitur.* — 29) *Lingula*] *Lingua* M. — 30) *linguae*] om. B. M. pr. — 31) *calceis*] *calicibus* pr. — 32) *alias*] *aliis* B. — 33) *intra*] *infra* L. Gu. 1. (qui praeponit *et*) pr. — 34) *ut*] om. L. Gu. 1. — 35) *est*] om. B. pr. — 36) *Lax etenim*] *quia lax* L. — 37) *appellatus*] additur vulg. *est*, quod om. L. Gu. 1. 2. — 38) *litis*] *liti* M. — 39) *bucinae*] Sic M. Gu. 2. pr. *buccinae* vulg. — 40) *quo*] *quod* B. Gu. 1. pr. — 41) *liticen*] *laticen* L. Gu. 2. — 42) *loci*] om. Gu. 1. — 43) *sonitus — acutos*] om. Gu. 1. — 44) *effudit*] *effundit* L. B. pr. — 45) *Litis*] Sic omnes codd. et edit. pr. Unus Scal., quem sequitur Dacer., habet *Liti.* At annumeratur haec formula verbis forensibus, quae plurimae cum genit. construuntur. — 46) *Licitati*] *Licitat — contendit* B., sed in marg. exhibet *Licitati.* — 47) *in mercando sive pugnando*] Sic M. Gu. 1. 2.

Lixabundus iter libere ac prolixe faciens.

Licitati[46] in mercando sive pugnando[47] contendentes.

Liquitur[48] labitur, fluit.

Lingulaca[49] genus piscis, vel mulier auguratrix.

Lance et[50] *licio* dicebatur apud antiquos, quia qui furtum[51] ibat quaerere in domo aliena licio cinctus intrabat, lancemque ante oculos tenebat propter matrum familiae aut virginum praesentiam.

Lautia[52] epularum magnificentia. Alii a lavatione[53] dictam[54] putant, quia apud antiquos hae elegantiae, quae nunc sunt, non erant, et raro aliquis lavabat.

Laeva sinistra, quam Graeci σκαιάν[55] dicunt[56]. Unde[57] tractum cognomen Scaevola[58]. A *laeva* laevum sinistrum et laevorsum[59] sinistrorsum.

Lacuna id est[60] aquae collectio, a lacu derivatur, quam alii lamam[61], alii lustram dicunt[62].

Lacit inducit in fraudem[63]. Inde[64] est allicere est lacessere; inde lactat, illectat, oblectat, delectat[65].

Laena vestimenti genus habitu[66] duplicis. Quidam[67] appellatam[68] existimant Tusce, quidam Graece, quam χλαμύδα dicunt[69].

Lautumias[70] ex Graeco et[71] maxime a[72] Syracusanis, qui latomias[73] et appellant et habent ad instar carceris; ex quibus locis excisi sunt lapides ad exstruendam urbem.

Laureati milites sequebantur currum triumphantis, ut quasi purgati a caede[74] humana intrarent urbem. Itaque eandem laurum omnibus suffitionibus adhiberi solitum erat, vel quod medicamento siccissima sit, vel quod omni tempore viret[75], ut similiter respublica floreat[76].

Laverniones fures[77] antiqui dicebant, quod sub tutela deae Lavernae essent, in cuius luco[78] obscuro abditoque solitos furta praedamque[79] inter se luere. Hinc et Lavernalis porta vocata est.

Lacerare dividere, comminuere est[80]; ex quo dictus est *lanius*, qui discindendo[81] lacerat pecora; *lacinia*, quod[82] pars vestimenti est; *lacerna*, quod[83] minus capitio sit[84]; *lacer*, quod auribus curtatis est[85], et *lacerum*, quodcunque est in corpore imminutum[86].

S. *in merc. sive in pugn.* L. B. pr., in qna post *contendentes* adiectum est scholion *melius est pugnando non mercando. in pugnando sive mercando* vulg. — 48) *Liquitur*] *Liquatur* B. — 49) *Lingulaca*] *Lingultia* B. pr. *Lingulcea* Gu. 1. — 50) *et*] om. L. Fortasse verum hoc est. Solet enim in locutionibus proverbialibus copula omitti. — 51) *quia qui furtum*] *qui per furtum* L., omisso *quia*. — 52) *Lautia*] *Lautitia* L. M. — 53) *lavatione*] *lavitione* Gu. 2. — 54) *dictam*] *dictum* B. pr. — 55) σκαιάν] om. L. Gu. 1. *caea σκαιαν* B. *scean* M. Gu. 2. pr., quae addit *laean*, *laeva*, *laevum*. — 56) *dicunt*] om. M. Gu. 1. 2. — 57) *Unde — cogn.*] om. L. — 58) *Scaevola*] *a laeva* add. L. — 59) *laevorsum*] L. ita: *unde tractum cognomen sinistrorsum*. — 60) *id est*] additur in L. M. Gu. 2. — 61) *lamam*] *mar vocant* B. *lama vocant* pr. — 62) *lustram dicunt*] *vocant* L. *lustrum* B. S. *letristram* Gu. 1. — 63) *inducit in fraudem*] Sic L. Gu. 1. 2. *in fraud. ind.* vulg. — 64) *Inde*] *unde* L. *est* om. B. — 65) *obl. del.*] Sic Gu. 1. 2. *del. obl.* vulg. — 66) *habitu*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. *habitus* vulg. — 67) *Quidam*] *quod* pr. — 68) *appellatam*] *appellatum* B. — 69) *quidam — dicunt*] Sic B. M. Gu. 2., nisi quod corrupte B. exhibet *clamidia dicunt λαμυδα*, in marg. λαμύδια; M. *chlanida;* Gu. 2. *clanidea;* pr. *chlamyda*, omissis verbis *quam* et *dicunt*. *quam greci linin dicunt* L. χλαινην vulg., quod om. Gu. 1. — 70) *Lautumias*] Sic M. Gu. 2. pr. *Lautumas* B. *Latum.* vulg. — 71) *et*] om. L. — 72) *a*] om. L. — 73) *latomias*] *lautomias* B. *laotom.* pr. Λατομιας M. — 74) *caede*] *sorde* pr. — 75) *viret*] *viveret* L. — 76) *floreat*] *vireat* M. — 77) *fures*] om. B. — 78) *luco*] Sic B. Gu. 2. pr. S. *loco* vulg. — 79) *solitos furta praedamque*] Sic B. M. Gu. 2. pr. *soliti f. pr.* vulg. *solitos praedam furtaque* L. Gu. 1. — 80) *est*] om. Gu. 1. — 81) *discindendo*] *discidendo* Gu. 2. — 82) *quod*] *quaedam* L. *quod* om. B. — 83) *quod*] *quia* B. — 84) *sit*] *est* L. B. M. S. — 85) *quod auribus curtatis est*] *qui* B. Om. hoc totum et *et lacerum* pr. — 86) *quodcunque*

Laudare apud antiquos ponebatur[1] pro nominare.

Lautitia farina appellabatur[2] ex tritico aqua conspersо.

Lautulae locus extra urbem, quo loco, quia aqua fluebat, lavandi usum exercebant.

Lactaria columna in foro olitorio[3] dicta, quod ibi infantes lacte alendos deferebant.

Lacobrigae nomen compositum a lacu et Arcobriga[4] Hispaniae oppido.

Lancea a Graeco dicta[5], quam illi λόγχην vocant[6].

Lanoculus, qui lana tegit oculi vitium.

Lamberat, scindit ac[7] laniat.

Lanerum vestimenti genus ex lana succida[8] confectum.

Lapit[9] dolore afficit.

Lapidicinae[10], ubi exciduntur[11] lapides.

Latex lapsu[12] profluens aqua dicitur. Utimur[13] tamen hoc vocabulo et[14] in vino.

Latine loqui a Latio dictum est, quae locutio adeo est versa, ut vix ulla eius pars[15] maneat in notitiam[16].

Latrones antiqui eos dicebant, qui conducti militabant[17], ἀπὸ τῆς λατρείας[18]. At nunc viarum obsessores dicuntur, quod a latere adoriuntur, vel quod latenter insidiantur[19].

Larentalia[20] coniugis[21] Faustuli, nutricis Remi[22] et Romuli, Laurentiae[23] festa.

Locupletes locorum multorum domini.

Locatum[24] positum.

Larvati furiosi et mente moti, quasi larvis exterriti[25].

Lotos arboris genus, ex cuius[26] materia frequenter tibiae fiebant, cuius bacis[27] quondam pasti[28] Lotophagi sunt dicti[29].

Lucaris pecunia, quae in luco erat data.

Lucaria festa in luco colebant Romani, qui permagnus inter viam Salariam[30] et Tiberim fuit, pro eo, quod victi a Gallis fugientes e proelio ibi se occultaverint[31].

Lucar appellatur[32] aes[33], quod ex lucis captatur.

est in corp. immin.] *quod cūm quod in corp. imm. est* L. *quodcunque tum in corp. imm. est* pr. *quodcunque quod in corp. imm.* Gu. 1., qui cum B. om. *est*. — 1) *apud ant. pon.*] Sic Gu. 1. 2. *ponebatur* et *pro* om. L. *ap. ant. pro nom. pon.* B. *pon. apud ant.* vulg. — 2) *appellabatur*] *quod* add. L. *appellatur* Gu. 1. — 3) *olitorio*] *olitario* Gu. 1. pr. — 4) *Arcobriga*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. *Orcobriga* vulg. *a lacu et briga* S. *ex Hispaniae oppido Arcobr.* L. *compositum ex arcobr.* Gu. 1. *a lae et arcobr.* pr. *a lacu* om. B. *oppidum* B. — 5) *dicta*] om. pr. — 6) *quam illi λόγχην vocant*] vulg. add. *χόγχη enim hasta et λογχήτης satelles.* Hoc om. B. (in marg. est vulg. adscripta) M. Gu. 1. 2. S. *lonchin* B. M. Gu. 2. *lonchen* pr. λόγχην et λογχήτης om. pr., quae exhibet *enim est hasta.* λόγχην om. Gu. 1. — 7) *ac*] Sic B. M. Gu. 1. 2. S. *et* L. *atque* vulg. — 8) *succida*] *sucida* M. Gu. 2. pr. — 9) *Lapit*] *Labit* Gu. 1. *Lipuit* pr. — 10) *Lapidicinae*] *Lapicidinae* B. pr. Scripsi *Lapidicinae* ex optimis codicibus. Nec tamen dubium est, scribendum esse ubique *Lapicidinae.* — 11) *exciduntur*] *exscind.* Gu. 1. pr. — 12) *lapsu*] *a lapsu* L. M. Gu. 1. pr. — 13) *Utimur*] *Utuntur* B. pr. — 14) *et*] om. L. B. — 15) *ulla eius pars*] Sic Gu. 2. *ulla pars eius* vulg. — 16) *in notitiam*] Sic Gu. 2. *in notitia* L. M. Gu. 1. S. *innoxia* vulg. — 17) *antiqui — milit.*] *antiqui eos, qui conducti dicebant, milit.* L. *antiqui eos dic.* Gu. 2. *eos ant. dic.* vulg. — 18) ἀπὸ τῆς λατρείας] om. L. Gu. 1. ἀπὸ τῆς om. pr. ἀπὸ τῆς λατρ. *At* om. B., qui in marg. exhibet ἀπὸ τῆς λατρείας *servitus.* *apo tis latrias* M. Gu. 2. *latrias* pr. — 19) *latenter insid.*] Sic L. M. Gu. 1. 2. S. — 20) *Larentalia*] Sic M. Gu. 1. 2. S. *Laur.* vulg. — 21) *coniugis*] *a coniugis* L. B. Gu. 1. pr. — 22) *Remi*] *et Remi* Gu. 1. — 23) *Laurentiae*] *Larentiae* M. S. *Laurentis* L. — 24) *Locatum pos.*] om. Gu. 1. — 25) *exterriti*] *exciti* pr. *extincti* L. Gu. 1. — 26) *cuius*] *qua* L. — 27) *bacis*]

Lucereses[34] et Luceres, quae pars tertia populi Romani est distributa a Tatio et Romulo, appellati sunt[35] a Lucero, Ardeae rege, qui auxilio fuit Romulo adversus Tatium bellanti.

Lucani appellati dicuntur[36], quod eorum regio sita est ad partem stellae luciferae, vel quod loca cretosa[37] sint[38], id est multae lucis, vel a Lucilio duce, vel quod primitus in luco consederint[39].

Lucem facere dicuntur Saturno sacrificantes, id est capita detegere.

Lucius praenomen est eius, qui primum fuit, quia oriente luce natus est.

Lycii Apollinis oraculum in Lycia maximae claritatis fuit, ob luporum interfectionem. *Λύκος*[40] enim lupus est.

Luxa membra e[41] suis locis mota et soluta, a quo luxuriosus[42] in re familiari solutus.

Lucuntem[43] genus operis pistorii.

Lucretilis mons in Sabinis.

Lucomones[44] quidam homines ob insaniam dicti[45], quod loca, ad quae venissent, infesta[46] facerent.

Lucomedi[47] a duce suo Lucomo[48] dicti, qui postea Lucerenses[49] appellati sunt[50].

Luculentus a luce appellatus.

Lues[51] est diluens[52] usque ad nihil, tractum a Graeco *λύειν*[53]. Hinc dictum lutum terra humore soluta, et lustratio, qua quid solvitur ac liberatur. Hinc[54] et *λύτρα*[55] *ἀπὸ τῆς λύσεως*[56], id est solutione auri. *Λίτρα* enim[57] libra est.

Luctus et *lugere* a Graeco trahuntur *λυπεῖν* vel *λύσις βίου*[58].

Longitrorsus sic dicitur, sicut dextrorsus, sinistrorsus.

Lustra significat[59] lacunas lutosas, quae sunt in silvis aprorum cubilia. Qua[60] similitudine hi, qui in locis abditis et sordidis ventri et desidiae operam dant, dicuntur in lustris vitam agere. Et quum eiusdem vocabuli prima syllaba producitur, significat nunc tempus quinquennale, nunc populi lustrationem.

Lymphae dictae sunt[61] a nymphis. Vulgo autem memoriae proditum est, quicunque speciem

baccis B. — 28) *quond. pasti*] Sic B. Gu. 1. 2. pr. *pasti quond.* vulg. *usi quond. p.* B. pr. *quondam* om. L. — 29) *sunt dicti*] Sic M. Gu. 2. *sunt* om. vulg. — 30) *inter viam Salariam*] B. eandem glossam repetit post v. *Lucretilis. intra mare et sal.* B., qui altero loco habet *intra viam sal.* — 31) *ibi se occultaverint*] *occultaverunt* B. (utroque loco) M. *occultarunt* Gu. 1. *in ipso se* B. primo loco. Consentit pr. — 32) *appellatur*] *dicitur* B. pr. — 33) *aes*] om. B. pr. — 34) *Lucereses*] Sic M. Gu. 1. 2. *Lucerenses* B. pr. *Lucreses* L. — 35) *appellati sunt — Romulo*] om. B. — 36) *appellati dicuntur*] *appellantur vel app. dic.* Gu. 1. — 37) *cretosa*] *herbosa* B. *hertola* pr. — 38) *sint*] *sunt* M. Gu. 1. — 39) *consederint*] *consederunt* B. M. pr. — 40) *Λύκος*] *lycos* pr. *licos* L. Gu. 1. 2. — 41) *e*] *ex* L. — 42) *luxuriosus — solutus*] *luxuriosos — solutos* L. — 43) *Lucuntem*] *Lucunter* L. *lucuntere* B. M. pr. S. — 44) *Lucomones*] *Lucum.* L. — 45) *dicti*] om. L. — 46) *infesta*] *festa* L. B. Gu. 1. pr. — 47) *Lucomedi*] *Lucumedii* L. *Lucomedii* Gu. 1. Om. B. verba *Lucom. — qui.* — 48) *Lucomo*] *Lucumo* L. — 49) *Lucereses*] Sic M. Gu. 1. *Lucerenses* h. l. Gu. 2. *Lucenses* B. pr. — 50) *sunt*] om. L. — 51) *Lues*] *Luens* L. — 52) *diluens*] *diluvium* L. — 53) *λύειν*] om. L. Gu. 1. *lyein* pr. *lyin* M. Gu. 2. — 54) *Hinc*] *inde* B. — 55) *λύτρα*] *lytra* pr. B. *litra* M. Gu. 2. *litura* L. — 56) *ἀπὸ τῆς λύσεως*] om. L. Gu. 1. *poa tes lyseos* pr. *apo tis lyseos* M. Gu. 2. — 57) *Λίτρα enim*] om. L. *est libra* pro *libra est* B. — 58) *Luctus — λύσις βίου*] Sic e vestigiis codd. M. et Gu. 2. scripsi, quum exhibeat M. *lypin vel lisue;* Gu. 2. *lypiu vellisiu. lyseos tu biu vel tes lypes* pr. L. contraxit ita: *luctus a lugeo* (sic) *graece litra.* In B. sic: *a Graeco λύρειν.* Reliqua om. *trahuntur* om. pr. *λυπεῖν vel λύπειν* S. *λύσεως τοῦ βίου vel ἀπὸ τῆς λύπης* vulg. — 59) *significat*] Sic Gu. 1. 2. *significant* vulg. — 60) *Qua*] *a qua* B. M. — 61) *dictae sunt*] *sunt dictae* B.

quandam e fonte, id est effigiem nymphae viderint[1], furendi non fecisse finem; quos Graeci νυμφολήπτους[2] vocant[3], Latini lymphaticos appellant[4].

Luxantur a luxu dictum, id est luxuriantur[5].

Luma[6] genus herbae vel potius spinae.

Lumbago vitium et debilitas lumborum.

Luscitio vitium oculorum, quod clarius vesperi, quam meridie cernit.

Lura, os cullei, vel etiam utris; unde lurcones capacis gulae homines et bonorum suorum consumptores.

Lustrici[7] dies infantium appellantur, puellarum octavus, puerorum nonus, quia his lustrantur atque eis nomina imponuntur.

Luridi supra modum pallidi.

Lyrnesiades ab oppido Phrygiae Lyrneso[8] dicti.

Loebesum et loebertatem antiqui dicebant liberum et libertatem. Ita Graeci λοιβήν et λείβειν[9].

Lycophos[10] Graeci dicunt, quod[11] nos primum tempus lucis. Dictum autem lycophos, quasi λευκὸν φῶς[12], id est lumen candidum.

Libertatis templum in Aventino fuerat constructum[13].

Lingua non solum pars corporis dicitur, sed etiam differentia sermonum. Promontorii quoque genus non excellentis, sed molliter in planum devexi.

Libycus campus in agro Argeo[14] appellatus, quod in[15] eo primum fruges ex Libya allatae sunt[16]. Quam ob causam etiam[17] Ceres ab Argeis Libyssa vocata est.

Lepareses[18] Liparitani cives, id est Liparenses.

Labes macula in vestimento dicitur et deinde μεταφορικῶς transfertur in homines vituperatione dignos.

Latrare Ennius pro poscere posuit.

Latitaverunt[19] Cato posuit pro saepe tulerunt.

Liberales dicuntur non solum benigni, sed etiam ingenuae formae homines.

Liberata ponebant pro effata, hoc est[20] locuta.

Lacus Lucrinus in vectigalibus publicis primus locatur eruendus ominis boni gratia[21], ut in[22] delectu censuve[23] primi nominantur[24] Valerius, Salvius, Statorius[25].

1) *viderint*] *viderit* L. — 2) νυμφολήπτους] om. Gu. 1. *lympholentos* L. *nympholeptos* B., in marg. νυμφωλύπτους. *nimpholeptus* M. pr. *nympholectus* Gu. 2. — 3) *vocant*] *appellant* B. — 4) *Latini lymphaticos appellant*] *vocant Lat.* B. *lymphatos* L. B. Gu. 1. pr. — 5) *a luxu dictum, id est lux.*] Sic L. M. Gu. 1. 2. B., (qui om. *id est*) S. *id est lux. a lux. dict.* vulg. — 6) *Luma*] Sic M. Gu. 1. 2. S. *Lina* B. *Linna* pr. *Luna* L. *Lita* vulg. — 7) *Lustrici*] *Lustrati* pr. *Lustri* L. — 8) *Lyrneso*] Sic B. M. Gu. 2., ut iidem codd. supra exhibent *Lyrnesiades*. *Lyrnesso* et *Lyrnessiades* vulg. *Lyrneseo* pr. *Luneso* Gu. 1. *Lirnessio* L. — 9) *λοιβήν et λείβειν*] Sic S. *λοιβιν et eluun* B. *loibin et elibin* M. Gu. 2. om. vulg. Graeca. — 10) *Lycophos*] Sic B. S. *Licophos* L. *Lycophes* vulg. — 11) *quod*] *apud* L. — 12) λευκὸν φῶς] *leucomphos* Gu. 2. *Lencophos* Gu. 1. *leuconfos* pr. λεκουφως B. om. L. — 13) *constructum*] *constitutum* L. B. Gu. 1. — 14) *agro Argeo*] *argeo agro* L. *a rege ageo* B. — 15) *in*] om. L. — 16) *allatae*] *illatae* L. — 17) *etiam*] om. L. — 18) *Lepareses*] Sic Gu. 1. 2. *Leparenses* vulg. — 19) *Latitaverunt*] *Latitarunt* B. pr. — 20) *hoc est*] Sic L. Gu. 1. 2. *id est* vulg. — 21) *eruendus — gratia*] om. L. — 22) *in*] *e* B. — 23) *censuve*] *censionene* L. — 24) *nominantur*] *nominabantur* B. pr. — 25) *Val. Salv. Stat.*] *Valerii Salvini Statorii* L. — 26) *nocte*] Sic Gu. 2. *noctu* vulg. — 27) *in compita* etc.] Haec L. corrupte sic exhibet: *id est in festo larum, quod dies festus erat dictus laresis putabantur animae hominum in numerum deorum seductae.* *per compita* B. pr. *in* om. Gu. 1. *quorum* om.

Laneae effigies Compitalibus nocte[26] dabantur in compita[27], quod lares, quorum is erat dies festus, animae putabantur esse hominum redactae in numerum deorum.

LIBER XI.

Magnos ludos Romanos ludos appellabant, quos in honorem Iovis, quem principem deorum putabant, faciebant.

Meltom meliorem dicebant.

Matrem matutam antiqui ob bonitatem appellabant, et *maturum* idoneum usui, et *mane* principium diei, et inferi dii *manes*, ut suppliciter appellati bono[28] essent, et in carmine Saliari[29] *Cerus manus* intelligitur[30] creator bonus.

Minutum et minuere ex Graeco *μειοῦν*[31] dictum videri potest.

Minores et maiores inter cognomina feminarum poni solebant[32].

Minam[33] Aelius vocitatam ait mammam alteram lacte deficientem, quasi minorem factam.

Minurritiones[34] appellantur avium minorum cantus.

Minyae[35] dicti Argonautae, quod plerique eorum ex filiis Minyae fuerant orti.

Minutia[36] porta Romae est dicta ab ara Minutii[37], quem deum putabant.

Minorem Delum[38] Puteolos esse dixerunt, quod Delos aliquando maximum emporium[39] fuerit[40] totius orbis terrarum; cui successit postea Puteolanum, quod municipium Graecum antea Dicaearchia[41] vocitatum est. Unde Lucilius[42]:

Inde Dicaearchum[43] *populos, Delumque minorem.*

Militem Aelius a mollitia *κατ' ἀντίφρασιν*[44] dictum putat[45], eo, quod nihil molle, sed potius asperum quid gerat; sic ludum dicimus, in quo minime luditur.

Minerrimus[46] pro minimo dixerunt.

Miniscitur[47] pro reminiscitur antiquitus dicebatur.

Minerva dicta, quod bene moneat. Hanc enim pagani pro sapientia[48] ponebant; Cornificius vero, quod fingatur pingaturque[49] minitans[50] armis, eandem dictam[51] putat[52].

Minime gentium dicebant pro eo, quod est omnium gentium indicio minime esse faciendum.

Milvina genus tibiae acutissimi soni.

Gu. 1. pro *redactae* B. exhibet *sed dire* (sic). *subductae* Gu. 1. *numero* B. *sed non in numero deorum* pr. — 28) *bono*] *boni* B. Gu. 1. — 29) *Saliari*] om. Gu. 1. — 30) *intelligitur*] *intellegitur* Gu. 2. — 31) *μειοῦν*] *miũn* (sic) Gu. 2. *miun* pr. *mion* B. *unum* Gu. 1. — 32) *feminarum poni solebant*] om. Gu. 1. — 33) *Minam*] om. glossam L. — 34) *Minurritiones*] Sic M. S. *Minurrationes* Gu. 2. *Minurcioxiones* B. *Minurtiones* vulg. Lemma om. Gu. 1. Totam glossam om. L. — 35) *Minyae*] om. glossam L. *Minidae* B. pr. *fuerunt* B. — 36) *Minutia*] om. L. B. Codex Lips. om. omnes glossas, quae sequuntur usque ad *Mecastor*, quod ipsum quoque deest. Addita est autem in eod. cod. h. l. haec glossa: *Maniae turpes deformesque personae, unde nutrices maniae, cum larvatae faciebant timorem.* — 37) *Minutii*] *Minuci* M. Gu. 1. pr., ut supra Scal. *Minucia* per *c* scripsit. — 38) *Delum*] *delon* Gu. 1. — 39) *emporium*] *imperium* B. Gu. 1. pr. — 40) *fuerit*] *fuit* pr. — 41) *Dicaearchia*] DIKIARCHIA (sic) M. *dikiarchia* Gu. 2. om. Gu. 1. — 42) *Lucilius*] *Lucius* Gu. 2. — 43) *Dicaearchum*] *Dicearchicum* B. *diciarchicum* M. Gu. 1. 2. pr. — 44) *κατ' ἀντίφρασιν*] Sic S. B. *cata antifrasin* M. Gu. 2. pr. *antifrasim* omissa praepositione Gu. 1. *per antiphrasin* vulg. — 45) *putat*] om. B. — 46) *Minerrimus*] om. glossam Gu. 1. — 47) *Miniscitur*] om. glossam Gu. 1. — 48) *sapientia*] *proserpina* B. — 49) *pingaturque*] cetera in M. exoleverant. — 50) *minitans*] *militaribus* B. *mutans* Gu. 1. — 51) *dictam*] om. Gu. 1. — 52) *putat*] *putant* B. Gu. 1. pr.

Miracula, quae nunc digna[1] admiratione[2] dicimus, antiqui in rebus turpibus[3] utebantur.

Mirior dicebant comparativum[4] a *miro*. Titinnius[5]: *Mirior*, inquit, *tibi videor*.

Miscelliones appellantur, qui non certae sunt sententiae, sed variorum mixtorumque iudiciorum[6].

Misenum promontorium a Miseno tubicine[7] Aeneae ibi sepulto est[8] appellatum.

Miseratur is, qui conqueritur aliena incommoda.

Miseretur is, qui miserum sublevat.

Miseret me eadem forma dicitur, qua piget, poenitet[9], taedet.

Miracidion[10] primae adolescentiae.

Metus feminine[11] dicebant[12]. Ennius:

Vivam[13] *an moriar nulla in me est metus.*

Metari castra dicuntur, quod *metis* diriguntur[14].

Meddix[15] apud Oscos nomen magistratus est. Ennius:

Summus[16] *ibi capitur meddix*[17], *occiditur alter*[18].

Meditrinalia dicta hac de causa. Mos erat Latinis populis, quo die quis primum gustaret mustum[19], dicere ominis gratia:

Vetus novum vinum bibo, veteri[20] *novo morbo*[21] *medeor.*

A quibus verbis etiam[22] Meditrinae deae[23] nomen[24] conceptum[25], eiusque sacra Meditrinalia dicta sunt.

Medioximum[26] mediocre.

Medullitus, ex intimis medullis.

Meditullium dicitur non medium terrae, sed procul a mari, quasi meditellium, ab eo, quod est tellus.

Medibile medicabile.

Mediterream[27] melius, quam mediterraneam[28] Sisenna dici putat.

Merendam antiqui dicebant pro prandio, quod scilicet[29] medio die caperetur[30].

Mergae furculae[31], quibus acervi frugum fiunt, dictae a volucribus mergis, quia[32], ut illi[33] se[34]

1) *digna*] *sunt* add. B. — 2) *admiratione*] *amirat.* Gu. 1. — 3) *turpibus*] *temporalibus* pr. — 4) *dicebant comp.*] *comp. dic.* B. — 5) *Titinnius*] om. Gu. 1. et exhibet *tibi inquit. inquam*, *tibi* Scal. Dac. — 6) *iudiciorum*] vulg. additur *sunt*, quod om. Gu. 2. — 7) *tubicine*] Sic M. Gu. 2. pr. S. *tibic.* vulg. — 8) *est*] om. B. — 9) *poenitet*] om. B. pr., qui exhibent *piget et taedet.* — 10) *Miracidion*] Sic vulg. *Mirachidion* Scal. Dac. *Mirachion* B. *Mirachiton* M. Gu. 2. pr. om. glossam Gu. 1. — 11) *feminine*] Sic B. M. Gu. 1. 2. *feminino genere* vulg. — 12) *dicebant*] *dicebat* Gu. 1. — 13) *Vivam*] *vivat* pr. — 14) *diriguntur*] *dirigantur* Gu. 1. — 15) *Meddix*] *Meddis* B. — 16) *Summus*] om. B. — 17) *meddix*] *medix* B. — 18) *occiditur alter*] om. Gu. 1. — 19) *mustum*] om. B. — 20) *veteri*] *et* B. — 21) *morbo*] om. B. — 22) *etiam*] om. B. — 23) *Meditrinae deae*] *Medicinae*, om. *deae*, Gu 1. *Medicrinae d.* B. quae scriptura per *c* etiam supra et infra locum habet in eodem. — 24) *nomen*] *hoc nomen* Gu. 1. — 25) *conceptum*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. *ceptum* vulg. — 26) *Medioximum*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. *Medioxumum* vulg. — 27) *Mediterream*] *Mediterreum* S. — 28) *mediterraneam*] *mediterraneum* S. — 29) *scilicet*] om. B. — 30) *caperetur*] *caperentur* M. — 31) *furculae*] om. Gu. 1. — 32) *quia*] *quod* pr. — 33) *illi*] *illae* B. — 34) *se*] om. Gu. 1. — 35) *aquam*] *aqua* Gu. 1. — 36) *persequuntur*] *sequuntur* B. — 37) *eas*] om. Gu. 1. — 38) *demergunt*] *dimerg.* B. M. Gu. 1. pr. — 39) *aestimabant*] *existimabant* S. D. *festinabant* B. Gu. 1. (om. *deum*) pr. — 40) *esse deum*] Sic M. Gu. 2. S. *deum esse* vulg. — 41) *unde et*] *et unde nomen avis merula nomen acc.* Gu. 1. — 42) *merula*] *merla* M. pr. — 43) *est*] om. pr. — 44) *ut*] *at* B. M. Gu. 1. *ac* pr. — 45) *appellamus*] *appellemus* pr. — 46) *Mercedonius*] Sic

in aquam[35] mergunt, dum pisces persequuntur[36], sic messores eas[37] in fruges demergunt[38], ut elevare possint manipulos.

Mercurius a mercibus est dictus. Hunc etenim negotiorum omnium aestimabant[39] esse deum[40].

Merum antiqui dicebant solum; unde et[41] avis merula[42] nomen accepit, quod solivaga est[43] et solitaria pascitur, ut[44] nunc *merum* purum appellamus[45].

Mercedonius[46] dixerunt a mercede solvenda.

Medialem appellabant hostiam atram[47], quam meridie immolabant.

Merceditum mercenarium[48], quod mercede se tueatur.

Mertat pro mersat dicebant.

Melicae gallinae, quod in[49] Media id genus avium corporis amplissimi fiat[50], *l* litera pro *d* substituta.

Melos insula dicta est a Melo, qui ex Phoenice ad eandem[51] fuerat profectus.

Melo nomine alio Nilus vocatur.

Melis[52] hasta a ligno mali dicta.

Meliboea purpura, a nomine insulae, in qua tingitur, est vocata[53].

Melancoryphi[54] genus avium, quae Latine vocantur atricapillae, eo, quod summa earum capita nigra[55] sint.

Memorare significat nunc dicere, nunc[56] memoriae mandare.

Mensarii nummularii.

Mendicum[57] velum, quod in prora ponitur.

Mentum dicebant, quod nos commentum.

Memoriosus memoriosior, memoriosius[58] et memoriosissime[59] facit.

Mensa frugibusque iurato significat per mensam et fruges[60].

Megalesia ludos matris magnae appellabant[61].

Mesancilum[62] teli missilis genus.

Meatus a meando dictus.

Mecastor et[63] *mehercules* iusiurandum erat, quasi diceretur, ita me Castor, ita me Hercules, ut[64] subaudiatur *iuvet*[65].

Gu. 2. *Mercedenos* pr. *Mercedonias* S. Dac. *Mercedonios* vulg. — 47) *atram*] om. Gu. 1. — 48) *mercenarium*] om. B. In lemmate exhibet S. *mercedicius*, in margine *mercediuus*. — 49) *in*] *a* pr. — 50) *amplissimi fiat*] *amplum sit* B. — 51) *ad eandem*] om. Gu. 1. — 52) *Melis*] *Meloas* Gu. 1. B. pr. *Meliar* M. — 53) *vocata*] Sic B. Gu. 1. 2. *dicta* vulg. — 54) *Melancoryphi*] *Melancoriphi* M. Gu. 2. pr. — 55) *capita nigra*] *nigra cap.* pr. — 56) *nunc*] om. B. — 57) *Mendicum*] *dici putant* add. vulg., sed om. M. Gu. 2. — 58) *memoriosius*] *et mem.* vulgo, sed om. Gu. 2. Scal. *et* ante superlativum uncis inclusit. — 59) *memoriosissime*] *memorissime* Gu. 1. — 60) *fruges*] *frugem* B. — 61) *appellabant*] *appellant* B. — 62) *Mesancilum*] *Mefancilum* B. pr. S. *Mafoncilium* Gu. 1. — 63) *et*] om. B., qui deinde cum ceteris exhibet *mehercules*; vulg. *mehercles*. — 64) *ut*] om. B. — 65) Sequitur in Cod. B. hunc articulum haec glossa, quae in nullo extat codice. *Municipes sunt cives Romani ex municipiis suis et suo iure utentes, muneris tamen cum populo Romano et honorarii participes; a quo munere capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus neque ulla populi Romani lege astricti; nunquam populus eorum fundus factus est. Primos autem municipes sine suffragii iure cerites factos esse accepimus, concessumque illis, ut civitatis Romanae honorem quidem caperent, sed negotiis tamen atque honoribus vacarent pro sacris bello Gallico receptis custoditisque. Hinc tabulae cerites appellatae versa vice, in quas censores referri iubebant, quos notae causa suffragiis privabant. Sed coloniarum alia necessitudo est. Non enim veniunt extrinsecas in civitatem, nec suis radicibus nituntur; sed ex civitate quasi propagatae sunt et iura institutaque omnia populi Romani non sui arbitrii habent. Quae tamen condictio*

Messapia Apulia, a Messapo rege appellata[1].

Mactus magis auctus.

Macellum[2] dictum a Macello quodam, qui exercebat in urbe latrocinium[3]; quo damnato censores Aemilius et Fulvius statuerunt, ut[4] in domo eius obsonia venderentur.

Macilenti macie tenuati.

Murricidum[5] ignavum, stultum. Plautus:

Murricide[6] *homo, ignave, iners.*

Manlium[7] patriciae familiae neminem vocari licuit, post eum Manlium, qui Gallos a Capitolio depulit, quod is regnum occupare conatus necatusque est.

Marculus diminutivum a Marco.

Mane a diis manibus dixerunt. Nam *mana*[8] bona dicitur, unde et mater Matuta et[9] poma matura.

Matronas appellabant[10] eas fere, quibus stolas habendi[11] ius erat.

Materfamiliae non ante dicebatur, quam vir eius paterfamiliae[12] dictus esset; nec possunt hoc nomine plures[13] in una familia praeter unam appellari. Sed nec vidua hoc nomine, nec, quae sine filiis est, appellari[14] potest.

Matula[15] vas urinae.

Matralia Matris Matutae festa.

Mattici[16] cognominantur homines malarum magnarum atque oribus late patentibus.

Matrimes ac[17] patrimes dicuntur, quibus matres et patres[18] adhuc vivunt.

Matellio diminutivum a matula[19].

Magmentum[20] magis augmentatum[21].

Madulsa[22] ebrius, a Graeco *μαδᾷν*[23] deductum, vel quia madidus satis a vino[24].

(Leg. *condicio*) *cum sit magis ob noxia et minus libera, potior et praestabilior existimatur propter amplitudinem maiestatemque populi Romani, cuius istae coloniae quasi effigies parva simulacraque esse quaedam videntur. Et simulque* (Leg. *Et simul quoque*) *obscura obliterataque sunt municipiorum iura, quibus uti iam per ignorantiam non queunt.* — 1) *appellata*] om. B. — 2) *Macellum*] *Mamellum* Gu. 1., qui bis hanc glossam exhibet. — 3) *latrocinium*] *latrocinia* S. — 4) *ut*] *uti* Gu. 1. pr. om. B. — 5) *Murricidum*] Sic L. M. Gu. 1. 2. pr. S. *Muricidum* B. *Murcidum* vulg. — 6) *Murricide*] Sic L. M. Gu. 1. 2. pr. S. *muricidum* B. in marg. *murcide* vulg. — 7) *Manlium* etc.] Sic haec glossa legitur in M. Gu. 1. 2. pr. In iisdem tamen codd. similis glossa reperitur, quam h. l. exhibent vulgata exemplaria: *Manliae gentis patriciae decreto nemo ex ea Marcus appellatur, quod M. Manlius, qui Capitolium a Gallis defenderat, quum regnum affectasset, damnatus necatusque est.* Eandem glossam suppeditant L. B. S., quae infra suo loco legitur post glossam *Manius*, ubi eam Codd. collocant. — 8) *mana*] *mania* L. — 9) *et*] Sic L. B. M. Gu. 2. pr. S. *id est* vulg. — 10) *appellabant*] *appellant* B. — 11) *stolas habendi*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *hab. stol.* vulg. — 12) *paterfamiliae*] *familiae pater* Gu. 1. — 13) *hoc nomine plures*] *plures hoc nomine* Gu. 1. — 14) *appellari*] *vocari* L. Gu. 1. pr. — 15) *Matula vas urinae*] Sic separata est haec glossa ab altera *Matellio diminutivum a matula* in codd. L. B. Gu. 1. 2. pr. S. Om. utramque M. Vulg. coniunctae sunt hae glossae ita: *Matellio diminutivum a matula, quae vas est urinae.* — 16) *Mattici*] *Matici* L. *Martici* B., in cuius marg. est *vel marici*. *Matrici* S. Dac. — 17) *ac*] *et* L. Gu. 1. — 18) *matres et patres*] Sic M. Gu. 1. 2. S. *patres et matres* vulg. — 19) *matula*] *matiola* L. — 20) *Magmentum*] *Magmen* L. — 21) *augmentatum*] *augmentum* L. *augumentatum* pr. — 22) *Madulsa*] Sic B. M. Gu. 2. pr. *Madussa* L. *Madusa* vulg. — 23) *μαδᾷν*] Sic M. S. *madan* Gu. 2. om L. B. Gu. 1. pr. *μάδαν* vulg. — 24) *satis a vino*] Sic M. Gu. 2. *satis vino* L. B. Gu. 1. pr. *sit vino* vulg. — 25) *Magisterare*] Sic L. M. Gu. 2. pr. S. *Magistrare* vulg. *Magistrerari* Gu. 1. — 26) *moderari*] *moderare* L. — 27) *doct. art.*] *art. doct.* Gu. 1. — 28) *pagorum*] *paganorm* L. M. — 29) *vicorum*] *virorum* L. — 30) *equitum*] *que* add. B. — 31) *omnes hi*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *omnes ii* vulg. — 32) *et*] om. B. — 33) *ipsam personam*] Sic L. B. Gu. 1. 2. pr. *personam ipsam* vulg. — 34) *demonstrat*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *demonstrant* vulg. — 35) *quum*] *quom* B. Sic id. cod. mox. — 36) *ut*] *aut* L. M. —

Magisterare[25] moderari[26]. Unde magistri non solum doctores artium[27], sed etiam pagorum[28], societatum, vicorum[29], collegiorum, equitum[30] dicuntur, quia omnes hi[31] magis ceteris possunt; unde et[32] magistratus, qui per imperia potentiores sunt, quam privati, quae vox duabus significationibus notatur. Nam aut ipsam personam[33] demonstrat[34], ut quum[35] dicimus: magistratus iussit, aut honorem, ut[36] quum dicitur[37]: Titio[38] magistratus datus est.

Maximus pontifex dicitur, quod maximus rerum, quae ad sacra et religiones[39] pertinent, iudex sit[40] vindexque contumaciae privatorum magistratuumque[41].

Magis a Graeco *μᾶλλον*[42] venit.

Maximam hostiam[43] ovilli[44] pecoris appellabant, non ab amplitudine[45], sed ab animo placidiore.

Magnum socerum appellat vir[46] uxoris suae avum.

Magnam socrum vir uxoris suae aviam appellat[47].

Maximi annales[48] appellabantur[49], non magnitudine, sed quod eos Pontifex maximus confecisset[50].

Maximus Curio, cuius[51] auctoritate curiae, omnesque curiones reguntur.

Manare dicitur, quum humor[52] ex integro, sed[53] non solido nimis per minimas suas[54] partes[55] erumpit, quod ex Graeco trahitur[56], quia illi non satis solidum *μανόν*[57] dicunt.

Manalem fontem[58] dici pro eo, quod aqua ex eo semper manet[59].

Manalem lapidem putabant esse ostium Orci, per quod animae inferorum ad superos manarent, qui dicuntur manes.

Manalem vocabant *lapidem* etiam[60] petram quandam, quae erat[61] extra portam Capenam iuxta aedem Martis, quam quum[62] propter nimiam siccitatem in urbem pertraherent, insequebatur pluvia statim[63], eumque, quod aquas manarent, manalem lapidem dixere[64].

Manias[65] dicunt ficta quaedam ex farina in hominum figuras, quia turpes fiant, quas alii maniolas[66] vocant[67]; Manias autem, quas[68] nutrices minitentur[69] pueris parvulis[70], esse larvas, id

37) *dicitur*] *dicimus* B. M. om. pr. — 38) *Titio*] *Tito* B. M. — 39) *sacra et religiones*] *sacra religionis* B. *legionis* M. — 40) *sit*] om. Gu. 1. — 41) *magistratuumque*] *magistratumque* L. — 42) *μᾶλλον*] *μᾶλον* B. *mallon* Gu. 2. pr. *mallo* M. om. L. Gu. 1. — 43) *Maximam*] om. glossam pr. — 44) *ovilli*] Sic L. M. Gu. 2. S. *ovili pecores* B. Gu. 1. *ovilis* vulg. — 45) *amplitudine*] *corporis* add. vulg., sed om. Gu. 2. Videtur glossa. Quare delevi. — 46) *appellat vir*] om. M. *appellabant* B. *appellavit* pr. *virgilius* pro *vir* exhibet Gu. 1. — 47) *vir uxoris suae aviam appellat*] *appellat vir uxoris suae aviam* Gu. 1. *appellant* B. *appellat* om. M. Gu. 2. — 48) *Annales*] *Anales* B. — 49) *Appellabantur*] *appellantur* B. — 50) *Confecisset*] Ita Gu. 2. M. *Consecrasset* vulg. — 51) *cuius*] *quoius* pr. — 52) *quum humor*] om. L. B. — 53) *sed*] om. L. — 54) *minimas suas*] Sic M. Gu. 2. S. *suas min.* vulg. *suas* om. L. B. Gu. 1. pr. — 55) *partes*] om. L. — 56) *trahitur*] *manon* h. l. add. B. *trahatur* pr., quae post lacunam exhibet *rarus.* — 57) *μανόν dic.*] *dic. μάνον* B., in margine *μάνσον. manon* Gu. 2. pr. om. *μανόν* L. Gu. 1. pr. — 58) *fontem*] *pro ea dici* L. *dici pro eo* B. M. Gu. 1. 2. pr. S. Omnes om. *putant*, quod exhibet vulgata ita: *fontem dici putant, quod.* — 59) *manet*] Sic M. Gu. 1. 2. pr. S. *manat* vulg. — 60) *vocabant lapidem etiam*] Sic Gu. 1. 2. pr. S. *lapid. etiam voc.* vulg. *vocabant lap. et* L. *Man. etiam lap. voc.* M. S. — 61) *erat*] addidi verbum e L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. vulg. abest. — 62) *quum*] *quom* B. — 63) *insequebatur pluvia statim*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *sequebatur statim pluvia* vulg. — 64) *dixere*] *dixerunt* L. — 65) *Manias*] Scripsi hanc glossam, ut est in L. B. M. Gu. 1. 2. pr. Vulg. haec exhibet: *Manias Aelius Stilo dici ait ficta quaedam ex farina in hominum figuras, quia turpes fiant, quas alii maniolas appellant. Manias autem, quas nutrices minitentur pueris, esse larvas, id est manes, quos deos deasque putabant, quosque ab inferis ad superos emanare credebant. Sunt qui Maniam Larvarum matrem aviamque putent. Sunt enim utriusque opinionis auctores.* Consentit cum his Scal. et Dac., nisi quod pro *Sunt qui Maniam Larvarum matrem aviamque putent* exhibent, *ut Mania est eorum avia, materve.* Vulgata lectio et Scal. videntur Festi verba referre, nostra Pauli excerptum, quod quum sit in omnibus codd. reposui pro vulgata. Pro *dicunt* exhibet B. *dicebant.* — 66) *maniolas*] *maniales* L. *manalias* B. *maniolos* Gu. 2. — 67) *vocant*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. *appellant* vulg., quod om. L. — 68) *quas*] om. L. — 69) *minitentur*] *minitantur* L. B. M. Gu. 1. S. Dac. — 70) *parvulis*] hoc addidi e B. M. (*parvolis*) Gu. 1. 2. pr. S. *parvis* L.

est manes, quos deos deasque putabant, quosque ab inferis ad superos emanare credebant. Sunt, qui Maniam larvarum matrem aviamve[1] putant[2].

Manceps dictus[3], quod manu capiatur[4].

Manduci[5] effigies in pompa antiquorum inter ceteras ridiculas formidolosasque ire solebat magnis malis ac late dehiscens et ingentem dentibus sonitum faciens, de qua Plautus ait[6]:

Quid[7] *si*[8] *ad ludos me pro manduco locem?*
Quapropter[9]*? clare crepito dentibus.*

Mancini tifata[10] appellabantur[11], quod Mancinus habuit insignem[12] domum, quae publicata est[13] eo interfecto.

Mamercus praenomen est Oscum ab[14] eo, quod hi[15] *Martem* Mamertem dicunt[16].

Municeps[17], qui in municipio liber natus est. Item, qui ex alieno[18] genere hominum munus functus est. Item, qui in municipio[19] a servitute se liberavit a municipe. Item municipes erant, qui ex aliis civitatibus Romam venissent, quibus non licebat magistratum capere, sed tantum muneris partem, ut fuerunt Cumani, Acerrani, Atellani, qui et[20] cives Romani erant, et[21] in legione merebant, sed dignitates non capiebant[22].

Mamurii Veturii[23] nomen frequenter in cantibus Romani frequentabant hac de causa. Numa Pompilio regnante e coelo cecidisse fertur[24] ancile, id est scutum breve, quod ideo sic est appellatum[25], quia ex utroque latere erat recisum; ut summum infimumque eius latus[26] medio pateret, unaque edita vox omnium potentissimam fore civitatem, quamdiu id in ea mansisset. Itaque facta sunt eiusdem generis plura, quibus id misceretur[27], ne internosci coeleste posset. Probatum opus est maxime[28] Mamurii Veturii[29], qui praemii loco petiit[30], ut suum nomen inter carmina Salii canerent.

Mamers Mamertis facit, id est lingua Osca Mars Martis, unde et Mamertini in Sicilia dicti, qui Messanae habitant.

Martialis campus in Coelio monte dicitur, quod in eo Equiria solebant fieri, si quando aquae Tiberis campum Martium occupassent.

1) *aviamve*] Sic L. B. M. Gu. 2. S. *aviamque* vulg. — 2) *putant*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *putent* vulg. — 3) *dictus*] Sic M. Gu. 2. *dicitur* vulg. — 4) *capiatur*] *capitur* pr. Pro *quod* B. exhibet *qui*. — 5) *Manduci*] *Manduces* L. B. Gu. 1. pr. *Manducus* S. — 6) *ait*] *in Rudente* vulg. additur, sed om. L. B. M. Gu. 1. 2. pr. — 7) *Quid*] *quod* L. — 8) *si*] *aliquo* add. S. Dac. — 9) *Quapropter*] *qui pater* Gu. 2. — 10) *Mancini tifata*] Sic scripsi e coniectura Scaligeri, a qua prope absunt codd., quorum B. M. Gu. 1. 2. pr. exhibent *Mancinati fata*; L. *Mancinata fata*. Vulg. est *Mancini fata*, quod nihil est. Scal. ipse scripsit *Mancini fana*. Sed coniecturam fecit ipso Festo duce, qui *Tifata iliceta* explicat s. v. *Tifata*. Cfr. Dacer. ad h. l. Sic supra p. 38. scribendum erat v. *Curiati fana: Curia tifata*. — 11) *appellabantur*] *appellabant* Gu. 1. — 12) *insignem*] om. L. — 13) *est*] om. Gu. 1. — 14) *ab*] om. B. M. Gu. 1. pr. S. — 15) *hi*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *ii* vulg. — 16) *dicunt*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. *appellant* vulg. — 17) *Municeps*] Sic, ut scripsi, exhibent hanc glossam codd. et edit. princ. Vulg. quam praebet Scal. post *Municeps* add. *est ut ait Aelius Gallus* et post *partem* exhibet haec: *At Servius filius aiebat initio fuisse, qui ea conditione cives Romani fuissent, ut semper rempublicam separatim a populo Romano haberent.* Tum exhibet: *Cumanos videlicet, Acerranos, Atellanos.* Quod nos dedimus, est Pauli. — 18) *alieno*] Sic Gu. 2. *alio* vulg. — 19) *qui in municipio*] *in municipio qui* Gu. 1. *in* om. L. B. Gu. 1. — 20) *et*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. *aeque* vulg. — 21) *et*] om. Gu. 1. — 22) *sed dign. non cap.*] om. L. — 23) *Mamurii Veturii*] *Mamuri Veturi* B. M. Gu. 1. 2. pr. — 24) *fertur*] *ferunt* B. — 25) *est app.*] Sic L. M. Gu. 1. 2. pr. *app. est* vulg. om. *est* B. — 26) *latus*] *latius* M. S. — 27) *id misceretur*] *admisceretur* Gu. 1. *admiscetur* L. — 28) *maxime*] add. hoc L. B. M. Gu. 1. 2. pr. om. vulg. — 29) *Mamurii Veturii*] *Mamuri Veturi* M. Gu. 2. *Mamurii* om. L. B. Gu. 1. *Veturii* om. L. — 30) *petiit*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *petit* vulg. — 31) *Mamiliorum* etc.] Sic exhibent glossam codd. et edit. pr. Vulg. *Mamiliorum*

Mamiliorum[31] familia a Mamilia Telegoni[32] filia, quam Tusculi procreaverat, est appellata.

Mamilia turris intra Saburae regionem a Mamilio nomen accepit.

Mamphur appellatur loro circum volutum mediocris longitudinis lignum[33] rotundum, quod circumagunt fabri in operibus tornandis.

Mansuetum ad manum venire suetum. Alii aiunt[34] mansuetum dictum neque ex misericordia maestum, neque ex crudelitate saevum, sed modestia temperatum.

Mantare[35] saepe manere.

Manticulari[36] dicuntur[37], qui manticulas attrectant, ut furentur. Unde poetae pro dolose quid agendo hoc verbo utuntur. Pacuvius:

Ad manticulandum astu adgreditur.

Manticularia dicuntur ea[38], quae frequenter in[39] usu habentur et quasi manu[40] tractantur. Frequens enim antiquis[41] ad manus tergendas usus fuit mantelorum[42], unde haec trahitur similitudo.

Mantisa[43] additamentum dicitur[44] lingua Tusca[45], quod ponderi adiicitur[46], sed[47] deterius, et[48] quod sine ullo usu est. Lucilius:

Mantisa obsonium[49] *vincit.*

Malleoli vocantur non solum parvi mallei, sed etiam[50] hi[51], qui ad incendium faciendum[52] aptantur, videlicet[53] ad similitudinem[54] priorum dicti.

Mollestras dicebant pelles ovillas, quibus galeas extergebant.

Malta dicitur a Graecis pix cum cera mixta[55].

Meson[56] persona comica ab inventore dicta.

Maeniana[57] aedificia a Maenio sunt appellata. Is enim primus ultra columnas extendit tigna[58], quo ampliarentur superiora.

Maesius[59] lingua Osca mensis maius. Osci enim a[60] regione Campaniae[61], quae est Oscorum[62] vocati sunt.

Maiestas a magnitudine dicta.

familia a Mamilia filia Telegoni, quam Tusculi procreavit, est appellata, quando id oppidum ipse condidisset. Sequitur hanc glossam Scal., nisi quod exhibet *familia* (*progenita fuit*) (sic) et *procreaverat.* Videtur glossa, ut nos dedimus, Pauli esse. — 32) *Telegoni*] *Telagoni* L. M. Gu. 1. 2. pr. *Telogoni* B. — 33) *lignum*] om. M. — 34) *aiunt*] om. L. Gu. 1. pr. *Alii mansuetum dictum putant* B. — 35) *Mantare*] Haec est glossa, ut codd. et edit. pr. exhibent. Vulg. quacum facit Scal. add. *Caecilius in epistola: Iam me adeo manta. Iam hoc vide caecus animus adventus angit.* Sed haec sunt e schedis Festi adiecta. — 36) *Manticulari*] Sic exhibent hanc glossam codd. et edit. princ., quae sunt verba Pauli; vulgata quam praebet Scal. suppeditat Festi verba ita, ut sunt in schedis, ubi hanc glossam reperies. — 37) *dicuntur*] om. L. — 38) *ea*] *et* Gu. 1. — 39) *in*] om. L. — 40) *et quasi manu*] *etsi in manu* L. — 41) *antiquis*] om. L. B. Gu. 1. — 42) *mantelorum*] Sic M. Gu. 1. 2. *mantellorum* L. *manteliorum* B. *mantillorum* pr. *mantiliorum* vulg. — 43) *Mantisa*] Sic B. M. Gu. 2. S. *Mantissa* vulg. *Mantusa* L. *Mantisia* Gu. 1. Eadem scribendi varietas recurrit mox. — 44) *dicitur*] om. B. — 45) *Tusca*] *Osca* Gu. 1. — 46) *adiicitur*] *adicitur* M. Gu. 2. *additur* L. — 47) *sed*] *et* add. B. — 48) *et*] om. L. — 49) *obsonium*] *obsonia* M. S. — 50) *etiam*] om. L. — 51) *hi*] *ii* B. S. — 52) *faciendum*] *faciundum* B. — 53) *videlicet*] *scilicet* L. — 54) *ad similitudinem*] *similitudine* B. — 55) *cera mixta*] *mixta cera* B. — 56) *Meson*] Sic legitur glossa in codd. et edit. princ. quae Pauli est. Vulg. est Festi, quam vide in schedis. Scal. eam hoc loco reposuit. *Menson* L. B. Gu. 1. pr. — 57) *Maeniana*] Haec sunt excerpta Pauli. Vulgatam vide in schedis Festi. *Moenia* B. *Menana* Gu. 1. *Moeniana* L. cum vulg. — 58) *tigna*] *tignas* B. pr. *tignos* L. Gu. 1. — 59) *Maesius*] Sic B. M. Gu. 1. 2. S. *Moesius* vulg. — 60) *a*] om. B. Gu. 1. *in* L. — 61) *Campaniae*] *sunt* add. L., omissis, quae sequuntur. — 62) *Oscorum*] *Oscor* B. Gu. 1. 2. pr. *Oscos* vulg.

Maior magistratus consul dicitur[1].

Mas diminutive[2] facit masculus.

Matertera patris et matris, mihi magna matertera est[3]. Matertera[4] matris soror, quasi mater altera.

Maior patruus avi et aviae proavus.

Maior avunculus[5] avi et aviae avunculus.

Maior[6] *amita* avi et aviae amita.

Maior socer uxoris meae proavus.

Maior socrus[7] uxoris meae proavia.

Maeandrum genus picturae dictum est a similitudine flexus[8] amnis, qui[9] appellatur Maeandrus.

Maecia tribus[10] a quodam castro sic appellatur.

Mansucium[11] edacem a mandendo[12] scilicet.

Mox paullo post.

Morbosum hominem morbo aliquo affectum.

Mortuus ab emerita vita dictus.

Moracias nuces Titinnius duras esse ait[13], unde fit diminutivum[14] *moracillum*.

Monimentum[15] est[16], quod et[17] mortui causa aedificatum est et quicquid ob memoriam alicuius factum est, ut fana, porticus[18], scripta et carmina. Sed monimentum quamvis[19] mortui causa sit factum, non tamen significat ibi sepultum[20].

Monitores dicuntur, qui et[21] in scena monent histriones et libri commentarii.

Monile[22] et mulierum ornatus dicitur et equorum propendens a collo.

Momar Siculi stultum appellant[23].

Momen momentum[24]. Lucilius:

Momine se parvo[25] *possunt*[26] *impulsa*[27] *moveri.*

Modo quum per correptam[28] o dicitur, significat et[29] tempus, ut *modo venit*[30], et ponitur pro tantum, ut *tace modo*. Quodsi[31] producta posteriore[32] syllaba enuncietur, dativus vel ablativus est casus ab eo, quod est modus[33].

Monstrum[34] dictum velut monestrum, quod moneat[35], aliquid futurum; *prodigium* velut praedicium[36], quod praedicat; *portentum*, quod portendat; *ostentum*[37], quod ostendat.

1) *dicitur*] *appellabatur* B. — 2) *diminutive*] Sic M. Gu. 2. pr. S. *diminutivum* vulg. — 3) *matertera est*] Sic M. Gu. 2. *mater est* vulg. — 4) *Matertera*] om. hanc explicationem M. — 5) *avunculus*] om. M. — 6) *Maior*] om. glossam. M. — 7) *Maior*] om. glossam B. — 8) *flexus*] *flexi* L. Gu. 1. — 9) *qui* etc.] om. L. — 10) *tribus*] repetita est haec vox in Gu. 1. — 11) *Mansucium*] Sic L. B. Gu. 1. pr. S. *Masucium* M. Gu. 2. *Manseucium* vulg. — 12) *a mandendo*] *ab edendo* Gu. 1. — 13) *esse ait*] *dicit* pro utroque L. exhibet. — 14) *diminutivum*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *diminutive* vulg. — 15) *Monimentum*] *Monumentum* L. B. Idem exhibent hi codd. postea. — 16) *est*] *nomen est* B. — 17) *quod et*] *et* om. L. *quod et* cum v. subst. *est* post *aedificatum* om. B. — 18) *porticus*] *et port.* Gu. 1. — 19) *quamvis*] om. L. — 20) *sepultum*] *vel sepulcrum* add. B., omisso antea *non*. *esse* add. L. — 21) *qui et*] Sic Gu. 2. *et qui* L. M. B. Gu. 1. pr. S. *non solum dicuntur, qui in scena moneant histriones, sed etiam libri commentarii* vulg. Ut nos, sic codd. et edit. pr. Consentit Scal. — 22) *Monile*] Sic glossa legitur in codd. et edit. princ. Vulgatam, quae est Festi, vide in schedis. Exhibet eam Scal. — 23) *appellant*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. *vocant* vulg. — 24) *momentum*] *pro momento* L. *momento* B. M. Gu. 2. *memento* Gu. 1. — 25) *parvo*] *a parvo* B. Gu. 1. pr. — 26) *possunt*] Sic L. B. Gu. 1. pr. *possint* vulg. *possent* S. — 27) *impulsa*] Sic L. B. Gu. 1. 2. pr. S. *impulsu* vulg. — 28) *correptam*] Sic Gu. 2. *correptum* vulg. *o corrept. dic.* L. — 29) *et*] addidi e B. M. Gu. 1. 2. pr. — 30) *venit*] Sic M. Gu. 2. *veni* vulg. — 31) *Quodsi*] *Etsi* L. — 32) *posteriore*] *posteriori* B. Gu. 1. — 33) *modus*] *modo* M. Gu. 1. — 34) *Monstrum*] Sic haec glossa Pauli in codd. est et edit. princ. Vulgatam vide in schedis Festi.

Molucrum[38] et[39] quo molae verruntur[40], quod[41] Graeci *μυλήκορον*[42] dicunt; et tumor ventris, qui etiam virginibus incidere solet[43]. Afranius *Virgini*, inquit, *tam crescit uterus, quam gravidae mulieri*[44]. *Molucrum vocatur transit*[45] *sine doloribus.* Molucrum etiam dicitur[46] lignum quoddam quadratum, ubi immolatur.

Mola vocatur etiam[47] far tostum et sale[48] sparsum[49], quod eo molito hostiae asperguntur.

Moles pro magnitudine fere poni solet. Sed *moliri* et *molitiones* a movendo certum est dici.

Munus significat officium[50], quum[51] dicitur quis munere fungi. Item donum, quod officii causa datur.

Mummiana aedificia a Mummio[52] dicta.

Mundus appellatur coelum, terra, mare et aer.

Mundus etiam dicitur[53] ornatus muliebris[54], quia non alius est, quam quod moveri potest.

Mundus quoque appellatur lautus[55] et purus.

Munitio morsicatio[56] ciborum.

Muneralis[57] lex vocata est, qua[58] Cincius cavit, ne cui liceret munus accipere. Plautus:

Neque[59] *muneralem legem neque*[60] *lenoniam*[61], *rogata*[62] *fuerit, necne, flocci aestimo.*

Munem significare certum est officiosum, unde e[63] contrario immunis dicitur[64] qui nullo fungitur officio.

Mutae dicuntur literae, quod positae in ultimis partibus[65] orationis, obmutescere cogant loquentes, vel quod parvae exiguaeque sint vocis, ut quum[66] mutum oratorem aut[67] tragoedum dicimus.

Multam[68] Osce dici putant poenam.

Mullei[69] calcei regum Albanorum et post patriciorum a millando[70], id est suendo dicti.

Multifariam dixerunt antiqui, quod[71] in multis locis fari poterat, id est dici.

Mulciber Vulcanus a molliendo scilicet ferro dictus. Mulcere enim mollire, sive lenire est. Pacuvius:

Quid me obtutu terres, mulces laudibus?

— 35) *moneat*] *monet* B. — 36) *velut praed.*] om. Gu. 1. — 37) *ostentum*] *ostentatum* Gu. 1. — 38) *Molucrum*] Sic hanc glossam exhibent codd. et edit. pr. Vulgatam, quae Festi continet verba, vide in schedis, quas sequitur Scal. — 39) *et*] *de* L. B. — 40) *verruntur*] *vertuntur* B. — 41) *quod*] *et quod* B. — 42) *μυλήκορον*] *mylikoron* M. Gu. 2. vulg. *μύλικρον*. om. Graecum L. Gu. 1. pr. — 43) *incidere solet*] *solet incid.* M. — 44) *mulieri*] *quod* add. B. Coniungit nimirum hoc cum sequentt. — 45) *transit*] *transitus* pr. — 46) *etiam dicitur*] *dicitur etiam* L. B. M. — 47) *etiam*] om. Gu. 1. Ceterum, ut nos, sic codd. et edit. pr. Vulg. vide in schedis, quae Festi verba exhibent. — 48) *et sale*] *ex sale* L. — 49) *sparsum*] *aspersum* B. — 50) *officium*] om. L. B. M. Gu. 1. 2. pr. — 51) *quum*] *quom* B. — 52) *Mummio*] *Lucio Mumio* L. — 53) *etiam dicitur*] *dicitur etiam* B. — 54) *muliebris*] *mulieris* L. — 55) *lautus*] *et lautus* L. *etiam lautus* B. Ceterum haec est Pauli epitome, quam e codd. et edit. princ. dedimus. Vulgatam Festi vide in schedis, quas sequitur Scal. — 56) *morsicatio*] *mortificatio* L. Gu. 1. pr. Dac. *morsitatio at cib.* B. *morsitatio* M. — 57) *Muneralis*] *Municialis* Gu. 1. — 58) *qua*] *quam* L. Gu. 2. pr. — 59) *Neque*] *Nec* B. *Ne* L. *Neu* pr. — 60) *neque*] *nec* B. — 61) *lenoniam*] *lenoninam* pr. — 62) *rogata*] *rogatus* L. *roga* B. Gu. 1. S. — 63) *e*] *et* praeponit vulgata, sed om. codd. edit. pr. S. — 64) *immunis dicitur*] *dic. immun.* B. — 65) *partibus*] om. L. — 66) *quum*] *quom* B. — 67) *aut*] om. L. — 68) *Multam*] Sic glossa est in codd. et edit. princ. Scal. cum vulg. exhibet Festi verba in schedis, quas vide. — 69) *Mullei*] Sic exhibent glossam codd. et edit. princ. Scal. recepit Festi verba cum vulg. e schedis, quas vide. — 70) *millando*] *mullando* L. M. — 71) *quod*] *videlicet* add.

Maximam[1] *multam* dixerunt[2] trium millium et viginti[3] assium, quia non licebat quondam pluribus triginta[4] bubus[5] et duabus ovibus quemquam multari[6], aestimabaturque[7] bos centussibus, ovis decussibus.

Maniae turpes deformesque personae[8].

Mutire[9] loqui. Ennius[10]:

Palam mutire plebeio piaculum est.

Moenia[11] et muri et officia. Plautus:

Prohibentque moenia alia, unde ego fungar mea.

Murrina genus potionis, quae Graece dicitur *νέκταρ*[12]. Hanc mulieres vocabant murriolam; quidam murratum vinum; quidam id dici putant ex uvae genere[13] murrinae nomine.

Murgisonem dixerunt a mora et decisione.

Myrmillonica scuta dicebant, cum quibus de muro pugnabant. Erant siquidem ad hoc ipsum apta.

Myrtea[14] corona Papirius usus est, quod Sardos in campis Myrteis superasset.

Mussare murmurare. Ennius:

In occulto mussabant.

Vulgo vero[15] pro tacere[16] dicitur, ut idem Ennius:

Non decet mussare bonos.

Mucia prata trans Tiberim, dicta a Mucio, cui[17] a populo[18] data fuerant[19] pro eo, quod Porsenam, Etruscorum regem, sua constantia ab urbe dimovit.

Mugionia[20] *porta* Romae dicta est a Mugio[21] quodam, qui eidem tuendae praefuit.

Muginari est nugari et quasi tarde conari.

Mustricola[22] est machinula ex regulis[23], in qua calceus novus suitur. Afranius:

Mustricolam in dentes impingam[24] *tibi.*

Myoparo[25] genus navigii ex duobus dissimilibus formatum. Nam et[26] *myon* et *paron* per se sunt.

Minucia porta appellata est eo, quod proxima esset sacello Minutii.

Martius calendas matronae celebrabant[27], quod eo die Iunonis Lucinae[28] aedes coli coepta erat[29].

Mavortem poetae dicunt Martem.

vulg., sed om. codd. et edit. princ. — 1) *Maximam*] *Maxumam* L. — 2) *dixerunt*] om. Gu. 1. — 3) *viginti*] XXII. Gu. 1. — 4) *triginta*] *et trig.* L. — 5) *bubus*] *bobus* B. M. pr. — 6) *multari*] *mulctari* L. — 7) *aestimabaturque*] *aestimabanturque* L. — 8) *personae*] *unde nutrices maniae cum larvatae faciebant pueris timorem* add. L. — 9) *Mutire*] *Muttire* B. — 10) *Ennius*] *in Telepho* ex schedis add. Scal. cum vulg., om. codd. et edit. pr. — 11) *Moenia*] Sic glossa legitur in codd. et edit. princ. Scal. cum vulg. refert Festi verba e schedis. — 12) *νέκταρ*] Sic B. S. *nectar* M. Gu. 2. *μυῤῥίνη* vulg. om. L. Gu. 1. pr. — 13) *genere*] om. B. — 14) *Myrtea*] *Mastena* L. Gu. 1. *Murtena* B. — 15) *vero*] om. L. — 16) *tacere*] *dubitare* L. — 17) *cui*] *quoi* pr. — 18) *populo*] *Ro.* (i. e. Romano) add. L. — 19) *fuerant*] *fuerunt* Gu. 1. pr. — 20) *Mugionia*] *Mucionis* L. — 21) *Mugio*] *Mucione* L. — 22) *Mustricola*] *Mustricula* hic et infra M. Gu. 2. — 23) *regulis*] *tegulis* L. B. Gu. 1. — 24) *impingam*] *impingere* L. — 25) *Myoparo*] *Mioparo* L. B. — 26) *et*] om. L. *myon* ex Scal. emendatione. Libri omnes *midion.* — 27) *celebrabant*] *celebrant* L. — 28) *Lucinae*] om. L. — 29) *erat*] Sic M. Gu. 2. *est* L. *sit* vulg. — 30) *significare*] *significat* pr. — 31) *filius*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. *filium* vulg. — 32) *id est*] om. Gu. 1. — 33) *Hercules*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. *Herculem* vulg. — 34) *Δία*] Sic B. M. Gu. 1. 2. S. ζεὺς διὸς B. in marg. pr. et vulgat. om. L. — 35) *Quidam existimant*] *Quidam vero putant* B. — 36) *obisse dicimus*] Hoc ordine M. Gu. 2. *obisse ea consuetudine dicitur* vulg. *obiisse* B. M. Gu. 1. pr. et vulg. *obisse* L. Gu. 2. — 37) *vadimonium*] *dicimus* add. B. — 38) *obisse*] *obiisse* vulg. — 39) *isse*] Sic M. Gu. 2. *esse* B. *iisse* vulg., quod om. L. — 40) *Manues*] Sic hanc glossam exhibent codd. et edit. princ. Vulgata,

Magnum annum dicunt mathematici, quo septem sidera errantia expletis propriis cursibus sibimet concordant.

Medius fidius compositum videtur et significare[30] Iovis filius[31], id est[32] Hercules[33], quod Iovem Graece *Δία*[34] et nos Iovem, ac fidium pro filio, quod saepe antea pro *l* litera *d* utebantur. Quidam existimant[35] iusiurandum esse per divi fidem; quidam per diurni temporis, id est diei fidem.

Mortem obisse dicimus[36] ea consuetudine, qua dixerunt antiqui *ob Romam legiones ductus* et *ob Troiam duxit exercitum* pro *ad*, similiterque *vadimonium*[37] *obisse*[38], id est ad vadimonium isse[39], et *obviam* ad viam.

Manues[40] Aurelius significare ait bonos. Unde dii manes pro bonis[41] dicuntur a[42] suppliciter eos venerantibus[43] propter metum mortis, ut[44] immanes quoque pro valde non bonis dicuntur.

Muscerdas[45] prima syllaba producta stercus murium[46] appellant[47].

Mapalia[48] casae Poenicae[49] appellantur, in quibus quia nihil est secreti, solet id[50] vocabulum solute viventibus obiici[51]. Sunt enim mapalia quasi cohortes rotundae[52].

Metalli[53] dicuntur in re militari quasi mercenarii. Accius in Annalibus: *Calones famulique metallique caculaeque*[54]; a quo genere hominum Caeciliae familiae[55] cognomen putatur ductum[56].

Mulis celebrantur ludi[57] in[58] Circo maximo Consualibus[59], quia id[60] genus quadrupedum primum putatur coeptum currui[61] vehi culoque adiungi[62].

Maiis idibus mercatorum dies festus erat, quod eo die Mercurii aedes esset dedicata.

Minusculae Quinquatrus[63] appellantur idus Iuniae, quod is dies festus erat tibicinum, qui Minervam colebant[64]. Quinquatrus proprie dies festus erat Minervae Martio mense.

Muli Mariani dici solent a C. Mario[65] instituti[66], cuius milites in furca interposita tabella varicosius onera sua portare assueverant.

Mulus vehiculo lunae habetur[67], quod tam ea sterilis[68] sit[69], quam mulus; vel quod, ut mulus non suo genere[70], sed equis[71] creatur[72], sic ea solis[73], non suo fulgore luceat.

Murciae deae sacellum erat sub monte Aventino, qui antea Murcus vocabatur.

Membrum abscidi[74] mortuo dicebatur, quum digitus eius decidebatur, ad quod servatum[75] iusta fierent reliquo corpore combusto.

quam retinuit Scal., est e schedis Festi, quas vide. *Manes* L. *Mannos* B. *Manies* Gu. 1. *Manuos* S. — 41) *bonis*] *boni* L. B. pr. Eadem varietas infra est. — 42) *a*] *ac* Gu. 1. pr. *et* B. — 43) *venerantibus*] *veneramur* B. — 44) *ut*] om. pr. — 45) *Muscerdas*] Sic glossa est in codd. et edit. princ. Vulgatam vide in schedis Festi. — 46) *murium*] *murum* B. *muris* L. — 47) *appellant*] *appellatur* L. — 48) *Mapalia*] Sic haec glossa est in codd. et edit. princ. Vulgata, quam retinuit Scal., est e schedis Festi, quas vide. — 49) *Poenicae*] *Punicae* L. — 50) *id*] *illud* Gu. 1. — 51) *obiici*] *obici* L. M. Gu. 2. — 52) *rotundae*] *cohortes cortes* add. M. Gu. 2. Ex interpretatione v. *cohortes*. *colores cortes rotundi* L. *colores rotundae cohortes cortes* Gu. 1. pr. — 53) *Metalli*] Sic hanc glossam exhibent codd. et edit. pr. Scal. cum vulg. retinuit Festi verba e schedis. Recte vero idem Scal. *Metelli* emendasse videtur — 54) *caculaeque*] *caulaeque* L. B. Gu. 1. pr. — 55) *familiae*] om. L. — 56) *ductum*] *dictum* L. M. — 57) *ludi*] *ludis* Gu. 1. pr. — 58) *in*] om. L. — 59) *Consualibus*] Sic S. *Consuales* vulg. *Consularibus* L. B. M. Gu. 1. 2. pr. — 60) *id*] om. L. — 61) *currui*] *curru* Gu. 1. pr. *curro* M. — 62) *adiungi*] *muli fuere primo* add. L. — 63) *Minusculae Quinquatrus*] Sic hanc glossam scripsi e codd. et edit. princ. Scal. Festi verba e schedis dedit, quem sequitur vulgat. — 64) *colebant*] *celebrant* B. — 65) *Mario*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. *Marii* vulg. *C.* om. M. Gu. 2. — 66) *instituti*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. *instituto* vulg. — 67) *habetur*] *prohibetur* Gu. 1. *adhibetur* Scal. — 68) *ea sterilis*] *sterilis ea* M. S. — 69) *sit*] *est* L. — 70) *genere*] *generi* L. Gu. 1. — 71) *equis*] *equo* L. — 72) *creatur*] Sic L. B. M. Gu. 2. pr. *creetur* vulg. — 73) *solis*] om. L. — 74) *abscidi*] *abscindi* S. — 75) *servatum*] om. Gu. 1.

Monodos[1] appellatus est Prusiae filius, qui unum os habuit dentium loco. Similiter habuit et Pyrrhus rex Epirotarum.

Minotauri effigies inter signa militaria est, quod[2] non minus occulta esse debent consilia ducum, quam fuit domicilium eius labyrinthus. Minotaurus putatur[3] esse genitus, quum[4] Pasiphae Minois regis uxor dicitur concubuisse cum tauro. Sed affirmant alii Taurum fuisse nomen adulteri.

Manius praenomen dictum est ab eo, quod *mane* quis initio natus sit[5], ut Lucius, qui luce[6].

Manliae gentis patriciae decreto nemo ex ea Marcus appellatur[7], quod M. Manlius, qui Capitolium a Gallis defenderat, quum regnum affectasset, damnatus necatusque est.

Maiores Flamines appellabantur patricii generis, minores[8] plebeii[9].

Millus collare canum venaticorum, factum ex corio confixumque clavis[10] ferreis eminentibus adversus impetum luporum. Scipio Aemilianus ad populum: *Vobis*, inquit, *reique publicae praesidio eritis*, *quasi millus cani.*

Moenia[11] praeter aedificia[12] significant etiam et[13] munia, hoc est officia.

Magnificissima dicebant antiqui pro magnificentissima. Re enim vera magnificens dici non potest, unde[14] magnificentissima videtur deduci.

Manceps dicitur, qui quid[15] a populo emit conducitve[16], quia[17] manu sublata significat se auctorem emptionis esse, qui idem[18] *praes* dicitur, quia[19] tam debet praestare[20] populo, quod promisit, quam is, qui pro eo *praes* factus est.

Masculino[21] genere parentem[22] appellabant antiqui etiam[23] matrem. Masculino[24] genere dicebant crucem, ut est illud Gracchi: *Dignus fuit*, *qui malo cruce periret.* Masculine[25] etiam[26] dicebant et frontem et[27] alia multa[28] similiter.

Matronis aurum redditum quum[29] legitur, hoc significare videtur, quia matronae contulerunt[30] ornatus sui[31] aurum ad Capitolium a Gallis Senonibus liberandum, quibus postea est[32] redditum a populo Romano.

Magistrare[33] regere et temperare est.

Municas[34] pro communicas dicebant.

Multifacere dicitur sicut magnifacere et parvi facere. Cato: *Neque fidem*, *neque iusiurandum*,

1) *Monodos*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *Monodus* vulg. — 2) *quod*] Sic L. Gu. 1. 2. S. *quo* vulg. — 3) *putatur*] *putabatur* B. — 4) *quum*] *quom* B. — 5) *mane quis initio natus sit*] *quis mane matutinatus sit* L. *mane quis matutinatus sit* B. Gu. 1. *initio* om. pr. — 6) *luce*] *lucet* Gu. 1. — 7) *appellatur*] *appellabatur* B. — 8) *minores*] *flamines* add. B. — 9) *plebeii*] *plebis* L. — 10) *clavis*] *ex clavis* B. — 11) *Moenia*] Recens accedit haec glossa e codd. L. B. M. Gu. 1. 2. pr. Pertinet autem ad alteram glossam *Moenia et muri et officia.* — 12) *aedificia*] *officia* B. — 13) *et*] *etiam munia et hoc est off.* Gu. 1. — 14) *unde* etc.] om. pr. — 15) *qui quid*] Sic Gu. 2. pr. S. *quicquid* L. B. M. Gu. 1. *quisquis* vulg. — 16) *a populo emit conducitve*] *a populo quicquid emitur conductione* L. *quicquid a pop. emitur conduciturque* B. *emit conductive* M. *emitur conductive* Gu. 1. — 17) *quia*] *qui* Gu. 2. — 18) *qui idem*] Sic vulg. *quidem* pro *qui idem* B. Gu. 1. 2. *qui quidem* pr. — 19) *quia*] *qui* M. — 20) *debet praest.*] *praestare debet* B. — 21) *Masculino*] om. glossam pr. — 22) *parentem*] *et parentem* B. — 23) *etiam*] *et* B. — 24) *Masculino* etc.] Sic haec glossa in cod. Gu. 2. superiori est annexa. Eadem est in reliquis codd. et edit. pr. Scal. Festi schedas secutus est, et idem factum videmus in vulg. — 25) *Masculine*] *masculino* B. — 26) *etiam*] interposui e Gu. 2. et M. — 27) *et frontem et*] om. Gu. 1. — 28) *alia multa*] *multa alia* L. — 29) *quum*] *quom* B. — 30) *contulerunt*] *contulerant* M. — 31) *ornatus sui*] *ornat. i. e.* (sic) L. — 32) *postea est*] *est postea* L. *post* M. — 33) *Magistrare*] *Magisterare* S. M. *est* om. L. B. — 34) *Municas*] om. glossam Gu. 1. — 35) *qui*] *quae* S. — 36) *Cato*] (*idem*)

neque pudicitiam multifacit, quod merito ab usu recessit, quia quantitas numero non aestimatur, nec desiderat multitudinem.

Magisteria dicuntur in omnibus rebus, qui[35] magis caeteris possunt, ut magisterium equitum.

Maledictores dicebantur ab antiquis, qui nunc *maledici.*

Mihipte Cato pro mihi ipsi posuit.

Mansues pro mansuetus.

Meritavere Cato[36] ait pro mernere.

Magnificius idem ipse[37] pro magnificentius[38] dixit, et non frustra. Nam positivus eius[39] magnifice est.

Munificior a munifico[40] identidem[41] Cato dixit, quum[42] nunc munificentior dicamus[43], quamvis munificens non sit in usu.

Mediocriculus ipse, qui supra posuit[44], quum[45] ait: *Rudibundum*[46] *magistratum, pauculos*[47] *homines, mediocriculum exercitum*[48] *obviam duci.*

Mutini Titini[49] sacellum fuit Romae[50], cui mulieres velatae togis praetextatis solebant sacrificare.

Matronae a magistratibus non submovebantur, ne pulsari contrectarique[51] viderentur, neve gravidae concuterentur. Sed nec viri earum sedentes cum uxoribus in vehiculo descendere cogebantur.

Minuebatur populo luctus aedis dedicatione, quum a censoribus lustrum condebatur, quum[52] votum publice susceptum solvebatur; privatis autem, quum liberi nascerentur, quum honos in familiam[53] veniret, quum pater aut liberi, aut vir aut frater ab hoste captus domum rediret, quum[54] puella desponsaretur, quum propiore[55] quis[56] cognatione, quam is, qui lugeretur, natus esset, quum in casto[57] Cereris constitissent.

Maximae dignationis[58] *flamen* dialis est inter quindecim flamines, et quum caeteri[59] discrimina maiestatis suae habeant, minimi[60] habetur[61] Pomonalis, quod Pomona levissimo fructui[62] agrorum praesidet, id est[63] pomis.

Mundum gentiles ter in anno patere putabant, diebus his[64]: postridie Vulcanalia, et ante diem tertium Nonas Octobris, et ante diem sextum[65] Idus Novembris. Inferiorem enim[66] eius partem consecratam diis manibus arbitrantes clausam[67] omni tempore, praeter hos dies, qui supra scripti sunt, quos dies etiam religiosos[68] iudicaverunt ea de causa[69], quod his[70] diebus

Cato (sic) S. — 37) *idem ipse*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. *idem Cato* vulg. — 38) *magnificentius*] *magnificenter* Gu. 1. — 39) *positivus eius*] pro his exhibet L. *simplex; est magnifice* Gu. 1., omisso *eius*. — 40) *munifico*] *munico* Gu. 2. — 41) *identidem*] *idem* L. — 42) *quum*] *quom* B. — 43) *dicamus*] *dicimus* B. — 44) *ipse, qui supra posuit*] *idem Cato ponit* S. — 45) *quum*] *quom* B. — 46) *Rudibundum*] *Ridibundulum* L. *Rudibumlum* B., in marg. *rudinulum*. *Ridibunulum* Gu. 1. — 47) *pauculos*] *paucos* M. — 48) *exercitum*] *exercitus* B. — 49) *Mutini Titini*] Sic S., a quo prope abest Gu. 2., qui exhibet *Mutinititi;* ab eadem manu supra vers. est *muntiti*. *Mutinititinum* Gu. 1. *Mutinititiūm* (sic) M. *Muntinitini* B. *Mutinini* L. *Mutinitini* vulg. — 50) *fuit Romae*] *Romae fuit* L. Gu. 1. — 51) *contrectarique*] *contrecturive* M. S. — 52) *quum*] *quom* B. — 53) *familiam*] Sic M. S. *familia* vulg. — 54) *quum*] *quom* pr. — 55) *propiore*] *propriore* L. Gu. 1. 2. *proprie* B. — 56) *quis*] om. L. — 57) *casto*] Sic Gu. 2. S. *castro* vulg. — 58) *dignationis*] *dignitatis* L. — 59) *caeteri*] *extera* L. *cetera* M. Gu. 1. 2. om. vocem B. — 60) *minimi*] *minimus* L. — 61) *habetur*] *habeatur* L. B. M. Gu. 1. — 62) *fructui*] *fructu* L. B. Gu. 1. pr. — 63) *id est*] om. S. — 64) *diebus his*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *iis diebus* vulg. — 65) *sextum*] *sexto* Gu. 2. — 66) *enim*] om. B. — 67) *clausam*] *clausa* B. pr. — 68) *quos dies etiam religiosos iudicaverunt*] *quos alii rel. iud.* L. — 69) *ea de causa*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *eam ob causam* vulg. — 70) *his*] Sic L. M. Gu. 1. 2. pr. S. *iis* vulg.

ea quae occulta et abdita religionis deorum manium essent, in lucem adducerentur[1], nihil eo tempore[2] in republica geri voluerunt. Itaque per hos dies non cum hoste manus[3] conserebatur, non exercitus scribebatur, non comitia habebantur, non aliud quidquam in republica[4], nisi quod ultima necessitas exegisset[5], administrabatur.

Mos est institutum patrium pertinens maxime ad religiones cerimoniasque antiquorum.

Municipalia sacra[6] vocabantur, quae ante urbem conditam colebantur.

Manes dii ab auguribus[7] vocabantur[8], quod eos per[9] omnia manare credebant, eosque deos superos[10] atque[11] inferos dicebant.

Monstra dicuntur naturae modum egredientia, ut serpens cum pedibus, avis cum quatuor alis, homo duobus[12] capitibus, iecur, quum distabuit in[13] coquendo.

Muta exta appellabant[14], ex quibus nihil[15] divinationis animadvertebant.

Mensae in aedibus sacris ararum vicem obtinebant.

Manumitti servus dicebatur, quum dominus eius, aut caput eiusdem servi, aut aliud membrum tenens dicebat: *Hunc hominem liberum esse volo*, et[16] emittebat[17] eum e manu.

Moscillis[18] Cato pro parvis moribus dixit.

Mentecaptus dicitur, quum mens ex hominis[19] potestate abiit[20], et idem *demens*, quod[21] de sua mente decesserit, et *amens*, quod[22] a mente abierit.

Manare solem dicebant antiqui[23], quum solis[24] orientis radii splendorem iacere[25] coepissent, a quo et[26] dictum putabant mane[27]. Alii dictum mane putant[28] ab eo, quod[29] manum bonum dicebant.

Murrata potione usi sunt antiqui; sed postea assuerunt[30] diis suis libare, ideoque XII. tabulis est cautum, ne mortuo inderetur[31].

Muger muccosus.

Muries dicebatur[32] sal in pila tunsum[33] et in ollam fictilem coniectum et in furno percoctum, quo dehinc in aquam[34] missum[35] Vestales virgines utebantur in sacrificio.

Mortuae pecudis corio calceos aut soleas[36] fieri Flaminibus nefas habebatur, quoniam[37] sua morte exstincta omnia funesta aestimabantur[38].

Me pro mihi dicebant antiqui.

1) *adducerentur*] Sic L. M. Gu. 2. S. *adducerent, ne patefierent* vulg., pro quo *et patefierent* exhibet Gu. 2. — 2) *tempore*] om. pr. *die* L. B. Gu. 1. — 3) *manus*] Sic L. B. Gu. 1. S. *manu* vulg. — 4) *republica*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *remp.* vulg. — 5) *necessitas exegisset*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *exeg. nec.* vulg. — 6) *Municipalia* etc.] Sic scripsi hanc glossam e codd. et edit. princ., quum Scal. Festi verba e schedis dediderit, quem secuta est vulg. — 7) *ab auguribus*] *ab auguriis* L. *ab* om. B. Gu. 1. — 8) *vocabantur*] *quae ante urbem conditam colebantur* add., ut videtur, e superioribus Gu. 1. — 9) *eos per*] *per eos* pr. — 10) *superos*] om. B. — 11) *atque*] *ac* B. — 12) *duobus*] *cum duob.* L. — 13) *in*] om. L. — 14) *appellabant*] *appellant* B. — 15) *nihil*] *nil* B. M. Gu. 1. 2. pr. — 16) *et*] om. M. — 17) *emittebat*] *mittebat* M. — 18) *Moscillis*] Sic L. M. Gu. 1. 2. *Mosculis* vulg. — 19) *hominis*] *hominibus* B. — 20) *abiit*] *abit* M. Gu. 2. — 21) *quod*] Sic L. Gu. 1. 2. pr. *qui* vulg. — 22) *quod*] Sic L. Gu. 1. 2. *qui* vulg. — 23) *dicebant antiqui*] *ant. dic.* M. Gu. 1. S. — 24) *solis*] *sol* Gu. 2. — 25) *iacere*] *se* add. L. — 26) *et*] om. L. — 27) *dictum putabant mane*] *put. man. dict.* L. — 28) *dictum mane putant*] Sic Gu. 2. *dictum mane putabant* L. *dictum putant mane* Gu. 1. *alii mane dictum* om. M. *mane dict. put.* om. B. *mane dict. put.* vulg. — 29) *quod*] *est* add. L. — 30) *assuerunt*] *assueverunt* L. *murram* post *suis* exhibet B. — 31) *inderetur*] Sic Dac. Sed codd. omnes et edit. princ. *videretur*. *indatur* Scal. — 32) *dicebatur*] *dicebant* B. — 33) *tunsum*] *tusum* L. B. — 34) *aquam*] *aqua* B. pr. — 35) *missum*] *misso* S. — 36) *aut soleas*] om. L. Gu. 2. pr. — 37) *quoniam*] *cum* L. B. *quom* pr. *quo-*

Malevoli Mercurii signum, id est statuam appellabant ideo, quod in nullius tabernam spectabat.

Malluvium dicitur, quo manus lavantur. *Malluviae*, quibus manus sunt lotae[39]. *Pelluviae*, quibus pedes.

Maior consul dicitur vel[40] is, penes quem fasces sunt, vel is, qui[41] prior factus est. Praetor autem maior urbanus[42], minores ceteri.

Mendicum dici Verrius putat a mente eius, quem[43] fefellerit fortuna, vel quod[44] precetur quemque, ut vitae suae medeatur cibo.

Municipium id genus hominum dicitur[45], qui quum Romam venissent, neque cives Romani essent, participes tamen fuerunt omnium rerum[46] ad munus fungendum una cum Romanis civibus[47], praeterquam de suffragio ferendo, aut magistratu capiendo; sicut fuerunt[48] Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanuvini, Tusculani, qui post aliquot[49] annos cives Romani effecti[50] sunt. Alio modo, quum id genus hominum definitur, quorum civitas universa in civitatem Romanam venit[51], ut Aricini, Cerites, Anagnini. Tertio, quum id genus hominum definitur, qui ad civitatem Romanam ita venerunt[52], uti[53] municipia essent sua cuiusque civitatis et coloniae, ut Tiburtes, Praenestini[54], Pisani, Urbinates[55], Nolani, Bononienses[56], Nepesini[57], Sutrini, Lucrenses[58].

Mater Matuta, manes, mane, matrimonium, mater familiae, matertera, matrices, materiae dictae videntur, ut ait Verrius, quia sint[59] bona, qualia scilicet sint[60], quae sunt[61] matura, vel potius a matre, quae est originis Graecae[62].

Modo quodam, id est ratione dicuntur omnia ista[63]: commoditas, commodus, commodat, accommodat, modice, modestia, moderatio, modificatio.

LIBER XII.

Naenia[64] est carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam[65]. Sunt, qui eo verbo finem significari putant. Quidam volunt naeniam ideo dici, quod voci similior querimonia flentium[66] sit. Quidam aiunt naeniae ductum nomen ab extremi intestini vocabulo; Graeci

modo Gu. 1. — 38) *aestimabantur*] *extimab.* Gu. 1. *exist.* pr. — 39) *lotae*] *lautae* M. — 40) *vel*] om. L. — 41) *qui*] om. L. — 42) *urbanus*] *urbano* S. om. Gu. 1. — 43) *quem*] Sic B. S. *quam* vulg. — 44) *quod*] om. L. — 45) *dicitur*] om. B. — 46) *fuerunt omnium rerum*] *omnium rerum fuerint* B. — 47) *Rom. civ.*] *civ. Rom.* B. — 48) *fuerunt*] *quondam* add. vulg. Sed om. codd. et edit. pr. — 49) *aliquot*] *aliquos* B. — 50) *effecti*] *facti* B. — 51) *venit*] Sic L. M. Gu. 1. 2. pr. S. *venerit* vulg. *devenit* B. — 52) *venerunt*] *devenerunt* B. — 53) *uti*] Sic B. M. Gu. 2. S. *ut* L. Gu. 1. pr. *sic uti* vulg. — 54) *Praen.*] *et Praen.* B. — 55) *Urbinates*] Sic L. B. Gu. 1. 2. pr. *Arpinates* vulg. — 56) *Bononienses*] *Bobutinenses* L. pr. *Bobontimenses* B. *Bubutinienses* Gu. 1. — 57) *Nepesini*] om. Gu. 1. — 58) *Sutrini, Lucrenses*] *Lucr. Sutr.* B. *Lucenses* L. M. S. — 59) *sint*] Sic L. B. Gu. 2. S. *sunt* vulg. — 60) *sint*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. S. *sunt* vulg., quod om. L. — 61) *sunt*] *sint* L. — 62) *Graecae*] μήτηρ add. B. — 63) *omnia ista*] *A modo dic. omn. ista* vulg. Sed ut nos, sic Gu. 2. *Modo quodam id est ratione. dic. omnia istu a modo* Scal. *Modo quodam i. e. rat. unde fiunt commoditas* L. *Mod. quod. id est rat. dic. omnia ista a modo* B. *Modo q. i. e. ratione dicuntur ista omnia modo fit commod.* M. *Modo q. i. e. ratione dic. omnia ista modo sit commod.* edit. princ. — 64) *Naenia*] Cod. Lips. hanc glossam ita exhibet: *Naenia carmen funebre in defuncti laudem, quod tibia canitur, quo verbo aut finis significatur, nomen habet ab intestino extremo, quod Graeci dicunt* (lacuna) *et ultima vox chordarum nenia appellatur.* — 65) *ad tibiam*] *a tibia* B. — 66) *flentium*] *flentum* Gu. 1.

enim *νέατον*[1] extremum dicunt; sive quod chordarum ultima *νεάτη* dicitur[2], extremam cantionis vocem naeniam appellaverunt[3].

Naeniae deae[4] sacellum extra portam Viminalem[5] fuerat[6] dedicatum.

Navali corona solet donari[7], qui primus in hostium[8] navem[9] armatus[10] transilierit[11].

Nefrendes arietes dixerunt, quod[12] dentibus frendere non possint[13]. Alii dicunt nefrendes infantes esse[14] nondum frendentes, id est frangentes. Livius[15]:

Quem ego nefrendem alui lacteam immulgens opem.

Sunt qui[16] nefrendes testiculos dici[17] putent[18], quos[19] Lanuvini appellant nebrundines, Graeci *νεφρούς*[20], Praenestini nefrenes.

Nequeunt[21] non eunt.

Necerim[22] nec eum.

Nemora significant silvas amoenas.

Nemut[23] nisi etiam, vel nempe.

Neminis[24] genitivo casu Cato usus est, quum dixit: *Sunt multi corde*[25] *quos non*[26] *miseret neminis*[27].

Nemo, nec homo.

Neci datus proprie dicitur, qui sine vulnere interfectus est, ut veneno aut fame.

Necessarium, in quo non sit cessandum.

Necessarii dicuntur cognati[28] aut affines, in quos necessaria officia conferuntur.

Neglegens[29] non legens, neque electum habens, quid debeat facere.

Nec coniunctio disiunctiva est, ut *nec legit*, *nec scribit*[30]. Ponitur et[31] pro *non*, Turpilius:

Nec recte dici mihi iamdudum audio.

Necunquem[32], nec[33] unquam quemquam.

Nequalia detrimenta.

Nequinont[34] nequeunt.

Nequitum et *nequitur* pro non posse dixerunt.

Nequicquam frustra.

Nectere ligare.

Nectar[35] Graece significat deorum potionem.

Nequam aurum est, auris quodvis vehementius ambit. Hoc versu Lucilius significare videtur,

1) *νέατον*] Sic scripsi e Gu. 2. pr., in quibus est *neaton*. *nematon* M. *ναιρον* B. in marg., in contextis deest vox, ut in Gu. 1. *νέτον* vulg. — 2) *νεάτη dicitur*] Sic scripsi e pr., quae exhibet *neate*. *dicitur νεατη neate* B. *neten* M. Gu. 2. *nenia* Gu. 1. *νέτη* vulg. — 3) *appellaverunt*] Sic Gu. 2. *appellarunt* vulg. — 4) *deae*] om. L. — 5) *Viminalem*] *Vinitalem* M. — 6) *fuerat*] *fuit* L. — 7) *solet donari*] *datur* L. Fortasse legendum est *donatur*. — 8) *hostium*] *hostilem* L. — 9) *navem*] *navim* L. — 10) *armatus*] om. L. — 11) *transilierit*] *transiliret* L. — 12) *quod*] *quia* L. — 13) *possint*] *possunt* L. B. — 14) *Alii — frangentes*] Cod. Lips. *Alii autem dicunt etiam infantes nondum frendentes id est frang.* Cod. Berol. *Alii nefrendes infantes esse dicunt.* — 15) *Livius — opem*] om. L. — 16) *Sunt qui*] *Alii* L. — 17) *dici*] om. B. — 18) *putent*] *putant* L. — 19) *quos — nefrenes*] Cod. Lips. ita: *quos Praenestini et Lanuvini nebrundes dicunt.* Cod. Berol. *Graeci πενηστινι penestini nefrondes vel nefrones.* — 20) *νεφρούς*] om. Gu. 1. pr. — 21) *nequeunt*] *neceunt* B. *nequunt* vulg. Nos secuti sumus codd. et edit. pr. — 22) *Necerim*] *Necam* L. *Nec eum non eum* B. — 23) *Nemut*] *Nenut* B., in marg. *vel Nemut.* — 24) *Neminis*] *Nemini* Gu. 2. — 25) *corde*] om. L. B. Gu. 1. — 26) *non*] om. L. — 27) *neminis*] *nemini* pr. — 28) *dicuntur cognati*] *cognati dicuntur* B. — 29) *Neglegens*] Sic Gu. 2. S. *neclegens* B. M. Gu. 1. pr. *Nelegens* L. *negligens* vulg. — 30) *ut nec legit, nec scribit*] *ut in eo negligitur bonitur et pro* etc. M. — 31) *et*] *etiam* pr. S. — 32) *Necunquem*] *Necunquam* Gu. 1. — 33) *nec*] *ne* Gu. 1. 2. — 34) *Nequinont*] *Nequinant* vulg., quam sequuntur B. Gu. 1. Ceteri, ut nos. — 35) *Nectar*]

nequam esse aurum, quod aures laedat pondere inaurium, quum auris inciditur; vel etiam cupiditatem pecuniae voluit significare.

Nervum appellamus etiam ferreum vinculum, quo pedes vel etiam cervices impediuntur.

Negumate negate.

Nebulo[36] dictus est, qui non pluris est, quam nebula, aut qui non facile perspici possit[37], qualis sit.

Negabundum[38] pro negante[39] dixerunt.

Neutiquam pro nullo modo.

Nepotes luxuriosae vitae homines[40] appellati, quod non magis his[41] rei suae familiaris[42] cura est, quam his[43], quibus pater avusque vivunt.

Nepos compositum ab eo, quod natus post sit patri[44], quam filius.

Nefasti dies *N* litera notantur[45].

Nepa Afrorum lingua sidus, quod cancer appellatur[46], vel, ut quidam volunt, scorpius[47]. Plautus:

Dabo me ad parietem, imitabor nepam.

Nepus[48] non purus.

Nautea herba granis nigris, qua[49] coriarii utuntur, a nave dictum[50] nomen, quia nauseam[51] facit per mutationem[52] *t* et *s*[53].

Natio genus hominum, qui non aliunde venerunt, sed ibi nati sunt. In pecoribus quoque bonus proventus feturae bona natio dicitur.

Nautiorum[54] familia a[55] Troianis dicitur oriunda.

Natinatio dicebatur negotiatio[56], et natinatores ex eo seditiosi[57].

Naceae appellantur fullones, quod[58] nauci non[59] sint id est nullius pretii. Omnia fere opera ex lana nacae dicuntur a Graecis.

Naucus[60] pro nugis ponitur, alias[61] pro oleae aut nucis nucleo. Alii omnium rerum putamen ita appellari volunt. Quidam ex Graeco[62], quod sit *ναὶ καὶ οὐχί*[63], levem hominem significare[64] volentes. Quidam volunt sic appellari membranulam, quae in nucis iuglandis est medio.

Narica genus piscis minuti[65].

Nancitor nactus[66] erit.

Nare a nave ductum[67], quod aqua feratur natans, ut navis.

Natare est saepius nare[68], ut dictitare, factitare.

Cod. Berol. ita: *Nectar quod sit immortale id est non occido Graece significat deorum potionem κτείνω.* — 36) *Nebulo*] Ut nos scripsimus, sic exbibent glossam codd. et edit. princ. Scalig. retinuit, quae sunt in schedis Festi, quas vide. — 37) *possit*] *potest* Gu. 1. — 38) *Negabundum*] *Negibundum* L. B. M. Gu. 1. S. — 39) *negante*] *negantem* B. — 40) *vitae hom.*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *hom. vit.* vulg. — 41) *his*] *iis* Gu. 1. — 42) *suae fam.*] *fam. suae* L. — 43) *his*] *in his* L. *in iis* Gu. 1. — 44) *patri*] *fratri* L. — 45) *notantur*] *Fasti vero F. cum dies sunt nec fasti nec nefasti notantur* add. L. — 46) *appellatur*] om. B. — 47) *scorpius*] *scorpios* M. *scorphius* Gu. 2. — 48) *Nepus*] vulg. additur *pro*, quod ignorant codd. et edit. pr. — 49) *qua*] om. M. — 50) *dictum*] *ductum* L. B. M. pr. S. — 51) *nauseam*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. *ναυτέαν* vulg. — 52) *per mutationem*] *permutatione* M. S. — 53) *t et s*] Sic L. Gu. 1. 2. *t et s at t et s. C. f. T. S.* (sic) B. — 54) *Nautiorum*] *Nauticorum* L. — 55) *a*] Sic Gu. 2. S. *e* vulg. Om. praep. L. B. M. Gu. 1. pr. — 56) *dicebatur negotiatio*] *negot. diceb.* L. — 57) *seditiosi*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. (*sediosi*) pr. S. *negotiosi* vulg. — 58) *quod*] *qui* L. — 59) *nauci non*] *non nauci* B. — 60) *Naucus*] Sic B. M. Gu. 2. pr. S. *Naucis* L. Gu. 1. — 61) *alias*] *naucis* add. L. — 62) *ex Graeco*] om. Gu. 1. — 63) *ναὶ καὶ οὐχί*] NE CE VHI (sic) M. *necelichi* Gu. 2. *nece* L. *nace* pr. *neceae* B. om. Gu. 1. Graeca. — 64) *significare*] *significari* L. — 65) *minuti*] *minutum* L. B. pr. — 66) *nactus*] *nanctus* pr. — 67) *ductum*] Sic L. B. M. Gu. 2. pr. *dictum* vulg. — 68) *nare*] om. L. B. pr.

Navus celer ac[1] strenuus a navium velocitate[2] dictus.

Nasiterna[3] genus vasis aquarii ansati et patentis[4].

Nassa est piscatorii[5] vasis genus, quo quum intravit[6] piscis, exire non potest. Plautus:

Nunquam[7] *ex ista*[8] *nassa hodie*[9] *ego*[10] *escam petam.*

Napurae funiculi[11].

Naustibulum alveum ad navis similitudinem factum.

Navia lignum cavatum, quo in vindemiis uti solent[12].

Nauscit, quum[13] granum fabae se nascendi gratia aperit, quod fit[14] non dissimile navis formae.

Naevia silva dicta iuxta urbem, quod Naevii[15] cuiusdam fuerit[16].

Nudiustertius compositum ex nunc et die tertio[17].

Nuptam a Graeco dictam[18]. Illi enim nuptam appellant *νέαν νύμφην*[19].

Numero dicebant pro nimium.

Nupta verba[20] dicebantur ab antiquis, quae virginem dicere non licebat. Plautus:

Virgo sum, nondum[21] *didici nupta verba dicere.*

Numerius praenomen tractum[22] ab avo.

Nusciciosus[23], qui parum videt propter vitium oculorum, quique plus videt[24] vesperi, quam meridie.

Nundinas feriarum diem esse voluerunt, quo mercandi gratia urbem[25] rustici convenirent.

Nuculas Praenestinos appellabant, quod inclusi a Poenis Casilini[26] famem nucibus sustentarunt, vel quod in eorum regione plurima nux minuta[27] nascitur[28].

Nummus[29] ex Graeco nomismate[30] nascitur[31].

Nuncius et res ipsa et persona dicitur.

Nuper quasi noviper[32], tanquam dicimus[33] novissime.

Numen quasi nutus dei ac potestas[34].

Numella genus vinculi, quo quadrupedes deligantur.

Numidas dicimus[35], quos Graeci Nomadas, sive quod id genus hominum pecoribus negotietur[36], sive quod herbis, ut pecora aluntur.

Nuces flagitantur nuptis[37] et iaciuntur pueris, ut novae nuptae intranti domum novi[38] mariti secundum fiat auspicium.

Numae Pompilii in Ianiculo est sepulcrum.

Nonuncium et *teruncium* dicitur, quod novem unciarum sit[39] sive[40] trium.

Retricibus quum ait Cato, aquam eo nomine significat, qua horti irrigantur.
Recepticius servus est, qui[6] ob vitium redhibitus est.
Rogat est consulit populum, vel petit ab eo, ut id sciscat, quod ferat.
Restat Ennius posuit pro distat.
Ruri esse, non rure dicendum[7] testis est Terentius, quum ait[8]:

Ruri se continebat.

Retiario pugnanti adversus mirmillonem[9] cantatur: *Non te peto, piscem peto, quid me fugis Galle?* quia mirmillonicum genus armaturae Gallicum est, ipsique mirmillones ante Galli appellabantur, in quorum galeis piscis effigies inerat. Quod genus pugnae institutum est[10] a Pittaco uno ex septem sapientibus, qui[11] adversus Phrynonem dimicaturus propter controversias finium, quae erant inter Atticos[12] et Mytilenaeos[13] rete occulte lato impedivit Phrynonem.
Resignatum aes dicitur militi, quum ob delictum aliquod iussu tribuni militum, ne stipendium ei detur, in tabulas[14] refertur. Signare enim dicebant pro scribere[15].
Rituales nominantur Etruscorum libri, in quibus scriptum est, quo ritu urbes condantur[16], arae aedesque[17] sacrentur, curiae, tribus et centuriae distribuantur.
Redinunt redeunt.
Regium est, quod aut est[18], aut fuit regis.
Regale[19] est dignum rege.
Reque eapse re ipsa.
Recipie[20] recipiam.
Redemptitavere[21], ut domitavere.
Repulsior Cato dixit comparative a repulso.
Ratissima quoque ab his, quae dicimus rata, unde etiam[22] rationes dictae.
Rapi simulatur virgo ex gremio matris, aut, si ea non est, ex[23] proxima necessitudine, quum ad virum traditur, quod videlicet ea res feliciter Romulo cessit.

1) *agro*] *campo* pr. S. — 2) *feruntur*] Sic Gu. 2. Cett. *seruntur*, sed fefellit librarios, quod *esse* ad *feruntur* deest. Sensus est enim: Rosea, quae dicuntur pro *rorea*, *r* litera in *s* mutata, ut in *maiosibus* etc., dicta sunt, quod semper a rore sunt humida loca. — 3) *port. Cap.*] *Cap. port.* L. — 4) *Remant*] *Remeant* L. — 5) *ridetur*] *irridetur* Gu. 1. *ridet* pr. — 6) *qui* et *est*] om. L. *redhibetur* B. pr. — 7) *dicendum*] Sic M. Gu. 1. 2. *dicèndum esse* S., qui schedas Festi exscripsit, quum nos e codd. et edit. pr. epitomam Pauli dederimus. *dicendum est* L. pr. *dictum est* B. — 8) *testis est — quum*] om. B. — 9) *mirmill.*] *murmill.* et hic et postea M. et Gu. 2. — 10) *est*] om. B. — 11) *qui*] *quia* M. — 12) *inter Atticos*] *attic. inter* L. — 13) *Mytilenaeos*] Sic B. Gu. 2. S. *Mityl.* vulg. — 14) *tabulas*] *tabulis* M. — 15) *dicebant pro scribere*] L. B. Gu. 1. 2. pr. M., qui om. *dicebant.* *pro scrib. interdum pon.* S. — 16) *condantur*] *condant* pr. — 17) *aedesque*] *que* om. S. — 18) *aut*] om. L. M. — 19) *est*] om. B. — 20) *Recipie*] *Recipia* Gu. 2. — 21) *Redemptitavere*] *Redemptavere* B. — 22) *etiam*] *et* L. — 23) *ex proxima*] *propria* L. B., qui om. *ex*. — 24) *est*] om. L. — 25) *utrisque*] *utriusque* pr. — 26) *ea nocte*] om. L. *nocte* om. B. et exhibet *eam*. — 27) *alterutrius*] *alterius utrius* M. S. *al-*

Rapi solet fax, qua praelucente nova nupta deducta est[21] ab utrisque[25] amicis, ne aut uxor eam sub lecto viri ea nocte[26] ponat, aut vir in sepulchro comburendam curet, quo utroque mors propinqua alterutrius[27] captari putatur[28].

Receptus mos est, quem sua sponte civitas alienum adscivit.

Regalia exta appellabant[29], quae potentibus insperatum pollicebantur[30] honorem, humilioribus haereditates, filiofamiliae dominationem[31].

Roscii appellabantur in omnibus perfecti artibus[32], quod Roscius quidam perfectus unus[33] in arte sua, id est comoedia iudicatus sit[34].

Rica est vestimentum quadratum, fimbriatum, purpureum, quo Flaminicae pro palliolo[35] utebantur. Alii dicunt, quod ex lana fiat[36] succida[37] alba, quod conficiunt virgines ingenuae, patrimae matrimae cives, et inficiatur[38] coeruleo colore.

Repertum dicitur quasi repartum et reparatum[39].

LIBER XVII.

Susque deque significat plus minusve.

Sonivio[40] sonanti.

Suppum antiqui dicebant, quem nunc[41] supinum dicimus[42].

Servilius lacus Romae a conditore vocatus.

Sonticum iustum. Naevius:

Sonticam esse oportet[43] *causam, quamobrem perdas mulierem.*

Sacra via in urbe Roma appellatur[44], quod in ea foedus ictum sit inter Romulum ac[45] Tatium.

Solitaurilia hostiarum trium diversi generis immolationem significant[46], tauri, arietis, verris, quod omnes hi solidi integrique sunt[47] corporis. Solum[48] enim lingua Oscorum significat totum et solidum. Unde tela quaedam *soliferrea* vocantur tota ferrea, et homo bonarum artium *sollers*, et quae nulla parte laxata cavaque, solida nominantur.

Socordiam[49] quidam[50] pro ignavia posuerunt; Cato pro stultitia posuit. Compositum autem videtur ex *se*[51], quod est sine, et *corde*.

Semis, *semodius*, *semuncia* ex Graeco trahuntur, sicut et[52] alia nonnulla, quae *s* literam pro aspiratione eorum habent[53], ut ἑπτά septem, ὕλη[54] silva[55]. Sic[56] ista ab eo, quod illi ἥμισυ dicunt[57], declinata sunt.

Supervacaneum supervacuum.

teriutrius Gu. 1. — 28) *putatur*] *putat* L. Gu. 1. *putant* B. — 29) *appellabant*] Sic L. M. Gu. 2. pr. *appellabantur* B. *appellantur* S. — 30) *pollicebantur hon.*] Sic M. Gu. 1. 2. pr. *honorem pollicentur* vulg. *pollicebatur* L. B. — 31) *dominationem*] *dominationes* L. — 32) *artibus*] om. L. B. Gu. 1. pr. — 33) *unus*] om. L. B. — 34) *comoedia iudicatus sit*] *optimus comoedus* (sic) L., omissis verbis *iudicatus sit.* — 35) *palliolo*] *palio* L. — 36) *fiat*] *fuit* L. — 37) *succida*] *sucida* M. — 38) *inficiatur*] *inficitur* B. — 39) *reparatum*] om. Gu. 1. — 40) *Sonivio*] *sonvio* B. *sono* L. — 41) *nunc*] *nos* Gu. 1. — 42) *supin. dic.*] *dicim. suppin.* B.; supra idem cod. *dicebant ant.* — 43) *esse oportet*] *op. esse* B. — 44) *appellatur*] *appellabatur* B. — 45) *ac*] *et* L. B. Gu. 1. S. — 46) *significant*] *significat* pr. — 47) *sunt*] *sint* M. Gu. 1. S. — 48) *solum*] *Sollum* S. et Dac. et paulo post *solliferrea* S. D. — 49) *Socordiam*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. *Secord.* pr. S. — 50) *quidam*] *alii* B. — 51) *se*] *si* L. Gu. 1. 2. pr. Male. — 52) *et*] om. B. — 53) *eor. hab.*] *habent eor.* B. — 54) ὕλη] *ylai* M. Gu. 2. — 55) *silva*] *silvae* L. B. M. Gu. 2. — 56) *Sic*] *sicut* L. — 57) *quod illi ἥμισυ dic.*] Sic Gu. 2. *dic.* ἥμισυ M. S. ἥμις *dic.* B. *quod est illi declin. sunt* L. om. ἥμισυ Gu. 1. L. ἥμι vulg.

Strufertarios[1] dicebant, qui quaedam[2] sacrificia ad arbores fulguritas[3] faciebant, a *ferto* scilicet[4] quodam sacrificii genere.

Silicernium erat genus[5] farciminis, quo fletu familia[6] purgabatur[7]. Dictum autem silicernium, quia cuius nomine ea res instituebatur, is iam[8] silentium[9] cerneret. Caecilius:

Credidi silicernium eius me esse esurum.

Sudum siccum, quasi seudum, id est sine udo.

Securus[10] sine cura.

Sublesta infirma et tenuia. Plautus:

Gravior paupertas fit, fides sublestior,

id est infirmior. Idem vinum ait[11] *sublestissimum*, quia infirmos faciat[12] vel corpore vel animo[13].

Secus aliter; *haud secus*, non aliter.

Stipem esse nummum signatum[14] testimonio est et id[15], quod datur in[16] stipendium militi, et quum[17] spondetur pecunia, quod *stipulari* dicitur.

Sobrinus est patris mei consobrini[18] filius et matris meae consobrinae[19] filius.

Sororiare mammae dicuntur puellarum, quum primum tumescunt.

Surregit et *sortus* pro surrexit, et quasi possit fieri surrectus, frequenter posuit Livius.

Sors et patrimonium significat. Unde consortes dicimus; et dei responsum et quod cuique accidit in sortiendo.

Soracum est, quo ornamenta portantur scenicorum.

Sobrium vicum Romae dictum putant[20], vel quod in eo nulla taberna[21] fuerit, vel quod in eo Mercurio lacte, non vino supplicabatur.

Sons nocens; *insons* innocens.

Sodales dicti, quod una sederent et essent, vel quod ex suo datis[22] vesci soliti sint[23], vel quod inter se invicem suaderent[24], quod utile esset.

Sodes si audes, ut[25] *sis* pro si vis, et *illico* pro in loco. Terentius in[26] Andria:

Dic, sodes, quis heri Chrysidem habuit?

Surum[27] dicebant, ex quo per deminutionem fit surculus[28]. Ennius:

Unus surus[29] *surum ferret, tamen defendere posset.*

Surremit[30] sumpsit[31]:

Inque manus[32] *surremit hastam*[33].

Surrempsit[34] sustulerit.

1) *Strufertarios*] Sic L. B. S. *Serufertarios* M. Gu. 1. 2. pr. — 2) *quaedam*] om. L. — 3) *fulgur.*] *fulgor.* M. Gu. 1. 2. pr. — 4) *scilicet*] om. B. — 5) *genus farc.*] *quoddum gen. farc.* L. *gratia farc.* B. — 6) *familia*] *familiae* B. — 7) *purgabatur*] *purgabantur* L. — 8) *iam*] *tum* L. — 9) *silentium*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. *silicem* vulg. et Scal. — 10) *Securus*] om. glossam Scal. et Dac. — 11) *vinum ait*] Sic M. Gu. 2. *ait vin.* vulg. — 12) *faciat*] *facit* L. B. — 13) *vel corp. vel. an.*] *vel an. vel corp.* L. — 14) *signatum*] *figuratum* L. — 15) *et id*] *et de eo* L. B. (om. *et*) M. Gu. 2. Sed quomodo id explicem, nescio. — 16) *in*] om. Gu. 1. S. — 17) *quum*] *quod* B. — 18) *consobrini*] *consobrinus* L. — 19) *consobrinae*] *consobrinus* L. — 20) *dictum putant*] *putatur dictum* B. *dictum putatur* M. Gu. 2. — 21) *nulla tab.*] Sic L. B. Gu. 1. 2. *tabern. null.* vulg. — 22) *datis*] *dapibus* S. — 23) *sint*] *sunt* pr. — 24) *suaderent*] *sua darentur* L. *sua daretur* B. *sua durent* pr. — 25) *ut*] *uti* L. M. — 26) *in*] add. Gu. 1. 2. pr. om. vulg. — 27) *Surum*] *Surcum* L. — 28) *surculus*] *surcus* B. — 29) *Unus surus*] *unum* L. omisso *surus*, quod item om. Gu. 1. — 30) *Surremit*] *Suremit* L. B. M. ut mox L. B. Gu. 2. — 31) *sumpsit*] *sustulerit* add. M. — 32) *manus*] *manu* pr. S. — 33)

Summussi[35] murmuratores. Naevius:

Odi, inquit, *summussos*[36], *proinde aperte dice*, *quid sit.*

Terentius *mussare* pro tacere posuit, quum ait:

Sile, *cela*, *occulta*, *tege*, *tace*, *mussa.*

Sum pro eum usus est Ennius.

Sollo[37] Osce dicitur id, quod nos totum vocamus. Livius, *solliferreum*, genus teli, id est totum ferreum. *Sollers*[38] etiam in omni re prudens, et *sollemne*[39], quod omnibus annis praestari debet.

Solla[40] sedilia, in quibus singuli tantum possunt sedere, ideoque *soliar*[41] sternere dicuntur, qui sellisternium[42] habent, et solaria vocantur Babylonica, in quibus eadem sternuntur.

Solum terram dicunt.

Solea vel ea dicitur, quae solo pedibus[43] subiicitur[44], vel genus piscis, vel materia robustea, super quam paries craticius exstruitur.

Solox lana crassa, vel pecus lana contectum[45]. Titinnius:

Lana soloci ad purpuram data;

et Lucilius:

Pascali pecore[46] *ac*[47] *montano hirco atque soloce.*

Sos pro eos antiqui dicebant, ut Ennius:

Constitit inde loci propter sos dia dearum[48].

Sos interdum pro *suos* ponebant[49]; per dativum casum idem Ennius effert[50]:

Postquam lumina sis oculis,

pro suis.

Sultis[51] si vultis. Plautus:

Sequimini me hac sultis;

et Cato: *Audite*, *sultis*, *milites.*

Solatum morbi genus[52].

Solipugna[53] genus bestiolae[54] maleficae, quod acrius concitatiusque fit[55] fervore solis, unde etiam[56] nomen traxit.

Sospes salvus. Ennius tamen *sospitem* pro servatore[57] posuit.

Sospitare est[58] bona spe afficere, aut bonam spem non fallere.

Succrotilla[59] *vox*, tenuis et alta. Titinnius:

Feminina[60] *fabula*, *succrotilla vocula.*

Inque etc.] om. M. — 34) *Surrempsit*] Sic M. pr. S. *surempsit* B. Gu. 1. 2. *Surrepsit* vulg. — 35) *Summussi*] *Submissi* L. B. — 36) *summussos*] *summissos* L. B. — 37) *Sollo*] *Solon* B. *Sollon* pr. — 38) *Sollers*] Sic pr. *Solers* vulg. cum cett. — 39) *sollemne*] Sic L. Gu. 1. 2. *solenne* vulg. *in* praeponunt ante vocem *omnibus* M. S. — 40) *Solla*] Sic M. Gu. 1. 2. S. *Sola* vulg. — 41) *soliar*] Sic M. Gu. 1. 2. pr. *soliare* L. *solia* vulg. *solla* S. et. Dac. — 42) *sellist.*] *sollist.* L. M. S. — 43) *pedibus*] Sic L. Gu. 1. 2. pr. *pedis* vulg. — 44) *subiic.*] *subicitur* M. Gu. 2. — 45) *contectum*] *contextum* B. M. Gu. 1. 2. pr. — 46) *pecore*] om. L. — 47) *ac*] *et* Gu. 1. S. — 48) *dia dearum*] *ita soliarum* B. corrupte ex *dea diarum* ut exhibent M. Gu. 2. *dea dearum* vulg. et Scal. — 49) *interdum pro suos pon.*] *pro suos interdum per dat.* etc. B. *poneb. pro suos* L. — 50) *effert*] om. L. — 51) *Sultis*] *pro* add. vulg., sed om. M. Gu. 1. 2. pr. — 52) *morbi gen.*] Sic Gu. 1. 2. pr. *gen. morb.* vulg. — 53) *Solipugna*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. *Solipuga* vulg. *Solipunga* S. — 54) *bestiolae*] *bestiae* B. — 55) *fit*] om. pr. — 56) *etiam*] *et* B. — 57) *servatore*] *salvatore* B. — 58) *est*] om. L. B. — 59) *Succrot.*] *Socrot.* L. Gu. 1. et ita mox. *Sucrot.* B. M. utroque loco. — 60) *Feminina*] *Feminea* M. S.

Succingulum balteum.

Sucerda[1] stercus suillum. Titinnius:

Quid habes nisi unam arcam sine clavi, eo condis sucerdas?

Sciscito, sententiam dico.

Succidanea[2] hostia dicebatur, quae secundo loco caedebatur, scilicet[3] sic appellata a succedendo[4].

Suggillatum[5] dicitur ex[6] Graeco, quod ea pars, quae est sub collo[7], *κοῖλον*[8] dicitur.

Sycophantas appellatos hac de causa dicunt. Atticos quondam iuvenes solitos aiunt in hortos irrumpere ficusque[9] deligere. Quam ob causam lege est constitutum, ut[10], qui id fecisset, capite truncaretur; quam poenam qui persequerentur[11] ob parvula[12] detrimenta sycophantas appellatos.

Solcus dictus[13] a Graeco, qui ab illis *ὁλκός*[14] appellatur.

Suasum color[15] appellatur[16], qui fit ex stillicidio fumoso in vestimento albo. Plautus:

Suaso infecisti propudiosa[17] *pallulam*[18].

Sunt[19] qui omnem colorem *suasum* velint appellare, quod quasi persuadetur[20] in alium[21] ex albo transire.

Supercescit, supererit. Ennius:

Dum quidem unus homo[22] *Romae supercescit.*

Sub iugum mitti dicuntur[23] hostes[24], quum duabus hastis in terra defixis tertiaque super legata inermes sub eas coguntur transire[25].

Subices Ennius pro subiectis posuit

Superstites antiquitus appellati sunt testes.

Supervaganea dicebatur ab auguribus avis, quae ex summo cacumine vocem emisisset, dicta ita, quia super[26] omnia vagatur, aut canit.

Supercilia in Iunonis tutela esse putabant, quod his[27] protegantur oculi, per quos luce fruimur, quam tribuere putabant[28] Iunonem, unde et[29] Lucina dicta est.

Suppernati[30] dicuntur, quibus femina sunt succisa in modum suillarum pernarum. Ennius:

His pernas succidit iniqua superbia Poeni.

Supremum[31] modo significat summum, modo extremum, modo maximum.

Subsilles dicebantur quaedam[32] lamellae sacrificiis necessariae.

1) *Sacerda*] Sic B. M. Gu. 2. pr. utroque loco. *Succerda* vulg. — 2) *Succidanea*] *Succidania* B. Gu. 2. pr. — 3) *scilicet*] om. S. — 4) *succed.*] *succid.* L. B. — 5) *Suggill.*] Sic Gu. 2. pr. *Sugill.* L. B. Gu. 1. S. — 6) *ex*] *a* Gu. 1. — 7) *est sub collo*] *sub collo est* L. B. Gu. 1. (in quo reliqua desunt). — 8) *κοῖλον dicitur*] Sic S. *kilon* M. *kylon* Gu. 2. *ab eis dic. κύλον* B. om. *κοῖλον* L. *cilum* vulg. — 9) *ficusque*] Sic L. Gu. 1. 2. *ficosque* vulg. — 10) *ut*] om. L. — 11) *perseq.*] *seq.* L. — 12) *parvula*] *parvola* M. Gu. 2. *parva* L. — 13) *dictus*] *dicitur* L. B. Ceterum *Sulcus* Scal. Dac. Sed codd. cum vulg. *Solcus.* — 14) *ὁλκός*] Sic M. Gu. 2. S. *app. ὅλκος* B. om. L. Gu. 1. pr. *αὔλαξ* vulg. — 15) *color*] *colos* M. S. — 16) *appellatur*] *appellatus* L. Gu. 1. — 17) *propudiosa*] *propudiosam* L. Gu. 1. — 18) *pallulam*] *plaudam* B. *pullam* Gu. 1. — 19) *Sunt*] Praeponit Scal. *Quidam autem legunt in suaso* et postea exhibet *Nec desunt qui.* Secutus est nimirum schedas Festi, quas vide. — 20) *persuadetur*] *persuadentur* L. Gu. 1. pr. — 21) *alium*] *colorem* add. B. — 22) *homo*] om. B. *homo Romae anus* (sic) L. i. e. *Romanus.* — 23) *mitti dic.*] *dic. mitt.* L. — 24) *hostes*] om. L. B. — 25) *cog. transire*] *transire cog.* L. — 26) *super*] *supra* M. — 27) *his*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. *iis* vulg. — 28) *putabant*] *putant* L. — 29) *et*] om. L. — 30) *Suppernati*] Sic Gu. 2. S. *Supern.* vulg. — 31) *Suprem.*] *Supprem.* M. S. — 32) *quaedam*] om. B. — 33) *appellatur*] Sic B. Gu. 2. *appellabatar* vulg. — 34) *qui-*

Sororium tigillum appellatur[33] locus sacer in honorem Iunonis, quem Horatius quidam[34] statuerat causa sororis a se interfectae ob suam expiationem.

Substillum[35] tempus ante pluviam iam[36] paene uvidum[37], et post pluviam non persiccum[38], quod iam stillaret, aut nondum desiisset[39].

Subcudes[40] appellantur tabellae[41], quibus[42] tabulae inter se configuntur[43], quia, quo immittuntur, succiditur. Pacuvius:

Nec ulla subscus[44] cohibet[45] compagem.

Sub corona venundari[46] dicuntur[47] captivi, qui venundabantur coronati. Cato: *Ut populus potius ob rem bene gestam supplicatum eat, quam re male gesta coronatus[48] veneat.*

Sublime[49] est in altitudinem elatum, id autem dicitur a limine superiore, quia supra[50] nos est.

Succenturiare est explendae centuriae gratia supplere. Caecilius:

Nunc meae malitiae astutia opus est succenturia.

Subrumari dicuntur hoedi, quum ad mammam admoventur, quia ea rumis vocatur, vel quia rumine trahunt lacte[51] sugentes.

Subulo Tusce tibicen dicitur.

Subura regio Romae a pago Succusano[52] vocabulum traxit, quod ei vicinum fuit.

Subverbustam verubus ustam significat.

Soboles[53] ab olescendo, id est crescendo dictae, ut adolescentes[54] et adultae[55] et indoles. Lucretius:

Sive virum soboles, sive est muliebris origo.

Subucula et[56] genus libi dicitur ex alica et[57] oleo et melle, et genus vestimenti.

Sub vos placo supplico[58].

Suffiscus folliculus testium arietinorum, quo utebantur pro marsupio a fisci similitudine dictus.

Subactus modo significat[59] mollitus; modo victus[60]; modo compulsus, ut quum dicimus, pecus sub arborem[61] subactum; modo coactus.

Supplicia veteres quaedam sacrificia a supplicando vocabant.

Sufes[62] consul lingua Poenorum. Calidius[63], *senatus*, inquit, *censuit referentibus sufetis*[64].

Sub vitem hastas iacere dicitur veles, quum eas sub manu sursum mittit[65]. Lucilius:

Ut veles bonus sub vitem qui summisit hastas.

Veles autem *velitis* facit[66].

dam] om. L. Gu. 1. — 35) *Substillum*] *Substillium* L. — 36) *iam*] om. pr. — 37) *uvidum*] om. L. B. Gu. 1 pr. — 38) *persiccum*] *siccum* L. — 39) *desiisset*] *desisset* M. *defecisset* B. — 40) *Subscudes*] *Succudes* L. *Subscudae* B. — 41) *tabellae*] om. B. *tabulae* L. — 42) *quibus*] *quae* B. — 43) *configuntur*] Sic B. Gu. 1. 2. S. *confring.* M. *confing.* vulg. — 44) *subscus*] *suscus* B. *succus* L. Gu. 2. — 45) *cohibet*] *prohibet* L. B. — 46) *Sub. cor. ven.*] Sic exhibent glossam codd. et edit. pr. Scal. sua habet e schedis Festi, quas vide. — 47) *ven. dic.*] *dic. ven.* Gu. 1. — 48) *coronatus*] om. L. B. — 49) *Sublime*] *Sublimem* L. B. M. Gu. 1. 2. pr. S. — 50) *supra*] *super* L. B. Gu. 1. pr. — 51) *lacte*] Sic M. Gu. 2. *lac* vulg. — 52) *Succusano*] *Succusanae* B. Gu. 1. (*e pago*) pr. — 53) *Soboles*] *Suboles* M. S. — 54) *adolescentes*] *adolescens* Gu. 1. — 55) *adultae*] *adulta* L. — 56) *et*] add. L. (corrupte *est*) B. M. Gu. 1. 2. pr. — 57) *ex alica et*] *et al. ex ol.* B. pr. *halica* scripsit Scal. — 58) *suppl.*] *pro suppl.* L. — 59) *modo sign.*] *sign. modo* B. — 60) *modo victus*] om. B. — 61) *arborem*] *arbore* L. B. Gu. 1. pr. S. — 62) *Sufes*] *Suffes* L. *Suffetus* B. — 63) *Calidius*] Sic M. Gu. 2. pr. S. *Calvidius* B. *Caecilius* L. Gu. 1. *Claudius* vulg. — 64) *sufetis*] *suffetis* L. B. M. — 65) *mittit*] *summittit* L. — 66) *facit*] *velox et levis armaturae miles est* add. L.

Sub vitem proeliari dicuntur milites, quum sub vinea militari pugnant. Lucilius:

Neque prodire in altum, proeliari procul sub vite[1].

Sub vineam iacere dicuntur milites, quum astantibus centurionibus[2] iacere coguntur sudes.

Supparus[3] vestimentum puellare lineum, quod et subucula[4], id est camisia[5] dicitur. Afranius:

Puella non sum, supparo si induta sum.

Supat iacit, unde *dissipat* disiicit[6], et *obsipat*[7] obiicit[8], et *insipat*, hoc est iniicit[9].

Sutelae dolosae astutiae[10] a similitudine[11] suentium dictae.

Suspectus a[12] suspicor venit et a[13] suspicio.

Suopte suo ipsius, ut *meopte*[14] meo ipsius, *tuopte* tuo ipsius.

Strues[15] genera liborum erant[16], digitorum coniunctorum[17] non[18] dissimilia[19], qui continebantur in transversum superiecta panicula[20].

Struices[21] dicebant omnium rerum instructiones.

Struere antiqui dicebant pro augere, unde *instruere*.

Stroppus, quod Graece *στρόφιον* dicitur[22], pro insigni habebatur[23] in capitibus sacerdotum; alii id coronam esse dixerunt.

Strutheum[24] membrum virile a salacitate passeris[25], qui Graece *στρουθός* dicitur[26], a mimis praecipue appellatur.

Strenam[27] appellabant, quae dabatur die religioso ominis boni gratia, a numero, quo significatur alterum tertiumque venturum similis commodi, veluti trenam, praeposita *s* litera, ut antiquis frequens usus erat.

Strebula lingua Umbrorum appellabant partes carnium sacrificatarum.

Stlata genus navigii latum magis, quam altum, et[28] a latitudine sic appellatum, sed ea consuetudine, qua *stlocum* pro locum et *stlitem* pro litem[29] dicebant[30].

Stlembus gravis, tardus, sicut Lucilius *pedibus*[31] *stlembum* dixit equum pigrum[32] et tardum.

Stipatores corporis custodes, quos antiqui *latrones* vocabant. Stipati enim ferro circumdant corpora regum.

Stipes fustis terrae defixus.

Stritavum antiqui dicebant pro tritavo.

Strigores densarum virium homines.

1) *procul sub vite*] *sub vite procul* L. B. — 2) *astant. cent.*] *cent. astant.* L. B. — 3) *Supparus*] *Supparum* L. B. Gu. 1. pr. — 4) *subucula*] *subula* Gu. 1. pr. — 5) *id est camisia*] om. L. inclusit S. — 6) *disiicit*] *disicit* L. M. Gu. 2. — 7) *obsipat*] *obstat* L. B. M. Gu. 1. 2. *obstipat* pr. — 8) *obiicit*] *obicit* L. B. M. Gu. 1. 2. pr. — 9) *iniicit*] *inicit* M. Gu. 2. pr. — 10) *ast.*] *insidiae astut.* L. — 11) *a sim.*] *ad similitudinem* L. — 12) *a*] *et a* L. M. pr. — 13) *et a*] *a* om. Gu. 1. — 14) *meopte*] addit Gu. 1. haec: *es genera liberorum erant* (lac.) *similia quia continentur in transversum.* Corrupte translata sunt haec ex voce *Strues*. Edit. princeps haec ita exhibet: *es genera librorum erant di* (lac.) *coniunctorum similia qui continentur in transversum* (lac.) *ecta panicula.* — 15) *Strues*] om. glossam L. B., corrupte antecedentibus annexam in Gu. 1. pr. — 16) *erant*] Sic M. Gu. 2. *sunt* vulg. — 17) *coniunctorum*] *coniunctae* Gu. 2. — 18) *non*] om. Gu. 2. — 19) *dissimilia*] *similia* M. Gu. 2. — 20) *qui cont.* etc.] Sic M. Gu. 2. *qui superi. pan. in transv. continentur* vulg. — 21) *Struices*] *Strui* L. B. Gu. 1. *Struitiones* pr. — 22) *quod Graece στροφ. dic.*] Sic Gu. 2. pr. *quod Gr. dic. στροφ.* B. M. S. *στροφ.* om. L. Gu. 1. — 23) *habebatur*] Sic M. Gu. 2. *ponebatur* vulg. — 24) *Strutheum*] Sic scripsi hanc glossam e Gu. 2., quocum plurimum consentiunt reliqui codd. et edit. princ. Scaliger ea edidit, quae sunt in schedis Festi, quas vide. — 25) *passeris*] L. Gu. 1. *asseris.* — 26) *qui — appellatur*] om. L. *στροῦτον* B. om. *στρουθός* L. Gu. 1. — 27) *Strenam*] Sic scripsi hanc glossam e M. Gu. 2., quibuscum plane fere consentiunt B. Gu. 1. pr., nisi quod lacunas exhibent multorum verborum. Nam B. ita exhibet: *renam*

Strigae appellantur[33] ordines rerum inter se continuate[34] collocatarum a stringendo dictae.

Status dies vocatur iudicii[35] causa constitutus.

Satura et cibi genus dicitur ex variis rebus conditum, et lex multis aliis conferta legibus, et genus carminis, ubi de multis rebus disputatur.

Statae matris simulacrum in foro colebatur.

Stalagmium genus ornamenti[36] aurium. Caecilius:

Ex aure eius stalagmium domi habeo.

Stolidus stultus.

Stuprum pro turpitudine antiqui dixerunt, unde est in carmine:

Foede stupreque castigor cottidie[37].

Stura flumen in agro Laurenti est.

Sterilam sterilem.

Stultorum feriae appellabantur Quirinalia, quod eo die sacrificabant[38] hi[39], qui sollemni die aut non potuerunt rem divinam facere, aut ignoraverunt.

Sanqualis avis[40], quae ossifraga dicitur.

Sacrima appellabant mustum, quod Libero[41] sacrificabant pro[42] vineis et vasis et ipso vino conservandis; sicut *praemetium*[43] de spicis, quas primum messuissent, sacrificabant Cereri.

Sacrificulus rex appellatus est, qui[44] ea sacra, quae reges facere assueverant[45], fecisset.

Sacella dicuntur loca diis sacrata[46] sine tecto.

Sacrosanctum dicebatur, quod iureiurando interposito erat institutum, ut, si[47] quis[48] id[49] violasset, morte poenas[50] penderet.

Sacratae leges dicebantur, quibus sanctum[51] erat, ut, si quis adversus[52] eas fecisset, sacer alicui deorum esset cum familia pecuniaque.

Seclusa sacra dicebant, quae Graeci μυστήρια[53] appellabant[54].

Scena sive *sacena* dolabra pontificalis.

Sarissa hasta[55] Macedonica.

Sacer mons trans Anienem fluvium ultra tertium miliarium appellatur, quia Iovi fuerat consecratus.

Sacrani[56] appellati sunt[57] Reate orti[58], qui ex Septimontio Ligures Siculosque exegerunt, dicti Sacrani[59], quod vere sacro sint[60] nati.

appellatur dabatur (lac.) *dicere strena* (lac.) *osce ominis boni* (lac.) *a numero* (lac.) *significatur velut trenam praeposita s litera antiquis frequens usus erat.* Gu. 1. ita: *Strenam appellabant* (lac.) *dabutur dicere* (lac.) *oso* (lac.) *hominis boni a numero significatur alterum* etc. ut in contextis posuimus. Edit. princ. haec: *renam appellabant* (lac.) *dabatur* (lac.) *dicere* (lac.) *oso hominis boni* (lac.) *a* (lac.) *numero* (lac.) *significatur* etc. ut nos scripsimus. Scalig. exprimendas curavit schedas Festi, quas vide. Om. glossam L. — 28) *et*] om. B. — 29) *litem*] *lite* M. — 30) *dicebant*] om. L. — 31) *pedibus*] om. B. — 32) *pigrum*] *pedibus pigr.* B. — 33) *appellantur*] *appellabantur* S. — 34) *continuate*] *coniunctae* L. B. Gu. 1. pr. S. — 35) *causa*] om. B. — 36) *ornamenti*] add. L. B. M. Gu. 1. 2. pr. om. vulg. et Scal. *inaurium.* — 37) *cottidie*] Sic Gu. 2. *quottidie* L. B. M. Gu. 1. pr. *quotidie* vulg. *cotidie* S. — 38) *sacrificabunt*] Sic L. B. Gu. 1. 2. S. *sacrificant* vulg. — 39) *hi*] Sic B. M. Gu. 2. pr. *ii* vulg. — 40) *avis*] *dicitur* add. L. — 41) *Libero*] *patri* add. L. — 42) *pro*] om. B. — 43) *praemetium*] Sic B. M. Gu. 1. 2. *primitium* L. *praemessium* vulg. *praemessum* S. — 44) *qui*] *cum* L. — 45) *assueverant*] *debuerant* L. — 46) *sacrata diis*] *diis sacr.* B. *sacra diis* L. — 47) *si*] om. L. Gu. 1. S. — 48) *quis*] *qui* S. — 49) *id*] om. L. B. Gu. 1. pr. S. — 50) *mort. poen.*] *poen. mort.* B. — 51) *sanctum*] Sic M. Gu. 2. *sancitum* vulg. — 52) *adversus*] *adversum* pr. — 53) μυστήρια] om. Gu. 1. — 54) *appellabant*] Sic M. Gu. 2. *appellant* vulg. — 55) *hasta*] *est hasta* L. — 56) *Sacrani*] *Sacerani* L. B. Gu. 1. pr. *Sacrati* M. — 57) *app. sunt*] *sunt app.* B. — 58) *orti*] *id est genti* add. L. — 59) *Sacrani*] *Sacerani* Gu. 1. pr. — 60) *sint*] *sunt* Gu. 1.

Sagmina dicebant herbas verbenas[1], quia ex[2] loco sancto arcebantur legatis proficiscentibus ad foedus faciendum bellumque indicendum, vel a sanciendo, id est confirmando. Naevius:

Scapos[3] atque verbenas sagmina sumpserunt.

Sagaces appellantur sollertis acuminis, unde etiam[4] canes indagatores sagaces sunt appellati.

Saga quoque dicitur mulier perita sacrorum[5], et vir sapiens, producta prima syllaba propter ambiguitatem evitandam.

Sarpta vinea[6] putata, id est pura facta, unde et virgulae abscisae[7] sarmenta.

Sarpere enim antiqui pro purgare ponebant[8].

Sarte ponebant pro integre. Ob quam causam opera publica, quae locantur, ut integra praestentur, sarta tecta vocantur[9]. Etenim *sarcire* est integrum facere.

Sarra Epiros insula[10].

Sardare intelligere[11]. Naevius:

Quod bruti nec satis sardare queunt.

Sarcito damnum solvito.

Sargus piscis genus in mari Aegyptio.

Sateurnus[12] Saturnus.

Sas suas. Ennius:

Virgines nam sibi[13] quisque domi Romanus habet sas.

Sam eam. Idem[14] Ennius:

Nec[15] quisquam philosophiam
Insomnis vidit prius, quam sam discere coepit[16].

Sapsa ipsa. Idem Ennius:

Quo res sapsa loco sese ostentat.

Scaeva res dicitur mala, quasi sinistra; σκαιόν[17] enim Graece sinistrum dicitur.

Saperda genus pessimi piscis.

Sandaraca coloris genus[18]. Naevius:

Merula sandaracino ore[19].

Sambuca[20] organi genus, a quo sambucistriae[21] dicuntur. Machina quoque, qua urbs expugnatur, similiter vocatur. Nam ut in organo chordae, sic in machina intenduntur funes.

Samnites ab hastis appellati sunt, quas Graeci σαύνια[22] appellant[23]; has enim ferre assueti erant; sive a collo Samnio, ubi ex Sabinis adventantes consederunt.

Salaria via Romae est appellata, quia per eam Sabini sal a mari[24] deferebant.

1) *verbenas*] *que* add L. — 2) *quia ex*] *quae* om. *ex* L. — 3) *Scapos*] *Scapus* Gu. 2. *Scabos* L. B. M. Gu. 1. pr. S. — 4) *unde etiam*] *ut etiam* pr. *etiam* om. Gu. 1. *et* L. — 5) *perita sacr.*] *sacror. per.* B. — 6) *vinea*] *vineta* S. — 7) *abscisae*] Sic L. B. M. Gu. 2. *abscissae* vulg. — 8) *ponebant*] *dicebant* S. — 9) *vocantur*] *dicuntur* Gu. 1. — 10) *Sarra Epiros insula*] Sic B. M. Gu. 1. 2. pr. *Sarra pilos insula.* Bis haec glossa est in vulg. Sed cfr. A. Gell. XIV, 6. — 11) *intell.*] *est intell.* L. — 12) *Sateurnus*] Hanc glossam exhibent codd. L. B. M. Gu. 1. 2. pr. Omisit Scal. et vulg. *Satrurnus* L. B. *Satsrinius* Gu. 1. Quod scripsimus est e Gu. 2. M. pr. — 13) *sibi*] om. B. *sibiq;* (sic) M. — 14) *Idem*] *idemque* Gu. 1. *id est* pr. — 15) *Nec*] *ne* B. M. Gu. 1. 2. pr. Unde haud dubie *nec* legendum est, ut exhibent schedae Festi. Scal. scripsit *neque.* — 16) *coepit*] *coeperit* B. — 17) σκαιόν] om. L. Gu. 1. pr. — 18) *col. gen.*] Sic Gu. 2. *gen. col.* vulg. — 19) *ore*] Sic L. M. Gu. 2. pr. S. *colore* vulg. — 20) *Sambuca*] *Sabina* L. *Sambina* B. Gu. 1. *Sambila* M. Gu. 2. — 21) *sambuc.*] *sambiste* L. *sambic.* B. M. Gu. 1. 2. — 22) σαύνια] Sic Dac. *saypia* Gu. 2. σαίνια M. Scal. et vulg. *Graeci app.* σαυρίμνα B. om. L. Gu. 1. pr. — 23) *appellant*] *appellabant* M. — 24) *a*] om. L. — 25)

Salaciam dicebant deam aquae, quam putabant salum ciere, hoc est mare movere. Unde Ovidius:

Nymphaeque salaces;

quo vocabulo poetae pro aqua usi sunt[25]. Pacuvius:

Hinc saevitiam salaciae fugimus.

Salutaris porta appellata est ab aede Salutis, quae ei proxima fuit.

Spondere putatur dictum, quod sponte sua, id est voluntate promittatur.

Salentini a sale[26] sunt appellati.

Seculares ludi apud Romanos post centum annos fiebant, quia seculum centum annos extendi existimabant.

Scutilum tenue et macrum et in quo tantum exilis pellicula cernitur.

Squalidum incultum et sordidum, quod proxime similitudinem habeat[27] squamae piscium, sic appellatum.

Squarrosi ab eadem[28] squamarum similitudine dicti, quorum cutis exsurgit[29] ob assiduam illuviem. Lucilius:

Varonum[30] *ac rupicum*[31] *squarrosa incondita rostra.*

Schoeniculae appellantur meretrices propter usum unguenti[32] schoeni, quod est pessimi generis.

Scorta appellantur meretrices, quia ut pelliculae subiguntur[33]. Omnia namque ex pellibus facta scortea appellantur.

Scortes, id est pelles testium arietinorum[34] ab eisdem pellibus dicti[35].

Scandulaca genus herbae frugibus inimica[36], quod eas[37] velut edera implicando necat.

Scaptensula locus, ubi argentum effoditur in Macedonia, dictus a fodiendo. Namque Graece[38] σκάπτειν[39] fodere[40] dicitur. Lucretius:

Quales exspiret[41] *scaptensula subter odores.*

Spara parvissimi[42] generis iacula a spargendo dicta. Lucilius:

Tum spara, tum murices portantur tragula porro.

Spira[43] dicitur et basis columnae unius tori aut duorum, et genus operis pistorii[44] et funis nauticus ab eadem omnes[45] similitudine. Ennius vero hominum multitudinem *spiram* vocavit.

Spectu[46] sine praepositione Pacuvius posuit[47].

Spetile[48] caro quaedam proprii cuiusdam habitus infra umbilicum suis.

Spicit[49] quoque sine praepositione dixerunt antiqui.

Spirillum barba caprae appellatur.

poetae — usi sunt] *poeta — utitur* B. — 26) *sale*] Sic Gu. 2. *salo* vulg. *solo* Gu. 1. — 27) *habeat*] *habet* L. — 28) *eadem*] *earum* B. — 29) *exsurgit*] Sic L. M. Gu. 1. 2. pr. S. *exturget* vulg. — 30) *Varonum*] *Varronum* L. B. S. — 31) *rupicum*] *nuxicum* L. *rapicum* M. Gu. 1. 2. pr. — 32) *unguenti usum*] *unguentum* pro utroque voc. Gu. 1. — 33) *subiguntur*] Sic M. Gu. 2. *subigantur* vulg. — 34) *arietinorum*] *arietum* B. — 35) *dicti*] *dictae* L. M. S. — 36) *inimica*] Sic L. B. Gu. 2. pr. *inimicae* M. S. *inimicum* vulg. — 37) *eas*] *eis* L. — 38) *Namq. Gr.*] Sic L. M. Gu. 2. *Gr. namque* B. Gu. 1. pr. et vulg. — 39) σκάπτειν] om. L. Gu. 1. σκαπειν B. — 40) *fodere*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. *effodere* vulg. — 41) *exspiret*] *expirat* L. — 42) *parvissimi*] Sic M. Gu. 2. *minimi* vulg. ex correctione. Nam *parvissimi* est etiam in schedis Festi, unde locum sic laudat Ruddim. Instt. Ling. Lat. T. I. p. 173. not. 28. — 43) *Spira*] Sic glossam exhibent codd. et edit. princ. Scalig. exscripsit schedas Festi. — 44) *operis pist.*] *pist. op.* pr. — 45) *omnes*] om. B. — 46) *Spectu*] *Specto* L. B. M. Gu. 1. 2. pr. — 47) *Pacuv. pos.*] *pos. Pac.* L. — 48) *Spetile*] *Specile* pr. et. B. in marg. qui in textu exhibet *Spicillae*. — 49) *Spicit*] om. glossam L. Gu. 1. Schedas Festi expressit S.

Spintirnix[1] genus avis turpis figurae; ea Graece dicitur *σπινθαρίς*[2].

Scraptae[3] nugatoriae ac despiciendae mulieres.

Scrutillus[4] venter suillus[5] condito farre expletus.

Spinter[6] armillae genus, quo mulieres utebantur brachio summo sinistro.

Scrupi dicuntur aspera saxa et difficilia attrectatu[7], unde scrupulosam rem dicimus, quae aliquid in se habet asperi.

Scrautum[8] pelliceum, in quo sagittae reconduntur[9], appellatum ab eadem causa, qua scortum. *Σκύτος*[10] enim Graece pellis dicitur[11], unde[12] scuticae[13] et scuta, quia non sine pellibus sunt.

Sceleratus campus appellatur proxime portam Collinam[14], in quo virgines Vestales, quae incestum fecerunt[15], defossae[16] sunt.

Sceleratus[17] *vicus* Romae appellatur, quod, quum Tarquinius Superbus interficiendum curasset Servium[18] regem, socerum suum, corpus eius iacens filia carpento supervecta[19] sit, properans in possessionem domus paternae.

Scelerata porta, quae et Carmentalis dicitur, vocata, quod per eam sex et trecenti Fabii[20] cum clientium[21] millibus quinque egressi adversus Etruscos ad amnem Cremeram omnes sunt interfecti[22].

Schedia genus navigii inconditum, id est[23] trabibus tantum inter se nexis[24], unde mala poemata schedia appellantur.

Sexus natura vel habitus ex Graeco *ἕξις*[25] vocatur.

Simpludiarea[26] funera, quibus ludos adhibebant.

Sestertius dicitur quarta pars denarii, quo tempore is decussis valebat, id est[27] dupondius.

Sex millium et ducentorum hominum[28] legionem primus Gaius[29] Marius conscripsit[30], quum antea[31] quatuor millium fuisset, unde etiam[32] quadrata appellabatur[33].

Sibus callidus sive[34] acutus.

Sed pro *sine* inveniuntur[35] posuisse antiqui.

Sybinam[36] appellant[37] Illyrii[38] telum venabuli simile. Ennius:

Illyrii restant sicis sybinisque[39] *fodentes.*

Sediculum sedile.

Sudiculum[40] genus flagelli dictum, quod vapulantes sudantes[41] facit.

1) *Spintirnix*] Sic B. M. Gu. 2. *Spintyrnix* S. *Spintirnis* pr. *Spynturnix* L. *Spinturnix* vulg. — 2) *ea Gr. dic. σπινθαρίς*] Sic B. Gu. 2. *ea Gr. dicitur, ut ait Santra σπινθαρίς* M. om. Graecum L. (a verbis *ea Gr.* — *σπινθ.*) Gu. 1. pr. — 3) *Scraptae*] *Sartae* L. B. M. Gu. 1. 2. — 4) *Scrutillus*] Sic L. Gu. 2. Dac. *Serubillus* B. *Sortutillus* Gu. 1. S. *Sartutillus* pr. om. M. — 5) *suillus*] *suille* Gu. 1. pr. — 6) *Spinter*] *Spinther* S. — 7) *attrectatu*] *tractatu* B. — 8) *Scrautum*] *Soranteum* L. *Scrantrum* B. *Scrateum* Gu. 1. *Scranteum* pr. *Scorteum* S. At vide Dacer. — 9) *reconduntur*] *reponuntur* B. — 10) *Σκύτος*] om. L. Gu. 1. *σκῦθος* B. — 11) *dicitur*] *est* B. — 12) *unde*] *enim* add. B. — 13) *scut.*] *et scut.* L. *scyticae alias syticae* B. *scytice* M. — 14) *proxime portam Coll.*] *proximus portae collinae* B. — 15) *fecerunt*] *fecerant* B. — 16) *defossae*] *vivae def.* L. B. S. — 17) *Sceleratus*] Videtur hanc glossam M. omittere, nam nihil commemorat Cramerus V. Cl. is qui hunc cod. contulit. — 18) *Servium*] *Tullium* add. L. *Servilium* B. — 19) *supervecta*] *subvecta* B. pr. — 20) *Fabii*] *Favii* M. Gu. 2. — 21) *clientium*] *clientibus* L. B. Gu. 1. — 22) *omnes sunt int.*] *interf. sunt omn.* B. — 23) *id est*] om. B. — 24) *nexis*] *factum* add. vulg., sed om. Gu. 2. recte. — 25) *ἕξις*] *exin* B. Gu. 2. M. *hexin* pr. *Sexus naturae ex graeco vel habitus exin vocatur* M. — 26) *Simpludiarea*] Sic Gu. 2. S. *Simpludearia* L. *Simpludeara* B. *Simpludearea* L. — 27) *id est*] om. L. B., qui exhibet *epondius*. — 28) *hominum*] om. B. *primus C. Mar. leg.* hoc ord. vulg. Nos secuti sumus Gu. 2. — 29) *Gaius*] Sic M. Gu. 2. *C.* vulgo. — 30) *conscripsit*] *descripsit* L. Gu. 1. pr. *instituit* B. — 31) *antea*] *a natura* Gu. 1. — 32) *unde etiam*] *et*

Sectarius vervex[42], qui gregem agnorum praecedens ducit.
Secespitam alii securim, alii dolabram aeneam, alii cultellum esse[43] putant.
Sicilicum[44] dictum, quod semunciam secet.
Secessiones narrationes.
Sicilices[45] hastarum spicula lata. Ennius:

Incedit veles vulgo sicilicibus latis.

Sectio persecutio iuris.
Secundae res non a numero dicuntur, sed quia, ut velimus, sequantur.
Sinciniam cantionem[46] solitariam.
Sectores et qui secant dicuntur et qui empta sua persequuntur[47].
Sicyonia genus calciamenti. Lucilius:

Et pedibus laeva sicyonia demit honesta.

Simultas id est[48] odium[49] dicta ex contrario, quia minime sint[50] simul; potest et a simulatione dicta existimari, quia simulata[51] loquuntur ad invicem.
Sementivae[52] feriae fuerant institutae, quasi ex iis[53] fruges[54] grandescere possint.
Simpulum vas parvulum[55] non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libabatur[56]; unde et mulieres rebus divinis deditae simpulatrices dicuntur[57].
Senaculum locus senatorum.
Sentinare satagere, dictum a sentina navis, quam quis, ut aqua liberet, evacuare contendit; itaque *sentinare* est[58] subtiliter periculum vitare. Caecilius:

Capit consilium, postquam sentinat satis.

Sentes spinae. Afranius:

Quam[59] *senticosa verba pertorquet turba!*

hoc est spinosa[60].
Scensas[61] Sabini coenas dicebant. Quae autem nunc prandia sunt, coenas[62] dicebant, et pro coenis vespernas appellabant.
Segnitia dicitur, quod sit[63] sine nitendo quid[64] utile aut honestum. Terentius:

Enimvero, Dave, nihil loci est[65] *segnitiae neque socordiae*[66].

Signare significat modo scribere, modo annulo signa[67] imprimere[68], modo pecora signis notare.

unde etiam B. — 33) *quadr. app.*] Sic Gu. 2. *app. q.* vulg. — 34) *sive*] Sic Gu. 2. *vel* vulg. — 35) *inveniuntur — antiqui*] *invenitur — antiquos* B. — 36) *Sybinam*] *Subinam* L. *Sibinam* B. pr. *Sabinam* Gu. 1. — 37) *appellant*] *appellabant* L. — 38) *Illyrii*] *Illyrici* L. B. (qui idem mox ita exhibet) S. — 39) *syb.*] *sibin.* M. *sab.* Gu. 1. — 40) *Sudiculum*] Sic L. S. *Seduculum* M. Gu. 1. 2. pr. *Sediculam* B. Vitium ortum est e praecedente glossa, in qua est e cod. Lips. *Sediculam sedile dixerunt a sedendo. Sedienculam* ibidem exhibent B. pr. — 41) *sudantes*] *sudare* L. — 42) *vervex*] *verbix* M. *verbex* Gu. 2. — 43) *esse*] add. Gu. 2. M. — 44) *Sicilicum*] *Silicum* B. M. Gu. 2. pr. *Stlicum* Gu. 1. — 45) *Sicilices*] *Silices* B. M. iidem codd. mox *sicilibus*, quod mutavi in *sicilicibus*. — 46) *cantionem*] *cantationem* B. — 47) *persequuntur*] *persecuntur* M. Gu. 1. pr. — 48) *id est*] om. B. — 49) *odium*] *latens* add. L. — 50) *sint*] *sunt* pr. om. B. — 51) *simulata*] *simulate* S. — 52) *Sementivae*] Sic M. Gu. 2. *Sementinae* vulg. — 53) *iis*] *his* B. Gu. 2. pr. *is* M. — 54) *fruges*] *glandes* add. B. — 55) *parvulum*] Sic M. Gu. 2. *parvum* vulg. — 56) *libabatur*] *libatur* B. — 57) *simp. dic.*] *dic. simp.* L. *dicuntur* om. M. — 58) *est*] add. M. Gu. 2. om. vulg. — 59) *Quam*] om. B. — 60) *hoc est spinosa*] add. Gu. 2. — 61) *Scensas*] Sic M. Gu. 2. S. *Scenas* vulg. — 62) *coenas dicebant*] L. B. M. Gu. 1. 2. *habebant* vulg. — 63) *sit*] om. L. Gu. 1. S. *quod sine incendio sit* B. — 64) *quid*] om. L. Gu. 1. pr. — 65) *loci*] om. vulg. Exhibent autem codd. et ed. pr. — 66) *soc.*] *sec.* L. — 67) *signa*] *significat* B. — 68) *imprimere*] Sic L. B. Gu. 1. 2. pr. *premere* vulg.

Septimontium appellabant diem festum, quod in septem locis faciebant[1] sacrificium, Palatio, Velia, Fagutali, Subura[2], Cermalo, Oppio[3] et Cispio.

Siparium genus veli mimicum[4].

Seliquastra[5] genus sedilium.

Silus[6] appellatur naso sursum versus et repandus, unde galeae quoque a similitudine silae dictae sunt.

Serilla navigia Istrica, quae lino ac[7] sparto condensantur, a conserendo et contexendo dicta.

Sultis si vultis. Ennius:

Pandite sulti' genas et corde relinquite somnum.

Serius[8] Accius a *sero* comparavit, ait enim:

Ne, si forte paulo, quam tu, veniam serius.

Spondere ponebatur pro dicere, unde et *respondere* adhuc manet, sed postea usurpari coeptum est in promissu[9].

Subditus iudex dicitur[10], qui loco mortui datur iis, qui eum habuerant[11] iudicem in aliqua re vel lite.

Scaptia tribus a nomine urbis Scaptiae appellatur[12].

Sabatina a lacu Sabate[13] dicta[14].

Sabini a cultura[15] deorum dicti, id est ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι[16].

Silere tacere significat, ficto verbo[17] ab[18] *s* litera, quae initium et nota silentii[19] est.

Sanqualis porta appellatur proxima aedi Sanci[20].

Stiricidium quasi stillicidium[21], quum stillae concretae frigore cadunt. Stiria enim principale[22] est, stilla diminutivum.

Servorum dies festus erat Idibus Augusti, quod eo die rex Tullius, filius ancillae, aedem Dianae dedicavit[23].

Sacramentum dicitur, quod iurisiurandi[24] sacratione interposita geritur.

Sirempse dicitur quasi similis[25] res ipsa. Habetur hoc[26] in libris Catonis.

Spatiatorem pro erratorem[27] Cato posuit.

Stata[28] dicebantur sacrificia, quae certis diebus fiebant[29]. Cato: *sacra stata, sollemnia, sancta deseruisti.*

Sollemnia[30] sacra dicuntur, quae certis temporibus fiebant.

1) *faciebant*] *fiebat* B. — 2) *Subura*] *Sabura* L. B. *Sabina* pr. — 3) *Oppio*] *Celio Opio* L. B. *Celioppio* pr. — 4) *mimicum*] *minutum* L. B. Atque ita fortasse scribendum. — 5) *Seliq.*] *Siliq.* L. — 6) *Silus*] Nos glossam dedimus e codd. et edit. pr. Scal. sequitur schedas Festi. — 7) *ac*] *et* B. — 8) *Serius*] om. glossam L. — 9) *promissu*] Sic M. Gu. 2. pr. *promissum* L. *promisso* B. Gu. 1. S. — 10) *iudex dic.*] Sic Gu. 2. *dic. iud.* vulg. — 11) *habuerant*] *habuerint* B. — 12) *appellatur*] *appellantur* L., qui add.: *quae est in Campania.* — 13) *Sabate*] *Sabata* M. — 14) *dicta*] *tribus* add. L. — 15) *cultura*] *cultu* L. — 16) ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι] Sic S. M. Gu. 2. om. Gu. 1. B., qui in marg. exhibet σεβεσθαι. *Sevini* L. *apo tu sebein* pr. ut vulg. — 17) *ficto verb.*] *verb. fict.* B. — 18) *ab*] *a* M. — 19) *quae in* etc.] Sic vulg. *quae est nota silentii* L. S. *nota silentium* (sic) B. Gu. 1. pr. *nota silentii est.* — 20) *aedi Sanci*] Sic scripsi ex optimorum codd. vestigiis, quorum M. habet *aedis sancis;* Gu. 2. *aedis anciis.* Scal. in marg. e cod. notat *aedi sangi.* Vide Dacer. *aedibus Anci* L. B. S. *aedis Anci* vulg. *aedis Ancii regis* L. om. L. Gu. 1. — 21) *stillicid.*] *stilicid.* B. Gu. 1. — 22) *principale*] *principalis* L. B., qui om. *est.* — 23) *aedem Dianae dedicavit*] Sic Gu. 2. *aedem Dianae*, omisso verbo M. *aedem dedicavit Dianae* B. *natus est* pro his exhibent L. Gu. 1. pr. S. — 24) *iurisiurandi*] Sic Gu. 2. S. *iusiur.* vulg. — 25) *similis*] *similiter* L. B. — 26) *hoc*] om. pr. — 27) *erratorem*] *erratore* B. — 28) *Stata* etc.] om. glossam Gu. 1. — 29) *fiebant*] *fiant* M. — 30) *Sollemnia*] om. glossam Gu. 1. — 31) *proeliari di-*

Serra proeliari dicitur[31], quum assidue acceditur recediturque, neque ullo consistitur tempore[32].

Sacramentum aes significat, quod poenae nomine penditur.

Scholae dictae sunt ex Graeco[33] σχολή, a vacatione, quod ceteris rebus omissis vacare liberalibus studiis pueri debent.

Silatum antiqui pro eo, quod nunc ientaculum dicimus, appellabant, quia ieiuni vinum sili conditum ante meridiem[34] absorbebant.

Struppi vocabantur[35] in pulvinaribus fasciculi de verbenis facti, qui pro deorum capitibus ponebantur.

Secespita cultrum ferreum ob longum manubrio eburneo, rotundo, solido, vincto ad capulum argento auroque[36] fixum[37], clavis aeneis, aere[38] Cyprio, quo Flamines, Flaminicae[39] virgines pontificesque ad sacrificia utebantur. Dicta autem est secespita a secando.

Secivum[40] *libum* est, quod secespita secatur[41].

Suffimenta dicebant, quae faciebant ex faba milioque molito[42] mulso sparso. Ea diis eo tempore dabantur, quo uvae calcatae prelo premebantur.

Serpsit antiqui pro serpserit usi sunt[43]. Inde serpulae dictae, quas nunc serpentes dicimus ex Graeco, quia[44] illi ἑρπετά, nos pro aspiratione[45] eorum *s* litera posita, ut ἕξ sex[46], ἑπτά septem[47].

Suffibulum vestimentum album, praetextum, quadrangulum, oblongum[48], quod in capite Vestales virgines[49] sacrificantes habebant, idque[50] fibula comprehendebatur.

Summanalia liba farinacea[51] in modum rotae ficta[52].

Sanates[53] dicti sunt, qui supra infraque Romam habitaverunt; quod nomen ideo his est[54] inditum[55], quia[56], quum defecissent a Romanis, brevi post in amicitiam quasi sanata mente redierunt.

Sex Vestae sacerdotes constitutae erant[57], ut populus pro sua quisque parte haberet[58] ministram sacrorum, quia civitas Romana in sex erat[59] distributa partes: in primos secundosque[60] Titienses[61], Ramnes[62], Luceres.

Sublucare arbores est ramos earum supputare, et veluti subtus lucem mittere; *conlucare*[63] autem succisis arboribus locum luce implere[64].

Spurcum vinum dicebant[65], quum aqua admixta, aut igne tactum erat, mustumve[66], antequam defervescat.

citur] *proelia dicuntur* B. Gu. 2. — 32) *cons. temp.*] *temp. cons.* L. B. M. pr. — 33) *Graeco* σχολή] Sic B. σχολάζω vulg., unde edit. princ. omissa Graeca voce exhibet *vaco*. Sed om Graecum L. M. Gu. 1. 2. — 34) *meridiem*] *diem* B. — 35) *vocabantur*] *appellabantur* Gu. 1. — 36) *argento auroque*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. *auro argentoque* vulg. — 37) *fixum*] *fixo* L. pr. S. *fixa* Gu. 1. — 38) *aere*] *ex aere* B. — 39) *flaminicae*] *flaminiceque* L. — 40) *Secivum*] *Secium* L. B. Gu. 1. S. — 41) *secatur*] *secabatur* L. B. Gu. 1. — 42) *molito*] *mollito* pr. S. — 43) *usi sunt*] *ponebant* B. — 44) *quia*] Sic M. Gu. 2. *quod* vulg. — 45) *pro asp.*] *per aspirationem* Gu. 1. — 46) ἕξ *sex*] *sex* ἕξ B. om. ἕξ Gu. 1. *hex* pr. *sex* om. pr. — 47) ἑπτά *septem*] *septem* om. M. pr. et exhibet *hepta*. ἑπτά om. Gu. 1. *ex Gr. sept.* om. L. — 48) *oblong.*] *long.* L. — 49) *virgines*] om. L. — 50) *idque*] *id quod* Gu. 1. — 51) *farinacea*] *farinacia* pr. — 52) *ficta*] om. Gu. 1. — 53) *Sanates*] Sic glossam exhibent codd. et edit. princ. Scalig. dedit, quae sunt in schedis Festi. 54) *his est*] *est iis* B. *iis* om. Gu. 1. — 55) *inditum*] *indictum* L. pr. — 56) *quia*] Sic M. Gu. 1. 2. pr. *qui* vulg. — 57) *erant*] *fuerant* B. *sunt* S. — 58) *parte haberet*] *haberet parte* L. — 59) *erat*] *est* S. — 60) *secundosque*] *secundos ac tertios* L. — 61) *Titienses*] *Titinenses* B. *Tatienses* L. — 62) *Ramnes*] *Ramnenses* B. — 63) *conlucare*] *collucare* B. Gu. 1. — 64) *luce implere*] Sic L. B. M. Gu. 1. 2. pr. *impl. luce* vulg. — 65) *dicebant*] om. L. — 66) *mustumve*] *mustumque* Gu. 1.

Sacrificium, quod fiebat Romae in monte Palatino[1], *Palatuar* dicebatur[2].

Sistere fana quum dicerent[3], significabatur[4] lectisternia certis in fano locis componere.

Serpula[5] *serpserit* quum legitur apud Messalam significat serpens irrepserit.

Solino intelligitur consulo.

Stipatores, id est custodes cuiusque[6] corporis, dicti sunt a *stipe*, quam accipiebant mercedis nomine.

Solicitare[7] est solo citare, id est ex suo loco[8] movere. Solum autem quin significet locum, quis dubitet[9], quum exsules quoque dicantur loco patriae suae pulsi?

LIBER XVIII.

Terentum[10] locus[11] in campo Martio dictus, quod eo loco ara Ditis patris terra[12] occultaretur.

Taurii[13] appellabantur[14] ludi in honorem deorum inferorum facti. Instituti autem videntur hac de causa. Regnante Superbo Tarquinio[15] quum magna incidisset pestilentia in mulieres gravidas, quae fuerat facta ex carne diu vendita[16] populo taurorum, ob hoc diis inferis[17] instituti[18] et Taurii[19] vocati sunt.

Talassionem in nuptiis Varro ait signum esse lanificii[20]. Talassionem enim[21] vocabant quasillum[22], qui alio modo vocatur[23] calathus, vas utique ipsis[24] lanificiis[25] aptum.

Tauras vaccas steriles dici existimatur[26] hac de causa, quod non magis pariant, quam tauri[27].

Todi genus avium parvarum. Plautus:

Cum extortis talis, cum todillis[28] crusculis.

Tibilustria[29] dies appellabant[30], in quibus agna[31] tubas lustrabant.

Tuditantes significat[32] negotium tundentes[33], id est agentes. Lucretius:

Nec tuditantia rem cessant extrinsecus ullam.

Ego pernam, sumen sueres, spectile, galium*, glandia. *f. callum

Spicit[6] quoque sine praepositione dixerunt antiqui. Plautus:

Flagitium est, si nihil mittetur, quae superclio* spicit; *f. supercilio

et spexit, Ennius. l. VI.:

Quos ubi rex . . . ulo spexit de contibus* celsis. *f. montibus

Spirillum vocari ait Opilius Aurelius caprae barbam. Spintyrnix est avis genus turpis || figurae: occursatrix artificum, perdita spinturnix; ea Graece [141] dicitur (ut ait Santra) *ΣΠΙΝΘΑΡΙΣ*. Spicum masculine antiqui dicebant, ut hunc stirpem et hanc amnem. versus est antiquus:

Quasi messor per messim ununquemque spicum collegit.

Speres antiqui pluraliter dicebant, ut Ennius l. II.:

Et simul effugit speres ita funditus nostras.

et l. XVI.:

Spero, si speres quicquam prodesse potis sunt.

Spectio in auguralibus ponitur pro aspectione; et nuntiatio quia* omne ius sacrorum habent. Auguribus spectio dumtaxat, quorum consilio rem gererent magistratus, non ut possent impedire nuntiando, quae cum vidissent satis. spectio sine nuntiatione data est, ut ipsi auspicio rem gererent, non ut alios impedirent nuntiando. Scripturarius *f. iis, qui

adduxisse pro scorto pelliculam. ex his verbis manifestum est, pro *delicularum*, corrupto verbo, scribendum esse *pelliculam*. *Urs.* — 3) *Scaptensula.*] *Σκαπτὴ ὕλη.* Graecis, in qua Thucydides historiam scripsit, cum ibi exularet. *Urs.* — 4) *Spetile.*] Varro (lib. X, 548 Sp.): Sueris a nominativo *suis*. *Urs.* — 5) *Sic meminit* Ven. Scal. — 6) *Spicit.*] Ennii versum Pomponius Laetus ita legebat: Quos ubi rex ultro spexit de montibus celsis. in exemplari certe est: *Quos ubi rex . . . . ulo spexit de contibus celsis:* ut *sedulo*, vel *paulo*, legendum

ager publicus appellatur, in quo ut pecora pascantur, certum aes est. quia publicanus scribendo conficit rationem cum pastore. Scribas proprio nomine antiqui, et librarios, et poetas vocabant. at nunc dicuntur scribae quidem librarii, qui rationes publicas scribunt in tabulis. itaque cum Livius Andronicus bello Punico secundo scribsisset carmen, quod a virginibus est cantatum, quia prosperius resp. populi R. geri coepta est, publice
f. ei adtributa est et in Aventino aedis Minervae, in qua liceret scribis, histrionibusque consi-
f. is stere, ac dona ponere in honorem Livii quia his, et scribebat fabulas, et agebat. Scra-
*f. Verrius, **f. iis ptae[1] dicebantur nugatoriae ac despiciendae mulieres, ut ait unus*, ab his** quae screa iidem appellabant, id est quae quis excreare solet, quatenus id faciendo se purgaret. Titinius in Prilla:

Rectius mecastor Piculetae Postumae
lectum hodie stra || tum vidi scrattiae[2] mulie*ris*. [142]

Scrutillus[3] *appel*labatur venter suillus, co*ndito farre expletus.* Plautus: venter
*f. suillus. **f. scrutillum. sullus*, *dicam suo nomine scri*nillum**. ego me hodie . . . *siquid esset, quod com*esa farte biberem . . . . Spinther vocabatur *armillae genus*, *quod mulie*res antiquae gere*re solebant brachio summo* sinistro. Plautus: Iu*beasque spinther novum* reconcinnarier. *Scrupi*[4] *dicuntur aspera* saxa, et difficili*a. petrae etiam attrectar*i insuetae, aut *naufragiorum pollutae sce*lere. Ennius in An*dromacha:*

*f. saxo, atque ostreis. *Scrupeo inves*tita saxa atque hos*treis**, *quam excaprent.*

Unde scrupulosam *rem dicimus quae aliquid habet* in se asperi. Corne*lius Sisenna. hist. libro* IIII.: his tum iniect*us est levis scrupulus*, et quaedam dubitatio. *Scorteum ab eadem causa*, *qua scor*tum vocabatur *pelliceum*, *in quo sagittae* reconduntur, ab eo *quod ex pellibus factum est* quia pellibus nomen a σκῦτος *quod Graece pellis. Unde* scyticae, et scuta, *quia non sine pellibus sunt.*

Sceleratus campus ap*pellatur prope portam Co*llinam, in quo virgines *Vestales*, *quae incestum* fecerunt, defossae sunt v*ivae*. *Scribonianum*[5] *ap*pellatur an-
f. ante tea atria *puteal*, *quod fecit Scri*bonius, cui negotium da*tum a Senatu fuerat*, *ut* con-
f. coinqueret, quirerer sacella att*actu. isque illud pro*curavit, quia in eo loco *attactum fulgure* sacellum fuit. quod ign*oraretur autem*, *ubi esset* (ut quidam) fulgur conditum, *quod cum scitur*, *ne*fas est integi, semper foramin*e ibi aper*to caelum patet. Sceleratus[6] vi*cus appellatur*, quod cum Tarquinius Superbus interfici*endum cura*sset Ser. Tullium regem soce*rum suum*, *corpus* || *eius iacens filia car*pento supervecta est, pro- [143] *perans in possessionem* domus paternae. Scele*rata*[7] *porta eadem ap*pellatur a qui-

sit. *Urs.* — 1) *Scraptae.*] Varro lib. 6. de Ling. Lat habet *scrantiae.* — 2) *Scraptiae* Ven. Scal. — 3) *Scrutillus.*] De *sullus*, fecimus *suillus.* et pro corrupto verbo, *iuillum*, emendavimus *Scrutillum.* De verbo *suillus* non est dubitandum, quia in hoc exemplari, l littera, loco i posita saepe reperitur. de *scrutillo* memini me legisse, sed apud quem, non vacat quaerere. *Urs.* — 4) *Scrupi.*] Ennii versus, quem hic citat Festus ex Andromacha, extat apud Nonium in *Scapres.* in exemplari est, *Ennius in An* . . . . . non *Ar* . . . . . unde error fluxit, ut alii scripserint, in *Armorum iudicio*, cum tamen versus sit ex Andromacha. *asperi* item non *aspera* est in eodem exemplari. Quod sequitur exemplum de verbis *scrupulus*, et *scrupulosus*, videtur esse Cornelii Sisennae. *Urs.* — 5) *Scribonianum.*] Hoc ipsum Scribonianum puteal expressum est in argenteo quodam denario familiae Scriboniae, cum inscriptinone PVTEAL. SCRI-

busdam, *quae et Carmentalis* dicitur, quod ei proximum Car*mentae sacellum fuit.*
Scelerata autem, quod per eam *sex et trecenti Fabii* cum clientium millibus *quinque*
egressi adversus Etruscos, ad amnem *Cremerum omnes sunt inter*fecti. qua ex cau*sa*
factum est, *ut ea porta in*trare, egredive *omen habeatur.* Schedia[8] genus navigii
inconditi, *trabibus tantum inter* se connexis fact*i*, *quo mercimonia circum* ferunt post
amissam *navem. Unde schedia us*us quoque poemata *dicit et versus*, *non sat*is perfe-
ctis* qui essent. *appellavit schedium . . . s* cum dixit: Qui schedium fac*it* *f. perfecti
inconditum, *et inelaboratum.* Sexagenarios[9] *de ponte olim deiiciebant*, cu-
ius causam Mani*lius hanc refert*, *quod Romam*, qui incoluerint *primi Aborigines*, *ho*-
minem sexaginta *annorum qui esset*, *immolare* Diti Patri quot*annis soliti fuerint.* quod
facere eos de*stitisse adventu Her*culis. sed religio*ne postea veteris moris s*cirpeas homi-
num e*ffigies de ponte in Tiberim vetere* modo mittere *instituisse. Alii dicunt*, mo-
rante in Italia *Hercule*, *quod quidam ei*us comitum habitav*erint secundum rip*am ha-
beri*, atque Arga*cos se ab Argivis voca*verint arvi**, quorum pro*ditam memori*am re- *f. Tiberis, **f. arvis
dintegrari e*o* gen*te missum ab Grae*ca legatum quendam Arga*eum*, *diu cum* iis Romae
moratum esse. is ut *obierit* institutum esse a sacerdotibus *effigies s*cirpea ex omnibus,
cum quae publicae *erant rei nu*ntiavisset, per flumen, ac mare || in patriam re- [144]
mitteretur. sunt, qui dicant, post urbem a Gallis liberatam, ob inopiam cibatus, coeptos
sexaginta annorum homines iaci in Tiberim, ex quo numero unus, filii pietate occultatus,
saepe profuerit patriae consilio, sub persona filii. id ut sit cognitum, ei iuveni esse igno-
tum, et sexagenariis vita concessa. latebras autem eius* quibus arguerit** senem, id est, *f. eas **f. arcuerit
cohibuerit, et celaverit, sanctitate dignas esse visas, ideoque arcaea† appellata. sed ex- †f. Argaea
ploratissimum illud est causae, quo tempore primum per pontem coeperunt comitiis suf-
fragium ferre, iuniores conclamaverunt, ut de ponte deicerentur sexagenarii, qui iam
nullo publico munere fungerentur, ut ipsi potius sibi, quam illi deligerent imperatorem:
cuius sententiae est etiam Sinnius Capito. vanam autem opinionem de ponte Tiberino,
confirmavit Afranius in Repudiato. Secus* aliter significat sexu, natura, habituque, ex *f. Sexus
Graeco, quam illi vocant ἕξιν. Afranius in Privigno sic agit:* *f. ait

orbus virili sexu adoptavit sibi.

Pacuvius in Atalanta:

Triplicem virili sexu partum procreat.

Simpludiarea[10] funera sunt, quibus adhibentur D. T.* ludi, corbitoresque. quidam *f. duntaxat
ea dixerunt esse, quibus neutrum genus interesset ludorum. nam indictiva sunt, quibus
adhibentur non ludi modo, sed etiam desultores, quae sunt amplissima. Sex suffragia

BONIAN. *ante Atria* emendavimus ex loco simili in Tablinum, in quo est: Qui locus ante Atrium est. Verbum vero *coinquere*, quod in margine notavimus, et *attacta*, hausimus ex ipso antiquitatis fonte. nam in veteribus apud me inscriptionibus Fratrum Arvalium sic habetur: QVOD. AB. ICTV. FVLMINIS. ARBORES. LVCI. SACRI. D. D. ATTACTAE. ARDVERINT. EARVMQVE. ARBORVM. ADOLEFACTARVM. ET. COINQVENDARVM. etc. *Urs.* — 6) *Scelera-tus.*] Vide supra in *Orbius clivus. Urs.* — 7) *Scelerata.*] In exemplari plane est . . . s. i. Carmentalis dicitur. *Urs.* — 8) *Schedia.*] Notum omnibus quid sit apud Graecos *σχεδιάζειν. Urs.* 9) *Sexagenarios.*] Dionysius lib. 1. Antiq. Rom. *Εἴδωλα εἰς μορφὰς ἀνθρώπων εἰκονισμένα τριάκοντα τὸν ἀριθμὸν ἀπὸ τῆς ἱερᾶς γεφύρας βάλλουσιν εἰς τὸ ῥεῦμα τοῦ τιβέριος, ἀργείους αὐτὰ καλοῦντες. Urs.* — 10) *Simpludiarea.*] Vide supra in *Indictivum funus.* notas D. T. *dumtaxat* significare

f. adiectae appellantur in equitum centuriis, quae sunt adfectae ei numero centuriarum, quas Priscus Tarquinius rex constituit.

f. is Sestertius dicitur quarta pars denarii, quo tempore his decussis valebat, id est dupundius, S. || Sinistrae[1] aves, sinistrumque est sinistimum auspi- [145] *f. auspiciorum cium, i. quod sinat fieri. Varro l. V. epistolicarum quaestionum ait: A deorum* sede cum in meridiem spectes, ad sinistra sunt partes mundi exorientes, ad dexteram occidentes; factum arbitror, ut sinistra meliora auspicia, quam dextera esse existimentur. idem fere sentiunt Sinnius Capito, et Cincius. Senti- *f. quia multum aquae nare, satagere, dictum a sentina, quam multae aquae* navis cum recipit, periclitatur. Caecilius in Aethrione:

Cum Mercurio capit consilium, post quam sentinat satis.

Senatores[2] a senectute dici satis constat, quos initio Romulus elegit centum, quorum consilio remp. administraret. itaque etiam Patres appellati sunt et nunc cum senatores ad- *f. ii esse iubentur, quibusque in senatu sententiam dicere licet. quia hi*, qui post lustrum conditum ex iunioribus magistratum ceperunt, et in senatu sententiam dicunt, et non vocantur Senatores ante, quam in senioribus sunt censi. Senatus decretum a consulto Aelius Gallus sic distinguit, ut id dicat particulam quandam esse senatus consulti, ut cum provincia alicui decernitur, quod tamen ipsum senatus consulti est. Senis crinibus nu- *f. is bentes ornantur, quod his* ornatus vetustissimus fuit. quidam quod eo Vestales virgines *f. spondeant ornentur, quarum castitatem viris suis sponoe* . . . . a ceteris. Sentes, cum constet esse spinas, et Afranius in Abducta dixerit:

f. lupa. Quam senticosa verba pertorquet turba;

pro spinosis accipi debet. Senium, a senili acerbitate et vitiis dictum, posuit Caecilius in Hymnide:

Sine suam senectutem ducat utique ad senium sorbitio.

Senonas, Gallos Verrius ait existimari appellari, quia novi venerint ex || transal- [146] pina regione, *ac primum appellatos ξένους* postea Senon*as*. *Septentriones*[3] septem stellae appell*antur a septem b*obus iunctis, quos triones *a terra rustici* appellent, quod iunc*ti simul terram arent*, quasi terriones. *quidam a septem stellis*, quod id astrum Graec*i ἅμαξαν dicant*, *quia habet* partem quand*am temonis specie*. *Unde ait* Ennius: Superat *temo stellas*. *Sed* et physici eum situm *septem stellarum* conten . . . *f. contemplati. templati*, sep*tentriones dici* aiunt, quod ita sunt *sitae septem stellae*, ut ternae proximae *specie efficiant velut* trigona. Scensas *antiqui dicebant*, *quam* nunc caenas.

opinor. *Urs.* — 1) *Sinistrae*] Videndus Plutarchus in Problem. Pro *a deorum sede*, in margine emendavimus, *auspiciorum sede*, ex loco simili apud Varronem in lib. 5. de Ling. Lat. in quo sic est: *Auspiciorum endo sede.* sic enim est in manuscripto libro, pro *auspicio orando sede.* nam quae sequuntur, *in templo auspiciis*, glossemata sunt. Videndus Livius lib. 5. et Dionysius lib. 2. *Urs.* In superioribus lege: *sinistrumque et sinistimum ausp.* — 2) *Senatores.*] Agellius lib. 3. cap. 8. Livius lib. 23. et 26. *Urs.* — 3) *Septentriones.*] Ennii versus dimidiatus habetur apud Varronem in lib. 6. de Ling. Lat. *Urs.* — 4) *Septimontium.*] Vide supra in *Sacrani. Urs.* — 5) *Sifus.*] Verbum, cuius extrema tantum littera in exemplari reliqua est, putamus fuisse, *Praetoris;* tantum enim spatii relictum est. vel si magis placet, *curatoris.* utrumque in veteribus legum fragmentis reperitur. In lege Mamilia apud scriptores de limitibus agrorum sic est. Deque ea re curatoris, qui hac lege erit, iuris dictio, reciperatorumque datio, addictio esto. cum curator hac lege non

quae autem *nunc prandia*, *pro caenis* habebant, et pro caen*is vespernas appellabant.* Signa, ut rerum, ita *quoque res ipsae dicuntur*, aut lapides, aut *fictile*, *aut si qua eiusmodi* adhuc aliqua. et *signa dicuntur*, *quae scul*pantur etiam. Sed poc*ula etiam in quibus sunt* simulacra ad effigies, *sigillata.* *Sequester* is dicitur, qui inter aliquos, *qui certant*, *medius*, *ut* inter eos convenerit, *depositum ita tenet ali*quid, ut ei reddat, qui * id *deberi iure*, *sibi con*stiterit. Cato in ea ora*tione*, *quam habuit* de Indigitibus: Sinunt m*iseros perire*, ut bona rapiant; aut *si superstites petant*, vi seques prodent *; et Plau*tus Mercatore: Immo* sic sequestro mihi data *est* . . . . . . *Se*pulchrum est, ut ait Gallus *Aelius*, *in quo* mortuus sepultus est, quod anti*qui bustum appel*labant. hisque * cippis, aut ali*qua alia re*, *mor*tui causa designatus est, intra *quos* sepultura est facta. Segnitia *dicitur*, *quod sine* || *nitendo quid utile*, *aut* honestum. Terentius: *Enimvero Dave*, *nihil loci* [147] *est* segnitiae, neque socor*diae.* *Signa*re dicitur signis notare, *velut in pecoribus fit.* sed antiqui eo pro scrib*ere utebantur*, *unde et subsigna*re, et consignare *invenitur positum*, *pro subscrib*ere, et conscri*bere.* *Septimontium*[4] *dies ap*pellatur mense *Decembri*, *qui dicitur in* Fastis Agonalia, *quod eo die in septem m*ontibus fiunt sa*crificia Palatio*, *Velia*, *F*agutali, Subura, *Cermalo*, *Coelio*, *Opio*, Cispio. Sifus[5] *usurpatum est pro tub*is ipsis, id quod Graece *dicitur σίφον*, *in l*ege rivalicia sic est, *quae lata fuit rogant*e populum Ser. Sulpic*io Ser. F. Rufo: Mon*tani, paganive, si*phonibus aquam dividunto:* donec eam inter se *diviserint; Praetori*s iudicatio esto. Si*parium*[6], *quo in scaenis mimi* utuntur, dictum ait *Verrius a vela*mento, quod vocetur *alias aulaeum.* *Supparum ap*pellant dolonem, *quod est velum minus in navi*, *ut* acation, maius. *supparum autem dictum ait Sinnius* Capito velut se*paratum quod sit*, *disiunctumque a dolo*ne interioris *mali.* *Sepultum* morte, moroque * * cum ait . . . . . . *de* L. Terentio, Tusci vici *magistro*, *significat* vivum de saxo Tarpeio *elatum*, *cum eo ve*nisset commissatum, quod *mero*, *id est*, *vino es*set coactus. Seplasia[7] *forum Capuae*, *in* quo plurimi unguenta*rii erant. in Pisone*m Cicero: Seplasia[8] m*ehercule*, *ut dici* audiebam, te ut primum aspe*xit Campanum* consulem repudiavit. Sati*cula*[9] *oppidum* in Samnio captum est: quo *postea coloni*am deduxerunt Triumviri M. || Valerius Corvus, Iunius Scaeva, P. [148] Fluvius * Longus ex S. C. Kal. Ianuariis P. Papirio Cursore, C. Iunio. II. Cos. Segesta[10], * quae nunc appellatur, oppidum in Sicilia est, quod videtur Aeneas condidisse praeposito ibi Egesto, qui eam Egestam nominavit. sed praeposita est ei S littera, ne obsceno no-

*f. quoi

*f. sequestro dent.

*f. isque

**f. meroque

*f. Fulvius

erit, tunc quicumque magistratus in ea colonia, municipio, praefectura, foro, conciliabulo iure dicundo praeerit, eius magistratus de ea re iurisdictio. iudicisque datio, addictio esto. *Urs.* — 6) *Siparium.*] Isidorus lib. 19. cap. 3. Capitonis sententiam de siparii etymo confirmare videtur, cum inquit: Siparium genus veli unum pedem habens, quo inniti navigia solent in navigatione, quoties vis venti languescit, quod ex separatione existimant nominatum. *Urs.* — 7) *Seplasia.*] In exemplari est . . . . . . *on. m. Cicero.* quod puto fuisse, *in Pison. meminit Cicero.* *Urs.* — 8) *Seplasia.*] Nonius in Seplasium, adductis ex Varrone exemplis, ostendit antiquos dixisse *Seplasium* neutro genere, et *Seplasiam* feminino. *Pomponius Adelphis* citatur ab eodem Nonio in Datatim. Vide in *Seplasia.* *Urs.* — 9) *Saticula.*] In exemplari plane est . . . . . . *iam.* ex quo facimus, *coloniam.* *Urs.* — 10) *Segesta.*] Hermolaus in Plinium lib. 3. cap. 8. legit obsceno *omine*, pro eo quod est in exemplari, *nomine.* *Urs.*

mine appellaretur, ut factum est in Malvento, quod Beneventum dictum est, et in Epidamno, quod usurpatur Dyrrachium.

Seliquastra sedilia antiqui generis appellantur D littera in L conversa, ut etiam in sella factum est, et subsellio, et solio, quae non minus a sedendo dicta sunt. **Silus**
f. susum appellatur naso s. rusus versus repando. unde galeae quoque a similitudine silae dicebantur. **Silvii** sunt appellati Albani reges a Laviniae filio, quem post excessum Aeneae gravida relicta, timens periculum, et suae vitae, et eius, quem utero gerebat, in silvis
f. Iulo latens, enixa est. qui restitutus in regnum est post mortem Ascanii, praelatus Iulio fratris filio, cum inter eos de regno ambigeretur. **Sertorem** quidam putant dictum a
f. afferat prendendo, quia cum cuipiam adserat manum educendi eius gratia ex servitute in libertatem, vocetur adsertor. cum verisimilius sit dictum, qui sereret quid, ac potius adsertorem a serendo cepisse nomen, cum aliquem serat petendo in libertatem eandem, qua ipse sit, id est iungat, quia fruges cum seruntur, terrae iungit, quod totum Verrius ἀπιθάνως introduxit. **Seges** dicitur ea pars agri, quae arata et consita est, a serendo videlicet.
*f. Histrica, **Serilla** Verrius appellari putat navigia Histricia* ac || Liburnica, quae lino [149]
ac sparto condensantur, a conserendo et contexendo dicta. quia dicat Pacuvius in Niptris:

f. subscus **Nec ulla subcus* cohibet compagem alvei:**
sed suta lino, et sparteis serillibus

cum περιφραστικῶς, et ficto vocabulo usus sit pro funiculis, qui sparto conseruntur.
*f. Idibus **Servorum** [1] **dies festus** vulgo existimatur Idus* Aug. quod eo die Ser. Tullius, na-
f. serva tus servus aedem Dianae dedicaverit in Aventino, cuius tutelae sint cervi, a quo** cele-
f. quorum ritate fugitivos vocent cervos. **Sero sapiunt Phryges, proverbium est natum a Troianis, qui decimo denique anno velle coeperant Helenam, quaeque cum ea erant rapta, reddere Achivis. **Sispitem** [2] Iunonem, quam vulgo sospitem appellant, antiqui usurpabant, cum ea vox ex Graeco videatur sumpta, quod est σώζειν. **Sultis**, si voltis
f. A. sodes significat, composito vocabulo. ita, ut alia sunt, si audes; sis, si vis; plicet** in loco†;
**f. ilicet, ire licet; scis licet††, scias licet; equidem (equo) ego quidem. Ennius:

†f. A. illico, ††f. scilicet, **Pandite sulti genas, et corde relinquite somnum.**

1) *Servorum.*] Exemplar habet *cervos*, pro eo quod alii *servos* ediderunt. nos antiquam scripturam retinemus, tum quod cervi dicuntur fugitivi, tum quod ita est apud Martialem in libro vetustissimo apud me: At nunc pro cervo etc. vide Petrum Crinitum lib. 19. cap. 8. cuius loci admonuit me Petrus Victorius. *Urs.* — 2) *Sispitem.*] Verum est quod ait Festus Iunonem ab antiquis dictam Sispitem. nisi quod in numismatibus est, IVNO SISPITA. ut hic quoque videatur legendum *Sispitam*, et *Sospitam*. *Urs.* — 3) *Saturno.*] Supra in *Saturnia* sic scriptum est: Ara dicata Saturno ante bellum Troianum videtur, quia apud eam supplicant apertis capitibus. *Metelli Pont. Max.* de quo hic Festus, meminit Macrobius lib. 3. cap. 13. *C. vero Claudii Auguris,* Livius lib. 45. cum inquit: Augur C. Claudius mortuus, in eius locum Augur creatus T. Quinctius. Quod autem inaugurationi eius, qui Augur creatus esset, alius Augur adesse solitus sit, et Festi reliquiae indicant, et verba Metelli huius confirmant, quae sunt in indice 4. apud Macrobium; quibus inaugurationem Lentuli Flaminis Martialis ita describit. A. d. 9. Kal. Sept. quo die Lentulus Flamen Martial. inauguratus est, domus ornata fuit, triclinia lectis eburneis strata fuerunt. duobus tricliniis Pontifices cubuerunt Q. Catulus. M. Aemilius Lepidus. D. Silanus. C. Caesar Rex sacrorum. P. Scaevola Sextus. P. Cornelius. P. Volumnius. P. Albinovanus. et L. Iulius Caesar Augur qui eum inauguravit. De huiusmodi inauguratione ita Livius lib. 27. L. Aquillius Augur creatus, inauguratusque et lib. XXX. Fabius Maximus Augur annos 42. etc. in locum eius in-

Setius* a sero videtur dictum. Accius in Amphitryone: *f. serius

Si forte paulo, quam tu veniam setius**. **f. serius.

Sedum, alii sadum, appellant herbam, quam Opillius Aurelius sesuvium vocari ait, eamque in tegulis seri, nec quamobrem id fiat, indicat. Specus feminino genere pronuntiabant antiqui. ut metus et nepos; tam hercules, quam masculino stirpis, ut* frons, ut Ennius: *f. stirps aut

Tum causa* sub monte alte** specus inius† patebat††. *f. casu **f. altae †f. intus ††f. patebant.

et Pacuvius in Chryse:

Est ibi sub eo saxo penitus strata harena ingens specus.

Spondere antea ponebatur pro dicere, un || de et respondere adhuc [150] *manet*, *sed postea* usurpari coeptum est *etiam in promissio*ne alterius. Subditus *dicitur is*, *qui in demor*tui, (in demortuis) iu*dicis locum iudex* datur his*, qui eum *habuerant iudicem dumta*xat in eandem rem, *vel litem*. *Saturno*[3] sacrificium fit capit*e aperto*. *Eius autem sacro* Metellus Pont. *Max*. *cum Claudium Augurem iussis*set, adesset[4], ut eum *tunc adhiberet Ser*. *Sul*pici Ser. F. inaug*urationi*: *ille autem excusu*ret se, sacra sibi fam*iliaria obstare*, *quibus sup*plicandum esset capite *operto*: *Saturno autem* esset futurum, ut cum ap*erto capite res sacra* facienda esset: Pont*ifex illum multavit*: Claudius provocavit. *sed cum reconciliatus Pon*tifici esset Claudius fa*miliae sacris peractis*, Saturno sacra fecit rel*igione solutus*. *Sa*xum Tarpeium appel*latam aiunt partem mon*tis, qui ob sepultam Ta*rpeiam ibi virginem*, *quae* eum montem Sabinis *prodere pacta erat*, *ita* nominatus est. vel *ab eo*, *quod quidam nomine* L. Tarpeius Romulo *regi cum propter rap*tas virgines advers*aretur*, *in ea parte*, *qua sa*xum est, de noxio poena *sumpta*, *Tarpeium dictum*, noluere funestum locum *cum altera parte* Capitoli coniungi. Sc*aptia*[5] *tribus a n*omine Urbis Scaptiae *appellata*, *quam Pedani* incolebant. Stellati*na*[6] *tribus dicta*, *non a campo* eo, qui in Campania est, sed eo, qui *parum abest ab urbe Cu*pena, ex quo Tusci profecti. St*ellatinum eum* campum appellaverunt. Sabatin*a a lacu Saba*te. Sabini[7] dicti, ut ait Varro *Terentius*, quod ea gens PP.*[8] praecipue colat de*os*: *sive ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι*. Sanqualis *f. Penates

auguratus Q. Fabius filius. Suetonius in Caio cap. 12. Deinde Augur in locum fratris sui Drusi destinatus, priusquam inauguraretur, ad Pontificatum traductus est. Saturnalibus itaque cum Ser. Sulpicius Rufus inaugurandus esset, eius autem inaugurationi Metellus Pont. Max. C. Claudium Augurem adesse iuberet, excusavit se Claudius, quod sacris familiae suae impeditus esset, quibus sacrificandum foret operto capite, cum Saturno, aperto res sacra facienda esset. eaque de causa multatum a Pontifice Claudium provocasse, deinde reconciliatum esse. De sacris *familiae Claudiae*, Festus supra in *Propudianus*. Porcus, inquit, Propudianus, qui in sacrificio gentis Claudiae velut piamentum, exsolutio omnis contractae religionis est. Macrob. lib. 1. cap. 16. Sunt praeterea feriae propriae familiarum, ut *Claudiae familiae*, et si quas ferias proprias quaeque familia ex usu domesticae celebritatis observat. *Urs*. — 4) Lege *adesse*. — 5) *Scaptia*.] Scaptiam oppidum in Latio cum aliis numerat Plinius. addidimus autem in fragmento supplendo, *Pedanos* ex Livio qui ait ob Pedanos civitate receptos, tribum additam Scaptiam. *Urs*. — 6) *Stellatina*.] De Capena urbe, et Capenatibus populis in Tuscia ad lucum Feroniae, videndus Plinius lib. 3. a quo Stellates quoque inter Tusciae populos numerantur; pro *urbe Capena*, fortasse melius adderetur, *regione Capena*. *Urs*. — 7) *Sabini*.] In argenteis denariis Sulpiciae gentis D. P. P. deos Penates significat. De Sabinis tamen, quod Penates deos praecipue colerent, non memini me legisse. *Urs*. — 8) $\tilde{pp}$ sic Pr. $\overline{PP}$. sic Ven.

porta *appellata est* || *ab avi sanquali. id*eoque eodem est nomine, *quo avis* [151]
'f. tacere *ipsa appellatur.* Silere, tangere* *significat, ficto verbo* a s littera, quae ini*tium eius vocis est.* Sellae Curulis[1] locus *in Circo datus est Valerio Dicta*tori, poste-
'f. posterisque riusque* *eius honoris causa, ut pro*xime sacellum Murc*iae spectarent, unde aspi*ciebant spectacu*la magistratus. Sontica*[2] causa dicitur a morbo *sontico, propter quem,*
'f. Cato de re Floria. *quod est ge*rendum agere *desistimus. M. Porcius* lato de re*: A. Atili *quid dicam causae extitisse,* timidus ne *sis, an impedimento t*ibi causam sonticam
'f. stillae *fuisse? Stiricidium q*uasi stillicidium, cum stel*lae*, concretae frigore, c*adunt. Cato pro C. . . . *n*ihilominus voluit semper *de stiricidio in* re praesenti cognoscere, *atque etiam stat*uere. Sacramento[3] dicitur quod *iuris iurandi sacrati*one interposita actum *est. Unde quis sacramen*to dicitur interrogari, quia *iusiurandum interponitur. Cato* in Q. Thermum de X. *hominibus: Tunc vero ibi ad*erunt, ne mala *facinora, bona fide, aut* scelera nefaria fi*erent, qui dicerent sacramen*to, tra*d*erentur, lege aesti*marentur. Siremps* ponitur pro eadem, vel proinde *quasi similis res ipsa.* Cato in dissuadendo le*gem, quae postea r*elicta est: Et praeterea rogas *ut quemquam adversus* ea, si populus condemna*verit, siremps lex* siet, quasi adversus le*gem fecisset.* Spiciunt[4], antiquos di*xisse sine praeposi*tione testis est Cato in ea, quam *habuit in Q. Thermum de* septem hominibus: Ut solent *evitare soni*vios, nisi qui sempiterni sunt, quos *dum occur*rant, ne spiciunt, ne-
'f. M. que ratos, *esse volunt. Sp*atiatorem[5], erratorem Cato in An.* || Cae- [152]
lium si se appellavisset: In coloniam me hercules scribere nolim, si trium vi-
'f. Triumvir rum* sim, spatiatorem atque fescennium[6]. Stata[7] sacrificia sunt, quae
'f. sacrilegio certis diebus fieri debent; Cato in ea, quam scribsit de L. Veturio, de sacrificio* commisso, cum ei equum ademit: Quod tu, quod in te fuit, sacra, stata solemnia, capite sancta deseruisti. Solemnia sacra dicuntur, quae certis temporibus annisque fieri solent. Serra proeliari dicitur, cum assidue acceditur, recediturque neque
'f. Sive ullo consistitur tempore. Cato de re militari: Sine* forte opus sit cuneo, aut globo, aut forcipe, aut turribus aut serra, uti adoriare. Stercus ex aede Vestae XVII. kal. Iul. defertur in angiportum medium fere clivi Capitolini, qui locus clauditur porta stercoraria. tantae sanctitatis maiores nostri esse iudicavere. Summissiorem aliis aedem Honoris, et Virtutis C. Marius fecit, ne si forte officeret auspiciis pu-

1) *Sellae curulis.*] Livius lib. 2. Valerio Dictatori super solitos honores locus in Circo ipsi, posterisque ad spectaculum datus. ex his verbis Festi locum concinnavimus. *Urs.* — 2) *Sontica.*] Catonem de Re Floria citat Agellius lib. 10. cap. 13. cum autem in exemplari . . . . *ibi causam sonticam* . . . . . satis apparet, A. Atili vocandi casum esse. *Urs.* — 3) *Sacramento.*] In exemplari sic est . . . . . *t scelera nefaria fie* . . . . ab operis autem impetrare nequivimus, ut hae litterarum reliquiae ad fidem exemplaris ederentur. *Urs.* — 4) *Spiciunt.*] Cato de decem hominibus contra Thermum citatur a Festo saepe, et ab Agellio lib. 13. cap. 24. de septem hominibus non inveni. ut fortasse pro *septem* hic quoque *decem*, scribendum sit. *Urs.* — 5) *Spatiatorem.*] Macrobius lib. 3. cap. 14. Sic nimirum M. Cato senatorem non ignobilem Coelium, spatiatorem, et fescenninum vocat. hic locus apud Macrobium aliter legitur, sed corrupte. *Urs.* — 6) *fescenninum* Ven. Sc. — 7) *Stata.*] Agellius lib. 7. cap. 22. habet ut hic Festus, *sacrificio.* supra tamen in *Prohibere Comitia*, scriptum est, *sacrilegio.* et ita in epitoma Pauli. *Urs.* — 8) *Sa-*

blicis, Augures eam demoliri cogerent. **Sex Vestae** sacerdotes constitutae sunt, ut populus pro sua quaque parte haberet ministram sacrorum, quia civitas Romana in sex est distributa partis, in primos secundosque Titienses, Ramnes, Luceres. **Salinum** cum sale in mensa ponere figulis religioni habetur, quod quondam in Esquilina regione figulo, cum fornax plena vasorum coqueretur, atque ille proxime eam convivatus, super modum potus, somno esset oppressus cum convivis suis, praeteriens quidam petulans, ostio patente ex mensa salinum coniecit in fornacem: atque ita, incendio excitato, figulus cum suis concrematus est. **Sacramentum**[8], aes significat, quod poenae nomine penditur, sive eo quis interrogatur, || sive contenditur. id in aliis rebus quinquaginta assium [153] est, in aliis rebus quingentorum inter eos, qui iudicio inter se contenderent. qua de re lege L. Papirii Tr. pl.* sanctum est his verbis: **Quicumque Praetor post hoc**** **factus erit, qui inter cives ius dicet, tres viros Capitales populum rogato, hique† tres viri††** . . . quicumque* . . . cti erunt. sacramenta ex** . . . iudicantoque eodemque iure sunto, uti ex legibus, plebeique scitis exigere, iudicareque (esse), esseque oportet. sacramenti autem nomine id aes dici coeptum est quod et propter aerarii inopiam, et sacrorum publicorum multitudinem, consumebatur id in rebus divinis. **Sextantarii**[9] asses in usu esse coeperunt ex eo tempore, quod* propter bellum Punicum secundum, quod cum Hannibale gestum est, decreverunt patres, ut ex assibus qui tum erant librarii, fierent sextantarii (per quos cum solvi coeptum esset) et* populus aere alieno liberaretur, et privati quibus debitum publice solvi oportebat, non magno detrimento adficerentur. Septuennio quoque (anno)* usus est, ut priore numero**, sed id non permansit in usu, nec amplius processit in maiorem. **Senacula** tria fuisse Romae, in quibus senatus haberi solitus sit, memoriae rediditt† Nicostratus in libro, qui inscribitur de Senatu habendo. unum, ubi nunc est aedis Concordiae inter Capitolium et Forum; in quo solebant magistratus D. T.†† cum senioribus deliberare. alterum, ad portam Capenam. tertium, citra aedem Bellonae, in quo exterarum nationum legatis, quos in urbem admittere nolebant, senatus dabatur. **Scholae** dictae sunt, non ab otio ac vacatione omni, sed quod, ceteris rebus omissis, vacare liberalibus studiis pueri debent, ut etiam ludi appellantur, in quibus minime luditur, ne tristi || aliquo nomine fu- [154] *giant pueri suo fungi mu*nere. **Subici** ar*ies dicitur, qui agitur, ut caedatur.* quod fit, ut ait Cincius *in libro de officio iuris*consulti, exemplo At*heniensium, apud quos* expiandi gratia aries *inigitur ab eo, qui sc*elus admisit, poenae p*endendae loco.* ***Spe-***

*f. Militum
**f. posthac
†f. iique
††f. A. Capitales
*f. A. ex
h. l. fa.
**f. A. igunto
*f. quo
*f. ut
*f. A. quod
eo
**f. nummo.
†f. prodidit
††f. dumtaxat

cramentum.] *Post hoc*, alii mutarunt in *post hac.* quae sane lectio confirmatur testimonio antiquitatis. est enim in legum fragmentis ita: CENSORIBVS. QVEICVNQ. POSTHAC. FACTI. ERVNT. potest etiam emendari, *post h. l. r.* id est, posthac legem rogatam. quae sane formula frequens est in eisdem legum fragmentis. Quod autem paulo post in exemplari deerat, supplevimus ex earumdem legum reliquiis, in quibus est: II. VIR. QVI. EX. H. L. FACTVS. CREATVS. VE. ERIT. Unde nos fecimus, *treviri capitales quicumque ex haec lege facti erunt.* nam HACE LEGE plane in legibus alibi incisum est. Quod in fine addit Festus *sacramenti nomine id aes dici* etc. confirmatur a Varrone, qui ait, ab eo sacro dictum. id enim aes sacris cedebat. *Urs.* — 9) *Sextantarii.*] Hermolaus legit, *quo per bellum Punicum secundum.* paulo post legendum: *ut ex assibus, qui tum erant librarii, fierent sextantarii, ut populus aere liberaretur etc.* et post *septuennio quoque, quod eo usus est ut priore nummo.* Sed haec in margine notavimus. *Urs.*

ciem quam nos dicimus, εἶδος Graeci dixerunt. Platon quidem idean; nobis species pro eadem ponitur. **Sesterti** [1] nota apud antiquos fuit dupondi, et semissis. unde *f. auctus sestertius dictus quod semistertius. Sed auctos* est bello Punico secundo. apud antiquos autem denarius, et quinquesis in usu erant, et valebant denarius denos asses, quadrigati, bigati; quinquesis quinos. sed uterque auctus est, numerum aeris perdu- *f. productum ctum* esse aiunt lege Flaminia minus solvendi, cum aere alieno premeretur P. R. **Solida sella** [2], ait Verrius, sedere tum quis iubetur, cum mane surgens, auspicandi gratia evigilavit, quod antiqui exprese, nihilque ab interiore parte excavatas, aut laxatus faciebant sedes. quas sedes, solidas ideo, quod in his nihil erat concavum, maxime appellabant, inquit Verrius, quod scilicet essent totae. absurde, ut mihi videtur, cum omne id quod sit totum, ait dictum solidum. **Silatum** [3] antiqui pro eo quod *f. sili nunc iantaculum dicimus, appellabant, quia iaiuni vinum soli* conditum ante meridiem obsorbebant. **Suffragatores** [4] dicebantur apud maiores, hi qui vulgo in usu erant candidatis. nam ut melius apparerent iuncta suffragia, suffragator quem quisque fieri vellet, notabat apposito puncto, scribtis candidatorum hominum nominibus. Varro in L. VII. rerum humanarum hoc tradit. **Struppi** [5] vocantur in pulvinaribus fasciculi || de verbenis facti, qui pro deorum capitibus ponuntur. S . . . . apud [155] urbem Calo Antistius Labeo dici ait magistratum publicum . . . . **Secespitam** [6] esse Antistius Labeo ait, cultrum ferreum, oblongum, manibrio eburneo, rotundo, solido, vincto ad capulum auro argentoque, fixum clavis aeneis, aere Cyprio, quo Flamines, Flaminicae Virgines, Pontificesque ad sacrificia utuntur. Eadem alias *f. reticulo dicitur, qua in sacrario utuntur. sacraria namque in templis rediculo* aeneo olim saepiebantur, in quo tubae relictae sunt, per quas manibus sacra tangere licet. est hoc in templo Bonae deae: sed et in aliis locis: et sunt velut repagula quaedam. ita secespitae dicuntur duobus modis. **Secius** est, quod secespita secatur libum, seu placenta, quae soleat necessariis sacrificiis adhiberi. **Suffimenta** sunt, quae faciebant ex faba, milioque molito, mulso sparso. ea diis dabantur eo tempore, quo uvae calcatae proelo. **Serpsit**, usi sunt antiqui pro serpserit, unde videntur serpulae dictae, quas nunc serpentes dicimus ex Graeco, quia illi ἑρπετά, nos pro aspiratione eorum, S littera posita, ut ἕξ, sex, ἑπτά, septem. **Suffibulum** est vestimentum album, praetextum,

1) *Sesterti.*] Vide in *Sextantarii. Urs.* — 2) *Solida sella.*] Vide in *Silentio surgere.* et in *Silere.* videndus etiam Livius lib. 10. *exprese* unico *s*, antiqua scriptura. *Urs.* — 3) *Silatum.*] *Iantaculum*, et *iaiuni* est in exemplari. Glossarium item habet: Iantat ἀκρατίζει. Iantaculum ἄκρατον. quam quidem scripturam in aliis etiam manuscriptis libris vidimus. *Urs.* — 4) *Suffragatores.*] Porphyrio in Horatii versum in poetica: Omne tulit punctum. Antiqui, inquit, suffragia non scribebant, sed puncto notabant. Idem refert epigramma incerti poetae de punctis suffragiorum. Ciconiarum Rufus iste conditor, Hic est duobus elegantior Plancis, suffragiorum puncta non tulit septem. Cicero pro CN. Plancio: Nam quod questus est plures te testes habere de Voltinia, quam in ea tribu puncta tuleris. Ex his locis Festi sententiam, sive potius Varronis, cuius verba referebat Festus, intelligere poteris. *Urs.* 5) *Struppi.*] Vide supra in *Stroppus. Urs.* — 6) *Secespitam.*] Sacrarium, ut apparet ex Festi reliquiis, templi locus dicebatur secretior, ut adytum, ad quem nulli erat aditus, nisi sacerdoti. Serv. lib. 2. Aen. in eo res sacrae reponebantur. Ulpianus Dig. L. 1. tit. 8. Sacrarium, inquit, est locus, in quo sacrae res ponuntur, quod etiam in aedificio privato esse potest. saepiebatur autem sacrarium secespita, hoc

*qua*drangulum, oblongum, quod in ca*pite Virgines Vest*ales cum sacrificant semper *habere solent*, idque fibula comprehenditur. *Silentio surgere ait* dici, ubi qui post mediam *noctem auspi*candi causa ex lectulo suo si*lentio surr*exit, et liberatus a lecto, in solido *se posuit, se*detque, ne quid eo tempore deiciat, *rursusque* se in lectum reposuit: hoc enim est *proprie si*lentium, omnis vitii in auspiciis va || cuitas. Vera- [156] nius ait, non utique ex lecto, sed ex cubili, ne* rursus se in lectum reponere necesse esse. Sarpiuntur vineae, id est putantur; ut in XII.: Quandoque sarpta, donec dempta erunt. Summanalia, liba farinacea in modum rotae finctae*. Suffuerat, sub eodem tecto fuerat. Scribtum lapidem esse ait, et ita vocari, Antistius Labeo in agro Menullino* divinam rem faceret**. Se quamque seorsum quamque. Sanates dicti sunt, qui supra infraque Romam habitaverunt. quod nomen his fuit, quia cum defecissent a Romanis, brevi post redierunt in amicitiam, quasi sanata mente. itaque in XII. cautum est, ut idem iuris esset Sanatibus quod Forctibus id est bonis, et qui nunquam defecerant a P. R. Sublucare arbores est ramos earum supputare, et veluti suptus lucem mittere; conlucare autem, succisis arboribus locum implere luce. Spurcum vinum est, quod sacris adhiberi non licet, ut ait Labeo Antistius l. X. commentarii iuris pontificii, cui aqua admixta est, defructumve*, aut igne tactum est, mustumve ante, quam defervescat. Septimontio, ut ait Antistius Labeo hisce montibus feriae: Palatio, cui sacrificium, quod fit, Palatuar dicitur; vilae* cui item sacrificium; Faguali**, Suburae, Cermalo†, Oppio, Coelio monti, Cispio monti. Oppius autem appellatus est, ut ait Varro rerum humanarum l. VIII. ab Opita †† Oppio Tusculano, qui cum praesidio Tusculanorum missus ad Romam tuendam, dum Tullus Hostilius Veios oppugnaret, consederat in Carinis, et ibi castra habuerat. similiter || Cisitum* a Laevo Cispio [157] Anagnino, qui eiusdem rei causa eam partem Esquiliarum, quae iacet ad vicum Patricium versus, in qua regione est aedis Mefitis, tuitus est. Sistere fana cum in urbe condenda dicitur, significat loca in oppido futurorum fanorum constituere. quam* Antistius Labeo ait in commentario XV. iuris pontificii, fana sistere esse lectisternia certis locis et diis habere. Subigere* arietem in eodem libro Antistius esse ait dare arietem, qui pro se agatur, caedatur. Bene sponsis, beneque volueris in precatione augurali Messala augur ait significare spoponderis, volueris. Serpula serpserit, ait idem Mes-

*f. nec

*f. ficta, *vel* facta.

*f. A scribae ubi

**f. facerent.

*f. defrutumve

*f. Veliae, **f. Fagutali,

†f. Germalo,

††f. Opitre

*f. Cispius

*f. Q.

*f. Subicere

est reticulo quodam aeneo, in quo tubae, seu tubi relicti erant, per quos manibus sacra tangere licebat. atque huiusmodi secespita utebantur tum in sacrariis, quae erant in templis, tum in iis, quae erant in aliis locis. erantque secespitae velut repagula quaedam. Quod autem *in templo Bonae deae* addidimus, intelligendum est non de sacrario Bonae deae, quod ultra Bovillas in via Appia fuit, cuius pro Milone Cicero meminit, sed de sacrario eo, quod fuit in aede Bonae deae in Aventino, cuius P. Victor facit mentionem. potest etiam hic locus ita resarciri: est secespita in templi sacrariis. sed et in aliis locis: et est velut clathrata fenestra quaedam. ita secespitae dicuntur duobus modis. nam de secespita, quae cultrum significat, sic Suetonius in Tiberio: Nam inter Pontifices sacrificanti simul pro secespita, plumbeum cultrum subiciendum curavit. *Rediculo* pro *reticulo* in exemplari exaratum est antiqua illa consuetudine ponendi d pro t, de qua supra. *tubae* etiam, non ut in aliis editionibus *nubae*, in eodem exemplari scriptum est. tubae autem pro tubis positum est. *cancella* in supplementum huius fragmenti nescio quomodo amanuensis culpa irrepsit. nos certe locum reconditae antiquitatis paene tenebris obrutum, quantum potuimus, in lucem revocavimus. *Urs.*

sala, serpens irrepserit. **Solino** idem ait esse consulo. **Suad ted** idem ait esse, sic
te. **Stellam** significare ait Ateius Capito laetum, et prosperum, auctoritatem secutus
f. lamella P. Servilii auguris, (stellam) quae ex tamella aerea adsimilis stellae locis inauguratis
infigatur. **Sinistrum**[1] in auspicando significare ait Ateius Capito laetum et prosperum
f. at auspicium; aut silentium, dubi** duntaxat vacat vitio. igitur silentio surgere cum dicitur,
**f. ubi †f. at significat non interpellari, quo minus rem gerat. ad† sinistrum hortari quoque auspicia
ad agendum, quod animo quis proposuerit. **Satis** verbum Verrio melius fuit praeterire,
f. absurdas ut mihi videtur; quam tam absuri qui opiniosuas de eo restare**[2]; quas sciens praete-
f. recitare rii, tam hercules, quam de **scabro, quod proximum sequebatur. **Stipatores**[3] ait
dictos a stipa, quam mercedis nomine accipiant custodes cuiusque corporis. unde et sti-
f. qua pam, quam amphorae cum extruuntur, firmari solent; etiam stipites, qui ob eandem
causam destituantur[4]. **Sollicitare** || quidam dictum putant, vel *ut citare ex* [158]
sollo, *quod est* ex suo loco ac sententia *movere. sollum autem* quin significet locum,
*f. tappetae quis *dubitet? cum exsules* quoque dicantur loco p*atriae suae pulsi.* **Tappete***[5] ex
Graeco sum*psit tappe*tae, Ennius cum ait. *tappetem etiam dixit Turpi*lius in Demetrio.
Le . . . . . *tappetem* veterem. sic tappe*te neutro genere.* ***Terentum*** in campo
Martio locum *Verrius ait ab eo* dicendum fuisse, quod *terra ibi per ludos* Secularis
*f. mobilitas Ditis patris *ita leviter tera*tur ab equis quadrigari*is*, *ut eorum levis m*otilitas* aequipa-
ret mo*tus rapidos velocis Lu*nae. quod quam aniliter re*latum sit*, *cui*vis manifestum est.
Taurii ludi[6] *in*stituti dis Inferis ex *hac causa videntur.* Tarquinio regnante, cum
*f. fetus infecti *magna incidisset* pestilentia in mulieres *gravidas*, *earum* fetu si facti* sunt ex car*ne*
divendita populo taurorum immolatorum. ob *hoc ludi Taurii* appellati sunt, et fiunt *in*
circo Flaminio, *ne* intra muros evocentur dii *Inferi. Sed Taurios* ludos Varro ait vo-
cari, quod *eis ludis discipu*lus pendens a doctore in cr*udo corio tauri* solitus sit impelli,
atque us*que eo inibi cogi* docere, quoad consisteret, *et sola virtu*te talorum constaret
pedu*m firmitas.* ***Talas*sionem** in nuptiis Varro ait *sinum esse lani*fici τάλαρον, id
est quasillum, i*ta enim s*olitum appellari Talassionem. *at quidam* historiarum scribtor,
Talassium ait *nomine* virum, rapta virgine unicae p*ulchritu*dinis, quod ei id coniugium
*f. ominis fuerit fe*lix*, *boni* hominis* gratia nunc redintegrari. ***Tribuni*** || *cia*[7] *rogatione* [159]
*l*ex Curiata fertur, quo Hanni*bal anno in conspectu* Romae cum esset, nec ex praesidii*s*
discedere liceret, Q. Fabius Maximus Verru*cosus*, *id per TR. PL. et Ma*rcellus cos. fa-

1) *Sinistrum.*] Vide in *Silere.* *Urs.* — 2) Lege: *quam tam absurdas atque opiniosas de eo res dare.* Ven. et Sc. sic proposuerunt: *quam tam absurdas opiniones suas de eo recitare.* — 3) *Stipatores.*] Non video cur *destituantur* mutandum sit in *constituantur*, vel *destinantur.* nam C. Gracchus in oratione de legibus promulgatis apud Agellium lib. 10. cap. 3. usus est eo verbo in eodem significatu, cum inquit: Idcirco palus destitutus est in Foro, eoque adductus suae civitatis nobilissimus homo M. Marius, vestimenta detracta sunt, virgis caesus est. et Varro: Si eorum colla in furcas destitutas incluserit. *Urs.* — 4) *constituantur vel destinantur* marg. Ven. Scal. — 5) *Tapete.*] Turpilius apud Nonium neutro genere protulit, cum dixit, Glabrum tapete. Festus tamen ait masculino genere usum fuisse. *Urs.* — 6) *Taurii ludi.*] Vide in *Talipedare.* *Urs.* — 7) *Tribunicia.*] Lex Curiata de imperio militari magistratibus designatis mandando, ferebatur ab eo, qui eos magistratus designasset. Quantum autem ex his reliquiis divinare licet, videtur Festi sententia talis fuisse. Bello Punico secundo cum Annibal ad urbem accedens, portae Capenae appropinquasset, et quasi in conspectu Romae iam esset, et ob id non liceret

cere *instituerunt*, *ut notavit* Aelius in XII. *significationum verborum.* **Trisulcum fulgur** fuit *ab antiquis dictum*, quia id, aut incendit, *aut afflat*, *aut terebrat.* **Togatarum** *duplex genus: praetextarum*, *hominum* fastigio; quae *sic appellantur*, quod togis praetextis *remp. administrent.* tabernariarum, quia *hominibus excellentibus* etiam humiles *permixti*, *ut sunt plagiarii*, servi denique et *cauponae ex tabernis* honeste prodeant *persaepe.* **Tauras**[8], vaccas steriles *appellabant*, *ait Verrius*, quae non magis pariant, *quam tauri. sed verosimilius* sit ex Graeco *dictas*, *quia Graeci vaccas*, *ταύρας* appellant. **Todi** sunt *aves parvae*, *et todilli*, quarum m.[9] Plautus in *Syro*, *cum ait:*

Cum extritis talis, cum todillis *crusculis.*

Tubilustria quibus diebus adscribtum in *Fastis est*, *cum in atrio* Sutorio agna tubae *lustrantur. ab eis* tubos appellant, quod genus *lustrationis ex* Arcadia Pallanteo * translatum *esse dicunt.* **Tuditantes**, tundentes, *negotium tundentes* significare ait Cincius, *id est agentes. Ennius* l. II.:

*f. Accadiae Pallanteo, vel Arcadia a Pallante

Haec inter se totum ** *vi tuditantes.*

**f. tota

et Lucretius item libro II.:

Nec *tuditantia* rem cessant extrinsecus ullam.

Tudites malleos appellant antiqui a *tundendo*, *quamvis* ali * crurib. tudites. Inde Ateius *Philologus* existimat Tuditano cognomen *inditum*, *quod* caput malleoli simile habuerit.

*f. alii a tudibus

Tullios[10] *alii* dixerunt esse silanos, alii rivos, alii || vehementes pro- [160] iectiones sanguinis * arcuatim fluentis, quales sunt Tiburi in Aniene. Ennius in Aiace:

*f. amnis

Aiax misso sanguine tepido tulii efflantes volant.

Topper[11] significare ait Artorius cito, fortasse, celeriter, temere *. cito, sic in Nelei carmine:

*f. mature

Topper fortunae commutantur hominibus.

(citius) sic C. Naevius:

Capesset flammam Volcani cito *.

*f. topper.

sic in eodem:

Namque nullum peius macerat * humanum **, quamde mare saevum.
Viret † cui sunt magnae, topper confringent inportunae unde ††.

*f. macit
**f. homonem,
†f. vires
††f. undae.

magistratibus ex praesidiis discedere, Q. Fabius, et M. Marcellus cos. quia ipsi ad Urbem venire, et populum rogare de imperio novis magistratibus mandando metu imminentis Annibalis non poterant, egerunt id per Tribunos plebis, atque ita Tribunicia rogatione legem Curiatam latam fuisse. quae potius lex Tributa, vel ut verius dicam, Plebiscitum appellari debuisset. locus sane difficilis, et mutilato exemplari obscurus. Q. Fabius et M. Marcellus cos. eduntur anno 539. Aelius Gallus in libris Significationum verborum, quae ad ius pertinent, citatur supra in *Postliminium. Urs.* — 8) *Tauras.*] Videndus Varro lib. 2. de re rustica. cap. 6. *Urs.* — 9) Lege *meminit.* — 10) *Tullios.*] Paulus in epitoma manuscripta. *Tullios alii dixerunt esse silanos*, *alii rivos*, *alii vehementes proiectiones sanguinis arcuatim fluentis*, cetera ut Festus. In antiquo lexico Latino-Graeco, *Silvanus* exponitur κρουνός et ita fortasse legendum tum hic, tum apud Cornelium Celsum. Quid si pro *sanguinis* legamus *amnis*? quia sequitur, quales sunt Tiburi. sed nihil temere mutandum. *Urs.* — 11) *Topper.*] *Mature*, *pro temere* in margine posuimus, quia ita est infra. *Homonem* autem pro *humanum*, ex Ennii versu: Miserum mandebat homonem. et supra in

(fortasse) sic Coelius l. VII.: Ita uti se se quisque vobis studeat aemulari in statu fortunae reip. (eadem re gesta.) topper nihilo minore negotio acto, gratia minor esset. fortasse, sic Accius in Io:

f. pater istam eiecit foras. Topper, ut fit, patris teneicit iras[1].

(Ennius vero sic.) Topper, fortasse valet in Enni et Pacuvi scriptis. apud Ennium est:

Topper quam nemo melius scit.

Pacuvius:

Topper tecum sit potestas faxsit, si mecum velit.

f. at ad in antiquissimis scriptis celeriter, ac mature. in Odyssia vetere:

Topper facit homines utrius fuerint.

f. Circes, Topper citi ad aedis venimus Circae, simul duona eorum portant ad navis millia.

*f. indidem **f. Tubicines alia in isdem* inserinuntur[2]. Tibicines** etiam hi appellantur, qui sacerdotes viri speciosi publice sacra faciunt, tubarum lustrandarum gratia.

Torrens[3] participaliter pro exurens ponitur, ut est apud Pacuvium in Antiopa:

Flammeo vapore torrens terrae fetum exusserit.

significat etiam fluvium, subitis imbribus concitatum, qui alioqui siccitatibus exarescit. *f. quamvis quius* aquam ipsam, quae fluit, flumen recte dici ait Aelius Gallus l. II. quae ad ius pertinent. ceterum volgi consuetudine utrumque iam dici flumen, et perennem || flu- [161] vium et torrentem. Torum, ut significet torridum, aridum, per unum quidem R antiqua consuetudine scribitur, sed quasi per duo R scribatur, pronuntiari oportet. nam antiqui nec mutas, nec semivocales litteras geminabant, ut fit in Ennio, Arrio, Annio. Turmam equitum dictam esse ait Curiatius quasi terimam: quod terdeni equites ex tribus tribubus, Titiensium, Ramnium, Lucerum fiebant. itaque primi singularum decuriarum decuriones dicti, qui ex eo in singulis turmis sunt etiam nunc terni. Torreri a *f. Torrere a torreo. torro*, deductum proprie significat siccare, atque arefacere. sed usurpatum est iam pro eo, quod sit igne urere. Plautus:

f. una aedepol (In) una edet opera in furnum calidum condito, atque ibi torreto.

f. Turrhenos Turannos[4], Etruscos appellari solitos ait Verrius, a Turrheno duce Lydorum, a cuius gentis praecipua crudelitate etiam tyrannos dictos. Tyria maria in proverbium deductum est; quod Tyro oriundi Poeni adeo potentes maris fuerunt, ut omnibus mortalibus navigatio esset periculosa. Afranius in Epistola:

Hunc serrium autem maria tyria conciet.

Torvitas a ferocia taurorum dicta est. Pacuvius in Armorum iudicio:

Feroci ingenio torvus praegrandi gradu.

Hemona, ita habetur: Homonem, hominem dicebant. Versus Attii in Io fortasse ita legendus: *Topper, ut fit, patris ten'eicit ira*, vel, *Pater istam eiecit foras.* Verbum *inserinuntur* omissum est in editione Augustiniana, quo antiqui usi sunt, pro *inseruntur*. *Urs.* — 1) *patris tunc eicit iras* Ven. Scal. — 2) *Inveniuntur* Ven. Sc. sed in margine notatum in vetere Cod. esse *inserviuntur*, pro quo coniectura addita *inseruntur*. — 3) *Torrens.*] Varro lib. 1. de re rust. cap. 2. Verum enim illud Pacuvii: Sol si perpetuo sit, aut nox, flammeo vapore, aut frigore, terrae fructus omnes interire. *Urs.* — 4) *Turannos.*] Paulus in epitoma manuscripta. *Turanni Etrusci dicti a Thurenno duce Lydorum, a cuius gentis perpetua crudelitate etiam tyranni sunt dicti. Urs.* —

et:

Cum recordor eius ferocem, et torvam confidentiam.

Turbelas* dixisse antiquos, quas nunc turbas appellamus, testis est Plautus in Pseudolo: *f. turbellas

Quo alto* et quantas soleam turbelas dare. *f. Quales,

Tutulum[5] vocari aiunt Flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinibus et extructum in altitudinem. quidam pileum lanatum forma metali[6] figuratum, quo Flamines ac Pontifices utuntur, eodem nomine vocari. Ennius:

li || baque fictores argaeos, et *tutulatos*. [162]

Tuor video; Tueor, defendo *in usu olim fuit.* sed iam promiscue utuntur, *et ponitur tue*or, pro video; et contueor, *pro defendo.* *Tugu*ria[7] a tecto appellantur *domicilia rusticorum* sordida. Afranius in V*irgine:*

Sordidum tugurium est turpe.

*Caecilius in Hypo*bolimaeo:

Habitab*at in tugurio, sine* operculo.

quo nomine *Valerius in explana*tione XII. ait etiam . . . . *signifi*cari. Tuscum vicum ce*teri quidem omnes scrip*tores dictum aiunt ab *eo, quod Porsena rege* descendente* ab obsi*dione, remanserint* Romae, locoque his dato, *ibi habitaverint Veientes* fratres Celes et Vibena, *unde post eiecti, quod* Tarquinium Romam secum max*ime reducere cupi*erint. M. Varro, quod ex Coe*lio in eum locum deducti* sint. Toxicum dicitur cerva*rium venenum, quo* quidam perungere sagit*tas soliti sunt.* Caecilius in Gamo: *f. discedente

Ut hom*inem miserum* toxico transegerit.

Afra*nius in* . . . .

uxorium istud toxicum mit*tite*.

Tuscos quidam dictos aiunt a Tusco *rege Hercu*lis filio. Alii quod unici studii si*nt sacrificiorum*, ex Graeco, velut *θυοσκόοι*. *Unde Tusculum* ab eadem causa sacrificiorum, v*el quod aditum dif*ficilem habeat, id est, *δύσκολον*. *Tumulum Stilo* Aelius sic definit: Tumulus est *cumulus are*nae editus secundum mare fluctibus in *altum ele*vatus. unde similiter et manufac*tus et na*turalis proprie dici potest. Tumult*uarii*[8] milites, dicuntur lecti ob subitum ti*morem, un*de etiam tumultum dici ait Verrius, quia *non aliunde* is ornatur*, quam ab Italicis et Gallicis h*ominibus* || *qui immin*ent Italiae. [163] *f. oriatur itaque nullum *tumultum, praeter*quam Gallicum, aut domesticum *nominabant*. *Thomices Graeco* nomine appellantur *canabi impoliti*, et sparto leviter tortae *restes, ex quibus funes* fiunt. Lucilius:

Vidimus *vinctum thomice can*abina.

5) *Tutulum.*] In exemplari ita plane est: *formam e tali*, unde in edititione Augustiniana, *forma e tali* impressum est, cum *forma metali* scribendum fuisset. Varro lib. 6.: Tutulati dicti hi, qui in capitibus habere solent, ut metam. Tertullianus in lib. de pallio: Tunc certissime supra omnes exuvias augusta vestis superque omnes apices, ac tutulos sacer suggestus deducit oculos. in vulgatis tamen *titulos*, sed corrupte legitur. Vetus etiam apud me inscriptio habet: APONIAE. A. TVTVL. ORNATRICI. *Urs.* — 6) *Forma e tali* Ven. Scal. — 7) *Tugurium.*] Valerius in explanatione XII. citatur in verbo Sanates. *Urs.* — 8) *Tumultuarii.*] Videndus Servius initio lib. 8. Aen. *Domesticum* autem Festus dicit, quem Cicero lib. 8. Philipp. appellat *Ita-*

f. Opilius Opillus *Aurelius ait mollem* pulvillum, quem in *collo habent*, *restis ne laedat*, thomicem *vocari.* *Tongere Aelius Stilo* ait noscere esse, *quod Praenestini tongitionem* dicant, pro *notionem. significat et latius* dominari. Ennius:

Alii rhetorica tongent.

et vincere *etiam quandoque* videtur significare.

Tesca[1] *Verrius ait* loca augurio *designata*, *quo termino* finis in terra auguri. *Opilius Aurelius* loca consecrata ad *augurandum scribsit.* sed sancta loca undique *saepta docent* Pontificis libri, in quibus *scriptum est.* *Templumque* sedemque tescumque *sive deo*, *sive deae* dedicaverit, ubi eos *accipiat volentes*, propitiosque. Hostius belli *Histrici l.* I.:

per gentes alte aetherias, atque *avia tesca*,
*f. volabis *perque* violabis* templa antiqua *deum.*

Cicero vero aspera difficilia aditu *dixit*, *cum ait:*

Loca aspera, saxa tesca tuor.

Accius in Philocteta:

Quis tu es mortalis, *qui in deserta*, et tesqua te adportas loca?

Tonsillam[2] *ait* esse Verrius palum dolatum *in acumen*, *et* cuspide praeferratum, ut
*f. configi existi*mat*, *quem* cum figi* in litore navis *religandae* causa. Pacuvius in Medio**:
**f. Medo. †f. tonsillam Accessi *ad* eam, et tosillam† pegi laeto in litore.

Accius Phinidis[3]:

††f. laeto Tacete, et tonsillas *litore laedo*†† edite.

Tonsam Ennius signi‖ficat remum, quod quasi tondeatur ferro cum ait l. VII.: [164]

Poste recumbite, vestraque pectora pellite tonsis.

item:

Pone petunt, exin referunt ad pectora tonsas.

et in Asota:

Alius in mari vult magno tenere tonsam.

Thymbraeum Apollinem Vergilius a monte Thymbraeo appellavit, qui est in agro
f. Tolleno Troiano. Tolenno est genus machinae, quo trahitur aqua, alteram partem praegravante pondere, dictus a tollendo. Tolerare, patienter ferre. Accius in Neoptolemo:

f. Haud Aut quisquam potis est tolerare acritudinem.

Ennius l. II.:

f. caedi, Ferro se caede, quam dictis his toleraret.

Toles tumor in faucibus quae per deminutionem tonsillae dicuntur. Tullianum, quod dicitur, pars quaedam carceris, Ser. Tullium regem aedificasse aiunt. Taxat[4] verbum
*f. iis, **f. arbitriove †f. ius sit ponitur in his*, quae finiuntur, quoad tangi liceat. in litibus quoque arbitrove** cum proscribitur, quoad ei iussit† statuendi. Taxatio dicitur, quae fit certae summae. a tan-

licum. Locum hunc ad verbum suae integritati restitutum arbitramur. *Urs.* — 1) *Tesca.*] Accii versus apud Varronem lib. 6. corrigendus ex eo, quem hic citat Festus; atque ita legendus: *Quis tu es mortalis, qui in deserta, et tesca te adportes loca? loca enim quae sint, designat, cum dicit. Hephaesti lares* etc. nam verbum *praestolare* ita mutavimus. *Lemnia* vero, 'quod bis positum est, videtur adiectum. *Urs.* — 2) *Tonsillam.*] *Phinidis* non est mutandum in *Phoenissis:* nam haec Accii tragoedia citatur a Nonio pluribus locis, in quibus manuscripti

gendo autem dici etiam scaenici testimonio sunt, qui taxatores dicuntur, quod alter alterum maledictis tangit. **Tabernacula** dicuntur a similitudine tabernarum, quae ipsae, quod ex tabulis olim fiebant, dictae sunt, non ut quidam putant, quod tabulis claudantur. **Tagit.** Pacuvius in Teucro:

Ut ego, si quisquam me tagit.

et tagam. Idem in Hermiona:

Aut non cernam, nisi tagam.

sine dubio antiqua consuetudine usurpavit. nam nunc ea sine praepositionibus non dicuntur, ut contigit, attigit. **Tablinum**[5] proxime Atrium locus dicitur, quod antiqui magistratus in suo imperio tabulas . . . . . .[6]. ||

Tabem eam, quae faceret tabescere, apud antiquos || usurpatum. Sallustius quoque frequenter, ut in Catilina, cum ait: Uti tabes plerosque civium animos invaserat. Et in lib. IV. historiarum: Qui quidem mos, ut tabes, in Urbem coierit*. Et Corvinius** pro Liburnia: Propter hanc tabem atque perniciem domus totius. **Tabellis** pro chartis utebantur antiqui, quibus ultro citro †, sive privatim, sive publice opus erat, certiores absentes faciebant; unde adhuc tabellarii dicuntur et tabellae missae ab imperatoribus. **Tagax**[7] surunculus a tangendo ††, cuius vocabuli Lucilius meminit: [187. 188]

*al. coniectus. **f. Cornificius. †f. citroque. ††f. tagendo.

Et mutonis manum perscribere* posse tagem**.

*f. manu perscabere. **f. tagacem.

Tages nomine Genii filius, nepos Iovis, puer dicitur discipulinam dedisse aruspicii duodecim populis Etruriae. **Taminia**, uvae sylvestris genus, videtur Verrio dicta, quod tam mira sit, quam minium. **Talus** in Sabinorum nominibus praenominis loco videtur fuisse. **Talentorum** non unum genus. Atticum est sex millium denarium. Rhodium et † Cistophorum quatuor millium et quingentorum denarium. Alexandrinum XII. †† denarium. Neapolitanum sex* denarium. Syracusanum trium** denarium. Rheginum victoriati †. **Tamne** eo usque, ut Aelius Stilo et Opillus †† Aurelius interpretantur. Itaque Afranius:

†f. septem millium. ††f. XII. m. *f. sex m. **f. III. millium. †f. Lacuna significata in Ven. Sc. ††f. Opilius.

Tamne arcula tua plena est aranearum?

Thaleae nomen dictum est* alis ab aetatis flore aiunt, alii quod carmina semper floreant. **Talipedare** antiqui dicebant pro vacillare pedibus lassitudine, quasi qui trahit pedes, ut talis videatur insistere, aut identidem tollere pedes. **Tam** significationem habet, cum ponimus, praepositivam quandam, cui subiungimus quam; ut cum dicimus: tam egregium opus tam parvo pretio venisse, || id est sic, ut apud Graecos quoque οὕτως ἀγαθόν. Item ex contrario ei dicimus: quam malus Homerus, tam bonus Cherylus* poeta est. At antiqui tam etiam pro tamen usi sunt, ut Naevius: [189]

*f. esse. *f. Choerilus.

Quid* si taceat, dum videat, tam etiam sciat, quid scriptum sit.

*al. Qui.

habent *Phinidae. Urs.* — 3) *Phoenissis* marg. Ven. Scal. — 4) *Taxat.*] Verbum *iussit*, mutavimus in *ius sit*, quod in legum fragmentis est antiquo modo scribendi, *IOVS. SIET. Urs.* — 5) *Tablinum.*] De *Atrio* vide supra in *Scriboniamum. Urs.* — 6) Hic finitur Fragmentum Festi. Sequitur iam reliqua pars schedarum, quae apud Pomponium Laetum exstabant, Festi fragmento detractae. — 7) Lucili versus ita emendandus: *Et mutonis manu perscabere posse tagacem. Urs.*

Ennius:

Illae meae tam potis pacis potiri.

Titinius:

Bene cum facimus, tam male subimus, ut quidam perhibent viri.

Item:

*f. Quam. **f. ea me castor

Quanquam* estis nihili, tam escator** simul vobis consului.

Tandem quom significat aliquando, interdum tamen ex supervacuo ponitur. ut apud Ter. in Phormione, quom ait:

Itane tandem uxorem duxit Antipho iniussu meo?

non enim hic tempus ullum significat. At Cicero etiam duplicat temporalem significationem, cum ait: Tandem aliquaudo. **Tauri verbenaeque** in commentario sacrorum significat ficta farinacea. **Tama** dicitur, cum labore viae sanguis in crura descendit, et tumorem facit. Lucilius: *

*al. Lucretius.

Inguenne existat, papulae, tama, neboa noxit.

Taenias, Graecam vocem sic interpretatur Verrius, ut dicat ornamentum esse laneum capitis honorari, ut sit apud Caecilium in Androgyno:

Sepulchrum plenum taeniarum, ita ut solet.

et alias:

*f. qua

Dum taeniam qui* voluus vinciret.

Ennius in Alexandro:

Volans de caelo cum corona, et taeniis.

Accius in Neoptolemo:

*al. e taeniis

Decorare est satius, quam urbem exeneis*.

Taedulum antiqui interdum pro fastidioso; interdum, quod omnibus taedio esset, ponere soliti sunt. **Tatium** occisum ait Lanivii* ab amicis eorum legatorum, quos interfecerant Tinini* latrones, sed sepultum in Aventiniensi laureto. Quod ad significationem verborum non magis pertinet, quam plurima alia, et praeterita iam, et deinceps || quae referentur. **Taurorum** specie simulacra fluminum, id est cum cornibus, [190] formantur; quod sunt atrocia, ut tauri. **Talionis**[1] mentionem fieri in XII. ait Verrius hoc modo:

*al. Lavinii *al. Tatiani

Si membrum rapit*, ni cum eo pacit, talio esto.

*f. rapsit, al. rapit,

neque id, quid significat indicat, puto quia notum est. permittit enim lex parem vindictam. **Tarquitias scalas**, quas rex Tarquinius Superbus fecerit, abominandi eius nominis gratia ita appellatas esse ait volgo existimari. **Tarpeiae esse*** effigiem ita appellari putant quidam in aede Iovis Mettellina, eius videlicet in memoriam virginis, quae pacta a Sabinis hostibus ea, quae in sinistris manibus haberent ut sibi darent, intromiserit eos cum rege Tatio, qui postea in pace facienda caverit a Romulo, ut ea Sabinis semper

*al. etiam

1) *Talionis.*] Liber manuscriptus habet, *rapit*, pro *rupit*, ut fortasse *rapsit*, sit legendum. Vide supra in *Pacionem. Urs.* — 2) *Tappulam.*] Vide in *Sodales. Urs.* — 3) Lege: *meminit.* — 4) *Trientem.*] Pro verbo *decima*, magis placet *deditione*, et infra legendum: *Item si tres asses sunt, et quadrans, quartus dicitur* etc. — 5) *Tripudium.*] Desiderantur haec in aliis editionibus. Supra in *Puls*: Tripudium, inquit, id est terripavium. pavire enim ferire est etc. *Tri–*

pateret. Tam perit, quam extrema faba in proverbio est, quod ea plerumque aut proteritur, aut decerpitur a praetereuntibus. Tappulam [2] legem convivalem ficto nomine conscripsit iocoso carmine Valerius Valentinus, cuius m. [3] Lucilius hoc modo:

Tappulam rident legem concere* opimi. *f. congerae,

Termonem Ennius Graeca consuetudine dixit, quem nos nunc terminum hoc modo:

Ingenti vadit cursu, qua redditus termo est.

et:

Hortatore bono prius, quam finibus termo.

Trientem [4] tertium pondo coronam auream dedisse se Iovi donum scripsit T. Quintius Dict. . . . . quom per novem dies totidem urbes, et decimam* Praeneste cepisset. *f. deditione id significare ait Cincius in Mystagogicon L. II. duas libros pondo et trientem; qua consuetudine hodieque utimur, quom lignum bes alterum dicimus, id est pedem, et bessem latitudinis habens. et sestertium, id est duos asses, et semissem tertium. item si || tres asses sunt et* quadrans quartus** . . . . . Tersum diem pro [191] sereno dictum ab antiqnis, nec se habere rei auctorem ait. Teretinatibus a flumine . . . . . Tripudium [5] . . . . ciis. in exultatione tripudiat . . . . a terra pavienda, nam pavire, est ferire, a quo et pavimenta. id ex Graeco, quod illi παίειν, quod nos ferire . . . . mum intactus usur . . . . . . Teminare, violare . . . . et contaminare, dictum videlicet . . ilintate. Teres est in longitudine rotundatum. quales asseres natura ministrat. Temetum, vinum. Plautus in Aulularia:

*f. A. quadrans, **f. A. dicitur,

Cererin', Strobile has facturi nuptias? qui? quia temeti nihil allatum video.

Pomponius in Decima:

Non multi temeti, sed plurimi.

Novius in duobus Dossenis:

Sequimini praeminate, sequere, temeti timor.

idem in Funere:

Agite, exite, temulentum* tollite: *al. temulentiamque

et in Surdo:

Filias habeo temulentas, sed eccas video incedere.

Afranius in Consobrinis:

Pol magis istius temulentae, futilis.

Tintinnare est* apud Naevium hoc modo: *al. Titinnire

Tantum ibi molae crepitum faciebant, tintinnabant compedes.

et apud Afranium:

Ostiarii impedimenta tintinnire audio.

pudium dicebatur in auspiciis, videtur fuisse in exemplari. deinde Festus afferebat exemplum ex aliquo scriptore disciplinae auguralis. Quod autem addit *pavimenta* dicta esse a pavire, et pavire a Graeco παίειν, si verum est, verum erit et illud, paire pro pavire antiquioribus in usu fuisse, cum paimenta pro *pavimenta* in vetustissima inscriptione sit. *Urs.* — 6) *Titinnare.*] Pro *molle*, vel ut alii emendarunt, *mollem*, in schedis est *molae*, eaque vera lectio est. *Urs.*

al. aliud Tributorum[1] conlationem, quom sit alia in capite, illud ex censu, dicitur etiam quoddam temerarium, ut post Urbem a Gallis captam conlatum est, quia proximis XV.[2] *f. populus annis census alius* non erat. Item bello Punico secundo M. Valerio Laevino, M. Clau- *al. potuit, dio Marcello cos. quom et Senatus, et populus in aerarium, quod habuit*, detulit.

Tentipellium[3] Artorius putat esse calciamentum ferratum, quo pelles exten- *al. Primo. duntur, indeque[4] Afranium || dixisse in Promo*: [192]

Pro manibus credo habere ego illos tentipellium.

Titinium ait Verrius existimare, id medicamentum esse, quo rugae extendantur, quom dicat:

Tentipellium inducitur, rugae in ore extenduntur.

quom ille[4)] τροπικῶς dixerit. Tignum non solum in aedificiis, quo utuntur, appellatur, sed etiam in vineis, ut est in XII.: Tignum iunctum aedibus, vineave, et con- *f. capulo capit* ne solvito. Tela proprie dici videntur ea, quae missilia sunt. ex Graeco videlicet translato eorum nomine, quoniam illi τηλόθεν missa dicunt, quae nos eminus. sicut arma ea, quae ab humeris dependentia retinentur manibus, quoniam quidem non minus in nobis eam partem corporis armum vocari existimandum est, quam . . . . . Tigillum Sororium. Vici[5] appellari incipiunt ex agris, qui ibi villas non habent, ut Marsi, aut Peligni. sed ex vicis partim habent remp. et ius dicitur, partim nihil eo- *al. habentur rum, et tamen ibi nundinae aguntur* negotii gerendi causa, et magistri vici, item magistri paci[6] quotannis fiunt. altero, cum id genus aedificiorum definitur, quae continentia sunt his opidis, quae itineribus, regionibusque distributa inter se distant, nominibusque dissimilibus discriminis causa sunt dispartita. tertio, cum id genus aedificiorum definitur, quae in oppido privo, id est, in suo quisque loco proprio ita aedificat, ut in eo aedificio pervium sit, quo itinere habitatores ad suam quisque habitationem habeat accessum, qui non dicuntur vicani sicut hi, qui aut in oppidi vicis, aut hi, qui in agris sunt, vicani appellantur.

Viget dictum videtur a vi agendo, sed non vi || agendis hostilibusque [193]
*f. celeriter **f. tendunt rebus, verum his, quae celer* . . . concitato animo ad bonam frugem ten** . . †al. fecilitram . . . . Voisgram avem, quae se vellit. Augures hanc eandem fucillantem† appellant . . . . Vigintiquinque[7] poenas in XII. significat vigintiquinque asses. Victimam[8] Aelius Stilo ait esse vitulum, ob eius

1) *Tributorum.*] Opinor in exemplari fuisse, *census populus*, et deinde verbum *poplus* in *alius* mutatum. extant lectionis antiquae vestigia in schedis. *Urs.* — 2) *quinque* marg. Ven. Scal. — 3) *Tentipellium.*] *Indeque* pro *idem*, melius in schedis. *Urs.* — 4) *idem Afranio* Ven. Sc. — 5) *Vicis.*] In schedis integra lectio habetur, et emendata. Nam *paci*, antiqua scribendi consuetudine dictum est pro *pagi*. supra in *Orcus*. Per c, inquit, litterae formam, nihilominus c. usurpabant. et in columna Duilii *MACISTRATOS* reperitur et *LECIONES.* Reliqua etiam emendatiora in schedis: *Altero, cum id genus aedificiorum definitur, quae continentia sunt his oppidis, quae itineribus, regionibusque discriminis causa sunt dispartita.* et in fine, *in oppidi vicis*, et *vicani*, utroque loco habent schedae. — 6) *magistri paucique* Ven. Sc. cum signo lacunae. *pagi* in marg. Ven. Sc. — 7) *Vigintiquinque.*] Agellius lib. 20. cap. 1.: Si iniuria alteri faxit, vigintiquinque aeris poenae sunto. Sed aeris puto adiectum. Vide Plinium lib. 16. cap. 1. *Urs.* — 8) *Victimam.*] In schedis est, *ob hostes victos* pro *ad hostes victos*, parva mutatione. nam Augustiniana emendatio nimis abest ab antiqua scriptura. pro *vincta* in schedis est, *victa*. ut fortasse *vitta* scriben-

vigorem, alii autem, quae vincta ducatur ad altare: aut quae ad* hostis victos immoletur. Vectigal, aes appellatur, quod ob tributum, et stipendium, et equestre, et ordinarium populo debetur. Viae sunt et publicae, per* . . . e omnibus licet. privatae, quibus vetitum uti . . . praeter eorum, quorum sunt privatae . . . . vias muniunto. dionisam lapides sunt, qua volet, iumenta agito. Viatores appellantur, qui magistratibus apparent. eo quia initio omnium tribuum, cum agri in propinquo erant urbis, atque assidue homines rusticabantur, crebrior opera eorum erat in via, quam urbe, quod ex agris plerumque homines vocabantur a magistratibus. Verticulas, cum ait Lucilius, ita appellavit vertebras. Vernae, qui in villis vere nati, quod tempus duce natura feturae est: et tunc rem divinam instituerit Marti Numa Pompilius pacis concordiaeve obtinendae gratia, inter Sabinos Romanosque, ut vernae viverent, ne vincerent. Romanos enim vernas appellabant, id est ibidem natos, quos vincere perniciosum arbitrium Sabinis, qui coniuncti erant cum P. R. Vergiliae dictae, quod eorum ortu ver finitur, aestas incipit. Vastum[10] pro magnum. ponitur tamen et pro inani. Accius:

Iam hanc urbem ferro vastam faciet Peleus.

et Pacuvius: ||

Quales, scabres quod* inculta vastitudine. [194]

Ve victis[11], in proverbium venisse existimatur, cum Roma capta a Senonibus Gallis aurum ex conventione et pacto adpenderetur, ut recederent, quod iniquis ponderibus exigi a barbaris querente AP. Claudio, Brennus rex Gallorum ad pondera adiecit gladium, et dixit: ve victis. quem postea persecutus Furius Camillus, cum insidiis circumventum concideret, et quereretur contra foedus fieri, eadem voce remunerasse dicitur. Vegrande significare alii aiunt male grande; ut vecors, vesanus, mali cordis, maleque sanus. alii, parvum, minutum, ut quom dicimus, vegrande frumentum. et Plautus in cistellaria:

Qui nisi itures[12] nimium is vegrandi gradu.

Vecors[13] est turbati et mali cordis. Pacuvius in Iliona:

Qui veloci superstitione cum vecordi coniuge.

et Novius in . . .

Coactus testimoniam[14] ex animo deturbat et Vecordiam.

Vapula Papiria, in proverbio fuit antiquis, de quo Sinnius Capito sic refert, tum dici

*f. ob

*f.A. quas ir

*f. squale, scabre atque

dum sit. nam boves auratis cornibus vittis ornati, et sertis ad aram ducebantur, praeterea Servius in 2. Aen. ita scribit: Solutae sunt hostiae, nam piaculum est in sacrificio aliquid esse religatum, ante enim ligabantur. Sed nihil mutandum censeo. *Urs.* Pro *ad hostis victor* marg. Ven. et Scal. *hostibus victis*, quae Augustini est coniectura, quam Urs. dicit. — 9) *Viae.*] Desideratur haec vox in aliis editionibus. in ea vero Festus agebat, ut ex reliquiis eius apparet, de viis publicis, et privatis. et antiquam legem referebat de viis muniendis, iisdemque lapide sternendis, ut quae stratae lapidibus essent, per eas iumenta agere liceret. Extat inscriptio in quodam denario Augusti: *QVOD. VIAE. MVNITAE. SVNT. Urs.* — 10) *Vastum.*] Videndus Nonius in *Vastitudine.* apud quem extat versus Pacuvii ex Teucro, quem hic Festus citat, ut nos emendavimus. *Urs.* — 11) *Ve victis.*] In schedis est *Brennus rex*, pro quo in margine alia manu, eius fortasse, qui schedas illas cum exemplari antiquo contulit, dux pro rex notatum est. et *pensum*, pro *appenderetur. Urs.* — 12) *iteres* Ven. Sc. — 13) *Vecors.*] Exempla Pacuvii, et Nonii desiderantur in aliis editionibus. *Urs.* — 14) *tristimoniam* Pr.

*f. sibi

solitum esse, cum vellent minantibus ibi* significare se eos negligere, et non curare, fretos iure libertatis. Plautus in Feneratrice:

Heus tu in barbaria quod fecisse dicitur libertus suae patronae,
ideo dico . . . . . liberta salve. Vapula Papiria.

in barbaria est, in Italia. Aelius hoc loco vapula positum esse ait pro dole; Varro, pro peri. teste Verentio in Phormione:

Num tu . . . . resipis verbero.

et Plauto in Curculione:

Reddin', an non mulierem prius,
quam te huic meae machaerae obicio mastigia?
Vapula ergo te* vehementer iubeo, ne me territes.

*f. Vapulare ego

Vacerram[1] Aelius et alii complures vocari aiunt stipitem, ad quem equos solent religare. Ateius ve||ro Philologus hoc nomine significari maledictum magnae acer- [195] bitatis, ut sit vecors et vesanus teste Livio, qui dicit:

Vecorde, et malefica vecordia*.

*f. malefice, vacerra.

Vagorem pro vagitu, Ennius li. XVI.:

Qui clamor[2] oppugnantis vigore volanti.

Lucretius li. II.:

Et superantur, item miscetur funere vagor.

*f. fracti

Valvoli fabae folliculi appellati sunt, quasi vallivoli, quia vallo facti* excutiantur. Vagulatio in L. XII. significat quaestio cum convicio: Cui testimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito. Valgos Opillus Aurelius, aliique complures aiunt dici, qui diversas suras habeant. Plautus in Milite glorioso:

Qui talos vitiosos maiorem partem videas vagi salis:

et in Silitergo:

Sin ea mihi insignitos pueros pariat postea,
aut varum, aut valgum, aut compernem, aut paetum, aut bocchum filium.

Viere[3], alligare significat, ut hic versus demonstrat:

Ibant malaci viere Veneriam corollam;

unde vimina, et vasa viminea, quae vinciuntur ligata. Vermina dicuntur dolores corporis cum quodam minuto motu quasi a vermibus scindantur. hic dolor Graece στρόφος dicitur. Veruta[4], pila dicuntur, quod* . . habeant praefixa. Ennius L. X. . . .

*A. verua.

cursus quingentos saepe veruti.

Uruat[5], Ennius in Andromeda significat, circundat, ab eo sulco, qui fit in urbe condenda uruo aratri, quae sit forma simillima uncini a curvatione buris et dentis; cui praefigitur vomer. ait autem:

Circum sese uruat ad pedes a terra quadringentos caput.

1) *Vacerra.*] Pro *malefica vecordia* in versu Livii, nisi *malefice vacerra* legamus, non video cur Livium citet Festus. *Urs.* — 2) *Cui clamas* marg. Ven. Scal. — 3) *Viere.*] Haec quoque in aliis editionibus desiderantur. Ennii versus extat apud Varronem lib. 4. de Ling. Lat. apud quem *malaci* est, ut in schedis. *Urs.* — 4) *Veruta.*] Ennii versus deest in aliis editionibus nec in schedis integer habetur, aut emendatus satis. *Urs.* — 5) *Uruat.*]

Ungulus[6] Oscorum lingua anulus, ut . . . . . .

si quid monumenti nacta est, qui eorum requireret,
est ungulus quem ei detraxit ebrio.

Pacuvius in Iliona:

Repugnanti ego porro hunc vi detraxi ungulum;

et in Atalanta:

Sus||pensum laevo brachio ostendo ungulum. [196]

Unciaria[7] lex appellari coepta est, quam L. Sulla et Pompeius Rufus tulerunt, qua sanctum est, ut debitores decimam partem . . . . dicebant antiqui, cuius color inficiendo mutatur, ut Ennius cum ait:

Cum illud, quo iam semel est imbuta veneno.

Ventabant dixisse antiquos verisimile est, cum et praepositione adiecta . . . . . adventabant. V.ntupum est, vel . . . . quod Graeci ὕειν dicunt. Venditiones dicebantur olim Censorum locationes; quod velut[8] publicorum locorum venibant. Viminalis et porta et collis appellantur, quod ibi viminum fuisse videtur silva, ubi est et ara Iovi Viminio consecrata. Vindex ab eo quod vindicat, quo minus is, qui prensus est, ab alio teneatur. Vineae, ut Verrius praecipit, quod vino feraces sint, etiam militares quaedam machinationes a similitudine appellantur. Vivatus et vividus a poetis dicuntur a vi magna. Vindiciae[9] appellantur res eae, de quibus controversia: quod potius dicitur ius, quia fit inter eos, qui contendunt *. Cato in ea, quam scribit L. Furio de aqua . . . . s. Praetores secundum populum vindicias dicunt . . Lucilius:

Nemo hic vindicias, neque sacra neque numen veretur.

de quo verbo Cincius sic ait: Vindiciae olim dicebantur illae, quae ex fundo sumptae in ius adlatae erant. at Ser. Sulpicius . . . . iam singulariter formato vindiciam esse ait, qua de re controversia est, ab eo quod vindicatur . . . . et in XII.: Si vindiciam falsam tulit, si velit is*, . . tor arbitros tres dato, eorum arbitrio . . fructus duplione damnum decidito.

*f. aut potius dicuntur vindiciae inter eos, qui contendunt.

*f. rei, sive litis.

Placidus in Glossis: Oburbas, circumscribis. dictum ab urbo. Versus Ennii emendatior in schedis. *Urs.* — 6) *Ungulus.*] *Nacta*, legendum. et *siquis requiret.* pro corrupto autem verbo, *elirio*, in schedis est, *ebrio*, quae vera lectio est. *Urs.* — 7) *Unciaria.*] Quae sequuntur, quo pertineant, quaerendum. incerta item sunt, quae post verbum *Ventabant*, habentur. *Urs.* — 8) *Velut fructus publicorum* Pr. Ven. Scal. — 9) *Vindicias.*] In exemplo XII. tabularum, quod in fine adducit Festus, schedae ante *arbitros* habent amplius dimidiatum verbum . . . . . *tor*, ut integrum fortasse fuerit, *Praetor*, et ita sit legendum, *Praetor arbitros tres dato. Urs.*

COMMENTARII

IN

PAULLUM ET FESTUM.

SERENISSIMO DELPHINO

S. P. D.

ANDREAS DACERIUS.

Si mihi cum alio principe nunc res esset, eique Festi Pompei libros offerrem, mihi fortasse verendum foret, ne ille ditissimos antiquitatis Romanae thesauros, ignorans, velut inutile munus aspernaretur. Tibi vero eos hodie consecro, DELPHINE SERENISSIME, *qui non solum pleno gradu in literarum studiis processisti, sed intima quoque disciplinarum penetralia reserasti, et sic etiam incredibili semper nova discendi cupiditate teneris. Quare tuto augurari posse videor, fore ut volens propitiusque Festum Pompeium accipias, qui si non omnem sitim tuam explere, eam certe lenire possit, et liquidissimo salientium aquarum flumine temperare. Vera dico,* DELPHINE SERENISSIME, *inter praestantissimos scriptores qui res Romanas literis mandarunt, nullus est qui te plura bona doceat, imo et ipse solus est qui te multa doceat, cum aliis scriptoribus intacta, tum et superioribus nostris saeculis inaudita.*

Ipse quidem de verborum significatione in hisce commentariis acturum se profitetur, sed quamvis late pateant verborum significationes, differentiae, proprietates, eaque vera totius eloquentiae fundamenta dici possint, plus tamen habet in recessu, quam in fronte promittit. Nam si perdiscendum ius civile: si cognoscendae leges: si percipienda omnis antiquitas, senatoria consuetudo, disciplina Reipublicae, iura sociorum, foedera, pactiones: si caussa imperii cognoscenda, eorum omnium fontes tibi noster aperiet. Ille tibi duodecim tabulas explicabit, unde ius commune Galliarum manasse, iam diu est cum ex Iustiniani Imperatoris et promulgatis et compositis legibus cognovisti. Ille tibi eruet veneranda iuris Pontificii Romanorum, ritualium librorum, commentarii sacrorum monimenta: leges Regias interpretabitur, Romuli, Tatii, Numae, Servii Tullii: Augurales libros evolvet: auspiciorum cerimonias illustrabit, foedera et Saliaria carmina vix sacerdotibus suis satis intelligenda. Ille te Senatorum reliquorumque Magistratuum consuetudinem, ducum et imperatorum ritus, arcana imperii et militiae disciplinam docebit. In iis quaedam interiecta fateor, DELPHINE SERENISSIME, *quae te vix digna fortasse videantur, praesertim ea aetate qua nunc es, quaque iam ab invictissimo tuo parente in imperii partem ascitus, consiliorumque omnium particeps factus, nihil aliud tibi agendum proponis, quam ut eius divinam eloquentiam imiteris, sicut eius res gestas olim imitaberis cum factis tuis super omnes omnino imperatores tete compo-*

nes. Verum et illa ipsa non ingenia puerilia, sed altissimam exercere eruditionem ac scientiam possunt. Praeterea, ut Fabii verbis utar, Grammaticorum illae artes non obstant per eas euntibus, sed in iis haerentibus. Neque enim Caii Caesaris praestantissimi imperatoris dignitatem minuerunt, vel vim fregerunt editi de analogia libri. Viris principibus, non minora didicisse, sed maiora neglexisse, flagitium est. Tu igitur, Delphine Serenissime, *qui maximas animo disciplinas amplexus es, ne quam laudem vel Caesaribus ipsis reliquisse videaris, utere Festo Pompeio, seu, ut verius dicam, Verrio Flacco. Illum olim Augustus nepotibus suis praeceptorem elegit, et illum hodie sapientissimi Lodoici Magni iussu tibi et notis et emendationibus illustravi. Neque tam infelicem, si Deo placet, ei operam contulerim, ut non aliquando in maximis difficultatibus et densissimis tenebris quae nigrore suo eum occaecant, tibi facem praeluceam. Hoc si mihi contingat,* Delphine Serenissime, *totum illud flagrantissimo studia tua iuvandi tibique memet probandi desiderio est imputandum. Cum enim neque usu satis, doctrina et ingenio parum possim, ex desiderio illo mihi subsidium petivi, illud mihi in nocte vel atra lumen fuit, et haec omnia, qualiacumque sint, doctrinam, ingenium, industriam et exercitationem suppeditavit. Vale,* Delphine Serenissime, *et si aliquos, vel utilitatis, vel voluptatis fructus ex lucubratiunculis nostris percepturus es, mihi crede, eos annos tantum me vere vixisse existimabo, quos in laboribus istis consumpsero. Vale diu,* Delphine Serenissime, *mihique tibi nova subinde paranti fave.*

PRAEFATIO DACERII.

Postquam Illustrissimus et omnium virtutum emendatum exemplar, Carolus Sancta-Mauraeus Montauzerii Dux Serenissimi Delphini adolescentiae moderator factus est, Divinumque illum et omni sua cura dignum infantem gremio suo impositum suscepit, eo studia omnia contulit ut iis virtutibus alumnum suum imbueret, quae robustum quoque, et iam magnum principem, olim etiam, sed post multos annos, si Deo placet, maximum Regem, ab illa puerili institutione prosequerentur. Eum igitur omnibus disciplinis, et humanioribus praesertim literis instituendum curavit. Eaque semina ut profundiores radices agerent, Invictissimo et Sapientissimo Regi autor fuit, ut viris eruditis omnes Latinos auctores in usum Serenissimi Delphini, notis et interpretationibus illustrandos mandaret.

Nihil quidem, Serenissimo Delphino, deerat ad veram et solidam doctrinam adipiscendam. Praestantissimo Praeceptore utebatur Illustrissimo ac Reverendissimo Iacobo Benigno Bossuetio, Episcopo Condomensi, cui etiam in partem curarum ascitus Illustris et admodum Reverendus P. Daniel Huetius Abbas Alnetanus, omnium artium ad miraculum eruditus. Sed verebatur Illustrissimus Montauzerii Dux, ne cum olim praeceptoribus exemptus esset Serenissimus Delphinus, togamque mutasset, multa elaberentur quae illi sapienter tradita fuerant. Quare in consequentes annos hoc ei subsidium paravit.

Praeterea cum intelligeret Rex Sapientissimus non minus politicae quam belli artibus regna constare, suum esse duxit, quantum Imperii sui terminos protulisset, tantum etiam promovere artes politicas. Illudque ab eo ita praestitum est ut dubitari possit plusne industriae ei co-

ronis nectendis adhibeant, Mars, Pallas, Enyo, bellipotentia illa numina, an Apollo ipse omnisque Musarum chorus.

His accedit etiam, quod sic vere paternum in subditos animum se testari posse putavit Rex Optimus, si eis ad literas ita viam muniret, ut qui in re tenuissima essent, nihilominus vel minimo sumptu regiae institutionis participes esse possent.

Haec sunt, Lector, quae tecum communicata oportuit, nunc de Festo Pompeio et hocce meo instituto dicere aggrediar, si prius aliquid de Verrio dixero.

Ex Suetonio discimus Marcum Verrium Flaccum nobilissimum grammaticum sub Augusto floruisse, eiusque nepotibus praeceptorem electum in palatio docuisse. Multa scripserat, citantur enim eius libri *rerum memoria dignarum: De obscuris Catonis; De verborum significatione: Epistolae: Carmina*, et alia multa. Sed eorum fragmenta quaedam ad nos pervenerunt, quae sitim tantum nostram accendunt. Soli de verborum significatione libri integriores servati sunt cura Pompeii Festi qui eorum epitomen fecit.

Sexti Pompeii Festi aetatem incertam putant viri doctissimi, qui et eum multo antiquiorem faciunt, quam fuit. Sed Eruditissimus Vossius eum sub Imperatoribus Christianis vixisse vere coniecit ex eiusdem verbis in *supparus;* cum enim dicat supparos appellari vela linea in crucem expansa, inde recte colligitur eum iis temporibus natum quibus sacra crux in honore habita est. Certe dubitari non potest quin post Martialem et Canium vixerit, cum eos laudet. His argumentis alterum addi potest, Festum Pompeium a nullo autore citari qui ante ea tempora scripserit. Hic Verrii de verborum significatione libros breviavit, ibique intermortua et sepulta verba praeteriit. Cave tamen istos *de verborum significatione* libros eosdem esse credas ac eos qui dicuntur priscorum verborum cum exemplis. Viros doctos qui ita existimarunt in errorem induxit hic Festi locus male intellectus in voce profanum: *Cuius* (Verrii) *opinionem neque in hoc, neque in aliis compluribus refutare minime necesse est, cum propositum habeam ex tanto librorum eius numero, intermortua iam et sepulta verba, atque ipso saepe confitente nullius usus aut auctoritatis praeterire, et reliqua, quam brevissime redigere in libros admodum paucos. Ea autem de quibus dissentio, et aperte et breviter ut sciero scripta in his meis libris invenientur qui inscribuntur priscorum verborum cum exemplis.* Sed haec tantum innuunt Festi consilium fuisse in hisce libris *de verborum significatione*, Verrii Flacci eiusdem argumenti libros in epitomen redigere, praeteritis tantum verbis intermortuis, et sepultis. Tum et alterum volumen conficere *priscorum verborum cum exemplis*, ubi ea tantum referre cogitabat, quae in prioribus hisce de verborum significatione praeteriisset, et breviter ea de quibus dissentiret exponere. Et haec aliter intelligi non posse fatebuntur qui attendent Festum in hisce de verborum significatione libris neque Verrii reprehensionem instituere praeter quam in locis admodum paucis, neque multa verba intermortua aut sepulta referre, quae scilicet in alium locum reservabat, quod et ipse testatur alicubi. Audi illum in voce *Tatium: Tatium occisum ait Lavinii ab amicis eorum legatorum, quos interfecerunt Tatiani latrones, sed sepultum in Aventino Laureto. Quod ad significationem verborum non magis pertinet, quam multa alia et praeterita iam et deinceps quae referentur.* Ubi cum dicat Festus se iam multa praeteriisse quae deinceps relaturus esset, aperte significat se ea omnia in libros *priscorum verborum* reservasse. Neque enim multa adhuc in libros *de verborum significatione* relaturus erat cum iam ad eorum metam pervenisset.

Necesse est igitur Festum scripsisse *de verborum significatione*, et *de verbis priscis.* Posteriores eius lucubrationes plane interciderunt, nescio etiam an umquam in publico visae sunt.

Dubitari certe potest an eas autor absolverit, vel e manibus suis emiserit, quamquam ad earum exemplum Fulgentius Placiades librum unum inscripsisse videtur: *Expositio sermonum antiquorum cum testimoniis.*

Libri *de verborum significatione* integri extitere usque ad tempora Caroli Magni, queis Paulus Diaconus Longobardus, homo confidentissimus et ineptissimus eos mutilavit, corrupit. Victo enim ac profligato Desiderio qui ultimus Longobardorum rex fuit, captus a Carolo Magno Imperatore, magnam et a victore et a posteritate se initurum gratiam putavit, si Sexto Pompeio Festo faceret quod ipse Verrio fecisset. Sed homo barbarus hunc scriptorem quo utiliorem lingua Latina non habet, ita accepit, foede laniavit, et inhonestis vulneribus confecit, ut cadaver pro homine, truncum pro corpore, semianimem pro vivo nobis reliquerit. Magno tamen favore et plausu exceptus est barbari mutilatoris liber, et loco Festi in omnibus bibliothecis substitutus. Unde brevi factum est ut verus Festi liber non amplius apparuerit. Unus tantum adhuc extabat cladis superstes, sed qualis incendio ereptus, consumptis vestibus, ustulatis membris, deformata facie, vel qualem ille.

— — — — — — *Laniatum corpore toto*
Deiphobum vidit, *etc.*

Ex Anton. August. Ex Politian. Cent. 1. cap. 73. Eius libri advecti ex Illyrico habuit aliquas pagellas Pomponius Laetus, ut Pius, ut Politianus scripserunt. Maiorem libri partem Manilius Rallus. Ab his Angelus Politianus librum accepit, agnovit et exscripsit. Pervenerunt reliquiae libelli ad Aldum Manutium, qui conatus est cum Pauli epitome eas coniungere et unum corpus ex duplicibus membris conficere. Simili ratione ex utroque libro confectus alter liber extabat apud Achillem Mafeum Bernardini Cardinalis fratrem, qui Aldino locupletior. Eum exscripsit vir eruditissimus Antonius Augustinus Episcopus Ilerdensis, et hoc amplius lectores admonuit, quae Festi, quae Pauli essent. Omnia quoque fragmenta quae habuerat ex bibliotheca Amplissimi viri Farnesii Cardinalis describi curavit, et commentariis illustravit. Post eum criticorum Princeps Iosephus Scaliger, huic autori emendando diligentissimam operam praestitit, multa vulnera sanavit et pauca alienae diligentiae reliqua fecisset si emendatiorem codicem nactus esset. Hunc secutus Illustris et de literis optime meritus Fulvius Ursinus, qui cum videret Antonium Augustinum, Farnesianum codicem, unde fragmenta sua descripserat, minus diligenter tractasse et in eo describundo multa praeteriisse, eundem et ipse inspicere voluit. Itaque cum eas reliquias ei arbitratu suo habere liceret, omnes notas et apices accurate secutus, et aliis usus auxiliis, quae divinare non possumus, brevi Romae librum publicavit, qui reliquis omnibus auctior et emendatior. Et unde postea propagatae omnes editiones, ubi magna ex parte suppletae lacunae.

Atque haec de Festi Pompeii variis casibus ad nostram aetatem dici potuere. Nunc quaedam subiicienda cur post tantos viros me expugnari passus sum ut eundem laborem aggrederer.

Sane priusquam onus subirem, Horatii consilio usus, quid valerent, et quid ferre recusarent humeri diu seduloque versavi. Sed etiam si me imparem cognoscebam, non ideo praesumpta desperatione animum omnino despondi. Mihi quidem arduum visum est perficere tantum opus, quod tanti viri non perfecissent, sed eo ipso quod tanti viri non perfecissent, inde mihi illud tentandi confidentia nata est. Praeterea cum multa in hoc ipso opere vidisset Scaliger, quae ne quidem subioluerant Antonio Augustino: Multa Fulvius Ursinus quae Scaligerum et Augu-

stinum latuerant, et adhuc multa superessent, quae neque Fulvio Ursino neque Scaligero, neque Antonio Augustino in mentem venissent, mihi continuo ad exhortationem succurrit, *non capere id rerum naturam, ut quidquid non est factum ne fieri quidem possit.* Arbitratus sum itaque per multos labores multasque vigilias fieri posse ut fastigia quaedam adderem doctissimorum virorum inventis. Idque mihi facilius persuasi, cum re ipsa expertus sum me ex coniectura multa restituisse, quae mihi deinde Schedae approbaverunt. Neque ego hoc dico mei iactandi caussa, qui sum ab omni iactatione alienissimus et ingenioli mei tenuitatis plane conscius, sed ut ostendam in auctoribus recognoscendis et emendandis multa viris doctissimis quotidie elabi, quae sese postea viris mediocri ingenio perhibent. Addam et illud quoque, hic saepius a viris praestantissimis erratum esse, quia nemini unquam contigit non errare, et maius est quam ut convenire in humanam infirmitatem possit. Quare illis certe magna iniuria fieret, si eorum ingenii magnitudo hoc uno labore aestimaretur. Pauca eorum praestitit Antonius Augustinus quae praestare potuisset. In multis divinus Scaliger, sed dum ingenio suo nimium indulget, saepe nubes captat et nil minus quam Festum interpretatur. Fulvius Ursinus, reliquis felicior, utiliorem operam navavit, sed sic etiam Festum, non tam emendatum, quam emendandum et emendari facilem tradidit. Igitur rem actam me non acturum existimavi si similes conatus meos proferrem. Multum ab heroibus illis adiutum me fateor, multa tamen contra eorum sententiam sum interpretatus. Schedas et fragmenta a Fulvio Romae edita diligenter consului, literarum ductus, notas et apices anxie pervestigavi, unde consecutus sum ut tuto pronuntiare possim nullam bonam Festi editionem extare, nullam quae truncata non sit et parte sui mutila. Maiora quam credi possit menda sustuli, horrendas traiectiones detexi, quae ab iis natae sunt qui Festi verba alphabetico, ut vocant, ordine disposuerunt. Festus enim, ut solebant illi veteres, primam literam indicasse contentus, nulla observata serie, voces omnes ab eadem litera incipientes in eundem locum contulit. Deprehendi etiam alterum et ex eodem fonte natum errorem. Verbum *ait*, quod apud Festum saepe solum legitur, in Schedis semper ad superiora pertinet, ubi nomen autoris ad quem illud *ait* referendum, verum postea ordine turbato, viri docti ita de Verrio simpliciter et absolute loqui Festum credidere: et de Verrio illud *ait* semper interpretati sunt, cum de alio quovis autore saepius esset intelligendum. Multa supplevi, nonnulla addidi in aliis editionibus praetermissa. Neque tamen Festum Pompeium integrum praestare ausim, cum videam quaedam a Grammaticis citari quae hic frustra quaeras. Sic alicubi me legisse memini Festum interpretatum esse vocem *Abilam, montem altum.*

Hoc quoque monendus es, lector, divisionem Festi aliam fuisse. Ista enim, ut singulae literae libros singulos contineant Aldi est, non Festi, qui ante M. literam XII. libros confecit. Liber XIII. incipiebat in medio literae M. ante vocem *Mulus.* Inde usque ad literam O. libri duo continebantur. Initio literae O. incipiebat liber XVI. Initio literae Q. liber XVII. In medio literae R. liber XVIII. ante vocem *rideo.* In medio literae S. liber XIX. ante vocem *Scirpus.* Liber ultimus duas ultimas literas amplectebatur T. et V.

E variis lectionibus quae omnium editionum margines insederunt, illas tantum in notas reieci quae mihi alicuius momenti visae sunt. Reliquis facile est carere. Ego sane ita semper existimavi variarum lectionum multiplicationem locorum corruptelam citius parere, quam eorum emendationem. Habes lector quibus te fere volebam. Reliqua omnia ipse melius cognosces. Ita tamen velim existimes me tibi potius exorsam, quam detextam telam tradere. Quare cum in

errores meos, nimis fortasse multos, incurres, fac memineris me ea aetate haec scripsisse qua etiam errari cum excusatione aliqua potest. In reliquis si nonnulla sunt quae tolli mereantur, quaeque te vel utilitate vel amoenitate sua delectare possint, nil deprecor quin tibi continuo in animum succurrat: Neque in bona segete nullum esse spicum nequam, neque in mala non aliquod bonum. Vale.

CLARISSIMO VIRO
IOANNI MONLUCIO
EPISCOPO COMITIQ. DIENSI AC VALENTINO
IOSEPHUS SCALIGER
IUL. CAESARIS F.
S.

Nemo est, saltem qui sese hominem meminerit, quem non aliqua discendi cupiditas teneat, IOANNES MONLUCI, vir clarissime. Pauci quidem sunt, fateor, qui aliquid bene sciunt: omnes tamen hoc unum affectant, ut aliquid scire videantur: cum in dispari felicitatis eventu, pari discendi studio ducantur. Id cum in omnibus, quaecumque agunt, aut moliuntur homines, semper patuerit, in nullo tamen eius rei illustrius exemplum, quam in literarum studiis elucescit. *Caetera enim, quaecumque animos nostros cognitionis desiderio tangunt, nescio quomodo finibus suis contenta, et quasi pomerio finita esse videntur. Sola literarum voluptas infinita est, copia inexhausta, sitis immoderata.* Mitto vetera illa ingenia, quae si enumerem, nullus profecto dicendi finis futurus est; ad hanc aetatem nostram, et fertilissimum omnium bonarum artium saeculum te voco. Considera quaeso ante hos centum plus minus annos a Gotticis usque temporibus, in tanta vastitate literarum, et omnis humanitatis ac politioris cultus neglectu, quam male cum mortalium genere agebatur: quos vel hoc nomine infelices censere debemus, quod ipsi infelices se esse ignorabant. *Qui enim literis carere malum non putabant, profecto ii literas scire, bonum esse numquam arbitraturi erant.* Postquam singulari Dei optimi max. beneficio mentibus nostris lux affulsit, et ab hominibus sera tandem extorta est ignorantiae confessio: tum assidua priscorum scriptorum lectione, atque usu cognoscere coepimus, quanti nostra interest aliquid supra vulgus scire. A quo tempore numquam destiterunt homines studiosi, non solum ut priscos illos heroas imitarentur, sed etiam ut, si fieri posset, superarent, omnibus et animi et corporis viribus contendere. Quod sane difficile non erat in tanta studiorum contentione, si ex illa priscorum librorum copia quosdam saltem nobis reliquos fecisset vetustatis iniuria, quibus hodie si frueremur, aliorum desiderium aequo animo ferre possemus. Iam vero paucissimi ex tot supersunt, atque non omnes illi integri, sed parte sui trunca magis sitim nostram accendunt quam explent. Neque hoc fine stetit malum. *Alia atque immanior pestis,*

ac praecipua librorum labes fuit. homines nempe praepostere diligentes. istos dico, qui auctorum Epitomas conscripserunt: quos quomodo appellem nescio. Nam ut taceam, quod ex bonorum auctorum mutilatione gloriam sibi ac nomen iniuste aucupabantur: quid mali non fecerunt, cum diligentia sua alienae negligentiae viam munierunt? Nemo enim fere extitit, qui illorum Epitomas integris Scriptoribus non praetulerit: atque *adeo qui non maluerit in sinu suo Florum, aut nescio quem alium gestare, quam totum Livium in Bibliotheca legere.* Permanavit ab illis temporibus ad nostra tempora scabies illa, ac cacoethes de auctoribus bonis male merendi. Invenies enim hodieque, qui et illas veteres Epitomas malint, et novas ultro conscribant. Sed de illis alias; de veteribus enim Epitomarum concinnatoribus loquor, quos ut ego valde improbo, ita etiam ut omnibus modis improbandum *inter eos pono Paulum Diaconum Longobardum, hominem, meo iudicio, confidentissimum, ac, uti res ipsa docet, ineptissimum.* Is victo ac profligato Desiderio, qui ultimus Longobardorum Rex fuit, captus a Carolo Magno Imperatore, magnam et a victore, et a posteritate se initurum gratiam putavit, si *Sex. Pomp. Festum, quo scriptorem utiliorem lingua Latina non habet*, mutilaret, et tanto posteritatis damno se a victore redimeret. *Parum abest, quin merito factum dicam. Festum enim, qui Verrii Flacci libros breviasset, aequo animo debuisse ferre, si quomodo ipse Verrium tractaverat, similiter ipse ab isto Paulo acciperetur.* Hoc unum excipio: si Festo hoc modo pereundum fuit, digniorem arborem, ut est in proverbio, suspendio deligendam fuisse; nihil enim illi peius potuisse accidere, quam quod in huius Pauli manus inciderit, qui eum ita foede laniavit, atque inhonestis vulneribus confecit, ut cadaver pro homine, truncum pro corpore, semianimem pro vivo nobis reliquerit. Itaque hominis prodigiosos errores, atque crassam ignorantiam deteximus, quatenus sola coniectura negotium confecimus. Eo enim unico praesidio usi sumus usque ad undecimum librum: *a quo fragmenta incipiunt, quae beneficio probissimi, atque eruditissimi viri Antonii Augustini, Episcopi Ilerdensis edita sunt.* Ea eiusmodi sunt, ut in illis fundamenta quidem ac rudereta priscorum aedificiorum agnoscas, ita tamen, ut quid in illis fundamentis olim inaedificatum fuerit, facilius divinare possis, quam aedificium ipsum a fundamentis excitare. Nos autem tametsi non ignoramus, quanto feliciorem operam navare potuissent in hoc auctore emendando eruditissimi viri, tamen hoc affirmare possumus, non potuisse diligentiorem praestari, quam ipsi praestitimus. Ex iis enim, quae sana quidem nondum sunt, non tamen penitus desperata esse videntur, pauca admodum alienae diligentiae reliqua fecimus. Nam alia ulcera tangere, hoc esset, ut inquit ille, cum ratione insanire; quod de illis reliquiis dictum volo, in quibus unius, aut alterius voculae vestigia vix apparent. *Tantum autem profecimus ex huius praestantissimi Scriptoris emendatione, ut ea e tenebris eruerimus, quae antehac nec nobis ipsis cognita fuerunt, nec temere apud ullum veterum reperias:* tot nempe vetustatis veneranda monimenta, praesertim ex antiquissimo Romanorum tum civili tum pontificio iure: item ex Regiis legibus, ex duodecim Tabulis, ex antiquis foederibus, et aliis, quae enumerare labor esset. Quae qui inutilia dixerit, velim is nos doceat, quid utile vocet in literis. *Si enim antiquitatis cognitio nihil prodest, non video quid nobis literae prosunt.* Quodsi minuta quaedam, ut vocularum quarundam explicationes occurrent, quae videntur ad quemvis potius de plebe Grammaticorum pertinere, quam ad eum, qui serias ac severiores literas colit: peto ab illo, ne tam levia haec putet, ut desperet ea digna esse lectione sua. Inveniet et in illis quod discere possit. Caeterum de utilitate huius libri nunc agere, quia declamationes non scribimus, inutile, ac supervacuum puto. *Is est enim scriptor, qui omnium*

manibus quotidie teritur, et sine quo humanioris literaturae candidati ad perfectam Romanae antiquitatis cognitionem, quae sunt iuris nostri incunabula, pervenire non possunt. tot vetustatis thesauros, tantam copiam bonarum rerum in hoc instructissimo penu reconditam esse intelligunt. Quare celeberrimum scriptorem commendare, hoc esset plane laudare, quem nemo vituperat. Hoc unum tamen spero quod tametsi ad eius laudem nihil addi posse praedicatione hominum videbatur, tamen non minimus ad eam cumulus accesserit ex patrocinio tuo, quod illi paro, Ioannes Monluci, si ita tibi videtur, et si tanti facis lucubratiunculas nostras, ut illae non tantum propter ipsum auctorem legi, quam propter te, qui eas probaveris, commendari possint. Profecto ita intelligo, ita spero, nec me fallit augurium meum: omnes virtutis ac bonarum literarum amatores, quod genus hominum ego valde veneror, vix aliter animum suum inducturos, quam bona esse, quae tibi dicamus, cum tibi, *homini scilicet gravissimo, atque eloquentissimo, uberrima literarum cognitione instructissimo, rerum nostrae Galliae intelligentissimo, ac tot legationibus sub quatuor regibus felicissime functo opellam* nostram, ac vigilias placuisse animadvertent. Accipe igitur mei in te amoris, atque observantiae pignus, non illud quidem tam perfectum, ut ad eius ornamentum nihil addi possit: certe eiusmodi, ut de amoris in te mei testimonio nihil detrahi posse videatur. Vale. Abenni in agro Iuliodunensi: xi. Kal. Novembr. cIↃIↃLXXIV.

ANTONII AUGUSTINI
PRAEFATIO DE
M. VERRII FLACCI
ET
SEX. POMPEI FESTI
LIBRIS.

Ex Pauli epist. ad Carol. Sex. Pompeius Festus his viginti libris, quos de verborum significatione, sive priscorum verborum cum exemplis inscripsit, libros Verrii Flacci eiusdem argumenti in breviorem formam redegit. *Ex Festo verbo Profanum.* Abstulit enim verba nimis antiqua, intermortua iam, et sepulta, ut ipse Verrius dicebat, quaeque nullius erant usus, et auctoritatis; apertius quoque et brevius de eisdem verbis tradidit minori volumine librorum prisca verba referendo; exempla etiam in aliis libris reperta recensuit. Saepius autem Verrii errores notavit: et cur id faceret, non minus docte semper reddidit rationem. *Ex Charis. lib. 2. et Macrob. lib. 3. Satur.* Accidit vero huic libro, ut multis modis ab antiquitate laederetur. Nam neque quis hic Festus fuerit, neque quo tempore haec scripserit, potuimus invenire. Vix etiam voluminis huius aliqua mentio reperitur in Charisii, et Macrobii uno, atque altero libro. Cumque liber ipse totus extaret Ca-

roli Regis tempore; Paulus, nescio quis, operae pretium fore ratus est, si epitomen quandam efficeret eorum, quae ipsi magis placuerunt. Is liber indoctis viris adeo placuit, ut pro Festo in omnibus bibliothecis substitueretur. Unus adhuc liber extabat totius cladis superstes, sed qualis victis commilitonibus et occisione occisis, miles truncis naribus, altero oculo effosso, mutilo altero brachio, cruribus fractis repit alicunde. Eius libri advecti ut ferunt ex Illyrico, habuit aliquas pagellas Pomponius Laetus, ut Pius, ut Politianus scripserunt; maiorem libri partem Manilius Rallus. Ab his Angelus Politianus librum accepit, agnovit, et exscripsit, et ex eo in centuria versum Catulli emendare temptavit. Ab eodem Politiani exemplo Petrus Victorius aliquot locis in variis lectionibus vulgares Festi libros emendare doctissime, ut solet, coepit; pervenerunt ipsae reliquiae libelli ad Aldum Manutium, qui conatus est cum Pauli epitome eas coniungere, et unum corpus ex duplicibus membris conficere. Sed tam multa omissa sunt, tam multa aliter edita, ut alios emendatores res desiderarit. Simili ratione ex utroque libro confectus alter liber extat apud Achillem Mafeum Bernardini Cardinalis fratrem, qui Aldino locupletior est. Ita tres eiusdem libri editiones, omnes autem imperfectae extiterunt. Vetus ille liber Festi dimidiatus, cuius ante M. litteram nihil extat; ab ea vero littera ad finem vix dimidium est, quod superest, eius, quod antea fuerat. Alter liber est Pauli epitome, quae quam negligenter facta sit, ex collatione verborum Festi, et Pauli, quod hac editione ostendimus, vel indoctissimus quisque agnoscere potest. Tertius est ex utroque confectus, quales sunt Aldi, Mafei, et noster. Sed nos hoc amplius fecimus, quod illi neglexerunt, ut lectores admoneremus, quae Festi, quaeque Pauli essent. Omnia quoque fragmenta Festi describi curavimus, ne quid desiderari posset, in quibus interpretandis quam operam posuerimus, ex his, quae in commentariis adscripsimus, iudicare lector possit. Habuimus autem hoc monumentum antiquitatis, ex locupletissima bibliotheca amplissimi viri Rainutii Farnesii Cardinalis, cui propter singularem bonarum litterarum amorem, ingeniumque praeclarum, atque in utraque lingua maximos progressus, et non vulgarem eruditionem, a Michaele Silvio Cardinali ex testamento relictum est. In hac editione mutatus est verborum ordo Verrii, Festi, et Pauli: ut lector facilius, quid de quaque re scriptum sit, reperiat. Nam veteres nescio quo modo primam litteram indicasse contenti, omnia verba ab eadem inchoata in unum locum conferebant; nostri melius omnibus syllabis ordinem adhibuerunt litterarum. ita facile verba reperies, quae tamen si obiter dicta sint, praesto erit quaerenti index obiter dictorum. Divisio librorum Festi omissa est, propterea quod ea, quam Aldus confecit, ut singulae litterae libros singulos contineant, Festi non est. nam in his pagellis, quas habuimus liber XVIII. et liber XIX. in medio verborum, quae ab R, et S, inchoantur, incipiunt. Initio vero O litterae liber XVI. et initio Q. liber XVII. incipiunt, ut ex quibusdam litterarum vestigiis agnoscere potuimus. Verba, quorum initium est P. littera, credimus in duos libros fuisse divisa. Ultimum librum ante finem T litterae inchoasse arbitramur. Ita ante O. litteram libri XIII. ab ea littera ad extremum libri septem. Sed et Macrobius libro III. refert, Festum scripsisse lib. XIII. de verborum significationibus: Mos est institutum patrium, etc. Haec quia nimis incerta sunt, et minus utilia, praetermisimus. Sed quia ad manus nostras non pervenerunt omnia Festi fragmenta; notam

Ex Pio in annot. post cap. 16.

Ex Politia. cent. 1. cap. 73.

Ex Petro. Vict. lib. 17. cap. 2. Var. lect. et lib. 18. cap. 7. et alibi.

addidimus iis, quae Festi esse arbitrabamur: ad ea vero, quae scimus eius esse, cognomen eius adscripsimus. Reperietur hoc in M. O. P. T. V. litteris. Ea ex Aldi, et Mafei libris sumpsimus, in quibus poterit haec editio ab iis, qui eas pagellas habent, emendatior fieri. Et quoniam Verrius Flaccus primus huius operis auctor fuit: quaecumque eius opera extant, quaeque de eo ab aliis referantur; initio collocavimus.

A D M O N I T I O

DE HAC NOVA EDITIONE. (QUAM CURAVIT IOANN. CLERICUS.)

L E C T O R I.

Cum statuissemus recudere Parisiensem Editionem *Pompeii Festi*, moniti sumus ei nonnulla deesse; quae si supplerentur, Lectorum usibus accommodatior futura haec nostra Editio videbatur. Primum deerant notae integrae viri summi *Ios. Scaligeri*, quas contractas suis admiscuerat Vir Clarissimus *And. Dacerius*, plerumque quidem addito nomine *Scaligeri*, sed et interdum omisso. Eas integras, atque subiecto constanter Scriptoris nomine, edi hic curavimus. Secundo, idem praestitimus in notis *Ant. Augustini* et *Fulvii Ursini*, quas deesse etiam videbamus, nisi earum obiter meminisset *Dacerius*. *Scaliger* quidem et *Augustinus* nondum viderant Fragmentum *Festi;* sed tamen felicissime lacunas exemplarium suorum subinde supplevere, praesertim *Scaliger;* a quo ideo inspectum fragmentum, quamvis dissimularit, fuere qui crediderint. Attamen et interdum ab eius vocibus abit, ita tamen ut si aberret docte omnino hallucinetur, et lectu sit dignissimus. Tertio, Fragmentum et Schedas cum notulis *Ful. Ursini* subiunximus, ut a Lectoribus possent cum superioribus comparari. Tametsi enim ex iis suppletae sint lacunae Festi, nonnulla etiamnum sunt quae in eo non comparent, et quae intercidere negligentia nostra nefas duximus. Haec de hac Editione monenda habebamus, ad quae hoc unum accedet, innumera menda Typothetarum, quae in Editionem Parisiensem irrepserant, ex hac fuisse diligenter sublata. Vale.

DE M. VERRIO FLACCO.

Verrius Flaccus libertinus docendi genere maxime inclaruit; namque ad exercitanda discentium ingenia aequaleis inter se committere solebat, proposita non solum materia, quam scriberent, sed et praemio, quod victor auferret; id erat liber aliquis antiquus, pulcher, aut rarior. Quare ab Augusto quoque nepotibus eius praeceptor electus transiit in palatium cum tota schola, verum ut neque amplius posthac discipulum reciperet. Docuitque in atrio Catilinae domus, quae pars palatii tunc erat, et sestertia centena in annum accepit. Decessit aetatis exactae sub Tiberio. Statuam habet Praeneste in inferiore fori parte contra hemicyclum, in quo fastos a se ordinatos, et marmoreo parieti incisos publicarat. *Suet. amis. pro Vestae.*

Scribonius Aphrodisius Orbilii servus, atque discipulus, mox a Scribonia Libonis filia, quae prior Augusti uxor fuerat, redemptus, et manumissus docuit, quo Verrius, tempore, cuius etiam libros de Orthographia rescripsit non sine insectatione studiorum, morumque eius. *Ex eodem.*

Marcum quidem Antonium, ut insanum increpat Augustus, quasi ea scribentem, quae mirentur potius homines, quam intelligant, etc. Tuque dubitas, inquit, Cimberne Annius, an Verrius Flaccus imitandi sint tibi: ita ut verbis, quae Crispus Sallustius excerpsit ex originibus Catonis, utaris? an potius Asiaticorum oratorum inanibus sententiis verborum volubilitas in nostrum sermonem transferenda? *Ex eodem in Augu. cap. 86.*

Ante obitum Augusti anno quarto Athenodorus Tarsensis stoicus Philosophus, et M. Verrius Flaccus grammaticus, insignes habentur. *Ex Euseb. in Chron.*

M. VERRII FLACCI
RERUM MEMORIA DIGNARUM.
LIB. I.

Verrius hoc libro refert, cur dicatur versus ille ex Hesiodo, Malum consilium consultori pessimum est. Statua Romae in comitio posita Horatii Coclitis fortissimi viri de caelo tacta est. Ob id fulgur piaculis luendum aruspices ex Etruria acciti inimico, atque hostili in populum Romanum animo instituerant eam rem contrariis religionibus procurare. Atque illam statuam suaserunt in inferiorem locum perperam transponi, quem sol oppositu circum undique aliarum aedium nunquam illustraret; quod cum ita fieri persuasissent, delati ad populum, proditique sunt, et cum de perfidia confessi essent, necati sunt, constititque eam statuam perinde, ut verae rationes post compertae monebant, in locum editum subducendam, atque ita in area Vulcani sublimiori loco statuendam. Ex qua re bene, et prospere reip. cessit. Tunc igitur quod in Etruscos aruspices male consulentes animadversum, vindicatumque fuerat: versus hic senarius scite factus, cantatusque esse pueris urbe tota fertur. *Ex Gell. lib. 15. cap. 5.*

INCERTI LIBRI.

Ex Plin. lib. 7. c. 53. Plurimas prodidit Verrius mortes repentinas.

Ex eod. lib. 8. cap. 6. Roma plurimos elephantos vidit anno quingentesimo secundo, victoria L. Metelli Pontificis in Sicilia de Poenis captos. CXLII. fuere transvecti ratibus, quas doliorum consertis ordinibus imposuerant. Verrius eos pugnasse in circo, interfectosque iaculis tradit penuria consilii: quoniam neque ali placuisset, neque donari regibus.

Ex eod. lib. 9. cap. 23. Tenuissimum muraenis tergus, contra anguillis crassius, eoque verberari solitos tradit Verrius praetextatos, et ob id multam his dicit non institutam.

Ex eod. lib. 18. cap. 7. Populum Romanum farre tantum e frumento trecentis annis usum Verrius tradidit.

Ex eod. lib. 28. cap. 2. Verrius Flaccus auctores ponit, quibus credat in oppugnationibus ante omnia solitum a Romanis sacerdotibus evocari Deum, cuius in tutela id oppidum esset, promittique illi eundem, aut ampliorem locum apud Romanos, cultumve.

Ex eod. lib. 23. cap. 3. Tunina aurea triumphasse Tarquinium Priscum Verrius tradit.

Ex eod. lib. cap. 7. Enumerat autores Verrius, quibus credere sit necesse, Iovis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam, triumphantumque corpora. Sic Camillum triumphasse. Hac religione etiam nunc addi in unguenta caenae triumphalis, et a Censoribus in primis Iovem miniandum locari.

Ex Macrob. lib. 1. Verrius Flaccus ait, cum populus Ro. pestilentia laboraret, essetque responsum id accidere, quod dii despicerentur: anxiam urbem fuisse, quia non intelligeretur oraculum: evenisseque, ut Circensium die puer de caenaculo pompam superne despiceret, et patri referret, quo ordine secreta sacrorum in arca pilenti composita vidisset. Qui cum rem gestam senatui nunciasset; placuisse velari loca ea, qua pompa veheretur: atque ita peste sedata puerum, qui antiquitatem sortis absolverat, togae praetextae usum munus impetravisse.

M. VERRII FLACCI SATURNUS.

Ex Macrob. lib. 1. Sat. Saturnaliorum dies apud Graecos quoque festi habentur.

Ex eod. lib. Dilucide me de constitutione Saturnaliorum scripsisse arbitror.

Ex eod. lib. Cur autem Saturnus ipse in compedibus visatur, Verrius Flaccus causam se ignorare dicit.

Ex eod. lib. XII. Kal. Ian. feriae sunt divae Angeroniae, cui Pontifices in sacello Volupiae sacrum faciunt: quam Verrius Flaccus Angeroniam dici ait, quod angores, ac animorum sollicitudines propitiata depellat.

M. VERRII FLACCI
DE OBSCURIS CATONIS.

LIB. I.
LIB. II.

Ex Gell. lib. 17. cap. 6. In eo libro scriptum inventum est, receptitium servum dici nequam, et nulli pretii, qui, cum venum esset datus, redhibitus ob aliquod vitium, receptusque sit. Propter ea, inquit, servus eiusmodi sectari maritum, et flagitare pecuniam iubebatur; ut eo ipso dolor maior, et contumelia gravior viro fieret, quod eum servus nihili petendae pecuniae causa compellaret. Cum pace autem, cumque venia istorum, si qui sunt, qui Verrii Flacci auctoritate capiuntur, dictum hoc sit; receptitius enim servus in ea re, quam dicit Cato, aliud omnino est, quam Verrius scripsit.

M. VERRII FLACCI
DE VERBORUM SIGNIFICATIONE.

LIB. I.
LIB. II.
LIB. III.
LIB. IIII.

Verrius hoc libro dies, qui sunt postridie Kalendas, Nonas, Idus, quos vulgus imperite nefastos dicit: propter hanc causam dictos, habitosque atros esse scribit. Urbe, inquit, a Gallis Senonibus recuperata L. Atilius in senatu verba fecit, Q. Sulpitium Tr. Mil. ad Alliam adversus Gallos pugnaturum, rem divinam dimicandi gratia postridie Idus fecisse: tum exercitum populi Romani occidione occisum, et post diem tertium eius diei urbem praeter Capitolium captam esse. Compluresque alii senatores recordari sese dixerunt, quotiens belli gerendi gratia res divina postridie Kalendas, Nonas, Idus a magistratu populi Romani facta esset: eius belli proximo deinceps praelio rempublicam male gestam esse. Tum senatus eam rem ad Pontifices reiecit, ut ipsi, quod videretur, statuerent. Pontifices decreverunt nullum iis diebus sacrificium recte futurum. *Ex Gell. lib. 5. cap. 17.*

Historiam ab annalibus quidam differre eo putant; quod, cum utrumque sit rerum gestarum narratio, earum tamen proprie rerum sit historia, quibus rebus gerendis interfuerit is, qui narret. eamque esse opinionem quorundam Verrius refert. Ac se quidem dubitare super ea re dicit. Posse autem videri putat nonnihil esse rationis in ea opinione, quod historia Graece significat rerum cognitionem praesentium. Sed nos audire soliti sumus, annales omnino id esse, quod historiae sint: historias non omnino esse id, quod annales sint. *Ex Gell. lib 5. cap. 18*

LIB. V.

Salva *res est, dum saltat senex*, quare parasiti Apollinis in scaena dictitent, causam Verrius in libro quinto, quorum prima est P litera, reddidit. Quod C. Sulpicio, C. Fulvio Consulibus, etc. At in hoc libro refert Sinnii Capitonis verba, etc. Quam inconstantiam Verrii nostri non sine rubore retuli. *Ex Festo, verbo Salva res est.*

LIB. VI.

INCERTI LIBRI.

Bellitudinem sicut magnitudinem Verrius (alias Varus) dixit. *Ex Festo vel Paulo.*

Impetum, industrium, indulgentem perinde composita ait Verrius, atque impunis, et immunis, mihi non satis persuadet. *Ex eod.*

Mamphula appellatur panis Syriaci genus, quod, ut ait Verrius, in clibano ante, quam percoquatur, decidit in carbones, cineremque, etc. *Ex eod.*

Mater Matuta, manes, mane, matrimonium, materfamiliae, matertera, matrices, materiae dictae videntur, ut ait Verrius, quia sint bona, etc. *Ex eod.*

Matronae a magistratibus non summovebantur, etc. quam ob causam ait Verrius *neque earum viros* sedentes cum uxoribus in vehiculo, descendere *coactos*. *Ex Festo, et Paulo.*

Mendicum dici Verrius putat a mente eius, quem fefellerit fortuna, vel quod precetur quemque, ut vitae suae medeatur cibo. *Ex eod.*

Metaphoram quam Graeci vocant, nos tralationem, id est domo mutuatum verbum, quo utimur, inquit Verrius, etc. *Ex eod.*

Naucum ait Ateius Philologus poni pro nugis, etc. Quidam nucis iuglandis, quam Verrius iuglandam vocat, medium, velut dissepimentum, etc. *Ex eod.*

Ex eod. Occare, et occatorem Verrius putat dictum ab occaedendo, quod caedat grandis globos terrae; cum Cicero venustissime dicat ab occaecando fruges satas.

Ex eod. Orcum quem dicimus, ait Verrius ab antiquis dictum uragum, etc. sed nihil affert exemplorum, etc.

Ex eod. Oscos, quos dicimus, ait Verrius Opscos antea dictos teste Ennio, cum dicat: De muris res gerit Opscus. Adiicit etiam, quod stupra inconcessae libidinis obscena dicantur ab eius gentis consuetudine inducta. Quod verum esse non satis adducor, etc.

Ex eod. Pedum est quidem baculum incurvum, etc. Sed in eo versu, qui est in Iphigenia Ennii, Procede, gradum proferre pedum, nitere. cessas? id ipsum iaculum significari cum ait Verrius, mirari satis non possum, etc.

Ex eod. Percunctatio pro interrogatione dicta videtur ex nautico usu, etc. ob quam causam ait Verrius etiam secundam syllabam per O solere scribi. Mihi id falsum videtur, etc.

Ex eod. Piari eos, veluti proprio verbo ait Verrius, qui parum sint animati, etc.

Ex eod. Pictor Zeusis risu mortuus, dum ridet effuse pictam a se anum γραῦν. Cur hoc loco relatum sit a Verrio, cum de significatu verborum scribere propositum habuerit, equidem non video, etc.

Ex eod. Praedia rursus Verrius vocari ait ea remedia, quae data Caecilia, etc. ea vocari ait, quod mala prohibeant.

Ex eod. Praerogativae centuriae dicuntur, etc. Verrius probabilius iudicat esse, ut cum essent designati a praerogativis in sermonem res veniret, etc.

Ex eod. Profanum, quod non est fanum, etc. ut Verrius, etc. cuius opinionem neque in hoc, neque in aliis compluribus refutare minime necesse est. Cum propositum habeam ex tanto librorum eius numero intermortua iam, et sepulta verba, atque ipso saepe confitente nullius usus, atque auctoritatis praeterire: et reliqua quam brevissime redigere in libros admodum paucos. Ea autem, de quibus dissentio et aperte, et breviter, ut sciero, scripta in his libris meis invenientur, inscribuntur: PRISCORUM VERBORUM CUM EXEMPLIS.

Ex eod. Quatere suspensum, et vicinum rei alicuius motum significat: non, ut Verrius putat, ferire, etc.

Ex eod. Refert cum dicimus, errare nos ait Verrius; esse enim rectum Rei fert, etc. sed esse iam usu possessum.

Ex eod. Repagula sunt, ut Verrius ait, quae patefaciundi gratia ita figuntur, ut ex contrario quae oppangantur, etc.

Ex eod. Repastinari ager is dicitur, ut Verrius existimat, cuius natura mutatur fodiendo, etc.

Ex eod. Repudium Verrius ait dictum, quod fit ob rem pudendam, etc.

Ex eod. Rhegium appellare oportere ait Verrius id municipium, quod in freto e regione Siciliae est, etc.

Ex eod. Romuliam tribum, etc. *inv*enisse ait Verrius *vetitam*, etc.

Ex eod. Ruscum est, ut ait Verrius, amplius paullo herba, et exilius virgultis: etc.

Ex eod. Sacram viam quidam appellatam esse existimant, etc. nec appellari debere ait Verrius, sed disiuncte, ut ceteras vias Flaminiam, Appiam, Latinam: ut ne novam viam quidem, etc.

Ex eod. Salicem Verrius virgulti genus non arboris dicit, et ridicule interpretatur dictum, quod ea celeritate crescat, ut salire videatur.

Ex eod. Salinum in mensa pro aquali solitum esse poni ait cum patella: quia nihil aliud sit sal, quam aqua.

Ex eod. Sas Verrius putat significare eas, auctore Ennio, etc. cum suas magis videatur significare, etc.

Ex eod. Satis verbum Verrio melius fuit praeterire, ut mihi videtur, quam tam absurdas opiniones suas de eo recitare, quas sciens praeterii, tam Hercules, quam de scabro, quod proximum sequebatur.

Ex eod. Scraptae dicebantur nugatoriae, ac despiciendae mulieres, ut ait Verrius, ab iis, quae screa iidem appellabant, etc.

Ex eod. Scurrae vocabulum Verrius ineptissime aut ex Graeco tractum ait, quod ex σκυροάζειν, aut a sequendo, cui magis adsentitur, etc.

Senonas Gallos Verrius ait existimare appellari, quia novi venerint, etc. *Ex eod.*

Serilla Verrius appellari putat navigia Istrica, etc. cum περιφραστικῶς, et ficto vocabulo usus sit, etc. *Ex eod.*

Sertorem quidam putant dictum a prendendo, etc. quod totum Verrius ἀπιθάνως introduxit. *Ex eod.*

Silicernium Verrius existimat, etc. *Ex eod.*

Solea, ut ait Verrius, est non solum ea, quae solo pedis subiicitur, sed etiam pro materia robusta, etc. *Ex eod.*

Solida sella, etc. *appella*bant inquit Verrius, quod *scilicet tota esset*, absurde ut mihi videtur, etc. *Ex eod.*

Sola appellantur sedilia, etc. quae, ut ait Verrius, omnia dicta sunt a sollo, etc. *Ex eod.*

Spondere Verrius putat dictum, quod sponte sua, id est voluntate, promittatur. Deinde oblitus inferiore capite sponsum et sponsam ex Graeco dictam ait, etc. *Ex eod.*

Stellionem *genus lacertae* Verrius dic*tum ait*, etc. *Ex eod.*

Stipatores ait dictos a stipe, etc. *Ex eod.*

Suburam Verrius alio libro a pago Succusano dictam ait: hoc vero maxime probat eorum auctoritate, etc. *Ex eod.*

Supervacaneum *ut videtur se*cludit Verrius *ab vacuo*, etc. *Ex eod.*

Taenias Graecam vocem sic interpretatur Verrius, ut dicat ornamentum esse laneum capitis honorati, etc. *Ex eod.*

Talionis mentionem fieri in duodecim ait Verrius, etc. neque id, quid significet indicat, puto quia notum est, etc. *Ex eod.*

Taminia, uva silvestris generis videtur Verrio dicta, quae tam mira sit quam minium. *Ex eod.*

Tarquitias scalas, etc. appellatas esse ait vulgo existimari Verrius. *Ex eod.*

Tartarino cum dixit Ennius, horrendo, et terribili Verrius vult accipi a Tartaro, qui locus apud inferos. *Ex eod.*

Tentipellium Artorius putat esse calciamentum, etc. Titinium ait Verrius existimare id medicamentum esse, etc. cum ille τροπικῶς dixerit. *Ex eod.*

Tonsillam esse Verrius ait palum dolatum, etc. *Ex eod.*

Tumultum dici ait Verrius, qui ab aliis oriatur, quam ab Italicis, et Gallicis hostibus, etc. *Ex eod.*

Turrhenos Etruscos appellari solitos ait Verrius, a Turrheno duce Lydorum, etc. *Ex eod.*

Vacerram Verrius, et alii complures vocari dicunt stipitem, ad quem equos solebant religare. *Ex eod.*

Vineae, ut Verrius praecipit, quod vini feraces sint, etc. *Ex eod.*

M. VERRII FLACCI EPISTULAE.

Nam crebro in antiquis lectionibus invenitur, sicut in epistulis probat Verrius Flaccus exemplis, auctoritate, ratione dicens in adverbiis pro V, O plerumque maiores ponere consuetos, et sic pro Huc, Hoc, veteres dicere solebant, sicut pro illuc, illoc dicimus. *Ex Servio lib. 8. Aen.*

M. VERRII FLACCI CARMINA.

BLANDITURQUE LABOR MOLLI CURABITUR ARTE. *Ex Prisc. lib 8.*

INCERTA VERRII FLACCI.

Saevitiaque eorum abominaretur ab hominibus. *Ex Prisc. lib. 8.*

Festinat a fando dicitur: quoniam isti ignaviores, qui nihil perficere possunt, plus verborum, quam operae habent. Sed id nimis coactum, atque absurdum videtur, inquit Gellius. *Ex Gell. lib. 16. cap. 14.*

Caper ostendit de dubiis generibus Verrium Flaccum posuisse alecem hanc dicens. *Ex Prisc. lib. 6.*

Ex Charis. lib. 1. Alicam sine aspiratione dictam Verrius tradit, et sic multi dixerunt.

Ex eod. lib. Helenius Acron Verrium dicit errare, qui putat hos ambo dici debere.

Ex Isid. lib. 14. cap. 8. etym. Amoena loca Varro dicta ait, eo quod solum amorem praestent, et ad se amanda alliciant. Verrius Flaccus, quod sine munere sint, nec quidquam his officiat: quasi amunia, hoc est sine fructu, unde nullus fructus exsolvitur; inde etiam nihil praestantes, immunes vocantur.

Ex Macrob. l. 1. Saturn. Non negat Verrius Flaccus Kal. Apr. postea constitutum, ut matronae Veneri sacrum facerent.

Ex Charis. lib. 2. Nonnulli etiam ex participiis putaverunt talia figurari. ut Verrius Flaccus, qui ab eo, quod est audens, audenter.

Ex eod. lib. 1. Camara dicuntur, ut Verrius Flaccus adfirmat, non camera per E. Sed Lucretius cameraeque caminis ex cratibus: etiam cameram dici posse ostendit.

Ex Diom. l. 1. probavil. Incohavi ab incoho dicendum putat Iulius Modestus: quia sit compositum a caho initio rerum, quod Verrius (et) Flaccus in postrema syllaba aspirandum probaverunt. Cohum enim apud veteres mundum significat.

Ex Charis. lib. 1. Clunes Verrius Flaccus masculino genere dici probat, quoniam in IS syllaba terminata omnia carentia nominativo singulari masculina sunt, ut panis, cinis, crinis, et similia.

Ex eod. lib. Diligente. Verrius Flaccus, inquit Plinius, eorum nominum, quae NS finiuntur casu nominativo, ablativus in E dirigendus est.

Ex Diomede lib. 1. Differt fatigatus a fesso, ut Verrius ait, quod fatigatus, cum quis per alium laborare compellitur: fessus vero, cum quis labore deficit, ut lassus.

Ex Lact. l. 1. cap. 20. Nec hanc solum Romani meretricem colunt, sed Faulam quoque, quam Herculis scortum fuisse Verrius scribit.

Ex Charis. lib. 1. Labeones. Verrius Flaccus sio distinxit: modica esse labra, labia immodica, et inde Labiones dici.

Verrius lacte pro lac dicit.

Ex eod. lib. Nonnulli synalephas quoque circa observandam scriptionem existimaverant, sicut Verrius Flaccus, ut ubicumque prima vox M littera finiretur, sequens a vocali inciperet, M. non tota, sed pars illius prior tantum scriberetur, ut appareret exprimi non debere.

Ex Velio Longo de Orthog.

Ex Charis. lib. 1. Manibus per duo I dicendum, quia sunt a manibus, ut putat Verrius; sed et manubiae per V dici possunt.

Ex eod. Nomenclator sine V dicitur, ut Verrius ait, velut nominis calator.

Ex eod. Panis genitivo plurali panum Verrius dixit.

Ex eod. Polenta dici debet per O, cuius rei Verrius Flaccus rationem reddit, quod usu omnium poliatur.

Ex eod. Cum autem quid hoc est hominis quaeritur, inquit, de alicuius quaero hominis qualitate * qui necesse sit * hic masculine dicendus est, ut Verrius ait, quoniam neutra in I et in V S non exeunt.

Ex eod. Sal neutro genere Verrio etiam placuit.

Ex eod. l. 2. Porphyrio ex Verrio et Festo, in auguralibus, inquit, libris ita est, SANE SARCTEQUE.

Ex Gel. lib. 18. cap. 7. Verrii Flacci scripta ad hoc genus quaestionis pertinentia haec fuerunt. Senatum dici et pro loco, et pro hominibus civitatem et pro loco, et oppido: et pro iure quoque hominum, et pro hominum multitudine, tribus quoque et decurias dici, et pro loco, et pro iure, et pro hominibus; concionem autem tria significare, locum, suggestumque unde verba fierent; item significare coetum populi adsistentis: item orationem ipsam, quae ad populum diceretur.

Ex Velio Longo de Orthogr. Verrio Flacco videtur eandem esse apud nos V litteram quae apud Graecos Y. namque his exemplis argumentatur, quod illi dicunt κύμινον, nos cuminum, quam illi κυπάρισσον, nos cupressum, illi κυβερνήτην, nos gubernatorem; nec non ex eiusmodi Theseus, Menoeceus, Peleus, et similibus adfirmat.

Ex eod. X, et Z Verrio Flacco placet mutas esse: quoniam a mutis incipiant, una a C, altera a P. quod si quos movet, quod in semivocalem desinant: sciant, inquit, Z litteram sic scribi ab iis, qui putant illam ex C et D constare, ut sine dubio muta finiatur.

Ex Plin. lib. 1. de nat. hist. Ex Verrio Flacco Plinii lib. III. VII. VIII. XIV. XV. XVIII. XXVIII. XXIX. XXXIII. XXXIV. XXXV.

COMMENTARII
IN PAULI DIACONI EXCERPTA
ET
SEX. POMPEII FESTI FRAGMENTA
LIBRORUM DE SIGNIFICATIONE VERBORUM.

AD LIB. I.

Augustus. Locus augurio consecratus. Sueton. Aug. c. 7. Loca religiosa et in quibus augurato quid consecratur, augusta dicuntur, ab auctu, vel ab avium gestu gustuve, sicut etiam Ennius docet scribens: Augusto augurio postquam incluta condita Roma est. *Dac.* Cf. Oudendorp. et Frid. Aug. Wolf. ad Sueton. l. c., qui docent, locum Suetonii: *quod loca religiosa — — — condita Roma est* e Festo assutum esse Suetonio. Fuerit igitur locus ex uberioribus commentariis de significatione verborum, qui revera fuerunt Festi ex Verrio Flacco libri; et credibile est, illo tempore, ubi Suetonii codicibus pannus ille assutus est, Festi libros adhuc exstitisse integros. Ceterum dubitari nequit, quin *augustus* ab *augure* descendat, quemadmodum *vetustus* a *vetere*, *onustus* ab *onere*, *venustus* a *venere*, *robustus* a *robore*, et multa similia. *Augur* autem non ab *avibus*, multo minus ab avium *gestu gustuve*, verum a radice *aug*, Sanscrit. *akschi*, quae recurrit in Germanorum *auge*, Latinorum *oculus*, et mutata gutturali in labialem, in Graecorum ὄμμα, ὄππα, ὀφθαλμός, ὄψομαι. Addita autem *ur* syllaba terminalis verbale effingit substantivum concretae notionis, ut sit *aug-ur* spectator, ὁ οἰωνοσκόπος, ὁ μάντις.

Quia aves pastae id ratum fecerunt. Veteres optimum putabant augurium, si aves pascerentur. Claudius Pulcher, inquit Suetonius (Tib. II.) apud Siciliam non pascentibus in auspicando pullis, per contemptum religionis mari demersis, quasi ut biberent, quando esse nollent, proelium navale iniit et superatus est. Et Asconius scribit dici solitum magistratum ineuntibus: *aves pascunt.* Cic. de Div. (II, 34.) *dicito si pascuntur.* *Gothofr.*

Ratum fecit. Erat id verbum inter cetera auguralia. Cic. I. de Div. (39.) *Cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum?* Et lib. II, (38.) *Cur aliis a dextra, aliis a laeva datum est avibus, ut ratum facere possint?* Eoque allusisse videtur Chaerea apud Sueton. in Caligula c. 58. *accipe ratum.* *Gothofr.*

Augur. Ab avium gestu, quod ex modo, quo se gerunt aves in volando futura praenunciet. Inde et augurium, quasi avigerium. Alii ab avium gustu vel garritu. *Dac.* *Auger* veteres dixerunt teste Prisciano (I, 6, 36. Krehl.) *Gothofr.* Induxit Grammaticos voc. *auspex*, ut crederent augurem ab avium gestu dici. Cf. annotationem ad v. *Augustus.* Credibile est enim, vocem hanc esse Etruscae originis et cum re ipsa ad Romanos translatam. Iam si in syllaba radicali *aug* spiciendi inest significatio; reliquum est, ut syllaba finalis efformet verbale substantivum, eodem modo efformatum, quemadmodum Germanica illa *Seh-er*, *Späh-er.* Confirmatur hoc Prisciani testimonio (I, 6, 36.): *Antiqui auger et augeratus pro augur et auguratus dicebant.*

Auspicium. Legendum: *apud veteres sine praepositione, spicio*; sive ut est in l. m. *specio.* Vide in *spicio.* *Fulv. Urs.* Plaut. Mil. gl. III, 2. (III, 1, 100.) *Flagitium est, si nihil mittetur, quo supercilio spicit.* Vide *spectio.* Auspicium non tantum ex cantu vel volatu, vel garritu avium, sed etiam ex victimarum extis, ex piscibus et acuminibus, tonitru, fulgure et aliis. *Dac.*

Affectare. Magno affectu aliquid appetere, captare. Ter. Heaut. II, 3, (60.) — — *ad dominas qui affectant viam.* Virg. Georg. IV, (562.) *viamque affectat Olympo.* *Dac.* Vid. l. 8. in f. ff. ad L. Aquil. *sic adfectatae tutelae.* §. item tr. Inst. de excus. tutorum. *ἐπιτηδεῦσαι* Theophilo ibidem. *Adfectare* apud Nonium etiam significat afficere. *Goth.*

Armillum. Proverbium fuit vetus: *Anus ad armillum redit.* Lucillius lib. XXVIII. *Hinc ad me, hinc licet anus rursum ad armillum.* Quod proverbium bis apud Apuleium reperies, libro VI. *Et aegra facie matris suae repentinam sobrietatem pertimescens ad armile redit.* Item libro IX. *Ad armillum redit et ad familiares feminarum artes accenditur.* Non tamen ab Erasmo animadversum. Significat redire ad ingenium. Nota est anuum in vinum propensio. *Scalig.* Varro lib. I. de vita pop. Rom. *Etiam nunc pocula, quae vocant capulas, et capides, quod est poculi genus, item armillum, quod est urceoli genus vinarii.* Glossae Isidori: *Armillum, crater, vas vinarium.* *Dac.* Nonio urceoli vinarii genus; unde apud eundem proverbium: *Anus rursus ad armillum.* *Goth.*

Aerarii tribuni. Et Glossarium: Aerarius *ταμιοῦχος.* *Scal.* Varro lib. IV. de L. L. (V, 180. Sp.) *Tribuni quoque quibus attributa erat pecunia, ut militi redderent, Tribuni aerarii dicti. In aede Saturni;* sub Clivo Capitolino; eam aerarium fecit Valerius Publicola. *Dac.*

Apricum. Melius quasi apericum, soli apertum. *Dac.* Puto *apricus* et *Aprilis*, voces, ex una eademque stirpe esse derivandas atque explicandas. Alius tamen sententiae est Scaliger in Vossii Etym. L. L. sub v. *Aprilis:* „Quomodo mensis Aprilis dici potuerit ab aperiendo, equidem non video. Primum cum annus ab initio X tantum mensium fuerit, necesse est, semper menses vagos fuisse, neque stationes temporum fixas tenuisse. Ita Aprilis semel tantum incidebat in tempus vernum et post XII. annos Romuleos, hoc est, X Lunares, redibat in orbem. Deinde Aprilis non potest descendere a verbo. Nam nomina, quae huius terminationis sunt, si descendunt a verbo, penultimam corripiunt; ut probabilis, utibilis vel utilis, facibilis vel facilis. Si autem a nomine, eandem producunt: equus equilis, ovis ovilis, caper caprilis, (utitur hac voce Varro II. de R. R.) aper aprilis, etc. praeter pauca: humilis, similis. Ergo *Aprilis* ab apro, h. e. porco. Ut Athenis *ἐλαφηβολιών*, hoc est cervilis, sic Aprilis *καπρηβολιών* vel *καπροβολιών.*"

Amoena. Vide incerta Verri Flacci ex Isidoro. *Ant. August.* Virg. Aen. VI, (638.) *Amoena vireta Fortunatorum nemorum.* Ubi Servius: *Amoena loca sunt, quae solum amorem praestant, in ceteris amunia, h. e. sine fructu.* Idem etiam Verrius: *Amoena loca solius voluptatis gratia, sine fructu, quasi amunia.* Eadem et *amoenia.* Gloss. *amoenia αἱ ἀκταί.* Sed ita dicta potius, quod nos immunes praestant. *Dac.* Amoenum ab amando derivandum esse statuit etiam Doederlinus, ut amoenus sit quasi *ama-inus* i. e. amabilis.

Affecta femina. Legitur *adfectata* apud Scal. et Dac. sed eo verborum ordine, ubi *adsectata* exspectandum erat. Quare in notis testati sumus, voluisse *adsectata* utrumque editorem. *Affecta* nos e Gu. 2. restituere debuimus. *L.* Veteres edd. *Adfectata.* Recte. Plaut. Rudente II, 4.: *Am. Ad vos venio. Sc. Accipiam hospitio si nox venis, item ut Adfectatam.* Quem locum interpretabimur in editione Plautina, si Deus faverit. Nam ita et legendum et digerendi versus. *Scal.* In bonam partem Gloss. *adfectata σεμνή*, i. e. veneranda. Et apud Plautum sunt, qui adfectatam in malam partem interpretentur, calamitosam, naufragam, sed manifesto contra mentem Plauti, qui *hospitio te accipiam item ut adfectatam*, eodem modo dixit, quo nos vulgo: Ie vous recevray comme une grand-Dame, comme une Reine. *Dac.*

Aquagium. Idem quod aquarium. Gloss. *Aquarium. ὑδραγώγιον.* *Scal.* Lege 15. in fin. ff. rusticorum praed. l. g. ff. quemad. servit. amitt. l. 3. §. 5. ff. de aqua quotidiana. *ὑδραγώγιον* Graecis, quod Glossis Aquiductium et Aquarium. *Gothofr.*

Aquaelicium. Tertullian. *Aquilicia Iovi immolatis; nudipedalia populo denunciatis.* Fortasse Varro Tuscum aquiligem, vel Aquilicem dixit, quod sacrificiorum et rei divinae procuratione, quarum rerum periti Tusci erant, aquas eliciebat. Verba Varronis sunt haec ex satira Quinquatribus: *An hoc praestat Herophilus Diogeni, quod ille e ventre aquam mittit? an hoc te iactas? at hoc pacto utilior te Tuscus aquilex.* Tamen nihil impedit, et pro libratore aquarum sumere. Gloss.: *Aquilices, οἱ τὰ ὑδραγώγια ἐργαζόμενοι, οἱ ἀνοχετάριοι, ποταμῖται, ὑδροσκόποι.* Ita enim legendus est locus ille apud auctorem Glossarii. *Scal.* Cum propter nimiam siccitatem manalem lapidem in urbem protrahebant, ut aquas elicerent. Vide *Manalis lapis.* Sacrificia tum peracta innuit Tertullianus. Aquilex, qui huiusce rei procuratione aquas eliciebat, *Tuscus aquilex* dictus, quod harum rerum periti Tusci erant. Cf. Varro. — Infra *si creditur* sunt barbari mutilatoris, qui dubitavit olim Romae manales vereri solitos fuisse. *Dac.* Tertull. 40. Apologet. *Aquilicia Iovi immolatis.* unde aquilex Varroni apud Nonium significare eum videtur, qui aquis e coelo eliciendis praeficiebatur. — Apud eundem Tertullian. superiore

libro c. 23. fit mentio Coelestis deae, quae ut pluviarum pollicitatrix colebatur ab Ethnicis. *Manali lapide.* Vide in *Manalem lapidem*, et Fulgentium in *Manales.* *Gothofr.*

Aqua. Varro minus dure: *Aqua quod aequa summa.* quanquam neutrum implet aures meas. *Ant. Augustin.* Optime Caninius ab ἁ χόα, nam saepe Latini articulum nominibus iungunt. *Dac. A qua vivamus.* adde Varron. lib. IV. de lingua. *Gothofr.* Est a radice Sanscrita *apa*, plurali *apas*, quod est plurale tantum, si pro nomine ponitur. *P* et *Q* permutari solent in ipsius Linguae Latinae dialectis, ut *Tarpinius*, pro eo quod est *Tarquinius; petora*, pro *quatuor*, et multa eiusmodi alia.

Aqua et igni. De aqua et igni, quae accipiunt nuptae, idem Varro videndus lib. IV. et Plutarch. in Problem. et infra *Facem.* *Ant. Aug.* Videtur hic locus ita legendus: *Aqua et igni tam interdici solet damnatis, quam accipiuntur nuptae.* Scaevola in L. Seia. D. de donat. inter vivos: *Quidam virgini die nuptiarum, priusquam ad eum transiret, et priusquam aqua et igni acciperetur, id est nuptiae celebrarentur, obtulit decem aureos dono.* *Fulv. Ursinus.* Fulvio Ursino unice adsentior. De utroque more Ovid. IV. Fast. (791.)

Quod in his vitae caussa est, haec pendidit exsul;
His nova fit coniux; haec duo magna putant.

Vide *Facem.* *Dac.* *Aqua et igni interdici solet damnatis.* In locum huius interdictionis successit deportatio. L. 2. ff. de poenis. cuius fit in iure passim mentio. *Quam accipiunt nuptae.* quae accipiunt nuptae, alii: qua accipiuntur nuptae. His adde quae scripsi ad legem 69. ff. de donat. inter viv. adde in *Facem.* *Gothofr.* *Aqua dispersi.* adspersi. *Suffitionem.* Vid. in *Laureati.* Idem.

Axitiosi. Ita apud Plautum, citante Varrone: *Axitiosae annonam caram e vili concinnant viris.* Gloss.: *Axitas*, ἀποτελεσματικαί. Lege *Axites.* Unde et infra Axites mulieres legendum, non Axies. *Scal.* Ab *axit* egerit, quo usus Pacuvius in Periboea: *Aut quae egi, ago, vel axim, averruncem.* Sed rescribendum *axiosi* et *axiosae.* Nisi malis *axitiosi* dictum putare pro *axiosi*, ut *axilites* pro *alites.* *Axiosi* pro *actuosi* ab *axus* pro *actus? fixus* pro *fictus? taxus* pro *tactus* etc. Varro lib. VI. de L. L. (lib. VII. p. 349. Sp.) *Ut ab una faciendo factiosae, sic ab una agendo actiosae dictae sunt.* *Dac.* *Unde axies.* Lege *axites.* Glossarium *axites*, ἀποτελεσματικαί. Item *mulieres sive Dii*, rescribe *mulieres sive viri.* *Idem.* *Axes, axitis*, a nomine quodam deducitur substantivo, vel adiectivo, ut *miles* a mile, *eques* ab equo, *arquites* ab arcu (cf. Festum sub h. v.) *alites* ab ala, et eiusdemmodi alia. Id nomen invenitur infra pag. 22. in vv. *Axe agglomerati.* Sic enim dicebantur milites universi stantes, h. e. cohortibus aut legionibus, teste Festo. Quid igitur est aliud illud *axe*, nisi ablativus nominis *axis*, quod est nostrum *achse*? Nam *axe agglomerati* haud dubie dicebatur ea aciei figura, quum milites starent ita, ut axem efficere viderentur, id quod Galli hodierni dicunt *en colonne.* Unde intelligitur, quomodo *axis* et stipitem, circa quem rota vertitur, et tabulam sectilem potuerit significare. Quare *axites* et inde derivatum *axitiosus* per iocum ficta arbitrabimur, quasi in axem proeliantes, in axem agentes, dixeris; et pronus ad eam rem, ad eiusmodi actionem. Glossa igitur erit ex iis, quae ad Comici alicuius dictionem explicandam spectant, quales multae sunt apud Festum. Ceterum *Axiles m.* alios exhibere libros pro *axites mulieres*, refert Gothofredus.

Alites. De Sanquali et immusculo vel immustulo suis locis videto. Et Plin. lib. X. cap. VII. *Ant. Aug.* Vide *Oscines.* *Dac.*

Axamenta. Glossarium: *Axamenta* στίχοι ἐπὶ θυσιῶν Ἡρακλέους. Ubi notandum est, sacrificia, quae Salii faciebant, non Marti, sed Herculi fieri; cum tamen Salii sint Martis sacerdotes. Quare scriptor doctissimus illius Glossarii secutus est auctores eos, quos et Virgilius, dum attribuit Salios Herculi, non Marti. Sed et Antonius Nipho et Octavius Herennius olim ostenderant Salios Herculi dicatos esse. Porro Axamenta dicta sunt ab *axare*, hoc est, ut ipse Festus explicat, nominare. Glossarium: *Anaxant*, ὀνομάζουσι. Sed non magis puto axare proprie esse nominare, quam apud Graecos στηλιτεῦσαι, τὸ δημεῦσαι, aut τὸ ὑβρίζειν. Sed in axibus seu tabulis illa carmina describebant, item ut leges suas Graeci ἐν τοῖς ἄξωσι. Quia enim legitime concepta erant illa carmina, propterea non minus ediscebantur a Saliis, quam a leguleis actiones et formulae iuris. Itaque et Cicero ait a pueris praetextatis carmen Saliare tanquam legitimas formulas disci solitum. Sed et erant alia carmina, quae a pueris discebantur, ut carmen Nelei de moribus et similia. Quae quia religiose ediscebantur et solenniter concepta erant, nihil impedit legitima dici. Sic Tertullianus, disertissimus atque eruditissimus scriptor, in libro de persecutione, orationem Dominicam legitimam vocavit elegantissime; quod a nobis et ab omnibus, qui Christo sacramentum dixerunt, ut carminis lex quaedam discatur. *Scal.* *Axamenta* ab *axis*, tabula, quod in tabulis descripta. Eadem *assamenta*, quod *assis* dicebant pro *axis.* — Infra pro *componebantur* rescribendum puto *canebantur.* Nam falsum est, ea carmina a Saliis fuisse composita, quae ipsis etiam obscura ipso Fabio teste lib. I. c. 6. *Saliorum carmina vix sacerdotibus suis satis intellecta.* *Dac.* *Axiamenta*, axamenta, ab axare id est nominare, infra axare

Fortassis quod in axibus et tabulis scribebantur. *Gothofr.* *Carmina Saliaria.* Ea praetextati pueri discebant, ut legitimam formulam, ut et carmen Nelei de moribus. *Idem.* Dubitari non poterit, quin *axamenta* sint recensiones nominum atque epithetorum omnium Deorum, quae preces ad istos ipsos Deos continerent. Nec tamen est credibile, ab axibus sive assibus dici verbum. Contra omnibus hisce vocabulis *axamentum*, *axare*, *axis*, *assis*, *assus*, *assa vox* communis radix subiecta est Sanscrita vox radicalis *ak* et *ang* et *angs*, quae significat primum distinguere, dividere, discernere; tum notare, nominare, enumerare. Quare *axamenta* sunt enumerationes nominum, *axare* est nominare, enumerare; *axis* et *assis* abscissum et sectile lignum; *assus* secretus, solus, unde *vox assa*, vox sola, vel vox secreta, ut prae ceteris audiatur; id quod in hodierna arte musica *vox obligata* dicitur. Cff. quae notata sunt infra ad vocem *Assa.* Ne vero dubites, qua ratione ex illis radicibus Sanscritis oriri potuerint ista verba, conferas *vadsch* (*vadj*, *vag*) i. e. vox; *radsch* (radj, rag) i. e. rex et similia. Quoties vero *x* et *ss* apud Latinos commutatae reperiantur, non opus est ut exemplis doceamus. *Anaxant* non a praepositione compositum puto, sed potius corruptum ex *anxant*, ut duo fuerint verba *axare* et *anxare*, quemadmodum in sermone Sanscrito *ak* et *ang* radices inveniuntur.

Axis stipes, vide in *Stipitem.* *Gothofr.*

Ador. *Adur* dicebant veteres, quod Graecum est ἀϑὺρ, nulla littera immutata praeter ϑ in δ, ut ϑεὸς Deus. Dicitur et *adus aderis.* Glossarium: *Adus* σῖτος. Ita enim legendum. Postea declinatum *adus adoris*, ut *pignus pigneris* et *pignoris*; *tempus temperis*, *temporis.* Itaque fit ut in obliquis secunda nunc producatur, nunc corripiatur. A. Gannius vetus poeta corripit in illo versu:

Illam sponte satos adoris stravisse maniplos.

Item:

Hic adoris dat primitias tibi; sanguine libat.

Ausonius:

Mox ador atque adoris de polline pultificum far.

Producit idem Gannius in illo:

Emicat in nubes nidoribus ardor adoris.

Quare doctissimus Grammaticus Priscianus (VI, 9, 49. pag. 251. tom. I. Kr.) ait irregulare hoc nomen esse, quod cum in *or* terminetur, tamen obliquos corripit contra aliorum naturam; et cum neutri sit generis, tamen in *or* desinit. Utrumque falsum. Nam neque cum obliquos producit, est neutri generis, sed masculini; neque cum neutri est generis, in *or* terminatur. Quamvis enim dixit Ausonius: *Mox ador atque adoris de polline pultificum far;* tamen *ador* dictum pro *adus*, ut *corpor* dicebant in neutro. Sed *adus* in neutro dictum et *ador* in masculino, ut *decus* et *decor.* Porro *ador* est far seu ζειά. In Glossario transposita ita suo ordini restitues et emendabis. Ita vulgo legitur: *Ador*, υἱόϑετος. *Ador*, προςενεγκενξια. Lege: *Adoptatus*, υἱόϑετος. *Ador*, ζειά. *Adparat*, προςήνεγκεν, παρασκευάζει, εὐτρεπίζει. In eodem legitur: *Adoria*, εἶδος σίτου. *Scal.* Potius a Graeco ἀϑὴρ, *arista*, ϑ in δ. Vide infra in *Mola.* *Dac.* Graeci ἀϑὺρ, quod nonnullis *adur* (aliis *adus*), cuius genitivus *adoris* penultima nunc longa nunc brevi apud Sannium veterem poetam et Ausonium. Glossis *adis* σῖτος. Adde Nonium in *Ador* et *Adoreum.* *Goth.* Non a Graeco ἀϑήρ, arista, sed a radice Sanscrita *ad*, edere, descendit. Ut enim a radice *od* fit *odor*, sic a radice *ad* fit *ador*, quod proprie *esum*, *cibum* deinde *frumentum* significat; quemadmodum apud Graecos σῖτος proprie *cibum*, deinde peculiariter frumentum denotat.

Adoriam. Glossarium vetus, cuius ope multa vetustatis situ sepulta eruimus: *Adoriosus*, ἔνδοξος, Αςπομπηΐος αδορνικηας πεμπιος. Lege: *Adoriosus*, ἔνδοξος, ὡς Πομπήϊος. *Ador*, νίκη, ὡς Πομπήϊος. Quin intelligat nostrum Pomp. Festum, dubitandum non est. Hinc quam multa ad arbitrium suum mutaverit, mutilaverit, perverterit Longobardus iste, facile adverti potest. Nam quae Glossarius ille adnotat, ex hoc integro loco deprompta fuerunt sine ullo dubio. *Adorea* pro laude accipi coepta est, postquam praemium militibus frumentum erat, parta victoria. Plautus (Amphitr. I, 1, 43. ed m.):

Qui multa praeda, atque adorea affecit popularis suos.

Scal. Distingue post *adoream*, hoc modo: *Adoream, laudem, sive gloriam.* Parta victoria frumentum militibus dabatur in praemium, unde factum, ut adorea pro laude et gloria dici coepta sit. Itaque optime Gloss.: *Adorea* δόξη ἡ ἀπὸ τοῦ πολέμου, laus quae bello parta est. *Dac.* *Adoria.* Glossis *Adoria* εἶδος σίτου. — Aliud autem *adoreum* apud Nonium. *Goth.* *Adoriam* scribendum esse, in varietate lectionis satis diximus.

Arma. Idem Servius: *Proprie arma sunt, quae armos tegunt, hoc est, scutum, quod Graecis* ὅλον

ὅπλον dicitur, cum caetera sua nomina habeant. Et Isidor. lib. ult. cap. 5. *Arma proprie dicta sunt eo quod armos tegunt*, i. e. *humeros*. Et ita proprie de scuto Virgilius (Aen. X, 841.):

At Lausum socii exanimem super arma ferebant.

Dac. *Arma ab armis.* Vide *Armillas*, *Armillum*. Sed tamen Varro arma ab arcendis hostibus deducit. *Gothofr.* *Ut scutum gladius* cet. Adde l. 3. §. 2. ff. de vi et vi. l. 14. §. 1. ff. de re militari. l. 41. ff. de ver. sig. *Idem.* *Sicut tela quibus procul.* Nam tela dicuntur, quaecunque in hostes mittimus. Virg. IX. Aen. (509.):

Telorum effundere contra
Omne genus Teucri.

Unde et *missilia* dicta sunt. Idem (IX. Aen. 520.):

Pellere vallo
Missilibus certant.

Vide *tela*. Quandoque tamen utriusque vocabuli appellatione latissime utuntur non modo iurisconsulti, sed ipsi quoque oratores et historici. Nam arma vocant omnia, quibus quis instructus est ad propulsandam aut inferendam vim, ut gladios, hastas, fustes, saxa. Cuiuscumque etiam artis instrumenta *arma* dicuntur, ut Graecis ὅπλα. *Telum* autem omne id, quo quis se tegit ac tuetur. *Dac.*

Armita. vide var. lectt. *L. Armata.* Intellige Maximam virginem Vestalem. In veteribus nummis visitur saepe hoc habitu sacrificans Maxima virgo lacinia togae pone reiecta, et disco libatorio dextra vinum immergens. Eleganter vero pomum in armum legere, quod Graeci dicerent ἀνδραχθές. ἐκ τοῦ ἀλλοτρίου χωρίου καρπὸν ἀνδραχθῆ μὴ ἐπιφορτισάτω. *Scal.* De Laurentium legibus nihil aliud umquam legi. *Dac.* Alii tamen hic legunt *Amata* ex Gellio I, 13. Male, cum *Armata* hic dicatur non ab amore aut armis, sed ab *armo* id est humero. *Goth.* *Ne pomum ex alieno legatur in armum.* Vide quae scripsi ad 2. Feudorum 27. in f. *Idem.* *In armum.* Vide *Armillas*. *Idem.*

Armentum. Ab armando armamentum, armentum. Virg. (Aen. III, 540.) de equis:

Bello armantur equi, bellum haec armenta minantur.

Sed verius ab *aramento*. Varro lib. IV. de L. L. (V, 19. p. 93.): *armenta, quod boves ideo maxime parabantur, ut inde eligerent ad arandum; inde aramenta dicta, postea tertia littera extrita.* Nec obstare debet quod Virgilius equos armenta dixerit, nam et idem alibi de cervis dixit (Aen. I, 188.):

Tres littore cervos
Prospicit errantes; hos tota armenta sequuntur.

Dac. Hunc Ennii versum refert Nonius: *ipsius ad armentas easdem.* Ubi facile quivis legendum viderit: *Ad armenta ipsius easdem. Idem.* Ab arando Isidor. deducit XII, 2. Adde l. 12. ff. de servit. rust. praed. l. 81. §. 3. ff. de leg. 3. l. 89. ff. de verborum signif. *Goth.* *Feminine armentas apud Ennium positum.* V. Nonium in *Armenta. Idem.* Locus Varronis sic nunc legitur: *inde arimenta dicta postea I tertia littera extrita.*

Album. Alii tamen Alpibus non a colore, sed ab altitudine nomen inditum tradunt. *Albus* enim vel *alpus* Gallis, qui olim Germanica lingua locuti sunt, altum significat, unde Isidorus: *Gallorum lingua Alpes montes alti vocantur.* Et Annibal apud Livium XX, 30. *Quid aliud Alpes esse credentes, quam montium altitudines?* Hinc intelligendus Eustathius in Dionys. Ἡ δὲ Ἄλπις, inquit, μέγιστον ὄρος δι' ὃ καὶ πληθυντικῶς λέγονται αἱ Ἄλπεις. Φασὶ δὲ τὴν λέξιν ταύτην καὶ τὴν εἰς τὸ Ἑλληνικὸν μετάληψιν ταὐτὸν δύνασθαι τῇ κλεισούρᾳ. Sed falsum est, vocem Gallorum propriam fuisse, cum illam Graeci etiam usurpaverint; debetur autem Phoenicibus, quibus *laban* albus, et *alben* forma Syra albescere. Nisi malis ἄλπιν cum aliis excelsum collem interpretari, ab Hebraeo *al* vel *hal*, quod celsum sonat, et *pen*, quod collem aut verticem montis. *Dac.* Glossae: *Alpes* ὄρη ὑψηλά.

Albesia scuta. Duae fuerunt Albae. Varro lib. VII. de L. L. (VIII, 18. p. 418.) *Cum duae sint Albae, ab una dicuntur Albani, ab altera Albenses.* Illa est in Latio sub monte Albano, haec in Marsis ad lacum Fucinum circa fontes Anienis, quare optime Festus Albenses Marsi generis dicit. *Dac.* *Decumana.* Vide *Decumana ova. Idem.* Adde infra *Decumana ova.* Et Decumanus appellatur limes. *Goth.*

Albiona ager. De quo mirum apud veteres silentium, ut de luco Albionarum. *Dac.* Comparari potest cum voce *Albion*, antiquo nomine Brittanniae.

Albula Tiberis. Eustath. in Dionys. καὶ ὅτι Τίβερις Ἀλβουλὸς ποτε καλούμενος. Corrige Ἀλβούλας; neque enim dictus *Albulus*, sed *Albula*. Sed cur ab aquis albis, cum flavum eum dicat Virgilius: (Aen. VII, 31.) *Multa flavus arena.* Et Horat. (Carmm. II, 3, 18.) *Flavus quam Tiberis lavit.* Nempe ibi flavus nihil aliud est, quam pulcer, limpidus, ut caeruleus. Virg. (Aen. VIII, 69.): *Caeruleus Tiberis. Dac.* *A Ti-*

berio Sylvio. Optime viri docti *Tiberino.* Hic Calpeto patri successit et in Albula submersus nomen reliquit fluvio. Ovid. Liv. Infra in v. *Tiberis* ait: *vel a Tiberino, vel a Tibri vel Tiberi rege Tuscorum.* Sane et Eustathius in Dionys. a Tiberio quodam rege dictum refert ex Dione. *Idem. Tiberio.* Tiberino. *Goth.*

Ambo. Vide incerta Verrii. *Goth.* In sermone Sanscrito est *ubhau,* unde permutatio litterarum *b* et *φ* fit probabilis. — *Dictum.* Ductum. *Goth.*

Ambactus. Cur lingua Gallica dicat, ignoro. Ut enim supra scriptum est, id recte Latine dicitur et mos Romanus significatur. *Ant. Aug.* Glossar. *Ambact.* δοῦλος μισθωτός, ὡς Ἔννιος. Caesar lib. VI. (14): *Ita plurimos circum se ambactos clientesque habet. Fulv. Urs.* Sane Paullus iste non assecutus est mentem Festi. Nam Ambactum Festus dixit apud Ennium significare servum mercenarium; a Gallis autem dici Clientem, ut legitur apud Caesarem. Vel quod verius puto, Festus tantum ab Ennio ita vocatum servum conductitium dixit. Paullus vero iste voluit sincerum vas incrustare et ita a Gallis dictum esse scripsit, quia eam vocem in Commentariis Caesaris legerat. Neque dubito, quin ita res acciderit. Nam alii longe Ambacti apud Caesarem, qui non servi erant, alius ambactus apud Ennium, quum servum significet. Illud Gallicum vocabulum, hoc plane Latinum. Huic coniecturae fidem facit Glossarium illud non satis laudatum, et quod magistellorum manibus teri non debet, sed tantum a doctioribus nocte et die versari. In eo igitur legitur: *Ambactus* δοῦλος μισθωτός, ὡς Ἔννιος. An non satis plane innuere videtur, quod de Paulli audacia odorati sumus? At Ennius videtur de servo ambacto loquens comparatione aliqua aut similitudine dixisse nescio quid tale, ut apud Theognin: (v. 485. ed. Sylb.)

Μή σε βιάσθω
Γαστήρ, ὥστε κακὸν λάτριν ἐφημέριον.

Nam de eo Theognis sentit, qui quotidie locat operas suas; ut Ennius quoque de eo, cuius herus quotidie collocabat operas, et ex eo rem quaerebat. Porro non placet rem referre ad manumissionum morem et vertigines illas, quibus liberabatur servus, cum tamen id summis in omni doctrinae genere viris placuisse videam, eosque in ea haeresi esse. Non possum non ridere, quod agyrta quidam, homo insignis audaciae atque impudentiae, scripsit contra Turnebum super hac voce *Ambactus.* Sed ut eius omnes libri nihil aliud quam impudentissimam sui fiduciam praeferunt, ita hanc eius de hac re opinionem ut impudentissimam et ineptissimam reiicio. Nunquam legi maiores nugas, nunquam insigniorem temeritatem vidi neque audivi, ut qui omnes linguas a sua barbara deducere velit, adeo ut ipsam Hebraicam linguam posteriorem Cimbrica asserat. Ubi etiam circulator Mosem reprehendit, quod nomina propria veterum illorum patrum a gentilitia sua Hebraea, non a Cimbrica deducat. Ergo miseros illos veteres Hebraeos, qui non Batave scierint loqui, et feliciores longe futuros, si Antverpienses, quam si Syri sive Palaestini fuissent. Talia infinita habent ineptissimae illae Origines. Et tamen non desunt qui admirentur. At de ineptissimo homine plura alias, ubi erit locus. Hoc unum adiiciam, in tanta mole libri vix me reperisse, quod verum esset; et licet aliquid veri invenias, tamen id eiusmodi est, ut in ea alea dicere possis eum, aliquando ut vincat, assidue perdere. *Scal.* Ut acute apud Vopiscum Salmasius, ex verbis Caesaris non magis liceat colligere, Gallicam vocem esse *ambactos,* quam *clientes.* Cur non enim et Clientes vox Gallica? Quos hic *ambactos* vocat Caesar, paullo infra servos appellat et cum clientibus iungit. Ita ut frustra sit Scaliger, qui notavit *ambactus,* cum servum significat, Latinum esse, at cum pro cliente, Gallicum. *Ambactus* mere Latina vox est ὁ ἀμφιφερόμενος, ὁ περιφόρητος, quasi circumactus et nunquam consistens, qui hac et illac circumducitur mercedis gratia, cuius operas quotidianas Dominus locat lucelli caussa, qui et ideo locellaris et lucellaris appellatur. *Ambagere* autem vetus verbum pro circumagere. — Ambactus etiam dictus *ambaxus.* Infra *ambaxi.* Nempe ut a *figo fixus* et *fictus;* a *tago tactus* et *taxus;* sic ab *ago axus* et *actus; ambaxus, ambactus.* Inde *ambactia* et *ambaxia,* servitium vel opera mercede conducta, pro quo recentiores Latini *ambasciam* scripserunt, ut *ascilla* pro *axilla.* Inde *ambasciator* et *ambaxiator* internuncius, intercursor, domesticus, adsecula (ambassadore, ambassadeur). *Dac.* Servum libertate donatum intelligit. Pers. Satyr. V, 75: *Quibus una Quiritem vertigo facit.* Et post: *Verterit hunc dominus momento turbinis exit Marcus Dama.* Hinc circumductiones manumissionum inextricabiles. in l. 6. Cod. de emancipationibus. Vide infra *manumitti.* l. 23. ff. de manumiss. *Goth. Ambactus apud Ennium lingua Gallica actus dicitur.* Potest et ita legi: *Ambactus alius Ennio, quam qui lingua Gallica Ambactus dicitur.* Et ita est. Nam Ambactus Gallis, teste Caesare, cliens. Nisi *actum* eum esse Gallis, qui Ennio *actus. Idem.* Esse vocem Gallicam clare ait Festus sive Paullus. Et sane veteri lingua Belgica *ambacht* signat *iurisdictionem,* unde *ambachts-heeren* usitate vocantur, penes quos territorii alicuius dominium ac iurisdictio est. Quod autem vulgo Belgae *ambacht* pro opificio usurpant,

id ex abusu vocis provenit, ut pluribus ostendit Goropius Becanus, vir ingeniose eruditus, et a quo interdum etiam verum exspectes, utcunque saepius iudicio frustretur. *Voss. in Etym.* Priscis Germanis *Ambacht* idem quod nunc dicitur *Arut*, r. e. officium.

Am. Praepositio loquelaris est, quae per se non subsistit, sed cum loquelis. Ita Sergius, Probus, Diomedes, Grammatici. Eiusmodi praepositiones sunt *dis*, *con*, *am*, *re* et similes si quae sunt aliae. Nam cum loquelis aliquid sunt, per se nihil. Sic apud Ciceronem in de somnio Scipionis *loquelariter ad cursum solis descriptus* esse dicitur, hoc est, contemplatione ipsius solis, non quod re vera is annus dicendus sit. Quemadmodum illae praepositiones revera non sunt, nisi contemplatione earum vocum, quibus coniunguntur. Quare manifesto errat Macrobius, qui apud Catonem legit *am terminum* non *amterminum*, cum *am* per se nihil sit, sed loquelariter. Vide quid annotamus voce *Amtermini.* Apud Ciceronem vulgo non *loquelariter*, sed *populariter* excusum. Sed discant omnes Ciceroniani hanc vocem, neque mihi irascantur, si eam uti in omnibus manuscriptis legitur, probamus. *Scal.* A Graeco ἀμφί. Nam falluntur qui putant, Graece prius dictum esse ἀμ, addito φι, ἀμφί. *Dac.* *Am praepositio loquelaris* cet. *Am* praepositio significat *circum.* Unde supra locellaris servus *ambactus*, i. e. circumactus dicitur. Ita hunc locum restituit Scaliger. Cui servus locellaris vel lucellaris est μισθωτός, cuius operas quotidianas dominus locat, lucelli et quaestus gratia; aut qui in eam rem discursat. Nisi loquelaris servus accipiatur pro internuntio, aut vox *loquelaris* omnino dispungatur. *Goth.*

Ambest. Ex *am* et *edo*, *ambedo*, *ambest.* *Dac.* Eadem ratione *Comest* apud Nonium dicitur. Alias regulariter *Ambedit*, ut in l. 38. ff. de adquir. rerum dominio. *Goth.*

Ambegni. Ex *am* et *agnus*, *ambagnus*, *ambegnus.* Ambegnae oves, quae ex utraque parte habeant agnos. Et *bos ambegna* apud Varronem lib. VII. (3. pag. 319. ubi nunc *ambiegna* ed.) quam circum aliae hostiae constituantur. Fulgentii locum de *ambegna ove* corruptum puto. Scribit Fulgentius: *Bebius Macer qui festalia dierum scripsit, ait Iunoni eas, quae geminas parerant oves, sacrificare cum duobus agnis altrinsecus alligatis, quas oves ambegnas vocari, quasi ex utraque parte agnos habentes.* Legendum et distinguendum: *ait Iunoni eas, quae geminos parerent, oves sacrificari* cet. Ovis enim sacrificabatur cum duobus agnis, quos pepererat. Neque requirebatur, ut ea duas oves peperisset. *Dac.*

Ambidens. Varie bidentem interpretantur. Vide Gellium lib. XVI. cap. 6. et Macrob. lib. VI. atque Servium Vergilii interpretem, qui Nigidio consentiunt, bidentes dici bimas hostias; sive quasi biennes, sive quod emineant ea aetate bini dentes. Vide Bidental et Bovem bidentem. *Ant. Aug.* *Bidentes* vel *Ambidentes* hostiae quae cornigerae essent et duos dentes eminulos haberent. Id enim requirebatur in hostiis, alioqui si carerent illis, ἀτελεῖς erant et ad sacrificia ineptae. Neque quod aliqui putarunt, bidens dicitur quasi *biens*, duobus annis nata, cur enim *bidentis*, non *bidennis* aut *biennis* diceretur. Gellius tamen invenisse se dicit in commentariis quibusdam ad ius Pontificium pertinentibus, bidentes *bimas hostias*, bidennes primo dictas, littera *d* immissa quasi *biennes*, tum longo usu loquendi corruptam esse vocem et ex bidennibus bidentes factam. Sed addit idem, Hyginum Iulium, qui ius Pontificum non ignorabat, in quarto librorum, quos de Virgilio fecit, bidentes appellari scripsisse hostias, quae per aetatem duos dentes altiores haberent. Hygini verba sunt: *quae bidens est hostia oportet habeat dentes octo, sed ex his duos caeteris altiores, per quos appareat, ex minore aetate in maiorem transcendisse.* Cf. Gellium lib. XVI, c. 7. *Dac.* Vide infra Bidental et Bovem et Bidentes. Adde Plin. II. *Gothofr.*

Abemito. Glossarium: *Abemit, ab eo accepit*, ἔλαβεν. Sic *Surremit*, *sursum emit*, hoc est *suscepit.* Et *surrempsit*, *susceperit.* *Scal.* *Emere*, quod nunc mercari, antiquis significabat *sumere*, *accipere.* Sic *surremit* i. e. sursum emit, accepit. Lucilius: *Inque manum surremit hastam.* Vide in *Surremit.* *Dac.* Idem in *emere* infra et infra in *Surrempsit.* *Gothofr.*

Ambarvales. A duodecim fratribus scriberem, non a duobus, ex Plin. XVIII, cap. II. Gellio VI, cap. VII. et Fulgentio de obscuris; ut intelligatur de duodecim fratribus arvalibus. Sed quae sequuntur: *Ambarvalis hostia est*, Macrobius refert lib. III, uti a Pompeio Festo conscripta; et in his nulla mentio fratrum, ideo videndum est, an arvis et frugibus emendari oporteat. *Ant. Aug.* A duobus fratribus. Fortasse pro XII. legerat II., et fugit eum nota denarii numeri. *Scal.* Intelligit fratres arvales, quorum talem esse ferunt originem. Acca Laurentia, Romuli nutrix consueverat pro agris semel in anno sacrificare, XII filiis sacrificium praecedentibus. At cum unus mortuus esset, propter nutricis gratiam Romulus in vicem defuncti se succedere pollicetur. Unde ritus processit cum XII. iam deinceps sacrificare, qui duodecim fratres arva-

les dicti sunt. Inde in Glossis: *Arvales sodales οἱ περὶ ὅρων διαγινώσκοντες δικασταί.* *Dac.* *A duobus fratribus.* ac frugibus. ita in veteri. Alii legunt a XII. fratribus. *Gothofr.*

Amburbiales hostiae. Quibus urbs et pomoerium lustrabatur, ut *ambarvales*, quibus arva. Vide *Amtermini.* *Dac.* Inde etiam Amburbium. Infra in *Amtermini.* *Gothofr.*

Ambustus. Glossarium: *Ambustus περιπεφλεγμένος, περικεκαυμένος.* *Dac.*

Ambitus. Varro lib. IV, de L. L. (V, 4, 9.) *Ambitus iter, quod circumeundo teritur; nam ambitus circumitus, ab eoque duodecim tabularum interpretes ambitum parietis circumitum esse dixerunt.* *Dac.* De legitimo spatio a vicina insula dixi ad l. 14. in fin. ff. de servit. urb. adde Isidorum lib. 15. Ciceronem in Topicis (c. 4.) Vitruvium I, c. 1. Varronem in 4. de lingua. *Goth.*

Adolescit. Sine dubio legendum: *Adolescit ab olesco, id est cresco, venit.* Quod confirmatur sequentibus. *Exoletus*, inquit, *qui excessit descendi, id est crescendi, modum.* Vide *subolescit.* Animadverte semper, in hac lacera et misera epitoma inter alia, quae ab importunis emendatoribus supposita sunt, duo saepius occurrere: aliquam etymologiam Graecam, ut hic, et voces has *id est.* Quod suis locis indicabimus. Alioqui si voluissemus stultorum more, ut inquit ille, esse molesti, et hariolari id dictum a Festo, quod nunquam illi in mentem venisset, potius legeremus: a Graeco ἄλδω vel ἀλδαίνω. *Scal.* A Graeco ἀδολεσχῶ, inepte. Adolesco a verbo olesco, ut et in suboles. Si quis erit tamen qui Graecum etymon retineat, pro ἀδολεσχῶ legat necesse est vel ἀλδέω vel ἀλδήσκω. *Dac.* *Adolescit.* Glossis ἀκμάζει, unde ἀκμαῖος adultus. Vide infra *Suboles*, Nonium in *Adolere* duobus locis, et in Adolescere. Huic contrarium *Abolescit* Glossis ἀπακμάζει. *Goth.* Disputarunt viri docti, qui tandem *adolere* et *adolescere*, quae aperte eiusdem essent originis, tam diversae significationis esse possent. Rationem invenimus in lingua sanscrita, in qua radix *bal* crescere, nutrire, sustentare significat, eadem tamen etiam dare, offerre, destinare, occidere notat. Unde intelligitur, *adolescere* et *adolere* plane diversa esse verba, quorum prius est *crescere*, alterum simpliciter *sacrificare*, non *comburere* proprie, quam tamen notionem postea induisse videtur. Ab eadem radice *alere*, nutrire, descendit, utrumque labiali omissa, velut in digamma saepe fieri videmus. Ceterum lectionem ἀλίζω enotavit iam Gothofredus e vetere libro.

Altare. Ab adolesco. Sic igitur ducenda analogia: *adolesco, adolitum, adoltum, altum, altare.* Vide infra *altaria*, ubi melius ab altitudine. *Dac.*

Aliuta. M. L. habet *ipsus* pro *ipsos.* Velius Longus de orthographia: *Antiqui aeque confusas o et u litteras habuere. Nam consol scribebant per o, cum legeretur per u, consul. Unde in multis etiam nominibus variae sunt scripturae, ut fontes, funtes; frondes, frundes.* cet. *Urs.* Ut ab antiquo alis, aliter; sic ab alius aliuta. *Dac.* Nimirum ut Aeoles adverbia multa et coniunctiones in α pro εν proferunt, veluti αἶκα pro αἴκεν, ἄπωτα, pro ἄπωθεν; sic prisci Latini in *ta* pro *ter* terminasse videntur adverbia. In sermone Sanscrito *anjas*, *anja*, *anjat* significat alius, alia, aliud. Ceterum in lege Numae scribendum sine dubio *Iovi sacer*, quod clare ostendit scriptura optimi Cod. Gu. II, ubi est *Iovis acer.*

Astu. Astute. Plaut. in Prolog. Poenul. (v. 111.)

Ita docte atque astu filias quaerit suas.

Terent. Andr. (I, 3, 3.)

Quae si non astu providentur.

Astu per excellentiam de veteri urbe Athenarum. Terent. Eunuch. (V, 5, 17.) *an in astu venit?* Sed male quidam sibi persuasere de solis Athenis *astu* sic absolute dictum. Nam de alia quavis urbe exempla suppetunt. De Mileto Herodot. pag. 8., de Lydorum urbe pag. 37., de Cyrenis in fine libri II, (c. 181.) *Dac.* *In quo qui conversant cauti et acuti.* Lege: *in quo qui conversati;* e contrario qui non in oppido, sed in agris versantur, simplices; unde simplex rusticitas in iure. *Goth.*

Algeo. Optime Bonaventura Vulcanius in suis ad vett. Gloss. notis legendum vidit infra: *ut sit algor dolor quidam membrorum rigore collectus.* Hinc algiosus δύσριγος. *Dac.* *Coniectus.* Collectus. *Goth.*

Anus. A Graeco ἄνους, amens; neque enim ab annis esse potest, quum *anus*, vetula, priorem syllabam corripiat, *anus* vero pro *annus* eandem producat. *Dac.* *Antiqui non geminabant litteras.* Idem supra in *Ab. oloes* (infra) et infra *Aulas.* Et in verbo *Solitaurilia.* Isidor. I, 26. fin. *Goth.*

Amussim. Proprie funem, creta vel rubrica illitum, quo demisso fabri explorant opera. Graecis dicitur σταθμή. Hesych. σταθμή, σπάρτος ἐν ᾗ ἀπορθοῦσιν οἱ τέκτονες. Dicitur regula fabrorum, quare hic Festus: tractum a regula. Vide *Examussim.* *Dac.* Conf. Nonius vv. *Amussis, Amussitatus* et *Examussim.*

Adgrettus. Eodem modo quo *mertus*, *pultus*, et similia. Non video, quare dicat a Graeco ἄγρει. Sane diu puto esse, cum desideratur melior pars Graecarum vocum in hac epitome Festi. Nam quae hodie exstant, fere omnes arbitrio correctorum huc inculcatae sunt, ut istud ἄγρει. Quasi illud Homericum ἄγρει μάν habeat aliquid commune cum *Adgretus*. Sed quare deducit a Graeco, si dictum est pro *Adgressus?* Manifesto verba haec ultima intrusa videntur ab aliquo sciolo, sive ipse Paullus mutilator fuit, sive alius quis, illo non doctior. *Scal.* Adgressus more Graecorum, qui pro σσ scribunt ττ. Dicebatur etiam *adgretus* simplici *t*. Infra pro ἄγρει, quod corruptum est et mutilum, legendum est ἐγείρομαι, i. e. *surgo;* ex ipsomet Festo in voce *egretus*, ubi: *egretus et adgretus a Graeco sunt ducta, a surgendo et proficiscendo.* Quare frustra est Scaliger, cum ista: *quod verbum venit a Graeco* ἄγρει, a sciolo quodam huc intrusa suspicatur. Vide *Egrettus. Dac. Adgrettus.* Adgretus. *Goth.*

Agnus. Quod venit ex Graeco λ ύ κ ο ς. Imo: *quod venit ex Graeco* ἡ λύκος. Vult enim in eo secutos esse veteres Graecos, qui ἡ ἵππος, ἡ ἄρκτος, et similia dicunt. Non enim hic quaerit etymon lupi, sed rationem, quare feminino genere dicunt veteres. Porro quod ait agnum utroque genere a veteribus enunciari, habes in lege Numae de opimis spoliis: *AGNUM. MAREM. CAEDITO.* Et in Pellex: *AGNUM. FEMINAM.* Nam non agnam, sed agnum feminam dicebant, ut non lupam, sed lupum feminam. Ennius:

Endotuetur ibi lupu' femina, conspicio amens.

Scal. Graeci cum dicunt ἡ ἵππος subintelligunt θήλεια. Nam Pindarus dixit ἵππος θήλεια, ἔλαφος θήλεια. Homerus βοῦν ἄρσενα. Sic mares homines, canis femina, civis femina. *Leo femina* dixit Plautus. *Bos femina* Livius. *Polypus femina* Plinius. *Porcus femina* Cato et Cicero. *Anguis femina* et *anguis mas* Cicero. (Cf. Sanct. Min. IV, 4.) Et alia multa. In his autem et similibus epicoenis si adiectivum adiicitur contra terminationem, mas vel femina debet intelligi, ut equus velocissima, bos auratus, elephantus gravida. Sic apud Virgil. (Aen. VI, 644.) *Ne saevi magna sacerdos.* Et: (Aen. VI, 398.) *Amphrisia vates.* Sic Ovid. in Epist. (Heroid. XI, 48.) *Nova miles. Dac. Communis erat generis.* Vide infra *recto fronte.* Sic in Numae legibus Agnus mas, Agnus femina. *Goth. Sicut et lupus.* Vide infra *Masculino*, et *Recto fronte.* Sic apud Ennium: lupus femina. *Idem.*

Aegrum. Iam superius monuimus, pleramque Graecarum vocum partem supposititiam esse. Neque magis erratum est, quam ubi Graeca vox desiderabatur, ut hic ex una etymologia duae conflatae. Sane illud ἀνιγρὸν, quod est poeticum, non est unius assis. Sed ita puto Festum sensisse: Aegrum ex Graeco a quibusdam putatur a voce doloris appellari αἶ, αἴ. Neque prorsus caret ratione. Nam veteres scribebant *Aigrum. Scal.* Quamvis ἀνιγρὸν mere poetica vox sit, non ideo tamen ita temere reiicienda. Recte enim ex ea aegrum. Ἀνιγρὸν Hesychius interpretatur φαῦλον, quod tam de improbo quam de aegro dici solet. Neque tamen caret ratione, aegrum esse ab αἶ, αἴ, ut ultima syllaba sit vocis productio. *Dac. Aegrum.* Hinc aegrae mulieris offensam placare. l. ult. ff. si quis aliquem testari. *Goth.*

Annus. Ἔνος. Aeolice ἔννος; *e* mutato in *a* annus. *Dac.*

Alterum. Olim dicebatur *alterus*, a Graeco ἄλλος ἕτερος, vel potius, ut placet Angelo Caninio, ab Aeolico ἀλλοτέῤῥος pro ἀλλότριος. Aeoles enim transponunt et geminant ρ et mutant ι in ε, ut Πέῤῥαμος pro Πρίαμος. *Dac. Alter* descendit a Sanscrito *antaras*, *antara*, *antaram*, quod transiit in *alter*, quemadmodum *anjas* in *alius*, *n* mutata in *l*. Unde simul intelligitur, quare *aliud*, neutrum, in *d* desinat, quum *anjat* Sanscritum sit neutrum; *antaram* autem et *alterum* etiam in neutrius formatione sibi respondent. Masculini nominativus in pronomine *alter* terminationem amisit et thema solum retinuit. Graecorum ἕτερος a Sanscrito *itaras*, *itara*, *itarat* deformatum, ex quo apud Latinos *iterum* remansit. Ἑκάτερος Sanscritum est *ekataras*, ab *eka* unum, cum terminatione comparativi; unde ἑκάτερος unum e duobus, ἕτερος autem alterum e duobus significat.

Alter. In auguriis puto alterum significasse non bonum, cum altera avis felici priori auspicio vitium faceret, cum fulmen secundum prius perimeret, quod dicebatur propterea *peremptale.* Augures vero in templo sedentes ad augurium captandum abstinebant vocibus male ominatis, ideoque potius *alteram avem* quam *adversam* dicebant. *Scal. Altera avis non bona.* Si modo priori vitium facit. Sic fulmen peremptale, quod priori vitium facit. *Goth.*

Alliesis dies. XVII. Kal. Sextiles. *Dac.*

Adlecti. Totus hic locus de Senatoribus nimis praecisus est a Paullo. Sunt enim Senatores patres, Senatores patricii generis, et patriciorum auctores. Sunt Senatores conscripti a L. Iunio Bruto, ex primoribus equestris ordinis, ut Livius scribit, *adlecti.* Hi igitur *adlecti* dicebantur, quod propter inopiam Se-

natorii ordinis ex equitibus adsumpti sunt. Idem factum est post pugnam Cannensem, adlectis a Dictatore M. Fabio Buteone iis, qui magistratum obtinuissent, neque in Senatum lecti essent; item qui spolia domi aut civicam habuissent. Idem Festus verbo *Qui patres*, alios auctores secutus, a P. Valerio Cos. conscriptos refert. Dionysius utriusque Consulis consilium fuisse ait, et Bruti et Publicolae. Tacitus cum Livio consentit, praeterquam quod eos minorum gentium appellat, quod Livius centum Senatoribus a Prisco rege adlectis tribuit. Vide etiam Festum verbo *Conscripti*. *Ant. Aug.* Eos intelligit, qui exactis regibus propter Senatus inopiam ex primoribus equestris ordinis a Lucio Iunio Bruto assumpti sunt. Liv. lib. II. Iidem et conscripti dicti. Vide *Conscripti* et *Qui patres*. *Dac.* *Qui propter inopiam.* Senatorum intellige, quia numerus eorum plenus non erat. — Alia significatione *Adlecti* Varroni dicuntur suffecti in alterius locum. Ut et in l. 11. 12. 13. Cod. Theodos. de suscept. Alias *adlegi* est adscribi et referri in numerum. l. 3. §. 2. ff. de decurionibus. Unde allectio vel adlectio l. 7. Cod. de incolis. *Goth.*

Altercatio. Non pro iurgatione tantum, sed etiam pro *alternatione* sumitur, cum duo alternatim loquuntur et inter se verba commutant, unde optime Glossarium: *ἀψιμαχία, ἀμφιβολία, ἀντίῤῥησις, ἀμοιβαῖοι λόγοι.* *Dac.* Reperitur hoc vocabulum in l. 4. Cod. de necessariis servis cet. Quintil. 5. (VI, 4.) *Gothofr.*

Alternatio. Glossarium: *Alternare ἀμείβειν, alternatim ἀμοιβαίως.* *Dac.* Hinc alternatim per vices. Vide Nonium in Alternatim. Et Glossae: *Alternis, ἀνὰ μέρος, ἀμοιβαδόν. Alternatim testis,* qui vacillat. Alternationem vero nostri pro disiunctione usurpant. l. 2. §. 2. ff. quod certo. l. 7. §. 4. ff. de iniuriis. In lege vero 9. ff. de servo corrupto *sine alternatione* est illo uno casu vel uno tantum casu. *Goth.*

Alma. Eleganter vetus illud et plenum bonae frugis Glossarium: *Alma, κλυτή, ἁγνή, ὡραία, θρέπτειρα.* *Scal.* Homero ζείδωρος ἄρουρα, alma terra, quod homines nutriat. Inde Gloss. Almus ζείδωρος. *Dac.* *Pulchra κλυτή, ὡραία.* Gloss. inde *Almus* iisdem *κλυτὸς, ἔνδοξος.* *Goth.*

Altellus. Est ὑποκοριστικόν, altus, altulus, altellus. Significat *θρεπτὸν, τρόφιμον*, alumnum. Ita vocabant, qui expositi erant, et inveniebatur, qui eos tolleret. Plinius ad Traian. (ep. 71.): *Magna, Domine, et ad totam provinciam pertinens quaestio est de conditione et de alimentis eorum, quos vocant θρεπτοὺς* cet. Expositum Romulum ab avo, educatum a Faustulo, nemo non meminit. Ita ergo vocantur incerto patre et matre nati. Sed veteres Grammatici, qui tam anxie etyma verborum rimantur, quid aliud, quam cum ratione insaniunt? *Scal.* Merae nugae, quaecunque hic Festus tradit. Ait Scaliger ab *alendo, altus, altulus, altellus.* Sed omnino *altellus* est ab *alter, alterulus, altellus*, id est geminus, quod uterque alter esse videatur. Vide *frater*. *Dac.* *Quasi altus in tellure.* Vide in *Altus*. Est autem idem ac (atque) expositus et Alumnus. Graeci *θρεπτός.* Eclog. I, c. 6. *οἰκοτραφὴς, τρόφιμος.* Latini alumnos appellant. l. 26. Cod. de Nuptiis l. j. Cod. quae res pignor. sed et Graeci *χαμεύρετα βρέφη* appellant. Novell. 253. adde de expositis. l. 152. ff. de iuris et facti ignor. l. 4. ff. de agnoscend. liber. l. 1. et passim de infantibus expositis. *Gothofr.*

Altus ab alendo. Horat. (Od. III, 4, 37.) *Vos Caesarem altum.* Altum id est alumnum, non vero magnum, ut quidam volunt. Quod pluribus apud ipsum Horatium, qui brevi Deo iuvando metam stringet. *Dac.* Vide supra *Altellus.* alias ab altitudine, unde Glossis *Altus ὑψηλός.* *Goth.*

Alterplicem. Isidori λέξεις. Alterplicem, duplicem, dolosum. *Scal.* Quem Graeci *στρεψίμαλλον*, versipellem, astutum, metaphora a velleribus intortas et inversas lanas habentibus. *Dac.* *Alterplicem, duplicem.* Id est dolosum Isidoro in lexico. Ita Horatio Ulysses, duplex. *Goth.*

Altertra. *Alterta.* Lege ut in al. *altertra.* Alterutra syncope *altertra.* *Dac.* *Alterta.* Alteria *Gothofr.*

Alcedo. Varro lib. VI. de L. L. (lib. VII, pag. 366. Sp.) *Haec avis a Graecis ἀλκύων, a nostris alcedo dicitur.* Plaut. Poenul. (I, 2, 143.)

Iam hercle tu periisti, nisi illam mihi tam tranquillam facis,
Quam mare est olim, cum ibi alcedo pullos educit suos.

Dac. *Catamitus.* Vide infra *Catamitum* et *Alumento.* *Goth.* Pro *Nilo Melo.* Vide infra *Melo.* *Idem.*

Alica. Tritici vel farris genus. Plin. lib. XVIII, 7., unde etiam pro pulte Martial. Epigr. lib. 13, 3.

Nos alicam, mulsum poterit tibi mittere dives.

Vide Plin. lib. XVIII, 11. *Dac.* Vide incerta Verrii Flacci. Adde infra *Pollucere merces.* *Goth.*

Alicariae. Quae ante pistrina alicariorum qui alicam molebant. Plaut. in Poenul. I, 2. (v. 54.)

Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias.

Dac. *Prostibulae.* *Quae tibi olant stabulum statumque*, eaedem et Prosedae. Plautus supra. *Idem.* *Sicut hae.* Eae. *Goth.* *Prostibulae.* Vide infra Prosedas. *Goth.*

Almities. Glossarium: *Almities, αὔξησις ἀρχῆς.* *Almitus, ἀνατροφή, ἀναγωγή.* *Almites, κάλλος ἀνατροφῆς.* Charisius. *Almities, εὐπρέπεια.* *Scal.* Interpretatur Charisius εὐπρέπειαν lib. I. (p. 33. Ed. Frob.) Sic intelliges Paulli verba, quae mihi mendosa esse videbantur. *Ant. Aug.* *Almities* et *Almitas* idem est, quod Horatio *Faustitas*, id est terrae fertilitas, salubritas aquarum et Iovis aurae. Faustus rerum habitus. *Dac.*

Allus. Hallus inferiori loco idem appellatur, mirandumque est, Festum et in hoc et in aliis varie scribere, ut *ederam* et *hederam*, *Caiam* et *Gaiam*. Paullo vero id adscribendum non est, cum ante eum Festi liber litterarum ordine esset perscriptus. *Ant. Aug.* Veteres edd. habent *Allex*, quod ego reperi in Isidori Glossis: *Allex, pollex in pede.* Tamen in littera H. vocatur Hallus. Et Glossarium: *Hallus, ποδὸς μέγας δάκτυλος.* *Scal.*

Alveolum. Nam *alveus*, ut *alveolus*, de tabula lusoria. *Dac.*

Alvus. Et viri etiam Masculino genere posuit Accius:

— — — *Ut quam fragilissimus alvus.*

Dac. Adde Nonium in *Alvus.* *Goth.*

Angor. Plaut in Mostell. (I, 3, 60.) paucis immutatis. *In anginam ego nunc me velim verti, ut veneficae illi fauces prehendam.* *Ant. Aug.* Scribe: *a Graeco ἀγχόνη.* Miror a doctissimis viris margini appositum ἀγχηνέλλειν. Hoc quid sit, ne ipsi quidem sciunt. Sed quisquis hoc ausus est, non dubium, quin ita legerit in lexico suo, cum legendum potius esset: ἄγχειν, ἴλλειν. Nam ἄγχω est ἴλλω. Vide quam saepe boni et docti viri suos sibi oculos ipsi fascinant. *Scal.* *συνάγχη* (ita enim Goth. Dac. ediderunt) ἀγχηνέλλειν, alii ἄγχειν, ἴλλειν. *Goth.*

Antigerio. Placidus in glossis: *Antigerio, vel quemadmodum* (lege *admodum*) *vel inprimis.* *Fulv. Urs.* Glossae veteres Latinae: *Antigerio, valde.* *Antigerium, quemadmodum, imprimis.* *Scal.* Quintil. lib. VIII, 3. *Quid necesse est dicere* oppido, *quo usi sunt paullo nostro tempore superiores? Vereor ut iam non ferat quisquam. Certe* antigerio, *cuius eadem significatio est, nemo nisi ambitiosus utetur.* — Glossarium: *Antigerio, πρόλημμα, νίκη ἀντιοιράσις.* Lege: *πρόλημμα νίκης, ἀντίπρασις.* *Dac.* Fuerit igitur *Antigerium* id quod Galli hodierni dicunt *avantage*, et *Antigerio* proprie *en avantage, avec d'avantage.*

Antehac. Opinor legendum *Antidea.* *Urs.* *Ante* (sic enim Dac.) Quasi vero *ante* pro *antea* solus Terentius usurparit. *Dac.*

Anteurbana praedia. Imitatio Graecorum: *προάστεια χωρία.* *Scal.* Quae et *suburbana.* Novell. 7. c. 3. §. 1. Novell. 84. c. 1. l. 198. ff. de verb. signif. Glossis: *προαστεῖον*, Processio. *Goth.*

Antarium. Antarium bellum eodem modo dictum, quo a Vitruvio *Antarii funes.* Veteres Glossae: *Antarium bellum, ὁ πρὸ τῶν πυλῶν πόλεμος.* In veteri Glossario: *Antarium, ἀνταρμὸς*, hoc est antepagmentum, ab eadem mente dictum. *Scal.* Magis placet *antarium bellum* dici, quod Tyrannus seu apostata adversus regem suum gerit, ab *ἀνταίρω*, rebello. Nam et Graeci *antarium ἀνταρμὸν* vocant. Falluntur viri doctissimi Vulcanius et Scaliger, qui in Glossario *antarium* et *ἀνταρμὸν* de antipagmento accipiunt; inde *ἀντάρτης*, Latine *antarta*, pro quo et *intarta*, rebellis, tyrannus, apostata. Hesychius: *ἀντάρτης, τύραννος ἀντιβαίνων βασιλεῖ.* *Dac.*

Axare. Ab *axis.* Glossarium: *anaxant ὀνομάζουσι.* *Dac.* Vide quae supra ad v. *Axamenta* disputata sunt. Pro *anaxant*, quod est in Glossario, legerim *anxant;* est enim derivatum a Sanscrito *ang*, *ank*, *angs*, ut vidimus. Nisi forte *anaxo* nihil est, nisi forma ab *anxo*, interposita *a* emollita.

Antipagmenta. Gloss.: antipagmenta, *προήγματα.* Sculpturae Deorum, hominum, animantium, aliarum rerum, quae postibus, aut columnis postes sustinentibus, pangi solent. *Dac.* Adde *Antes.* *Goth.*

Antefixa. Horum est mentio apud Livium lib. 34. *Antefixa fictilia Deorum Romanorum ridentes.* Et lib. 36. *In aede Concordiae victoria, quae in culmine erat, fulmine icta decussaque, ad Victorias, quae in antefixis erant, haesit, atque inde procidit.* Quid sint disertim explicat Vitruvius lib. 3. *In Areostylis autem nec marmoreis epistyliis uti datur; sed imponendae de materia trabes perpetuae; et ipsarum aedium species sunt haricae, humiles, laxae. Ornantque signis fictilibus aut aereis inauratis earum fastigia, Tuscanico more, uti est ad Circum maximum, Cereris, Herculis Pompeiani, item Capitolii.* Ita locum illum Vitruvii legimus. *Dac.*

Aureax. Videtur legendum *dicebant* pro *dicebatur. Urs.* Glossarium: *Aura*, *exsolitarius*, ἱππαστής. Lege: *Aureax*, *solitarius.* Confirmant Glossae Isidori: *Aureax*, *eques solitarius.* Solitarium vocat, quem alibi idem auctor Glossarii *singulatorem*, hoc est, κέλητα. Idem etiam *Caballarium.* Melius tamen eaedem Glossae Isidori: *Caballarius, alaris. Scal.* Non tantum auriga; aureax enim est equus solitarius, Graecis μονάμπυξ, et eques, qui equo solo ac singulari vehitur, ut Graecis κέλης. Hesychius: κέλης, ἵππος καὶ ἱππαστὴς μονάτωρ. Ita enim legendus hic locus. Inde etiam singulatorem Romani dixerunt *monatorem* et *simplum. Dac.*

Auritus. Glossarium: *Auritus*, ὠτοπετής, ὠτοπαρόχος, ὀξυακουσιλόγος. Ὠτοπετὴς est flaccus, plaudus, ut canes venatici. *Scal.* Non admittenda est Festi divisio, ut auritus modo a magnis auribus, modo ab audiendi facultate dicatur. Nam plane est ab *auribus.* Plaut in prol. Asin. (prol. 4.) *Face iam tu praeco nunc omnem auritum poplum.* Et Horat. Od. 12. lib. 1. *Et auritas fidibus canoris ducere quercus. Dac.*

Aurum. Hypsicrates reponendum puto pro Hippocrates. *Urs.* Male citatur Hippocrates; legendum enim *Hypsicrates*, qui a Varrone (p. 91. ed. Sp.) et Gellio lib. 16, (12, 6.) citatur, scripsitque de Romanis vocibus, quae a vetere lingua Graeca derivantur. *Aurum* vero priscum vocabulum Graecum, et ab eo *thesaurum* dictum, divitiae et divitiarum conditorium. Quod sequitur: *nonnulli quod mentes hominum avertat;* vereor, ne Paullus praetermiserit quod clarius Festus exposuerat: *Nonnulli quod mentes hominum auruncet* id est *avertat.* Indifferenter enim *auruncare* et *averruncare* dicebant. Ut *cauneas*, pro *cave ne eas.* Glossarium: *Auruncus* θεὸς ἀποτρόπαιος. Nam ita in veteribus codicibus non semel legi. Quin et Aurunci veteres Italiae populi ab ea eadem mente dicti, quod est idem ἀποσπασθέντες, avulsi a sedibus suis, quod nempe πλάνητες et aborigines fuerint. Eodem modo dicebant *dortium* pro *divortium.* Turpilius Leucada:

Antefacta in ignem committo, tristitias ante dortium.

Quod et lex trochaici et vetus lectio manuscripta docet. *Scal. Unde et thesaurum.* Pandectae Florentinae *thensaurum.* Quid sit *thesaurus*, vide l. 67. ff. de rei vindicat. l. 38. §. 5. ff. de auro. l. 31. l. 36. ff. de adquiren. rerum dom. l. 3. ff. de adquir. possess. l. 1. l. 3. in fin. ff. de iure fisci. l. unic. Cod. de Thesauris. *Goth. Aurum* Aurion. *Idem. Avertat.* Alii *auruncet*, quod avertere est. Inde Aurunci, quasi sedibus avulsi et Auruncus Deus, ἀποτρόπαιος. *Idem.*

Aurichalcum. Cum Graeci dicant ὀρείχαλκον, tamen Latini scripserunt *aurichalcum*, quod putarent id ex auro et aere componi, addita Cadmea terra; ut electrum ex auro et argento, de quo intellexit Martialis:

Pallida sic niveo radiant electra metallo,
Et niveum felix pustula vincit ebur.

Intelligit enim de illa materia composita, non de succino. Igitur ex vitio pronuntiationis nata est falsa illa de compositione auri et aeris opinio. Quare et auctor Glossarii recte dixit: *Aurochalca*, κραματινά, quod putarent esse auri et chalci seu aeris κρᾶμά τι, et compositionem quandam. Non nego, ex auro et aere praestantissimum aes fieri, ut prodiderunt veteres de Corinthio aere, sed id ὀρείχαλκον esse, id vero pernego. Aristotelem enim habeo auctorem, qui apud interpretem Apollonii negat ὀρείχαλκον esse in rerum natura. Hesychius: ὀρείχαλκον, τῶν εἰκῆ διαδεδομένων τοὔνομα. Οἱ δὲ πλείους ὑπάρχειν αὐτόν. ἔστι δὲ καὶ ὕλη ὁμοία χαλκῷ. Sane ὕλην ὁμοίαν χαλκῷ vulgo vocamus *Letonum.* Et de eo intellexit Horatius: (Art. P. 202.)

Tibia non ut nunc orichalco vincta.

Sed illud commentitium Aurichalcum tanti fuit apud veteres, ut cum nusquam esset, tamen quasi esset, etiam auro excellentius haberetur. Id quod ex Plauto cognoscimus, qui aurichalcum pluris facit, quam talentum auri. Quod et non praetermittit Servius in Virgilium (XII. Aen., 87.) *Scal. Orichalcum* prius dictum; postea o verso in *au*, aurichalcum, ut ab *osculor*, *ausculor.* Et haec aurichalci pronuntiatio effecit, ut prave omnes crederent, esse ex auro et χαλκὸς, aere. — Orichalci mixturam sic describit Strabo lib. 13. *Lapis est apud Andeira, qui ustus in ferrum transit, deinde cum quadam terra in camino excoctus pseudargyrum, seu falsum argentum stillat, cui ubi est aes additum, mixtura fit, quam nonnulli orichalcum dicunt.* — Plinius scribit, in usu gemmarum diu illud apud veteres in admiratione fuisse, qui auri vice eo uterentur ad includendas gemmas. Sed postquam vere cognitum est, tum etiam in ordinem redactum. Nam Vitellius pro auro et argento, quod templis surripuerat, stannum et orichalcum supposuit. Sueton. in Vitell. c. 6. *Dac. Orichalcum.* sic infra in *Cadmea terra.* De orichalco locus exstat in l. 45. ff. de contr. empt. l. 4. ff. de legat. 1. *Goth.*

Acus. Quia sarcire et in manuscripto. *Urs.* Quod ait: *Exercitus quoque instructio* cet. falsum est. Non enim *acum* sed *aciem* dicimus. Porro *acum* intelligit, quam alibi *crasonem* vocat, quae et *discerniculum* vocatur. Lucillius XXX.:

Euplocamo digitos discerniculumque capillo.

Graeci καλαμίδα, Apuleius *acum crinalem*. De qua Martialis: (XIV, 22.)

Tenuia ne madidi violent bombycina crines,
Figat acus tortas sustineatque comas.

Ita enim legendum in Martiali. Nam in vulgatis perperam *madidos*. Quod adeo eius loci sententiam turbarat, ut Turnebo, viro doctissimo, suspectus quidem locus fuerit; emendare autem dum tentat, totum sensum poetae inverterit. De ornatrice habes apud Suetonium, Iuvenalem et eundem Martialem. Graeci et κοσμητρίαν et κομμωτρίαν, quo nomine fabula edita a Naevio. Fuitque munus illud peculiare, ut quaedam ancillae nihil aliud quam (nisi) ornatrices essent, ut patet ex veteri inscriptione: *CINERIBUS. HAMILLAE. ALBIONIAE. QUINTAE. ORNATRICI. FESTUS. M. SEPTIMI. GALLI. DISPEN. CONTUBERNALI. B. M. F. ET. SIBI. Scal.* Acus ornatricum alio nomine discerniculum vocatur, quia ea capillos distinguunt, discernunt. — Ornatrices autem nos dicimus *coiffeuses.* — Sueton. in Tiber. 40. *Haec matris meae liberta et ornatrix fuit. Dac. Acus* inter alia significat ornamentum capitis. l. 25. §. 10. vers. ornamentorum. ff. de auro. Constantinus in lege 1. Cod. Theod. de repudiis, si praeter haec tria crimina repudium marito miserit, oportet eam usque ad acuculam capitis in domo mariti deponere. Glossis *Acucla* ῥαφίς. *Goth. Ornatrix.* Vide legem 49. et 1. 65. §. ornatricibus. ff. de legat. 3. *Idem. exercitus quoque instructio.* Falso hic Festus legisse videtur *acum* pro *acie. Idem. Cum sarcire.* quia sarcire. *Idem.* ἀκέσασθαι, ἅπτειν. *Idem.*

Assiduus. Varro lib. VI. de L. L. (VII, p. 376.) *Qui adest, assiduus.* Cicero in libello de petitione consulatus: *Jam assiduitatis nullum est praeceptum, verbumque ipsum docet, quae res sit; prodest quidem vehementer nunquam deesse. Dac. Adsiduum locupletem.* Quod asses duit, i. e. det. Itaque in leg. XII. tab. *Assiduo vindex assiduus esto. Proletario civi quivis volet vindex esto.* Ubi *assiduus* id est *locuples*, opponitur proletario, qui e plebe tenuissima erat, et nil praeter prolem Reip. exhibebat. *Assiduo* pro locuplete usus etiam est Plaut. Amph. I, 1. (17. ed. m.):

Noctesque diesque assiduo satis superque est,
Quo facto aut dicto adest opus, quietus ne sis.

Dac. (Adverbium est *assiduo*). *Qui sumptu proprio.* Quia nemo nisi locuples huic sumptui par esse poterat. Verum ut libere dicam quod sentio, *assiduus* et pro locuplete, et pro eo qui proprio sumptu militat, ab *adsidendo* dictus. Locuples enim assiduus, quod Reip. adsidebat, aderat, praesto erat. Alter vero in munere suo multus erat, muneri suo assidebat, totus incumbebat. cet. Cum Festo tamen Cicero, Quintilianus, Gellius, sed qui saepius manifesti erroris in etymis ducendis deprehenduntur. *Dac. Assiduus* vulgata, et quidem rectius; nam ab asse dando, *assiduus*, Charisio lib. 2. Gell. 26. c. 20. *Goth.*

Andruare. A Graeco ἀναδρᾶν. Quid istud sit verbi nescio, magis, quid eius vicem substituam, non habeo. Non puto Graecum verbum hic desiderari, sed hic accidisse, quod alias supra ostendimus, ut Festus nullam mentionem Graeci verbi fecerit, sed potius ita scripserit: *andruare est recurrere, a verbo truare, id est movere; hinc Trua vocata.* Tamen si ἀναδραμεῖν reponamus, tolerabilis erit lectio, ita: *Andruare, id est recurrere, a Graeco verbo* ἀναδραμεῖν, *id est inde venire.* Nescio quid sibi voluerit auctor Glossarii, qui scripserit: *Andruare,* ἀδρίζεσθαι; nisi putavit Andruare παρὰ τὴν ἀνδρεῖαν dictum. *Scal.* Vide *redamtruare. Dac. Andruare, id est recurrere.* Glossis ἀνδρίζεσθαι, hinc Antroare, infra in *Antroare*, et Redandruare seu *Redantruare.* Adde Varronem. Alio significatu Antruare Glossis: σπιλεῦσε, pro σπηλεῦσαι, quod videtur tractum a Graeco σπήλαιον, antrum. *A verbo* ἀναδρᾶν. a verbo ἀναδραμεῖν. Vel ita: a verbo *truare*, id est movere. *Drua.* Trua. Vide infra *Antroare* et *Truo*, quae omnia Nonio non a movendo, sed a terendo. Quid Trullae, Tryllae, seu Truellae, dictum in lege 13. ff. de instructo. l. 36. ff. de auro. *Goth.*

Antroare. Glossarium: Antruare, σπηλεῦσαι. Ita corrigimus; σπήλαιον enim *antrum.* Longe alia significatione posuit, ac Festus ipse. *Scal.* Vide an idem sit, quod paullo superius *andruare*, et quod hic *trua* dicatur, illic *drua* appelletur. *Ant. Aug.* Glossarium: *Antruare* σπιλεῦσε. Rescribit Vulcanius σπιλεῦσαι, Scaliger σπηλεῦσαι. Uterque sane nullo sensu. Nam σπιλεῦσαι est contaminare, inficere, quod verbo antruare nunquam convenire possit; at σπηλεῦσαι ab σπήλαιον antrum inaudita vox, et quae nunquam referri ad τὸ *antruare*, neque enim *antruare* ab *antro.* Lege igitur *antruare* σπεῦσαι, i. e. *citato gradu ferri.* Nunc quod ait *antroare, gratias referre*, id mihi dubium est aioque redamtruare potius pro gratias referre positum fuisse, nam *antruare* est motus edere, *redamtruare* eosdem motus invicem referre, unde non invenusta metaphora pro gratias referre dici potuit *redamtruare.* Nihil aliud video. *Dac. Antroare.* Adde supra *Andruare* et infra *redantruare Goth. Truant.* vide in *Truo. Goth.* Duae sunt in sermone Sanscrito vocum radices, quae huc facere videntur *dru* curro, fugio; et *dhru* fixus moveor, stantem se movere. Ita enim interpretor, quod apud

Rosen. in Radd. Sanscritt. pag. 42. et pag. 50. refertur, *dhru* et *dhrû* significare, *firmum*, *fixum* esse, et tamen etiam *se movere*, quae sibi repugnarent, nisi haec esset notio communis utriusque, quam dixi, *stantem moveri*. Igitur *dru*, cuius prima persona *dravami*, est curro, fugio, Graecorum δρᾶναι et δραμεῖν, Latinum illud *druare*; contra *dhru* et *dhrû*, cuius utriusque prima persona praes. *dhruvami*, est stans moveor, hoc nostrum *truare*, sive *troare*. *Andruare* autem et *antroare* nullam possunt retro veniendi aut repetendi notionem habere, sed composita sunt ex praepositione *am*, quae *circum* significat, quare *andruare* significat proprie circum currere, huc illuc currere, id quod recurrere exposuit Festus. *Antroare* autem erit uno loco circum moveri, stantem se huc illuc vertere, id quod Salii sacerdotes facere solebant. *Redamtruare* reddere gestus *antroantis*, hoc est, repetere motus sacerdotis, qui aliis ritus et motus sacrificii praeit, quem imitantur reliqui sacerdotes. Ita fortasse omnis horum verborum obscuritas evanescit. Omnem dubitationem tollit ipsius Festi locus in *redamtruare*, ubi res omnis ex Saliorum ritibus derivatur. *Amtruat* enim praesul, redamtruant reliqui Salii. Vide notas Scaligeri infra ad v. *Redamtruare*.

Acupedius. Glossarium: *Aquipedius* cet. ut fortasse *Aqupedius* scribendum sit ex antiqua consuetudine. Ut *pequnna* pro *pecunia*. *Urs*. Lucilius *Agipedem* dixit: *Agipes vocem mittere coepit*. Glossarium: *Aequipedium*, ὀξυποδία. *Scal*. Ab acumine pedum, quomodo ἀκμὴν ποδῶν dixit eleganter Pindarus. Vix fero tamen hic pedibus acumen tribui, neque immerito hanc vocem suspectam habuit Vulcanius, qui legendum putavit *acripedius*, hoc est, cui praecipua est in currendo velocitas pedum. Acris enim est velox, ut Graecis ὀξύς. Gloss. ὀξὺς, ὁ ταχύς. Verum quanquam conatum non improbo, dispicere debebat vir doctissimus, num aliunde quam ab acumine acupedius deduci posset. Nam rectum est acupedius, unde et acupedium substantive factum. Gloss. *Acupedium*, ὀξυποδία. et Gloss. Graecolat. ὀξυποδία, acupedium. Sed acupedius ad imitationem Graecorum effictum, ab ὠκύπους, ὠκύποδος, ocupedius, et *o* converso in *a*, acupedius. Qui Graece sciunt, hoc verum esse sentiunt. Acupedium Lucilius dixit *agipedem*. At *agipes* nihil aliud est quam *agypes*, quod pro *acupes*, id est, acupedius. Nisi agipedem facete dixerit Lucilius pro *pedibus agentem*, hoc est, orantem, non vero ore et lingua. Qua ratione forsan non incommode et *aipes* legetur, quod *pede aiat*, dicat. Vide *Pedarium*. *Dac*. Aquipedius, vel Aqupedius, ἀρχαϊκῶς. Alii legunt Acrunipedius. *Goth*.

Adrumavit. Frequentativum usurpavit Naevius: *Rumitant*.

Simitu alius aliunde rumitant inter se.

Est versus Saturnius. Alioqui *Rumare* est θηλάζειν, ut de agnis dicebant veteres, quos propterea subrumos vocabant. Significat item ψωμίζειν τὸν παῖδα. Glossarium: *Rumat*, ἐμβρωματίζει. Sed Isidorus: *Adrumavit, rumorem attulit*. Veteres Glossae: *Adrumo*, *conrumo* φημίζω, vulgo. *Scal*. Vide *Rumito*. *Dac*. Simile apud Nonium *Rumiferare* et *Rumitare*. *Goth*. *A rumine*. Vide in Rumen et Subrumari. Adde Nonium in *Rumen* *Idem*.

Acieris. Glossarium: *Acieris*, ἀξίνη ἱεροφάντου, ὡς Πλαῦτος. Et *Aciarium*, στόμωμα. Et *Denticulum aciarium*, στομωμάτιον. Unde Itali aes vocant *aciaio*. Significat et idem ῥαφιδοθήκην. *Scal*. Gloss. Isidori: *Acieris* genus securis. — Hodie *acieris* apud Plautum frustra quaeras. *Dac*.

Aplustria. A Graeco ἄφλαστα, Apollonius. Glossarium: *Aplustra*, πτερὸν πλοίου, ὡς Ἔννιος. *Scal*. Summa pars puppis atque etiam ornamenta, quae semper in summa puppis parte, non in prora, ut plerique veterum scripserunt, collocabantur. Nam quae in prora erant, dicebantur *acrostolia*; *aplustria* autem et *aplustra*, nam utroque modo antiquos protulisse docet Priscianus, Graece ἄφλαστα, postea *amplustrum* et *amplustre* dictum est. *Dac*. Glossis *Aplustra* ἄσφαλτος καὶ τὸ ἄκρον τῆς πρώρας. *Goth*. (Lege ἄφλαστον.)

Agina. Placidus in Glossis: Aginam scapum trutinae, quod eo mensura ponderis agatur. *Urs*. Glossarium: *Aginat* στρατεύεται. *Aginare* στρατεύειν. Lege: τρακτεύεται et τρακτεύειν. Id enim significat negotiari, estque verbum infimae vetustatis a Latino detortum, quo non raro utuntur constitutiones Imperatorum Graecae. Et τρακτευταὶ in iisdem constitutionibus. Isidorus in Glossis: *Acinari*, *tricari*, *in parvo morari*. Idem: *Aginantes*, *explicantes*. *Scal*. Glossarium: *Aginat*, διαπράσσεται, στρέφει, μηχανᾶται. *Dac*. Novella 30. c. 2. et 118. c. 24. Edic. Iustiniani 13. c. 7. At Isidoro et glossis *Acinari* est *tricari*; *Aginantes extricantes*. Aliis *Aginatores* negotiatores, actus. *Goth*.

Agonium. *Agonium id est ludum*. locus mendosus. Varro praeter dies Agonales, quos dictos esse ait ab agone, quod per eos rex sacrorum in regia arietem immolet, Agonia appellata esse ait etiam Liberalia in libris Saliorum Agonensium. Ovid. lib. I. Fast. cur Agonalia dicantur, plures reddit caussas, quarum ultima haec est: (Fast. I, 329.)

Pars etiam, fieri solitis aetate priorum

Nomina de ludis Graeca tulisse diem.
Et prius antiquus dicebat Agonia sermo;
Veraque iudicio est ultima causa meo.

Si *ludicrum* pro *ludo* legeremus, minus laboraremus. *Ant. Aug.* Non tam Paullo adscribendi sunt errores immanes, qui hic inoleverunt, quam posterioribus emendatoribus. Transposita enim multa; multa etiam corrupta. Primum ita revocanda sunt, quae in alienas sedes irrepserant: *Agonium etiam putabant deum dici praesidentem rebus agendis, cuius festa Agonalia dicebantur.* Nam illa verba ne Paulli quidem sunt: *Agonalia eius festivitatem.* Sed de *Agonio* quod sequitur circa finem, penitus prodigiosum est. Id nos non dubitamus ita legere: *Agonium, locus in quo ludi initio facti sunt, ob hoc dictum, quia fuerit sine angulo.* Ubi primum transpositione peccatum erat; deinde adiectione harum vocum: *id est*, quod saepe accidere hic, supra notavimus. Huic etymo congruit, quod vetustissimi Grammatici Graeci dicunt περὶ τοῦ ἀγῶνος. Ἀγὼν, inquiunt, ἀγορὰ παρὰ τοῖς Βοιωτοῖς, ἢ διὰ τὸ ἄγειν, ἢ διὰ τὸ κυκλοτερῆ εἶναι καὶ μὴ ἔχειν γωνίας, οἷόν τινα ἀγώνιον ὄντα. *Scal.* *Agonium dies.* Qui et Agonalis Ovidio in Fastis: (I, 318.)

Ianus Agonali luce piandus erit.

Item: (331.)

Et pecus antiquus dicebat Agonia sermo.

Ratio autem nominis incerta est. Varro lib. IV. a voce *agone*, quia sacrificulus vel populum vel principem civitatis interrogabat, an hostiam feriret. *Dies agonales*, inquit, *per quos rex in regia arietem immolat, dicti ab agone; eo quod interrogatur princeps civitatis, et princeps gregis immolatur.* Quem locum utinam ne male cepisset vir longe doctissimus, qui *agone* hostia interpretatur, cum sit: *ferione?* Iubesne, ut agam, feriam? Neque enim nisi iussus feriebat. Ut Ovid. Fast. I, (322.) ubi et alia proponit. *Dac. Rex.* Regem sacrificulum intellige, qui rex absolute dicebatur. *Idem. Agonium etiam.* De agonio deo nihil alibi. — Agonalia autem alia erant V. Id. Ian. et XII. Kal. Iun., alia propridie Id. Decemb., de quibus vide *Septimontium. Dac. Agones dicebant montes.* Quippe initio ludi, qui Graeci ἀγῶνες, fiebant in montibus. *Mons Quirinalis Aegonis.* Lege: *Mons Quirinalis Agonius*, vel *Agonus.* Vide *Quirinalis. Idem. Agonalia.* Glossis *Agonaria*, θυσεια. *Aegonis.* Aegonus. *Aegonensis.* Agonensis. *Goth.* Supra in oratione contexta Paulli per errorem a nobis omissa est vox *porta*, ita ut locus sit legendus: *Et Collina porta Agonensis.*

Agea. Glossarium: *Agear*, παραμένων. καὶ πάροδος πλοίου. Ubi coniunctio καὶ superflua est. Cetera corruptissima ita legenda: *Agea*, παρὰ Ἐννίῳ, ἡ πάροδος πλοίου. Isidorus in Etymologicis lib. XIX, 2. *Agea*, inquit, viae sunt, vel loca in navi, per quae ad remiges hortator accedit. De qua Ennius:

Multa forom, pontes et, ageaque longa repletur.

Haec ille; quae emendationem nostram confirmant. *Scal.* Inepte Paullus ab agendo. Nam est a Graeco ἀγυιὰ, via. *Dac.*

Agonias. Glossarium: *Agonia*, ἱερεῖον, non *Aglonia*, ut hodie legitur. Item: *Agonalia* et *Agonaria*, θυσία. Glossae Isidori: *Agones, victimae. Agonia, hostia. Scal.* Omnia ista vocabula: *Agonius, Agonium, Agonus, Agonalia, Agonia, Agones, Agonensis*, a communi fonte derivanda sunt, qui est in Graeca voce ἀγών, quae *conventum, congregationem* proprie significat. *Ago* igitur, Boeotiis ἄγων, forum, ἀγορά. Tum conventus hominum, πανήγυρις. Unde mons, in quibus saepe congregabantur populi ad sacrificandum, veluti Latini in monte Alba. Idem forma productioni *Agonus*, unde etiam Aeolenses ἄγωνος pro eo quod est ἀγών dicebant. *Agonius* deus, qui panegyri praesidebat. *Agonium* locus et dies conventus. *Agonalia*, festi dies, per quos festivitas panegyrica celebrabatur. *Agonia* hostia, quae in agone immolabatur. Sic omnia cohaerere videntur.

Albogalerus. Suetonius in libro de genere vestimentorum scripsit, tria genera pileorum esse, quibus sacerdotes utuntur: Apicem, Tutulum, Galerum. Apicem, pileum subtile circa medium, virga eminente. Tutulum, pileum lanatum metae figura. Galerum, ex pelle hostiae caesae. *Scal.*

Apluda. Alii *Appluda.* Plin. lib. XVIII. c. 10. *Milii et panici et sesamae purgamenta appludam vocant.* Alii frumenti furfurem interpretantur. De sorbitionis genere mihi adhuc incompertum est. *Dac.* Gellius lib. XI, 7. *Legerat ille, apludam veteres rusticos frumenti furfurem dixisse, idque a Plauto in comoedia, si ea Plauti est, quae Astraba inscripta est, positum esse.* Eadem Nonius in *Apludas.* Glossae vett. *Apluda*, κνήβιον. De etymo, quod Festus habet, analogia non repugnat. Nam *au* in *u* saepe abit, ut *claudo, occludo; fraudo, defrudo.* — Tale minutum liquidissimum, quod spiritu deiicitur, non est cogitandum, quod illud, solo allisum, edat plausum strepitumve, sed quod, flatu deiecta sorbitione liquidissima, intra labia vel

ex ore applaudatur, id est, plausus, strepitus crepitusve quantuluscunque inter expellendum edatur. *Voss. in Etym.* Erravit cum Festo vir doctissimus. Nam descendit vocabulum a radice *plu*, *flu*, a qua apud Romanos plura verba deducta reperiuntur, ut *pluit*, *pluvia*, *fluo*, *flumen*, *fluvius*, *fluidus*. Consentiunt ista cum Sanscrita radice *plu*, quae significat *fluere*, *natare*, *humectare*, unde apud Latinos descendunt *pluo* et *fluo*, quae inter se paullum in diversa abiere. *Apluda* igitur est quod *afluit*, *defluit*. Excusum autem est *apluda*, ut *merda*, *menda*, *merenda*, *turunda*, *sponda*, *praeda*, et alia. Ab eadem radice profectum esse videtur *pluma*.

Aridum. Ridicule Paullus cum sua hac antiphrasi; *aridus* est ab *areo*, ut *timidus* a *timeo*. *Dac.* Vide Nonium in *Aridum*. *Goth.*

Aptus. Adeptus, ab antiquo *apiscor*, unde *adipiscor*. Ter. Heaut. IV, 3. (15.) *Deorum vitam apti sumus*. *Dac.* *Sicut apisci.* Plaut. in Prol. Rud. (17.) *Qui hic litem apisci postulant periurio*. *Idem.* Vide infra in *Ape*.

Area. Ab *areo*, quod sit *arida;* melius forsan a Graeco ἀλωά, λ enim saepe mutatur in ρ. *Dac.* Locus vacuus; in iure *Area*, locus in urbe sine aedificio. l. 211. §. locus ff. de signif.; vel qui de positis aedibus manet. l. 20. §. 2. ff. de servit. urban. l. 21. ff. de pignorat. l. 98. §. 8. ff de solutionibus; alias locus in quem collecta pluvia descendit. l. 20. §. 3. §. 6. ff. de servit. urb. In rusticis vero praediis locus est terendis frugibus ac leguminibus aptus. l. 14. in f. ff. de aliment. legatis. l. ult. §. 1. Cod. de servit. et aqua. Glossis vero *Ara* αὐλή, προσιά, ὕπαιθρον, ἅλως. *Goth.* *Quasi exaruerit.* Inde Glossis *Ariaeum*, aut potius *Aridum*, ξηρόν. *Idem.*

Angulus. Hic quaedam traiecta putavit doctissimus Vossius, qui legit: *Angulus a Graeco ἀγκύλον, quod aduncatur, sive ab eo quod est ἐγγύς*. Sensus est, angulum factum esse vel ab ἀγκύλος, incurvus, quia omnis angulus aduncatur, hoc est incurvatur, vel ab ἐγγὺς prope, quia latera appropinquantia et concurrentia efficiunt angulum. Sed et recte legas, ut in veteri Aldina: *angulus a Graeco ἀγκύλον, vel ab eo quod est ἐγγύς, prope quod adducatur*. *Dac.* *Aduncatur.* Adducatur. *Goth.*

Affines. Glossarium: *Adfinis*, ὄμβρος, πρὸς γένος. Lege: *Adfinis*, γαμβρός, πρὸς γένος. Idem post: *Adfinis*, ἀγγιτέρμων, καὶ ὁ κατ' ἐπιγαμίαν συγγενής. *Adfinis*, ἀνεψιός. *Scal.* *In agris vicini*, qui confines agros possident. Item *adfines*, viri et uxoris cognati, quod duae cognationes, quae duae inter se sunt, per nuptias copulantur, et altera ad alterius cognationis finem accedit. *Dac.* *Adfines in agris vicini.* Ea significatione sumitur in l. 12. ff. finium regundorum. *Goth.* *Consanguinitate coniuncti.* V. l. 4. §. 3. §. 4. §. 5. ff. de gradibus. l. 17. Cod. de Nuptiis. §. 6. Inst. de Nupt. *Idem.*

Anclare. In versu Livii legendum: *Florem anculabant*. Lege in Glossario: *Anclat*, ἀρύεται, non *ancleat*. Glossarium: *Auclator*, ὑπηρέτης; lege: *Anclator*. *Scal.* Si vera esset scriptura *anclare haurire*, nunquam non cum *anclare*, ministrare, confunderetur. Quare certum est, pro haurire *antlare* ubique scribendum esse per *t*, a Graeco ἀντλεῖν, ut distinguatur ab *anclare*, quod ab *anculare*. Versus etiam Livii sic legendus:

Floremque antlabant liberi ex carchesiis.

Neque enim assentior Scaligero legenti: *Florem anculabant*. Sed occupavit doctissimus Vossius in Etymologico suo nunquam satis laudato. *Dac.* *Antlare.* Vide in *Exanclare*. Et Nonium in *Exanclare*. *Anclabant.* Antlabant, alii *anculabant*. *Goth.* *Florem liberi*, i. e. vinum, quod Liber Bacchus, Deus vini gentilibus. *Idem.* Cf. Priscian. lib. VI, 3, 17. p. 230. Kr. ubi Codices omnes exhibent *anclabatur*, littera *c* scriptum. Non enim descendit ab ἄντλος et ἀντλεῖν, sed ab antiqua voce *ancula*, ministra, unde *ancilla* descendit. Cf. Festum in *Ancillae*, et Glossas in *Anclator*. Certissime et manifestissime hoc apparet ex versu Livii, quem servavit Priscianus l. c. *Carnis vinumque, quod libabant, anclabatur*, ad quem locum cf. Krehlius, qui recte disputavit de vocis origine. Neque possumus accedere Vossio, qui in Etym. sub v. *Exantlare*, duo diversa statuit esse verba, *anclare*, ministrare, et *antlare*, unde *exantlare*, i. e. haurire, exhaurire. Nam etsi haud negaverim, dici commode posse dixisseque Latinos: *labores exhaurire;* tamen quis ferat hoc: Cic. Div. lib. II, 30.

Tot nos ad Troiam belli exantlabimus annos,

exhaurire annos; et hoc Cic. Tuscul. Dispp. lib. II, 9.

Quae corpore exantlavi atque animo pertuli,

corpore exhaurire mala? Contra longe est probabilius, *exanclare* ab *anclare*, ministrare, communem tolerandi et patiendi notionem accepisse, ut *exanclare* esset perpeti, ad finem tolerare; in quam rem appositum est scholium apud Priscianum l. c. e Cod. Max. a Krehlio enotatum: *perficiebatur quantitas*, *perficiebatur*, *quantum dandum erat*, *dabatur*, *quod poscebat sacrum hoc*. Nimirum qui ministrant, perficiunt rem; quae si

mala est et gravis, perpetienda est, et toleranda. Iam vide quam accommodate dicatur *annos exanclare* i. q. pati annos, tolerare annos et *mala exanclare* i. q. perpeti. Livii versus est Iambicus trimeter, cui ab initio una deest syllaba.

Anclabris. Vide *Escariae*, et *Exanclare.* *Ant. Aug.* *Anclabris.* Pro *anculare* dicebant *anclare*, unde *anclabris* pro *anculabris.* *Dac.* *Anclabris mensa* est ministerialis, in qua Diis ministrabantur et offerebantur sacrae epulae; unde *anclabria vasa* vasa sacra ad ministrandum Diis accommodata. Vide *anclare.*

Ancunulentae. Perperam in Glossario *Ancodata* περιορανθεῖσα. Manifesto legendum: *Ancunulenta.* Per hoc verbum omnia spurca et sordida expresserunt veteres Latini: *Coenum*, *cunae*, *inquinare*, *conquiniscere* et alia, quae non dicam. Quae per *u*, antea per *oe* extulerunt, ut in *punire*, *poenire.* *Scal.* *Cunire*, ut infra Festus, est stercus facere, unde *ancunulentus*, sordidus. Unde *inquinare*, *inquinamentum.* Coenum, cunae, cunire cet. *Dac.* Nimirum *an* est praepositio *am*, i. e. circum, et *cunulentus* eadem forma procusum, ut *lutulentus*, *luculentus*, alia. Pro varia lectione *Goth.* enotavit *Anculentae.*

Antras. Placidus in Glossis: *Ancras*, *convalles*, *vel arvorum intervalla.* Ἄγκεα ποιήεντα Homerus. *Urs.* Glossarium: *Ancras*, *ancrae* ἄγγεα, αὐλῶνες. Videtur Glossarii lectio verior. Confirmatur enim Glossis Isidori: *Angrae*, *intervalla arborum vel convalles.* Nam cognatae sunt *c* et *g.* Fortasse scribendum *Anceae*, aut, ut Isidorus, *Angeae.* Nam a Graeco ἄγγεα. Quin etiam in aliis Glossis Graecolatinis: *Auerca*, αὐλὼν, ὁ στενὸς τόπος καὶ ἐπιμήκης. Extant enim vestigia vocis *Ancra.* Ita enim legendum. Item: *Aucria*, φάραγξ, *vallis.* *Scal.* Videtur vocabulum cognatum esse cum Graecorum ἐγγὺς, ἄγχι, Latinorum *angere*, augustus, Germanorum *eng*, quare sine dubio scribendum *Ancra* vel *Angra.*

Arferia. Arferia aqua, ut inferium vinum, ab adferendo et inferendo. *Arferium* pro adferium. Sic *arvenire* pro advenire, *arcire*, *arcedere* et similia. Eodem modo *Adferia aqua.* Veteres Glossae: *Adferiat*, ὕδωρ τὸ ἐπὶ τοῖς νεκροῖς σπενδόμενον. *Scal.* Non aqua tantum, sed quaecunque mortuis libabantur, *arferia* dicta sunt, ut lac, mel, vinum. Quae omnes vocabantur *inferiae* Graecis χοαί. *Dac.* *Quae inferis.* De v. *inferi* dicetur in voce *Altaria.* *Goth.*

Affatim. Verba Livii: *Adfatim edi*, *bibi*, *lusi*, sunt ex veteri Odyssea, quod Homerus dixerat:

Τῶν δ' ἔφαγόν τ' ἔπιόν τε καὶ αἰδοίοισιν ἔδωκα.

Nam cum melior pars veterum interpretum in eo loco τὸ αἰδοίοις exponeret ἀφροδισίοις, quod verum est, quicquid excuset Eustathius; et prudentes et scientes errant, qui aliter exponunt. Latinus interpres vetus longe castius dixit *lusi.* Et tamen abunde explevit sensum Homeri. De eo loco Homeri vide amplius loquacissimum eius interpretem Eustathium. Locus est Odyss. XV. v. 372. *Scal.* *Adfatim.* Abundanter, ad satietatem, ab affatu, vel a Graeco ἀφάτως, quod Hesych. *immensum* interpretatur. Et ita Priscianus lib. 15. (c. IV, 19. Kr.) Sed ex Servio docemur, veteres dixisse *fatim.* Ita enim I. Aeneid. (ad v. 123.) *Fatiscunt*, *abundanter aperiuntur*, *fatim* enim abundanter dicimus, unde et *adfatim.* Et ita Festi locus accipiendus. — Ad rem alludit Sardanapali Epitaphium: *Ede*, *bibe*, *lude*; *post mortem nulla voluptas.* *Ludere* enim saepius de congressu venereo. Petron.: *Invenit me cum fratre ludentem.* Sic Graeci παίζειν de eadem re dicebant, ut apud Lucianum alicubi. Et in illo Genes. cap. 26. de rege Abimelech: εἶδε τὸν Ἰσαὰκ παίζοντα μετὰ Ῥεβέκκας, τῆς γυναικὸς αὐτοῦ. *Dac.* *Adfatim* Glossis μεμοιραμένως, ἀπὸ τῆς μοίρας. *Lusi.* Sic in primo Feudorum 5. *cum aliqua turpiter ludere*, nihil aliud quam quod paullo ante dictum fuerat *adulterare*, et ut verbo Feudistico utar: *Cucurbitare.* *Goth.* *Affatim* esse ad fatim, hoc est, ad abundantiam, ad satietatem, satis est notum. *Fatis* enim abundantia, satietas. Unde *fatisco*, abundo, *fatigo* satietate impleo, *defetisco*, fatigor, deficio. Falsi sunt interpretes ad Virg. Georg. I, 180. et Aeneid. I, 123., ubi *rimas agere* interpretantur, vel *in rimas dehiscere.* Utrobique potius significat exundare, ebullire, undas facere propter nimiam abundantiam. *Nam area pulvere victa fatiscit* est: propter nimium pulvere se resolvit et quasi abundat. Et *accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiscunt*, erit: exundant e rimis, aquam ebulliunt, ante ab imbre acceptam. Quare non mirum est, Terentium *affatim* dixisse pro eo quod est *ad lassitudinem*, est enim ista nativa significatio; similiter apud Plautum in Poenulo III, 1, 31:

Ubi bibas, *edas de alieno*, *quantum vis usque ad fatim*,

ubi aperte est *usque ad satietatem.*

Amenta. Amentum, lorum in media sagitta revinctum, quod primoribus digitis alligabant, ut eo ad se hastam retraherent, simulatque eam emisissent. Hinc intelligendus locus Virgilii in IV. Aeneid. (v. 69. seqq.)

— — *Qualis coniecta cerva sagitta,*
Quam procul incautam nemora inter Cressia fixit
Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum
Nescius

Ubi male interpretes. Verum est autem quod ait Festus, amentum esse ab ἅμμα, simplici *m*, ἅμα, unde *amen*, *amentum*, sive potius immediate ab antiquo *apo*, id est *apto*, *apimen*, *amen*, *amentum*. Nam quod infra legitur: *quia optantes ea ad mentum trahant*, Paulli putidum commentum est. *Dac.* Glossis *amentum*, ἅμμα λόγχης. *Goth.*

Attegrare. Locus mendosissimus, qui tamen non erat nullius momenti, cum cognitionem vetustatis contineat. Nam quid est *vinum in sacrificiis augere?* Nescio an Paulli error sit, qui mentem Festi non assecutus est, cuius culpae manifestae alibi deprehenditur; an vero aliorum, quos posterior aetas tulit, barbarorum emendatorum. Quicquid est, ego scio, Festum ita scripsisse: *Adtegrare est, vino sacrificium augere.* Quin enim ita loquerentur veteres, neminem dubitare puto. Sic Plautus dixit: *augere verbenis aram.* (Merc. IV, 1, 10.) Quin ipsa notio verbi fidem facit huic rei. *Adteger* est προσθιγής, qui tactus et deminutus est. *Attigere* enim veteres pro attingere; ut contra *Integer*, ἀθιγής, ἄθικτος. Quare et quae sequuntur, corrupta esse, si non aliud, certe obscuritas loci, ex quo nullum idoneum sensum elicere possumus, facile convicerit. Neque solum haec mendi indoles hunc locum foedavit, sed et transpositio. Legendum enim: *Adtegrum enim minus factum. Integrare est in statutum redigere.* Ubi et lego *in statum.* Igitur vinum adtegrum fit, et attegratur, cum libatur. Tunc enim minuitur, ut sacrificium augeatur. *Scal.* Ego mutilum locum sic supplendum iudico: *Adtegrare vinum, in sacrificiis est, vino sacrificium augere. Integrare enim est adtegrum, hoc est, minus factum, in statum redigere.* Adtegrare vinum in sacrificiis, inquit, est vinum minuere, libare, ut eo sacrificium adoleat, augeatur, quod contrarium est verbo *integrare*, quod significat, *attegrum*. imminutum, adtactum restaurare, in statum redigere. *Dac.*

Attritum. A *tero*, *adtero*, quod a τρίβω, unde τρίβων, τριβώνιον, vestis trita, lacera. *Dac.* τριβώνιον. Alii τρίβωνας, alii τριβόνιον. Glossis τριβώνιον, velum. *Goth.*

Attestata. Fulgura, quae, quod priora portendebant, id significatione sua comprobant, *renovativa* etiam dicta; et contraria sunt *peremptalibus*, quae superiora tollunt, perimunt. Vide suo loco. *Dac.* *Fulgura attestata* sunt contraria *peremptalibus*. Vide in *Peremptalia*. *Scal.*

Attibernalis *Adtubernalis.* Isidorus habet *attibernalis.* Glossarium: *atturubernalis.* L. M. *adtabernalis. Urs.* Male in Glossario: *Atturubernalis*, καπηλογείτων. Glossae Isidori: *Attibernalis, vicinus. Scal.* Vide in *taberna. Dac.* Adde infra *contubernalis*, et *tabernacula. Goth. Continue*, vulgo. Legendum puto *continuus.* Nisi quis malit hanc vocem ut superfluam atque otiosam dispungere. *Idem.*

Attae. Glossarius: *Atta ὁ τοῖς ποσὶν ἀρχόμενος περιπατεῖν.* Ab eo ait Quintium poetam *Attam* cognominatum. Ad quod puto allusisse Horatium: (Epp. II, 1, 79.)

Recte necne crocum floresque perambulet Attae
Fabula.

Propterea enim verbo *perambulare* utitur. *Scal.* *Attae* ab attingendo, inquit Festus. Est autem attingere leviter, quasi summis, vel pedum vel manuum digitis tangere. Terent. Adelph. II, 1, (24.)

Tetigine tui quidquam? Si attigisses, ferres infortunium.

Glossae Isidori: *Atta, qui primis plantis ambulat.* Sed melius atta ab ἅττω, salio, quod qui hoc vitio laborant, non ambulant, sed saliunt. *Dac.*

Attam. Graecum est. ἄττα πάτερ. *Scal.* Vide supra *atavus. Goth.*

Adagia. Lege *Adagio.* Varro lib. VI. de L. L. (VII, 3. pag. 319. Sp.) *Adagio et littera commutata abagio dicta ab eo, quod ambit orationem, neque in aliqua una re consistit sola, ambagio dicta, ut ambustum, quod circum ustum est.* Ergo *adagio* pro ambagio, quod sit sermo circumambulans, et multis rebus possit convenire. Sic Graecis παροιμία a παρὰ *ad* et οἶμος via. Glossarium: *adagio*, παροιμία. Sed vox illa iam obsoleverat ipsius Varronis aetate; scribit enim libro VI. (lib. VII, 3. pag. 318. Sp.): *Apud Valerium Soranum: vetus adagio est, o Publi Scipio. Quod verbum usque eo evanuit, ut Graecum παροιμία, pro eo positum magis sit apertum* *Dac.*

Adasia. In glossis Isidori: *Adasia, ovis maior natu. Scal.* Sed quid fiet illis: *recentis partus?* Dubitabat doctissimus Vossius, num *adasia* sit *adaxia*, praeter aetatem adacta ad partum, ab *adaxint*, pro adegerint. Ego potius existimo ista *recentis partus* interpretationem esse vocis πρωτότοκος, primogenitus. Ita

ut Paulli verba sic intelligenda et distinguenda sint: *Adasia, ovis vetula, recentis partus.* Id est primogenita, id est, quam recenti, sive primo partu mater peperit et inde patet, cur Isidorus dixerit, *ovis maior natu.* Sic infra *avillas, agnas recentis partus.* Nam *avillae* agnae vetulae. *Dac.* Mihi videtur *adasia* adiectivum proprie esse, derivatum a Sanscrita voce *adhas* quae significat *sub, subter.* Ut enim ab *antar* derivatum invenitur adiectivum pronominale *antaras;* ut apud Latinos *inter, interior;* sic ab *adhas* potuit fieri *adasius,* submissus, qui submittitur. *Adasia* igitur esset ovicula, quae matri submittitur, *agna sugens.* Nisi forte *adasia* ex *ad* et *avis* i. e. *ovis,* compositum. cf. infra *Avillas.*

Abrogare, infirmare. Optime igitur Gloss.: *abrogo* ἀποκυρῶ, ἐλαττῶ. Saepius tamen *abrogare* pro omnino tollere, eripere; ut *abrogare fidem alicui;* ut *abrogare legem* est legem perlatam prorsus tollere. *Dac.* Adde legem 102. ff. de verb. signif. *Goth.*

Ad. Denotat motum ad locum, *apud* factum in loco. *Ad* verbis motus coniungitur, *apud* non item. Inde Lucil. sat. IX.:

Sic et apud te longe aliud est, nam idem valet ad te;
Intro nos vocat ad sese; tenet intus apud se.

Interdum tamen *ad* sumitur pro *apud,* ut *apud* pro *ad.* *Dac.* Cf. Sallust. apud Pompeium in Comm. art. Don. pag. 395. Ed. meae, ibique Pompeium. Ceterum legendum videtur apud Paullum: *Ad aut prope personam,* atque ita exhibet Cod. Lips. quod notare omisimus.

Apud. Vide *ad.* *Dac.* Cf. Plaut. Milit. II, 5, 70. *Atque apud hunc eo vicinum.* Ubi vide quae adnotavi.

At. De coniunctione *at* cf. Handius in Tursellino s. v. Mihi repetendum videtur *at* ex Sanscrito pronomine *itara,* ἕτερος. Nam terminatio *tara* nihil est aliud, nisi suffixum comparativi. Unde ostenditur *ast* ex eadem origine esse derivandum, addito pronominis stirpi suffixo superlativi *ischta,* ut *at* ab *itara, ast* ab *ischta* (ita enim pro *iischta* formandum esset) dicatur. Cf. Graecorum ἀτάρ. Sic Germanorum *aber* ex Sanscrito pronomine *apara,* alius, aut ab *avara,* posterior; eorundem *oder* ex Sanscrito pronomine *antara,* alius, aut ab *adhara,* inferior; eorundem *weder* ex eiusdem sermonis pronomine *catara,* uter, κότερος, πότερος, quod Gothice sonat *hvadhar,* Saxonice *hveder,* Anglosaxonice *hvädher,* apud Priscogermanos *huedar.* Pro Gothico *andhar,* alter, secundus, dicitur Saxonice *othar,* Anglosaxonice *odher,* unde nostra coniunctio *oder,* quae omnia ab *o* incipientia non a Sanscrito *antara,* sed ab eiusdem linguae *adhara* derivanda esse videntur. His ita comparatis non dubium mihi videtur Latinorum *at* et *ast* per apocopen orta esse ex Sanscritis pronominibus *itara* et *ischta,* quorum tamen posterius ex anologia confictum supponimus. Nisi forte *at* ex Sanscrito *atha,* quot *at, tum, post* significat, descendit.

Addicere. Approbare; quare in auguralibus aves dicuntur *addicere,* cum suadent, probant, ratum faciunt. *Alias addicere damnare.* Addicere proprie est debitorem qui non est solvendo, in potestatem creditoris tradere, unde *addictus* damnatus, creditori traditus. Plaut. Bacchid. V. Sc. ult. (v. 87.)

Ducite, quo lubet, tànquam quidem addictos.

Inde Achaemenides apud Virgil. III. Aen. (v. 652.)

— — — *Huic me, quaecumque fuisset,*
Addixi.

Addixi, devovi, in servitutem tradidi. *Dac.* *Addicere, damnare.* Inde *Addicti,* pecuniae damnati Valerio 6, 1. Quintiliano 5, 7. *Goth.*

Aedis. Corruptum illud: *Aedis, domicilium in edito positum.* Imo contra Varro, quae plano pede aditur, vult *aedim* dictam. Lego igitur: *Aedis domicilium in aditu positum, simplex, atque unius aditus.* Et sane *aedes* prius a veteribus Romanis dictae fuerunt, quae a Graecis οἰκόπεδα, hoc est aedificia, quae de plano adeuntur, vel, ut Tertullianus in libro de pallio, planitus adeuntur. *Scal.* Varro lib. IV. de L.L. (lib. V, 33. pag. 160. Sp.): *Aedes ab aditu, quod plano pede adibant. Itaque ex aedibus efferri indictivo funere praeco etiam eos dicit, qui e tabernis efferuntur; et omnes in censu villas inde dicimus aedes.* *Dac.* *Sive ideo aedis.* Ineptum etymon. Potius a Graeco αἶτος, quod domicilium, habitationem interpretatur Eustathius. *Idem.* *Ponitur tamen.* Abusive et per translationem aedificare de re qualibet, quae quacunque opera fabricatur. Ut Virg. de equo (Aen. II, 15.):

Instar montis equum divina Palladis arte
Aedificant.

Dac. Hinc navem aedificare dicimus l. 46. §. 2. ff. de iure fisci; et insulam l. 27. §. 5. ff. de rei vindic. l. 11. §. 9.

de Publiciana. *Goth.* Nisi fallimur, *aedis* dicta ab ἕδος, omissa aspiratione et syllaba producta, quod item in Graeca voce ἦθος accidisse videmus. Simili modo *sad* et *ás* in lingua Sanscrita sedendi habent significationem, ex quorum altero *sedeo*, ἕζω, ἕδος, ex altero ἦθος et *aedis* et ἧσται derivanda sunt. Cf. etiam Germanorum verba *sitzen*, *sitten*, *siedeln*.

Aedituus. Videndus Varro in libris de L. L. (VII, 2, 83. pag. 298. Sp.) et Paullus et Iustinianus sub titulo de tutelis, et ea quae ad v. *aeditimus* scripsi. *Ant. Aug.* *Sacrae aedes tuitor.* Sic Theophilus §. Tutoris. Inst. de Tutelis. Et ita Aedilis accipitur in l. 3. §. 3. ff. de Tabulis exhib.; ob id Hierophylax appellatur in l. 28. ff. de annuis. Hinc *aedituari* in templo apud Nonium dicitur. Glossis Aeditilis νεωκόρος. Iisdem νεωκόρος et νεωφύλαξ, Edituus. *Gothofr.* *Tuitor*, tutor. *Idem.*

Aeditumus, aedis intimus. Inepte dictum est. Melius Ser. Sulpitius, ut Cic. in Topicis (9.) refert, in *finitimo, legitimo*, *aeditimo* non plus esse *timum*, quam in *meditullio, tullium*, sed productionem esse verbi vult. Hic, ut Varro ait lib. I, de R. R. (cap. 2) et de L. L. lib. II. apud Gellium XII, 10. postea *aedituus* appellatus est, non ab aedibus tuendis, ut Varro, Festus et alii existimant, sed quia aeditumus prius diceretur, et una littera elisa sit. Sic testamentum non a mente ducitur, sed productio verbi est, ut in vestimento, pavimento. Gell. VI, 12. Vide Charis. lib. I, (p. 73. Fr.) *Ant. Aug.* *Aeditimus* antiquior est, *aedituus* recenti novitate effictus. Varro de R. R. (l. c.) *Rogatus ab aeditimo, ut dicere didicimus a patribus nostris; ut corrigimur a recentibus urbanis, ab aedituo. Dac.*

Aedilis. Vox *magistratus* videtur adiecta. *Urs.* *Aedilis*, inquit, *primo magistratus dictus est. deinde ad magistratus translatum est.* Quid istud verbis est? Sane ego non intelligo. Et verum est illud verbum *Magistratus* abundare, ut ita legatur: *Aedilis initio dictus est, qui aedium non tantum sacrarum, sed etiam privatarum curam gerebat.* Nam hoc nomine omnes, ut loquitur Lucretius, *aedituentes* vocabantur. Aedilis enim principio aeditimum significabat. Haec est mens Festi. Glossarium: *Aedilis*, ὁμῆλιξ, ἀγορανόμος. Vocat ὁμήλικα, qui in iisdem aedibus adolevit. In eodem: Aeditilis, νεωκόρος. *Scal.* Verissimum est, quod monuit Scaliger, initio vocem magistratus abundare, quippe quae ex linea tertia per librariorum incuriam huc irrepsit. Legendum igitur, *Aedilis initio dictus est, qui aedium non tantum sacrarum, sed etiam privatarum curam gerebat.* Ait enim Festus omnes aedituos, *Aediles* vocatos esse. Postea *Aedilis* ad Magistratus translatum, ad quos etiam pertinebat aedium cura. *Dictus est autem.* Ab adeundo aedilis, quod placuit etiam Theophilo lib. I. Institut. tit. 2. male, nam ab *aede aedilis*, ut *ovilis* ab *ove*. *Dac.* *Quod facilis ad eum plebi aditus esset.* Imo quod aedibus publicis praestet. lib. 2. §. 21. ff. de origine iuris. Unde *aedituentes* Lucretio apud Gellium XII, 10. De aedilibus passim in iure. *Goth.* *Aedilatus.* Aedilitas. Et in l. 17. ff. de compens. *Aedulitas. Idem.*

Atrium. Area subdialis quae erat ante aedes ab *Atria*, urbe Tuscorum, ubi exemplum sumptum. Varro lib. IV. de L. L. (V, 33, 45. pag. 161.) Alterum Festi etymon, quod *a terra oriatur*, insulsum plane atque ineptum. Quidam ab αἴθριον. Verius. *Atriae primum.* Ex Varrone illud, ut supra. *Atria* autem Tuscum oppidum, a quo nomen mari Adriatico, *t* mutato in *d*. Plin. (III, 16.): *Quae septem maria appellantur, nobili portu oppidi Tuscorum Atriae, a quo Atriaticum mare antea appellabatur, quod nunc Adriaticum. Dac.* *Aterreum.* Aterium. *Goth.* Atrium dicebatur etiam *Cavum aedium*. Cf. Vitruv. VI, 8. p. 230. not. Ed. Gal.

Avus. τάτα. Scribe ἄππα, ut est apud Callimachum. *Scal.* A Graeco πάππος, qui Graecis *avus*. Vel ἄππα, vel etiam ἄττα. Sic enim infra legendum est pro τάτα. *Dac.* Vide l. ult. §. 13. ff. de gradibus. τάτα. Vide sub *Atavus.* Alii legunt ἄγυς, alii *Appa*, ut apud Callimachum. *Goth.*

Abavus. Quartus pater ex versu Plauti Pers. I, 2, (5.):

Pater, avos, proavos, abavos, atavos, tritavos.

Unde Virgil. (Aen. X, 619.) *Pilumnusque illi quartus pater* i. e. *Abavus.* Sed non sat huius nominis rationem aperit Paullus, quia *abest ab avo*, quasi non *atavus* et *tritavus* longiori absint intervallo. Non dubito apud Festum scriptum fuisse, *quia iam abest ab avo.* Et haec est Isidori sententia: *abavus, proavi pater, iam longe ab avo. Dac.*

Atavus. Lege ut in ora adscriptum, *atavus quia atta est abavi.* Atavus quartus pater, id est pater abavi. Atta autem est honorifica appellatio iunioris ad seniorem. Vide *Attam. Dac.* *Quia tata est avi.* Alii: *quia Atta est abavi.* Et sic in *Atta*. Vide in *Avus.* Alii legunt: *quia Atta est avi. Goth.*

Avunculus. Matris frater. Per deminutionem, quasi parvus avus, quia remotior est, quam patruus, qui patris frater, quasi secundus pater est. *Dac.* Matris meae frater, sicuti aviae meae frater avunculus magnus; abaviae, maior; proaviae, maximus avunculus dicitur. l. 9. §. 15. §. 16. §. 17. ff. de grad. l. 5. ff. unde legitimi. *Goth.*

Amita. Si verum est, quod ait Festus, Amitam quasi avitam, aut quasi amatam dictam, videtur apud veteres mediam syllabam productam habuisse, cum Persius corripuerit: (VI, 53.)

— — — — *si mihi nulla*
Iam reliqua ex amitis, pratuelis nulla, proneptis.

Scal. Amita quasi avita. Nam reliqua etyma duriora sunt. *Dac. Amita patris mei soror.* Ita Gaius 2. Inst. 8. *Amita* vero *magna*, avi paterni soror. l. 1. ff. quarto l. ult. §. quarto. ff. de gradib. *Amita maior* proavi soror. Paul. 4. sentent. 11. quae et proamita l. 1. in fin. §. 7. ff. de gradib. Amita maxima, abavi soror. d. l. ultima. §. septimo. (eadem *abamita* dicitur). Atavi soror nomine caret. Amita a me tertia; a patre amata. *Goth.* Ceterum falso distincta est oratio Paulli in contextis. Lege et distingue: *Amita, patris mei soror, quia similiter tertia a me sit, atque avia; videri potest dicta* cet.

Avillas, agnas. (Ita enim vulgo.) Ovis, ovilla; et o mutato in *a, avilla;* ovis vetula, recentis partus. Vide *adasia;* nam inde patebit, falli Meursium, qui avillas dici putavit, quae nondum velli possunt. *Dac.* Quid si *Ovillas?* Quidam dictos putant, quod velli necdum possent. Vellus etiam a vellendo Varroni. (V, 29, 36. p. 133. Sp.) *Goth. Avis* in Sanscrita lingua id quod *ovis*, Gr. *ὄϊς*, eiecto digamma. Ab *avis* derivativa forma *avillas*, unde patet, quo antiquiora sint vocabula Latini sermonis, eo Sanscriteis formis esse propiora. Satis autem docet codicum optimorum consensus, non *Avilla, avillae*, sed *Avillas, avillae* dictum esse, quod ostendit antiquissimam nominativi formam.

Agnus. Descendit hoc vocabulum ab radice Sanscrita *anus, parvus*, quod mediam consonantem *n* nasalem habet, unde etiam Graecorum *ἀμνὸς, ἀμνὶς, ἀμνάς*. Significat igitur *agnus* proprie vel *parvum pecus*, armentis oppositum, vel pecoris sobolem, *pullum, catulum.* Cuius significationis vestigium remansit in voce Graeca *ἀμνάμων*, quae *prolem, ἀπόγονον*, notat et apud Lycophronem invenitur.

Avere. Cupere. Lucil.: *Parasiti avent divitias.* Inde avidus, aviditas, ut a caleo, calidus; a torreo, torridus. Infra tamen Festus *avidus* a non videndo. Ubi eius inconstantiam ride. *Dac.* Radix Sanscrita *ăv* latissime valet et in omnibus sermonibus a Sanscrito descendentibus radices egit. Significat autem *amare, desiderare, amplecti;* tum *gaudere, exhilarare.* Qua re intelligitur, salutandi formulam *ave* et *have*, nihil esse nisi *χαῖρε, gaude;* atque utrumque verbum, et *avere* cupere, et *avere* gaudere, unius eiusdemque esse stirpis, certum est.

Adscripti. Qui nomina dederant, ut e patria in coloniam mitterentur. Liv. lib. 4, (11. fin.): *Coloni adscripti in colonia, quam testem integritatis iustitiaeque habebant.* Ad eorum similitudinem postea *adscriptitii* dici coeperunt agricolae et coloni rusticis praediis excolendis sic addicti, ut eorum portio quaedam et instrumentum rusticum censerentur, et una cum praediis ad emptores transirent. *Dac.* Vide Livium IV. Vide legem 6. l. 20. l. 22. l. ult. Cod. de agricolis. *Goth.*

Adscripticii. Ex his quae hic tractantur, docemur *Adscripticios* dictos *Accensos* et *Velatos.* Quod et idem infra confirmatur: *Velati*, inquit, *appellabantur vestiti et inermes, qui exercitum sequebantur, quique in mortuorum militum loco substituebantur.* Postea in municipiis, itemque Romae, publici ministerii nomen fuit *Accensus Velatus*, ut apparet ex hac inscriptione:

T. STATILIUS. VOL. PROCULUS
ACCENSUS. VELATUS. ET. ARGENTARIA
EUTYCHIA. PARENTES. FILIO. OPTUMO. ET
ORCIVIAE. ANTHIDI. UXORI. EIUS. SIBI.
QUE. ET SUIS
LIBERTIS. LIBERTABUS. POSTERIS. QUE.
EORUM.

Item patet ex alio saxo, quod est in via Appia Formiis, ut omnibus, qui Neapolim proficiscuntur, in conspectu sit.

L. VARRONIO. L. F.
PAL. CAPITONI
SCRIBAE. AEDILIC.
ACCENSO VELATO.
II. VIRO. QUINQUENN
CURATORI. VIARUM
PATRONO. COLONIAE

ORDO. REGALIUM
QUORUM HONORE
CONTENTUS. SUA. PECUN
POSUIT
L. D. D. D.

Scal. Item *adscriptivi*, milites, qui extra ordinem et extra numerum militiae adscripti sunt. Plaut. Menaech. I, 3, 1.

— — — — *Er. Extra numerum es mihi.*
Pen. Idem istuc aliis adscriptivis ad legionem fieri solet.

Varr. Lib. VI. de L. L. (VII, 2, 92. pag. 340. Sp.) *Adscriptivi dicti, quod olim adscribebantur inermes, qui succederent armatis militibus, i. e. si quis eorum deperisset. Dac. Hos et adcensos dicebant.* Vide in *adcensi.* Iidem et *Ferentarii.* Varro de vita P. R. lib. 3.: *De ascriptivis cum erant attributi Decurionibus et Centurionibus, qui eorum haberent numerum, adcensi vocabantur. Eosdem etiam vocabant ferentarios, qui depugnabant pugnis* (lege *fundis*) *et lapidibus, iis armis, quae ferrentur, non quae tenerentur. Idem. Alii rorarios.* Adcensos tamen a rorariis diversos fuisse, vel unicus Plauti locus fidem faciet, ex Frivol.:

— — — — — — — *Sequimini*
Me hac sultis legiones omnes Lavernae; ubi Rorarii
Estis? En sunt. Ubi sunt accensi? Ecce.

Rorarii autem dicti a *rore*, *quia bellum committebant ante*, *ideo quod ante rorat quam pluit.* Varro lib. VI. de L. L. (VII, 2, 92. p. 341. Sp.) *Idem. Adcensos.* v. *Adcensi.* Alii legunt *a o censos. Velatos.* Vide infra *Velatos.* Iidem dicuntur etiam *velites. Ferentarios.* V. infra *Ferentarii.* Et Non. in *Ferentarii. Rorarios.* Vide infra *Rorarii* et Nonium dicto loco. *Goth.* Cf. Liv. VIII, 8. Niebuhr. Ueber die Nachricht von den Comitien der Centurien. p. 8. Niebuhr. Röm. Gesch. II, p. 476. Creuzer. Antt. §. 229. pag. 285. *Ascripticii* et *Accensi* qui et cur dicti fuerint, verba ipsa declarant et res nota. *Veles* non a velando, sed a velocitate dictus est, quemadmodum *celer*, κέλης et *celox* eiusdem sunt originis et ab antiquo verbo *cellere*, κέλλειν deducenda. Videtur autem etiam *velatus* pro *velite*, in usu fuisse, ut *velare* fere idem fuerit quod *volare*, quemadmodum *vortere* et *vertere*, *volox* et *velox* dicebantur. Quare *velatus* adiectiva forma dictum fuerit, procusa illa ad normam vocis *hastatus.* Ceterum et *veles*, et *celer* et *volare* e Sanscrita radice *çval*, celeriter se movere, descendit. *Rorarios* haud dubium est, dictos esse, quod in modum *rorantis tempestatis* dimicarent, id est, quod quasi rorantium stillarum instar dispersi hinc inde hostem peterent. Haud absimili ratione hodiernis Gallis dicuntur *tirailleurs* quia sic pugnant, ut hostem hic inde *vellicare* videantur. *Ferentarios* vero ab *ope ferenda* (ferentarius a ferendo ut sedentarius a sedendo) dictos esse, non ab armis ferendis, (ferunt enim omnes milites arma); testimonio est locus Plauti Trin. II, 4, 55. *Nam illum tibi Ferentarium esse amicum inventum intelligo*; ubi vide interpp.

Auctarium. Plaut. Mercat. (II, 4, 22.):

Auctuarium
Adiicito vel mille nummum plus quam poscet.

[Legendum apud Plautum *auctarium.*] Gloss. *auctuarium*, ἐπίμετρον. Leg. *Auctarium. Dac.*

Auctum. Quando Circus ob aliquam victoriam ampliabatur, spatium Circo additum *auctum* dicebatur. Ampliabatur autem Circus, ut opinor, propter ludos frequentiores. *Dac.* Sententia Paulli est, tum amplius spacium additum esse Circo, quum definitae mensurae cursus aliquid adiiceretur.

Argennon. Ἀργεννόν. Legendum hic: *Argennum*, *argenteum*, *percandidum. Scal.* Ego vero legendum existimo: *argentum percandidum.* Nam certum est, argentum proprie nihil aliud esse quam (nisi) album. Graece ἀργεννόν. Hesychius: ἀργεννῇσι, λαμπραῖς, λευκαῖς. Ubi Homeri locum respicit ex Iliad. γ. (v. 141.): ἀργεννῇσι καλυψαμένη ὀθόνῃσι. *Argennum*, argendum, argentum. *Dac.* Vid. Meursium I. Exercitat. 13. *Goth.* Certissime emendasse mihi videtur Scaliger, licet codd. nulli addicant; neque sufficiunt ad Scaligeri sententiam refutandam, quae scripsit Dacerius. Ceterum non dubium est, *argentum* pariter atque Homericum ἀργεννός, Graecorum ἄργυρος, et multa alia Graeca vocabula eiusdem commatis descendere ab adiectivo ἀργός, quod idem est verbum, atque Latinorum *albus*, ρ in *l*, γ in *b* mutatis, quae mutatio est frequentissima. Omnia autem ista communem fontem suum habent in Sanscrita radice *ark*, quae *lucere* significat, unde *arka*, sol.

Arbiter. Iudex a Praetore datus, vel ex conventione litigatorum electus. Arbiter autem et iudex eo differunt, quod ille certos habeat terminos, quos non excedat, hic nullos. *Dac.* Vide Titul. de receptis arbitris. l. 76. ff. pro socio, ubi de duobus arbitrorum generibus. *Goth. Quod totius.* Qui totius. *Idem.* Res est nota satis. *Arbiter* dicebatur iudex ex compromisso, h. e. communi litigantium consensu sumtus, cui Praetor disceptandae ex arbitrio suo controversiae potestatem dederat. Is de caussis bonae fidei et arbitrariis cognoscebat et liberam nullisque legibus astrictam religionem habebat, quum iudices alii formulis astricti tenerentur et secundum leges iudicare deberent. Ita qui coram arbitro pro litigantibus disputabant, non caussarum patroni, sed advocati dicebantur. Ipsum autem *arbitri* vocabulum satis antiquum est et *spectatorem* significat proprie; unde *arbiter* saepe testis praesens, Augenzeuge, et *arbitrari* i. q. spectare.

Amicinum. Glossarium: *Amicinus, ἀσκοῦ στόμα.* Vult amicinum esse os utris, sive luram utris, cum Festus velit esse *τὸν λεγόμενον ἀσκοῦ πόδα, ἤτοι ποδεῶνα*, cuius fit mentio in oraculo, quod Laio Thebanorum regi datum fuit. Sed mirum, quod in aliis glossis legitur: *Arvianus, ἀσκοῦ στόμα.* Sed profecto, et in illis quoque *Amicinus* legendum. *Scal.* Male quaedam editiones *Anucinum.* Amicinus est os utris, qua vinum infunditur et diffunditur. — Utris pedem, sive pediculum intelligit, *ἀσκοῦ πόδα* Graeci vocant, ut et propter similitudinem membrum illud, quo viri sumus. Oraculum quod Laio datum fuit Eurip. in Medea:

Ἀσκοῦ μὲν τὸν προύχοντα μὴ λῦσαι πόδα
Πρὶν ἂν πατρῷαν αὖθις ἑστίαν μόλω.

Dac. Amicinum ab amiciendo dictum esse, consentit Martinio Vossius in Etym.

Arbosem. Placidus in Glossis: *Hasenam antiqui dicebant, ut asas, quas nos aras, et Lases, quos Lares dicimus.* Velius Longus de orthographia: *Fesias antiqui pro ferias, et hasena pro arena. Fulv. Urs.* Ut *advosis*, pro *advoris*, *hasena* pro *arena*, *asa* pro *ara.* Et similia. Lege infra: *robose pro robore. Dac.* Cf. notata infra ad v. *Loebesum.*

Arbitrium. De differentiis *arbitrii* et *iudicii* sic Cic. pro Roscio Comoedo: (c. 4. §. 10.) *Aliud est iudicium, aliud arbitrium. Iudicium est pecuniae certae, arbitrium incertae. Ad iudicium hoc modo venimus, ut totam litem aut obtineamus aut amittamus; ad arbitrium hoc animo adimus, ut neque nihil, neque tantum, quantum postulavimus, consequamur.* Aliquando tamen *arbitrium* pro *iudicio* ponitur, ut arbiter pro iudice. Praeterea etiam arbitrium usurpatur in funeribus pro praemio eorum, qui funera curabant. Cic. post red. in Senat. decima septima: *Nondum palam factum erat concidisse remp., cum tibi arbitria funeris solvebantur. Dac. Arbitrium dicitur sententia.* Facit lex I. l. 3. l. 10. ff. de receptis arbitris. *Goth.*

Arbitrarium. Plaut. Amphitr. (I, 1, 221.):

Hoc quidem profecto certumst, non arbitrarium.

Dac.

Amicitiae. Ait ab antiquis *amecum*, non *amicum* solitum dici. Et sane *amicus* compositum est *Amaequus*, vel, ut ipsi scribebant, *Amecus.* Eodem modo dictum, quo animecus, pro animaequus. Glossarium: *Animecum, ἰσόψυχον.* Isidorus in Glossis: *Animaequus, patiens animo. Scal.* Amo, amicus, amicitia. Neque enim ab amore *amicitia* immediate. *Ameci.* Verosimile non est, quod ait Scaliger, amecum esse pro *amaequum*, ex *am* et *aequum*, eodem modo, quo *animecum* pro animaequum. Nam simplicius multo ut *amecus* sit pro *amicus*, *i* mutato in *e.* Et ita Festus. *Dac.* Descendere videtur *amicus* a Sanscrita radice *kam*, amo, a qua per suffixum *ja* fit *kamjas*, amandus, amabilis, additoque insuper alio suffixo *ka*, *kamjaka*, et in nominativo *kamjakas*, sive *kamjicas*, amicus, dempta priore littera, quam aliquoties vel addi vel adimi videmus in formis e Sanscrita lingua procudendis, veluti in *Iupiter*, pro *Diupitri; ol-escere, al-ere* ex radice *bal; δάκρυ*, ex Sanscrito *açru*, lacrima. Vide supra in *Adolescit.*

Adpromissor. Promissor promittit, adpromissor adpromittit, id est, quod alter promittit, in se recipit. Sed hic Festi locus mutilus est, quippe ex eo una vox excidit. Lege igitur: *Adpromissor est qui, quod suo nomine promisit alter, idem pro altero quoque promittit.* Nihil certius. *Dac.* Adde legem 64. §. 4. ff. soluto. l. 5. §. 2. ff. de verb. obligat. l. 43. ff. de solutionibus. *Goth.*

Arcere. Ἀρκέω, Contineo, capio, item *prohibeo, propulso.* Et inde *arcere.* Neque enim audiendus Festus, qui ab *ἄρχω*, impero. *Dac.* De arcu aquae ducendae vide l. 11. ff. de aqua et aqua pluviae. Quid *arcus* ab *arqu* differat, vide Nonium in *Arcus. Goth.* Cf. paullo inferius. *Arcus* descendere videtur ab eodem fonte, unde *arx, arceo, arca, arcula*, quibus omnibus subest radix *arc*, *ἀλκ*, unde Graecorum *ἀλκή*, Abwehr, defensio. Quare *arcus* proprie nihil videtur esse aliud, nisi nostrum *Wehr*, i. e. Waffe. Notabile est, *ardsch* in Sanscrito sermone significare *colligere, continere.*

Arcuma. Videtur esse genus modici plaustri, quo homo tantum gestari poterat, et a servis non a mannis trahebatur. Unde vocabatur *chiramaxium.* Petron. *Hinc involutus coccina gausapa lecticae impositus est, praecedentibus phaleratis cursoribus IV., et chiramaxio in quo deliciae eius ferebantur.* cet. *Scal.* Pro arcuma scriptum fuerat ad oram libri *arcima*, cui favere videntur glossae vett.: *arcirma*, vel *arcirna*, ἁμαξίς. *Dac. Arcirma* v. l. *Quo homo gestari possit*, quod homo gestare possit. v. l. *Goth.*

Argeos. Varr. lib. VI. de L. L. (VII, 3, 90. p. 329.): *Argei fiunt e scirpeis virgultis. Simulacra sunt hominum triginta, ea quotannis a ponte Sublicio a sacerdotibus publice iaci solent in Tiberim.* Ovid. lib. V. Fast. (v. 621.):

Tum quoque priscorum vulgo simulacra virorum
Mitti roboreo scirpea ponte solent.

Tum, i. e. Idibus Maii. Adi locum. Vide et in *Sexagenarios. Dac.*

Arcere prohibere. Adde l. 2. §. 9. ff. de aqua pluvia. Unde Glossis ἐπέχω. Significat etiam petere, infra in *Noverca* et *Sagmina;* nisi legendum ibi est: *ercessebantur*, pro *arcebantur.* Nam glossis *Ercessere* καλέσαι; iisdem *arcessit* μετεκαλέσατο, ἐφώνησεν. *Abarcet* v. in *Abarcet.* — *Porcet* vide infra *Porcet.* — *Coercere continere.* Eo sensu coercere sumitur in l. unica §. 9. ff. de fonte. *Goth.* Cf. supra in *Arcere.*

Arcani sermonis. Ab *arca arcanus*, ut ab *oppido* oppidanus. *Arca* autem ab arceo. Varr. lib. IV. de L. L. (V, p. 131. Sp.): *Arca quod arcentur fures ab ea clausa.* Sive potius ab *arcere*, quia id veteribus erat continere. Unde et *arcus*, qui sine fulcris se ipsum continet. Eadem et *arcela.* Glossarium: *Arca, arcela*, κιβωτός, σωρός, κάμπτρα, λάρναξ. *Dac. Arcani.* Sive ab arce, sive ab Arcadibus, quod in excelsis montibus, similibus Romae, habitare soliti. *Goth.*

Arculum. Vide *Cesticillus. Ant. Aug.* Vide *arculata;* idem *cesticillus* dicebatur. *Dac.* Est deminutivum ab *arcus*, ut a *circo circulus.*

Arculus. De arculo deo nihil usquam legi. Infra pro: *qui tutelam gereret arearum*, nemo non videt legendum esse *arcarum.* (Ita in codd. nostris.) *Dac. Deus qui tutelam gereret arcarum.* Ea res movet, ut legendum sit *Areolus*, pro *Arculus;* nisi quis pro *arearum* legat *arcarum*, ut ab *arca arculus*, ab *area areolus* dicatur. *Goth.* Restituimus *arcarum*, ut Codd. nostri exhibent.

Arculata. Ab arculo i. e. circulo, qui fiebat ex virga, in modum coronae curvata, et a regina in capite gestabatur. Vide *inarculum. Dac.* In Isidoro *Sphaera. Goth.*

Arcula. Lego *Arciva.* Veteres Glossae: *Arcivus* εἰρκτικός, κωλυτικός. Et sane cum dictum sit hoc ab arcendo, *Arcivum* dicendum esse, quis non videt? *Scal.* Legendum *Arciva*, ut in veteri libro. Est enim ab arcendo. In auspiciis aves arcivae dicebantur etiam *cliviae*, quia difficilia dicebant *clivia.* Et *remores* a remorando et *inebrae*, sive *enebrae. Dac.* Lege: *Arciva dicebatur avis.* Inde *Arcivus* glossis κωλυτικός. *Goth.* Omnes Codd. consentiunt in scriptura *Arcula*, et quem dicat Dac. veterem librum, in quo legatur *Arciva*, ignoramus. Nobis *Arcula* eodem iure dici posse videtur *avis arcens*, h. e. prohibens, quemadmodum *Arculus* deus ab *arca.* Igitur non dubitamus, recte legi h. l. *Arcula.*

Asseres. Non est verum etymon: *asseres ab assidendo*, quamquam et propterea a Graecis viderentur στρωτῆρες dicti. Sed *axis, axeris*, ut *suis, sueris, Iovis, Ioveris, bovis, boveris, nucis, nuceris.* Ab *axeris asseris.* Nam *x* frequenter abit in *ss*, unde veteres indifferenter *cossare* et *coxare* dicunt. *Scal. Quod assideant parieti.* Hinc *Asseres* Graecis στρωτῆρες. Glossis δοκίδες, κοντοί, δοκοί. *Goth.* Vide quae supra diximus ad *Axamenta.* Adde Sanscritum *angs* quod partem, portionem significat, et *angçu*, quod radium (Strahl) denotat. Cf. Bopp. Glossar. Sanscrit. p. 1.

Assiratum. Monet dictum ab eo, quod *Assir* sanguinem vocabant. Glossarium: *Asser*, αἷμα. *Scal.* Ab *assir*, sanguis. Utitur Cato de R. R. cap. 33. *Daps Iovi assir a pecu in urna vini caste profanato sine contagione.* De potione autem e vino et sanguine Sallust. Catil. (c.22.): *Humani corporis sanguinem vino permistum in pateris circumtulisse. Dac. Assiratum.* Alii *Assaratum.* — *Genus potionis ex vino et s.* Eiusmodi potio in sacris fuisse videtur, teste Sall. in Cat., aut mos amicitiae firmandae. Quaedam enim gentes diffusum bracchiis sanguinem ex alterutro degustatum foederi comparabant, de quo v. Lucianum in Toxari, sive de amicitia; Val. Max. IX, c. 11. ubi de Mithridate; Tertull. in Apol. c. 29. Arnobius 8: *Hodie ab ipsis Latiaris Iupiter homicidio colitur; et quod Saturni filio dignum est, mali et noxii hominis sanguine saginatur. Goth.* Nullum extat gravius de Linguae Latinae vetustate testimonium, quam hoc vocabulum. Quis enim est, qui putet, hoc se posse verbum ex Graeca vel Germanica lingua deducere atque enucleare? Sola Sanscrita lingua conservavit etymon. Nam Sanscritum *asridsch* (nomin. *asrik*, gen. neutr.) *sanguinem* significat. Cf. Bopp. Glos-

sar. p. 24. et Bopp. Gramm. Sanscr. crit. reg. 203. Descendere videtur ab *as* et *ridsch*, ut significet, quod nutritionem corporis regit.

Ambrices. Addito *l* dicimus *lambris. Dac.* Inde Galli *Lambrices.* — *Regulae.* Alii *tegulae*, male. Nam et mox sequitur: *tegulis interponuntur. Goth.* Recte ambrices *regulae* explicantur, non tegulae; descendit enim vocabulum ab *am* sive *amb* praepositione et suffixo *rex*, quod a *regendo* derivandum. *Ambrex* igitur est quod circumquaque tectum regit, tegulasque tenet. Nisi forte a Sanscrita voce *ambu*, quae aquam significat, descendit, veluti *imbrex* ab *imbre* deducitur. Ceterum hoc voc. fortasse restituendum apud Plautum Milit. gl. II, 6, 24.

Quod meas confregisti ambrices et tegulas,

ubi vulgo legitur *imbrices.*

Antes. Glossarium: *Antes στίχοι ἀμπέλων. Antium, τάξεων, ὀρχάτων. Scal.* Ordines anteriores. Virg. Georg. II, (417.):

Iam canit effoetos extremus vinitor antes.

Ubi interpres: *Antes sunt extremi ordines in ingressu, qui et finis est laboris cum ad eum perventum est. Dac. Antae, quae sunt latera ostiorum.* Pilae sive columnae lapideae in lateribus ostiorum; quadras columnas exponit Nonius. (S. v. *Antes*, ubi idem Virgilii versus laudatur). Glossae: *Antae, παραστάδις*, et *παραστάδες*. Hesychio sunt: *πρὸς τοῖς τοίχοις τετραμμένοι κίονες.* Eaedem glossae: *antes*, pro *antae antes παραστάται. Idem.* Vide infra *antipagmenta. Goth.*

Ambitus. Varro de L. L. IV, (V, 4, 9. p. 32. Sp.): *Ambitus iter quod circumeundo teritur; nam ambitus circuitus; ab eoque duodecim tabularum interpretes ambitum parietis circumitum esse dixerunt. Dac. Ex quo etiam honoris ambitus.* Cum largitionibus et profusionibus iudices corrumpere conabantur, *ambitus* dicebatur; *ambitio* vero ipsum honoris desiderium. *Ambitus* re et actu perficitur, *ambitio* tantum in animo est, quamquam *ambitus* et *ambitio* invicem confunduntur et *ambitio* pro ipsa ambientis actione. *Ambitio* etiam extra omnem cupiditatem honorum est obsequentior popularitas et impensum studium captandae popularis gratiae, unde ambitiosi, supra modum erga subiectos faciles et indulgentes studio captandae popularis aurae. Cic. I. ad Quintum fratrem ep. 2, 2. *Qua de re, ac de hoc genere toto ne forte me in Graecos tam ambitiosum factum esse mirere, pauca cognosce. Dac. Ambitio.* Plaut. Amphitr. Prol. (75.):

Virtute dixit vos victores vivere,
Non ambitione neque perfidia.

Qui locus apprime notandus; ibi enim *ambitio* pro *ambitu*, id est pro ipsa actione ambientis. Quomodo et apud Sallustium alicubi. (Iug. c. 86.) *Idem. Ambitio.* Adde Varronem de L. L. IV, (V, 4, 9.) et Nonium in *Ambire. Goth.* Geminam hic manum agnoscere sibi visus est Dacerius, quum supra iam eadem exposita legantur, in voce *Ambitus*, eo adductus, nisi fallor, quia duo articuli coniunctim leguntur in vulgatis editionibus, qui tamen in Codd. et vetustis Edd. longo intervallo dirempti leguntur. Qua de caussa non possumus consentire Dacerio, qui supra Paulli, hoc autem loco Festi manum animadverti suspicatur. Videtur potius ipse Festus duabus ex rationibus duobus locis, ex alia alio loco, rem eandem tractasse.

Amnis. Ab *am* circum et *no* nato. Sed melius Varro lib. IV. (p. 44. Sp.) ab *am* tantum: *Amnis id flumen est, quod circuit aliquid; nam ab ambitu amnis. Dac.* Vide supra *Am. Goth.*

Ambiguum. Quod in ambas agi partes possit, et sic dubium sit. Virgil. (Aen. III, 180.):

Agnovit prolem ambiguam, geminosque parentes.

Dac. Vide l. 3. et passim ff. de rebus dubiis. l. 125. ff. de verborum significatione. *Goth.*

Ambrones. Quod ait de Ambronibus subita inundatione maris eiectos patriis sedibus fuisse, id ridet Strabo, qui eius sententiae auctorem facit Ephorum, quem hic sequitur Festus. Nam de Cimbris, quorum pars erant Ambrones, ita scribit: (VII, 292.) *Περὶ δὲ Κίμβρων τὰ μὲν οὐκ εὖ λέγεται, τὰ δ' ἔχει πιθανότητας οὐ μετρίας. Οὔτε γὰρ τὴν τοιαύτην αἰτίαν τοῦ πλανῆτας γενέσθαι καὶ ληστρικοὺς ἀποδέξαιτ' ἄν τις, ὅτι χεῤῥόνησον οἰκοῦντες μεγάλῃ πλημμυρίδι ἐξελθεῖν ἐκ τῶν τόπων ἠναγκάσθησαν. καὶ γὰρ νῦν ἔχουσι τὴν χώραν, ἣν εἶχον πρότερον.* Post: *Γελοῖον δὲ φυσικῷ καὶ αἰωνίῳ πάθει δὶς ἑκάστης ἡμέρας συμβαίνοντι παροργισθέντας ἀπελθεῖν ἐκ τοῦ τόπου.* Lege reliqua, quae sequuntur. Quod ait turpis vitae homines dictos inde Ambrones; idem invenies in Glossis Isidori: *Ambro*, inquit, devorator, consumptor patrimoniorum, decoctor, luxuriosus, profusus. *Scal.* Tamen Festo consentit Florus lib. III, c. 3. *Cimbri* (quorum pars Ambrones), *Teutoni atque Tigurini, ab extremis Galliae profugi, quum terras eorum inundasset Oceanus, novas sedes toto orbe*

quaerebant. Idem etiam eos alibi gentem vagam et praedabundam vocat. *Dac.* *Turpis vitae homines.* Glossae Isidori: *Ambro*, quod vide. *Idem.*

Antiae. Glossarium: *Antide*, κόμαι διὰ τῶν κροτάφων κρεμάμεναι γυναικεῖαι. Lege *Antiae.* Apud eundem auctorem: *Antiosa*, ὀρχήστρια. Aliae Glossae: *Antiae*, τρίχες αἱ μεταξὺ τῶν κεράτων τῶν βοῶν. Tertullian. de pallio: *Genuinos inter antias adumbratos. Scal.* Aliae Glossae: *Antiae*, προκόμιον. *Antiae* alio nomine *Capronae* dictae. Vide *Capronae. Dac.* Ἀντὶ (sic enim vulgo legitur) ἄντιον. *Goth.*

Amneses. Varr. lib. IV. de L. L. (V, p. 44. Sp.) *Oppidum Interamna dictum, quod inter amnes est constitutum. Item Antemnae quod ante amnem, qui influit in Tiberim.* Interamna oppidum in Umbria; item aliud via Latina in Samnio. Antemnae in Sabinis. *Dac.* Alii *Interamnenses* et *Amnenses.* Nihil mutandum censeo. Nam et Interamnae Latina vox est, Graecis μεσοποτάμιος. Sic Glossis *Interdia*, μέσον ἡμέρας. *Goth.*

Amtermini. Qui sunt illi, qui circa terminos provinciae manent? Aut quaenam ea est provincia? Vetustissimum verbum est *Amtermini;* provinciarum appellatio non ita vetusta res apud Romanos. Quid ergo hic dicemus? An mendo caret hic locus? Non, si quid in me iudicii est. Sed Festum ita scripsisse puto: *Amtermini qui circa terminos P. RO. viciniae manent.* Notum enim, quam corrupte notae illae legantur: *P. Ro.*, aliis Praetorem, aliis alia legentibus. Seneca Nat. Quaestt. lib. I. c. ult.: *Iam libertinorum virgunculis in unum speculum non sufficit illa dos, quam dedit pro se Scipio.* Lege: *Quam dedit P. RO. Scipioni.* — Intelligit per *Amterminos* eos, qui non erant in agro Romano, sed in vicinia. Cuius rei (modi?) agrorum genera quattuor ponit Varro: *Gabinum, Peregrinum, Hosticum, Incertum.* Qui enim in iis agris habitabant, erant Amtermini agri Romani. Quid est ager Romanus? Quicquid ambarvali vel amburbiali sacrificio uno die lustrari poterat. Arvales enim fratres seu sodales ad hoc creati erant, ut terminos agri Romani suovetaurilia circumferrent. Cuius rei imaginem praebebant patresfam. unusquisque in agro suo, cum fines fundi suovetaurilibus lustrabat. Cuius rei exemplum habes apud Catonem (c. 141.). Et allusit Virgilius: (Ecl. V, 75.)

— — *Et cum lustrabimus agros.*

Strabo: (V, 230.) Μεταξὺ γοῦν τοῦ πέμπτου καὶ τοῦ ἕκτου λίθου τῶν τὰ μίλια διασημαινόντων τῆς Ῥώμης, καλεῖται τόπος Φῆστοι. Τοῦτον δὲ ὅριον ἀποφαίνουσι τῆς τότε Ῥωμαίων γῆς, οἵτε ἱερομνήμονες θυσίαν ἐπιτελοῦσιν ἐνταῦθά τε, καὶ ἐν ἄλλοις τόποις πλείοσιν ὡς ὁρίοις αὐθημερόν, ἣν καλοῦσιν Ἀμβαρουίαν. Ergo fines agri Romani definiuntur amburvio, quod idem est cum ambarvali. Et notandum praecipue, quod dixit αὐθημερόν, ut designetur exiguus modus agri Romani. Porro primum Amterminos, qui postea *Amitermini*, dictos, id est ἀμφιτέρμονας, ut olim interpretati sumus. Sed Varro aliam assignat caussam. Non solum autem *Antermini* dicti sunt, sed et *Antermines*, quia etiam *termen* dicebant auctore Varrone. Cato in Originibus: *Oratorum Anterminum.* Errat Macrobius, qui divulse legit: *an terminum*, cum sit adiectivum *antermen;* unde *Antermines oratores. Scal.* Haec Scaliger acutissime ut omnia. Sed cum ait ambarvale et amburviale idem esse, peccavit imprudens; nam *ambarvale* erat quo circum *arva* hostiae ducebantur, quae et ideo *ambarvales* dictae. *Amburbium* vero seu *amburviale*, quo circum urbem. *Amburbio* urbs lustrabatur; arva et agri *ambarvali.* Et *ambarvale* ab *amburviali* sic aperte distinguit Servius: *Dicitur hoc sacrificium ambarvale, quod arva ambiat victima, sicut amburvale, vel amburbium, quo urbem circuit et ambit victima. Dac.* *Unde amiciri.* Certe hinc aliquid excidit et necessario legendum: *a praepositione am, unde amiciri.* Res est nimis aperta. *Idem.* *Amtermini.* Ampterminі; alii Amitermini; alii Antermines; alii Amtermones. *Goth.* *Amburbium.* adde supra *Amburbiales.* *Ambarvalia.* vide supra *Ambarvales.* *Idem.* *Provinciae.* Pop. Romani viciniae. Ita coniecit Scal., ut Amtermini fuerint non qui in agro Romano, sed qui in vicinia, puta vel Sabino vel peregrino vel hostico vel incerto. Ager vero Romanus, quidquid amburbiali sacrificio uno die lustrari poterat, cuius fines *amburbio* definiuntur. *Idem.*

Angiportus. Angustus portus, id est aditus in portum. Obscurius dictum est, nisi addas: *hoc est in domum.* Varro libro IV. (V, 146. Sp.) ab angendo et portu; et quinto (VI, p. 220.), quia in eo nihil potest agi. Festus: *portum pro domo in duodecim positum omnes consentiunt.* Et Ulpianus: *portus est conclusus locus, quo importantur et inde exportantur merces*, unde angiportum dictum est. Donat. in Adelph. (IV, 2, 39.): *Angiportum est angusta et curta via, quasi anguiportus. Alii quod inter portus sit locus angustus, hoc est inter domos. Ant. Aug.* Donatus ab *angue* et *portu*, angiportum quasi *anguiportum*, id est viam flexuosam in modum anguis. *Portus* enim antiquis viam significabat. *Dac.* (Legitur apud Donatum: Id est angusta via et curva, quasi anguiportus; ut *angitia* aut *anguitia.*) *Angiportus.* Glossis στενωπός. *Goth.* *Portus* nihil est aliud, nisi Germanorum *furth*, Graecorum ὅρμος, quod omnem aditum, ingressumque significat.

Angeronae deae. Glossarium: *Angeronia*, ἡ θεὸς τῆς βουλῆς καιρῶν. (Lege: τῶν βουλῆς καιρῶν)

Scal. Ab *angina* si sequimur Festum. Sed potius ab angendo ore; est enim Dea silentii. Solin. cap. 1. *Inter antiquissimas sane religiones sacellum colitur Angeronae, cui sacrificatur A. D. XII. Cal. Ian.; quae dea praesul silentii istius praenexo obsignatoque ore simulacrum habet. Dac. Cum angina.* Vel quod angores animi putabatur depellere. Macrob. I. Sat. Glossis *Angeronia, ἡ θεὸς τῆς βουλῆς κατὰ καιρῶν. Goth.*

Actus. Tragoediae pars ab agendo eadem ratione, qua Graecis δρᾶμα a δρᾶν, agere. *Dac. Modo iter inter vicinos.* Ab agendo, ducendo. Varro lib. IV. de L. L. (V, p. 37. Sp.) *Qua agebant actus, qua vehebant viae, qua ibant ab itu iter appellarunt. Iter* latum duos pedes, *actus* quattuor, *via* octo. *Idem. Minorem partem iugeri.* Iugerum ex Varrone et aliis est, quod quadratos duos actus habet; actus quadratus latus est pedes CXX., longus totidem. Actus igitur dici non potest minor pars iugeri. Cum iugerum maiorem actu partem non habeat. Lege igitur: *maiorem partem iugeri.* Nam iugerum habet etiam scrupulum, quod est decem pedes in latitudinem et longitudinem, quod est minima pars iugeri. *Idem. Modo motum corporis.* Actus in comicis et tragicis fabulis ea est actio, is oris et vocis habitus, is corporis motus, quo se agunt histriones in scena ad rem scenicam exprimendam. Vide *Agere. Idem. In Comoediis.* Nam scenici *agere* dicuntur. *Modo iter inter vicinos.* Hinc mirum videri potest, quare Iavolenus viae latitudinem legitimam fateatur, latitudinis (an *itineris*?) arbitrariam faciat; in lege: *certo generi* 13. §. latitudo. 2. ff. de servitutib. rusticorum praediorum. *In Geometria.* Idem Boethius II. de Geometria. Et Epistol. 38. *Goth. Actuosi.* Axitiosi, vide *Axitiosi. Idem.*

Auxiliares. Corruptus est in fine locus, atque ita dissimulata Festi sententia, ut vix ullum vestigium appareat. Scribendum: *dicti ex Graeco vocabulo αὔξη, a quo nos dicimus rerum crescentiam auctionem.* Quam haec eleganter dicta; contra quam adversetur Festi menti vulgata lectio, nemo non videt. Quin audeo affirmare, ne illud quidem *rerum* Festi esse. Quare expunge. *Scal.* Et auxilia, milites, qui a sociis vel foederatis gentibus mittebantur. Varro lib. IV. de L. L. (V, p. 92. Sp.) *Auxilium appellatur ab auctu, cum accesserant, qui adiumento essent alienigenae.* Neque tamen ab αὔξη immediate, ut voluit Scaliger, *auxiliaris.* Sed ab augeo, auxi, auxilium, auxilia, auxiliaris. Augeo autem ab αὐξέω. *Dac.*

Ausoniam. Lege infra *Auruncam*, ut et vett. Edd. habent. Suessa Auruncorum etiam apud Livium et alios dicitur, unde fuit Lucillius. Cuius Satirae propterea dicuntur Camenae Suessae, ab Ausonio ad Tetradium: (Epist. 15, 9.) *Rudes Camenas qui Suessae praevenis.* Ita enim legendum esse apud Ausonium, ostendimus in lectionibus nostris Ausonianis. Porro Glossarium vetus habet: *Aurunci, οἰκήτορες Ἰταλίας. Scal.* Beneventum et Cales inter urbes Ausoniae memorat etiam Livius. Ausonem autem Circes et Ulyssis alii, alii Calypsus et Atlantis filium dicunt. Vide Eustath. ad Dionys. *Dac. Aruncam.* Lege *Auruncam*, ut in vett. libb. et eam urbem intellige, quae a Sidicinis deleta fuit, cum eam Aurunci deseruissent, Suessamque confugissent, quae ab eo postea Aurunca est appellata. Liv. lib. VIII, 15. *Fama affertur Auruncos metu oppidum deseruisse, profugosque cum coniugibus ac liberis Suessam communisse, quae nunc Aurunca appellata, moenia antiqua eorum urbemque a Sidicinis deletam.* Vide supra *aurum. Idem.*

Alumento. (Ita enim vulgo.) Aio Festum in depravatos codices vetustissimi poetae Livii Andronici incidisse. Nam *Laumento* dixit Livius. Ita fere semper veteres Latini, etiam posteriores, ut Petronius: *Lauconte — gemina nati pignora Lauconte;* et *Lautumiae*, non *Laotomiae;* quod cognoscimus ex Seneca. Sic *Laudicea*, pro *Laodicea.* Plinius libro II. Epistolarum (14, 5.): Nam ibi Laudiceni dicebantur per iocum, non cives Laodiceae, sed qui laudes cani libenter audiebant; ut et iidem non inurbane vocabantur σοφοκλεῖς, non ut proprio nomine Tragici poetae, sed quia grande σοφῶς illis dicebatur a conductis et redemptis auditoribus. Ergo eodem modo *Laumento* pro *Laomedonte. Scal.* Optime monuit Scaliger, Festum in depravatos Livii Andronici Codices incidisse. Fortasse scripserat Festus *Alumeton* pro *Laomedon;* nempe transpositis litteris *a* et *l* et *d* mutato in *t.* Quod et doctissimo Meursio in mentem video venisse. *Dac. Melo pro Nilo.* Vide *Alcedo* et in *Melo. Catamitus.* Vide supra *Alcedo* et in *Catamitus. Goth.* Etiam Cod. Lipsiensis Paulli exhibet *Alumeto.*

Accensi. Vide *Adscripticii. Dac.*

Acerra. Glossarium: *Accepturaria, λιβανωτρίς. Acerra turaria* legendum. *Scal.* Nullibi acerram pro ara me legisse memini, nisi ita accipere lubeat in lege XII. tabb. *Unctura servilis tollatur omnisque circumpotatio; ne respersio, ne longae coronae,*[1] *nec acerrae.* Quod non placet. *Dac. Scilicet ubi thus reponebant.* Haec omnino delenda sunt, quippe quae ad explicationem vocis *thurariam* huc adiecta. *Idem. Alii dicunt arculam esse thurariam.* Unde Glossis Acerra, accepturaria, turibulum, et λιβανωτρίς. Turibulum vero alibi θυμιατήριον. *Goth.*

Apex. Cacumen pilei. Eum sic describit Servius: *Apex dicitur in summo Flaminis pileo virga lanata id est in cuius extremitate modica lana est. Dac. Unde aptus.* Virgilius: (Aen. IV, 481.)

— — — — — ubi maximus Atlas
Axem humero torquet stellis fulgentibus aptum.

Aptum id est astrictum, colligatum, connexum. *Idem.* Vide quae notavimus ad v. *Ape.*

Atanuvium. Glossae Isidori: *Attanabo*, genus vasis. Glossarium: *Atanulus*, ἅγιον ἱερέως σκεῦος, κειμήλιον. Lege *Atanuvius. Scal. Attanulum* ex Graeco ἄττανον, quod τήγανον significat, inde ἀττανῖται, panes et placentae. Inde denominativum *attanulum.* Unde *attanuvium* factum, eliquato lambda in iota, ut ex *simpulo simpuvium; ambuvia* ex *ambula* cet. Salm. in Solin. *Dac. Atanuvium.* Atavium. *Potitii.* Potioni. *Goth.* Hesychius: Ἄττανα, τὰ τήγανα.

Atroces. In Lib. m. est ἄτροκτα, pro *atrocia* (nos ἀτρώγια); et Latinis quidem litteris *atrocta. Fulv. Urs.* Lege: *quia illi ἄτρωκτα.* Vel Latinis litteris: *quia illi atrocta.* Facilis error; sed non parvi momenti. Sane ἀτρὼξ est purum putum Graecum; ἀτρὼξ, ἀτρῶγος, quod nondum maturum esui. In Glossario ita corrige: *Atrox*, δεινὸς, σκαιὸς, ἀνήκεστος. Atrocem vero pro crudo quod hic dicitur, veteres usurpasse, testis Naevius, qui dixit: *Simul exta porricerent atrocia ministratores. Scal.* Per metaphoram *atrox* ad animum transfertur, ut apud Horatium: (Od. II, 1, 24.) *Praeter atrocem animum Catonis*, id est, integrum, invictum, impavidum. Quo sensu aliquando etiam crudus. *Dac.* Vide Nonium in *Atrox*, crudum. *Goth.* Ut a *celer celox*, sic ab *ater atrox*, nisi primae syllabae quantitas obstaret. Quam licet multi obstare non putarint, nos tamen aliam verbi originationem circumspiciendum esse putavimus. *Ătri* Sanscrite dicitur hostis, quod vocabulum si Latine efformare velis, dicendum erit *ăter*, unde *atrox* derivatum, quemadmodum a *celer celox*, a *veles velox*, ac similia. *Atrox* igitur nativa significatione erit *hostilis;* unde reliquae notiones facile derivari possunt.

Auguraculum. Casula in loco editiori, specula sublimior patente in loco ad liberum aspectum capiendis auguriis ex volatu et cantu avium. Quod autem hic putat Paullus *arcem* recentiorem esse, ibi certe frustra est, ut ex veterum exemplis patet. Cic. III. de Off. (c. 16.): *Cum in arce augurium acturi essent augures.* Liv. lib. I. (c. 18.): *Numa deductus ab augure in arcem.* In arcem, hoc est *in auguraculum.* Tabernaculum etiam dicebatur. Cic. I. de Divin. (c. 17.): *Gracchus cum tabernaculum vitio cepisset imprudens.* Ibi enim *tabernaculum* nihil aliud est quam *auguraculum*, *arx. Dac.*

Arseverse. Ita versus Afranii legendus est: *Inscribat aliquis arse vorse in ostio.* In quo versiculo ostenditur superstitio veterum, qui ad deprecandum incendium inscribebant in ostio nescio quid, quod ad eam rem faceret. Plinius libro XXIIX. (c. 2.): *Etiam parietes incendiorum deprecationibus inscribuntur. Scal. Arse verse.* His vocabulis utebantur ad avertendum incendium. Neque *arse* averte, *verse* ignem cum Festo interpretor; sed contra *arse* videtur pro *arsisse*, et *verse* pro *verte*, i. e. averte. Nisi malis haec omnia ad arbitrium ficta, ut hodie fieri videmus ab his qui artes magicas tractant. *Dac.* Opinor versum Afranii esse ex eiusdem fabula *Incendio. Idem.* Alii notant proverbium esse ex Placido. Putant etiam nonnulli, Deos hac inscriptione rogatos, ut averterent *solem* aut *pluviam.* Malim tamen hoc de igne intelligere et id observatum maxime in insulis et ab earum custodibus. Plerique etiam ita conveniebant, ut insularis seu insulae custos ignem noxium solveret. *Goth.* Furlanettus in Lexico Forcellini derivat ab Hebraicis vocibus *haras* verto et *ésch* ignis. Nugae. Priusquam de Etruscorum lingua melius cognoverimus, nihil de his vocibus certi statui poterit. Memorabile tamen est, in Sanscrito sermone *artschis* flammam, et *vrit* vertere significare.

Aborigines. Hic Festus aborigines dicit pro *aberrigines*, antiqua consuetudine simplici *r*, et *e* converso in *o*. Cui sententiae favet auctor de origine gentis Romanae: *Alii aborigines cognominatos volunt, quod errantes illo venerint, primo aberrigines, post mutata prima littera, altera adempta aborigines cognominatos.* Sed utrique falsi sunt, nam aborigines sunt indigenae, αὐτόχθονες, qui ab origine in Italia fuerint nec aliunde advecti, ut ait Euripides de Atheniensibus, qui se etiam αὐτόχθονας gloriabantur:

Λαὸς οὐκ ἐπακτὸς ἄλλοθεν, αὐτόχθονες ἔφυμεν.

Dac. In agrum. Qui postea Latium vocatus est; et ipsi aborigines post Aeneae adventum cum Troianis permisti *Latini* dicti sunt. *Idem.* Dicti igitur quasi aberrigines, et a montibus, quos Graeci ὄρη, vel quod γενάρχαι, id est auctores generis. Nam et Glossis αὐτοχθονες. Vide Stephanum de urbibus. Sic origines Sallustio (Iug. 19.) sunt, quas Graeci μητροπόλεις vocant. Tametsi alias μητρόπολις in l. IV. §. 5. ff. de off. Proconsul. pro capite provinciae. Cuiusmodi urbem Ammianus matrem urbium, Curtius maiorem patriam vocat; eam autem rationem ad urbes reliquas habebat, quam metrocomia πρὸς κώμας. *Goth.*

Ab oloes. Oli pro olli, et olli pro illi; oloes autem illoes est, et pro illis accipitur Graeca terminatione. Vide *Loebesum* et *Ollic. Anton. Aug.* In lege Regia: *SEI. PARENTES. PUER. VERBERIT. AST. OLOE. PLORASSINT. PUER. DEIVEIS. PARENTUM. SACER. ESTO.* In hac lege *oloe* est *olli* vel *illi.* Nam E post in O, ut *Apello* et *Apollo.* Deinde non geminabant litteras. Postremo nominativi masculini plurales, qui postea in *i*, antea in *oe* desinebant. Sic in carmine Saliari: *PILUMNOE POPLOE*, hoc est, Pilumni populi; et *FASCINOE*, pro *Fascini. Scal.* Potest hic locus etiam ita accipi, quasi diceret τὸ *oe* pro *i* apud veteres usurpatum. Sic infra *Loebesum* pro *liberum; Loebertatem* pro *libertatem.* Vide infra *Loebesum.* Sic infra *Pilumnoe* et *poploe, fascinoe*, pro *Pilumni popli, fascini;* et alibi infra in Plorare: *ast oloe plorassint.* Sed verisimilius mihi fit, alio fine id a Festo dici, nempe ut ostendat, *oloes* pro *illis* dictum a veteribus tunc, cum abhorrerent a geminandis litteris; id quod sequentia satis ostendunt. Probantur autem evidentissime infra in *Ollic. Goth.*

Aventinus. Ab Aventino, XII. rege Albanorum. Liv. lib. I. (c. 3.): *Is*, Aventinus, *sepultus in eo colle, qui nunc est pars Romanae urbis, cognomen colli fecit.* Pluris nominis rationes affert Varro lib. IV. de L. L. (V, pag. 48. Sp.) *Aventinum aliquot de causis dicunt. Naevius ab avibus, quod eo se ab Tiberi ferrent aves. Alii ab rege Aventino Albano, quod ibi sit sepultus. Alii ab adventu hominum, quod commune Latinorum ibi Dianae templum sit constitutum. Ego maxime puto ab advectu; nam olim paludibus mons erat ab reliquis disclusus, itaque eo ex urbe qui advehebantur ratibus, quadrantem solvebant.* Haec Varro, et Varronis sententiam infra secutus Festus post *Noverca.* Locum adi. Idem Varro tamen in gente Pop. Rom. dicit, *Sabinos a Romulo susceptos istum accepisse montem, quem ab Avente Fluvio provinciae suae appellaverunt Aventinum.* Vide Servium in VIII. Aeneid. Caeterum Aventinus a Remo Romuli fratre *Remurius*, a Marciae Socordiae Deae sacello, Murcius, a Dianae templo collis Dianae dictus. *Dac.*

Adorare. Vide *Nec* coniunctionem. *Ant. Aug.* In leg. XII. tabb. *Si adorat furtum, quod nec manifestum escit, duplionem luito. Dac.* Vide Nonium in *Ador. Goth. Significat agere.* Quin et transigere. Vide in *Nec.* — *Oratores.* Vide aliud etymon in *Oratores. Goth.*

Armilustrium. Quo res divinas armati faciebant. Saltem debuit dicere *rem divinam.* In veteri Glossario: *Armilustrium*, ὁπλοκαθαρμός, ὁπλοκαθαρσία. Ego existimo centuriatis comitiis exercitum armatum lustrari solitum. Quod puto esse ex vetustissimo instituto Atheniensium, apud quos οἱ περιστίαρχοι comitium lustrabant; et ubicunque populus conveniret, id facere solebant. Unde id καθάρσιον vocabant. Sed Longobardus iste hic nobis rei vetustissimae cognitionem barbara mutilatione sua totam nobis intercepit. Neque credibile est, tubis in eo sacro canere solitos, sed classico. Aliter enim classes aut exercitus convocari non poterant, quod *vocare inlicium* dicebatur. *Scal.* Armilustrium fiebat XIV. Cal. Nov. in Circo maximo. *Dac. Armilustrium* Glossis ὁπλοκαθάρσιον. *Armilustra* vero ὁπλοκαθαρμός. Et alio loco: ὅπλων κάθαρσις, Armilustrum. *Goth.*

Adeo. Utramque significationem Glossarium amplectitur, ubi *adeo*, ἐπὶ τοσοῦτον, ἐπὶ τούτοις, καὶ προσέρχομαι. *Dac. Non quidem secundum rationem.* Cur hoc Festus sive Paullus secundum rationem neget fieri, non equidem video. Si enim praepositio *ad* accusativis accommodatur, accommodatur etiam adverbiis motus, ut *eo, quo, huc;* dicitur enim *adhuc*, pro *adhoc.* Terent. Adelph. IV, 4, (12.):

— — — *Sat adhuc tua nos frustrata est fides.*

Et *ad quo.* Afranius: *ut scire possis, ad quo te expediat loqui.* Ubi *ad quo* nihil aliud est, quam *ad quod*, ut nec *adeo* nihil aliud quam *ad id.* Neque enim *eo, quo, illo*, sunt accusativi plurales, ut male putavit doctissimus Sanctius in sua Minerva, quasi sit in accusativo *eos eas ea* vel *eo; illos illas illa*, vel *illo*, ut *duo* et *ambo. Dac. Quod usque eo.* Ea significatione τὸ *adeo* sumitur in l. 8. ff. de iurisdictione. l. 7. §. 6. ff. de pactis; sed et eadem ratione apud Nonium legitur *Ad quo*, pro in quantum. Et Glossis *Adeo*, ἐπὶ τοσοῦτον, ἐπὶ τούτοις. *Goth. Non quidem secundum rationem.* Hoc vult Festus, neglecta ratione particulam *Ad* in verbo *adeo* iungi alteri casui quam accusativo. *Idem.*

Argeo. Lege *Argei*, ex Varrone, Ovidio, Plutarcho et aliis. Glossarium: *Argiarra*, ἀφιδρύματα. Lege: *Argei, ara.* In lege Flaminia: *CUM. EAT. AD. ARGEOS. NEQUE. CAPUT. COMITO. NEQUE. CAPILLUM. DEPECTITO. Scal.* Varro lib. IV. de L. L. (V, 8, p. 51. Sp.) *Argeorum sacraria in septem et viginti partes urbis sunt disposita. Argeos dictos putant a principibus, qui duce Hercule Argivo venerunt, et in Saturnia subsederunt. E quis prima est scripta regio Suburana, secunda Esquilina, tertia Collina, quarta Palatina.* Nam distributa primum fuit urbs in quatuor illas urbanas tribus, per quas diffusi erant Argei per viginti septem sacraria. Unde in sacris Argeorum scriptum est: *primae regionis quartum sacrarium.* Liv. lib. I.

(21.): *Multa alia sacrificia locaque sacris faciendis, quae Argeos pontifices vocant, Numa dedicavit.* Vide Ovid. in Fast. (III, 791.):

Itur ad Argeos, qui sint sua pagina dicet.

Perperam hos Argeos confundit Beroaldus cum Argeis, hominum simulacris, de quibus supra. *Dac.*

Asparagus. Melius Varro de L. L. IV. (V, p. 107. Sp.) *Asparagi quod ex asperis virgultis leguntur, et ipsi scapi asperi sunt, non leves, nisi Graecum. Illis quoque enim dicitur ἀσπάραγος.* Sed et ἀσπάραγον Hesychius interpretatur: τὸ ἐκ τῶν ἀκανθῶν φυόμενον τραχύ. (Ubi vide interpp., quorum aliqui pro τραχὺ legendum suadent βλαστόν, sive βλάστημα.) *Dac.*

Assidelae. De iis nihil apud alios scriptores legisse me memini. Apud Isidorum tantum legitur: *Adseda, sella quadriiugis.* Et eadem fortasse, quae *adsidela;* ut *turba, turbela. Dac.* Sic a *custodia custodela.*

Anceps. Quod ex utraque parte caput habet, ut securis. Respicit locum Plauti Menaech. V, 2. (105.):

Faciam quod iubes; securim capiam ancipitem atque hunc senem
Exossabo, dein dedolabo assulatim viscera.

Pro anceps dictum fuit *ancipes*, quasi *ancapes*, ut *concapes* in leg. XII. tabb. Quod probat a capite potius oriri, quam a capiendo, contra Festi sententiam. Hinc Gloss. *anceps* δικέφαλος. *Dac. Captatur;* capiatur. *Goth.*

Ancus. Qui Latine *Ancus*, is a Graecis γαλιαγκών. Meminit et Glossarium: *Ancus, Mancus,* κυλλὸς, λορδός. *Scal.* Inde Ancus Martius rex dictus. *Dac.*

Ancillae. Sane, quia primum dictae *Anculae.* Argumento Dii illi, quibus nomen *Anculi* et *Anculae*, tanquam ministri quidam. *Scal.* A Graeco ἄγγελος, *minister* veteres Latini fecere *angulus*, *anculus*, ut a Σικελὸς *Siculus.* Gloss. Isidori: *Anculus, ministerialis domus regiae.* Inde *anculari*, ministrare et *ancillari*, diminutive. Unde *ancilla. Dac. Dii et Deae Anculi et Anculae.* Ii quasi reliquorum deorum ministri, ab *anculare* dicti, quod est ministrare. *Goth.* Descendit fortasse a Sanscrita radice *antsch*, quae significat colere, venerari, unde derivatur *antschīla*, propr. veneratio, deinde manuum implicatio ad venerandum. Nisi forte *Ancilla* ab *am* praep. et *cellere*, celeriter movere, deducendum, eademque ratione dicatur, quemadmodum Graecum ἀμφίπολος.

Ancaesa. Quasi *incisa.* — *Caelata;* celata. Ut et in l. cum aurum 19. §. Infecti. vers. an celati ff. de auro. *Caelare.* Hinc caelatura in l. 13. ff. de cond. furt. *Goth.*

Aerosam. Ut aerosa Cyprus, sic aerosa pecunia in l. 102. ff. de solutionibus; ubi dixi. Unde et Glossis ἰκτερικὸς, auriginosus, ab auri colore; et *aurosus*, πολύχρυσος. *Goth.* Cf. Forcellini Lex. v. *Aerosus.*

Aenesi. Qua analogia hoc vocabulum procusum sit, dicere non habeo, neque quicquam adnotaverunt ad h. l. interpretes. Fortasse vera significatio longe est alia, quam quae tradita est a Paullo.

Aenatores. Romae et in castris longe diversissimus tubae et cornu usus, vel aeneatorum vel cornicinum. Romae aeneatores Comitia Tributa convocabant, cornicines centuriata. In castris ad tubicinem milites tantum movebantur, ad cornicinem etiam signa. Et cum in militem animadvertebatur extra portam decumanam; ut et Romae, exercitus seu comitia Centuriata convocabantur, cum in caput civis Romani animadvertebatur, deducebaturque reus per Exquilinam portam. Unde classicum dictum, quod nonnisi classes et exercitus per cornu evocarentur. Glossarium: *Classicarii,* σαλπισταί. Ergo aeneatores vocat cornicines, quod, ut ait Varro ex aere fieri coepta, quae antea ex cornu animalis. Graeci tam cornicines, quam aenatores uno generali nomine vocant σαλπιστάς, Latini buccinatores. *Scal. Aenatores;* pro aeneatores; ab aere enim *aerineus*, per syncopen *aeneus*, *aenus*, et *aënus.* Aenatores Cornicines, quod, ut ait Varro lib. IV. de L. L. (V, p. 122.) *ea quae nunc sunt ex aere, tunc fiebant ex bubulo cornu.* Verum post tubarum inventionem Romae et in castris diversus aeneatorum atque cornicinum usus. *Dac.* Gloss. σαλπικταί. κυμβαλοκρουσταί. *Goth.*

Aenariam. Campaniae littori obiectam insulam, ab Aeneae statione sic dictam. Plin. III, 6, 12.: *Aenaria ab statione navium Aeneae, Homero Ἰναρίμη dicta, Graecis Pithecusa, non a simiarum multitudine, ut aliqui existimavere, sed a figlinis doliariorum.* Sed haec perabsurda; neque enim Homerus Inarimen dixit, licet ita Virgilius, Ovidius et alii quique inferiores poetae, sed disiunctis vocibus εἰν Ἀρίμοις. Et ab Aenea non diceretur *Aenaria*, sed *Aenearia*, vel potius *Aeneia*, et a doliis *Pithusa.* At a simiis est *Pithecusa*, ut in Africa *Pithecusa*, de quibus Diodorus lib. II. Sic hanc insulam Pithecusam a Cercopibus dici volunt in simias a Iove mutatis et deinceps illo translatis. Vide Cercopa. Quin et Aenariae vel Enariae potius nomen eodem refert Servius lib. VIII. Aeneid. *Inarime nunc Enaria dicitur et, quia in eam ad contumeliam simiae missae sunt, quas Graecorum lingua ἄῤῥινας id est enares dicunt, ob quam causam Pithecusam etiam vocitant.* Nempe ut *simius* dicitur quia *simus* est; ita *Enaris* quia *sine naribus.* Enaris ut *elumbis*, *elinguis.*

Itaque ab Enaribus, id est simiis, Ἠναρία, Enaria scribendum, quomodo legere est in Plutarchi Mario. Neque alio pertinet tertium huius insulae nomen, Ἄριμα apud Homerum, si ἄριμος est πίθηκος, simia, ut Strabo et Hesychius tradunt. Utut sit, vocabulum est a Phoenicibus translatum, nam Hebraeis *harum*, *harem* vel *harim* est *simus*, et Arabibus *harm* est *simitas*, et *harima* verbum primae inflexionis *simum esse*. Ut optime doctissimus Bocartus in Geographia sacra. *Dac.*

Audacia. Inepte Festus. Audacia enim ab *audeo*, quod ab *aveo* inserto *d*, ut a *gaveo*, *gaudeo*. *Dac.*

Aceratum. Nonius: *Aceratum* est lutum paleis mixtum, ut laterariis usus est. Lucilius lib. IX.:

Lateres qui ducit, habet nihil amplius; nam quam
Commune lutum a paleis, coenumque aceroso.

Ubi nemo non videt legendum esse *coenumque aceratum*. *Dac.* Vide in *Acus*, palea; et in *Obacerare*; Nonium in *Acerosum*. *Goth.*

Aclassis. Glossarium: *Aclassis*, λῶματα. Vide *Calassis*. *Scal.* Eadem et calassis dicta, a Graeco χάλασις, laxatio, quod non consuta, sed laxa ab humeris nodo dependeat. *Acalassis* autem puto pro *amcalassis*, ab *am*, circum. Sed et *anclasses* in MS. scriptum fuisse docet Vossius, manifesto pro *ancalassis*, anclassis. Glossarium: *aclassi*, λῶμα. Corrige *aclassis*. Et recte *aclassim* exponit λῶμα, id est *luma*, quod ab Isidoro exponitur quadrum sagum. Quod in quatuor partes divisum ab humeris laxum penderet, neque fibulis ullis astringeretur. *Dac.*

Arilator. Melius scriberetur *Arrilator*. Non enim ab *ara*, sed ab *arra* dictus. Est enim, qui empturiens data arra postulat sibi credi. Unde a cunctando *Cunctio*, seu *Cuctio* dictus. Nam veteres Cuctum, quod postea *cunctum*. Hoc genus hominum *Barguigneurs* vocant Galli ab antiqua appellatione, quae ad posteriora etiam Latinitatis tempora duravit, nempe *Bargenna*. De quo alias. Glossarii auctor sequitur vulgarem scripturam: *Arilator*, ἐψέτης, βωμοφόρος, πραγματεύτης. Idem *Arilator*, μεταβόλος, ἀρχ. hoc est ἀρχαϊκῶς. Glossae Isidori: *Arilator*, cocio, μεταβολεύς. Apud Gellium (XVI, 7.) *Arulator*, de quo in voce *Cocio*. *Scal.* *Arilator* pro arcilator; veteres enim non geminabant litteras. Et *arulator*, ut *maxumus*. *Dac.* Aliis *Ariblator*. Glossae: *Dardanarius*, *Cociator Arilator*. De *Dardanario* quod dicat, magnam lucem affert legi 6. ff. de extraord. criminib. — *Qui etiam Cocio*. Ita in quibusdam Glossis. Aliis *Cociator*, aliis *Coctio*. Vide in *Coctiones*. Aliis Cunctio et Cuctio. — *Αἴρε* (sic) alii ἄρε. *Goth.*

Artitus. Ab *arte* artitus; centum puer artium, diceret Horatius. Glossarium: *Artitus*, πάντεχνος, δαίδαλος. *Artitus* item *validus*. Nam ἀρετὴ robur, ut Latinum virtus. Plaut. Asin. III, 2, (18.):

Ubi saepe causam dixeris pendens adversus octo
Artitos, audaces viros, valentes virgatores.

Ubi male quidam *astutos*. *Dac.* πάντεχνος, πανδαίδαλος Glossis. *Goth.* Apud Plautum legendum videtur *artutos*, ab *artubus*.

Arnae caput. Glossarium: *Arna*, μήτηρ, κατὰ βάῤῥωνα. Supplendum: ὄϊς μήτηρ. Male quidam hic *agnae* legunt. *Scal.* Ex hoc loco apparet, mutilum esse hunc Festi locum, adeoque legendum: *Arnae caput, agni matris caput*. *Dac.*

Arsineum. Cato Origine VII. *Mulieres opertas auro purpuraque, arsinia, rete, diadema, coronas aureas, russeas fascias, galbeos, lineas, pelles, redimicula.* Glossarium: *Arsinum*, διάκριμα. *Scal.* Non satis constat, quale ornamentum fuerit. In vett. Gloss. exponitur διάκριμα, *discerniculum*. Unde suspicari licet, ornatum fuisse, quo capilli in duos ordines discriminabantur, quod fiebat vitta, pectine et acu, quae inde discriminalis dicta est. In MSS. Festi scriptum erat *arnesium*, quod nihili est. Vide *Ruscum*. *Dac.*

Artus. Proprie nodi et membrorum commissurae, a Graeco ἄρθρον, amisso ρ, ut a λέκτρον *lectus*. Antiqui pro *artus* dicebant *artu*, unde in plurali *artua* Plaut. (Menaechm. V, 2, 102. Cf. Nonius p. 191.) *Dac.*

Arquites. Qui arcu pugnant. Glossarium: *Arquites*, τοξόται. Ii veteribus *arcutes* dicti. Gloss. *arcutis*, ὁ τοξότης. *arcutes*, οἱ τοξόται. Et *arcites*. Glossae Isidori: *arcites* sagittarii. Sic ab *armis*, *armites*, ὁπλῖται, qui *armutes*, ut a *flexus*, *flexitis* et *flexutes* equites. *Dac.* Vide Cuper. Obss. I, 7. et quae notavimus de forma *Axites*, in v. *axitosi*.

Arbilla. *Arvina* seu *Arbina* non est quaevis pinguedo, sed sevum tantum. Glossarium: *Arvina*, λίπος ἄνευ σαρκός. Haec enim est definitio sevi. Est autem Siculum verbum. Hesych. Ἀρβίνη, κρέας, σικελοί. Legendum fortasse στέαρ non κρέας. *Scal.*

Artifices. Hic histriones intelligit Festus, quos κατ' ἐξοχὴν artifices dictos fuisse creditum est. Ab *arte* autem artifex, non vero, ut Festus sive Paulus, quod opera artent, vel quod scientiam per artus

exerceant. Neque artifices potius histriones dicti sunt, quam tibicines, medici, pictores, sutores et alii. Quin etiam *artifices* ab histrionibus distinguit Plautus in prol. Amphitr. (69.):

Sive qui ambissint palmam histrionibus,
Seu quoiquam artifici.

Ubi male Lambinus, qui putat Plautum idem dicere. Ibi enim artifex dicitur unus eorum, qui modos fecere; posset etiam unus e machinariis intelligi, sed prior explicatio magis placet. De medicis et sutoribus Varro lib. IV, de L. L. (V, 95.): *Artificibus maxima caussa ab arte, id est ab arte (ars; id est ab arte) medicina ut sit medicus dictus, a sutrina sutor.* De pictoribus idem lib. VIII. (VIIII, 464. Sp.): *Pictores Apelles, Protogenes, sic alii artifices non reprehendendi.* De tibicinibus Ovid. lib. VI. Fast. (663.):

Adde quod aedilis pompam qui funeris irent,
Artifices solos iusserit esse decem.

Qua ex caussa etiam antes. Potius ἀπὸ τῆς ἀρετῆς per syncopen; vel a Siculo ἀρετὶς pro ἀρετή. *Dac. Artifices.* L. 12. §. 42. ff. de instructo. l. 31. ff. de solutionibus. opponitur officio artificium in l. 65. §. 1. ff. de Legat. 3. *Goth.*

Arytenam. Apud Lucillium *arutenae*, cum ait: *Arutenas et aquales*, ut citat Charisius. Glossarium: *Atena*, εἶδος ποτηρίου ὀστράκου, ᾧ οἱ Πρυτάνεις ἐν ταῖς θυσίαις χρῶνται. Legendum *Artena.* Nam et *artenam* solere dici, hic quoque monet Festus. Eam *Matulatam* vocat idem Glossarium. *Scal.* Graecis ἀρυταίνα ab ἀρύω *haurio.* Aristoph. in Equit. (v. 1091.):

Τοῦ δήμου καταχεῖν ἀρυταίνῃ πλουθυγίειαν.

Ubi Scholiastes notat arytaenam fuisse vas aereum, quo oleum in lychnos infundebant. Quidam vas balnearium esse dicunt. Vide Pollucem. *Dac. Ab hauriendo.* ab ἀρύεσθαι. *Goth.*

Amsegetes. Leg. XII. tabb. *Amsegetes viam muniunto; si via immunita escit, qua volet, iumentum agito. Dac. Quorum ager.* Quorum seges. *Goth.*

Amites. Glossarium: *Amites*, στάλικες, ἰξευτικοὶ κάλαμοι. *Scal. Ames* furcula qua rete suspenditur. Horat. Epod. II, (33.): *Aut amite levi rara tendit retia, Turdis edacibus dolos. Dac.*

Ampendices. Ampedices. Melius ex MSS. *Ampendices. Dac.* Vide Nonium in *Appendix.* Sic substituti dicuntur praecedentis appendices institutionis. l. 35. ff. de acq. vel om. *Goth.*

Ablegmina. Albegmina Lege *Ablegmina.* Sunt partes, quae diis porriciebantur, quae propterea dicebantur prosiciae et prosecta, tanquam separata quaedam a reliqua visceratione. Id enim est *ablegere*, imitatione Graecorum, qui dicunt ἀπολέγειν. Ergo *Ablegmina*, ἀπολεγμοί. Apud Plautum *Ablectas aedes* in Mostellaria. (III, 3, 3.) Neque enim mendum est, quod putant doctissimi viri. *Ablectae aedes*, ἠθετημέναι. Et quasi essent pro derelictis. Sententiam meam adiuvant Isidori Glossae. *Ablegmina*, inquit, *partes extorum, quae prosegmina dicuntur.* Sed Tertullianus elegantissime *ablegmina* circumlocutus est his verbis: *Non dico quales sitis in sacrificando, cum enecta et tabidosa quaeque mactatis; cum de opimis et integris supervacua quaeque truncatis, capitula et ungulas; quae domi pueris vel canibus quoque destinassetis.* Quae verba etiam Homericum ὠμοθετεῖν explicant. *Scal. Albegmina.* Ablegmina. Quae quod Diis porricerentur, porriciae et prosecta et prosegmina. Prosiciae Glossis αἱ τῶν θυμάτων ἀπαρχαί. *Goth.*

Ambulacra. Plaut. Mostell. II, 2, (132.): *Viden' vestibulum ante aedes hoc? Et ambulacrum quoiusmodi?* Et *ambulatio* pro *ambulacro* Catull. (55, 6.): *In Magni simul ambulatione. Dac.* Glossis *Ambulacrum* διάστημα, περίπατος, quod et uno in loco *ambulatio*; alio *Interspacio*, ubi male *intercaptio. Goth.*

Amian. Piscis huius incrementum singulis diebus cernitur. Plin. (VIIII, 15, 19.) Hesychius: Ἀμία, ἰχθύς, ubi male quidam pro λαμία esse dubitant. Eustathius ait, *amiam* esse ab *a* privativo et μία, quod nunquam sola per aequora currat, sed cum sociarum numero. *Dac.* Al. *Amio.* Isidoro 12, 6. quod Samo capiatur. *Goth.* Adde interpp. ad Hesychium. Etiam Cod. Lips. exhibet *Amian.*

Ameria. Oppidum in Umbria viminibus et virgis eiusmodi flexilibus abundans. Virg. I. Georg. (265.):

Atque Amerina parant curvae retinacula viti.

De *Amiro* sive potius *Amerio* nihil me legisse memini. *Dac.*

Adsipere. In meis Glossis Isidori: *Consipit, saporem habet.* Tertullianus de pudicitia: *Fermentum modicum totam desipit conspersionem.* Active posuit. *Scal.* Vide in *Insipere. Resipere* etiam videtur a sapiendo deductum, quod significat *redolere.* Cic. lib. II. De Nat. Deor. (c. 17.): *Minimeque resipiens patriam;* ita enim legendum, non ut habent vulgatae editiones: *respiciens.* Idem mendum irrepsit in verba Varronis, quae sunt apud A. Gellium lib. III, 4. Sic enim totus Varronis locus legendus: *Neque tamen dubium est, quin ista et*

quae scripta a Plauto non videntur, et nomini eius addicuntur, veterum poetarum fuerint, et ab eo retractata expolitaque sint, ac propterea resipiant stilum Plautinum. Pro *resipiant* in vulgatis est *recipiant. Ful. Urs. Adsipere* pro *adsapere* verso *a* in *i*, ut in compositis solet. Sic a *taceo conticeo*, a *quaero inquiro*. Inde Gloss. Isidori: *consipit, saporem habet.* Sed ista omnia nihil ad hunc Festi locum. Ait Festus: *ut ab aequo iniquus* cet. Ergo legendum: *Adsipere et praesipere dicebant antiqui a saepiendo.* Nihil certius. Antiqui adsipere et praesipere dicebant ut consipere. Vide *Consiptum. Dac.*

Admissivae aves. Quae faventes propositum nostrum nos iubent persequi, et consilium nostrum suo garritu vel volatu faciunt ratum. Admittere enim proprie est *sinere fieri.* Terent. Eun. IV, 6. (23.): *Sed tu quod cavere possis, stultum admittere est. Dac. Iuberent. Iuvarent. Goth.*

Adulari. Locus suspectus. Nonius canum esse proprium affirmat, unde ἀπὸ τῆς οὐρᾶς fortasse origo nominis tracta est, quod canes accedendo et adludendo cauda mota blandiantur. *Ant. Aug.* Puto legendum: *Adulari est compositum ex ad et ludendo.* In Glossario: *Adol*, αἰνδελεστις. Lege: *Adolatus*, δελεασθείς. In manuscriptis exemplaribus legitur *adolari* pro *adulari.* Neque temere in multis aliter scriptum reperias. *Scal.* Sane non video quid velit Paullus, cum *adulari* ex accedendo et adludendo dicit esse compositum. Non male *adolari* simplici *l* pro *adollari* dictum sit quasi ad ollam ire, ollam sectari, quod parasitis solenne. *Dac.* Verbum descendit a Sanscrita voce *tulâ*, *similitudo*, notatque proprie *se similem facere, assimilari*, unde blandiri, assentari.

Addubanum. Lege *Ad dubienum, ad dubium.* Ut ab alio alienus, a socio socienus, sic a dubio dubienus. *Scal.* Vett. libb. *Addubanum dubium*, qua re motus Scaliger legendum pronunciavit *addubienum ad dubium.* Sed amplius de hoc loco deliberandum existimo. Imo et temere fecit Scaliger. Recte enim *Addubanus*, sive potius *Abnobanus* Danubius dici potuit a monte Abnoba, unde prorumpit, circa ducatum Wirtembergensem. Forsan et *Addubanus*, non Danubius, sed is fluvius sit, qui Graecis Ἀδούας, quique ex Adula monte fluens in partes interiori vicinas Galliae Larium implet lacum et inde exit in Padum. Nam in Glossar.: *Adubanus*, Ἀδούας. *Dac.* Potest et ita legi *Ad dubenum*, pro *ad dominum.* Vide infra *Dubenus. Goth.* Verum vidit Gothofredus. Locus ita restituendus: *Ad dubanum, dominum.* Quum enim interpretamentum sic scriptum exstaret in Paulli codice: *domn*, fuere, qui lineola in o priore altius producta *dbmn* vel *dvmn*, legerent *dubium*, alii, qui *Danuvium* et *Danubium* inde facerent, uti ex *Antehac* fecerunt *Anacreon.* Vide quae Otto meus in Varr. lectt. de hac re dixit, a quo tamen mihi dissentiendum est, quum ex voce *Dubenus* quae infra legitur, appareat, antique pro domino dictum esse *Dubanus* et *Dubenus.* Verosimile est, hanc formam vocabuli Oscam esse vel Sabinam.

Adulter. A praepositione *ad* et *alter.* Nam *a* in compositione vertitur in *u.* Male quidam *adulterium* quasi *ad alterum torum;* adulter, adulterium. Inde adulterina signa, quae alienis annulis sunt facta. Et adulterini nummi, adulterinae staterae, adulterinum testamentum cet. *Dac.*

Aquilus. Glossarium: *Aquilum*, μέλαν, ὡς Λουκίλλιος. Varro κοσμοτορύνῃ, περὶ φθορᾶς κόσμου:

Atque Aegeus fluctu quam lavit ante aquilo,
Saevus ubi posuit Neptuni filius urbem.

Aquilum fluctum, μέλαν ὕδωρ, poetae. *Scal. Aquilus color.* Medius inter album et nigrum. Sed male Festus ab aqua dictum putat, cum sit ab aquila, quod et innuit Plaut. Rudent. II, 4, (8.): *Eia corpus quoiusmodi? Subvolturium illud quidem, subaquilum volui dicere.* Aquila autem, ut optime Caninius, a Cyprio *agor.* Hesychius: Ἀγὸρ, ἀετὸς, Κύπριοι. *Agor*, *r* mutato in *l agol, agul, aqul*, aquila. *Dac. Album et nigrum.* Ab his enim duobus pendent reliqui. *Goth.*

Aquilo ventus. Optime Caninius a Graeco ἀκιρός. Hesychius: Ἀκιρός, βοῤῥᾶς. *P* in *A* ἀκιρός, ἀκιλός, aquilo. *Dac.* Adde Nonium. *Goth.* Non. pag. 50. in *Ventorum proprietates.*

Anquirere. Ab *an circum* et *quaero.* Cic. Tuscul. V, (c. 4, §. 10.): *Studiose ab his siderum magnitudines et intervalla anquirebantur.* Anquirere etiam verbum est forense. Liv. lib. 36, (c. 3.): *Cum tribunus bis pecuniae anquisisset, tertio capitis se anquirere dicebat.* Ubi pecuniae et capitis anquirere est, ad populum ferre de multa et capite alicuius. *Dac.*

Andron. Graecis ἀνδρών. Infra pro *viri plurimi* quidam habent *plurimum*, male. Cum in androne plurimos homines habitasse dicit Festus, ita innuit amplum domicilium fuisse, ut erat. Hesychius: ἀνδρεών, ὁ μέγας οἶκος. *Dac.* Vide Vitruvium VI, 6. *Goth. Ut gynaeceum.* Vid. Tit. Cod. de murilegulis et gynaecearis et procuratoribus gynaecii. Is locus Graecis quoque γυναικωνῖτις. Glossis: *Muliebrum* γυναικεῖον. *Idem.*

Apud et penes. In eo differunt, quod *apud* custodiam tantum, *penes* vero dominium comprehendat; et penes se rem habet qui eam omnino possidet, ut dominus. Apud se habet, qui eam ut depositarius tenet. Ulpianus: *Penes te amplius est, quam apud te. Nam apud te est, quod qualiter qualiter a te tenetur; penes te est, quod quodam modo possidetur.* Verum apud Iurisconsultos et alios auctores plerumque confunduntur. *Dac.* Vide Nonium in *Apud. Goth.*

Anxur. Placet vetus editio: *Axur.* Nam certissimum est ex Servio, veteres ita dixisse, ob Iovem imberbem, sive ἄξυρον, qui ibi colebatur. Et in nummo argenteo Pansae ab uno latere: *IOVIS. AXUR. VIBIUS. C. F. C. N.*, ab altero: *PANSA. Scal.* Volscorum oppidum, quinquagesimo milliario ab urbe distans. Liv. lib. IV, (59.): *Anxur fuit, quae Terracinae sunt.* Idem Plinius. Terracina autem Graecis Τραχινή, a loci asperitate. Strabo lib. V. *Dac. Ennius: Vulsculus.* Lib IV. Annal. Sed ibi *Volscus*, non *Volsculus. Volscus perdidit Anxur. Idem.*

Aquarioli. Sic proprie dicebantur qui aquam meretricibus ministrabant, qua se post venerem abluerent. Glossarium: *Aquarioli*, βαλλάδες; nam βαλλὰς a βάλλων ὕδωρ, ab aqua iaciunda. Inde postea lenones et stupri conciliatores *aquarioli* dicti. *Dac.* Tertull. in Apologet. 43. *Primi erunt lenones, perductores, aquarioli.* Iidem Glossis βαλλάδες, et alio loco *Baccariones. Aquarii* Iuvenali, ut et Gallis τῷ *M.* praefixo. *Sordidi asseclae.* Unde Glossis *Baccario*, πορνοδιάκονος, *Goth.*

Aquipenser. Scribitur et *acipenser.* Horat. Sat. II, 2, (46 sqq.):

— — — — — haud ita pridem
Galloni praeconis erat acipensere mensa
Infamis.

Vulgo vocatur *sturio*, *estourgion.* Quamvis an aquipenser sit *sturio* dubitari certe possit, cum aquipenser sit marinus tantum, sturio vero et marinus et fluviatilis. Sed de hoc apud Horatium. Aquipenser autem ab acumine rostri dictus. *Pesnum* enim antiqui dicebant acutum. Inde *aquipesner* primo, postea *aquipenser* et *acipenser. Dac. Aquipenser.* Ita Glossis. Alii *Accipenser. Goth.*

Apellinem. Ut *hemo* pro *homo*, *agelum agolum. Dac.* Cf. Hesych. v. Ἀβέλιον, ibique interpp. Creuzer. Symb. II, 167.

Aperta. Imo *Aperta* lingua Tarentina, quae magna ex parte Aeolensis fuit, ἀπερώτα, hoc est ἠπειρώτης, quod transmarinus Deus sit et peregrinus. Nam regiis temporibus ignotus erat Apollo Romanis, ut ex Pontificiis libris Arnobius refert. Cuius rei fidem facit nomen Apollinis Graecum. Si enim antiquitus Romanis notus fuisset, peregrino eum nomine non designassent. At Venus peregrinum quoque numen, nomen autem Romanum, sed ita ut peregrinum significet. *Venus* enim a veniendo, quasi dicas προσήλυτον θεόν. *Scal.* Pacuvius in Armorum iudicio:

Apertai fatur dictio si intelligas:
Tali dari arma, qualis qui gessit fuit,
Iubet, potiri si studeamus Pergamo.

Dac. Cortina. A Graeco χόρτος, *gramen*, unde septum rotundum, quia χόρτῳ gramine in orbem signabatur. Et inde vocabulum nostrum *la court.* Inde etiam locus, unde dabantur Apollinis oracula, *cortina. Idem.* Vide quae scripsi II. ad Herennium in versu: *Apertae fatur dictio. Goth.* Rhetor. ad Herenn. II, 26. ubi vide quae notavi. Cf. Voss Etym. in v. *Aperio.*

Abditivi. Glossarium optimum vetus: *Abditivus*, ἀποσπασθείς. *Abdere* enim contrarium τῷ *indere;* quare non immerito pro *abortu. Scal.* Optime abditivus, abortivus, quamvis sine exemplo. Gloss. *Abditivus*, ἀποσπασθείς, abstractus, avulsus. Optime ex unico Plauti loco in argumento Poenuli:

Sed illi seni qui mortuus est filius,
Unicus qui fuerat olim abditivos a patre,
Puer septuennis surripitur Carthagine.

Dac. Abditivus qui et avulsus Glossis et ἀποσπασθείς, quasi Abeditivus, aut male editus. Eadem ratione *subditiva* Arnob. V. non tantum mystica, sed supposita. Glossis *subditivus* ὑποβολιμαῖος, id est suppositicius et subditicius et ὑπολογιμαῖος. Est etiam qui h. l. legit *Abactivi*, a partu abigendo, ut in l. 4. ff. de extr. crim. l. 8. ff. de sicariis. l. 39. ff. de poenis. Abductivi. *Goth.*

Ape. Glossarium: *Ape*, κώλυσον. *Apet*, ἀποσβεῖ. *Scal.* Ab antiquo *Apeo*, prohibeo, compesco. *Dac.* Distinxerunt viri docti inter *Apeo* prohibeo, et *Apio* prehendo, unde *aptus*, ligatus. Mihi non ita videtur. *Apere* tertiae coniugationis verbum descendit a Sanscrita voce *áp*, quae significat *adipisci*, *nancisci*,

attingere. Graecis inde ἅπτω, Latinis *apio* et *capio*, unde *opiscor*, *adipiscor*, *aptus.* Fuerit igitur *Ape* id quod *tene*, deinde *retine* κώλυσον; *Apit* retinet, compescit. Ceterum cf. Voss. Etym. v. *Apio.*

Apua. Ἀφύην Graeci dicunt, sed Latini tenui pro aspirata utuntur, ut in aliis. Vide *Album. Ant. Aug.* Plin. XXXI, 8. *Apuam nostri, Amphyn* (lege ἀφύην) *Graeci vocant, quoniam is pisciculus e pluvia nascitur.* Meminit Aristoph. in Equit. (645.):

Οὐπώποτ' ἀφύας εἶδον ἀξιωτέρας.

Ubi Schol.: *Apua pisciculus minutissimus, qui ex limo concrescit et vivit, naturae miraculo, nullius cibi indigens, sed alter alterum lingendo pascitur. Dac.*

Abs. Certe hic frustra est sive Festus sive Paullus, qui sine ullo exemplo *abs* Latinum a Graeco ἄψ dixit proficisci, eo tantum inductus, quod ambo eodem modo desinerent. *Abs* addito *s* est a praepositione *ab*, quae a Graeco ἀπό. Res notior est, quam ut exemplis debeat probari. Quod infra legitur, *abs* significare retractionem in partem posteriorem, id ab Hesychio: Ἄψ, πάλιν, εἰς τὰ ὀπίσω. *Dac.* *Ab, abs, a*, in compositis aliquoties *au*, descendunt a Sanscrita praepositione *ava;* contra Graecorum ἀπὸ ab eiusdem sermonis praepositione *apa.* Cf. Bopp. Gramm. crit. Ling. Sanscr. reg. 111. Ceterum comparetur *obs* in *obscenus*, aliisque.

Apollinares ludos. Qui fiebant III. Nonas Quintil. Eorum origo ex Cn Martii carminibus petita, quae legere poteris Liv. lib. XXV, 12. *Dac.*

Apiculum. Veteres Grammatici aiunt, *Flamines*, quasi *filamines* dictos, quod cum ipsis capite nudo in publicum prodire fas non esset, apicem pone regerebant, et filo velati incedebant. Quid sit autem *filum* Livius explicat, cum dicit *velamentum lanae* esse. Ergo hi Grammatici mihi quidem non probant etymon suum. Non enim *flamen*, quasi *filamen* dictus est; sed tamen, cum haec dicunt, morem priscum circa cerimonias flaminis nos docent. Quae cum ita sint, non dubito legere: *Apiculum filum, quo flamines velati apicem regerunt.* Pone enim regerebant apicem, ne gravis esset summis aestatis caloribus. Amentis enim, quae offendices dicebantur, sub mentum adductis religabant, ut cum vellent, regererent et pone pendere permitterent. Nam duarum rerum necessitate semper obstrictus erat Flamen, nunquam nudo capite in publicum prodeundi, ac nunquam apicem dimittendi. Hoc enim est caput ex lege Flaminica: *SINE. APICE. SUB. DEIVO. ESSE. NEC. FAS. ESTO. IN. TECTO. UTEI. LUBET. LICETO.* Ergo cum filo propter aestus diei velati erant, apicem tamen gestabant; sed non in capite, uti diximus. Possumus tamen vulgatam lectionem tueri. Nam certum est, eos velamenta gestare solitos, quae *Flamea* vocabantur. Dionysius: Οὓς (Flamines) ἀπὸ τῆς φορήσεως πίλων τε καὶ στεμμάτων, ἃ νῦν ἔτι φοροῦσι, φλάμεα καλοῦντες, οὕτω προςαγορεύουσιν. Mihi prior coniectura magis placet. *Scal.* Sed nihil agit vir doctissimus, nam certum est, laneum illud filum, quo totus apex sive virga apicis velabatur, *apiculum* a veteribus dictum fuisse. *Dac.* *Velatum apicem gerunt.* Nunquam sine apice sub dio, aut in publico. Nunquam sine apice, sed tamen propter aestum, pone regerebant. *Goth.* Cf. infra ad v. *Flamen Dialis.*

Abacti. Magistratu depulsi, deturbati. Gloss. *Abacti, aposthentes, repulsi. Dac.* Ut abacti magistratus qui per vim depositi; ita in iure abactus venter. Paul. 4. sent. 9. §. aborsus (qui Graecis ἐγκυμονούμενος 31. Eclog. 6.) qui per vim eiectus, dicitur. Ad eundem modum oves abactae, porci abacti l. 3. ff. 3. de *abigeis.* abacti caballi Cassiod. 8. Varior. 32. nam ut saepius vis in abigeatu admittitur l. 1. §. 3. ff. de abigeis. *Goth.*

Agere. Modo significat iurgari. Ut: *agit cum eo furti.* Etsi ibi *agit* non tam *iurgatur*, quam *furti actionem intendit.* Nam *iurgari* de rebus levioribus dicitur. *Dac.* *Quin etiam si accessit gestus.* Vide *actus. Idem.* *Id est minare.* Dixi supra in *Agaso. Goth.* *Agit cum eo furti.* Vide legem 25. et passim ff. de furtis. — *Indicare.* iudicare. *Idem.* Locus Virgil. est in Eclog. IX, 24.

Abgregare. Abgregare et segregare non tam ex pluribus gregibus, quam ex grege seorsum ducere. *Cum apud antiquos opes.* Quia veteres pecuariam exercebant, ita ut omnis earum copia in pecore consisteret, ut ex Sacris Litteris et Homero ipso notum. Inde fit, ut hodieque et *pecunias* et *peculia* dicamus. Vide *Pecunia.* Inde etiam *opes* pro divitiis, quod antiqui oves *opes* dicebant. Unde *opulentus*, πολύμηλος. Varr. lib. II. de R. R. cap. 1. *De antiquis illustrissimus quisque pastor erat, ut ostendit Graeca et Latina Lingua et veteres poetae, qui alios vocant πολύαρνας, alios πολυμήλους, alios πολυβούτας, qui ipsas pecudes propter caritatem aureas habuisse pelles tradiderunt. Dac.* *Abgregare* Glossis ἀπαγελάζειν, διαχωρίζειν. — *Egregius* idem infra *Exgregiae.* — *Ut Pecunia* idem in *Peculatus.* Vide etiam infra *Peculium. Goth.* Pro *ut adhuc* coniecit *unde adhuc* Bondam. Varr. lectt. II, 12, p. 283.

Acetare. Sic *subicitare, inicere* et similia. *Scal.* Veteres pro *g* scribebant *c*, ut *pucnando, leciones, Carthacinenses;* et *e* pro *i*, ut *exemet*, pro *eximit; navebus, acetare* et similia. *Dac.* *Acetare* pro *agitare* ac proinde *c* in *g* mutatur propter affinitatem et cognationem inter se; ut in κυβερνήτης, gubernator; κώβιος, gobius. Vide Priscian. lib. I. Ea re fit, ut cum agitandi hic mentio fiat, pro *Acetare* legendum putem *Acitare*, non Acetare. *Goth.*

Autumnum. Non est dubium dictum a veteribus sine *c*, ut Autor pro Auctor. Ergo Autumnus pro Auctumnus. *Scal.* Auctumnus ab auctu, quod tunc augeantur opes. *Auctumnitas* auctumni tempestas. *Dac.*

Agedum. Particulae paragogicae *dum*, quae imperativis adiungi solet, respondet Graecorum δή, ut ἄγε δή, ἰδοῦ δή; estque adiuncta adverbiis *nunc, cum, cunque*, quemadmodum apud Graecos ἦ, ἤδη, πῆ, ᾗ, τῇ, coniunctae sunt ac sibi respondent.

Aulas. Aula mutato *au* in *o*, *ola*, addito *l olla*, ut *cauda, coda.* Varro: *Sed ut canis sine coda.* Infra *aulicoqua exta*, in MSS. *aulicoctia.* Forsan pro *aulicocita*, nempe a *coquo coctum* et *cocitum*, ut a *faveo fautum* et *favitum*, unde favitores Plauto (Amphitr. prol. 79.). *Dac.* Alii *ollicoctia exta.* Vide *Extaris aula* Plauto (Rud. I, 2, 47.). Et Glossis: *Extar olla*, ubi exta coquuntur. *Goth.*

Avidus. Inepte. Vide supra *avere. Dac.*

Aureliam. A sole *Auselii*, origo dura. Forte (Fortasse) ab aureo sole. Nam *aurum* dicebant *ausum* Sabini. Sic a Corneo Cornelius, a Cereo Cerelius. *Ant. Aug.* Aurelia gens plebeia Sabinis oriunda, nobilis tamen et consularis et triumphalis, tribus distincta cognominibus, Cottae, Orestae et Scauri. A sole dictam vult Festus, Auseliam, Aureliam, ut Valesii, Valerii. *Sol* etiam Sabinum verbum. Varro lib. IV. de L. L. (V, pag. 73. Sp.): *Sol, vel quod ita Sabini, vel quod solum ita lucet, ut ex eo dies sit.* Alii Aureliam ex aureo sole, nam aurum Sabini dicebant *ausum. Dac. Ex hoc Auselum.* Quidam putant veteres *Sal* pro *Sole* dixisse; aliique Ausolii; et Ausolia familia a Sole denominata fuisset. *Goth.*

Aemiliam. Eam tamen Plutarchus in Numa a Mamerco, Numae regis filio, unde et Aemilii a gentis principe *Mamerci* et *Mamercini* dicti sunt. Alii ab Aemilio Ascanii filio. Interpres Virgilii ad illud: *Progeniem sed enim* (Aen. I, 23.): Gentem, inquit, Aemiliam ab Aemilio Ascanii oriundam, ex qua Scipio Aemilianus fuit, qui Carthaginem diruit. *Dac.*

Aerumnulas. Ut ab ἐλαμένη vel ἠλαμένη *lamina* et *lamna;* ita ab αἰρομένη *aerumina, aerumna. Scal.* Hanc vocem hodie non invenies apud Plautum. De mulis Marianis vide suo loco. *Itaque aerumnas.* Ut partus dolores Plaut. Amphitr. I, 2. (25.):

Pater curavit uno ut foetu fieret;
Uno ut labore absolvat aerumnas duas.

Dac. *Aerumnulas. furcillas.* vide infra *Furcillas. Retulit.* Reponit. *onerosos.* oneroso. *Αἴρειν*, inde aerumnulae. *Goth.*

Aemidum. Et Glossarium: *Aemidus*, πεφυσημένος; manifesto παρὰ τὸ αἷμα. Glossae Isidori: *Aemidus, tumidus, inflatus. Scal.* A copia sanguinis, qui Graecis αἷμα. *Dac.* *Tumidum.* Alii *timidum.* Ego *uvidum* pro *humidum.* Tametsi *Aemidum* quidam παρὰ τὸ αἷμα, ut inflatum significet. *Goth.*

Aequidiale. Glossae: *Aequidiale* ἰσημερινόν. *Aequinoctium*, ἰσημερία. Sic et meridiem de media nocte dixere veteres. Varro Marcipore: *Repente noctis circiter meridiem. Dac.* Alii: *quia nocti dies potius, quam nox diei* adnumeratur. Vide quae scribam ad l. more Romano. 8. ff. de feriis; et Gellium lib. III, 2. *Goth.*

Aeruscare. Aeruscatores, quos Graeci ἀγύρτας, et μητραγύρτας vocant, etiam Aesculatores dicebantur. Glossarium: *Aesculator*, χαλκολόγος. *Scal.* χαλκολογεῖν, id est νομίσματα συλλέγειν Hesych. Nummi enim minimi pretii *aera* dicebantur. Graecis χαλκοί. *Dac.*

Aequilavium. Isidorus quoque in Glossis: *Aequilotium, aequatio. Scal.* Male quidam *aequilanium.* Aequilavium est aequatio, cum id quod lavatur, ad dimidium decidit. *Dac.*

Aegeum mare. Varro lib. VI. de L. L. (VII, 308. Sp.): *Aegeum dictum ab insulis, quod in eo mari sic scopuli vocantur, a similitudine caprarum.* Nam caprae Graecis αἶγες. Alii ab Aegeo Thesei patre nomen inditum tradunt, ut Plutarch in Theseo, Hygin. fab. 43. Verius, qui a loco quodam Euboeae, qui Graece αἶγαι, Eustath. ad Dionys. periegeten, ibi Neptunus equos statuit. Homer. Iliad. XIII, (21. 34.):

Αἶγας, ἔνθα δέ οἱ κλυτὰ δώματα βένθεσι λίμνης —
Ἔνθ' ἵππους ἔστησε Ποσειδάων.

Vide Eust. ibid. Et Strabonem lib. VIII. *Dac.*

Aestimata. Haec multa est, ut Gellius notat lib. XI, 1. Et Festus verbo *Multam* et *Ovibus* et

Peculatus. *Ant. Aug.* Certa multa aeris secundum aestimationem eius rei propter quam indicta est. *Dac.* *Decussi.* Decussis nummus aereus decem assium, minori seu priori denario Romano par pretio. Turonicorum denariolorum quadraginta duorum, trium Francicorum solidorum cum dimidio. Ergo centussis nummus aereus centum assium, Francicorum solidorum triginta quinque. *Idem.*

Allucinatio. *Alucinari*, *allucinari*, et *hallucinari* scriptum reperias. *Allucinari* quasi *adlucinari*, ad lucem offendere. Quod de iis dicitur, qui nimia luce oculorum acie perstricta minus vident; sic *oblucinasse ob* vel *ad* lucem errasse. Vide suo loco. Verisimilius tamen est, quod docuit eruditissimus Scaliger, *allucinari* esse ab ἀλύσσειν; *allucinatio* est ἀλύκη, χάσμησις, ut Hesychius exponit, id est, hiatus, quia frequenter oscitationes oboriuntur eis, qui simili tenentur languore et anxietate animi. *Dac.* Alii *Hallucinatio*. Est enim *hallucinari* Nonio aberrare, et Gellio XVI, 12. Hallucinari ἐκ τοῦ ἀλύειν, quod Glossae etiamnum confirmant. Non tamen necessario requiri aspirationem in hoc vocabulo, ut et in multis, Gellius scribit II, 3. *Goth.*

Adigas. Verbum *dare* videtur adiectum. *Urs.* Puto legendum: *Adigas*, *ad rem cogas.* Nam ut ineptum esset, putare verbum *Adigere* esse *cogere dare;* ita Latinissimum scimus esse *Adigere* ad aliquid cogere, ut *Adigere aliquem arbitrum; adigere aliquem ad iusiurandum*, ἐπάγειν ὅρκον. Et melius veteres Glossae: *Adegit* προσωθησεν. Potes et legere: *Adigas adire cogas.* Quod verissimum putamus. *Scal.* Alii *valde cogas.* Constat enim τὸ *ad* ἐπίτασιν addere, ut in *Adfabre*, *Adprime*, v. 7. Gellii 7. Hinc illa in iure: *ad iusiurandum adigere.* l. 8. in fin. ff. de in ius vocando. *Iure iurando adigere.* l. 31. ff. qui et a quibus. l. adigere iureiurando 6. in pr. et §. 3. ff. de iure patronatus. *Goth.*

Acies. Nunquam ab ἀκόνη formabitur *acies.* Sed ab ἀκή, vel ἀκίς, cuspis ferri, a quo etiam *acus*, *acuo*, *acumen.* *Dac.* Omnibus his et reliquis ex eadem stirpe vocabulis subiacet Sanscrita vox *agra*, quae cuspidem notat, et *agras*, *agra*, *agram*, quod Graecorum adiectivo ἀκρός respondet. *Auxilla.* Glossarium: *Auxillae*, μικρόπτερα, ὡς Βάῤῥων. Ab eo autem *ollae* dictum, ut ab *axilla*, *ala.* Sic *Axilites* pro *Alites.* Glossarium: *Anxilites*, ὄρνιθες, οἰωνοί. Scribendum *Axilites.* Qui error non est librarii, sed ipsius auctoris, quod apparet ex ordine litterarum. *Scal.* *Aula*, *anxilla*, ut *palus*, *paxillus.* Sed frustra est doctissimus Scaliger, cum huc traducit locum illum Glossarii: *auxillae*, μικρόπτερα ὡς Βάῤῥων. Neque enim ista conveniunt μικρόπτερα cum *ollis.* Sane corrupte legitur in Glossario *auxillae*, rescribendum *avicellae;* avicellas enim μικρόπτερα, i. e. parvas aves dixit Varro, non *auxillas.* Locus est lib. 7. de L. L. (Lib. VIII, pag. 450.) *Dac.* Negat tamen Varro l. c. recte dici *avicella*, pro *avicula*, quemadmodum nec *capitellum* dici consueverit, sed *capitulum.*

Amputata. Putare proprie est vacantia et inutilia auferre, excidere, ita ut id tantum relinquatur, quod sine vitio. Sic vites et arbores putatae dicuntur, cum id quod nocebat ablatum est. Virg. II. Georg. (407.):

— Et curvo Saturni dente relictam
Prosequitur vitem attondens fingitque putando.

Amputata igitur est circumputata. *Dac.* *Unde deducuntur pudor et pudicus.* Male; nam a *pudeo*, *pudicus*, *pudor*, ut ab *amo*, *amicus*, *amor.* *Idem.* *Purum pro puto.* Vide in *Putus.* *Goth.*

Appia. Quae ab urbe Brundusium usque lapidibus strata erat, ab Appio Claudio exstructa. Appia simpliciter dicta Horatio (Serm. I, 5, 6.):

Minus est gravis Appia tardis.

De aqua Appia ab eodem Claudio in urbem introducta meminit Cicero in Coelio. *Dac.* *Appia via.* De qua vide Livium IX. (29.) *Appio Claudio.* De quo vide l. 2. §. postea cum Appius. ff. de origine iuris *Goth.*

Ariminum. Urbs vetus intra viam Flaminiam et Aemiliam, Umbrorum colonia, portum habet *Ariminum* et fluvium cognominem. Strabo lib. V. (p. 217.) Plin. *Ariminum Colonia cum amnibus Arimino et Aprusa.* *Dac.*

Animula. *Aminula* Scal. Dac., qui haec notavit: Male in ora scriptum fuit *Animula.* Sed legendum esse *Animula*, tanquam deminutivum ab anima, intelligitur ex Philargyr. ad Virg. Georg. II, 125. — Cf. quae notavi ad Plauti Milit. glor. III, 1, 53. Codices meliores omnes in hac scriptura consentiunt, etiam apud Plautum. *Animula* pro var. lect. affert *Goth.*

Arca. Hinc in iure *arca aerata* vel camerata in l. 19. §. 5. ff. locati lapidea. l. 7. §. 1. ff. de religiosis. *frumentaria*, *alearia.* l. 1. ff. de numeris. Inde arcarii in l. 1. Cod. de excusat. artif. et Titul. Cod. de susceptoribus praepositis et arcariis. *Goth.*

Alebria. Glossarium: *Alebrius*, εὔτροφος, θρεπτός, τροφεύς. Pro θρεπτὸς male hodie θρεμβὸς in Glossario. Isidori Glossae: *Alebra, bona quibus alimur. Alibre, alimentum.* Diomedes lib. I. Per genitivum sic, cum ab persona ablatum quid significatur, veluti ab oratore accepi; a re alebri Ciceronis intellectum est. *Scal.* Ab *alendo*, ut *aletudo*, infra. *Dac.*

Agasones. Glossarium: δοῦλος κτηνεσσία. Lege: δοῦλος ἐπὶ κτήνεσσιν. *Scal. Minandi* verbo pro agendo vel pro ducendo utitur Paullus; nam Festi usum ignoramus. Sic paullo post *Agere, ante se pellere, id est, minare.* Et verbo *inigere* utitur in eadem significatione vetus interpres sacrorum librorum; et una littera mutata Itali omnes *menare* dicunt. *Ant. Aug. Agasones* equorum vel asinorum ductores Tarentinorum lingua. Nam Tarentinorum proprium est, simplicia verba per paragogen producere, ut ab ἄγω, duco, ἀγάζω, ἀγάζων, agaso. Sic ab κναίω, scalpo, κνάζω, κνάζων, unde *cnaso*, acus qua mulieres caput scalpunt. *Dac. Minantes.* Vox *minare* posterioribus saeculis usurpata est pro *ducere*, unde Itali *menare*, Vascones *mena.* Antea pro *minari.* Quare haec Paulli sunt, non Festi. *Idem. Agazones.* L. ult. ff. si quadrupes. Glossis *Equilio* et ἱπποκόμος. *Minantes.* Est frequens verbum (minare) Hieronymo et legibus Langobardorum, Burgundionum, Alemanorum, sed et legi Salicae. Ad eam normam Apuleius *prominare* dixit. Et Ammian. ad Paulum I. sentent. 17. *actum* interpretatur, qua pecora minare consuemus. Et in Ausonii versu de Myronis bucula (Epigr. LXVII, 2.): *Ageret iuvencas cum pastor domum suas, suam relinquens me minabat ut suam. Goth.*

Arcubii. Ostendere conatur Doederlin. Synon. II, pag. 162. non ex *arce* et *cubare* compositum esse vocabulum, sed ex antiqua praep. *ar* pro *ad* et *cubare*, ut *accubii* (*accubiae*, ut vetus habet lectio) potius sint intelligendi. Iam Vossius Etym. s. v. lectionem *arcubii* commemorat. Nos ex praestantissimo Cod. Gu. II. restituimus.

Armillas. Ab armis. Armi autem humerorum cum bracchiis commissura, Graecis ὁρμὸς compages. Armillas autem ex auro militarium virorum ornamenta fuisse, et in sinistris gestari solita, vel ex Sabinis illis notum est, qui Tarpeiam virginem clypeis obruerunt, cum illa eis portas prodidisset. Vide Flor. I, 1. *Dac.* Alia significatione sumuntur *Armillae* in l. 25. §. 10. ff. de auro. Dicitur etiam Glossis *armellum*; inde glossis *Armillarius*, Ψελιοποιός, et *Armilium* σκεῦος ψέλιον ἀνδρός. Brachionarium. Iisdem ψέλλιον, viriola et armilla. Unde illa duo armillae et viriolae iunguntur in l. 25. ff. de auro. *Arma.* Vide *Arma. Goth.*

Abalienatus. Proprie qui alienus factus est, ἀπαλλοτριούμενος; improprie vero remotus, id est, quem quis a se removit, unde non male in Glossis: Ἀπαλλοτριῶ, removeo. *Dac.* Glossis *Abalienat*, ἀπαλλοτριοῖ. *Abalienata*, ἀπαλλοτριωθέντα. Sic in l. 8. ff. de alienat. iudicii mutandi, iudicii mutandi caussa abalienare. Et in l. 38. in fin. ff. de leg. 3. praedia abalienare dicitur. Adde infra *Alienatus.* (Scilicet alteram huius scholii partem, quae incipit a v. *alienatus*, infra collocarunt secundum litterarum ordinem editores.) Adde legem *Alienatum.* 67. ff. de verborum significat., Ciceronem in Topic. *Goth.*

Asserere. Lege: *quae in terram demittuntur.* (vulgo enim *dimittuntur*). Id explicavimus ad Varronem de R. R. Nam quod Varro dixerat *deseritur*, glossema appositum est: *Demittitur in terram.* (Vide Annotatt. in Varron. de R. R. pag. 206.) *Scal.* Vide *Sertorem. Ant. Aug.* Verbum *manu* videtur adiectum. Et paullo post pro *dimittuntur* legendum fortasse *demittuntur. Ful. Urs.* Proprie appropinquare, adiungere, maritare. Ut adserere vitem ulmo, est vitem maritare. Varro lib. I. De R. R. *Neque propter eos ut adserunt vites.* (cap. XXVI.) hoc est, neque propter eos ordines ita asseruntur arbores, ut asseruntur vites ulmis maritandis; quae propterea dicuntur assitae vites. Hinc adserere manum vel manu dicuntur vindices, qui manum admovent, manu prehendunt, ut in libertatem vindicent. *Dac. Adserere est manum admovere.* Sic MS. *Asserere manum est admovere.* Vulgat. Inde enim *Assertor* qui manum alicui asserit eius educendi gratia e servitute in libertatem. Vide infra *Sertorem.* Et Glossis *Adsertor*, καρπιστής, εὐεργέτης. *Adsertio*, καρπιστία. Alii ita legunt: *Adserere est admovere. Goth.*

Arvum. Ab *aro.* Varr. lib. I. de R. R. cap. 29. *Seges quod aratum satum est; arvum quod aratum, nondum satum. Dac.* Glossis *Arva*, ἄρουρα, γῆ, χώρα, πεδία. *Arvum*, γεωργία, γῆ σπορίμη; unde *Arvipendium*, σχοῖνος γεωμετρικός. *Goth.*

Apica. Ovis quae ventrem lana nudum habet. Varro lib. II. de R. R. (cap. 2. p. 65.): *Ovem collum et ventrem pilosum habere oportet. Quae id non haberent maiores nostri apicas appellabant ac reiiciebant.* Apicus a Graeco ἀπεῖκος, ab α privativo et πεῖκος vellus, lana. *Dac.*

Ae syllabam. Notum est in veteribus monimentis AIMILIOS scriptum esse. Item in libris. *Scal.* Huius rei ratio ex lingua Sanscrita explicanda est. Nam in lingua Sanscrita diphthongi *ae* (*ê*) et *ai* ita sunt inter se cognatae, ut ex euphoniae legibus *ae* per gunam saepe transeat in *ai;* dativus autem communem ha-

beat terminationem *ae* et *ai;* quod ipsum transiit in linguam Latinam, ita ut haec terminatio in prima declinatione ad genitivum et locativum transierit, communisque facta sit genitivi, locativi et dativi. Prisca autem et nativa genitivi Latini terminatio in prima declinatione *âs* fuit, quae in formulis *pater familias* aliisque similibus remansit, quae eadem genitivi Sanscriti est formatio.

Auceta. In MSS. erat *aucata*, unde doctissimus Vossius legit *auctata*, ab *auctare*, id est saepe augere. Forsan *aucita*, i. e. *aucta*, ut a *caveo cautum* et *cavitum*, unde *cavitiones* Festo; sic ab *augeo auctum* et *aucitum*. *Dac.* Lectionis varietas: *auata*, *aucata* orta est ex male intellecta veteri scriptura; ut veram esse vulgatam *auceta*, dubitari nequeat. Rem recte exposuit Dacerius, nisi quod *auceta* veram esse formam, non *aucita*, statuendum est. Quemadmodum enim *Acetare* dixerunt pro eo, quod serioribus est *agitare*, sic *aucetum* pro *aucitum*, vel *augitum*.

Abercet. *Abarcet.* Gloss. *Abarceo*, ἀπείργω, repello. *Dac.* Vide *Arcere.* *Goth.*

Advosem. Glossarium: *Advores* ἐναντίοι, ἐπιβουλεύων. *Scal.* *Advorsus* extrito *r advosus*, a quo *advosis*. Sed dicebant etiam *hic advorsis* et *hoc advorse*, *hic advosis* et *hoc advose*. Perperam igitur quidam legendum putarunt *advostem*. *Dac.* Fortasse legendum *advorsem* vel *adversem*. *Goth.*

Axe agglomerati. Lege *axes* vel *axei*. Vide *Ambaxioqui*. Infra *id est cohortibus*. More Graecorum pro cum cohortibus, αὐταῖς σπείραις, et σπείραις tantum. *Dac.* *Axes* vel *axei*. *Goth.* Cf. quae diximus ad vv. *Axites*, *Axitiosi*, *axamenta*. Adde haec. *Angçu* in lingua Sanscrita *radium*, *Angça* partem portionem significare; ex quibus intelligitur *Axe* nihil esse aliud, nisi ablativum vocis *axis*, quae proprie *sectionem*, *sectum* vel *lineam* significet. Igitur *axe agglomerati* haud dubium est, quin denotet id quod Francogalli dicunt *en colonne*.

Aeramina. *Aerumaeruma.* Veteres editiones *Aerumaeruma*. Lego *aerumina;* quae dicta sunt, ut Graece χαλκώματα, ἀργυρώματα, χρυσώματα. Eo enim nomine intelligunt Graeci aenea, argentea, aurea utensilia. Melius tamen legeretur *Aeramina*. *Scal.* Vetus liber: *Aerum aerum autensilia*. Verendum est, ne una dictione legendum sit *Macraerumina*, vel *Macrae rumenta*, ut sint in vasis aeneis maiora. Glossis *Aeramenta* χάλκωμα. *Aerementa* χαλκώματα. *Goth.* Equidem legendum censeam: *Aeramentum*, *a*, *utensilia am*. Hoc est *Aerumentum*, *aeramenta* cet.

Avolant. *Avolant*, *evolant*. Avolare, praecipiti cursu auferri. Virgil. IX. (Aen. XI, 712.):

> *At iuvenis vicisse dolo ratus avolat ipse;*
> *Haud mora, conversisque fugax aufertur habenis.*

Idem alibi evolat lib. VII. (387.):

> *Evolat; et natam frondosis montibus abdit.*

Et lib. IX. (477.):

> *Evolat infelix.*

Dac. Nimirum *Avolant advolant* in Paulli oratione scribendum. Dictum videtur *Avolant* ex assimilatione litterarum, ut sit *avvolant* pro advolant, quemadmodum Pacuvius in Chryse: *Aiutamini et defendite*, pro *adiutamini*. Cf. Nonius pag. 74. Nisi forte legendum videatur: *Arvolant advolant*, quo Codd. ducere videntur.

Astassint. *Adstassent.* Locus mendosus. Legendum videtur: *Adstassint*, *steterint*. *Scal* Sed, retinendum *adstassent*, nec ideo minus significabit *steterint*, *e* pro *i*. Legitur *adstassent steterint*. Sic supra *Addues dederis*. *Dac.*

Ambaxi. *Ambaxioqui circumeuntes catervatim*. Mendosus locus. Scribendum *Ambaxi*, *qui circum eunt et catervatim*. Ambaxes sive Ambaxi compositum ex *am* et *axes*, hoc est glomerati. Vide *Axes*, *adglomerati*, universi. Potest et legi *Axei*, ab *Axus*, *Axi*. *Scal.* Vide supra *Ambactus*. *Dac.*

Apor. Glossarium *Apo* παρά, ut in alterutro mendum sit. *Scal.* Pro *apur*, ut antiqui scribebant pro *apud*. Ut *arventum* pro *adventum*. Male quidam *apot*. *Dac.* Cf. Victorinus de Orthographia. *Goth.*

Amosio. Scribo: *Annos*, *annua*. Glossarium: *Annos*, *annua*, πολυετής. Est autem *annua* hic *anus*, non ἐπετήσιος. Propterea interpretatus est πολυετῆ. Et *Annua*, γραῦς, πολυετής. Declinatur autem *Annos*, *annotis*, unde *annotinus*, ἐπέτειος. *Scal.* In Glossario Bonaventura Vulcanius legit *anna* vel *anus* pro *annua*. Glossarium: *Annotinus*, ἐτησίαι, ἐνιαύσιοι. *Dac.* Cf. Glossas *Anet* γηρᾷ. *Antites* γερουσίαι. Adde infra *Anatem*, morbum annuum. *Goth.*

Antiquum. *Anticum* (ita enim priores). Vide *Posticum*. *Anton. Aug.* Subintelligitur ostium. *Dac.* Non Scaliger, sed iam Ant. Augustinus scripserat *Anticum veteres pro ianua posuerunt*. Ex quibus corrigenda est nota Paulli orationi subiecta. Rectissime vero Cod. Lipsiensis, ut edidimus.

Aestimias. Lex XII. tabularum: *tribus nundinis continuis in comitium procitato, aerisque aestimiam praedicato.* Pro *aestimia* postea dixere *aestimium.* *Dac.*

Abisse. Restituunt viri docti: *Abiisse pro obiisse.* Ut infra: *Abitionem antiqui dicebant mortem.* Putabam olim scriptum fuisse: *Obiisse pro adiisse.* Nam infra ait: *obitu dicebant pro aditu.* Neque obstat series litterarum, quum multa alia sint, quae suum ordinem non servant. *Dac.* *Obiisse* legi nequit quia ab o incipientia littera non potuerunt interponi incipientibus ab *a* littera. Qua de caussa sic statuo. Etiam in hac glossa vestigium inest antiquae illius cum lingua Sanscrita cognationis. Nam Sanscrita praepositio *abhi* significat *ad*, unde compositum *abhjêmi adeo* oritur; similiter *abhigami adeo.*

Abambulantes. Ambulare est ire, iter facere. Cic. ad Att. IX, 3. *Si recte ambulavit is, qui hanc epistolam tulit, in ipsum tuum diem incidit.* Et Fam. VIII, 22. *Ita ambulat Caesar, ut timeam ne citius quam opus sit ad Brundisium accesserit.* *Dac.* *Abambulo.* Glossis *Ambambulo, κατ' ἰδίαν περιπατῶ.* *Goth.*

Aquilius. Aquillia familia duplex, patricia et plebeia, utraque consularis. Ideo *Aquillius nomen* malim, nam praenomen *Aquillius* nusquam exstat, quod sciam. *Aquillium* autem scribendum esse, non *Aquilium*, docent Fasti Capitolini et nummi. *Ant. Aug.*

Antiquare. Verbum solemne, quo Populus Rom. utebatur cum significabat, se legem non accipere. *Antiquo* est deleo, aboleo, in antiquum morem reduco, id est ut ius antiquum valeat, nec novum statuatur. Gloss. *antiquare, ἀρχαιῶσαι;* et *antiquo, ἀρχαΐζω.* *Dac.* *In morem pristinum reducere.* Sed et obsolefieri et memoria tolli. Vide Nonium in *Antiquari.* (pag. 76. Merc.) *Goth.*

Attingem. *Attinge.* Legendum: *Attingem*, quo modo habet L. MS. *Fulv. Urs.* Locus mendosus. Scribe: *Attingem, attingam.* Nam *attingeo, claudeo,* et *attingebo, claudebo, vivebo* dicebant. Vide Nonium (pag. 502. seqq.) *Scal.* Correxit Scaliger *attingem, attingam*, atque ita in libro Ursini. Idem error in voce *Recipie.* Quintilian. lib. I, 7. *Quid? Non Cato Censorinus dicam et faciam, dicem et faciem scripsit? Eundemque in ceteris, quae similiter cadunt, modum tenuit? Quod et ex veteribus eius libris manifestum est, et a Messala in libro de littera s positum.* *Dac.* Sed potest et ita legi: *Attigem pro attingam.* Nam apud Nonium Attigit pro attingit. *Goth.*

Apellitavisse. Conferas *observitare* et plura eiusmodi alia.

Alteras. Subintelligebant *vices.* *Dac.* Nihil subintelligendum. *Alias* et *alteras* genitivi sunt antiqui, cum significatione primum locali, deinde temporali. Cf. Herzog. ad Caes. de B. G. V, 57.

Aureas. Vide *Oreae.* *Ant. Aug.* Ab *aure, aurea*, ut ab *ore, orea.* Verum *aureas* et *oreas* item ut *cauda, coda; cautes, cotes; aula, olla.* Sic ab *ore, orea, aurea.* Ut Graecis στομὶς ab στόμα. *Dac.* Vide *Aureax* et *Oreas.* *Goth.*

Audacias. Cf. Cicero in Verrem II, 3, 89. et alibi. Sunt plura audacter gesta vel facta. Abstractum concreti notionem induit, ut Logici tradunt.

Arvocitat. *Advocitat, saepe vocat.* Hic iungenda est significatio verbi *Advocat*, quae in l. 18. ff. ratam rem. Ubi τὸ *advocare* est advocatis vel testibus sumptus ministrare, vel negotiis avocari. *Goth.* Cf. supra quae notata sunt in v. *Arferia.*

Annaria lex. Quae et *Villia*, quia eam tulit L. Villius Trib. pl. L. Manlio, Q. Fulvio. Coss. quot annos nati quemque magistratum peterent caperentque. Ovid. in Fast. (V, 65.):

— — — — — *finitaque certis*
Legibus est aetas, unde petatur honos.

Dac. Vide Liv. 40, (44.) *Goth.*

Aliorsum. Ab *alius* et *versum* fit *alioversum*, per syncopen *aliorsum*, ut ab *introversum, introrsum; illoversum, illorsum.* *Dac.*

Abietaria. Liber MS. habet: *negotiatio dicebatur.* Et pro *materiam* vide num verius sit *materiariam.* *Fulv. Urs.* Mallem *abietaria negotiatio*, quam materiationem nunc dicimus. Subiicit enim: *videlicet ab abietibus coemendis*, ut non sint ξύλα, sed ξυλουργία. Quam Vitruvius et alii recte materiationem vocant. Vulgarem tamen lectionem retinere possumus. *Scal.* Frustra est Scaliger. Nam materia est ξυλεία, lignatio, lignorum συλλογή. *Abietaria negotiatio* Gallice trafic de bois. A materia est materiarius, qui fournit le bois. Plaut. Mil. Glor. III, 3. (45.):

Assunt fabri architectique eam quidem ad rem haud imperiti,
Si non nos materiarius remoratur, quod opus est qui det.

Dac. *Quam materiariam*, alii materiationem. Ego ita lego: *quam materiaturam.* Hoc enim verbo utitur Vi-

truvius IV, 2. Ea Graecis ξυλουργία (Galli minutiariam vocant) unde ξυλουργοὶ Cedreno. Propius est huic loco, quod iidem appellantur *matricarii* Novell. 13. c. 5. quasi materiarii, ac vix scio an corrupte inibi legatur *matricarii*, pro *materiarii*. Caeterum materia id dicitur, unde fieri potest aedificium (quam Graeci ἐργασίμην ὕλην. 2. Eclog. 2. cap. 171.) ac proinde ligno, quod comparandi causa paratur, opponitur. l. 12. ff. de usufructu. l. 18. ff. 2. ff. de pignoratitia. l. 14. ff. de periculo. l. 47. ff. de act. empti. l. 55. l. 56. l. 57. ff. de legat. 3. l. 1. 62. 167. ff. de verborum significat. Est autem materia Glossis ὕλη ξύλων καὶ ἑτέρων. Atque ita potest accipi 19. Eclog. 6. c. 7. *Goth.*

Aletudo. Supra *Alebria.* *Dac.*

Aeribus. Aera, aerium, aeribus. Liv. lib. V. *Tribuni sollicitant animos, illud esse dictitantes, quod aera militibus sint constituta. Dac. Ab aeres, quod et aeramentum dicit Cato.* Glossis *aeramentum*, χάλκωμα. *Aerementa* χαλκώματα. *Aeramentum*, aeramen, species ex aere. l. 12. Cod. Th. de operibus publ. *Goth.*

Adduis. *Addues.* Veteres dicebant *creduo* et *adduo.* Neque omiserunt veteres illae Glossae: *Adduo*, προστιθῶ. Et lex XII. Tabb.: *SEI. PATER. FILIOM. TER. VENOM. DUIT. FILIOS. A. PATRE. LEIBER. ESTO.* Nam vulgus male edit *venumdavit*; imo barbare et inepte. *Scal.* *Addues* pro *adduis*, i. e. addas et addideris. Veteres autem dicebant *duere*, unde *duim* pro *dem* sive *dederim.* Terent. Phorm. III, 2, (34.):

— — — *di omnes id quod es dignus duint.*

i. e. *dent.* At pro *dederint* apud Plaut. prol. Amphitr. (72.):

Sive adeo Aediles perfidiose quoi duint.

Sic Terent. *perduint*, pro perdant. *Subvortit*, pro subvortat. Horat. *edit* pro edat. Catull. *annuit* pro annuat. *Dac.* Nollemus mutatum *addues* in *adduis.* Fieri enim potuit, ut *adduem* pro *adduim* dicerent antiqui. Potest etiam *adduem* esse futurum, *adduim* coniunctivus.

Aristophorum vas. Ἄριστον enim Graecis prandium. *Dac.*

Allicit. Videtur legendum: *frustrari seu inducere*, pro eo quod est in vulgatis editionibus: *frustrantem inducere. Ful. Urs.* *Adlicit.* A *Lacio*, quod est decipiendo in fraudem induco. Vide *Lacit.* Ista: *perducit aliquem in rem* mihi suspecta sunt. Rescribendum forsitan: *perducit aliquem in rete.* Sic et *illicere* proprie est *illaqueare*, et *pellicere* in fraudem inducere. *Dac.* Vide infra in *Lacit* et *Lenones. Inlicere.* Vide infra *inlex.* *Goth.*

Abnutare. Abnutivum in pandectis; quod in constitutionibus Graecis non raro dicitur ἀνανεῦσαι. Sic Martianus orationem abnutivam et adnutivam, τὴν ἀποφατικὴν καὶ καταφατικήν. Et Glossarium: *Abnutivum* ἀπωμοτικόν. *Adnutivum*, κατωμοτικόν. Abnutivum et Adnutivum quod vocat Martianus Capella est Negatorium et Confessorium. *Scal.* Frequentativum a *nuo*, quod a νεύω. *Abnuto* est *abiuro*, *nego. Dac. Abnutare saepe abnuere.* Est enim frequentativum *Abnuto.* Sumitur etiam plerumque pro negare. Hinc simplex abnutivum in l. 83. ff. de verb. obligat. Caper in libro de orthographia: *confessiva vox fit ex duplici voce abnutiva, ut non nolo.* Id Glossis ἀπωμοτικόν et *abnuitio* infra in verbo *In.* Et *abnuit* infra in *Pro.* Cui ibidem opponitur *adnuo.* Unde *adnutivum* Glossis κατωμοτικόν. *Goth.*

Aliae rei. *Ali rei.* Plautus in Milite (III, 1, 206.): *Qui nisi adulterio, studiosus nulli aliae rei est, improbus.* Fortasse ex hoc loco Festi scribendum est *ali rei. Ant. Aug.* Nullibi opinor apud Plautum hodie legitur *ali rei.* Nisi ita scribendum sit in Milite III, 1. *Dac.*

Affabrum. Cum aliquid pulcre factum significatur, *affabrum* dicitur, unde *affabre*, pulcre, quod etiam *fabre* dicitur. Plautus alicubi. Contra *infabre*, foede. Pacuv. in Nipt. *Barbaricam pestem navibus nostris obtulit, Nova figura factam, commissam infabre. Dac.* *Adfabrum.* A quo *adfabre* Gellio 7. c. 7. *Affabre* Glossis καλῶς. *Goth.*

Alimodi. Ab alius genit. antiquus *alii*, pro quo *ali*, unde *alimodi.* Sic *ali rei*, pro *aliae rei. Dac.* Cf. Ciceronianum illud *Cuicuimodi.*

Aeneolum. Ab aere, *aerineum*, per syncopen aeneum, a quo deminutive *aeneolum. Dac.* *Aeneolum.* Aeneolo. Alii *Aenulum.* Isidorus *Enulum.* *Fit* alii *sit.* *Goth.*

Aenulum. Pro *aeneus* dicebatur *aënus*, unde aëneum, inserta aspiratione *ahenum*, diminutive aenulum. Gloss. *Aena* λέβης. Isidorus per *E enulum*, caldarium. *Dac.*

Ad exitam aetatem. *Exitus* passive h. l. dicitur, ut *obitus* in formula *morte obita* similibusque. Nam quoniam dicitur *aetatem exire*, consequens est, ut dicatur facile *aetate exita*, *ad exitam aetatem*, alia.

Amosio. *Amatio.* Lege *Amasco.* Isidorus in Glossis: *Amasco, amare cupio. Scal.* *Amo amasco*, ut *hio*, *hisco*; *misereo*, *miseresco* cet. Quam formationem Latini a Graecis sumserunt, qui τύπτω, τυπτέσκω,

et alia apud eos frequentia. Verum et *amatio* retineri potest, qua voce non semel usus est Plautus, ut: Casin. 2, 5. (20.):

Verum edepol tua mihi odiosa est amatio.

Meursius totum ita mavult refingere: *Amato, ab amo denominatum.* Nempe ut ab *hio hiato*, sic ab *amo amato.* *Dac.* *Amutio*, alii *Amasco*, amare cupio, vel amare incipio. Ego nihil mutandum censeo. Vide Nonium in *Amatio*. Alii *Amato* ab amo. Bongars. *Goth.* Nos legendum voluimus *Amasio*, quod librarius et corrector *amosio* male expresserunt; quare sic corrige.

Anginam vinariam. Quisquis dixit *anginam vinariam* pati eum qui vino suffocaretur, secutus est eum, qui Demosthenem dixit *ἀργυράγχην ἔχειν*. In Glossario: *Anguina*, *ἄγκυρα, συνάγχη, κύναγχος*. Quod interpretatur *Anguinam ἄγκυραν*, confirmatur testimonio Cinnae: *Atque anguina regit stabilem fortissima cursum.* *Scal.* *Anginam vinariam.* Sic lepide Demades dixit Demosthenem habere *anginam argenteam ἀργυράγχην*, quod argento corruptus nihil dixerit contra Milesios, sed se angina premi simularit. *Dac.* Adde Nonium in *Angina*. *Goth.* De *Angina* apud Cinnam vide quae disputavit *Weichertus*, V. Cl. ad *Poetarum Latinn. Reliqq.* pag. 193.

Adulterina. Vide legem 30. ff. ad leg. Cornel. de falsis. Paul. 5. sentent. 25. §. 1. et §. 7. Inst. de pub. iudiciis. Eadem ratione in iure *adulterina moneta, monetae adulteratores, adulterinum testamentum, adulterinae staterae.* *Goth.*

Arabice olet. Glossa ex antiquo poeta, cuius simile aliquid apud Plaut. Mil. II, 5, 2. *Eique ut Arabico fumificem odore amoene.*

Ausculari. Ab *osculor*. At contra *cauda, coda; aula, olla.* cet. *Dac.* Sic econtra *Osculana pugna* pro *Ausculana* *Goth.*

Adaxint. Plaut. Aulular. *Scal.* Aulul. I, 1. (11. seq.):

Utinam me Divi adaxint ad suspendium
Potius, quam quidem hoc pacto apud te serviam.

Dac. Vide Nonium in *Adaxint.* *Goth.*

Argus. Cf. Macrob. Saturn. I, 19. Ovid. Metam. I, 624. seqq. Ovid. Am. III, 4, 19. ibique interpp.

Amasso. Plaut. Casin. V, 4. (22.):

Si unquam post hoc aut amasso Casinam aut occepso modo,
Nedum eam amasso.

Dac. *Amasso* descendit ex *amavero*, quod primum secundum morem priscum proferebatur *amaveso*, unde factum *amāso*, et duplicato *s amasso*. At hoc deinde pro themate verbi habitum, et inde infinitivus *amassere* procusus.

Amiculum. Glossarium *Amiculum ἀναβόλαιον.* *Scal.* Ab *amicio*, quod ab *am* circum, et *icio* iacio. Quare optime Festus a *circumiectu.* *Dac.*

Auditavi. *Audivitavi.* Scribe, ut in veteribus editionibus, *auditavi.* *Scal.* Legendum *auditavi* ut in ora. *Dac.*

Allivescit. Non alibi invenitur hoc verbum, nisi latet alicubi oblitteratum.

Atticissat. Plaut. in Menaechm. *Ant. Aug.* Locus Plauti est in Prol. Menaechm. Sed ibi non *Sicilissat*, ut hic, sed *sicelissitat.* (v. 12.):

Atque adeo hoc argumentum graecissat, tamen
Non atticissat, verum sicelissitat.

Dac. *Sicilicissitat* exhibent meliores apud Plautum Codices, quod verum videtur.

Atritas *Atratas.* Lege: *Atritas, ater color.* *Scal.* Ab *atrare atratus*, qui est nigri coloris; *atratas*, quae sunt nigri coloris. Nihil itaque mutandum. *Dac.* *Atritas* pro varia lectione habet etiam Goth.

Aegyptinos. Hic Aethiopas accipiendum pro nigris hominibus, non tantum pro natione. Nam Aegyptium vocabant nigrum seu fuscum. Glossarium: *Aegyptium, φαιόν.* In quo secuti sunt Graecos, qui *Αἰγύπτιον, μέλαν* vocabant, ut et *αἰγυπτιῶσαι, μελάναι.* Unde Plautus colorem fuscum vocat *volturinum.* Nam *αἰγύπτιος* vultur. Graeci cum scirent ab ipsis Aegyptiis Nilum שחור vocari, hoc est *μέλαν, ἰσοδυνάμῳ* verbo suo *αἰγύπτιον* reddiderunt. Nam *αἰγύπτιος*, ut iam monuimus, *μέλας.* Sic cum scirent Edom *ἐρυθρὸν* Graece reddi, *τὴν θάλασσαν Ἐρυθραίαν* appellaverunt sinum Arabicum. Quod autem Nilum *αἰγύπτιον* vocarint, satis patet testimonio Homeri, qui *Αἰγύπτιον* fluvium illum vocat. Cur autem Nilum vocarint, non magis mihi li-

quet, quam cur Istrum Danubium, Eridanum Padum, Ararim Sagonam. *Scal.* Aethiopas eos intellige, qui in Aegypti parte olim habitarunt, unde et Aegyptus tota Aethiopia quondam dicta est. *Dac.*

Advelitatio. Plautus (Asin. II, 2, 41.): *Velitationem verbis compendi fieri volo. Scal.* Velitatio et Advelitatio levior et umbratilis quaedam dimicatio, a velitibus, qui erant levis armaturae milites, in acie prima collocati, ut levem pugnam cierent, antequam coiret exercitus. Inde ad litigia et iurgia transfertur. Plautus in Rudente (II, 6, 41.):

Equidem me ad velitationem exerceo,
Nam omnia corusca prae tremore fabulor.

Dac. Velites dicuntur. Certe haec non sunt Festi, sed barbari racematoris, qui non meminit, alibi Festum velites velatos dixisse. Vide *velati. Dac. Iactatio quaedam verborum.* Iactatio quaedam probrorum. Ita legitur infra in dictione *Velitatio.* Adde Nonium in *Velitatio. Goth.*

Auctor. Iuno apud Virgilium: *Auctor ego audendi.* Neque solum auctor, sed et alia pleraque omnia verbalia. Ovidius (Heroid. XVI, 114.):

Sponsor coniugii stat Dea picta sui.

Sed quid longinqua requirimus? Ecce obvia semper vox *uxor* est feminini generis. *Unxor* dicendum erat, pro unctor. Eiusmodi enim erant verbalia apud veteres, *uxor* pro *unctor*, *pacio* pro *pactio.* Ita dicta est, quia adipe lupino postes novi mariti ungeret. Sed et Aeschylus τύχην σωτῆρα dixit in Agamemnone (v. 650.):

Τύχη δὲ σωτὴρ ναυστολοῦσ' ἐφέζετο.

Quod sane silentio praetereundum non erat. *Scal.* Ovid. IV. Fast. (lib. V, 192.): *Optima tu proprii nominis auctor eris. Dac.* Pessime errant, qui vocabulum hoc derivant ab *augeo;* quid enim faciant vocabulo *autumo,* quod nativa significatione simpliciter est *dico?* Nam *autumare,* procusum ut *aestumare,* cum nomine *autor* proxime cognatum esse, vix poterit negari. Utrumque autem descendit a Sanscrita voce *ukti* quae *sermonem* significat; id mutato suffixo *uktri,* quod per Vriddhim inditaque flexione Latina fit *auctor.* Qui Sanscrite intelligunt, me vera dicere sciunt. Sed tamen ut res manifestior appareat, haec addam. Ut a Sanscrito *pitri* Latine fit *piter* et pater, a *matri,* mater, a *svasri,* soror, a *dâtri,* dator; sic ab *uktri* auctor. Quod ab mutatam vocalem attinet, notum est, ubi ex quapiam lege aut consuetudine pronunciandi vocalis Sanscrita *u* producenda sit, transire eam non in *u* longam, sed per Gunam in *ó* et per Vriddhim in *au.* Ex quibus simul intelligitur, nativam vocabuli formam esse *auctor,* insita *c,* et *auctumare,* non *autor,* neque *autumare,* ut nunc plerumque scribi solet.

Adnictat. Versus Naevii integriores posuimus in Coniectaneis. Sunt autem hi:

— — — Quasi in choro pila
Ludens datatim dat se et communem facit;
Alium tenet, alii nutat, alibi manus
Est occupata; alii perpellit pedem.
Alii annulum dat spectandum a labris
Alium invocat; cum alio cantat, attamen
Aliis dat digito litteras.

Scal. Ab inusitato *niveo,* unde *conniveo,* nictare, coniugatione mutata, ut a *dicere dictare.* In eo autem differunt *nutare annuere* et *nictare,* quod *nutare* capiti, *annuere* vel *nuere* naribus vel labris, *nictare* oculis dicamur. Sed discrimen illud a veteribus neglectum aliquando. *Naevius in Tarentilla.* Verba Naevii aliter Isidorus, qui locum integrum sic adduxit:

— — — — Quasi in choro pila
Ludens datatim dat se et communem facit.
Alium tenet, alii adnictat, alibi manus
Est occupata, ast alii percellit pedem.
Alii dat anulum spectandum, a labris
Alium invocat, cumque alio cantat, attamen
Aliis dat digito litteras.

Dac. Adnictat. Adnutat. Ita veteres libri. Differentiam facit inter illa duo Nonius. *Adnictare oculorum; adnutare aurium, vel labiorum* esse vult. Adde infra *Nictat. Goth.* Versus Naevii nihil habent commune cum versibus illis ab Isidoro excitatis, praeterquam quod Isidori scriptor in re simili similibus etiam verbis est usus. Est autem trochaicus tetrameter catalecticus, ita legendus, uti edidimus.

Atriplexum. Graece ἀτράφαξις. Itali nomen retinent; vocant enim *atriplice.* Galli *bonne-dame. Dac.*

Adoptaticius. Isidori Glossae: *Adoptarius, puer ex adoptato natus.* Utra lectio melior, nescio. *Scal.* Apud Plautum tamen *adoptatitius*, manifesto ipse adoptatus. Poenul. V, 2. (85.):

A. G. Siquidem Antidamarchi quaeris adoptatitium;
Ego ipsus, quem tu quaeris. H. A. Hem quid ego audio?
A. G. Antidamarchi gnatum me esse.

Et paullo post (v. 100.):

Demarcho item ipse fuit adoptatitius.

Dac. Adoptivus vel *Adoptitius* MS. *Adoptarius* Isidoro in Glossis. *Goth.*

Aleonem. In versu Naevii veteres editt. habebant *lustro*, non *lurco*. Et ita inveni in membrana veteris Glossarii. Apud Catullum versus in manuscripto codice in Mamurram ita legitur (115, 7. seq.):

Omnia magna haec sunt. tamen hic et maximus ultor
Non homo, sed vere M. magna minax.

Legendum sane: *tamen hic est maximu' lustro.* Transpositae tantum erant litterae. Minacem autem vocat iactabundum et qui multa magnifice de se praedicat. Hoc enim est *minari.* Horatius (Serm. II, 3, 9.):

Atqui vultus erat magna et praeclara minantis.

Quod Graecorum imitatione dictum est, qui in eadem re verbo ἀπειλεῖν utuntur. Catullus ergo minacem vocat, quem postea Romani *arctalogum*, ut docuimus in eruditissimum poetam Ausonium. Locus ille Catulli a nobis emendatus illustris est et insignis, ac, si quis alius inter epigrammata, elegantissimus. *Scal.* Ab *alea*, *aleo*, i. e. *aleator.* In versu Naevii vett. editt. habent *lustro;* non *lurco*. Sed cum *ganeo* et *lustro* idem sint, retineo *lurco*, de quo vide in *lura. Dac.* Tertullianus de fuga: *Nescio dolendum an erubescendum sit, cum inter tabernarios et lanios et fures balnearum et aleones et lenones Christiani quoque vectigales continentur.* Glossis κοττιστής, aleo. *Goth. Aleatorem.* Vide Titulum de aleatoribus. l. 4. §. 2. ff. de aedilitio. l. 225. ff. de verborum significat. Glossis κοττιστὴς, κυβευτὴς, a κυβεύω, quod est *aleo*, seu *alea ludo. Idem. Ganeo.* Vide infra *Ganeum. Idem. Lurco.* lustro. Vett. Sed nihil necesse mutari. Nam et *lurco* vox nota; unde *Lurconiana condimenta* Tertulliano in libro de Anima c. 15. *Idem.*

Aditiculum. Vocabulum haud aliunde cognitum, quod sciam.

Atra bilis. Animi vitio. mendose. *Ant. Aug.* Lege: *Atrabilis ab atro animi vitio dicta.* Hae voces: *id est* male huc irrepserunt, ut alibi saepe factum est. *Dac.* Haec verba: *animi vitio* supervacanea sunt. *Goth.* Glossa pertinet ad Plauti Captiv. III, 4, 64.

Anctos. Antios. Videtur legendum *anctos. Fulv. Urs.* Sine ullo dubio legendum *anctos.* Adstipulatur et optimum illud Glossarium: *Anctos*, ἀναγκασθέντας. *Ancti*, ἀγχάμενοι. *Scal. Actos* Gloss. *Goth.*

Anatem. Glossarium: *Anas*, γῆρας κατ' ὀργὴν θεῶν. *Antas*, γερουσία. *Antites*, γερουσίαι. *Anet*, γηρᾷ. *Annos* θεοχολωσία, ἢ μῆνις. In aliis Glossis: *Anitas*, γραότης. Apuleius lib. I. Metamorphos. *Ab unico congressu annosam pestilentem contraho;* id est θεοχολωσίαν. *Scal.* Anus, anitas, anas. Quod hic Festus dicit morbum, optime Glossarium interpretatur κατ' ὀργὴν θεῶν. Intelligit enim uterque vitium illud, quo plerumque laborant anus, quae delirant scilicet. *Dac.* Hunc morbum quaedam Glossae anitatem appellant. Dixi quaedam ad hunc locum supra in Amosio. *Senium.* Vide infra *Senium. Goth.*

Altaria. Ab altitudine, ut a *lucus lucar*, sic ab *altus altar;* altaria autem et arae eo differunt, quod illa Deis superis tantum et inferis dicarentur. Servius in Eclog. V. *Novimus aras et Diis esse superis et inferis consecratas. Altaria vero esse superorum tantum Deorum, quae ab altitudine constat esse nominata.* Quidam aras terrestribus tantum positas scribunt, inferis scrobes vel focos. Ut hic Festus. In his Lutatius, Statii interpres: *Dis superis altaria, terrestribus arae, inferis scrobes vel foci dicantur.* Et Porphyr. lib. de Nymphar. antro. *Τοῖς μὲν Ὀλυμπίοις θεοῖς ναούς τε καὶ ἕδη καὶ βωμοὺς ἱδρύσαντο, χθονίοις δὲ καὶ ἐσχάρας, ὑποχθονίοις βόθρους καὶ μέγαρα.* De hisce ultimis Ovid. Metam.

Haud procul egesta scrobibus tellure duabus
Sacra facit.

Dac. Aliud etymon vide supra *Adolescentia.* Caeterum non obmittendum *Altare* dici et *Altarium.* Gloss. *Altarium*, ἐπιβωμίς. *Goth.*

Assa. Nonius assam vocem interpretatus meram et solam vocem sine organico instrumento ex Varrone. Et Pedianus in Divinatione: Cani remigibus celeusma per symphoniacos solebat, et per assam vocem, id est ore prolatam, et ut in Argo navi per citharam. Haec igitur Paulli verba, non Festi esse, credendum

est. *Ant. Aug.* Servius in II. Georg. *Assae tibiae dicuntur, quibus canitur sine chori voce.* Non solum autem *tibiae assae* dicuntur, quae sine voce, sed etiam *assa vox*, quae sine tibiis. Nonius (pag. 76. ed. Merc.): *assa vace, sola voce, linguae tantummodo aut vacis humanae, non admistis aliis musicis esse voluerunt.* Nam *assum*, nihil est nisi tostum, aridum siccum. Unde pro *solo* usurparunt, ut siccum et aridum. Sic Plautus in Rudente (III, 4, 21.) dixit: *arido argento est opus;* id est solo argento; *argent sec.* Sic et nos hodie panem solum et siccum dicimus *du pain sec. Dac.* Nisi hic legamus *cum cantu.* Haec enim iungebantur interdum, teste Nonio in *Assa.* Alio significatu dicitur apud Isidorum: *Assa, vox sola, sive cantor. Goth. Assus* dicitur solus, secretus, discretus, ut vidimus supra in *Axamenta.* Igitur *Assum*, sive *caro assa*, erat caro sine iure et liquore. Contra *Elixum*, sive *caro elixa*, caro cum succo et iure. *Tibiae assae*, sine cantu vocis humanae; *vox assa*, vox humana sine aliorum instrumentorum sonitu. Cf. etiam Varro lib. V, p. 112. Sp.

Aves. Melius Isidorus Originn. lib. XII. *quod per avia quaeque discurrant. Dac.*

Agolum. Suspicor detortum esse a Graeco ἀγελαῖον. Nam prius *agelum*, ut *Apello* Apollo. *Scal.* Ut a *cingo cingulum*, sic ab *ago agulum*, *u* in *o*, *agolum. Dac.* Inde etiam Galli bacillum oblongum vocant *Gaule. Goth.* Ita *coagulum* dicitur a *coagere*, cogere.

Abortum. Verbum elegans *aboriri.* Varro Gallo Fundanio de admirandis: *Vinum quod ibi natum sit in quodam loco, si praegnas biberit, fieri ut aboriatur.* Titulum Varroniani libri emendamus ita apud Nonium (pag. 71. voce *Aboriatur.*) *Scal.* Melius forsan *abortus.* Tamen et *abortum* retinere possis. *Abortus* autem ab *aborior*, id est *abortum facio. Dac.* Hic *abortum* in neutro, ut in lege 20. §. 4. ff. de acquir. haered. Dicitur et *Abortus* in l. 2. Cod. de posthumis; et *abortio* l. 38. §. 5. ff. de poenis Fit autem circa tempus pariendi, ut *Aborsus* circa tempus conceptionis, de quo vide Nonium. *Goth.*

AD LIBRUM II.

Bona. Per substantiam intellige οὐσίαν. Quidam *bona* a beando. Nam et veteres dicebant *benum* pro *bonum.* Vossius ab Aeolico ὀνὸς, ab inusitato ὀνὴ, vel ab ὀνέω, vel ὄνημι iuvo. Sed bonum a prisco *duonum*, ut a *duellum*, *bellum*, a *duis*, *bis.* Vide *duonum. Dac.* Adde l. l. 21. l. 39. init. l. 83. l. 182. ff. de verb. significat. *Goth.*

Bombitatio. Βόμβος Graecis vox apum. Inde *bombito*, *bombitatio. Dac.* Alii *Bombizatio*, alii *Bombisatio.* Et Glossis: *Bomuis*, βόμβος. Et βομβῶ, bombio. *Bombites* vero μύρμηκες. *Goth.*

Boare. Resonare, clamare. Plaut. (Amphitr. I, 1, 76.): *Boat coelum fremitu virum.* Et Ennius: *Clamore bovantes.* Inde Glossarium: *Bobantes*, βοῶντες. Lege: *Bovantes. Dac.*

Boarium. Cf. Georg. Fabricii Roma pag. 67.

Bocas. Boca dicitur et box, a Graeco βόαξ, βώξ, ἀπὸ τῆς βοῆς, ideoque et Mercurio dicatus. Athen. libro VII. De piscibus vocalibus idem Athenaeus libro VIII. et ibid. Casaubonus. *Dac.*

Barrire. Glossarium: *barrit*, τρίζει, Ἐλέφας βοᾷ. *Scal.* Sed et Isidorus lingua Indica Elephantem *barro* vocari scribit. *Goth.* Nimirum a Sanscrita radice *bhri*, ferre, unde *bhara*, onus, ut *barro* iumentum proprie significet. Ceterum usitatum in lingua Sanscrita elephanti nomen est *ibhas*, unde Phoenices, per quos prima elephantorum notitia ad Graecos devenit, praeposito articulo fecere *el-ephas.*

Balaenam. Corruptus locus. Legendum suspicarer: *Balaenam, belluam marinam, ipsam dicunt esse, id est cetum.* Sane *pistricem* ineptissime hic legitur pro *pristim.* Quadrigarius: *Quinque pristes.* Virgilius (X, 211.): *Frons hominem praefert, in pristim desinit alvus.* Masculinum est πρίστης. Sed Romani et declinationem et genus mutarunt. *Scal.* Errat vir doctissimus. Ex veteribus enim constat dici *pistricem*, *pistrim*, et *pristim. Dac. Pistricem.* Alii *pristem.* Est autem *pristis* navigium a forma belluae marinae. *Esse.* Id est. *Goth.* Vide de h. l. Salmas. et Duk. ad Flor. III, 5, 16.

Bacchanalia. Per auctumnum de nocte celebrata, quibus viri nudi cum mulieribus itidem nudis, omnes pariter omnia membra pampinis et racemis impediti huc et illuc varia gesticulatione discurrentes inconditum carmen Baccho cantitabant, donec ebrii omnes procumberent. *Dac.* De Bacchanalibus Romae deprehensis ac sublatis cf. Liv. XXXIX, 8. seqq.

Basilica. Regum palatia, templa etiam et alia quaelibet loca, ampla et magnifice exstructa, ut ea quibus forum Romanum ornatum erat, ut Basilicae Iulia, Traiana, Portia, Sempronia cet. *Dac. Basilica*, locus in quo iudicia exercebantur, Fab. 12., adiunctus foro ut saepius, Vitruvius V. Huc facit. l. 83. §. 5. ff.

de verbor. obligat. Hinc viae basilicae, regiae. l. 2. §. ff. de verb. obligat. Theophil. §. item si. Inst. de leg. Aquilia. *Goth.*

Bovinatur. Bovinator, tergiversator. Gell. lib. XI, c. VII. *Ant. Aug.* Nusquam reperies hoc verbum pro conviciari. Bovinari enim est tergiversari. De quo satis alibi. Glossarium: *Bovinatores*, *θορυβοποιοὶ*, *θρύλλον ποιοῦντες*, *ἢ ταραχήν*. Glossae Isodori melius: *Bovinatores, inconstantes. Scal.* Vocabularium vetus: *Bovinator, convitiator, inconstans. Bovinari, convitiari, damnare, clamare.* Bovinari est tergiversari. Lucilius:

Hicce strigosu', bovinatorque ore improbu' duro.

A bove in arando strigante. Vide Gellium lib. XI, c. 7. *Dac.* Vide Nonium *Bovinatores. Goth.*

Bova. Boa. Crurum tumor. Lucillius:

Inguen ne exsistat, papulae, tama, ne boa noxit.

Glossarium: *Bor, ὁ τοὺς πόδας φλεγμαίνων.* Puto *Boa.* Nam et a morbo aegrotans ipse dici potuit, ut *Carcer*, qui in carcere est, et *Ergastulus*, qui in Ergastulo Lucillius: — — *Non ergastulus unus et olius iudicem Opposuit.* Idem: *ut nemo sententiam libere, quasi ergastulus, possit dicere.* Sic servus *Noxa* dicebatur, qui noxam fecerat. Unde *dedere noxam* dicebant veteres. Est etiam *Boa* morbus boum auctoribus rei rusticae. Glossario quoque *bova*, *νόσος βοῶν.* Sive *Boam* sive *bovam* scribas, nihil interest. *Scal. Boa* vel *Bova*, sic dicta quod bubulo lacte nutriatur, ut ait Plinius lib. VIII, 14. *Faciunt his fidem in Italia appellatae boae in tantam amplitudinem exeuntes, ut D. Claudio principe occisae in Vaticano solidus in alvo spectatus sit infans. Aluntur primo bubuli lactis succo, unde nomen traxere.* Mihi magis placet a magnitudine *boas* vel *bovas* dictas. Salmasius vero boam serpentem dictum putat a Graeco *δύης*, quod idem est ac *δύτης*. Aeoles Boeotii dicebant *βύτης*, inde *boa*, ut *φύπης* popa. *Δύης* et *δύτης* idem est quod *κολυμβητής*. Hesychius: *δύπτης*, *κολυμβητής*, *δύτης*. Dicebatur et *δύης* pro eodem, sic *ἀμμοδύης* et *ἀμμοδύτης*, idem, alterum genus serpentis. Qui Graece sciunt, norunt me verum loqui. Natricem eandem cum boa faciunt Glossae: *Natrix*, *ἔχιος εἶδος.* Ita scribendum. Boa vero pro tumore, qui ex labore viae in cruribus colligitur, aliam habet originem, sed aeque Graecam: *Δύη* est *κακοπάθεια*, *πόνος*, *ταλαιπωρία*, Aeolice *βύη*, Latine *boa.* Sic *δερτὺρ*, *βερβὺρ*, verber; *δελφὺς*, *βέλφυς*, vulva; *κλάδα*, *κλάβα*, clava. Idem et *βύπτην* vocabant, quae aliis *δύπτης*. *Dac. Crurum quoque tumor.* Adde infra *Tama* et *Flemina. Goth.*

Batus. Glossarium: *Batis*, *εἶδος ἀκάνθης βοτάνης. Batum*, *πράσον.* Isidori Glossae: *Batis*, genus oleris. *Scal. Batus*, rubus, Graecis *βάτος.* Theocrit. Idyll. I. (32.):

Νῦν ἴα μὲν φορέοιτε βάτοι, φορέοιτε δ' ἄκανθαι.

Dac.

Bacrionem. Bacrio tamen et trulla eo differunt, quod ille vas aquarium, haec vero vinarium. Horat. Satir. lib. II. (3, 144.):

Qui Veientanum festis portare diebus
Campana solitus trulla, vappamque profestis.

Dac. Baccionem, alii Barrionem, alii Batrionem. *Bacario* Glossis *πορνοδιάκονος. Goth.*

Bacar. Glossarium: *Bavar*, *εἶδος ἀγγείου.* Lege: *Baccar.* Isidori Glossae: *Baccarium, vas aquarium*; quod hic dicitur, bacrioni vas simile. Idem est *bacar*, *bacarium*, et *bacario* seu *bacrio.* Isidori Glossae: *Bacario, orceoli genus.* Glossarium: *Baccario*, *πορνοδιάκονος*, meretricibus aquam infundens. Recte. Nam a vase ministri etiam dicti *baccariones*, *aquarii*; nam aquarii seu aquarioli *πορνοδιάκονοι* a veteribus dicebantur, ut superius annotavit Festus ipse. Utitur et Tertullianus, item Apuleius et alii. *Scal. Bavar* corrupte in Glossis. *Bacrioni.* Baccioni, alii batrioni. Vide *Bacrionem.* Alii *botryoni. Goth.*

Barathrum. Fortasse scripsit *βαρύς*, non *βαθύς. Scal.* Locus Athenis in immensam altitudinem depressus, in quem malefici praecipitabantur, ut Spartae in *Caiadas.* Sic dictus a *βαθύς*, profundus, vel ut legit Scaliger a *βαρύς*, gravis, molestus. Sed durum utrumque. Quare potius Martinium sequor, qui docet esse a Chaldaico *ber* puteus, et *'ahar* lacus. Nam et berathrum, et berethrum dicebant. *Dac.* Cohaeret vocabulum cum vocibus *βάθρον*, *βέθρον*, *βόθρος*; atque ista omnia cum v. *βαθύς.*

Balaenae nomen. Haec glossa cum superiori *Balaenam belluam* in prioribus editionibus ita coniuncta est, ut unum efficiant articulum. De mutatione *ph* et *b* confer etiam similia alia, ut *Bruges* pro *Φρύγες.* Cf. Quinctil. I, 5.

Burrum. Eleganter homines ex potione rubentes ait *Burros* a veteribus dictos. Quod verbum in eodem sensu retinet Hispanica lingua. *Burraceos* enim vocant *ebriosos*, et vas vinarium *Burroceam.* Glossa-

rium: *Burrum*, *πυῤῥόν*, *ξανθόν*. *Scal.* Pro *burrus* saepe scribebant *byrrus*. Servius: *Pyrrhus a colore comae sic dictus, qui Latine byrrus dicitur.* Sic *Πυῤῥίας* nomen proprium apud Latinos veteres comicos *Byrrias* dicitur. Sic genus equi brevioris a colore Graeci *πυῤῥίχον*, Latini *burrichum* appellarunt. Unde nostrum *bourrique*. *Dac.* Vide supra in *Balaenae*. *Goth.*

Basiliscus. Plin. lib. VIII, 21. *Eadem et basilisci serpentis est vis. Cyrenaica hunc generat provincia, duodecim non amplius digitorum magnitudine, candida in capite macula, ut quodam diademate insignem. Sibilo omnes fugat serpentes.* Vide Solin. c. 20. *Alba quasi mitrula lineatus caput. Dac. Vel quod reliqua.* Festum sequitur Isidor. in originn. lib. 11. *Basiliscus Graece, Latine interpretatur regulus, eo quod rex serpentium, adeo ut eum videntes fugiant, quia olfactu suo eos necat. Dac.*

Barbaricum. Hunc clamorem *barritum* etiam vocant. Veget. lib. III. *Clamor, quem barritum vocant non prius debet exaudiri, quam acies utraque se iunxerit. Dac.* Alio significatu *Barbaricum* in iure sumitur. Nam barbaricum in l. 1. Cod. quae res exportari. l. 2. Cod. de commerciis; seu *βαρβαρικόν*, 19. Eclog. 1. c. 73. Barbarum solum ac minime Romanum. in l. 2. Cod. de Eunuchis. Natio barbara in l. unica de littorum et itinerum custodia. Ammianus 18. *visus in Barbarico miles. Goth.*

Breve. A *βραχύ*, mutato *χ* in *v*, ut in *μαλάχη*, malva. *Dac.*

Brutiani. Videndus Gell. X, 3. *Ant. Aug. Brettiani* esset legendum, quia a Bruttiis quos Graeci *Βρεττίους* vocant, ductum est nomen. Nec aliter habent MSS. Livii, quam *Brettii. Ful. Urs.* Eleganter vetus Glossarium; *Brutiani, οἱ δουλικὰς τάξεις χρεωστοῦντες.* Non enim vocat *δούλους*. Eos Fulgentius ait *Gerones* dictos. *Congerrones*, inquit, *qui aliena ad se congregant. Unde apud Romanos Gerones Brutiani dicti.* Quod verum est. Nam *Gerones* sunt *χειρισταί, πρακτῆρες*, ut auctor Glossarii docet. Apud Plautum sunt *geruli*, in Truculento (II, 7. init.):

Ite hac simul muli aeris, damnigeruli, forasgerones
Bonorum hamaxagogae.

Atque haec est prima coniectura nostra de Brutianis geronibus. Sed ut ingenue fateamur, putamus potius dictos, quia gerones litterarum et publici cursores erant. Strabo (lib. V. fin. p. 251.): *τῶν δὲ Πικεντῶν ὑπῆρχε μητρόπολις Πικεντία. Νυνὶ δὲ κωμηδὸν ζῶσιν ἀπωσθέντες ὑπὸ Ῥωμαίων διὰ τὴν πρὸς Ἀννίβαν κοινωνίαν. Ἀντὶ δὲ στρατείας ἡμεροδρομεῖν καὶ γραμματοφορεῖν ἀπεδείχθησαν ἐν τῷ τότε δημοσίῳ, καθάπερ καὶ Λευκανοὶ καὶ Βρέττιοι κατὰ τὰς αὐτὰς αἰτίας. Scal.* Vide *Bilingues.* Quod se Annibali dedissent, hoc poenae iis a Romanis impositum, ut cursores essent et tabellarii. Vide Gell. X, 4. et Strab. extremo lib. V., qui non Bruttiis tantum, sed Picentinis etiam et Lucanis factum tradit. Inde etiam *Bruttii gerones* apud Fulgentium. Porro ab ultimis usque seculis victoribus is mos fuit, ut gentes devictas, quas penitus nollent exscindere, ad vilia servitia adigerent. Sic Iosue Gabaonitas, quos delere ei nefas erat propter sacramentum, aquatores fecit et lignarios. *Dac.*

Bruma. A brevitate dierum. Sic igitur ducenda etymologia: *Brevissimus, brevimus, brevima, breuma, bruma.* Varro lib. V. de L. L. (VI, p. 190. Sp.): *Dicta bruma, quod brevissimus dies est. Dac. Bruma* a *Βροῦμος* i. e. *Βρόμιος*, Bacchus, descendere videtur Scaligero in Coniectaneis pag. 166. quod illo tempore Festa Bacchi.

Brutum. Horat. *Quo bruta tellus.* Estque ex Etruscorum librorum doctrina, in quibus etiam eodem modo *bruta fulmina* dicebantur. *Scal.* Sed et *brutum* hebes et obtusum Nonio. (pag. 77. Merc.) *Goth.* Scaligero *brutus* a *βροτός*, aliis a *βρωτός*. Nobis coniunctum videtur cum Graeco *βλάξ*.

Brachium. Os ab humero ad cubitum. Graecis *βραχίων* a *βραχύ*, quod breve sit, si cum osse femoris conferatur. *Dac. Breviores*, breviora. *Goth.* A Sanscrita voce *bâhu* sive *vâhu*, quae *brachium* significat, descendit *πῆχυς*, a quo *βραχίων* et *brachium* cum levi varietate detortum.

Brassica. A *prae* et *seco*, *p* mutato in *b*, et *e* in *i*. Varro lib. IV. de L. L. (V. p. 106. Sp.): *Brassica ut praeseca, quod ex huius scapo minutatim praesecatur. Dac.* Cf. Scal. in coniectaneis pag. 166. qui docet *brassicam* dici a Graeco *πρασική*, quod sit hortulanum olus. Nam *πρασιά* notat areolam hortensem, unde et *pratum* nomen accepit. Hesychius: *Βράσκη, κράμβη, Ἰταλιῶται. Voss. in Etym.*

Bruttianae parmae. Vide *Parmulis. Dac.*

Bubinare. Glossae Isidori: *Buvinare, sanguine inquinare mulieris menstruatae.* Versum Lucilii sic legebat Franc. Douza:

Haec te imbubinat, et contra te imbulbitat ille.

Vel: *Te imbulbitat infans.* Imbulbitare autem est quovis stercore inquinare, non tantum puerili. Sed hic

Lucilii versum Festus explanavit, ubi de puerili stercore loquitur. *Dac.* Videtur sic potius legendus hic versus: *Haec te imbubinat, at contra te imbulbitat* — —. Ita ut antepenultima in v. *imbubinat* producatur.

Bucerum. Glossarium: *Bucerum, γέννημα βιός.* Lege: *βοός. Scal.* Eleganter Lucret. lib. V. (864.):

Lanigeraeque simul pecudes et bucera secla.

Et Ovid. lib. VI. Metamorph. (395.):

Lanigerosque greges, armentaque bucera pavit.

Gloss. Philoxeni: *Bucerum, γέννημα βοός.* Lege: *Bucerum seclum. Dac.* In meis glossis: *Bucerum*, vox inepta. *Bucerinae*, armenta. Et Nonio *Buceriae*, boum greges. Quid *Buceta*, dixi ad Varronem ex Gellio. *Goth.*

Bustum. Ab hoc inauspicatum genus avium *Ambustaneum* dictum putarim, quod circa *busta* versetur. Glossarium: *Ambustandus, εἶδος ὀρνέου.* Lego: *Ambustaneus.* Ut *Circanea* avis. Eaeque Ambustaneae aves dictae videntur, quae de busto seu rogo aliquid in tecta deferebant et incendium portendebant. Unde incendiariae aves in augurali disciplina. Servius in Fragmentis: *Sane bubo, si cuius aedes insederit et vocem miserit, mortem significare dicitur. Si autem de busto sudem ad tectum detulerit, incendum aedibus portendere.* Quin eandem Spinturnicem fuisse cum incendiaria, non dubito. Graeco enim nomine dicta est *παρὰ τὸν σπινθῆρα*, quod carbonem ex rogo aut ex altari in aedes inferret. *Σπινθὴρ* est strictura ignis. Neque vero praetermittendum, quod de *Ustrina* hic dicitur, separatam aliquando a sepulcro, aliquando coniunctam fuisse. Ideo hoc cavebatur a veteribus. Quin et lex monimentis applicabatur, ut licet notare in antiquis duobus saxis Romae: *HUIC. MONIMENTO. USTRINUM. APPLICARI. NON. LICET.* Item: *AD. HOC. MONIMENTUM. USTRINUM. APPLICARI. NON. LICET.* Vetus Glossarium: *Ustrina, πυρκαϊά. Ustrina, καύστρα νεκρῶν.* Servii Fragmenta: *Apparatus mortuorum funus dici solet; exstructio lignorum, rogus; subiectio ignis pyra; crematio cadaveris bustum; locus, ustrina; operis constructio, sepulcrum; inscriptum nomen memoriaque, monimentum.* Publicae autem ustrinae erant in exquiliis, inquit Acro. *Scal. Bustum.* Area soli in qua corpus crematur et sepelitur, unde et busta olim sepulcra dicta sunt. Vide infra in *sepulcrum.* Et Cicero in II. de legibus (cap. XXVI. ubi vide Goer.): *poena est si quis bustum, hoc est tymbon, aut monimentum violarit.* Locus, ubi corpora combusta sunt nec sepulta, *ustrina* dicitur. *Pyra* lignorum congeries. *Rogus* est, cum iam ardere coepit. Virgil. (Aen. XI, 185.): *Constituere pyras — — Ter circum accensos cincti fulgentibus armis Decurrere rogos. Monumentum* est lapidea structura sepulcro imposita, cui ad memoriam demortui quidpiam inscribebatur. Cic. l. Tuscul. (cap. 14.). Monumenta sepulcrorum ex vulgari scilicet saxo, aut ex marmore, quibus inciderentur laudes demortui, ut propagaretur eius memoria. *Dac. Ustrina.* Ea separabatur plerumque a sepulcro, idque sepulcri tabellae indicabant. *Goth.*

Buteo. Accipitris genus. Quae subiungit Festus, ea refellit Vossius. Nam cum avis timidissima sit, cum accipitre congredi non audet; nedum illi cibum eripiat, nec vastitatis caussa est, cum sit boni ominis, ut patet ex Plinio, qui et familiam ex eo cognominatam dicit, cum prospero auspicio ducis in navi sedisset. *Dac.* Vide supra *Alites. Goth.*

Buccina. Lege: *Graeci Bucanen. Scal.* A Graeco *βυκάνη*, ut optime correxit Scaliger, a similitudine soni, quia *bou, bou* canit; ut sentit etiam Varro lib. IV. de L. L. Etiam buccinator a vocis similitudine et cantu dicitur. *Dac. Buchianon.* Alii *Buchia*, alii *Bucanen. Goth.*

Bulimam. Lege *Bulimum.* Ego id *πάθος* invenio Furcillam dictum, a vetere collectore Glossarum. *Furcilla, βούλιμος, ὁ μέγας λιμός.* In Isidoro: *Curcilla, oppilago.* Et contra: *Oppilago, curcilla.* Quod ait de particula *βου*, miratus sum a Iustiniano imperatore *βουπόνηρον* compositum esse. Novella VI. *βουπόνηρον πορείαν.* Porro *βούπαιδα* dicebant, quem Latini *Catulastrum.* Glossarium: *Catulaster, βούπαις.* Aliae Glossae: *Catulester*, pupa, pupula, *πάλληξ. Catulastros* vetus est lectio apud Vitruvium libro VIII, 4. Quod a nobis admodum adolescentibus olim animadversum fuit. *Scal.* Corrige cum Scaligero *Bulimum*, Graece *βούλιμος*, a particula epitatica *βου*, a bovis magnitudine, unde *βουλιμία, βούπεινα, βούγαιος, βούγλωσσος, βούπαις, βούσυκον.* Et alia multa. *Dac.*

Bubleum. Theocrit. Eidyll. XIV. Byblini vini facit mentionem. *Ant. Aug.* Et *Bublinum.* Graece *βύβλινος.* Theocr. Idyll. (XIV, 15.):

— — — — *Ἀνῷξα δὲ βύβλινον αὐτοῖς*
Εὐώδη τετόρων ἐτέων.

Dac. Alii *Biblinum; βεύβλινος.* Hesiod. (Opp. D. 589.) *Goth.* De orthographia vide interpp. ad Theocr. l. c.

Bucephalus. Contra Festum Scholiastes Aristophanis (ad Plut. 874.), *οὐ γὰρ*, inquit, *βουκεφάλους ἵππους καλοῦμεν διὰ τὸ μορφὴν τοιαύτην αὐτοὺς ἔχειν, ἀλλὰ διὰ τὸ οὕτως ἐγκεχαράχθαι, ὡς καὶ Ἀλεξάνδρου*

τοῦ Μακεδόνος ὁ ἵππος ἦν. Idem Arrianus, vel quod notam candidam in capite habuerit, equus Alexandri, ipse totus niger. Sed verum est ita dictum fuisse, quia Thessalus esset herbamque boueranion inustam haberet. Ita enim generosos quosque equos suos inurebant Thessali. *Dac.*

Benna. De hoc alibi. Glossarium: *Benarius*, σκηνάρχης. *Scal.* Vox Belgica *banne*, quae corbem significat et vehiculum vimineum quadratum, duabus rotis volubile. Quin et apud eos hodie genus carri itemque apud Helvetios *ein benne* vocatur. A *benna combennones.* Et in Lexico Latino-Graeco: *Combennit*, συμβαστάζει. *Dac.*

Bessem. Videtur scribendum: *compositio sit,* deletis verbis: *bessis ex triente;* quae videntur adiecta. *Ful. Urs. Bes.* Inepta etymologia, et morosa. Prius *Des* dicebatur, ut *duonus*, bonus, *duellus*, bellus. Auctor Varro. (Lib. V, 173. Sp.) *As* ita in partes suas secatur vel tribuitur, ut ab uncia ad octo fiat partium incrementum; ab octo ad duodecim fiat deminutio. Cum ergo ad octo perventum est, tunc de asse deminuendum in ratione partium ineunda. Non enim, ut ante, *quadrans*, *triens*, *semis* dicitur, quae unciarum adiectione incrementum capiunt; sed deest uncia, deest sextans, deest quadrans, i. e. *deunx*, *dextans*, *dodrans.* Ergo ab octo de asse deminuitur, unde *Des dessis* dictus primum a veteribus. Et haec est vera etymi ratio. Varro (l. c.) in enumeratione assis partium, postquam ad septuncem pervenit, *Reliqua*, inquit, *obscuriora*, *quod a deminutione. Et ea quae deminuuntur*, *ita sunt ut extremas syllabas habeant*, *ut a duodecim*, *una dempta uncia*, *Deunx* cet. Sed Festus eandem ponit etymologiam in besse, quam Graeci ἐν διμοίρῳ. Nam et δίμοιρον dictum, quod duas portiones, hoc est, duos trientes habet. Sed Graeci in assis distributione, quam posterioribus temporibus οὐγκιασμὸν vocarunt, aliam rationem sequuntur. Ita enim numerant, ut post trientem adiiciant tantum unciam. Ut *triens uncia*, hoc est *Quincunx*; *semis uncia*, hoc est *Septunx.* Deinde iam altero triente facto, quem μοῖρον vocant, δίμοιρον dicunt. Ita autem numerabant ultimis temporibus: δωδέκατον, ἕκτον, τέταρτον, τρίτον, τρίτον δωδέκατον, ἥμισυ, ἥμισυ δωδέκατον, δίμοιρον, δίμοιρον δωδέκατον, δίμοιρον ἕκτον, δίμοιρον τέταρτον, λίτρα. Tria enim tantum hic variant: primus triens, qui simplici accessione unciarum progreditur; alter triens, compositus vel ex se vel ex uncia, vel ex semisse et uncia; tertius triens, qui ex se et augmento unciarum compositus est. Et iterum repetit ordinem primi trientis uncia, sextans, quadrans. Nam se componit cum illis *Besuncia*, *bessextans*, *besquadrans.* Ut non dubitari possit, quare δίμοιρον Graeci vocarint. Cum possent aliter facere, et a tribus quadrantibus Dodrantem potius, quam a duobus trientibus *bessem. Scal. Unciae octo.* Id enim bes. l. 12. 8. ff. mandati. Inde socius ex besse l. 76. ff. pro socio. Et besses usurae, quoties octavo anno usurae sortem exaequant. l. 26. versiculo super usuris. — Cod. de usuris. — *Fiat*, sit. — *Bessis ex triente.* Quibusdam haec videntur esse dispungenda. — *Triens*, trientis. *Goth.*

Bellum. A belluis vult Festus. Sed belluae potius a bello. Prius dicebatur *duellum*, inde bellum. Quinctilian. lib. I, 5. *Sed B quoque in locum aliarum dedimus aliquando, unde Burrus, et Bruges et Balaena. Nec non eadem fecit ex duello bellum. Unde duellios quidam dicere bellios ausi. Dac. Bellum a belluis.* Imo a *duello*, ut Varro scribit lib. VI. (VII. pag. 335. Sp.) Vel a βέλος, ut a praelio differat. Vide Nonium. (p. 437. Merc.) *Goth.*

Barium. In Apulia, distans a Brundusio DCC. stad. Piscosum vocat Horat. Sat. V, libri 1. (v. 96.): *Postera tempestas melior, via peior ad usque Bari moenia piscosi.* Insula *Bara*, de qua hic Festus, *Pharon* existimavit esse Ortelius. Ea hodie *S. Andrea*, ni fallunt tabulae. *Dac.*

Brundisium. Imo Βρεντήσιον seu Βρεντέσιον; prius Βρέντη dictum videtur. Idque esse antiquum nomen eius oppidi, quod significat lingua Cretensium *cervum. Scal.* Nullibi hodie *Brendam* apud poetas reperies. Sed omnino rescribendum *Brendum*, vel *Brentium;* Brundisium enim dictum, quod portus habeat cervi cornua referentes, quem Messapii βρένδον et βρέντιον vocant. Hesychius: Βρένδον ἔλαφον. Vide Strabonem lib. VI. et Eustath. ad Homer. pag. 1409. Stephanus autorem huius etymologiae citat Seleucum in Glossis. *Dac.*

Beneficiarii. Emendabat Salmasius: *Qui muneribus vacabant beneficio.* Sed quia per beneficium imperatorum vacabant muneribus, legendum est potius: *qui vacabant munere ducis beneficio.* Illa *munere ducis*, obliterata syllaba *du*, *munerecis*, in *muneris* postea corrupta. Beneficiarii iidem, inde et *immunes* dicti. Ut contra munifices, qui munus obibant, ut fossas, vallum struerent, excubias et stationes obirent. Aliaque id genus. *Dac. Beneficiarii.* De quibus vide l. ult. ff. de iure immunitatis. Novell. 13. *Muneris beneficio.* al. munere beneficio. *Munifices.* munifici. Dixi ad l. 18. ff. de verb. sign. *Reipublicae.* alii publice. *Goth.*

Benignus. Ridicule Festus. Benignus a *benus*, ut dicebant pro *bonus.* Ut Apello Apollo. Benus

benignus, ut malus malignus. Benignus liberalis et largus; malignus illiberalis et parcus. *Dac. Benignum* in iure *aequum* et *bonum*. l. 5. ff. de legat. 3. *Goth.*

Bellona. Huius rei penitus ignorata ratio exstat apud vetustissimum interpretem Virgilii, qui est penes Danielem nostrum. *Post tertium*, inquit, *et tricesimum diem, quam res repetissent ab hostibus, Feciales hastam mittebant. Denique cum Pyrrhi temporibus adversum transmarinum hostem bellum Romani gesturi essent, nec invenirent locum, ubi hanc solennitatem per Feciales indicendi belli celebrarent, dederunt operam, ut unus de Pyrrhi militibus caperetur, quem fecerant in Circo Flaminio locum capere, ut quasi in hostili loco ius belli indicendi implerent. Denique in eo loco ante aedem Bellonae consecrata est columna. Varro in Caleno ita ait: Duces cum primum hostilem agrum introirent, ominis caussa prius hastam in eum agrum mittebant, ut castris locum caperent. Scal. Bellona.* Glossarium: *Bellona*, Ἐνυώ, Ἐριννύς, θεὰ πολεμική. *Dac. Columella.* Parva columnula. Nam antiqui scribebant *columa*, unde recte *columella.* Quinctil. I, 8. *Et columa, exempta n littera, et Consules geminata s littera Coss. legimus. Idem. Supra quam hastam.* Servius ad illud lib. IX. Aeneid. (IX, 53.):

— — — *Et iaculum intorquens emittit in auras*
Principium pugnae.

docet, cum bellum indicere vellent Romani, Feciales hastam ferratam, aut sanguineam praeustam ad fines eorum misisse, post tertium et tricesimum diem, quam res repetisset pater patratus. (Vide locum Servii supra a Scaligero citatum.) Unde discimus, non in omnibus bellis hastam super eam columnam iecisse Romanos, sed tantum cum deerat vere hostilis locus. Atque hunc morem procul dubio nobis apertius Festus explicaverat, nisi verba eius nobis mutilator barbarus invidisset. Porro Pub. Victor in descriptione Urbis, in regione IX. *Aedes Bellonae versus portam Carmentalem. Ante hanc aedem columna index belli inferendi. Dac.*

Bidental. Apage sis illa verba: *Quoddam templum.* Nunquam enim doctissimus Festus ea scripsit. Verba sunt barbari mutilatoris. Festus ita scripsit: *Bidental dicebant, quod in eo bidentibus hostiis sacrificaretur.* Quis enim nescit, bidental omnem locum esse, qui de coelo tactus est? Tantum abest, ut templum duntaxat dici debeat. Glossarii auctor recte exposuit: *Bidental*, τόπος κεραυνοπλήξ. Quin Persius ipsum hominem κεραυνοπλῆγα bidental vocat (2, 27.): *Triste iaces lucis evitandumque bidental.* Artemidorus libro II. Ὁ κεραυνὸς τὰ ἄσημα τῶν χωρίων ἐπίσημα ποιεῖ, διὰ τοὺς ἐνιδρυμένους βωμούς, καὶ τὰς ἐν αὐτοῖς γινομένας θυσίας. De Bidentibus alibi diximus in Coniectaneis. (Pag. 43. ad Varron. pag. 26.) Glossarium: *Bidentis*, διετὴς ὄϊς, ὄροντα πρόβατα, lege: διόδοντα πρόβατα. *Bidentes*, ἐπὶ τῶν προβάτων, διὰ τὸ διόδοντα εἶναι. Graeci *bidental* vocant ἐνηλύσιον. Glossae Graecorum: ἐνηλύσια, τὰ κατασκηφθέντα χωρία. Nam σκηπτός, fulgur. Porro de bidentibus abunde diximus in Coniectaneis. Bidentes sunt, quas μετάσσας Homerus vocat, quae neque agnae sunt, quia illae nondum dentes ediderunt, neque adasiae, quia iam eiecerunt. A quo λειπογνώμονας oves vetulas vocant Graeci. *Scal. Bidental.* Locus sacro perculsus fulmine, qui bidente ab aruspicibus consecratur, quem calcare nefas est. Vetus interpres Persii: *Bidental* a bidente, quod bidentibus ovibus expiabatur. Scaliger haec duo verba: *quoddam templum*, quasi barbari mutilatoris respuit, quod bidental diceretur quivis locus de coelo tactus. Sed frustra est Scaliger. Nam cum a bidente bidental dictum constet, constat etiam, non prius dictum, quam a bidente fuerit expiatum et consecratum. Ergo *templum quoddam* iure dicitur, id est, locus religionis causa muro, palis, fune aut simili re clausus septusque. Et revera ut in libris fulguralibus Tagetis et aliorum Etruscorum continetur, Aruspex pura veste indutus bidente locum expiabat, consecratum sepiebat, quia calcari nefas erat. Et hic Festus egit de prima origine vocis *bidental.* Postea vero fieri potuit, ut bidental diceretur quivis locus fulmine tactus, qui bidente non fuerit expiatus, nam et Persius hominem etiam bidental vocavit. Sed non ideo verba Festi sic temere mutilare debuit vir doctissimus. *Dac.*

Bidentes. Nonius (pag. 53. Merc.) tamen hoc etymon reprehendit. *Goth.*

Biseta. Bisaenum vocat Glossarium: *Bisaenus*, χοῖρος ἑξαμηνιαῖος. Et tamen non video, quomodo *Bisaenus*, vel Bisenus sit ἑξαμηνιαῖος. Idem est apud eundem auctorem: *Bibilles*, δίμαλλοι. Et: *Bicerres*, δίμαλλοι, δίκροσσοι. Vide ipsum Festum in *Disulcus. Scal. Biseta.* A *bis* et *seta*, quod ex utraque parte setas habeat. Quod tum incipit, cum sex menses nata est. Unde eleganter Glossarium: *Bissetus*, χοῖρος ἑξαμηνιαῖος. *Dac. Biseta.* Vide infra *Dissulcus.* Alii legunt *Bisaena. Goth.*

Bignae. Bignus pro *Bigenus*, eodem modo dictum, quo *Privignus* pro *prigenus.* Nam *Pri* pro *Prae* dicebant, ut *Pridie. Scal.* Infra *quia bis una die natae sunt.* Rescribendum: *quia binae una die natae sunt. Dac. Bignae.* id ita effertur, ut *prignus* pro *privignus. Goth.*

Bigenera. Docti viri putant aliquid mutandum in *cicur sus*; quod quare sibi persuadeant, non video. *Scal.* *Cicur sus.* Recte. Est autem *hibris* Latinis. *Goth.* Non est dubium quin cum Cod. Lips. legendum sit: *Hibris ex apro et scrofa domestica*, omissis verbis: *cicur sus.*

Blaterare. Βλάξ. Glossarium: *Blanx*, εὐήθης. Legendum *Blax*. *Scal.* Stulte loqui et inaniter. Plaut. Aulul. (II, 3, 1.): *Ubi tu es, quae blaterasti* (editur nunc: *deblaterasti.* L.) *iam vicinis omnibus.* Blatero a *blatio*, quo usus est Plautus in Amphitr. (II, 3, 79.): *Qui, malum, intelligere quisquam potis est, ita nugas blatis.* Blatio a βλάξ, piscis nihili, unde per Metaphoram *blax*, fatuus, stultus. *Dac.* Vide Nonium in *Blatterare* et *Blattis.* (pag. 44. 78.) *Goth.* Adde Fulgentium pag. 561. Mercer. Cf. etiam Doederlin. Synonym. III, pag. 78.

Balatrones. A bullis, sive ballis balatrones. Vel a βάλλειν, iacere, quaecunque de coriis resecantur et iaciuntur. Unde balatrones homines nihili cet. Quanquam verosimilius est, balatrones convicium fuisse in eos, quos abominabantur, et barathrones potius dictos, tanquam dignos, qui in barathrum Atheniensium more deiicerentur. Sed haec omnia vere nugae sunt. Balatro vox est adhuc omnibus ignorata, et in qua exponenda aeque falluntur cum veteres tum recentes. Est enim mere Graecum *balatro* et a *balneis* tractum. Ut a καλέω, καλέσω, καλιστρῶ, sic a βάλλω, βαλῶ, βαλίζω, βαλάζω, βαλάστρω, βαλάστρων, balastro, balatro, et balastrum. Glossae Isidori: *Ballastrum, balineum.* Erat igitur *balatro* aquariolus, qui in domo lenonia meretricibus lavantibus ministrabat in aqua aggerunda, βαλλάς indidem dictus et βαλλίων. Et quia homines sordidi et viles huic ministerio operas suas locabant, inde factum, ut homines quilibet impuri et nequam balatrones dicerentur. Possit etiam et alia ratio huius nominis inveniri, et fortasse verior, ex eadem tamen origine; nam βάλλειν et βαλλίζειν absolute dixerunt veteres Graeci pro ὀρχεῖσθαι saltare. At a βάλλειν Latini fecere *ballare.* Glossae Graecolat. βαλλίζω, *ballo.* Unde nostrum *bal*, *balet.* A *ballare ballator*, saltator, per transpositionem *balatro.* Quare apertum est, cur cum mimis balatrones coniungat Horatius (Serm. I, 2, 2.): *Mendici, mimae, balatrones, hoc genus omne.* Et cur etiam balatrones dicti homines, non quisquiliae. *Dac.* Hinc Galli *bellistres.* *Goth.* Interpres vetus ad Horatii locum a Dac. laudatum ita disputat: *Balatrones luxuriosos ac perditos vocat, a Servilio Balatrone, cuius in secundo libro meminit. Ex huius autem vitae nomine similis vitae homines balatrones sunt appellati, a balatu fortasse dicti, quae vox intorta est et ridicula. Legitur et barathrones, qui bona sua devorando quasi in barathrum mittunt. Iidem et blatrones proprie dicti sunt, a blatiendo, id est, vaniloqui.* — A *balatronis* voce est, quod homines nequam Italis *balatroni* et Gallis *belitres* dicuntur. *Voss. in Etym.* Est a Sanscrita voce *bâla* puer, et *bâliça* stultus. Cf. tamen Doederlin. Synon. III, p. 78. seqq.

Bilbit. Glossarium: *Bilibit*, ἐπισκιασμὸς φωνῆς. *Bilbit*, βομβύζει. *Scal.* Vox ad imitationem strepitus, quem edit aqua vel vinum, cum per angustum phialae collum funditur. *Bilbere* Graeci dicunt βομβίλλειν et βομβύζειν. Inde *bombylium.* *Dac.* *Bilbinus* εἶδος ἀγγείου. Gloss. *Goth.*

Blitum. Plaut. Pseud. III, 2, (26.): *Apponunt, rumicem brassicam, betam, blitum.* Inde fatui *blitei.* Plaut. Trucul. IV, 4. (init.): *Blitea et lutea est meretrix nisi quae sapit in vino ad rem suam.* Blitum autem non est a βλάξ, sed a βλίτον. Hesychius: βλίτον, λαχάνου εἶδος. Schol. Aristoph. βλίτον μωρὸν εἶναι δοκεῖ λάχανον. Et fortasse βλίτον a βλητὸν, abiiciendum. *Dac.* Vide Nonium in *Blitea.* (p. 89.) *Goth.*

Bardus stultus. Βραδύς, βαρδύς. Cui contrarium ὠκὺς velox. In versu Caecilii: *Nimi' audacem* cet. *Dac.* Vide Nonium in *Bardum* (pag. 10. Ed. Merc.) Glossis *Barburra*, ἄφρων, ἀνόητος, ματαῖος. Iisdem tamen *Bardus*, βραδύς, ἀναίσθητος, ἄφρων. *Goth.* Versus Caecilii est senarius iambicus. Deest una syllaba vel duae initio.

Bardus Gallice cantor. Lucanus lib. I. (447.) Qui cum alio loco non referatur a Festo, suspectum hunc facit. *Ant. Aug.* Vide Strabonem lib. IV. (p. 197.) et Ammian. Marcell. lib. XV, (9.). Bardi fortia virorum illustrium facta heroicis composita versibus cum dulcibus lyrae modulis cantitarunt. Est autem vox Gallica, hodieque, ut recte observavit doctissimus Vossius, Britannis *Bard* dicitur qui versibus pangit facta illustria. Et vetus Celtarum lingua eadem fuit, quae Britannica. *Dac.* Cf. Forcellini lexicon s. v. Adde Scal. in coniect. p. 122.

Belutus. Malim *belluatus*, ut *belluata tapetia*, quae belluas referunt; sed legendum *belluus.* Glossae Isidori: *Belluus, moribus belluarum.* *Dac.* *Bellutus.* Bestiae similis. Hinc tapetia, quae intexta animalia habent, ζωωτά, belluata Plauto in Pseudolo (I, 2, 14.). Unde videtur hic legi posse *belluatus.* *Goth.*

Beneventum. Omnibus nota est caussa nominis in *Benevento* mutandi. Nemo tamen vere antiquam appellationem reddidit. Nam de Maloetio nugae. Sed veteres prius sine dubio dixerunt *Μαλόεντα*, ut *Σιπόεντα*, Sipuntum, Ὀπόεντα, Opuntum. Sic ergo *Μαλόεντα*, Maluntum et Malventum. Ut Auruncum et

Averruncum. Prius siquidem dixerunt Sipuentum, Opuentum, Maluentum. Sic ὑδρόεντα, Hydruntum: quamquam et ipsum dixerunt ὑδροῦντα, ab ὑδροῦς, ut est apud Stephanum. Sed sic semper ex ὑδρόεις contractum. Quod proprium est Dorum idiomatis, a quibus Tarentini et magna pars Graeciae. Sic enim et τιμᾶντα et αἰγλᾶντα pro αἰγλήεντα, τιμήεντα. *Scal.* *Beneventum.* Pelignorum in Samnitibus oppidum. Ridiculum est τὸ μαλοίτιον, de quo hic Festus; sed fortasse scripserat μαλόεντον. *Μαλόεντος* a μαλόεις, quae Aeolica vox est ἀπὸ τῶν μάλων, hoc est μήλων. Apuliam enim ovibus et lana nobilem esse, quae Appula dicebatur, satis notum est. Hinc μαλόεις urbs illa, quam ibi condidit Diomedes; ὁ *Μαλόεις*, τοῦ μαλόεντος. Aetoli vero more suo ὁ μαλόεντος, τοῦ μαλοέντου. Nam ex genitivo casu aliorum suum nominandi faciebant, ut ὁ μάρτυρος, τοῦ μαρτύρου, ὁ μάκαρος, τοῦ μακάρου. Salm. in Solin. *Dac.* Vide infra *Segesta.* Livium IX, 3. Plin. lib. III. c. 11. et Stephanum de urbibus. *Ant. Aug.* *Melioris ominis.* vid. infr. *Romam* et *lacus Lucrinus;* et quae scripsi ad Novellam 28. c. 1. *Μαλοίτιον. μαλοέτιον:* alii μαλεβέντον. *Goth.*

Bulgas. Adhuc Galli nomen retinent, sed ὑποκοριστικῶς *Bulgetas.* Sunt autem risci scortei. *Scal.* Ita sacculos pellaceos, crumenas veteres appellarunt. Lucil.:

Cui neque iumentum est, nec servus nec comes ullus.
Bulgam, et quicquid habet nummorum, secum habet, ipse
Cum bulga canat, dormit, lavit, omnis in una
Spes homini bulga, hac devincta est cetera vita.

Vocabulum Gallicum, quod Festus intelligit, est *bouge*, et diminutivum *bougette.* Et Latinos a Gallis vocem *bulgam* accepisse creditum est. Sed melius Vossius, qui ab Aeolico βολγὸς pro μολγὸς deducit, nam μολγός, βόειος ἀσκός. *Dac.* Vide Nonium in *Bulga.* (p. 78. Ed. Merc.) Gall. *bouges* et *bougetes.* *Goth.*

Bovem bidentem. Vide *Ambidens.* *Dac.*

Bellicrepa saltatio. Gloss. Isidori: *Bellicrepa quoddam genus ludorum cum armatis.* Lege: *bellicrepa saltatio.* Ea Graecis ἐνόπλιος ὄρχησις. A Romulo institutam dicit Festus, sed ante Romulum eam Curetes exercuerant. Callimach. et alii. Vide *Salios.* Haec eadem fuit, quae Cretensium pyrricha, nisi quod ista gravior. *Dac.*

Bilingues. Lego *Brutiates*, non *Brutates.* Βρεττιάται. Apud Porphyrionem tamen veterem Horatii interpretem legitur *Brutaces*, in eum locum: *Canusini more bilinguis* (Serm. I, 10, 30.). Bilinguis, inquit, dicitur, quoniam utraque lingua Canusini usi sunt, sicut per omnem illum tractum Italiae, quem ex maiori parte Graeci incoluerunt. Ex quo magna Graecia nomen accepit. Ideo ergo et Ennius et Lucillius *Brutaces bilingues* dixerunt. Ita enim ex veteri codice emendandus ille Porphyrionis locus. In quo vides eadem, quae hic scribit Festus. *Scal.* *Brutates* legitur apud Ennium lib. 8. Sat.:

Brutates . . . . bilingues.

Brutates autem iidem qui Bruttii in inferiori parte Italiae, qua Siciliae contigua est, a Lucanis orti et ab iis etiam dicti *Bruttii*, quod ab eis defecissent. Lucani enim *Bruttios* vocabant apostatas et fugitivos. Strab. lib. 6. (p. 228.) et Diodor. Sic. lib. 16. Hinc glossarium: *Brutiani*, οἱ τὰς δουλικὰς τάξεις χρεωστοῦντες. Vide *Bruttiani.* *Dac.* *Bilinguis* glossis δίγλωσσος. *Goth.* *Brutates* Brutiates. *Idem.*

Bitienses. A bitiendo, de quo in Coniectaneis. (p. 161.) Dicebatur idem et *Baetere*, seu *Betere*, et *Bitire.* Glossarium: *Baesis* προσέλθῃς. Lege: *Baetis.* *Scal.* A verbo *bito* pro *beto*, id est *eo.* Varro (apud Non. p. 77.): *Mulierem foras betere iussit.* A *bito* igitur *bitio*, unde *bitienses*, qui peregrinatur assidue. *Dac.* Vide Nonium v. *Betere* (pag. 77. ed. Merc.). Alii legunt *Betare:* alii a betere *Betienses.* *Goth.*

Baiulos. A baiulando, id est ferendo; quo usus Plautus Asinar. (III, 3, 70.):

Ego baiulabo, tu, ut decet dominum, ante me ito inanis.

Dac. Vide Nonium in *Baiulare.* (p. 79. ed. Merc.) adde l. 235. ff. de verb. signif. 5. Gell. 3. (V, 3, 2.). Baiolator Glossis, βαστακτής. *Baiulatio*, βασταγμός. iisdem *Beolat*, βαστάζει. *Goth.* *Baiulus* et *Baiulo* haud dubie descendunt a Sanscrita voce *bhri*, unde *bharas* onus, unde *baro*, iumentum, et priscum verbum *baro* fero. Cf. Doederlin. Synon. I, 151.

Bellarium. Puto legendum: *Bellarium et bellaria, res bellas appellabant.* Sane Latini Bellariorum nomine accipiunt, quae Graeci ὡραῖα vocant, hoc est cupedias. Nam ὡραῖος bellus, et pulcher. Unde et pulchralia eadem dixit Cato in ea, quam habuit de fundo oleario (ap. Festum v. *Pulchralibus.*): *Pulchralibus atque cupediis*; et res bellas pro cupediis Terentius in Adelphis (IV, 2, 51.): *Atque unum quidque quod erit bellissimum Carpam.* *Friandises*, Galli. Graeci etiam τραγήματα; neque solum esculenta, sed et poculentorum delicias. Nam et *Liberi bellaria* dicebant. *Scal.* Perperam; legendum, quod et viris doctissimis

placuit *res aptas epulis appell.* *Dac.* Graeci *τραγήματα:* unde Gallicum vocabulum *dragées.* *Idem.* Alii legunt *res bellarias appellabant;* alia significatione *bellaria* sumuntur apud Gellium 13. c. 11. et Glossis *Bellaria, τραγήματα.* *Goth.*

Bellitudinem. *Verrius*, Varus. *Goth.*

Boiae. Boia proprie collare. Veteres Glossae: Boia, *κλοιός;* et *Inboio, κλοιὸν περιτίθημι.* Saepius in veteribus historiis Martyrum manuscriptis legitur, ut: *Tolle boiam de collo meo.* Non mediocriter errat Brodaeus (l. 2. Miscell. c. 10.), qui *Boiam* eandem cum *Taurea* facit; cum Taurea sit scutica. Hesychius: *μάραγνα, μάστιξ, ταυρεία.* Et: *μαράγνα, τῇ ταυρείᾳ.* Artemidorus de carnibus bubulis, quod non bonum sit videri in somnis eis vesci, praesertim servis: *δούλοις δὲ βασάνους* (*σημαίνει*) *διὰ τὸν ἱμάντα, καὶ τὴν ταυρείαν.* Allusit Plautus (Capt. IV, 2, 108.): *Boius Boiam terit.* Nam Boiam accipiendum pro collari, cum tamen, qui hoc dicit, vellet accipi, tanquam si dixisset ipsum Gallum cum Galla cubare. Notum enim Boios esse Gallos. Et Glossarium: *Bosbuc, Βωτέγεροι, ὡς οἱ Γάλλοι.* Scribe: Bos, *Βοῦς;* Boi, *ἑτεροίως οἱ Γάλλοι.* *Scal.*

Botulus. Glossarium: *Botulus, φύσκος.* *Bolos* hic prima longa accipiendum, per bolos enim farciebantur. *Scal.* Lucanica carnis suillae bolis farta. Unde et nomen, ut vult Festus. Sed repugnat quantitas. *Bolus* enim primam producit; *botulus* vero et per diminutionem *botellus* eandem corripit. Quare optime Vossius a *βοτὸς*, cibus, vel a *βύταλον*, *farcimen.* *Dac.*

Blennos. Plaut. in Bacchid. (V, 1, 2.) *Ant. Aug.* Proprie, quos vulgo dicimus *morveux.* Nam *blenna* est *μύξα, morve.* *Dac.* Cf. Doederlin. Syn. III, pag. 80.

Binomius. Lege: *Binominis.* *Scal.* Ut *cognominis;* sed et *Binomius* rectum erit e Graeco *διώνυμος.* Glossae: *Binomius διώνυμις.* Leg. *διώνυμος.* *Dac.*

Barbari. Plaut. in Milite (II, 2, 56.): *Nam os columnatum poetae inaudivi esse barbaro Quoi vivi custodes semper totis horis accubant.* Idem in Asinaria (prolog. 11.): *Marcus vortit barbare.* Locum Apostoli ex epist. ad Rom. 1. (v. 14.) nemo credat Festi fuisse, sed Pauli, qui Epitomen confecit. *Ant. Aug.* Sed non Graeci tantum barbaros vocabant exteros, Romani etiam omnes praeter Italos sic vocabant, et quicquid alienum erat imperio Romano, *Barbariam*, et *Barbaricum.* Sic et Aegyptii omnes eos, qui ipsorum lingua non uterentur. *Dac.* In iure barbari sunt, qui imperio Romano non parent. l. 6. in fi. ff. de bonis damnatorum l. 5. 6. ff. de re militari l. 26. Cod. de Epis. l. 2. cod. quae res exportari. l. 9. cod. de re militari. Inde *Barbaricum*, de quo proxima dictione infra. *Goth.* *M. Attius*, Plautus; scilicet in Asinaria. *Idem.* In edit. Festi Dacer. scilicet verba *barbarum dixit* sequuntur haec, quae in nullo cod. et nulla edit., quas quidem noverim, reperiuntur: *et de se quum transferret fabulam ex Graeco dixit. M. Attius vertit barbare.*

Bellule. A bene, benule, belle, bellule. *Dac.* Locus Plauti inter fabulas, quas nos habemus non reperitur. Vide Forcellini Lexicon s. v. *L. Bellule;* belle. Vid. l. 4. ff. de usu l. 4. in fin. ff. quibus. l. 53. in fin. ff. de legat. 2. l. 9. ff. de operis novi nunt. l. 2. ff. de suis l. 2. ff. ad Senatus c. Tertull. *Goth.*

Burranicum. A burro, id est rufo. *Dac.*

Buttubata. Ut nugarum facilis et obvia materia, ita nomina multa a veteribus excogitata, ut *Buttubata*, a puerorum vocibus, quas primas in infantia discunt, Bu, Tu, Ba, Ta. Bu, est bibere; unde *bua* potus; et *vinibuae* Lucillio ebriosae. Varro in Caton. de liberis educandis: *Cum cibum ac potionem buas, ac papas vocent; matrem, mammam; patrem, tatam.* *Ba*, est *papa.* Unde Plautus (Epid. V, 2, 61.): *Tum puero dandum, quod papet.* *Ta*, est appellatio *Tatae.* *Tu*, etiam appellatio cibi, unde *Tubuccinari* factum, pro manducare. Idem et *Titia.* Glossarium: *Titia, κρέα νηπίων, ὃ λέγουσι.* Sed praestat *Ba*, pro *Ma*, hoc est mammia dictum, ut facilis est lapsus a B ad M. *Buttubata* ergo, quasi *Buttumata.* Sunt et aliae appellationes nugarum. *Hettae, lire lire, nauci, gerrae, apinae*, quod est detortum ab *ἀφάνναι*, quod fuit ignobile oppidum. Stephanus: *Ἀφάνναι, χωρίον Σικελίας, ἄσημον. ἀφ' οὗ, Εἰ εἰς ἀφάννας, ἐπὶ τῶν ἀδήλων, καὶ ἐκτετοπισμένων.* Proverbium vult accipi Stephanus de remotissimis. Et Hesychius, qui non in Sicilia, sed in Attica ponit: *Ἀφάνναι, χωρίον τῆς Δαμαρτίδος φυλῆς. πόῤῥωθεν.* proverbialiter *ἀφάνναι, ἀντὶ τοῦ πόῤῥωθεν.* At Romani de rebus nugatoriis. Glossarium: *Apinae, φάνναι.* lege *ἀφάνναι.* Neque aliud est *Affanniae* apud Apuleium libro IX. (p. 221, 25. ed. Elmenh.): *Haec et alias similes affannias frustra oblatrantes eos retrorsum abducunt pagani.* Et libro X. (p. 243, 14.): *ore semiclauso effutiens nescio quas affannias.* Apud eundem Apuleium (Met. I. p. 106, 8.) *folia* pro nugis. In vita Gallienorum Impp. (ap. Trebell. c. 8. in Scriptt. Hist. August.): *Cyclopem etiam luserunt omnes apenarii*, lege *apinarii*, id est, quos vulgo in Gallia *Ploisantins*, ab apinis, et nugis. *Scal.* Verius, ut videtur, Martinius, qui ab Hebraeo *bitu bote* esse putat, quod significat *locutionem garriens* sive *futilia effutiens* et sane non pueriles, sed ficticias voces fuisse ostendit Sosipater,

(p. 262. Frob.) apud quem disiuncte legitur: *bu tu bat ta. Plautus pro nugis posuit, ut in glossis veterum bat tat ti anagmenorum* (anaxamentorum recte Meursius) *vocum veterum interpres scribit.* *Dac.*

Bulla βουλή. Tarentine βουλή, βόλλα et ἀναβολή, ἀμβόλλα, unde Abolla, quod Aeolismum resipit. *Scal.* Varro, ut refert Plutarchus, ab Aeolico βόλλα pro βουλή, et pueris datam, ut εὐβουλίας σύμβολον, quod cum Festo facit. Bulla autem in collo pueris ingenuis suspendebatur aurea, libertinis scortea, et a Tarquinio Prisco originem habere putatur. *Dac.*

Boicus ager. Boii Galli, qui circa Padum olim habitavere, sed inde a Romanis eiecti ad Istrum apud Tauriscos. Strabo lib. 5. (216.) et Liv. lib. 5. (c. 33. 34.) *Dac.* Vide Scal. ad v. *Boiae. In qua sunt.* in quo sunt Mediolanenses; vide Livium et Iustinum (XXIV, 4.) *Goth.*

Burranica potio. Vide, quae in Coniectaneis (pag. 79.) de hoc olim scripsimus. *Scal.* Hanc facit lacte, id est lac, cum sapa, id est mulso decocto. Burranicam potionem designat Ovid. (Fast.) lib. 4. (v. 779.):

Dum licet opposita, veluti cratere camella
Lac niveum potes, purpureamque sapam.

Dac. A rufo colore quem burrum. Vide infr. Burrum. Inde Hispanis Burracei, homines potione rubentes: et vas vinarium, Burracea. *Goth.*

AD LIBRUM III.

Corona. Et nos quoque alibi docuimus, *Coronam* Graecae originis esse. Simonides (ap. Athen. XV. p. 680. D.):

Φοῖβος ἐσαγεῖται τοῖς τυνδαρίδησιν ἀοιδῆς,
Ἂν ἄμετροι τέττιγες ἀπημείψαντο χορωνῷ.

(vide Gaisford. Poet. Graec. Min. ed. Lips. Vol. III. p. 192. CXXIX.). Ideoque non carebant ratione, qui cum aspiratione scribebant. *Scal.* Imo potius *corona* a Κορώνη, quam Hesych. interpretatur εἶδος στεφάνου. *Dac.* De corona civica donativa, graminea, lanea, myrtea, navali, obsidionali, civica, murali, ovali, triumphali, v. *Civica* infr. *Donaticae*, *Gradivus*, *Lemniscae*, *Myrtea*, *Navalis*, *Obsidionalis*, *Ovalis*, *Triumphales* et Gell. lib. V, 6. *Goth.*

Coturnix. A sono vocis dictam vult Festus, quod primam in cantu syllabam referat. Sed melius Servius ab obliquo ὄρτυγος per transpositionem *γ* in *c* mutato.

Cornua. Allusit Horatius: — — *et addit cornua pauperi.* *Scal.* Nicandri scholiastes Ἀλεξιφαρμακοῖς· οἱ παλαιοὶ κέρασιν ἐχρῶντο ἐν τῇ πόσει ἀντὶ τῶν ποτηρίων, ὅθεν καὶ τὸ κεράσαι εἴρηται. ἢ διὰ ταυρωτικὸν τῶν πινόντων, τουτέστι τὴν ἀπὸ τοῦ οἴνου ἰσχύν. Ὁ Διόνυσος καὶ ταυροκέρως. Ad hanc bibentium torvitatem allusit Horatius (Od. III, 21, 18.): *Et dat cornua pauperi.* *Dac.* *Cornua fiunt.* Fiant, ut belluae. *Goth.*, quae addit cod. Lips.

Corgo. Vetus Glossarium per *G*, Gorgo. Gorco, ἀναμφίβολος. Lege: *Gorgo*, ἀναμφιβόλως. *Gorgi*, ἀναμφίβολοι. *Scal.* Quasi *corde ago* dici putat Martinius. *Dac.*

Corbitae. Genus navigii tardum et grave. Plaut. Poen. 3, 1. (v. 4.):

— — — *Homines spissigradissimos*
Tardiores quam corbitae sunt in tranquillo mari.

Sic autem dictae corbitae, quod *corbes* in malo παράσημα suspenderentur contra solitum morem, semper enim παράσημα in prora, et inde nomen. *Dac.*

Colurna. Ab arbore corylo dicta potius *colurna* transpositione litterarum pro *conurla*, ut sentit Servius. Virgil. Georg. (II, 396.):

Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.

Tamen vett. Gloss. Κρανέα, δένδρον: *colurnum*, *cornus*. Ergo, *cornus*, *cornulus*, *conurlus*, *colurnus*, *colurnum*. *Dac.*

Cothones. Diximus in notis ad h. v. omittere eam Scal. et Dac. Sed invenitur glossa s. v. *Catones. L.* Repone, ut in veteribus editionibus, Cothones; quid differat *Cothon* a portu, explicat Servius. *Scal.* Sunt autem cothones parvi portus in mari non naturales, sed arte et manu facti. Ut exponit Servius lib. 1. (v. 431.) Aeneid. Dicitur *cothon, onis;* et *cothonum, ni.* Atqui *cothon* pro portu fossitio vix Latinum videtur. Ita vocabatur parva insula Carthaginis, quae vicem portus praebebat et navalia habebat. Strab. l. 7. (17, 832.) Factitia haec insula et Euripo circumdata, id est canali manufacto. Forte Κώθων dicta voce Graeca, quod

rotuuda esset instar poculi. Ex illo portu Carthaginensi, Cothone, alii, ut videtur, portus manufacti sic dicebantur, si fides est Festo. *Fossas* etiam appellarunt Latini. Hodie quoque apud Nannetes, portus *fossa* dicitur; Graecis χάραδρος. *Salmas.* in Solin. Dixi ad l. 59. ff. de verb. signific. *Goth.*

Collatia. Latii in via Tiburtina oppidum prope Romam. A quo Collatina porta. In colle hortulanorum ad Septentrionem, quae et *Pinciaria* a palatio Pincii Senatoris. *Dac.*

Collucare. Profanam silvam dixit, quia luci sacri erant incaedui. Propterea ita deprecatur pastor ille apud Ovidium (Fast. IV, 754.) in sacro Palili:

Seu mea falx ramo lucum spoliavit opaco,
Unde data est tenerae fiscina frondis ovi.

Neque tibi imponat, quod in Glossario legitur: *Conlucatis*, εἶδος νεκροῦ. Legendum enim: *Conlocatio*, ἔδος νεκροῦ. Erat autem *Conlocare* mortuum, in ianua ponere, pedibus in publicum conversis. Quod Graeci προτίθεσθαι νεκρόν. Persius (III, 104.):

— — — *tandemque beatulus alto*
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis
In portam rigidos calces extendis. — —

Glossae Grammaticorum in illud Iliadis τ. (XIX, 212.): ἀνὰ πρόθυρον τετραμμένον. εἰς τὸ πρόθυρον, inquiunt, βλέπων. τοιοῦτο γὰρ τὸ σχῆμα τῆς τῶν νεκρῶν προθέσεως. Ex quibus illustratur Persianum: *In portam rigidos calces extendis.* — Mos erat eam πρόθεσιν a filiis fieri. Dio in Tiberio de Liviae excessu: καὶ αὐτὴν ὁ Τιβέριος οὔτε νοσοῦσαν ἐπεσκέψατο, οὔτε ἀποθανοῦσαν αὐτὸς προέθετο. Male enim hodie προςέθετο. *Scal.* *Conlucare;* succisis arboribus locum implere luce, infra in *Sublucare.* Columell. lib. 2. (c. 22): *Neque terram aperire, neque arborem conlucare.* Glossae Graecolat.: διακαθαίρω δένδρον, conluco. Dicitur et *sublucare. Interlucare* etiam dixit Plin. (Hist. Nat. XVII, 23.) hoc est lucis causa superfluos ramos amputare. Hic autem profanam silvam dixit Festus, quia luci, hoc est silvae sacrae non caedebantur, nisi prius facto piaculo. Vide Catonem de R. R. cap. 130. *Dac.*

Collativum sacrificium. Ad quod singuli conferebant, qualia erant sacrificia, quae Latinis feriis et Paganalibus etiam fiebant. *Dac.*

Colophon. Κολοφῶν, τέλος, unde colophona operi imponere, pro ultimam manum ei admovere. A Colophone Ioniae urbe id tractum docet Strabo lib. 13. (lib. XIV, pag. 643.) quae equitatu ita caeteris urbibus praestabat, ut ubicumque bellum aliquod ambiguum esset, Colophonio equitatu superveniente dirimeretur. Unde etiam ortum ferunt adagium: *Colophonem imposuit*, quando rei cuipiam finis imponitur. *Dac.*

Concinnare. Perperam volunt mutare *concinere* in *conciere.* Vide secundum Coniectaneum nostrum (p. 84.). *Scal.* Ita rem componere, ut apte conveniat et haereat; a verbo *concinere* (male alii *conciere*) id est convenire, quod verbum musicum est. Plures enim diverse canentes *concinere* dicuntur, cum inter se conveniunt. Unde *concinere* pro convenire, consentire, ut Graecis συνᾴδειν. Tamen magis placet Nonius (pag. 59. Merc.), qui ait esse a *cinnus. Cinnus*, inquit, *est commixtio plurimorum, unde et concinnare dicitur.* Cinnus quidem idem quod *cocetum.* Graecis κυκεών. A *coeundo coinus*, unde *cinnus*, quod in eum varia coeant; est igitur *concinnare* ex pluribus rebus aliquid efficere et apte componere. Etsi aliquando pro simplici *facere* usurpatur. *Dac.* Vide Nonium in *Concinnare.* Glossis συγκεκροτηκέναι. Adde Nonium in *Cinnos* et *Cinnus* et *Concinnare*, duobus locis. Hinc concinnatores litium dicuntur l. 9. §. 2. ff. de off. procons. *Goth.* *Est ante componere.* Lego *apte* v. Varronem 5. de L. L. (lib. VI. 234.) et Nonium 1. nr. 207. et 295. et 2. n. 270. Hinc *concinnitudo* Tullio 1. de Inv. n. 333. v. Excerpta nostra ex Glossis. *Idem.*

Concilium. Non a consensu, sed a concalando, hoc est convocando, quasi *concalium. Dac. Concilium vocando;* convocando. *Goth.*

Conciliabulum. Locus in agris aut vicis, ad quem rustici frequentes emendi et vendendi causa conveniebant, certis nundinarum diebus, a verbo *conciliare* emere. Festus vero a *concilium* deducit, ubi per *concilium* convocationem intelligit quasi *concalium*, quod plures in unum coeant, et convocentur. Imo et *concilium* nundinae etiam dicebantur. Eugraphius apud Terent. (Eun. IV, 4, 2.): *male conciliate, male empte. Nam concilium nundinas dicimus. Dac.* Isidor. XV, 12. diversum a foro. Gell. I, 7. Paul. 4. sentent. 6. Livius 4, 25. 39. *Goth.*

Concio. A verbo *concieo* convoco. Et est *concio* conventus a Praetore vel Sacerdote convocatus. Et frustra est Varro (L. L. VI, 222. Sp.), qui concionem quasi coactionem dici putat. *Sic a lacte coacto,* inquit, *caseus nominatus, sic ex hominibus concio dicta. Dac.*

Contubernales. Laudo coniecturam doctorum hominum: *Licet et tentoria ex pellibus fiant.* Ego tamen verius crediderim: *Unde et Tabernacula dicta sunt, licet ex tentis pellibus fiant.* Licet, inquit, non ex tabulis, sed ex pellibus fiant. Lucilius:

Hic ubi consessum, pellesque ut in ordine tentae.

et apud Caesarem (B. Civ. III, 85.): *detendere tentoria. Scal.* Vide *Adtubernalis.* Contubernales, qui iisdem tabernis habitant, et sub eodem duce pugnant. Et sic proprie dicebantur decem milites, qui sub uno papilione degebant, quibus decanus praeerat et caput contubernii dicebantur. Infra legendum est: *Licet et tentoria ex pellibus fiant.* Vel, ut Scal. *licet ex tentis pellibus fiant. Dac. Domestici.* l. ult. ff. de auro (unde Gloss. σύνοικοι, et σύνσκηνοι, et Contubernium συνοικέσιον, συνσκήνιον). *Milites* l. 154. ff. de verb. signific. (unde Glossis *Contubernium* σύνσιτον στρατιωτῶν). Servorum coniuges et nati. l. 2. §. 3. ff. de Instructo; dicitur etiam glossis Contubernarius, ut et aliis Contabernarius. *Goth. Tabernacula*, vide infra Tabernacula. — *Licet ex tentoriis*, licet tentoria et pellibus. Hinc sub pellibus degere milites dicuntur in l. 7. ff. de supellectile et Ammianus 19. *sub pellibus exercitu diffuso.* Adde Livium 5. Tacitum 3. et 14. Val. Max. 2. Lamprid. in Alexandro; inde *pelliones* in l. ult. ff. de iure immunitatis. l. ult. Cod. de excusat. artif. *Goth.*

Contubernium. Sueton. in Iulio (c. 2.): *Stipendia prima in Africa fecit in Thermi praetoris contubernio. Dac.* l. 5. §. a barbaris ff. de re militari: servile connubium l. 14. §. servilis ff. de ritu: l. 49. de manumiss. test. l. 3. Cod. de incestis. Paul. 2. sent. 20. §. 2. inst. de haer. ab intest. *Goth.*

Conclavia. Conclave et conclavium, nam utrumque dicitur, est locus secretior in penetralibus intimis domus, una clave domesticis pervius. Vel, ut ait Donatus, conclave est separatior locus in interioribus tectis: vel quod intra eum loca multa et cubicula clausa sint adhaerentia Triclinio. *Dac.* Vide l. 1. §. 1. ff. de ventre. l. 47. ff. de damno. Glossis συνοικία. *Goth. Clave* clavi. *Idem.*

Contemplari. Templum dicitur quivis locus vacuus et apertus ut *aetherea templa*, regiones aetheris; *Acherusia templa*, cett. Unde in auguriis templum dicitur locus auspicii causa, quibusdam conceptis verbis finitus, in edito et aperto ad prospectum, singulis eius lateribus obversis ad singulas mundi plagas, in cuius umbilico erat *arx* seu *auguraculum* seu *tabernaculum* ad observandas alitum auguralium volatus. Ab eo igitur contemplari. Sed vide apud Varronem lib. 6. (L. L. VII, p. 292. Sp.), qui optime totam templorum significationem est persecutus, etsi in Etymo operam luserit, neque enim *templum* a *tuendo*, quasi *tuempulum*, sive *tuemplum* ut ipse docet, verum a τέμενος quomodo non solum agri partem aliquam, ab aliis divisam et secretam, quae viris fortibus et regibus pro honore dabatur, ut Tarquinio Superbo in campo Martio, Graeci dixere, sed locum quemvis patulum et apertum certis quibusdam finibus terminatum; sic Aeschylus (Agam. v. 6.) dixit τέμενος αἰθέρος, templum aetheris. *Dac. Comtemplari.* Glossis στοχάσασθαι. Adde Nonium in Contempla. *Goth.*

Comitiales. Non omnibus diebus comitialibus conveniebant; neque semper in comitio; comitiales tamen dies sunt, quibus comitia haberi poterant. *Ant. Aug.* Comitiales opponit nefastis Plautus (Poen. III, 2, 7.), illis iocularibus versibus:

Non potuisti adducere homines magis ad hanc rem idoneos:
Nam istorum nullus nefastust, comitiales sunt meri.
Ibi habitant; ibi eos conspicias, quam praetorem, saepius.

Scal. Comitialis dies, quo universus pop. Rom. sive pars illius maxima, comitium petebant conventus agendi gratia. Fuit autem *comitium* certa fori Romani regio ac portio, ad Hostiliam curiam et subter rostra Hostiliae curiae adfixa, a *coeundo* dictum. *Dac.* His adde de Comitiali morbo infra *Prohibere.* Et alia quaedam ex verbo *Quando Rex comitiavit fas. Goth.*

Calatores. Verrius apud Charisium lib. I. (p. 102. Ed. Frob.) *Nomenclator sine u dicitur, velut nominis clatator.* Sed legendum *calator. Ful. Urs. Calatores*, ἐκβιβασταὶ ἱερέων. δοῦλοι δημόσιοι, περίπολοι. *Calator*, κλήτωρ. Glossae Graecorum. Et Isidorus: *Calator, minister sacrorum.* Quemadmodum Calatores sunt sacerdotum praecones, ita etiam κήρυκες ab Homero καλήτορες dicuntur: ἐς δ' ἄγαγεν κήρυκα καλήτορα τοῖο γέροντος. (Il. 24, 574.) Calator ergo καλήτωρ. *Scal.* A *calare*, vocare, nominare, quod a Graeco καλεῖν. Plaut. Mercat. (V, 2, 11.):

Egomet mihi comes, calator, equus, agaso, armiger.

Et Pseudolo IV, 2. (v. 52.):

Harpax calator meus est ad te qui venit.

Sed non ideo dictus calator, quod vocari posset ob necessitatem servitutis, ut Festus putavit, sed quod ipse *calaret*, dictaret nomina, qui et ideo nomenclator dicebatur. Horat. (Epist. I, 6, 50.): *Mercemur servum qui*

dictet nomina. Dac. Adde infra *Incalanto*, *Incalationes*, *Incalative*, *Procalare.* Goth. Graecum *καλεῖν* et Latinorum *calare*, Germanorum *gal, hall*, descendunt a communi radice Sanscrita *khja*, vocare, nominare, dicere.

Condulus. Ita propius accederet ad originem suam, *κόνδυλος*; sed scimus veteres Condalum dixisse et Condalium, *υ* in *a*, ut *κύλιξ*, calix. Plautus quoque fabulam Menandri *δακτύλιον* cum verteret, *Condalium* eam nominavit. *Scal.* Est autem *condalium* annuli genus, quod servi digitis ferebant. Plaut. Trinum. 4, 3. (v. 7.):

— — *Satin' in Thermopolio*
Condalium es oblitus, quando thermopotasti gutturem.

Dac. Alii *Condalium.* *Goth.* Et Latina et Graeca vox fontem habet radicem Sanscritam *kuntsch*, inflexum esse.

Contestari. Interpunctionis nota videtur addenda ad verbum *uterque.* *Fulv. Urs.* Apud veteres Latinos petitor, et is unde petebatur ille petens, hic negans primum inter se vel in iure apud Praetorem, vel in iudicio apud pedarium iudicem contendebant, praesentibus testibus, quos uterque sui facti memores esse iubebat hac formula: *testes estote.* Inde *contestari litem* et *litis contestatio* dici coepta sunt, qua scilicet litis contestatione, uterque se liti persequendae obstringebat apud iudicem a Praetore dandum, et ex ea formula, quam daret, ita ut a neutro liceret salva lite discedere. Unde Gloss. *lites contestatae, αἱ ἀρχὴν λαβοῦσαι ἐν δικαστηρίῳ δίκαι ἐξ ἀντικαθεστώτων.* Cicero pro Roscio (Comoed. 18. in.): *qui per se litem contestatur sibi soli petit, alteri nemo potest, nisi cognitor est factus.* Nunc in foris Gallicanis *litis contestatio* non potest constare actoris intentione, et rei infitiatione sola, nisi intervenerit iudicis super ea re decretum aliquod litis contestationi absolvendae, in foris enim dicitur: *Il y a contestation de cause quand le iuge a donné son apointement à écrire et à produire.* *Dac.* Vide l. 1. ff. quod iussu hinc Contestatio. Paul. 2. sent. 14. contestato l. 1. §. Iulianus. ff. de liberis agnoscendis. Glossis *contestatae μαρτυρήσασαι.* *Contestatur συνμαρτύρεται.* His adde, quae de *Antestatione* scripsi ad leges XII. Tabularum Titul. 7. *Goth.*

Codeta. Pro *caudeta* a cauda, pro quo dixere *coda*, ut alibi dictum. Hic *ager Codetanus* in decima quarta regione trans Tiberim. *Dac.*

Condictum. Nam condicere est simul dicere. Pomp. lib. 66. de empt. *In vendendo fundo quaedam etiam, si non condicantur, praestanda sunt.* *Dac.*

Coctum. A coquendo. *Coquere* a *cogere*, *coagere.* *Dac.* *Coartetur*, coercetur. *Goth.*

Cocula. Sunt Homeri *κάγκανα ξύλα* et Varro nos docet libro 1. de vita P. Ro. *Cocula, quae coquebant panem, primum subcinere; postea in forno; utriusque vocabulum a formo ductum, id est a caldore.* Isidorus: *Cocula, ligna arida, vasa aerea.* *Scal.* Pro vasis aereis usus est Plautus Capt. IV, 2. (67.):

Iubes annon iubes astitui aulas, patinas elui?
Laridum atque epulas foveri coculis ardentibus.

(Legendum *foculis*; vid. notam ad h. l.). Et Cato c. 2. de R. R. (cap. 11.) dixit *ahenum coculum.* *Dac.* Quae cocitatoria in l. pen. ff. de pen. et cocinatoria in l. 19. §. 12. ff. de auro. Et *coquinaria*; aliis coquinatoria, aliis cocliatoria. *Goth.* Vid. Index Scriptt. Rer. Rust. ed. Bipont. v. *Coculum.*

Cohum. Varro lib. IV. de ling. lat. (L. L. V, p. 23. Sp. ubi nunc aliter.): *Cavum a cavo caelum etc.* *Fulv. Urs.* Ennius, ut notavi in quadam veteri membrana:

— — *pilam vix*
Sol mediam; complere cohum terroribu' coeli.

De hoc plura vide in Coniectaneis (p. 12.) *Scal.* Cum lorum significat quo temo aratri cum iugo colligatur, quasi *cohibum* dicitur. Cum vero pro *coelo* sumitur, est a Graeco *κόος* cavitas, non vero a chaos, ut putat Festus. *Coelum* autem non a *Chao* ut Festus, vel a cavo, quod a chao, ut Varro. Sed a *κοῖλον*, quod idem est ac *κόον*. Unde et *coilum* apud veteres. Ennius:

Tollitur in coilum clamos exortus utrimque.

Dac. *Coelum* dixerunt a chaos, ex quo putabant *coelum* esse formatum. *Goth.*

Comoedias. A *κώμη vicus* et *ᾠδὴ cantus*, quia hi lusus in vicis fiebant, antequam in urbes convenissent. *Dac.*

Coclacae. Nempe Graecanice detortum, *κόχλακες.* *Scal.* Doctiss. Vossius putat *cochleacae* vel *cochlecae.* Sed omnino legendum *cochlacae* a Graeco scilicet *κόχλακες.* *Dac.* *Coclacae.* Conchalacae. *Goth.*

Cocetum. Tertullianus libro contra Valentinianos (c. 12.): *Pandoram Hesiodi: Acci patinam; Nestoris cocetum; Miscellaniam Ptolemaei.* *Scal.* A Graeco *κυκάω misceo*, proprie de potionibus. *Cucetum*, u in o *cocetum.* Nestoris cocetum nominat Tertullianus. Ubi manifesto *κυκεῶνα* Nestoris respicit, de qua Ho-

mer. Il. λ. (XI, 624.) pro *Edulii* melius cum Vossio legas *potionis*. Ad poculenta enim potius, quam ad esculenta pertinuit. *Dac. Cocetum.* Coccetum. *Goth.*

Compraedes. Praes is est, qui populo se obligat, spondet se aliquid pro altero praestaturum, ni ipse alter praestet, *compraes,* qui coniunctim cum altero populo se obligat. Vide *praes. Dac.*

Compascuus. A verbo *compasco*, simul pasco, compascuus ager, in quo vicinorum pecora simul pascunt. *Dac.* Vide Ciceronem in Topicis (c. 3.). Isid. (XV,) 13. *Goth.*

Compescere. A *pasco*, composita *dispesco*, *impesco*, *compesco*. Compescere est pecus iisdem pascuis continere, in unum cogere, compellere. *Dispescere* gregem segregare, ita ut pars seorsim pascat. *Impescere* vero est pecus in laetam segetem pascendi gratia immittere. Vide suo loco. *Dac.*

Compitalia. Glossae: *Compitalia, θεῶν ἀγυείων ἑορταὶ, αἳ γενόμεναι ἐν τοῖς τριόδοις ὑπὸ τῶν προσηκόντων τοῖς νεκροῖς. Scal.* Deorum Larium festa in compitis VI. Nonas Maias celebrari solita. Varro lib. 5. L. L. (VI, 206. Sp.): *Compitalia dies attributus Laribus, ut alibi; ideo ubi viae competunt, tum in compitis sacrificatur; quotannis is dies concipitur.* Inde Lares *viales* dicti non semel apud Servium. Vide Macrob. lib. I. Sat. c. 7. et Dionys. Halic. lib. 4. Plin. lib. 36. cap. 27. A Tarquinio Prisco originem duxere. *Dac.* Vide nostra excerpta ex Glossis in v. *Compitalia. Goth.*

Congruere. A gruibus verbum antiquum *gruere.* Glossarium *Gruunt γερανίζουσι.* Unde *congruere* expedire, inter se convenire. Terent. Heaut. III, 1. (102.):

Ne nos inter nos congruere sentiant.

Congruere est etiam simul irruere ut grues, quae non se segregant. Idem Eunuch. V, 8, (3.):

— — — *cui tam subito congruerint commoda.*

(Codd. Bentleii *contigerint*; superiori loco idem reposuit *consentire*). *Dac.* Vide infra *Gruere.* Glossis *συναινεῖν. Goth.*

Cognomines. Plaut. Bacchid. I, 1. (5.):

— — *Quid ogunt duae germanae meretrices cognomines.*

Et in Fragment.:

Illa mei cognominis fuit.

Dac.

Cerrones. Vide *Gerrae. Ant. Aug.* Inde *Concerrones* et *Concerrae.* Lucillius:

Tapullam legem rident concerrae Opimi.

Scal. Pro *Gerrones G* mutato in *C.* Sic autem dicti a *gerris*, cratibus vimineis, quibus pro scutis usi Siculi, et ab Atheniensibus irrisi, utpote qui se re parum idonea tutarentur, unde factum est, ut inepti et leves homines *Cerrones* hodieque dicantur. Aliter tamen idem Festus infra in voce *Gerrae.* Inde congerrae et congerrones, vel concerro et concerrones sodales dicti. Varro lib. 6. L. L. (VII, 340. Sp.): *Congerro a gerrae et Graecum est et in Latina cratis.* Vide *Sodales. Dac. Cerrones.* Concerrones vel Congerrones. *Goth. γέῤῥας* v. infra *Gerrae. Idem.*

Coniptum. Conitum. In lib. vet. *Coniptum.* Quae vera lectio. *Coniptum* a *κονίπτω* pulvere aspergo. *Dac.*

Comptum. Placeret *comtum. Fulv. Urs.* Haec alio pertinent. Legendum *comtum Afranius.* Vide *Comptus. Dac.* Alii *Constus*, alii *Comitus*, alii *Comptum*, alii *Constum*, alii *Comtum. Goth. Excultu*, cultu. *Idem.* Cf. Doederlin. Syn. III, pag. 263.

Conflages. Nonius *Confluges* loca, in quae diversi confluunt rivi. Isidorus lib. XIV. c. 8. *Confrages. Ful. Urs.* Isidorus legit confrages, sed idem est propter cognationem *F* cum *R*, ut sufflamen, sufframent; Fraxtabula, Flaxtabula. Eodem modo compositum confluges, quam Homerus (Il. 4, 454.) *μισγάγκειαν* vocat. Livius Andromeda:

Confluges ubi conventu campum totum inhumigant.

Scal. Vossius legit *confluges* propter verbum *confluunt.* Male, ut videtur, nam *conflages* et *confluges* diversa res est, ut mox patebit. Sed pro *confluunt* legendum omnino *conflant.* Sic *conflages* loca dicuntur, in quae undique conflant venti. A *conflatum*, *conflages*, ut a *stratum*, *strages.* At vero *confluges* loca sunt, in quae rivi diversi confluunt. *Dac. Confluunt* confligunt. *Goth.*

Copona. Non video, quare doctis viris hic visum mutare *a cupis* pro *a copiis.* Nam nihil est apertius. *Scal. Cupa*, ut veteres dixere pro *copa*, idem est ac *copona. Copona* autem sive *cupa* vel *copa*, et tabernam et mulierem significat. De muliere Virg. (Moret. 1.): — — — *Copa Syrica.* Quod Lucil.: *Caupona hic tamen una Syra.* Neque tamen a *copiis* dicta *copona*, ut Festus opinatur, sed potius, ut in al-

phabeto suo Angelus Caninius et Scaliger in Coniectaneis (pag. 61.), *caupo* a Graeco *κάπηλος*, *κάπων*, ut a *κάνθηλος*, *κάνθων*. A *κάπων* Latini fecere *caupo*, addito *u*. Pro quo etiam dixere *copo*, ut pro *aula*, *olla*; et a *copo*, *copona*. Et antiquitus *copo* et *copona* non de una re tantum, ut nunc, sed ad multa alia extendebatur, ut Graecis *κάπηλος*. *Dac.* Hinc coponicula. Glossis *καπιλίον*. Alii caupona, sed utrumque iisdem dicitur Copo et Caupo. *Goth.* *A Copiis*, alii a Cupis: alii a Copi, id est Copioso; unde *Copiantur* Nonio (p. 87. Merc.). *Idem.*

Compilare. L. m. pro *condere* habet *congere*, unde coniecturam facio, *congerere* scribi debere. *Fulv. Urs.* Asconius in praetura urbana: Compilarit: pilos, inquit, pervellerit; sic fraudaverit furto, ut ne pilos quidem in corpore spoliatis reliquerit. Haec indigna sunt et veteri, et erudito interprete. Saltem syllabae modulus debebat eum inducere, ut aliter existimaret. Sed verbum est militare, compilare, cogere. Nam pilatum agmen dicebatur pressum ac densum. Varro apud Servium Danielis nostri ad illud Aen. 12, (121.): — — *Pilataque plenis Agmina se fundunt portis: Duo sunt genera agminum· Quadratum, quod immistis etiam iumentis incedit, ut ubivis possit considere. Pilatum alterum, quod sine iumentis incedit, sed inter se densum est, quo facilius per iniquiora loca tramittatur. Scaurus de vita sua: In agrum hostium veni; pilatim exercitum duxi, id est strictim et dense. Ab eo pilare est premere*, cogere. *Hostius belli Histrici primo:*

Percutit, atque hastam pilans prae pondere frangit.

Idem: — — — sententia praesto Pectore pilata est. Asellio Sempronius: quartum signum accedebat, sive pilatim, sive passim iter facere volebat. Ennius Satyrarum secundo: Inde loci liquidas, pilatasque aetheris oras Contemplo — — hoc est pressas, densas: et, ut ipse ante dicit, liquidas. Ab ego igitur Compilare, non, ut Asconius, a pilis. Qui igitur omnia pressim colligit, dicitur *Compilare.* Quare hic recte, cogere, ut in unum condere exponitur. In Graecis sane id fero, qui compilare interpretantur *μαδίζειν*. *Scal.* *Compilare. A pilare* igitur, hoc est *πιλοῦν*, dicitur is, qui omnia pressim colligit. In libro Fulvii Ursini pro *cogere* erat *congere.* Unde ille faciebat *congerere.* Sed *congere* pro *cogere* antiqua illa, sed vitiosa scribendi consuetudine; sic Thensaurus, confonsus, complurieus, quoticns. *Dac.* *Et in unum condere;* vide infra *Pilare*, qui publica sacra compilaverunt. l. 9. §. 1. ff. ad l. Iuliam peculatus. *Goth.*

Compernes. Graeci vocant *γονυκρότους*. *Scal.* Qui genua coniunctiora habent, quam par est. Plaut. Milite III, 1. (127.): *Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut paetum, aut broncum filium.* *Dac.* Vide Nonium in *Compernes* (pag. 25. Ed. Merc.). *Goth.*

Confoedusti. Imo potius videtur Confidusti, a fidus fidustus, ut ab aucus, augustus; ab uncus, ungustus. *Scal.* Sed nihil mutandum, nam ut optime Vossius, a *con* et *foedus* est *confoedustus*, ut ab *onus*, *onustus.* *Dac.*

Commissatio. Graeci interpretantur *ἐπίκωμον*. *Scal.* Proprie convivium, quod post coenam fiebat in multam noctem a Graeco *κωμάζειν in multam noctem convivari.* Sive ad Comum lasciviae et conviviorum deum post coenam ire cum corollis, conviviali veste, funalibus et tibiciuis. Unde *lasciviarum eruptionem* vocat Tertullianus. Vide Casaub. de Satyrica poesi. lib. 1. c. 4. *Dac.*

Committere. Opinor pro *delinquere* legendum esse *relinquere*. *Fulv. Urs.* Scribe *delinquere*, non *relinquere*. *Scal.* *Insimul mittere, iungere.* Virgil. (Aen. III, 428.):

Delphinum caudas utero commissa luporum.

Commissas habens, id est, iunctas. Pro *facere* Cic. lib. I. de Legibus (13, 37.): *Quocirca vereor committere ne non bene provisa principia ponantur;* pro *delinquere*, sic enim legit Scaliger pro *relinquere.* Virg. I. Aen. (231.):

Quid meus Aeneas in te committere tantum,
Quid Troes potuere?

Sed scripsisse potuit etiam Festus *relinquere.* Sic Nonius (p. 248. Merc.): *Committere, donare, relinquere, M. Tullius in Verrem actione II.* (1, 10.): *Is calumniatores ex sinu suo apposuit, qui illam haereditatem Veneri Erycinae commissam esse dicerent;* pro *incipere.* Virg. lib. V. (Aen. V, 113.):

Et tuba commissos medio canit aggere ludos,

et lib. VII. (542.):

Promissi dea facta potens ubi sanguine bellum
Imbuit et primae commisit funera pugnae.

Dac. *Relinquere* delinquere. *Goth.*

Condere. Simul in interiorem locum dare custodiae causa; ut *condit opes alius* (Virg. Ge. II, 507.) Aliquando *conscribere*, ut *exercitum condidit*, id est conscripsit. Aliquando *facere*, *componere*, *instruere*, ut

condere carmen, *bella* etc. Aliquando *renovare*, in integrum restituere. Florus I, 3. de Tullo Hostilio: *Hic omnem militarem disciplinam artemque bellandi condidit.* Et alibi (IV, 12. extr.): *Augustus condidit imperium.*

Consulas. Attius in Bruto: — — *qui recte consulat, consul cluat.* Ita legendum apud Varronem De L. L. (V, p. 85. Sp.) memini me admoneri ab amico quodam meo Coloniensi, doctissimo iuvene. *Scal.* *Consulere* pro consilium petere. Cicer. in Verr. 2. (I, 11. in.): *Nunc ego iudices vos consulo, quid mihi faciendum putetis.* *Dac.* *Pro iudices et statuas.* Male vel bene de aliquo vel in aliquem consulere est statuere, decernere de eo, quod ei vel commodum sit vel incommodum. Terent. Heaut. III, 1. (28.):

Quia pessime istuc in te atque in illum consulis,
Si te tam leni et victo animo esse ostenderis.

Livius lib. XXX. (43. extr.): *De perfugis gravius quam de fugitivis consultum.* *Dac.*

Cossi. Eos postea *cusos* invenio vocatos. Glossarium: *Cusus*, *ξύλου σκώληξ.* Unde Hispani hodie vocant Gusanos. *Scal.* Alii vermes istos non *cossos*, sed *cosses* vocant, nempe cossis et cossus, ut *matrimus* et *matrimis*. *Dac.* Vide Plin. (H. N.) XI, 33. XXX, 13. *Teredones* etiam Graeci, ut et Latinis *termites*. Isid. XII, 5, (18.): *Est igitur teredo in ligno, quod vermis in carne, tinea in vestimentis; eruca in olere, tarmus in lardo.* *Goth.*

Consilium. Imo omnino a consulendo, *u* verso in *i*. Sic ab exul exilium. Consulo autem a salio. *Dac.*

Conscripti. Ergo iidem sunt conscripti, qui adlecti. Quos vide suo loco. Eos Iunius Brutus legit. Liv. lib. II. (1.): *Deinde, quo plus virium in senatu frequentia etiam ordinis faceret, caedibus regis deminutum patrum numerum, primoribus equestris gradus lectis, ad trecentorum summam explevit, traditumque inde fertur, ut in senatum vocarentur; qui patres quique conscripti essent. Conscriptos videlicet in novum senatum appellabant lectos.* Vide *Qui patres.* *Dac.* Vide supra *Adlecti.* *Goth.*

Consposos. *Consponsos.* Sic eos dicebant, qui sibi mutuam fidem dederant. Usus Naevius, ut docet Varro lib. V. (De L. L. VI, p. 247. Sp.): *Hinc sponsus, consponsus. Hoc Naevius significat, cum ait: consponsi.* *Dac.*

Consuulia. (Corrige: *Consualia*, quod legendum voluimus.) Glossarium: *Conso, τῷ υἱῷ τῆς Ἴσιδος.* Male. *Scal.* Festa, quae Deo Conso peragebantur XII. Kal. Septembr. Ovid. Fast. III, (199.):

Festa para Conso: Consus tibi caetera dicet,
Illo facta die cum sua sacra canet.

Ludi equestres etiam dicebantur, quibus Sabinae virgines raptae sunt. Vide Liv. lib. I, (9.). Varro lib. V. (De L. L. VI, 202. Sp.) et Plutarch. in Romulo (c. 14. et c. 15. extr.). *Dac.* Vide Nonium in *Cernuus* (p. 20. Ed. Merc.). *Goth.* *Consus* deus est idem, qui *Consens*, h. e. unus ex duodecim illis Consentibus, una assidentibus in consilio Deorum. Nisi forte a *consuendo*, h. e. conciliando. Unde Festa *Consualia* sunt conciliatoria.

Conventus. Hoc priori modo Terent. Hecyr. V, 1, (1.):

Non hoc de nihilo, quod Laches nunc me conventum expetit.

Reliqui tres modi sequentes ad unum et eundem possunt referri. Nam a conventibus, quos magistratus sive in Italiae praefecturis et in provinciis suis, sive Romae agebant, qui et *conventiones* dicebantur, ut patet ex Varrone, quivis alii coetus hominum quacumque de causa *conventus* dicti sunt. Sed non praetereundum *conventus* nomine praeterea designari corpus civium Romanorum, qui in quibusvis oppidis extra Latium negotiandi causa degebant, qua appellatione secernebantur ab oppidanis apud Tullium saepissime. Et in orat. pro Sext. (4, 9.): *Et tum conventus ille Capuae, qui propter salutem illius urbis, consulatu conservatam meo, me unum patronum adoptavit, huic apud me maximas gratias egit.* Ubi *conventus ille Capuae* est corpus civium Romanorum, qui Capuae degebant. *Dac.* Nonio (pag. 270. Ed. Merc.) *obviam fieri*, et nostris *in ius vocare*, unde conventio l. 47. ff. de rei vind. l. 7. Cod. de praescr. XXX. *Goth.* *Multitudo* cett. hinc Glossis *Conventus συνοδία, σύνοδος, ἀγορά, συνέλευσις, ἄθροισις.* *Idem.* *Tertio cum a magistratibus iudicii causa populus congregatur.* Idem Theophilus §. eadem Inst. quibus ex causis manumittere; et in pri. Titul. de success. sublatis. Hinc Ciceroni in Verr. (V, 11, 28.), Livio XXXVIII, (30. *Aegium semper conventus gentis indicti sunt.*), Caesari VI. (de bell. Gall. 44.) *conventum agere*, quod et infra *forum agere*; in verbo *Forum*; adde infra *Convenire.* *Idem.* *Supplicationi* cett. hinc Convenire Nonio (pag. 270. Merc.) colligi, coire. *Idem.*

Convicium. Hac voce proprie signatur confusa vociferatio, quae fit pluribus pariter una loquentibus. Vulgo dicimus *vacarme*. Terent. hoc sensu dixit Adelph. II, 1, (26.):

Ante aedes non fecisse erit melius hic convicium.

Et proprie facere convicium dicitur *occentare*. Vide *occentassint*. Inde patet *convicium* esse quasi *convocium* a vocum conlatione, et ita proprie apud Phaedr. lib. I. fab. 6, (5.):

Convicio permotus quaerit Iupiter
Caussam querelae.

Priorem tamen etymologiam secutus Nonius (pag. 64. Merc.): *Convicium dictum est quasi e vicis iocum, qui secundum ignobilitatem maledictis et dictis turpibus cavilletur.* Sed is, quid esset *convicium*, non satis intellexit. *Dac. A vicis.* Male apud Nonium c. 1. a *viciis*, nam a *vocibus* dicitur in l. 15. §. 3. §. 4. ff. de iniuriis. Glossis *καταβόησις*, *ὀχλαγωγία*; ac fortasse iisdem ex superiori loco *ὀχλαγώγιον convicium* legendum, non *comitium*, et *ὀχλαγωγῶ Convicium facio* pro *Comitium facio*: quod tamen temere affirmare nolim. *Goth. Prius* primum. Caeterum quod scribit in vicis prius habitatum, id ipsum confirmatur ab Aristotele I. Politicon variis locis. *Idem.* *Convicium* haud dubie a *voce* descendit. Utrique fons subest Sanscrita vox *vatsch*, loqui, *vâtsch* et *vâg* sermo, unde Latinorum *vox* et *vates*.

Contuoli. Non est dubium, quin legendum sit *Conivoli*, ut supra. Quod et ipse Grammaticus declarat, cum dicit: *Conniventibus palpebris. Scal.*

Consternatio. A sternutamento. Ergo Festus per consternationem metum illum intelligit, quem ex ominoso sternutamento Romani veteres concipiebant. Sed neque ad vocis originem accessit. Imo et quidam libri habent *a sternata mente*, quam veram lectionem puto. Veteres *sternere* dicebant et *sternare*, quod est deiicere. Ab hoc *consternare*, *consternatio*, animi deiectio. In fine lege: *quod ea toto. Dac.* Adde Nonium (p. 262. ed. Merc.) in *Consternari.* Glossis *Consternetur σκιρτᾷ, πτύρεται, κινεῖται, συνταράττεται. Goth. Quod eo toto*, eo quod toto. *Idem.*

Considerare. Astrologorum proprium, qui sidera intuentur. Vide *Desiderare. Dac.* Adde infra *Praesiderare. Goth.*

Constitutus. Non leviter depravatus locus. Sic legendum videtur: *Constitutus hominum consistentium multitudo appellatur.* Varro (De L. L. VI, 210.): *Comitiales dicti, quod tum esset populi constitutus ad suffragium ferendum. Scal.* A consistentium multitudine dictum vult Festus (neque enim depravatus hic locus, ut perperam voluit Scaliger), nam sic apud Gellium (XVI, 5.): *locus, ubi consistitur, constitio*, pro quo libri quidam habent *constitutio.* Melius tamen a verbo *constituere*, quod ibi ad constitutum conveniat populus. Quin et *τὸ constitutum* apud Tullium legitur pro loco, ubi conveniebant. In orat. pro Coelio (c. 8. extr.): *Graves erunt homines, qui hoc dicere audeant, cum sit his confitendum, ne congressu quidem et constituto coepisse de tantis iniuriis experiri. Dac.*

Convallis. A *con* et *vallis.* Male Varro (De L. L. V, 29. Sp.), qui convallis dici putat *cavata vallis. Dac.*

Convoti. Proprie coniuratores *συνομνύοντες. Dac.* Ita et *Devoti* dicuntur. Glossis *καθωσιωμένοι. Goth*

Cibus. Orus Milesius in Etymologico apud me manuscripto: *Κιβωτὸς*, inquit, *ὤφειλε διὰ τοῦ ει διφθ. διὰ τὸ κεῖσθαι ἐν αὐτῇ* etc. *ἴσως δὲ παρὰ τὸ κίβος γέγονεν, ὃ σημαίνει τὴν τροφὴν, καὶ κίβησις ἡ πήρα, ἢ ἡ κιβωτὸς παρὰ τὸ κεῖσθαι ἐκεῖ τὴν βόσιν. Fulv. Urs.* A Graeco *κίβος* pera; nam ita legendum loco *τοῦ Κιβώτιον* pluribus ostendit Voss. In MS. erat *Cybon. Dac. Κιβώτιον κίβος. Goth.*

Ciccum. Varro lib. VI. (lib. VII, pag. 368. Sp.), ling. Lat. habet *cicum. Fulv. Urs.* Glossarium: *Ciccum ῥόας ὑμήν.* Isidori glossae: *Ciccum mali granati membrana.* Vide Coniectanea nostra (p. 149.). *Scal.* Glossis *γρύκοκκος.* Accipitur etiam in Glossis manuscriptis pro umbilico lupi. *Dac.*

Cispius mons. Eum inter Esquilini colles numerat noster, unde et Esquilinum montem *Cispium* et *Oppium* dictum volunt. Vide *Septimontio.* Diversum tamen facere videtur Varro lib. IV. (De L. L. V, p. 57.): *Esquilinus Sexticeps; Cispius mons Septiceps apud aedem Iunonis Lucinae, ubi Aedituus habere solet. Dac. Hominis* Cispii Anagnini. *Goth.*

Citimus. Declinabantur olim Cis, citis; Uls, ultis. Pomponius de origine iuris (lege 2. §. 31.) dixit *ultis Tiberim.* Dixit et Varro alicubi. *Scal.* A *cis* et *citra*, unde *citer*, *citerior*, *citimus*, ut ab *uls*, *ultra*, *ulter*, *ulterior*, *ultimus*. *Citimus* est extremus, sed qui proximus nobis est. Quamquam et eum signare potest, qui nobis sit remotissimus. Nam et *cis* pro *ultra* positum invenias. Vide *Uls. Dac. Citimus* aliis *citumus.* Vide Nonium (pag. 85. ed. Merc.). *Goth. Ultimus* a genitivo *ultis*, vide l. 2. §. et quia. 32. ff. de origine iuris. *Idem.*

Cicindela. Λαμπυρίς. Glossarium. *Scal.* A *cis* et *candeo*, unde et *candela* et *candelabrum.* In MS.

pro *candore* legitur *candela* (exhibent enim editt. Scal. et Dac. pro *candela*, quod nos scripsimus, *candore*.). Sed immediate a *candeo*, unde *candor*, *candela*, quomodo a *λάμπω λαμπυρίς* Graecis dicitur. *Dac.* Glossis manuscriptis genus muscarum vel scarabeorum. *Goth. Candelabra;* vide supra *Candelabrum;* potest et hoc loco legi: *Candela;* quam a candore Isidorus. *Idem.*

Citrosa. Naevius: *pulchramque ex auro vestemque citrosam.* Festus vult ita dictum, quod sit undatim crispa. At Macrobius, quod poma citri vestibus insererentur ad odorem concipiendum. In quo licet videre veterum inconstantiam. Nam alia est citrus, ex qua mensae fiebant, alia, quae poma habet, quam Medicam vocarunt. Quam cum dicant eandem esse cum Homerica Thyia, ipsi viderint. Vix enim et Virgilianis temporibus non solum Europae, sed et Asiae minori cognita erat. *Scal.* Quod Latini *citrum*, Homerus *θύον*, et quas illi *citrosas vestes*, ille *θυώδεα εἵματα:*

Εἵματα δ' ἀμφιέσασα θυώδεα σιγαλόεντα

(Od. 5, 264. 21, 52.). Unde etiam Naevii locum expressum docuit idem Macrobius. *Dac.*

Civicam coronam. Quam dat civis, a quo servatus est in proelio, testem vitae salutisque perceptae. Ex iligneis, vel quernis foliis texebatur, non auro, quia nefas erat, civem lucri causa servari, vel quia cibus victusque antiquissimus querceus capi solitus sit. Vide Gellium lib. V. cap. 6. *Dac.*

Circanea. Sic generatim aves omnes dictas puto, quae praedam circumeundo lustrant, ut milvus aliaeque aves rapaces, a *circando*, circumeundo. *Dac.*

Circites. Non solum circuli ex aere facti, sed et quivis alii circuli. Vide *Cesticellus. Dac.*

Cilium. Glossarium: *Cilia, ὑπώρια.* Lege: *ὑπώπια.* Palpebras intelligit. *Scal.* Festo consentit Isidorus lib. XI, c. 1. *Cilia,* inquit, *sunt tegmina, quibus cooperiuntur oculi, et dicta cilia, quod celent oculos tegantque tuta custodia.* Sed proprie cilium est crepido superioris tunicae, unde pili exeunt. Unde supercilium, quod supra cilium est. *Dac.* Vide infra *supercilium. Goth.*

Cimmerii. Cimmerios in Campania circa Baias et Cumas prope lacum Avernum testantur Lycophron, Silius, Eustathius, Ephorus, et ex eodem Strabo, Plinius, Marcianus et alii. De iis intelligendus locus Homeri Odyss. λ. (XI, v. 14. seqq.):

Ἔνθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε
Ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι, οὐδέ ποτ' αὐτοὺς
Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν,
Ἀλλ' ἐπὶ νὺξ ὀλοὴ τέταται.

Ulysses enim ex Circes insula mane discedens vento secundo sub vesperam ad Cimmeriorum oram appulit. Quod probat de Cimmeriis Scythis circa Bosphorum non posse intelligi. Sed audi Servium ad illud Aeneid. V, (VI, 107.):

— — quando hic inferni ianua regis
Dicitur et tenebrosa palus Acheronte refuso.

Acheron, inquit, *fluvius dicitur inferorum, quasi sine gaudio. Sed constat locum esse haud longe a Baiis undique montibus septum, adeo ut nec orientem, nec occidentem solem possit aspicere, sed tantum medium diem. Quod autem dicitur ignibus plenus, haec ratio est. Omnia vicina illic loca calidis et sulphuratis aquis scatent. Sine gaudio autem ideo ille dicitur locus, quod necromantia vel sciomantia, ut dicunt, nonnisi ibi poterat fieri; quae sine hominis occisione non fiebat. Nam et Aeneas illic occiso Miseno sacra ista complevit et Ulysses occiso Elpenore, quamquam fingatur in extrema oceani parte Ulysses fuisse. Quod ipse Homerus falsum esse ostendit ex qualitate locorum, quae commemorat ex tempore navigationis. Dicit enim eum circa unam noctem navigasse, et ad locum venisse, ubi sacra perfecit. Quod de Oceano non procedit, de Campania manifestissimum est.* Inde autem *Cimmerios* a tenebris nomen habere Phoenices fabulati sunt, ut optime notavit Doctiss. Bochartus in *Chanaan* lib. I. c. 33., quia *cimmer* eis est *nigrescere.* Unde *cimrir tenebrarum atror. Dac.*

Cimbri. *Ληστρικοί* sane *καὶ πλανῆτες* fuerunt. Sed non magis Cimber latronem significat, quam Isaurus piratam; Ambro dissolutum ac voracem; Opicus obscenum. Sed quia tales fuerunt eae nationes, de earum nomine vocamus, qui tales sunt. *Scal.* Germaniae Septentrionales populi, qui cum huc et illuc praedabundi vagarentur, inde factum est, ut Germanica et Gallica lingua latrones Cimbri dicerentur. *Dac.* Isauri piratae l. 20. cod. de feriis: Ambrones dissoluti et turpis vitae homines, supra *Ambrones:* Opici et Osci obsceni, infra *Oscum. Goth.*

Cingulos. *Ubi cingi solet.* In MS. melius *ubi cingi solent. Dac.*

Cillibae. Dicitur et *cilibantum.* Varro lib. IV. (De L. L. V, pag. 126. Sp.): *Mensa rotunda nomi-*

nabatur cilibantum, ut etiamnum in castris; id videtur declinatum a Graeco ἀπὸ τοῦ κύλικος. Verum in etymo fallitur Varro. Nam *cillibae* dicta a Graeco κιλλίβας, mensa tripes, supra quam antiquitus bello redeuntes clypeos reponebant. Aristoph. in Acharn. (v. 1122. ed. Dind.):

Τοὺς κιλλίβαντας οἶσε παῖ τῆς ἀσπίδος.

Ubi Scholiastes: *Κιλλίβαντας τρισκελῆ τινα σκευάσματα, ἐφ' ὧν ἐπιτιθέασι τὰς ἀσπίδας, ἐπειδὰν κάμωσι πολεμοῦντες.* Ab horum similitudine poculorum mensae cillibae etiam dictae. *Dac.* Vide Goth. ad Varronis l. c.

Chilo. Graeci interpretantur προκέφαλον. *Scal.* A Graeco χεῖλος *labrum.* Idem Charisius lib. I. (p. 98. Ed. Frob.): *Cilones dicuntur, quorum capita oblonga et compressa sunt. Chilones autem cum aspiratione ex Graeco a labris improbioribus, quae illi χείλη, unde chilones improbius labrati. Dac.* A *Cilo* est Fabius Cilo in l. 1. ff. de off. P. Urbi l. ult. ff. de officio P. Vigilum. *Goth. Cilo* vocatur et *Capito. Idem.*

Cisterna. Quod fit cis terram, quasi *cisterrena.* Sed magis placet esse a *cista*, quae sacculum, crumenam significat. *Cista, cisterna* aquae receptaculum. Vini etiam fossa ad vinum recipiendum *cisterna* dicitur. *Dac.* Adde l. 1. §. 4. ff. de fonte. Hinc *cisterna vini* metaphoricos in lege 21. §. sed si de navi ff. de furtis. Glossis λάκκος. Glossis MS. Cisterna est lacus collectorius. *Goth.* Apud Paullum fortasse legendum: *Quod cis est terram*, vel, quod Ottoni meo placet, *quod cis, id est, infra terram.*

Camillus. Versiculus ille exagitatus a veteribus criticis:

Praetextum in cista mures rosere camilli.

Camillum intellexit Ovidius (Fast. II, 650.), cum ait:

Stat puer et manibus lata canistra tenet.

Vide Coniectanea nostra (p. 120.). Glossarium: Camilla, ἱέρεια. Servius P. Danielis: *Alexander*, inquit, *Aetolus poeta in Musis refert Camillam nomen fuisse Dianae ab Ephesiis dedicato templo ei impositum.* Haec Servius in schedis reconditis, quae sunt in bibliotheca Danielis nostri. Sed profecto magnus ille Virgilii interpres fallitur. Nam in eo poemate Alexander Aetolus non Camillam, sed Ὦπιν Dianam vocat, cuius versus habes apud Macrobium. Sed est μνημονικὸν ἁμάρτημα. *Scal.* Καδμῖλος Boeotis minister deorum dicebatur, quam vocem a Phoenicibus didicere, qui ministrum vocant *Chadmel*, et ita proprie Boeotis dictus Mercurius, quod deorum esset minister. A *cadmillus* factum *casmillus;* et *camillus* et *casmillum* dictum Mercurium ex Callimacho Varro scribit lib IV. (De L. L. VII, 321. seq. Sp.) alii *camillum;* ut Statius Tullianus. Servius in XI. Aeneid. (543.) inde qui diis serviebant, vel in sacris sacerdotibus ministrabant, *Casmilli* et dempto s *Camilli* dicti. Hinc Pacuvius in Medea:

Caelitum camilla exspectata advenis; salve hospita.

Et quia huic officio pueri ingenui deligebantur, usus postea obtinuit, ut quilibet pueri ingenui vocarentur *camilli*, ut hic Festus; et ostendit vetus carmen (apud Festum v. *Flaminius camillus*): *Hiberno pulvere, verno luto, grandia farra camille metes.* Neque homines tantum *camilli* dicti, sed quaelibet alia, quae rei cuipiam inservirent, ut infra Festus notavit, *cumeram*, sive vas, in quo nubentis utensilia ferebantur, *casmillum* fuisse vocatum. *Dac.* Adde Macrob. 5, (III,) 8. *Goth.* Descendit *camillus* a Sanscrita voce *kumaras, puer*, et a *kumal* radice, quae significat, *ludere*, ut infans. Unde fortasse etiam *famulus* et *familia* descendunt.

Capuam. Sane Capys Graecum vel Tarentinum videtur Latine expressum per *Falconem.* Nam κάπυς παρὰ τὸ κάπτεσθαι, ἤγουν κάμπτεσθαι, quod incurvos habeat pedes; unde et *Capus* dictus κατ' ἐξοχήν, ut ὄρνις gallina κατ' ἐξοχήν, et multa alia eiusmodi, ut et unus tantum ex genere accipitrum vocatus *falco*, non omnes accipitres, quamvis omnes sint γαμψώνυχοι; hoc enim significat *falco. Scal.* Virg. Aen. X, (145.):

Et Capys; hinc nomen Campanae ducitur urbi.

Ubi Servius: *Caelius, qui Troianum Capyn condidisse Capuam tradidit, eumque Aeneae fuisse sobrinum. Alii hunc Capyn filium Capeti volunt esse Tiberini avum, ex quo fluvius Tiberis appellatus est; eumque Capuae conditorem produnt: alii Capyn Samnitem condidisse Capuam confirmant. Sed Capuam vult Livius* (IV, 37.) *a locis campestribus dictam, in quibus sita est. Constat tamen, eam a Tuscis conditam de viso falconis augurio, qui Tusca lingua capys dicitur, unde est Capua nominata. Tuscos autem omnem poene Italiam subiugasse manifestum est. Alii a Tuscis quidem retentam et prius Aliternum vocatam; Tuscos a Samnitibus exactos Capuam vocasse ob hoc, quod hanc quidam Falco condidisset, cui pollices pedum curvi fuerunt, quemadmodum falcones aves habent, quos viros Tusci capuas vocaverunt. Varro* (L. L. IX, 1.) *dicit propter coeli temperiem et cespitis foecunditatem campum eundem Campuanum sive Campanum dictum quasi sinum salutis et fructuum.* Unice placet Livii sententia, cuius verba lib. IV. (37.) *Vulturnum Etruscorum urbem, quae nunc*

Capua est, ab Samnitibus captam Capuamque ab duce eorum Capye, vel, quod propius vero est, a campestri agro appellatam. Et hoc ipsum est, quod Festus in fine: *alii a planicie regionis.* Nam *Capua* quasi *campua* a *campo*, agro campestri, quae vox *campus* planiciem significat, ut *aequor.* Ab huius sententiae partibus facit, quod ipsa *Capua* prius *campa* sive *campus* dicta. Unde *Campani* et *Campas* apud Plautum. Eustath. Dionys.: Ὅτι οἱ Καμπανοὶ, ὧν τὸ πεδίον λιπαρὸν διὰ τὴν εὐκαρπίαν λέγει, ἀπὸ τῶν ὑποκαθημένων ἐκεῖ κάμπων ὠνομάσθησαν, ἢ ἀπὸ Κάμπου πόλεως. Manifesto Capuam urbem intelligit, quod non satis perpensum iis, qui *Campum* nescio quam a *Capua* diversam fingunt. *Dac. Falconem* vide infra *Falcones.* *Goth.*

Camenae. A carminibus; nam primo *casmenae* dictae sunt, postea *carmenae*, ut *casmen* carmen. *Casmen* ab antiquo *casno* pro *cano.* Et hoc multo probabilius videtur, quam si a *cano* ἀμέσως deducatur, quasi *canena*, et *n* verso in *m camena.* Prorsus ineptum, quod sequitur, a casta mente camenas dictas. *Dac.* Non a *carmine* nomen habent *Camenae.* Nam *carmen* est Sanscritum *karman*, factum opus, ποίημα. *Camenae* vero nomen descendit a *kam*, quod significat *amare*, *velle*, *studere.* Quemadmodum autem ab *amo* descendit *amoenus*, sic a *camo*, quod verbum ex Sanscrito *kam* supponere licet, *Camoëna*, quae vox idem significat, quod Graecorum Μοῦσα, h. e. μῶσα; a μάω, μῶ, quod denotat studeo, volo. Sunt igitur *Camoenae*, quemadmodum Μοῦσαι, Deae studentes, inquirentes, scrutantes, Deae studiorum, lucubrationum. Ceterum Graecorum μᾶν et Latinorum *amare* idem vocabulum, quod utrumque e Sanscrita radice *kam* derivandum. Cf. quae supra ad v. *Ameci* notavimus. Adde quod *kamin* adi., fem. *kamini*, in lingua Sanscrita significat amantem, volentem, studentem; quare fortasse rectius scribatur *Camenae*, *e* simplici.

Camara. Vide incerta Verrii ex Charisio. *Ant. Aug.* A Graeco καμάρα. Ex hoc loco Charisius (pag. 55. ed. Frob.): *Camarae dicuntur, ut Verrius Flaccus affirmat, non camerae per e. Sed Lucretius* (apud Charis. l. c.): *cameraeque caminis ex cratibus, etiam cameram dici posse ostendit.* At *Cameri boves sunt*, ut ait Servius, *qui conversa introrsum cornua habent, quibus contrarii patuli, qui cornua diversa habent, quorumque cornua terram spectant; his contrarii licini, qui sursum versum cornua habent. Camurus* a Graeco κάμπυλος, curvus, reiecto π, et λ verso in ϱ. Quidam a camera dici putant; et idem sensisse videtur Erythraeus, cum dubitat an *camerus* vel *camurus* sit scribendum apud Virgil. in Georg. (III, 55.):

— — *Camuris hirtae sub cornibus aures.*

Dac. Vide Macrob. VI, 4. in f. Sic Nonio (pag. 30. Merc.) Camerum obtortum; unde Camerae tecta in curvitatem formata. Hinc camerata area, arcuata in l. 16. §. ff. locati, ubi tamen legitur *aerata* in editione Florentina et Haloandri. *Goth. Camuri boves* Gloss. Camuris ἄγνος, ταῦρος, et Camuris hircae sub cornibus aures, ubi camura cornua interpretatur (Macrob.) in se redeuntia. *Idem.*

Cappas. Lege *campas*, ut in marg. Graecis κάμπη, quo nomine dicitur omne cetaceum et quivis ingens piscis a caudae flexum, quae κάμπη dicitur. *Dac.* Adde Nonium (pag. 120. Ed. Merc.) in *Hippocampi* 2. n. 397. *Goth.*

Catampo. Graecum scilicet κατ' ἄμφω. Videntur verba duorum, qui eum ludum exercebant. Ridiculus est doctiss. vir, qui in Codice Iustiniani libro tertio in fine hariolatur de genere lusuum dictum, quod ipsi Imperatori nunquam in mentem venit, praesertim cum de hoc catampo ibi mentionem fieri putet. Dictum κατ' ἄμφω, ut καθ' ἕν. Sed puto potius *catambo* scribendum per *b.* Καταμβῶ dictum, ut ὀπισαμβῶ. Est autem ὀπισαμβῶ ἡ εἰς τοὐπίσω ἀναχώρησις· καταμβῶ ἡ εἰς τὸ κάτω καὶ τὸ πρηνές. Vide Eustathium. *Scal.* Catambo igitur, quod hodie pueri faciunt, cum capite ambulant, gradiuntur. *Dac.* Quidam κόντακα, ut in lege 1. Cod. de aleatoribus. *Goth.*

Carissa. In veteribus editionibus *vafrum*, non *vafram.* Cui adstipulari videtur auctor Glossarii: *Carisa*, μαυλιστής, ποϱνοβοσκός. Isidori Glossae contra feminino: *Carissa, lena vetus et litigiosa; ancilla dolosa et fallax.* *Scal.* Retineo *vafram*, et verba Glossarii, quae ambigua sunt, interpretor, *lena et quae prostibula alit.* Carissa a Graeco χάρις, ut vult Voss. Legitur etiam et *caprissa* a *capra*, scilicet quasi eam signet, quae caprae vel meretricis mores imitetur. Sed omnium optime Lucas Fruterius, qui in epistola quadam ad Muretum reponendum putavit *catissa.* Nam *catos* pro callidis et ingeniosis apud veteres dictos. *Dac.* Alii *carisam*, fortasse a Caribus; notum enim, qui Cares fuerint. *Goth.*

Cacrimoniarum. Cerus veteri lingua sanctus, a quo cerimonia, ut a sanctus sanctimonia. Et mysticum erat nomen Iani *Cerusmanus* in carmine Saliari, quamvis et creator bonus exponatur a quibusdam veteribus. Nonnulli a Cerere cerimonias. Propterea Glossarium: Cerimonia Δημήτϱια. *Scal.* Hoc est contra Festum, qui *cerus creator* interpretatur, quod si ita sit, ut et revera est, inde *cerimonia* nomen accepisse

non potest. Erit igitur ab oppido Caere in Tuscia, non longe a Tarquiniis, quod sacrarium populi Rom., diversorium sacerdotum ac Romanorum sacrorum receptaculum vocat Livius (V, 40. 50.). Vide Strab. lib. V. (pag. 220.). Quidam a caritate ducunt, id est a carendo, sicut in caerimoniis esse dicuntur, qui certis rebus abstinent, ut infra in *purimenstruo*, et illud etymon probavere Massurius Sabinus apud Gellium lib. IV. cap. 9. Macrob. lib. III. cap. 3. Augustin. lib. II. retractat. cap. 37. et Isidor. lib. VI. cap. ult. *Dac.* *Caerimoniae* vocabulum recta descendit a radice Sanscrita *kri*, quae *facere*, tum *sacra facere* significat. *Carmin* est faciens, sacra faciens, et *Carminja*, actio sacrificii, ritus; quod ipsum est Latinorum *Caerimonia*.

Coelibem. Κοίλιψ est carens concubitu, ut αἰγίλιψ carens capris: κερκόλιψ carens cauda. Κείειν, κοῖος, unde ὀρέσκοιος in montibus cubans. Ea est vera etymologia. *Scal.* Hoc Festi etymon vulgo receptum fuit, nam et Donatus apud Terent. (Ad. I, 1, 18.): *Romani*, inquit, *caelibem quasi coelitem dicunt. Dac.* Glossis ἄγαμος ἀνήρ *caelebs;* ἄγαμος γυνή *innupta;* ἀγαμία *celibatus;* et alio loco: Celebs ἀγύναιος, sine uxore; caelibes ἀσκηταί. Ceterum hoc loco quidam legunt *Celibem*, alii *Celitem*. Idem Isidorus. *Goth.*

Catamitum. Pro *Ganumede* dicebant *Ganamidus*, unde *g* in *c* et *d* in *t Catamitus.* Vide *Alcedo.* Plaut. Men. I, 2. (35.):

> Me. *Dic mihi, nunquam tu vidisti tabulam pictam in pariete,*
> *Ubi aquila Catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum?*

Ubi male Lamb. Catamitum Priami filium facit, cum re vera Trois fuerit, quamvis eum Cicero (Tusc. Disp. I, 26, 65.) Laomedontis dicat, ut et vetus cycli scriptor, cuius tibi versus lepidissimos exhibebit scholiastes Euripidis in Oreste (ad vers. 1376.). *Dac.*

Caeculus condidit Praeneste. Virg. Aen. VII. (681.):

> *Nec Praenestinae fundator defuit urbis;*
> *Vulcano genitum pecora inter agrestia regem,*
> *Inventumque focis omnis quem credidit aetas,*
> *Caeculus.*

Ubi Servius: *Caeculus filius Vulcani sic dictus, quod minoribus oculis fuerit, quam rem frequenter efficit fumus. Hic collecta multitudine, postquam diu latrocinatus esset, Praenestinam civitatem in montibus condidit.* etc. Et Solin. c. 8.: *Praeneste, ut Zenodotus refert, a Praeneste Ulyssis nepote Latini filio, aut, ut Praenestini sonant libri, a Caeculo, quem iuxta ignes fortuito invenerunt, ut fama est, Digitiorum sorores. Dac. Unde putant Caecilios.* Caecilia gens plebeia, Metellorum cognomento clara e Praeneste oriunda, puta a Caeculo. Alii a caecitate Caecilios dictos putant. *Idem.*

Catillones. Catilones. Vide *Catillatio.* Margini adscriptum *catiliones*, quod monet scriptum fuisse *catillones* duplici *ll. Dac.* Vide infra *Fiscellus. Goth. Gulosus.* Nam *Catullire* est esurire vel libidinari Nonio (pag. 90. Merc.). Apud Macrob. Saturnal. III, 19. *Catillones proprie dicuntur, qui ad polluctum Herculis ultimi cum venirent, catillos liguribant. Idem.*

Catillatio. Catillones ait a Romanis dici, qui provincias Po. Ro. despoliassent a catillonibus, qui et catillos ipsos liguriunt, absumpta prius dape. A Graecis vero eiusmodi homines dicebantur μολγοὶ παρὰ τὸ ἀμέλγειν καὶ κλέπτειν τὰ κοινά, ut ille fur apud Maronem (Ecl. III, 5.):

> *Hic alienus oves custos bis mulget in hora.*

Scal. A *Catinus*, catinulus, catillus. A quo *catillare* ligurire. *Catillatio* ipsa actio liguriendi. *Dac.*

Cesticillus. Vide *Arculum. Ant. Aug.* A *cestus*, id est *cingulum*, *cesticulus*, unde *cesticillus.* Vide *Caestus.* Emendabat Salmasius *Cercitillus* a voce *cercites* circuli. Varro lib. V. (De L. L. VI, 191. Sp.): *Ut parvi circuli annuli, sic magni dicebantur circites anni. Dac. Cesticillus* cestillus. *Goth.*

Cespes. In modum lateris. Propterea elegantissime a Graecis vertitur χορτόβλινθος. Glossarium: *Cespes*, χορτόπλινθος, χορτόβωλος, πλίνθος. Male: χορτόβωλος, πλῆθος. *Scal.* Virg. Ecl. I. (69.):

> *Pauperis et tuguri congestum cespite culmen.*

Ubi Servius: *Cespite, id est herba cum propria terra evulsa.* A *caedo* dictus *cespes*, quod frutice undique reciso quadratam lateris figuram referat. *Dac.* Cf. Horat. Od. II, 15, 17. ibique interpp.

Catulinam. Hanc Saturnionem (*Satunrione* in textu Festi exhibet ed. Dac.) Plauti fabulam respicit Plinius, cum ait lib. 29. (c. 4, 14.): *Catulinam adiicialibus quidem celebrem epulis fuisse Plauti fabulae sunt indicio. Dac.*

Catax. Graecum est κατάξ, hoc est κατεαγὼς τὰ μέλη. Isidori Glossae: *Catax, claudus, coxus.* In veteribus Graecorum glossis: *Coxus*, χολός. Lege χωλός. Hispani retinent nomen. Claudum enim hodieque

vocant *Coxo* et *Coxquear* claudicare. Quod et in illis optimis glossis reperi: *Coxigat*, χωλαίνει. Et Nonius (pag. 25. Merc.): *Catax dicitur, quem nunc coxonem vocant.* Dicitur et *cloppus*. *Cloppus*, χωλός. Glossarium. *Scal.* Graecum est ἀπὸ τοῦ κατάξαι. Lucilius lib. 2.:

— — — — hostibus contra
Pestem perniciemque catax quam et Manliu' nobis.

Caesariati. Plautus in Milit. (III, 1, 171.):

Qui miles admutiletur caesariatus.

Dac. Descendit a Sanscrita voce *kaeça*, quae comam significat. Unde *kaeçin*, qui comam habet; *kaeçara* comatus, et cum suffixo *ja*, *kacsarja*, quae vox statum eius significat, qui comam alit. Quare proprie *caesaries* denotat *comationem*, si ita dicere liceat. Cf. Schlegel über Spr. u. W. der Ind. p. 12.

Catularia. A *catulus*, quod non longe ab ea immolarentur catuli, id est canes, unde patet *catulus* de canibus dici, quod pluribus exemplis firmavit Vossius; porro quod rufae canes ad placandum caniculae sidus immolarentur, id aperte docet Festus in voce *Rutilae*. *Dac.*

Caedem. A *caedo*, quod a καίνω occido, unde et *caido* antiqui dicebant. *Dac.*

Cenina urbs. Al. *Caenina.* Καινίνη Steph. et Halicarn. *Caeninenses* Livio. In Latio ponit Plin. (Lib. III, 5, 9. §. 68.)

Catulus. Forsan prima notione *catulus* catenam illam signavit, qua canes vincti. Postea vero pro quovis vinculo sumi coeptus. Lucil.:

Cum manicis, catulo, collarique ut fugitivum.

Dicitur etiam *catellus*. Plaut. Curc. V, 5. (3.) (13.):

Delicatum te hodie faciam cum catello ut accubes
Ferreo ego dico.

Ubi non audiendus Lambinus, qui hanc differentiam statuit, ut *catellus* parvum canem, *catellum* vero catenam significet. Nam catulus et catellus canem et canis vinclum, ut Graecis σκύλαξ ἔγγονα κυνός et δεσμὸν σιδηροῦν notat. *Catulus* autem et *canis* pro vinclo, ut optime Festus. Plaut. Casin. (II, 6, 37.):

Deos quaeso, ut quidem hodie tu canem et furcam feras.

Dac. Adde infra *Millus collare canis*, et Nonium (pag. 36. Merc.) in *Collare*. Eiusmodi fere catulus iniiciebatur torquendis l. 7. ff. ad l. Iul. de vi publica. Est praeterea catella deminutivum apud Nonium (pag. 199. Merc.) a catena, ut infra in *Redimiculum*, quae et canis. *Goth.*

Caestus. Laminae ferreae aut annuli connexi, quibus pugiles armabant brachia. Clavae etiam plumbeas pilas loris bubulis appensas habentes caestus dicebantur per *ae* a caedendo. *Dac.* *Et genus quoddam.* Cingulum intelligit, sed hic frustra est Festus sive Paulus. Nam cum pro ornatu muliebri; per *e* scribitur a Graeco κεστός, quod apud Homerum, Lucianum et alibi quoque observavi. Cum vero pro armis pugilum; per *ae* a caedendo, et ita sensisse videtur Servius. Sed cogitanti mihi succurrit, nihil opus esse dividua ista originatione; cestus enim pugilum et cestus muliebris per *e* simplex a κεστός, quod adiective a κεντέω *pungo*. Cestus quasi acu pictus et compunctionibus elaboratus et distinctus, quomodo Veneris cingulum sive balteum κεστὸν ἱμάντα dixit Homer. Iliad. ξ. (214.). Et Hesychius interpretatur ποικίλον. Ab eo igitur Latini substantive formarunt *cestus*, *cesti*, de muliebri ornatu; et *cestus*, *huius cestus* de armis pugilum. Ille, quod acu variegatus; iste, quod inserto ferro et plumbeis bullis sive sphaerulis quasi compunctionibus distingueretur. *Dac.*

Caeditiae tabernae. Ex hoc loco Sipontinus: Caeditiae tabernae non a caedendo dictae sunt, sed a domini nomine, qui Caeditius vocabatur, a quo in via Appia aedificatae sunt. Non longe ab eadem via circa Vestinos alicubi campus nomine Caeditius, cuius meminit Plin. (XIV, 6, 8. n. 2.). Unde optimus caseus et circa Sinuessam Caeditiani coloni. *Dac.*

Cavillatio. *Cavillari* a *cavere*. Istud de iurisprudentibus dicitur cum consiliis suis nobis cavent, illud vere Leguleiorum et rabularum forensium proprium, cum tergiversantes tricas et morosas iuris praestigias effutiunt ad fallendum, unde *cavillatio*, frustratio, per fraudem irrisio, calumniatio. Et *incavillatio* per despectum irrisio infra Fest. Glossarium: *cavillatio*, ἐνέδρα, ἀπάτη, παρεγχείρησις. *Dac.* Vide l. 177. ff. de verb. signif. *Goth.*

Cati fons. Non longe a Roma. Sed de Cati fonte nihil alibi legere est. Vide *Petronia*. *Dac.*

Cacula. Plaut. in Trinum. (III, 2, 198.). *Ant. Aug.* Glossarium: *Cacula*, δοῦλος στρατιώτου.

Scal. Est a *κακός imbellis*, quod non esset in numero militum. Caculam cum calone in etymo confundit Festus. *Dac.* Vide aliud etymon infra *Procalare. Goth. Clavis ligneis.* Vide *Catones. Idem.*

Canalicolae. Forenses vocat, ut etiam Graeci ἀγοραίους, hoc est χυδαίους. Ceterum singulari numero *propter canalem* legendum est, non, ut hic, *propter canales.* Plautus Curculione (IV, 1, 15.):

In foro infimo boni homines atque dites ambulant;
In medio propter canalem ibi ostentatores meri.

Scal. Per canales autem fori cancellos intelligo, qui *canales* dicti; et ita hunc locum accepit doctissimus Salmasius, qui hunc Tertulliani locum (de pallio c. 5.) adduxit: *Iam et de negotio provocat, ego, inquit, nihil foro, nihil campo, nihil curiae debeo, nihil officio advigilo, nulla rostra praeoccupo, nulla praetoria observo, canales non adoro, subsellia non contundo. Dac. Quod circa canales fori consisterent.* Vide Novell. 90. c. 1. *Goth.*

Cana. Idem sentit Varro lib. IV. de L. L. (V, p. 125. seq. Sp.): *Tryblia et canistra, quae putant esse Latina, sunt Graeca, τρυβλίον καὶ κάνεον Graeca sunt.* Ergo κανᾶ a κάνεον, in plurali κάνεα et per contractionem κανᾶ. Sed *canistrum*, ut optime Voss., non minus est a Graeco, quam *cana*, a voce κάναστρον scilicet, quam Hesychius exponit ὄστρακον, τρυβλίον, κανοῦν. *Dac.* Adde infra *Canephora.* Glossis: *Cana*, πανάκεια θεός. *Goth.*

Canicae. A canibus scilicet. Vide proverbium κύων ἀπὸ μαγδαλιᾶς. Pacuvius:

Qui apud te quasi servos est canicaceum panem.

Scal. Lucil. l. 27.:

Quanti vellet quam canicis apud te et magonis manu.

Dac. Adde Nonium (pag. 88. Merc.) in *Canicas. Goth.*

Cancri. Cancer, canceris, et mutato n in *r* carcer, carceris; non a coercendo, ut Varro (De L. L. V, 150. 153. Sp.). Apuleius (Met. VI. p. 176, 26. ed. Elmenh.): *inter Orci cancros iam ipsos adhaesisti. Scal.* Sunt autem *cancelli* septa quaedam rectis, obliquis et transversis lignis contexta, fenestellis distincta. *Dac. Calces.* Vide supra *Calces. Goth.*

Canentas. Forsan, inquit Voss., a κανοῖς, quae in capite portabant Canephorae, nisi legatur *carentas* a Graeco κάρηνον *caput. Dac.*

Canta. In Saliari carmine, ut puto, unde *pa* pro *parte*, *po* pro *populo* Festus adduxit. Vide ibi notata. Verum hic mihi locus suspectus est, et, ni fallor, legendum: *cante pro cantate ponebant.* Ex hoc Varronis lib. VI. de L. L. (VII, p. 314. Sp.), ubi voces e carmine Saliorum adducit, *ab eadem voce canite*, inquit, *pro quo in Saliari carmine scriptum est cante, hoc versu: Divum exta cante, Divum deo supplice cante. Dac.*

Caudicariae. Naves sic dictae, quod e caudicibus, id est crassioribus tabulis fierent. Varro lib. 3. de vita pop. Rom.: *Quod antiqui plures tabulas coniunctas codices dicebant, a quo in Tiberi naves codicarias appellamus.* Inde Caudicarii dicebantur ii, qui caudicariis navibus frumentum advehebant. *Dac.*

Candelabrum. A candela dictum docet etiam Varro lib. IV. de L. L. (V, 125. Sp.), *brum* autem est vocis productio. Frustra igitur, qui a *candela* et λαβεῖν *capere*, vel a *candela* et *labrum. Dac. Figantur.* Vide *Cicindela. Goth.*

Cantherius. Cantherios equos dictos putat Varro (De R. R. II, c. 7. fin.), quod semine careant. Inepte sane. Optime Caninius in Alphabeto a Graeco κανθήλιος, λ mutato in ρ. *Dac.* Glossis καβάλλις μηχανικός. *Goth.*

Cavillum. Dictum a cavendo, ὑποκοριστικῶς, propriumque est leguleiorum et moratorum verbum. Nam iuris consultorum proprium *cavere.* Ovidius (Art. Am. I, 83.):

Illo saepe loco capitur consultus amore,
Quique aliis cavit, non cavet ipse sibi.

Tibull. (I, 4, 67.):

Haec mihi quae caverem Titio deus edidit ore.

Hodie inepte: *quae cancrem Titio*, nullo sensu. At Tibullus se prudentum more de amore publice responsurum cuilibet consulenti proponit. Quod ex sequentibus et ex nomine Titii apparet, sed qui corruperunt, ignorarunt, secundam et tertiam coniugationem eandem apud veteres fuisse. Ut igitur diminuerunt nomen in formulariis illis, leguleios, non iurisprudentes vocantes, sic et verbum professionis, cum cavillare, non cavere eos dicebant propter tricas et morosas iuris praestigias. Sane ita esse vel unus Tertullianus satis dederit, qui in libro de corona (11.) ait: *omnibus modis cavillandum*, id est cavendum, παντοίως περιεργαστέον.

Non ergo obscurum, quare in vitium verterit hoc verbum, cum genus hoc hominum male semper audierit. Glossarium vero: *Cavillatio*, *ἐνέδρα*, *ἀπάτη*, *παρεγχείρησις*. *Scal.*

Caudecae. Lege: *Caudeae.* Ita etiam Plautus Rudente (IV, 4, 65.). *Scal.*

Cistellam istic inesse oportet caudeam in isto vidulo.

Dac. *Caudecae* Caudetae; alii, Caudea cistella ex iunco. In Glossis manuscriptis corrupte: *Caudia iunceum, quod vinciam caudae emargat.* Dicitur et scirpeum et vimineum. *Goth.*

Caulae. A cavitate dictas vult Festus, Varro etiam (De L. L. V, p. 29. Sp.). Sic Lucret. (VI, 491.): dixit *caulas aetheris*, id est *cava coeli.* Sed melius alii a Graeco *αὐλή aula*, addito *c caula.* Servius ad illud IX. Aen. (60.):

Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili
Cum fremit ad caulas.

Caulae munimenta et septa ovium. Est enim Graecum nomen c detracto. Nam Graeci αὐλάς vocant animalium receptacula. Glossae Cyrilli: *αὐλή, τῶν προβάτων· stabulum.* Inde in sacris aedibus et in tribunalibus septa, quae turbas prohibent, caulas vocamus, quomodo Graeci quoque *αὐλάς*. Suid. *αὐλὴ τὸ νῦν ἀρχεῖον καλούμενον.* Nam *ἀρχεῖα* eidem sunt *τὰ χωρία τῶν κριτῶν.* Secretaria scilicet iudicum. Inde Glossae Isidori: *Caules, cancelli tribunalis, ubi sunt advocati.* Nam utrumque dicebant caules et caulas, ut *furcilles* et *furcillas. Dac.*

Cavum. Varro lib. IV. de L. L. (lib. V, pag. 28. Sp.): *Ego magis puto a chao cavum et hinc coelum.* Chaos a *χάω hio.* Vide *Cohum. Dac.* Et *Chaos. Goth.*

Caculatum. Ut aedilatum. *Scal.* A cacula. *Dac.*

Calones. Nihil tale usquam hodie legitur. Id si verum sit, calones a *κᾶλον* vel Latino *cala* lignum. Sed multum se metuere dicit doctiss. Vossius, ne Paulus confuderit *calones* cum *calopediis*, quae *calopedia* sunt pedes lignei; *formas* vocat Horat. (Serm. II, 2, 106.) et ita nos vulgo. *Dac.*

Clacendix. Glossae Isidori: *Clacindex, concha.* Lege: *Clacendix.* Legitur et *Claxendix.* Priscianus (Lib. V, 7. p. 191. seq. Kr.) exponit concham, qua signa sua, quibus res suas obsignabant, claudere solebant veteres; et ad id probandum e Plauti Vidularia hunc locum adducit:

Opposita est clacendix. At ego dicam signi quid sit.

Claxendix a Graeco *κλᾷξαι*, id est *κλεῖσαι* claudere. *Dac.* *Clacendix*, Calcendix. *Goth.*

Calces. Per ampullas plumbeas non video quid intelligat Festus, nisi significet ampullas lividas, quae sub pedibus nascuntur. *Dac.* Vide *Cancri. Goth.*

Calbeos. Suetonius (Galba 3.) et historici *Galbeos.* Glossarium: *Calbae κόσμια. Scal.* Salmasius monuit esse a *κάρπος*, iunctura manus. Nam veteres *κάρπιον* dicebant, quicquid in modum armillae *χειρὸς κάρπον* vinciebat. Carpion, calpion, calbion, calbeum, galbeum, quod etiam Festus exponit ornamenti genus. Et Glossae: *Calbae κόσμια.* Lege: *Calbei.* Placidus: *calvea, ornamenta*, ubi etiam rescribendum *calbei*, nisi malis *calbea*, quamvis *hoc calbeum* dixisse veteres satis non constat, sed *hic calbeus.* Cato in Origin. 7. Galbeos lineos, pelles, redimicula. *Dac.* Vide *Galbeum. Goth.*

Calix. A Graeco *κάλπις*, quod urnam significat, vel a caldo hoc est calido, quod et sentit Varro lib. IV. de L. L. (V, p. 130. Sp.). *Calix a caldo, quod in eo calda puls apponebatur et in eo calidum bibebant.* Sed magis placet, si a Graeco *κύλιξ. Dac.* *Quod in eo caldum bibatur.* Hic locus argumento est, veteres calidam bibisse; de quo dicam ad l. 18. §. 3. ff. de instructo. *Goth.* *Caldum* alii *caldam*, ut aquam intelligas et glossis Calda *θερμόν. Idem.*

Calpurni. Lucanus in Panegyrico ad Pisonem (v. 2. seqq.):

Hinc tua, Piso,
Nobilitas veterisque citant sublimia Calpi
Nomina, Romanas inter fulgentia gentes.

Scal. A Calpo Numae filio originem duxisse scribit etiam Plutarch in Numa (c. 21.) Vetus Horatii interpres (ad Art. P. v. 292.) Numae filium *Calpur*, non *Calpus* vocat. *Dac.*

Calim. Inde fecere Latini *clam*, non a clavibus, ut infra Festus. *Dac.* Vide *Clam. Goth.* *Nis* fortasse a Graeco *νῶϊν. Dac.* *Sam* a Dorico *ἄν* pro *ἥν*. Vide *Sos. Idem.* *Im* a Graeco *νίν. Idem.* Vide *Im. Goth.* *Calim* haud dubie originatione sua coniunctum est cum vv. *caligo*, *celare*, Germanico *hehlen*, *hüllen*, Sanscrito *hul.* Cf. Doederl. Syn. III, pag. 166. seqq.

Calicata. Veteres dicebant *calecata*, ut legitur hodie in tabula vetustissima Aletri, quam descri-

psit ita amicus noster Aldus Manutius Pauli F. iuvenis doctissimus: *L. Betclienus L. F. Vaarus haec, quae infra scripta sont, de senatu sententia faciunda coiravit: semitas in oppido omnis: porticum, qua in arcem eitur: campum, ubei ludunt: horologium, macellum, basilicam calecandam: seedes, lacum balinearium; lacum ad portam* etc. *Scal.* A Graeco χάλιξ, per syncopen *calx*, *calix* dicebatur, unde *calicare*, *decalicare* infra Festus: *Decalicatum*, *calce litum*. Tectorii operis proprium *linere* et *polire*, ut *albarii* de albare. Illud fiebat arenata calce, vel marmorato; istud calce nuda, id est, cui nulla arena admixta. Inde in veteri inscriptione: *Eosque parietes marginesque omnes, quae lita non erunt calce arenata, lito politoque et calce nuda dealbato.* *Dac.*

Calyptra. *Caliptra.* Lege: *Calyptra.* Καλύπτρα κεφαλῆς καλύμματα Hesych. *Dac.* A καλύπτω, quod est velo, tego, operio; unde κάλυμμα teges, tectamentum, tegimentum seu tegmentum; καλυπτηριάζω imbrico: καλύπτης imbrix. Quid καλυπτήρια, dixi ad Titul. Cod. de donationibus ante nuptias. *Goth.*

Calathos. Graece κάλαθος, ubi mulieres fusos, lana et pensa reponebant. Virgil. (Aen. VII, 805.): — — *Non illa colo calathisque Minervae femineas assueta manus.* Latine *quasillus* dicitur. Calathus etiam apud veteres pro quolibet vase vel poculo. *Dac.* *Quasillos.* Vide *Talassionem.* *Goth.*

Caduceatores. Caduceum Graecum est pro Caruceum. Καρύκεον Syracusane et Tarentine, quod aliis κηρύκειον, *r* in *d*, ut contra saepe *d* in *r*. *Scal.* Legati, praecones, feciales, qui caduceum gerebant in signum pacis; Graece κηρύκειον apud Lucianum et in epigramm. Tarentinis et Syracusanis καρύκειον. De caduceo Hygin. lib. 2. Astron. cap. 8. *Ab Apolline virgulam quandam muneri accepit Mercurius, quam manu tenens cum proficisceretur in Arcadiam, et vidisset duos dracones inter se coniuncto corpore alium appetere, ut qui dimicare inter se videretur, virgulam inter utrumque proiecit; itaque discesserunt. Quo facto eam virgulam pacis causa dicit esse constitutam; nonnulli etiam cum faciunt caduceos, duos dracones implicatos virgula faciunt, quod initium Mercurio fuerat pacis.* Graeci tantum caduceos gerebant, Romani vero herbas quasdam quae sagmina vocabant. *Dac.* Κηρύκειον l. 8. §. 1. ff. de rerum divisione. *Goth.*

Carinantes. Glossarium: *Carinari* χαριεντίζεσθαι. Isidorus: *Carinantes, illudentes.* Ennius:

Contra carinantes verba atque obscena profatus;

et tamen corripit in sequenti mediam:

* *Neque me decet hanc carinantibus edere chartis.*

Qui versus nondum excusi citantur a Servianis schedis doctissimi Danielis nostri. Ita factum carinari a carina, ut apud Graecos γεφυρίζειν a γέφυρα, idemque valet ac carinari. *Scal.* Inde etiam ludi dicti γεφυρισμοί. Vossius potius putat (quod unice placet,) a *carere*, id est radere, carpere, a *caro carino*, ut a *nato natino*. Iuvat, quod, ut *carere* Latinis de veste et dictis mordacibus dicitur, sic Graecis πλύνειν vestes lavare, et conviciis et maledictis lacessere, quomodo et Gallis vox *laver.* Primum Ennii versum ita emendavit Salmasius: *Ac contra carinans* pro *contra carinantes.* *Dac.* *Obiectantes* obiicientes. *Goth.*

Cadmea terra. In aes iniicitur, ut facilius fundatur. Plin. (H. N.) lib. XXXIV. cap. 10. *Ipse lapis, ex quo fit aes, Cadmea vocatur, fusuris necessarius, medicinae utilis.* Lapidem calaminarem vocant officinae. Dicta autem Cadmea a Cadmo, qui metallorum fusuram invenisse dicitur. Alii aliter. *Dac.* *Orichalcum.* Vide *Aurichalcum.* *Goth.*

Casa. Potius a *caso*, id est *cado*, quod cadat facile. Alii a καίω uro, quod facile incendatur: alii aliter. *Dac.* Hoc verbum satis frequens in iure. §. 5. Inst. de rerum divis. l. penult. ff. de usu fruct. l. 41. §. 3. ff. de legat. 3. l. 5. l. 6. de adquir. rerum dominio. *Goth.* Subest etymon idem, quod Germanicis vocabulis *Haus*, *huis*, *hütte*, *h* mutato in *k*, ut saepe.

Cascum. Varro lib. VI. de L. L. (VII, 316. Sp.). *Cascum significat vetus. Eius origo Sabina, quae usque radices in Oscam linguam egit. Cascum vetus esse significat Ennius, cum ait:*

Quam primum Casci populi genuere Latini.

Scaliger vult esse ab Osca voce *casus* παλαιός, unde et *casnar*, senex. *Dac.*

Casnar. Senem Casnarem Osce dictum testatur etiam Varro (De L. L. VII, 318. Sp.). Scaliger deducit a *casus* antiquus. Vide supra *Cascum.* Vide Nonium (pag. 86. Merc. s. v. *Carnales*). Verisimile *casnares* ab Oscis dictos, qui Latinis *cani* a canitudine. Ratio est, quod in vocibus suis Osci, ut et Sabini fere semper, sibilum addunt, sive literam *s*, quam a Graecis Doriensibus acceperunt. Iidem *cascum* pro antiquo, nimirum a Graeco κακός *debilis. Cacos, cacus, cascus.* Sic *casmenas* dixerunt pro *camenis.* *Dac.* Vide Nonium in *Carnales.* Quinctil. I, 5. vox et Gallica. *Goth.*

Cassiculum. Glossae Isidori: *Cassiculum, rete, iaculum.* *Scal.* A cassis cassiculus et cassiculum,

ut a funis funiculus. *Dac.* A cassibus, aranearum, piscium vel aliorum animalium. Glossae *δίκτυα*. *Goth.* *Antiqui* id est Tusci. Vide Isidor. 18, 14. *Idem.*

Caseus. A coacto lacte caseum vocatum ait Varro lib. IV. de L. L. (V, pag. 111. Sp.), quasi *coaxeum*. *Caseus*, inquit, *a coacto lacte ut coaxeus dictus.* Alii a *carendo*, quod careat sero. Scaliger ab Osco *casus* antiquus, ut sit proprie lac vetustate coactum concretumque. Varronis etymon mihi quidem ceteris praestat. *Dac.* Alii a cogendo. Vide Isidorum. *Goth.*

Cassilam. Legendum *cassidam*, ut videre multi. Virg. Aen. IX, (XI, 775.): *Aureus ex humeris sonat arcus et aurea vati Cassida. Dac.* Glossis: *Cassis περικεφαλαία.* Adde l. 1. Cod. Theodos. de fabricensibus. *Goth.*

Casabundus. *Cassabundus.* Unico *s casabundus.* Vide Varronem (De L. L. VII, p. 338. Sp.). *Scal.* A *casare*. Plaut. Mil. (III, 2, 38.):

— — *bachabatur hama* (*aula*), *casabant cadi.*

et Naevius:

Risi egomet casabundum ire ebrium.

Dac. Id nostris *cassitare* l. 20. §. 3. ff. de servit. urbanorum. *Goth.*

Casaria. Est, quam Graeci *οἰκουρίδα* vocant, Hebraei Navá. *Scal.* Dicitur eodem modo, quo focaria, quae focum colit. l. 12. §. 7. ff. de instructo, a qua focarius l. 1. §. 5. ff. nautae caupones. *Goth.*

Cassia. Ab auctore Cassio. Haec extra Flumentanam per Sutrium, Viterbium et Vulsinios mittebat. Meminit Cicero XII. Phil. (9.): *Tres ergo, ut dixi viae, a Supero mari Flaminia, ab Infero Aurelia, media Cassia. Dac.*

Caput. Potius a *κεφαλή*, *φ* mutato in *π*. *Dac.* *Caput.* Capite. *Goth.* In Codd. M. Gu. II. loco Graecae vocis legitur *karatenphi;* in Berolinensi: *kapa* (seq. lacuna) *tēphi.* Legendum videtur: *κάρα vel κεφαλή.* Illud enim *tenphi* nihil est aliud nisi ł (i. e. *vel*) *κεφι* (i. e. *κεφαλή*).

Caperatum. A *caper* est *caperare*, unde caperata frons rugis contracta. A caprorum frontibus crispis, potius a caprinorum cornuum similitudine. Varro in Eumenid.: *Quin mihi caperatam tuam frontem Strobile omittis. Dac.* Nonius (pag. 8. Merc.) in *Caperare. Goth.* Adde Varron. De L. L. VII, p. 385. Sp.

Capis. Varro lib. IV. de L. L. (V, pag. 127. Sp.): *A quo illa capis et minores capulae a capiendo, quod ansatae, ut prehendi possint, id est capi. Harum figuras in vasis sacris ligneas et fictiles antiquas etiam nunc videmus.* A *capis* diminutivum *capidula*, unde *capula*. *Dac.* Adde Nonium (pag. 547. Merc.) in *Armillum. Goth.*

Capsae. Cistulae, a Graeco *κάμψαι*. Nam sic legendum. Hesychius *Κάμψη, θήκη*. Item *Καμψία, κανᾶ, κανίσκια. Dac.* Und campsarii Epiphanio libro 2. Campsarii in l. 3. ff. de offic. praef. vigil. qui vestimenta in balneis servant. At vero in lege 13. ff. de manumissis vindicta; Suetonio in Nerone c. 36. et Iuvenali Satyra X. (v. 117. ubi *custos capsae*). *Capsarii* dicuntur, qui libros portant. Alio significatu sumuntur in lege ult. ff. de iure immunitatis. *Goth.* *Κάμπτρας.* *Κάμψας.* *Idem.*

Capital facinus. Quod capite luitur. Capital etiam absolute dixit Plaut. Menaechm. I, 1. (16.):

Nunquam, edepol fugiet, tametsi capital fecerit.

In vet. lex. Graeco-Lat. *κεφαλικὴ τιμωρία, capitale. Dac.* Adde Nonium (pag. 38. Merc.) in *Capital. Goth.*

Capronae. Vide *Antiae.* Nonius (pag. 22. Merc.) non equorum tantum iubas, sed et hominum comas, quae sunt ante frontem *capronas* dicit ex illo Lucilii:

Aptari caput, atque comas fluitare capronas,
Altas, frontibus immissas, ut mos fuit illis.

Forsan et de *capronis* istis intelligendus elegans ille locus in Cantico Canticorum cap. 4. (1.): *Capilli tui sicut greges caprarum, quae ascenderunt de monte Galaad. Dac.*

Capidulum. Glossae: *Capidulum vestimentum capitis. Dac.* Alii *capitulum. Goth.*

Caprae. A carpendo dictas tradit etiam Varro duobus locis (V, p. 99. Sp. et De R. R. II, 3.); Isidorus etiam, qui utrumque Festi etymon adducit; sed est a Tyrrhenis, quibus *caper κάπρος* dicitur, capra *κάπρα*. Hesych. *κάπρα αἴξ Τυῤῥηνοί. Dac.*

Cuppes. Varro IV. (lib. V, p. 148. Sp.) de Latino sermone: *Ad corneta forum cupedinis, a fastidio.* (Etiam Codd. Flor. et Havn. *a fastidio*, quod tamen haud dubie nihil est, nisi interpretamentum vulgatae: *a cupedio.*) Ita enim legitur in manuscripto, et recte. Fastidium enim est, quod vulgus Gallorum dicit *Friandize*, et fastidiosus *Friand.* Italice *Giotto* a glutiendo. Vetustissimus orator Favorinus: *Is nunc flos caenae habetur inter eos, quibus sumptus et fastidium pro facetiis procedit.* Isidorus: *Cuppes, fastidiosus, cupidus.*

Glossarium: *Cupidus*, κνιπός. Lego: *Cupedius*. Κνιπός est revera, quem fastidiosum vocari admonuimus; qui non multa, ut voratores, sed electilia edit; neque facile invenit, quod ad palatum faciat. Significat et κνιπός, parcum, quod non recedit a priore significatione. Porro Cupedinis forum est forum piscatorium, ut cognoscimus ex Apuleii variis locis. *Scal.* Omnes ciborum delicias *cupes* et *cupedia* vocabant antiqui. Plaut. Stich. (V, 4, 32.): *Nil moror cupedia. Cupedia* autem quasi *caupedia*, non a Cupedio quodam, ut putat Varro, sed quod in cauponis venderentur. *Caupo*, *copo*, *cupo*, unde *cupes* et *cupedia*. Neque etiam caret ratione a *cupiditate* forum *cupidinis* dictum. Nam et idem scribit Varro: *Multi forum cupedinis a cupeditate.* Et *Cupedinem* pro *Cupidinem* veteres dixisse certum est. Lucret. (V, 46.):

Quantae conscindunt hominem cupedinis arces
Sollicitum curae?

Porro, quod hic agit Scaliger ex Apuleio forum cupedinis et forum piscatorium idem esse, non satis firmo tibicine fultum est; nam ex Varrone et aliis satis constat, forum cupedinis a foro piscatorio diversum fuisse. *Dac. Inde macellum.* Vide suo loco. *Idem. Quod ibi fuerit Cupedinis.* Varronis locus, quem Festus intelligit, est ex lib. rerum humanarum (Fragmm. pag. 213. Ed. Bip.): *Numerius Equitius Cupes*, inquit, *et A. Omanius Macellus singulari latrocinio multa loca habuerunt infesta.* Sed ibi non *cupedo*, sed *cupes* nominatur. Unde ergo *cupedinis? Idem. Cupedia*, Cuppedia. Vide Nonium (pag. 85. Merc.) in *Cupedia*. Alii Cuppediae, ut apud Gellium VI, 13. *Goth. Cibos* scyphos. *Idem.*

Capruncululum. Vas fictile, forte sic dictum, quod capri figuram haberet, ut vult Vossius, qui dubitat etiam, num legendum sit *capunculum*, quod erit diminutivum a *capis*. *Dac. Capruncululum.* Capedunculum, vel potius Capeduncula. Cicero de Natura (Deorum III, 17.): *vel potius capedunculis, quas Numa reliquit. Goth.* Vide Beier. ad Cic. Lael. p. 155. ed. maior. et Orell. Cic. Opp. Vol. IV. P. I. p. 482. not. 11.

Curatores. Tutores dicuntur, qui impuberibus dantur, qui se per aetatem defendere non possunt; *curatores* vero, qui tutoribus succedunt et dantur puberibus. Et haec voluit Festus, cum ait curatores loco tutorum pupillis datos. Ubi eo errasse videtur, quod puberibus, non pupillis darentur. Nam ex iuris formula tutor pupillum puberem factum admonebat, ut sibi curatorem sumeret. Tamen extra erroris aleam Festus erit, si dicamus pupillorum nomine puberes aliquando etiam contineri, quod verum esse sciunt, qui in iure versati sunt. *Dac.* Vide Inst. et ff. de Curatoribus. *Goth. Qui rei frumentariae.* Hi curatores frumenti emendi σιτῶναι in l. ult. §. 5. ff. de mune. et hon. *Idem.*

Curia. Asconius in Verr. III. (pag 72. Ed. Lugd.) sentire videtur tribus et curias easdem esse. *Tribus*, inquit, *principio tres fuerunt, Tat. Ram. Luc. Postea de nominibus Sabinarum plures factae sunt, quibus deprecantibus bellum parentum maritorumque finitum est; ad postremum XXXV. factae.* Et in Verr. II. (pag. 51. Ed. Lugd.): *Legitimos omnes tribus habent divisores suos, quos Plautus magistros curiarum vocat in Aulul.* (II, 2, 3. I, 2, 29.). Vide Verrium apud A. Gell. lib. XVIII. c. 17. ubi scribendum est *tribus quoque et curias* pro eo, quod est in vulgatis *decurias. Ful. Urs.* Quod ait additas esse quinque, ut in sua quisque curia sacra publica faceret, est, ni fallor, vel mendosum, vel falsum, licet verbo centumviralia XXXV. curias easdem esse existiment tribus; quod contra Romanarum rerum memoriam est Videndum est, an recte amoveri possint illa verba: *quibus postea additae sunt quinque;* quae fortasse Pauli sunt. His amotis cetera vera sunt, praeterquam quod de nominibus curiarum scribit, quod nonnullis falsum esse videtur. *Ant. Aug. Curia. Calabra.* Glossarium: Calabra, ἱππών, βουλή. Sane hoc verbo ἱππῶνα significari nunquam legi. Supra monuimus inepti mutilatoris verba esse: *quibus postea sunt additae quinque.* Illa vero etiam mendosum tinniunt: *Nomina curiarum virginum.* Legendum enim *Curium* aut *Curetium Virginum*, vel, si mavis, *Curiensium.* Sabinarum enim virginum nomina imposita curiis. *Scal.* Tribus modis accipitur curia, sed ex eadem semper origine, nempe a *cura*. Primo pro loco, ubi senatus consedit. Varro l. 2. de vita po. Ro.: *Itaque propter curam locus quoque, quo suam quisque senator confert, curiam appellat.* Secundo, quae et prima vocis origo, pro loco, ubi sacerdotes cuiusque curiae res divinas peragerent, ut *curiae veteres.* Denique pro trigesima parte populi Ro. qui in triginta curias divisus fuit. Duas priores significationes Festus amplexus est, ut et Varro lib. VI. (De L. L. V, 155. Sp.): *Curiae duorum generum; nam et ubi curarent sacerdotes res divinas, ut curiae veteres, et ubi senatus humanas, ut Curia Hostilia, quod primus aedificavit Hostilius rex.* Apud Festum pro *geritur* quidam libri habent *digeritur.* Male, ut videtur. Nam sacra Festus intelligit, quae singulae curiae in sacra sua aede per sacerdotes suos peragebant. *Dac. Calabra Curia.* Ad collem Capitolinum sita. Sic dicta a *calando*, hoc est *vocando*, quod universus populus ad eam calaretur, vocaretur singulis calendis ad nonas et nundinas ediscendas. Unde liquet, hanc fuisse maximam curiam, omnibus populi curiis commu-

nem, quam supra triginta reliquas a Romulo exstructas Capitolium inter et Palatium aedificasse Numam testatur Dionys. lib. II. c. 6. *Idem. Quibus et postea additae.* Non video, cur haec verba viris doctis suspecta sint, quum *tribus* et *curiae* perpetuo unum et idem fuerint aliud ex alio conflatum corpus Romani populi. Quod et ipse Festus aperte nos docet in *cemtumviralia.* Locum adi. *Idem. Nomina Curiarum virginum.* Ex Curibus Sabinis scilicet. Idem Liv. lib. I. (13.): *Itaque cum populum in curias triginta divideret, nomina earum curiis imposuit.* Sed falsi sunt et Livius et Festus aliique omnes, qui idem tradidere. Nam ex Dionysio (II, 7. 33. 65.) et Plutarcho (Vit. Rom. 19.) certum est, curiis nomen impositum a ducibus et eorum patriis, idque etiam ex earum nominibus, quae supersunt, cuilibet satis apertum, etsi infra Festus in *Popilia* tradit, non tantum a viris, sed a foeminis quoque tribus nominatas. Verum in antiquitate enucleanda satis indiligentes fuere Romani veteres, et in ea multo accuratiores Graeci, ut Dio, Plutarchus, Dionysius. *Dac. Curia.* Vide Nonium (pag. 57. Merc.) in *Curia.* Glossis: βουλή, βουλευτήριον. *Goth. Calabra curia.* Vide Macrob. I, 15. Glossis· *Calabra*, ἱππών, βουλή. Sed quoniam hic *Calabra* curia dicitur, ubi tantum ratio sacrorum gerebatur, videtur illo glossarum loco legendum ἱερῶν βουλή. *Idem.* Cf Creuzer. Antt. Rom. et qui ibi citati sunt. p. 78. Pertinent huc etiam *comitia calata*, de quibus cf. Gell. XV, 27. De *Curia calabra* adi etiam Scalig. Coniectan. in Varr. pag. 80.

Curriculo. Locus Plauti, quem laudat Festus, est ex iis fabulis, quarum nomina non supersunt. Sed ea voce idem alibi saepius usus est, ut Mostell. (II, 1, 15.):

Sed ego sumne infelix, qui non ab eo curriculo domum.

Quod Festus *cursim* exponit. At doctissimus Vossius non censet esse adverbium, sed a nomine *curriculum* et curriculo esse *cursu.* Nam idem dixit Trinum. (IV, 4, 11.):

Curre in Pyraeum atque unum curriculum face.

Et id magis placet. *Dac.* Adde Gell. XII. ult. *Goth.* Non. Marc. p. 198. Merc. v. *Curriculum.*

Curriculus. Adde Nonium (p. 263. Merc.) in *Curriculus.* Dicitur et apud eundem *Curriculum. Goth.*

Curtilacum. Curtii locus. Lege *lacus.* In foro erat. Sed de hac historia apud veteres non constat. Alii a Marco Curtio, alii multo ante a Curtio Metio T. Tatii milite dictum volunt. Vide Liv. lib. VII. sect. 6. Triplicem historiam affert Varro, quem vide lib. IV. (De L. L. V, p. 148. seqq. Sp.). *Dac.*

Curionium aes. Vide *Curionia sacra. Dac.*

Curis. Curis Sabinorum lingua hastam significare testatur Cato et alii. Ovid. etiam (Fast. II, 477.):

Sive quod hasta quiris priscis est dicta Sabinis.

Sed propius vero est a *Curi* Curibus nomen inditum, et a *Curibus Quirinum* et *Quirites* dictos. Nam *Quirites* proprie qui *Cures* Sabinorum oppidum incolebant. Et a *Curibus* Quirites appellatos testatur Liv. lib. I. (13.): *Quirites a Curibus appellati.* Et inde forsan Iuno Sabina *Quiris* etiam dicta. *Dac.* Vide *Celibari. Goth.*

Curitia. Vide *Curis. Dac.*

Curiales. Dicuntur et servi Curiarum, qui etiam post desitam Curiatorum comitiorum solennitatem ea comitia convocare solebant. Terentius Phorm. (V, 6, 10.) non alios intellexit:

Curialis vernula est, qui me vocat,

nisi, quod verius puto, *curialem* dixerit ab eo, quod Graeci censebant servos ex tribu, populo et curia dominorum. Itaque apud Aristophanem (Acharn. 273.) legimus:

Τὴν Στρυμμοδώρου Θρᾷτταν ἐκ τοῦ Φελλέως.

A qua mente dicit servus in Phormione (I, 1, 1.):

Amicus summus meus et popularis Geta.

Vocat popularem suum in palliata comoedia servum, cuius herus eiusdem δήμου esset cum suo hero. Si servi erant Curiales, et vernas quoque fuisse necesse est. Quare eruditissimus vir Ant. Goveanus assequi non potuit, cum tamen, si illud sagax ingenium adhibuisset, potuisset, ni fallor, aut certius pronuntiare, aut pudentius tacere. Ii servi cum liberabantur a magistratu, praenomen et nomen ipsius magistratus accipiebant. Publici ii servi erant ex iis, qui dicebantur servi Romani. Porro Curiales, postea et Curiones dicti sunt, quia cum antea Curionum esset habere comitia curiata, ipsi postea obsoleta veteri consuetudine comitiorum eorum vicem ea comitia habebant; et propterea abusi sunt posteriores Romani eo nomine, ut omnes servos publicos, deinde et praecones vocarent curiones. Martialis (in epist. praefixa l. II.): *Epigrammata curione non egent.* Sed et calatores ipsos antiquitus vocabant *curiones*, ut in carmine Saliari: *omnia dapatilia comisse Iani cusiones,*

hoc est *calatores* vel praecones sacrorum. Illi, ut dixi, erant servilis conditionis. *Scal.* *Curiales*, eiusdem curiae. Plaut. Aulul. II, 2, (2.):

— nam neque quisquam curialium
Venit, neque magister, quem dividere argentum oportuit.

Tribules, eiusdem tribus; municipes, eiusdem municipii. Vide suo loco. *Dac.* Curiales vernulae inter publicos servos et communes numerantur, de quibus in l. 6. §. 1. ff. de rerum divis. Glossis: *Curialis βουλευτής, βουλευτικός.* *Goth.* De *Curialibus* vid. Creuzer. Antiqq. Rom. pag. 79.

Curules. Equi, qui currum, ubi sella curulis erat, trahebant. Erat autem sella curulis eburnea. Unde *curule ebur* appellat Horat. (Ep. I, 6, 53.) Graeci *ἐλεφάντινον δίφρον.* Magistratus, qui hac sella uterentur, *curules* dicti. *Dac.* L. 2. §. 26. ff. de origine iuris: l. 1. ff. de aedilitio: §. 7. Inst. de iure naturali. Liv. VI. (42.). Glossis: *Curulis sella δίφρος βασιλικός*, et alio loco *ὑπατικὸς θρόνος.* Theophilus in §. proponebant Inst. de iure naturali *σέλλην τὴν ὑπατικὴν* vocat. *Goth.* Cf. Creuzer. Ant. Romm. pag. 124. et quos ibi citatos invenies. Ceterum *curulis* a *curia* dictum vult Doederlin. Synon. III, pag. 322.

Curiata comitia. Quibus curiatim suffragia dicebantur, ut, quod plures curiae statuissent, id iussum populi diceretur. Ea magistratus, qui prioribus comitiis creati fuerant, confirmabant. *Dac.* Cf. Niebuhr. Hist. Rom. I, pag. 287. seqq et Creuzer. Ant. Romm. pag. 111. seqq. et pag. 120.

Centurionus. Centenariae civium catervae praefectus, curio, sive curionus curiae praefectus, *chef d'une paraisse;* decurio sive decurionus, qui decem equitibus praeest. *Dac.*

Curiati fana. *Curii fana.* A quodam Curio dicta. Quidam codd. *Curiati fana.* Forsan *Curii tifata.* Sic infra *Mancini tifata.* Adi locum. *Dac.* *Curii* Curiati. *Goth.* *Curio* Curiatio. *Idem.*

Cura. Idem Varro lib. V. (De L. L. VI, pag. 224. Sp.): *Curare a cura; cura, quod cor urat.* Idem Servius; proprie autem *cura* de amore. Virg. (Aen. IV, 1.):

At regina gravi iam dudum saucia cura.

Item (Eclog X, 2.):

Tua cura Lycoris.

Scaliger a *κόρος, satietas*, curam dictam putat; sed magis placet esse a *κορεῖν* purgare, ut proprie ad nitorem domus pertineat. Et ita Voss. *Dac.* Cui similis Curatura et Curatio. Vide Nonium (pag. 493. Merc.) in *Curatura.* *Goth.* Mirum est, neminem interpretum Graecorum *ὤραν* respexisse; idque convenit Sanscritae voci *ura*, cor, pectus, unde *cor* et *cura* descendunt, quemadmodum Graecorum *κῆρ.*

Cum imperio est. De imperio militari hic Festus loquitur. Nam cum imperio esse dicebatur dux, qui imperabat exercitui, unde saepius apud historicos invenies ex formula: *Cum imperio missus, cum imperio mittere.* At vere infra: cum potestate esse dicebatur magistratus, qui iurisdictionem habebat et civili aliquo munere fungebatur, quae potestas interdum *civile imperium* dicebatur; nam semper civilis est potestas. Cicero pro Fonteio (12, 27.): *Ecquis unquam reus in honoribus petendis, in potestatibus, in imperiis gerendis sic accusatus est?* Ulpian. inst. 1.: *Populus ei et in eum omne suum imperium et potestatem conferat.* *Dac.* Diversa sunt cum imperio esse et cum potestate. Hic enim disiunguntur, et infra *cum potestate.* Ita distinguitur imperium a potestate in l. 7. et 10. ff. de vi publica. *Goth.*

Cum potestate est. Vide supra *cum imperio.* *Dac.*

Cuniculum. Contra Varro lib. I. de re rust. (III, 12.) cuniculum animal a cuniculis, id est foraminibus subterraneis dictum putat. Eius verba sunt: *Cuniculi dicti ab eo, quod sub terra cuniculos ipsi facere soleant, ubi lateant in agris.* Sed verisimilius ab animali nomen datum, quod miles cuniculos fodiat animalis huius imitatione. Est autem Hispanicum vocabulum *cuniculus.* Plin. lib. VIII. cap. 53.: *Leporum generis sunt, et quos Hispania cuniculos appellat.* Idem Gallenus lib. III. Aelian. de animal. lib. XIII. c. 15. Idem et alii multi; sed tandem vere ostendit eruditissimus Aegid. Menagius in peramoeno illo de iuris amoenitatibus libro, cuniculum Graecum esse origine. *Κύων, κυνός, κυνικός, cunicus, cuniculus*, id est *caniculus*, ab *ὕω, κύω, κύων* etc. Cuniculus enim, inquit, proprie et primario est foetus animalis, transiit postea ad *λαγιδεῖς γεωρύχους, lepusculos terram fodientes.* Ita cuniculos Strabo eleganter appellat, cumque cuniculorum ferax esset Hispania (unde cuniculosam Celtiberiam dixit Catullus [37, 18.]) τὸ cuniculus vocem esse Hispanam falso creditum est. Non igitur animal a subterraneis meatibus, ut scripsere Varro et Plinius, nomen accepit, sed meatus subterranei ab animali dicti sunt, ut recte Martialis (13, 60.):

Gaudet in effossis habitare cuniculus antris,
Monstravit tacitas hostibus ille vias.

Dac. Quod simile est lepori. Vere lepus non est. Leporum tria genera facit Varro lib. III, (l. c.) de re rust. et de cuniculo: *Tertii*, inquit, *generis est, quod in Hispania nascitur, simile nostro lepori ex quadam parte, sed humile, quem cuniculum appellant. Idem.* In iure *cuniculus* canalis sub terra opertus l. 26. ff. de damno l. 11. ff. de aqua et aquae pluviae: l. 3. §. 6. ff. de rivis, cui ibidem apponitur specus seu fossa. *Goth. Cuniculus* a verbo cunire descendit, quia *cunit* animal, hoc est, conquiniscit, πτήσσει, unde πτώξ Graece leporem denotat. Canales autem subterranei, qui *cuniculi* dicuntur, vel ab animali illo dicti sunt, vel quia subeuntes illos conquiniscere oportet.

Clunaclum. Quid sit cultrum sanguinarium, ego nescio. An cultrum iugulatorium? Propterea dicitur σφαγεύς a Graecis. Sed puto mendosum esse, et ita legendum: *Clunaclum, cultrum sane victimarium.* Ita enim aliquando loquitur, ut supra: Aerarium sane populus Ro. in aede Saturni habuit. Vel simpliciter: *Clunaclum cultrum victimarium* etc. Vel, quod verius puto, *cultrum saginarium.* Est enim culter laniorum ad iugulanda pecora saginata. Neque dubito, quin haec vera sit lectio. Ita ergo poparum culter vocabitur. *Scal.* Non video, cur sanguinarium reiiciatur. Quidni enim sanguinarius culter dicatur, qui victimarum sanguine mergitur? De etymo posterius, nempe quod ad clunes dependet, priori multum praestat. Sic in veteri Glossario Arabicolat. *Clunaculum, pugio: dictum, quod ad clunes religetur. Idem spatha.* Spatha autem Graecum. Hesych. σπάθη, μάχαιρα, ξίφος. *Dac. Vel quia ad clunes.* Sic Isidor. 18, 6. apud quem tamen legitur *Clunabulum*, non *Clunaclum. Goth.*

Cumerum. Vide *Cumeram. A cumera cumerum.* Est autem *cumera* vas vimineum, vel etiam fictile, quo plebeii homines frumenta condebant. Horat. in Satir. (I, 1, 53.): *Cur tua plus laudes cumeris granaria nostris? Dac.*

Culcita. Huic Festi loco lucem dabit alter Varronis lib. IV. (De L. L. V, 167.): *Postquam transierunt ad culcitas, in eas acus aut tomentum, aliudve quid calcabant; ab inculcando culcita dicta.* Tomentum proprie est ex ciliciis pilis, *borram* vulgo vocant. *Dac.* Adde Nonium in *Culcita* pag. 86. et 542. Merc.

Culcitula. Culticula. In MSS. *culcitula*, a *culcita* scilicet. Sed quid ad fustem culcita? An dicendum cum Voss. *culticula* esse a *cultro*, quasi *cultricula?* Sed litem dirimit liber antiquus, ubi: *Culcitula fasciculus quidam in sacris dicebatur.* Culcitula ergo parva culcita. Et de pulvinaribus forsan hic locus intelligendus, in quis Struppi sive deorum capita. Vide *Struppi. Dac.* Adde quaedam ex verbo *Commentacula. Goth.*

Cumalter. Dictum, ut in epistola Cassii: *Impraesentiarum, cumpartim, cumprime* et similia. *Scal.* Quidam legunt: *Cumalter* pro *cumaliter.* Sed magis placet *cum altero. Dac.* Vide de *cumpartim* etc. Gell. XVII, 2. *Goth. Sodes.* Vide infra *Sodes. Idem. Cumalter* eodem modo videtur esse compositum, atque Sanscritum *samanjas*, h. e. σύν–αλλος, quasi *cum–alius*, ex *sam* cum, et *anjas* alius. Significat autem *samanjas* communis, universalis, unde intelligitur, *cumalterum* notare quod cum altero commune est.

Culliola. Eadem dicuntur verbo *Gulliocae. Ant. Aug.* A *culeus* saccus ex corio, *culeolum* et *culiolum* factum. Dicebant etiam *culiola* in feminino, unde *Guliola c* in *g* mutato. Mendose legitur in Gloss. *gutilliocae* κάρυα μακρὰ παρὰ Λυκιλλίῳ. Lege *Gulliolae.* Item *gullica* καρυοτομία. *Dac.*

Cussilires. Prius dictos puto *Cossilires.* Sic vocati ignavi et oscitabundi, qui per vias urbis otiosi incedunt varici et lentis passibus. Metaphora ab aratoribus, qui porcas in agro faciunt. Oportet enim eos pedes ambos in sulcis seu liris ponere et porcam in medio habere, ut necesse sit varicitus incedere, quod dicebatur *cossim lirare*, unde *cossilires. Cossim* pro *coxim* est varicitus. Vide Nonium (pag. 40. Merc.). Attius Parergis: *Bene proscissas cossigerare ordine porcas*, bidenti ferro rectas deruere. Formatum verbum ex cossim et aggerare. *Scal.*

Cum populo agere. Est vocare populum ad consilium aut comitia, eumque rogare, ut suffragiis suis quid iubeat aut vetet. At vero *agere apud populum* est concionem habere ad populum sine ulla rogatione. Hoc omnibus diebus fieri licebat, et non magistratu tantum, sed etiam a privato senatore, magistratu ei concionem dante. Illud comitiali tantum die a solo etiam magistratu. Messala de auspiciis 1.: *Si concionem habere volunt, uti ne cum populo agant. Auson. Popma* (de different. verb.).

Cuncti Idem Ascon. in Divinat. (pag. 17. Ed. Lugd.): *Cuncti simul omnes, quasi coniuncti.* Sic Virg. I. Aen. (522.): *Cuncti nam lectis navibus ibant.* Ubi Servius: *Sane cuncti non idem significat, quod omnes. Cicero saepe ait cuncti atque omnes, quia omnes non statim sunt cuncti, nisi iidem simul sunt iuncti. Omnes* de universis numero distinctis dicitur. Virg. (Aen. X, 182.): — — *Rex Iupiter omnibus idem.* Et Sallust. (Catil. init.): *Omnes homines, qui sese student* etc. *Dac. Cuncti* sunt *iuncti*, littera *c* pro *i* adoptata, ut saepe. Nisi forte verbum *cungere*, procusum a praep. *cum*, statuere volumus.

Cunire. A *coenum, cunae, cunire, inquinare, inquinamentum, ancunulentum.* Vide in voce *Ancunulentae.* A v. *coenum* dictae sunt *cunae*, ut a poena punire, *oe* saepissime abit in *u.* *Cunire* autem proprie dictum videtur de infantibus cunas stercore foedantibus. *Dac.* Puto ego *coenum, inquinare* et *ancunulentus* diversa esse ab *conquiniscere* et *cunae* et *cunire* et *incunabula.* Nam *conquiniscere* manifestum est contractionem quandam et compressionem corporis significare, qualis est cacantium, non vero ipsam cacationem, neque stercus inde ortum. Igitur *cunire, cunae* et *incunabula* potius statum et locum contracte cubantium vel contracte sedentium denotat.

Coturnium. Ego non puto differre a *gutturnio.* Sed literae in suas cognatas degenerarunt. *Scal.* A *gutta* est *gutturnium* sic dictum, quod guttatim funderet. *Dac.*

Culigna. *Cato.* Locus nunc quidem non extat. Videtur autem esse e libro rei rusticae, qui periit. Vide Gesneri Praefat. ad Caton. p. IV. seqq. ed. Bipont. Lion in Fragment. Caton. posuit locum p. 87. extr.

Coctiones. Vide *Arilator. Ant. Aug.* Recte definit, quos superius a Gallis *Barguigneurs* vocari monuimus. Et recte, ut ipse ait, a veteribus per *u* cuctio scribebatur, quia *cuctus* dicebant, quod postea cunctus et *coiux*, quod postea coniunx et similia. *Cuctus* coniectus, ut tractus pro traiectus, de quo in appendice ad Varronem, quia dicebant *coicio* et *coiectus.* Laberius in Necromantia:

Duas uxores? hercle hoc plus negotii
Est, inquis; cocio sex aediles viderat.

Ubi *cocio*, non coctio scribitur, ut saepe alias, ut in Glossario: *Cocio* μετάβολος. Isidorus: *Cocio arilator.* In veteribus glossis: *Cocionatura*, μετάπρασις. In glossario: *Cociatria*, μεταβλητική. Mallem *Cociatrina*, ut *meditrina.* Quare autem Gellius (XVI, 7.) reprehendat Laberium, qui pervulgate dixerit *Cocionem*, cum veteres dicerent arulatorem, non video. Plautus enim Asinaria (I, 3, 51.) usus est. Itaque non est pervulgatum, neque, ut ipse Gellius loquitur, proculcatum vocabulum. *Scal.* Versus Plauti est:

Vetus est, nihili cocio est, scis cuius; non dico amplius.

Quem locum pessime accepit doctissimus Salmasius, qui integrum proverbium fuisse putat, *nihili cocio est, qui credit.* Nihil dico de coniectura, quae nullo fundamento nititur. Certum est enim, illud a Cleaeretae mente esse quam maxime alienum, cuius verba sic explicanda esse censeo: *Quemadmodum*, inquit illa, *nos, quaecunque volumus uti, Graeca mercamur fide, ita, ut, cum aes damus, tum mercem etiam nobis dent; eadem nos disciplina utimur: oculatae semper nostrae sunt manus: id credunt, quod vident, ut vetus dictum est, scis cuius, nihili cocio est.* Id est, pro nihilo ducere debemus eos homines, qui, cum nos usurarias sibi mercantur, tantillum quid dantes; mercedis reliquum in diem proferri postulant, ut cociones in foro, qui empturientes dant arrham, caeca die cetera soluturi. Neque melius idem hoc: *scis cuius*, intellexit, qui interpretatur *scis qualis*, ut *cuium pecus.* Quod miror tanto viro excidisse. Nam *cuius* vel *cuium* nunquam qualitatem designat, semper κτητικῶς profertur. Unde apud Virgil. (Ecl. III, 1.) post *cuium pecus* addit Menalcas, *an Meliboei?* et respondet Damoetas: *Non, verum Aegonis.* Redeamus ad cocionem. Elegantissimus Muretus verba Plauti aliter accepit, quippe pro *caucio*, *cocio* dictum tradit, ut *aula, olla*: idque lenam dicere: *Vetus est dictum, nihil est cautio* sive *syngrapha; nam qui cautionem habet, saepe litigare cogitur; at cui soluta pecunia est, ei res omnis in tuto.* Sed ut illud ingeniose potius excogitatum est, quam vere; ita nos Festi potius et veterum criticorum sententiam tuemur. *Dac.*

Cymba. Navigii genus. Virgil. (Aen. VI, 413.): *Gemuit sub pondere cymba.* A Graeco κύμβη, quod νεὼς εἶδος exponit Hesych. *Dac.* Totum Sanscritum est. *Kumbha*, vas aquarium. Cf. Glossar. Sanscr. ed. Bopp. s. v. Germanorum *Kufe, Kupe.* V. infra *Cymbium.*

Cutis. Non video, quomodo a κύτος, quod profunditatem notat *cutis* possit deduci. Et vera est coniectura Vossii, qui legendum monuit σκύτος, quod Hesych. interpretatur πᾶν δέρμα. A σκύτος cutis, ut a στέγω tego. A σκύτος etiam *scutum* et *scutica. Dac.* Unde *cutitus.* Vide infra *Intercutitus. Goth.* *Cutis* est Germanorum *Haut, h* mutata in c, ut saepe.

Cotiliae lacus. Malim *Cutiliae*, ut apud Varronem lib. IV. de L. L. (V, p. 77. ed. Sp.) et Plin. lib. III. cap. 12 *Ant. Aug.* A Graecis, quibus scilicet responsum redditum:

Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατούρνιαν αἶαν,
Ἠδ' Ἀβοριγενέων, Κοτύλη οὗ νᾶσος ὀχεῖται.

Κοτύλην ergo Graeci vocarunt. In Strabone monuimus κωτισκολίας perperam legi. Legendum enim κοτυλίας. *Scal.* Italiae umbilicus in agro Reatino intra Reate et Amiternum. *Dac.*

Cnephosum. L. m. *Cnephonsum.* Velius Longius de orthographia (pag. 2237. Putsch.): *Sequenda*

nonnunquam elegantia eruditorum, qui quasdam literas levitatis causa omiserunt, sicuti Cicero, qui Foresia, Megalesia, Hortesia sine n litera libenter dicebat. Fulv. Urs. A Graeco κνέφας vel κνέφος. Nam utrumque dicitur. Vide *Gnephosum. Dac.*

Cymbium. Poculum, quod in modum cymbae factum. Virg. V. Aen. (267.):

Cymbiaque auro perfecta atque aspera signis.

Dac. Hinc *cymbia argentea* in l. 32. §. 1. ff. de auro. Isidor. XX, 5. Adde Nonium in *Cymbia. Goth.* Vide quae supra ad v. *Cymba* diximus. Vide etiam Hesych. v. Κύββα.

Calasis. Vide *Aclasis. Ant. Aug.* Manifesto Graecum nomen χάλασις, laxamentum tunicae nodo retentum. *Scal.* A voce Aegyptia καλάσιρις, id est vestis lintea ad talos demissa, Aegyptiis propria. Herodot. (II, 81.): Ἐνδεδύκασι δὲ χιτῶνας λινέους περὶ τὰ σκέλεα θυσανωτοὺς, οὓς καλέουσι καλάσιρις. De Aegyptiis loquitur. Sed probabilius est, esse a Graeco χάλασις. *Dac.*

Cyparissae. Vide *Cyparissiae.* Idem enim aliis verbis dicitur. *Ant. Aug.* Cuparisseae et cuparissiae et cuparissae, igneа, qui in modum cypressi apparent. Nam pro cupressus cuparissus dicebatur a Graeco κυπάρισσος. Virgil. (Ge. II, 84.): *Nec Idaeis cuparissis. Dac.*

Cybebe. Cybele. Deorum mater, ideoque *magna mater* dicta. Sed legendum *Cybebe*, ut viris doctis placuit. Cybebe enim a Graeco κύβιβον, lege κύβηβον, vel ut alii, κυβήβειν, malim κύβηβον. Nam κύβηβοι proprie Cybeles furore correpti, ut βάκχοι, qui Bacchi spiritu pleni erant, dicebantur. Vide Eustath. in Κύβηβοι (Eustath. in Odyss. β. pag. 1431.). Est autem κυβήβειν idem quod κυβιστᾶν capitis rotatione furorem contrahere, quod Cybeles sacerdotibus solenne fuit. Lucanus (I, 567.):

— — — *crinemque rotantes*
Sanguinei populis ulularunt tristia Galli.

Eadem Cybele a Cybelo Phrygiae monte dicta. Et male, qui pro *a loco* legunt: *a luco. Dac.* Κίβιβον βέβηλον, κυβήβειν, κύβικες. V. *Goth.*

Cytherea. Ab urbe Cypri Cythera, in quam salo exorta statim delata fuit. Quapropter et in Cypro nata dicitur. Unde *Cyprogeneia* dicta. Verum, qui huius Cytherae nemo, quod sciam, praeter Hesiodi Scholiasten meminit, eos sequor, qui Cythercam dictam tradunt ab insula Cythera in sinu Laconico, hodie *Cerigo.* Vide Bocharti Chanaan lib. I. cap. 22. Neque illud praetereundum, scholiasten Hesiodi Cytheras accepisse de urbe Cypri manifesto contra mentem Hesiodi, qui scribit Venerem, ubi primum nata fuit, Cytheras advectam; deinde et circumfluam ad Cyprum pervenisse. Neque enim poterant in Cypro esse Cytherae, cum e Cytheris Venus in Cyprum delata sit. etc. *Dac.*

Cyllenius. Mercurius deorum nuntius et interpres, et quia eorum mandata sermone exsequebatur sine manuum auxilio, a Graeco κύλλος *mancus* Cyllenium dictum Festus putavit. Ubi illum meras nugas ludere nemo non videt. Ita enim a Cyllene Arcadiae monte dictus est. Virg. Aen. VIII, (139.):

Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.

Tamen, si Graeculorum amas somnia, vide Eustath. in Homer. p. 300. et 1951. *Dac. Cillenia via.* Ad hanc viam investigandam nullam invenire viam possum. Forsan rescribendum *Cyllene vico* vel *Cyllenia vico. Idem.*

Cypria. Cypris et Cypria dicta Venus a Cypro insula, non a κύειν, quamquam idem aliquis senserit, qui ait: Κύπρις κυοπορίς τις οὖσα, ὡς τὸ κύειν παρέχουσα, quod et apud Eustathium legere est. *Dac. Quod ei primum in Cypro.* Verum est, primum Veneri templum constitutum fuisse in Cythera. Et hoc illud est, quod hic Festum fefellit, Cytheram enim hic Cypri urbem putavit, quae revera est Peloponnesi insula in sinu Laconico, ubi Veneri templum primi dicarunt Phoenices. Vide Pausan. in Laconicis. *Dac. Diva potens Cypri* Horatio (Od. I, 3. in.). *Goth.*

Chalcidicum. Vitruv. lib. V. cap. 1.: *Sin autem locus erit amplior in longitudinem, chalcidica in extremis constituantur.* Isidor.: *Chalcidicum foris deambulatorium, quod et peribulum dicitur;* et iterum idem quod *Maenianum.* Galli vocant *balcon.* Vide *Maeniana. Dac.* Vide Dionem Cassiodorum in Fastis: *Calchidicum etiam pro cenaculo ponitur. Goth.*

Choragum. Choragium. Eo nomine intelliguntur ea omnia, quibus scenae ornantur. Plaut. in Prol. Capt. (61.):

Nam hoc paene iniquum est Comico choragio,
Conari desubito nos agere Tragoediam.

Dac.

Chaos. Vastus et confusus hiatus ab initio creatus. Hesiod. (Theog. 116.):

Ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ'.

Unitatem hiantem vocat Festus, de qua Ovid. Met. I. (6.):

Unus erat toto naturae vultus in orbe,
Quem dixere chaos.

Et II. de arte (468.):

Unaque erat facies, sidera, terra, fretum.

Ex illo Euripid. in Menalippa:

Ὁ δ' οὐρανός τε γαῖα τ' ἦν μορφὴ μία.

A *chao* Graeci *χαίνειν* et nos *hiare* dicimus, unde et *Hianus* detracta aspiratione *Ianus* sic dictus, quod primus Deorum sit, et ex eo omnium, veluti ex chao, ducatur initium. *Dac.* Vide *Cavum*, *Cohum* et *Inchoare.* *Goth.* *Cui primum supplicabant.* Macrob. lib. I. Sat. cap. 9.: *Ianum quidem solem demonstrari volunt potentem, qui exoriens aperiat diem, occidens claudat, invocarique primum, cum alicui deo res divina celebratur, ut per eum pateat ad illum deum, cui immolatur, accessus; quasi preces supplicium per portas suas ad Deos ipse transmittat.* Idem Ovid. I. Fast. (65. seqq.). *Dac.* *Veluti parenti.* Ideo et *pater* addebant. *Iane pater* Virg. Horat. etc. *Idem.* Vide Brissonium I. de formulis p. 51.

Choenica. *Χοῖνιξ*, choenix, semimodius. *Sextarium* Gaza vertit. Continet tres cotylas, ut ait Pollux. Cotyla autem continet uncias tredecem et dimidiam. Choenix ergo capit libras tres et uncias quatuor cum dimidia. *Demensum* Terentio (Phorm. I, 1, 10.) dicitur, quod singulis diebus servis dabatur in cibum, unde et *ἡμεροτρόφιον* Graecis dicitur. *Dac.*

Cybium. Salsamenti sive tarichi genus quadratum a Graeco *κύβος*, quod geometris figuram quadratam notat. A pelamyde fiebat *cybium*, quia pelamys in cybia secabatur. Athenaeus lib. III.: *Ἱκέσιος δ' ἐν δευτέρῳ περὶ ὕλης πελαμύδας κύβια εἶναί φασὶ μεγάλα.* Plin. lib. IX. cap. 15.: *Pelamydes in apolectos particulatimque consectae in genera cybiorum dispartiuntur.* Et hic mos etiamnum durat. Thunni enim, qui et Pelamydes, in cybia secantur. Infra Festus, cum ait *κύβιον* esse genus piscis, pelamydem intelligit, sed in eo falsus est, quod pelamydas cybia dicta fuisse opinatur, cum earum tantum frustilla in quadrum concisa cybia dicta sint. Neque Festo favet Plinius, ut doctiss. Salmasius existimavit, qui et Festum et Plinium eodem modo deceptos putat. Plinii verba sunt ex lib. 22. cap. ult.: *Cybium, ita vocatur pelamys, quae post quadraginta dies a Ponto in Maeotim revertitur.* Sed enim vitioso codice Salmasius utebatur; nam omnes alii, qui melioris notae sunt, aperte praeferunt: *Cybium, ita vocatur concisa pelamys* etc. In fine cum Festus ait piscantes piscem illum quasi aleam lusisse, de eius cybiis intelligendum est, quibus piscatores pro alea utebantur. *Dac.*

Cnasonas. Isidorus: *Cnason acus, qua mulier caput scalpit.* Nam duplex est acus ornatricum, altera, qua scalpunt caput, quae discerniculum dicitur, altera, qua crines figunt et sustinent, quam Graeci *καλαμίδα καὶ σύριγγα* vocant, Latini etiam aliquando fistulam. Est autem Cnason Tarentinae linguae. Nam Tarentinorum proprium est, simplicia verba *κατὰ παραγωγήν* producere, ut ab *ἄγω ἀγάζω*, unde agaso, *ὁ ἀγάζων*, et a *κνάω, κνῶ, κνάζω*, unde Cnaso *ὁ κνάζων*. Sed de hoc alibi. *Scal.* *Cnasonas* Cnaonas. *Goth.*

Creperum dubium. Lucret. lib. V. (1295.):

Exaequata sunt creperi certamina belli.

Sabinam vocem esse ait Varro lib. V. (De L. L. VI, 187. seq. Sp.): *Crepusculum a crepero; id vocabulum sumpserunt a Sabinis. Unde veniunt Crepusci nominati Amiterno, quod eo tempore erant nati, ut Lucii prima luce in creatione. Crepusculum significat dubium; ab eo res dubiae creperae quod crepusculum dies etiamnum sit an ima nox, multis dubium.* Sed *creperus* et *crepusculum* a crepus. At *crepus* Sabini ab Hebraeo ערב *ἕσπερα*. *Dac.* Inde *crepera vita* infra in *Decrepitus*. Isidor. V, 4. Adde Nonium in *Crepera res.* *Goth.* *Unde increpitare.* Male hic Festus *a crepero increpitare* dixit, nam est a verbo *crepare*, quod clamare significat, et ita ipse Festus in voce *increpitare.* Locum adi. *Dac.*

Crepiculum. *Crepitulum.* Apud Tertullianum crepidulum in lib. de pallio (4.): *et stolam, supparum, crepidulum et caliandrum.* *Scal.* Sed mihi suspicio est apud Festum et Tertullianum vitiose sriptum esse *crepidulum* sive *crepitulum* pro *capidulum.* Nam in Glossis Arabicolat. legitur *copedulum, vestimentum capitis.* *Dac.*

Crocotillum. Legendum *crotilum, tenue.* Unde succrotilum et succrotila, quae vide suo loco. *Dac.* *Extortis talis.* Cum talis inflexis. Sic in *succrotila.* Et hanc lectionem agnoscit etiam Priscianus (Lib. III, 5, p. 125. tom. I. Kr.). Sed in voce *Schoeniculas* et voce *Todi* aliam lectionem sequitur Festus, nempe *cum extritis talis*, ita ut quid sequi debeas, incertum sit. Homines cum extritis talis *λαισποδίαι* ab Atheniensibus

dicebantur, ut in Coniectaneis (pag. 136.) notavit Scaliger, quamquam nonnulli dicunt, λαιςποδίας eos esse, qui δρεπανώδεις habeant pedes, ut ii sunt, quos falcones a veteribus vocatos esse testatur Festus. *Dac.* Vide infra *Falcones. Cum crocotilis crusculis.* Legendum ut supra *cum crotilis crusculis.* Sed mirum, quam parum sibi Festus constans sit, qui in *succrotila* scripserit *succrotilis crusculis*, et in voce *todi cum todellis crusculis*, quae etiam vera lectio esse possit. Imo et eam asserere videtur Priscianus, qui hunc Plauti locum laudat *cum todenis crusculis. Todenis* manifesto corruptum *ex todellis.* Neque sine ratione, cum *todi* sint parvae aves, a quibus cruscula exilia et tenuia *todella* dicatur, praesertim cum simili tralatione, ut in Coniectaneis (pag. 136.) suis notavit Scaliger, Eubulus comicus dixerit σκέλη κοψίχου, ab ea minutula avicula scilicet, quae κόψιχος dicitur. Ita enim ille de Theano meretrice:

Ἡ Θεανὼ δ' οὐχὶ σειρήν ἐστιν ἀποτετιλμένη;
Βλέμμα καὶ φωνὴ γυναικὸς, τὰ σκέλη δὲ κοψύχου.

In priori versu videtur Eubulus Aristophanem imitatus, qui in ὀρνίθ. (v. 806.) ait:

Σὺ κοψύχῳ γε σκάφιον ἀποτετιλμένῳ.

Dac. Crusculis. Vide infra *Crusculum. Goth.* Cf. Krehl. ad Prisc. l. c., qui rem expediisse videtur, scribendum praecipiens: *cum todinis crusculis.* Unde orta sit corruptio, difficile dictu est.

Crines. Nam iidem eos κρινίδας vocant. Falsum, et suspicor ne hic quidem Graecam vocem desiderari, sed potius legendum: *Nam ideo eos crines vocant: ideo*, inquit, *propter κρίσιν crines vocant. Scal.* A κρίνω *divido, discerno*, unde et discerniculum acus, qua mulieres capillos discernunt, dividunt. Scaliger in marg. διάκρισιν. Et re vera *crinis* comam in plures σεῖρας sive ordines divisam discretamque significat. *Dac.*

Crocatio. Legendum *crocitio* a verbo *crocire*, crocitare. Aulul. (Plaut. Aul. IV, 3, 2.):

Simul radebat pedibus terram et voce crocibat sua.

Dac. Vide Nonium in *Crocire* et *Crocitum. Goth.*

Crucium. Crucium vinum Lucillius dixit imitatione Alexidis, qui de vino Corinthio ita pronuntiat:

Οἶνος ξενικὸς παρῆν. ὁ γὰρ Κορίνθιος
Βασανισμός ἐστι.

Scal.

Crocotinum. A croco dictum, sed cuiusmodi fuerit incompertum est. *Dac.* Unde etiam *Crocota* Nonio (pag. 549. Merc.), genus vestis crocei coloris, unde *crocotarii. Goth.*

Crustariae tabernae. Ubi vasa potoria crustata vendebantur. Crustae autem emblematis genus, quod inserebatur vasculis, atque cum vellent, detrahebatur, uti et emblemata. Cicero in Verr. (II, 4, 23.): *crustae aut emblemata detrahuntur. Dac. Crustatis.* Crustata Gloss. γεγεισωμένα. *Goth.*

Cracentes. Isidorus: *Cracentes, graciles.* A verbo *graceo*, pro quo *craceo* dicebant. Graceo autem a γράω absumo. Ex hoc loco Noster: *Gracentes graciles.* Ennius: *succincti gladiis media regione cracentes. Dac.*

Crevi. Non proprie significat haereditatem adii, sed cretionem aditio haereditatis statim sequebatur. Vetus glossarium: Cernitoque, καὶ ἐγχειρησάτω. Ita enim legendum est, quasi diceret: et faciat, ut eam possit adire: agat, aggrediatur. *Scal.* Cernere haereditatem proprie significat videre, cernere, an illam expediat adire necne. Unde *cretio* dicebatur certorum dierum spatium, quod instituto heredi dabatur ad deliberandum, utrum haereditatem adire vellet; et formulae comparatae ad cretionem erant eiusmodi: *Titius heres meus esto cernitoque in diebus centum proximis: nisi ita creverit, exeres esto. Dac.* Glossis Cretio προσέλευσις κληρονόμου. Porro quid sit *cretio* in iure et quid *cernere*, vide Ulpianum in fragmentis Titul. 12. §. 27. seqq., ubi plenissime dixi l. 17. Cod. de iure deliberandi; Varronem V. de lingua Lat. (Lib. VI, p. 375. Sp.). *Goth. Modo maior aetate vel censu.* A verbo *cresco*, quod a κραίνειν, implere, absolvere. *Dac. Modo iudicavi.* Pacuvius in Armorum iudicio:

Et aequum et rectum est, quod postulas; iurati cernant.

Idem. Modo divisi. Unde *increta, indivisa.* Vide suo loco. *Idem. Cuius unius.* Verbi *cresco* scilicet. Vide supra. *Idem.*

Creterrae. Cretere. Legendum *Creterrae* vel *creterae.* Ab Ionico κρητῆρα. Vide Nonium (p. 547. Merc.). *Dac.* V. *Cratera. Goth.*

Craticulum. Ego quod verbum hic Graecum substituendum sit, non video. Potius mihi videtur legendum: *Craticulum a crate deducitur*, et verum est. Crate neutro genere antiquitus, a quo craticulum, ut rete reticulum. *Scal.* A Graeco κρατέω teneo, vincio, apprehendo. Sed non immediate. Nam est a *crate*, ut a *rete reticulum*, crates autem a κρατέω. Male igitur Scaliger, qui hic aliter legendum censet. Male etiam,

qui κράταιον vel κραταίωμα, ut erat in margine. *Dac.* *Κρατάνιον* pro *κράταιον* est in marg. edit. Scalig. Prius est verum.

Centuria. Primo centum iugerum erat centuria, unde et nomen; postea vero ducentorum, aliquando etiam plurium. Columell. lib. I. cap. 5.: *Centuriam agri nunc dicimus ducentorum iugerum modum, olim autem ab centum iugeribus vocabatur centuria. Sed nunc duplicata nomen retinuit.* Idem Varro lib. V. (De L. L. V, p. 37. Sp.): *Centuria prima centum iugeribus dicta, post duplicata retinuit nomen. Dac. In re militari centum homines.* Varro lib. IV. (De L. L. V, 91. Sp.): *Centuria militum, qui sub uno centurione sunt, quorum centenarius iustus numerus.* Centuriae etiam aliquot seculis usurpatae sunt pro sexagenum militum numero, quod notandum. *Idem.* Cf. Creuzer. Antt. Rom. pag. 94. seqq.

Centuriatus ager. Ager ducentum iugerum, quem sic appellatum vult habita ratione centenorum civium, quibus erat attributus; non vero numeri iugerum, quibus constabat; quod notandum. Hinc intelligendus Varro lib. I. de re rust. cap. 10.: *Antiquus noster ante bellum Punicum pendebat bina iugera, quod a Romulo primum divisa dicebantur viritim, quae quod haeredem sequerentur, heredium appellarunt. Haec postea a centum centuria dicta.* Tamen propius vero esse arbitror, agrum quamvis ducenum iugerum, quod primis temporibus centenorum tantum fuerit, centuriati nomen retinuisse. *Dac. Ducenta* ducena. *Goth.*

Centuriata comitia. Si recipere volumus illa duo verba: *item curiata*, oportet, ut scribamus: *per centurias et curias divisus erat. Ant. Aug.* Mirum quam placuerit huic Paulo nomen curiae. Hoc enim omnibus rebus attribuit. Vult centurias curias fuisse, item tribus ipsas, ut in voce *Centumviralia* et in voce *Curia.* Quare superius in voce *Centumviralia* impactum Festo pittacium a Paulo iis verbis: *quae curiae dictae sunt;* et in voce *Curia: quibus postea sunt additae quinque.* Quae omnia ea confidentia tollere possumus, qua posita fuerunt. Lege igitur: *Centuriata comitia dicebantur, quia po. Romanus per centurias divisus erat. Scal.* Sic dicuntur coetus quidam, ad quos in campum Martium conveniebat tota civium multitudo per centurias distributa; suffragia vero ferebant singuli in suis centuriis, cum a consulibus vocabantur. Haec verba (*item curiata*) hinc fuganda, ut optime monuit Scaliger. Neque enim eadem curiata et centuriata comitia. Illis populus Ro. per curias, non centurias distributis curiarum suffragium ferebat. *Dac. Turmas* centurias et curias: alii *per centurias. Goth.* Cf. Creuzer. Antt. Rom. p. 112. seq. 120.

Centenariae. Circumscripta verba semicirculis (id est centum assibus, qui erant breves nummi ex asse) videntur a Paulo adiecta aut mendosa esse. *Ant. Aug.* Consentit Scaliger. Legem tulit Licinius, qua cautum, ne plus centussibus in coenas impenderetur praeter ea, quae e terra nascerentur. Huius legis meminit Lucilius:

Legem vitemus Licini.

Sed cave putes centum aeris coenis singulis quibusvis diebus impensum fuisse, sed certis quibusdam tantum diebus festis. Gellius lib. I. cap. 24.: *Lex deinde Licinia lata est, quae cum certis diebus, sicut Fannia, centenos aeris impendi permisisset, nuptiis ducenos indulsit, caeteris diebus statuit aeris tricenos, cum et carnis aridae et salsamenti certa pondera in singulos dies constituerit.* Vide Macrob. lib. III. cap. 17. Porro illi asses centum; triginta et quinque tantum nostrae monetae asses sive solidos efficiebant. *Dac. Centenariae coenae.* Ita legitur apud Tertullianum in Apolog. 6. alii Centuriae coenae. *Goth. Non plus centussibus.* Tertull. cap. 6. Apolog.: *Videte centenarias coenas a centenis sestertiis dicendas.* Et apud Gell. l. c.: *Fannii centussisque misellos. Idem. Praeter terrae nata.* Apud Gellium II. cap. 24.: *praeter terra nata, vite arboreque.* Et Cicero Ep. ad Fam. VII, 26. epistola ad Fabium Gallum: *Dum volunt,* inquit, *lauti isti terra nata, quae lege excepta sunt, in honorem adducere, fungos, helvellas, herbas omnes condiunt, ut nihil possit esse suavius. Idem.*

Coena. Festus in *prandium: Prandium,* inquit, *a Graeco est dictum, nam meridianum cibum coenam vocabant.* Et in voce *scensas: Scensas Sabini coenas dicebant; quae autem nunc prandia sunt, coenas habebant et pro coenis vespernas appellabant.* Sic apud Plautum *vesperna* (Rud. I, 2, 91.). Eodem modo apud veteres Graecos δεῖπνον, quod coena nunc est, significabat prandium, δόρπον autem vespertinas epulas. Quod splendido Theocriti loco probatur, qui est in fine Ἡρακλισκ. (135.):

Δεῖπνον δὲ, κρέατ' ὀπτὰ, καὶ ἐν κανέῳ μέγας ἄρτος
Δωρικός· ἀσφαλέως κε φυτοσκάφον ἄνδρα κορέσσαι.
Αὐτὰρ ἐπ' ἄματι τυννὸν ἄνευ πυρὸς αἴνυτο δόρπον.

Sed de hoc apud ipsum Theocritum, si conatus nostros porro promoveat Deus opt. max. *Dac. Vesperna.* Vide infra *Vesperna. Goth.*

Censionem. Censio hastaria, cum censor ob delictum militem hastam dare iubebat; et censio

equitis erat, cum equus illi publice adimebatur. Et hoc Festus per *multam* intelligit. *Dac.* Cf. Creuzer. Antt. Rom. pag. 322. et qui ibi citati sunt.

Coenacula. Superiores aedium partes, quod ibi coenarent. Gloss. *Caenaculum ὑπερῷον.* Inde Ennius:

Coenacula maxima coeli.

Coenaculum suum sic describit Martialis (Epigr. I, 108, 7.):

Et scalis habito tribus sed altis.

Infra legendum: *quod scalis scanditur*; putavit coenacula dicta quasi *scandacula*, quia scriptum erat *scaenacula.* Ignorans scilicet Sabinos *scaenacula* dicere pro coenacula, ut scoelum pro coelum, scena pro coena et similia. Vide *scensas. Dac.* Coenacula lib. 15. §. 5. ff. de pignorat. et ibidem *coenacularius* et *coenaculariam exercere* l. 5. ff. de his, qui offic. *Goth.*

Centumviralia. Illa verba, *quae et curiae dictae sunt*, non esse Festi existimo. Vide *Curia. Ant. Aug.* De quibus causis centumviri iudicaverint, docet nos Cicero lib. I. de Oratore (3.): *Iactare se in causis centumviralibus, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum aut ratorum ceterarumque rerum innumerabilium iura versantur. Dac. Quae et curiae dictae sunt.* Hic Festus *tribum* et *curiam* idem esse testatur, quod verum est, et ante Servii regnum haec duo confundebantur, ita ut qui tribum tantum vel curiam appellaret, designaret utramque. Pessime igitur, qui de hocce Festi loco dubitavere eo tantum, quod tribus curias vocaverit. De tribubus et curiis vide suo loco. *Idem. Centumviri sunt dicti.* Sic etsi triginta quinque essent curiae, usus obtinuit, ut triginta tantum dicerentur. *Idem. Centumviralia iudicia.* De quibus vide l. 13. l. 17. ff. de inofficioso l. ult. Cod. de petit. haeredit. l. ult. Cod. de liberis praeteritis. Tribus interim seu curias XXXV. Romae fuisse hinc observ. (v. interim Crustumina, Lemonia, Lucrum, Maecia, Oufentina, Papiria, Quirina, Romulia. Sebatina, Scaptia, Stellatina, Titiensis, Tromentina, Urbanas.). *Goth.*

Centaurion. Graveolentia centaurea vocat Virgil. (Ge. IV, 270.), *tristia* Lucret. (IV, 123.) quia, ut addit, suo acrem ex corpore odorem exspirat. Est herbae genus a Chirone centauro repertum, unde χειρώνιον et κενταύριον nominatur. Huius in curandis vulneribus tanta vis, ut cohaerescere etiam carnes tradant, si coquantur simul. Plin. lib. XXV. cap. 9. Vide Galenum. *Dac.*

Censere. Modo *putare* vel *arbitrari.* Terent. Adelph. IV, 2, (40.):

Censen' hominem me esse?

modo *aestimare*, in *censum referre*, ut *censere populum.* Inde *censor*, qui familiam et bona civium recenset et refert in tabulas publicas. Item *decernere.* Nam decreta per verbum *censeo* declarantur. Cicero III. Catil. (6, 13.): *Quoniam nondum est praescriptum senatus consultum, ex memoria vobis, Quirites, quid senatus censuerit, exponam.* Horat. Epist. 17. (I, 17, 3.):

Ecce docendus adhuc, quae censet amiculus.

Dac.

Censio hastaria. Vide *Censionem facere.*

Cercolips. Cercolopis. Legendum sine ulla controversia *Cercolips*, hoc est simia, quae caudam non habet. Martialis (XIV, 202.):

Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.

Cercolips igitur opponitur cercopitheco, et proprium Latinum nomen habet *cluna.* At Festus hic manifesto errat, qui putat a κέρκος et λίπος factum, ideo quod crassam et villosam ultimam caudae partem haberet. Atqui talia nomina non ab aliis nominibus, sed a verbis componuntur, ut αἴγιλιψ παρὰ τὸ λείπεσθαι αἰγός, quod capra careat. Quin et nullum est genus talium simiarum. Catullus quoque harum simiarum mentionem facit in epigrammate (98, 3.):

Et trepidas lingere cercolipas.

Quam enim apertus sensus, omnes vident. Quid enim foedius, quam nates simiae, praesertim cercolipis? Politianus tamen maluit *Carbatinas.* Quod ipse non excogitavit. Sed ita in manuscriptis viderat. Ita enim habet manuscriptus Catullus clariss. et eruditissimi Cuiacii, I. C. ac senatoris amplissimi. Sed non defuerunt, qui in Politiano candorem animi requirerent. Quod viri docti hic substituunt *Cercalopex* pro *Cercolips*, ut quod ingeniose excogitatum sit laudamus, ita quod alienum a Festi sententia reiicimus. *Scal.* In cuius editione lemma est *Cercolopis*, quocum consentit Dac. Non igitur, quod in varr. lectt. diximus, abest glossa.

Cerritus. Cereriti, cerriti et larvati, malesani, Cereris ira et Larvarum incursione animo vexati. Plaut. Menaech. V, 4, (2.):

Num larvatus est ille aut Cerritus? Fac sciam.

Et ita, puto, proprie dicebantur, qui sibi Cererem et Larvas vidisse videbantur, ut Nymphati, qui Nymphas. Vide *Larvati.* Glossarium: *Cerritus παρεμμανής, παρεμφάρακτος, malesani, commoti.* Ubi nihil mutandum. Vide Hesych. in παρεμφάρακτος. *Dac.* Glossae manuscriptae: *Cerritum, insanum, amentem.* Nonio Cerriti larvati, malesani aut Cereris ira aut larvarum incursatione vexati. *Goth.*

Cervus. Idem Varro lib. IV. (De L. L. V, p. 103. Sp.): *Cervi, quod magna cornua gerunt, mutato G in C, ut in multis, quasi gerui.* Sed potius a Graeco κεραός dictos putem ἀπὸ τῶν κεράτων. *Dac.*

Cereos. Lucernas cera illitas, quas Festus opponit candelis, quae pice illinebantur. Potentioribus dabant humiliores Saturnalibus, de more scilicet. Illis enim diebus munera per totam urbem commeabant. Vide Martial. lib. IV. epig. 46. et 89. *Dac. Saturnalibus.* Vide infra *Saturno dies festus.*

Celsus. Non a κέλης, ut vult Festus, sed a verbo antiquo *cello*, quod a κέλλω, ταχέως βαδίζω, *citus ambulo*, ut a composito *excello excelsus. Celsus* est citus. Horat. (A. P. 342.):

Celsi praetereunt austera poemata Rhamnes.

Et in illo (Varronis apud Non. I, 12.):

Incedit citu' celsu' tolutim.

Et Ovid. (Stat. Silv. I, 4, 41.):

Celsus eques.

Glossarium: *Celsus ὑψηλὸς, μετέωρος, κήλιν;* lege κέλης. *Dac.* Cf. Doederlin. Synon. II, p. 93. ubi praeclare de vocis origine disputatur. Vide etiam quae supra diximus ad v. *Ascripticii* p. 320.

Celeres. A Celere interfectore Remi dictos multi consentiunt. Sed non dubium est, quin *celer* sit a Graeco κέλης, eques, qui privo equo currit. Κέλης Aeolice Κέληρ, celer. *Dac. Celer* potius a *cellere* κέλλειν, κέλης, unde etiam *celox*, ut *velox* efformatum. Non confundendum cum *celeber*, quod a radice *cel, cal*, in calare, (καλ) et *ber* i. e. *fer* (in *salutifer*) descendit: *Gallen, gellen, hallen.* Cf. Voss. in Etym. s. v. *Celeber* et Doederlin. Syn. I, pag. 22.

Cermalus. In Varr. lib. IV. (De L. L. V, p. 60. Sp.): *Germalum a germanis Romulo et Remo, quod ad ficum Ruminalem hi inventi.* Plutarch. in Romulo (cap. 3.) Germalum olim a germanis, postea Cermalum dictum esse scribit. Vide *Septimontium* et *Matrem Matutam. Ant. Aug.* Palatini montis pars, quae forum versus; Κερμαλός. *Dac.*

Columnae. Columna quasi *columina* a *columen.* Vitruv. lib. IV. cap. 2.: *Columen in summo fastigio culminis, unde et columnae dicuntur.* Donat. (ad Terent. Phorm. II, 1, 57.): *Columen vero familiae; sustentatio vel decus, unde columnae. Dac.* A *cellere* verbo recte deducit Doederlin. Synon. I, p. 34. Cf. quae ego dixi ad Plaut. Trin. III, 3, 15.

Cernuus. Lucilius: *Cernuus extemplo plantas convestit honestas. Fulv. Urs.* Calciamenti genus esse male putavit Festus hocce Lucilii versu deceptus, ubi cernuus nihil aliud est quam *inclinatus,* quasi quod terram cernat. Vide Nonium (pag. 20. Merc.). Deceptus etiam Isidorus, qui ait: *Cernui socci sunt sine solo.* A *cernuus* dictus *cernulus.* Gloss. Isidori: *Cernulus in capite ruens.* Glossarium: *Cernuli πεταυρισταί. Cernulus πεταυριστής. Dac.*

Crepidines. Saxa prominentia. Proprie basis saxorum, summitates riparum, aliquando etiam margo fontis, lacus, ut Graece κρηπίς. *Dac.*

Cloacae. A *cluo* pro *colluo*, id est purgo, *cluaca*, *u* in *o cloaca.* Unde *cloacare* inquinare et *cloacale flumen*, in quod cloacae confluunt. *Dac.* Vide *Cloacare* et l. 1. §. 4. ff. de cloacis. *Goth.*

Clunas. Glossarium: *Clura πίθηκος.* Perperam, ut vides, *Clura* pro *cluna.* Graece, ut supra monuimus κερκόλιψ. *Scal.* Simia, quae cauda caret et nates habet apertas. Pro *cluna* veteres dixere *clura*, *n* in *r* mutato, ut fit. Perperam igitur Scal. *cluna* legit pro *clura.* A *clura* factum *clurinum*, quo usus Plautus Trucul. II, 2, (14.):

— — — *tu vero clurinum pecus*
Advenisti huc ostentatum cum exornatis ossibus.

Ubi *clurinum pecus* dicuntur homines deformes, qui et ideo *simiae.* Glossae Papiae: *Clura vel clurinum simia dicitur.* Lege: *clura vel clurinum pecus simia dicitur.* Nam superiorem Plauti locum respexit. Sed omnino ve-

rum est, quod docuit Salmasius: Simias cluras dictas, Graece κολούρας. Nam κόλουρος proprie qui cauda caret et mutilam habet caudam, ita Callimachus κόλουρα dixit *ecaudia* animalia. *Colura* igitur *clura*, ut γάλανος *glans* et similia. *Dac.*

Crustumina. Non praetermittendum, quod Cassius Emina apud Servium Danielis nostri scribit: *Siculum quendam nomine uxoris suae Clytemnestrae condidisse Clytemestrum, mox corrupto nomine Crustumerium dictum. Clytemestram* vero sine *n* pro Clytemnestra et Ausonius (Epit. Her. I, 1, 4.) dixit:

Vindicem adulterii cum Clytemestra necet.

Scal. In al. *Crustumerina* ab oppido *Crustumerio*, quod in Sabinis statuit Livius (II, 64.). Sed apud illum inconstanti scriptura. Legitur: *Construminum*, *Crustomerium* et *Crustomeria*. *Crustumeros* vocat Virg. lib. VII. (Aen. 631.):

Ardea Crustumerique et turrigerae Antemnae.

Quae scripturae varietas in re adeo incerta facit, ut nihil pronuntiare audeam. Tamen ad vulgatam lectionem retinendam me Plinii locus (H. N. III, 5, 9. Legitur tamen sic: *In eadem parte oppidorum veterum nomina retinent agri, Crustuminus, Caletranus.*) vehementer movet: *Crustumenus*, inquit, *ager veteris oppidi nomen retinet in Tuscia.* Et Cicero pro Flacco (29, 71.): *in Crustumino aut in Capenati agro.* Idem Cicero pro Planco (16.) et pro Balbo *Crustuminam* tribum nominat, et ita in Lapp. (i. e. in lapidibus inscriptis.). *Dac.* Al. *Crustumerina tribus. Goth. Urbe Crustumena*, urbe Crustumeria. Porro de Crustumeria Sabinorum vide Halicarnass. (Dion. Halic.) II, (32.) Plutarch. in Romulo (c. 17.) Steph. de urbib. (p. 482. ed. Berk.). De *Crustumerio* Latinorum vide Livium II. (c. 64. et alibi). De Crustuminio et Crustumerio Livium I. (11.). De Crustumero vide Virgil. VII. (Aen. 631.). De Crustumio vide Silium VIII, (366.). *Goth.*

Clucidatum. Vide infra in *Glucidatum.* Infra est *Gluma* et *Gnephosum* pro eo, quod paulo post *Cluma* et *Cnephonsum.* Vide in *Orcus. Ful. Urs.* A γλυκύς dulcis factum *glucidatus* et verso *g* in *c clucidatus.* Meminit Varro lib. VI. (De L. L. VII, p. 386. Sp.): *Clucidatus suavis, tametsi a magistris accepimus mansuetum. Dac.* Cf. Scaliger. Coniect. in Varr. p. 160. Mirum est, maluisse Doederlinum Synon. III, p. 258. a θέλγειν quam a γλυκὺς derivare Latinorum *dulcis.* Nec dubitasset de veritate huius originationis, si γλεῦκος et δεῦκος comparasset. Ex hoc autem Festi loco patere videtur, Latinos etiam *clucis*, sive *glucis* pro *dulcis* dixisse.

Cloelia familia. Patriciam fuisse constat ex Livio (II, 13.). Alba oriundam facit Dionysius lib. III, (c. 2.). A Cloelio Aeneae comite dictam. Et sic legendum, non *Cloantho.* Nam *Cluentia* familia a *Cloantho* Aeneae comite dicta, a qua diversa *Cloelia. Dac.*

Clumae. Glossarium: *Clunar*, κριθῆς λέπυρον. *Scal.* Pro *Gluma*, tenuissima membrana, qua ordeum involvitur. Vide *Gluma.* In glossario legitur *clunar* corrupte pro *cluma* aut *clumarum*, ut optime Vulcanius. *Dac.*

Clutum. Inclytum, valde celebre a *cluo*, quod a κλύω, unde κλυτόν, et addita praepositione *in*, quae saepe auget, *inclytum.* Simplex *clutum* non est in usu. *Dac.* Vid. *Inclytus* et *In. Goth.* Respondet Germanorum *laut*, ut *cutis* Haut.

Clypeum. A Graeco κύκλιον rotundum, per transpositionem literarum. Nam clypeos rotundos fuisse certum est. Id aperte declarat Virgilius, qui, ut rotundum Polyphemi oculum demonstret, ait fuisse:

Argolici clypei aut Phoebeae lampadis instar.

(Aen. III, 637.). Ubi solis et clypei eandem formam esse dicit. Sic Graecis clypeus ἀσπὶς dicitur. Unde Homerus (saepe): ἀσπίδα πάντοσ' ἐΐσην, quod tantum rotunda forma recipit. Ἀσπὶς autem rotunditatem significat, unde serpens ille orbiculari sese forma involvens ἀσπὶς dictus est. Quare Hesychius in illo Homeri Il. λ. (v. 753.): δι' ἀσπίδεως πεδίοιο: ἀσπιδὲς πεδίον interpretatur περιφερές, rotundum. Sic Attius Agamemnone *coeli clypeum* dixit:

In altissimo coeli clypeo temo superat stellas.

Ab hac igitur clypei significatione *clypeum* dixere corium, in quo Gabinorum foedus descriptum. *Dac. Gobiorum* Sabinorum. *Goth.*

Classes clypeatas. Pro equitibus classes pluraliter veteres dixisse multis probari potest. Virgilius (Aen. II, 30.):

Classibus hic locus.

Et alibi (Aen. III, 602.):

Scio me Danais e classibus unum.

Sed pro exercitu nescio an exemplis possit firmari. Tunc enim *classem* numero singulari solebant dicere. Cui rei fidem faciunt Isidorus, Numae lex (vid. Scal. ad *Classis procincta.*), Gellius (I, 11.) et ipse Festus in *Classis procincta.* *Dac.*

Cloeliae fossae. Cluilia fossa Liv. I. (23.): *Castra ab urbe haud plus quinque millia passuum locant, fossa circumdant. Fossa Cluilia ab nomine ducis per aliquot secula appellata est, donec cum re nomen quoque vetustate abolevit. In his castris Cluilius Albanus rex moritur.* *Dac.*

Claudere. Portumnum portubus praeesse notat Servius lib. VI. Aen. (V, 241.) ex illis Virgilii versibus:

Et pater ipse manu magna Portumnus euntem
Impulit: illa Noto citius volucrique sagitta
Ad terram fugit, et portu se condidit alto.

Et Varro lib. V. (De L. L. p. 201. Sp.): *Portumnalia*, inquit, *a Portumno, cui eo die aedes in portu Tiberino facta et feriae institutae.* In aereis nummis Neronis portus Ostiensis agnoscitur cum huius dei imagine. Vide Ovid lib. VI. Fast. (547.). *Ant. Aug.* *Claudere et clavis.* Claudo a Dorico κλάζω, clavis a κλάξ. *Dac.* *Portumnum.* Portuum deus. Et ita legendum, non *portarum.* De Melicerta Athamantis filio, qui in Portumnum versus est, nota fabula. Vide infra *Portumnus.* Graecis *Palaemon* dicitur. Is clavim manu tenebat, quod notandum. Per eam autem *clavim* significabatur et aperiendi et claudendi esse potestatem datam, eaque saepius non manu tenebatur, sed ex humeris dependebat, qui mos ab ultimis usque temporibus repetendus. Deus enim loquens apud Isaiam cap. 22. v. 22. de *Eliakim:* *Καὶ δώσω τὴν δόξαν Δαυὶδ αὐτῷ, καὶ ἄρξει καὶ οὐκ ἔσται ὁ ἀντιλέγων, καὶ δώσω αὐτῷ τὴν κλεῖδα οἴκου Δαυὶδ ἐπὶ τῷ ὤμῳ αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἔσται ὁ ἀποκλείων καὶ κλείσει καὶ οὐκ ἔσται ὁ ἀνοίγων.* Hinc lucem capit illud Callymachi hymn. in Cererem versu 45. de Cerere in Nicippum conversa:

— — — *γένετο δὲ χειρί*
Στέμματα καὶ μάκωνα. κατωμαδίαν δ' ἔχε κλαῖδα,

quod interpretes hucusque latuit, ut abhinc iam quatuor annis apud Theocritum notabamus. *Dac.* *Clavim clavum.* Idem Iano tribuit, ut clavim teneat Alricus libro de imaginibus. Vide Alexandr. ab Alex. 1. c. 14. *Goth.*

Clavim. Uxori intranti limen viri claves tradebantur, non tantum, ut eo facilitatem partus significarent, sed ut ostenderent viros uxorum fidei sese committere, omniaque earum custodiae mandare. Eaedem etiam claves adimebantur mulieri divertenti et exeunti, unde in leg. XII. tab. *claves adimito.* Mulier etiam nuntium viro remittens claves remittebat. *Dac.* Vide Ciceronem II. Phil. (28.). Ambros. Epist. 65. qua de re diximus ad l. 2. ff. de divort. *Goth.*

Clausula. Suspicor: *quam Graeci κῶλον vocant, ex quo factum κολοφῶν. Scal.* Graecis κῶλον proprie est pars orationis inter duas lineas (—) constricta, absolutum sensum continens. Unde metaphorice pro fine passim usurpatur. Quo sensu Graeci dicunt κολοφῶνα, sed frustra est doctiss. Scaliger, qui putavit a κῶλον factum κολοφῶν, quasi vero, ut de scriptura nihil dicam, τὸ κῶλον pro colophone uspiam legatur. Sed adi Strabonem (lib. XIII, p. 442.), qui te docebit, quid sit et unde sit *Colophon.* Vide *Colophon. Dac.* Senec. Ep. I, 11.: *Iam clausulam epistola poscit;* et III, 26.: *finire iam volebam et manus spectabat ad clausulam.* Glossis clausula νόημα. *Goth.* *Κολοφῶνα, περίοδοι,* alii κῶλον. *Idem.*

Clavata. Vestimenta clavis purpureis ad oram praetexta, seu tota facie descripta et exarata, quorum alia latis clavis senatorum, alia angustis clavis equitum propria notabantur. Clavi autem illi purpurei figuram non aliam exprimebant, quam veri clavi. Unde et nominantur. Nam ἥλους etiam Graeci vocarunt. Unde ἔνηλος vestis purpura clavata. Gloss. clavus πορφύρα ὑφασμένη. *Dac.* Hinc definitum clavos aureos vel purpurae vestimentorum esse etiam non consutos vestimentis. l. 19. §. 5. ff. de auro; multo magis consutos. l. 25. §. 1. ff. de auro. *Goth.* *Intertexta* intexta. *Idem.*

Clavus annalis. Qui notandis annorum numeris figebatur. Livius lib. VII. sect. 3.: *Lex vetusta est, priscis literis verbisque scripta, ut, qui Praetor maximus sit, Idibus Septembribus clavum pangat. Fixus fuit dextro lateri aedis Iovis Opt. Max. ea ex parte, qua Minervae templum est. Eum clavum, quia rarae per ea tempora literae erant, notam numeri annorum fuisse ferunt, eoque Minervae templo dicatam legem, uia numerus Minervae inventum sit. Volsiniis quoque clavos indices numeri annorum fixos in templo Nortiae Etruscae deae comparere, diligens talium monimentorum auctor Cincius affirmat.* Item alibi (eod. loco paullo post.): *Ab consulibus postea ad dictatores, quia maius imperium erat, solenne figendi clavi translatum est.* Neque

solum pro numero annorum clavus figebatur, sed piaculi etiam causa, cum scilicet sive pestilentia quaedam inciderat, sive secessio populi, sive prodigium aliquod grave. Vide Livium lib. 7. cap. 3. et lib. 8. cap. 18. *Dac.* V. Alexand. ab Alex. d. c. 14. *Goth.*

Classis procincta. Lex Numae: *QUOIUS. AUSPICIO. CLASSE. PROCINCTA. OPEIMA. SPOLIA. CAPIUNTUR. IOVI. FERETRIO. BOVEM. CAEDITO. QUEI. CEPIT. AERIS. DUCENTA. DARIER. OPORTETO. Scal.* Fabius Pictor apud Gellium (X, 15.): *Equo Dialem Flaminem vehi religio est; classem procinctam ante pomoerium, id est exercitum armatum videre.* Vide *Opima. Dac.* Adde infra *Endoprocinctu.* Glossis *procinctum* est, *ὅταν εἰς πόλεμον συγκαλέσονται.* Theophil. Inst. de testament. ordinandis ἡνίκα ἔμελλε ἐξεῖναι ἐπὶ πόλεμον. *Goth.*

Clingere. Omnino legendum *Clingere, cludere.* Alioqui frustra dixisset a Graeco *κλείειν* manasse. Quin Isidorus plane sententiam nostram adiuvat. *Clingit,* inquit, *cludit. Scal.* In MS. non *κλείειν*, sed *κιγκλίζειν*, quod est crebro corporis motu motacillam imitari. Quae si vera lectio, turpiculum aliquid innuit verbum clingere. Sed dubito. Imo et *cludere* et *κλείειν* retinendum. *Dac.* In Glossis MS. *clisciscere disiungere. Goth.*

Cercopa. Quid habebat in animo Festus, aut Verrius, quum haec scriberet? Quae enim cognatio *τῷ κέρκῳ* et *τῷ κέρδει? Κέρκωπες* a Graecis *πανοῦργοι* dicuntur, eiusque rei causam petunt ab historia. *Scal.* Festus videtur deducere a *κέρδος*, vel a Graeco *κέρδος* et Latino *cupio*, quasi *cerdocupis*, merae nugae. *Κέρκωψ* Graecum est, et exponitur animal magnam habens caudam, id est vulpes, a cuius astutia homines fraudulenti *cercopes* dicti. Unde et nata fabula de Cercopibus populis, qui Iovis ira in simias, quae Graecis *πίθηκοι* et in insulas delati iis Pithecusarum nomen dedere. Ovid. XIV. Metamorph. (90.):

Quippe deum genitor fraudem et periuria quondam
Cercopum exosus, gentisque admissa dolosae
In deforme viros animal mutavit, ut iidem
Dissimiles homini possent similesque videri.

Dac. *Cercopia* legendum apud Plautum Trin. IV, 2, 82. ubi vide Meursium.

Classici testes. Hoc est cives Romani. Qui enim cives Romani erant, omnino in aliqua classe censebantur. Qui non habebant classem, nec cives Romani erant. *Scal.* Alias classici Gellio VII. c. 13. primae tantum classis homines, translatitie vero pro insigni, unde *classicus scriptor* Gellio XIX, cap. 8. Est et glossis MS. *Classarius* seu *Classicarius* idem ac classicus *σαλπιστής*. Alio quoque significatu classici in lege unica. Cod. Theodos. de classicis: deputati navibus purgandis et deducendis. *Goth.*

Commentaculum. Lege *commotaculum.* Vide notam ad *Commentacula. Dac.* *Sacrificiis* sacris. *Goth.*

Cervaria. Cerva mactabatur Dianae. Ovidius (locus non est inventus.):

Quae semel est triplici pro virgine caesa Dianae
Nunc quoque pro nulla virgine cerva cadit.

Cum ea non erat, succedaneam eius mactabant ovem, quae ob id cervaria ovis dicebatur. *Scal.*

Creppos. Crepos. Alii legunt *Creppos.* Luperci Panos Lycaei sacerdotes ab Evandro Arcade Romam translati sacra Lupercalia vocabantur XV. Kal. Maias solita. Ovid. Fast. II. (267.):

Tertia post idus nudos Aurora Lupercos
Adspicit, et Fauni sacra bicornis eunt.

Nudi Luperci discurrebant pelle caprina tamen amicti, ut et ipsius dei simulacrum et per lasciviam discurrentes pellibus caedebant obvios. Unde a pellium crepitu *crepi* sunt dicti. *Dac.* Vide Varronem de lingua Lat. (Lib. VI, p. 195. Sp.). *Goth.* *Pellibus obvias.* Caprinis. Vide infra *Februarius. Idem.*

Condere. Vide *Condere proprie est* etc.

Cincia. Ad portam Romanam, qui locus ab antiquis appellari solitus *status Cinciae*, quod ibi eius familiae sepulchrum fuit. Vide *Romanam portam. Dac.* Vide quae scripsi ad l. 3. ff. si pars haereditatis. *Goth.*

Capital. Linteum intelligit, quo caput velabant, de quo Helenus apud Virgil. (Aen. III, 405.):

Purpureo velare comas adopertus amictu.

Dac. *Capital.* Capitale. Adde Nonium (pag. 38. Merc.) in *Capital. Goth.*

Castrensis corona. Ex auro facta, sed non tota, ut patet ex Sueton. August. cap. 25. Ea vallo decorabatur, ideoque *vallaris* dicta. *Dac.* Vide Gell. V, 6. *Goth.* Cf. Creuzer. Antt. Rom. p. 317. seq. §. 261. ubi vide qui citati sunt.

Cognitor. A veteribus Graecis ἔκδικος. De eo Asconius. *Scal.* Qui defendebat alterum in iudicio aut *patronus* dicebatur, si orator esset, aut *advocatus*, si aut ius suggerebat, aut praesentiam suam commodabat amico, aut *procurator*, si negotium suscipiebat absentis, aut *cognitor*, si praesentis causam noverat et sic tuebatur ut suam. Cicero pr. Q. Roscio (Comoed. 18.): *Quid interest inter eum, qui pro se litigat et eum, qui cognitor est datus? qui pro se litem contestatur, sibi soli petit, alteri nemo potest, nisi qui cognitor est factus.* Cognitor a praetore dabatur. Interdum etiam *cognitor* pro praetore vel iudice, qui causas audit. *Dac.* Anianus in l. si lite. Cod. Theodos. de cognitoribus et procuratoribus. Proprie tamen dicitur cognitor in causa status, teste Asconio III. Verr. (pag. 72. Ed. Lugd.) Donatus in Adelphis (ad Eun. IV, 7, 35.): *In tria*, inquit, *divisit officium orationis suae: in assertoris* (Principio eam dicit esse liberam): *in cognitoris, civem Atticam: in fratris: meam sororem.* Adde Paul. I. sentent. 2. Titul. de cognitoribus 5. Tit. 25. adde Ciceronem II. ad Herenn. (c. 30.). *Goth.*

Claudiana tonitrua. Phaedr. lib. V. fab. 8.:

Aulaeo misso, devolutis tonitrubus
Dii sunt locuti more translatitio.

Dac. *Collectus* coniectus. *Goth.*

Caesones. Plinius (H. N. VII, 9, 7.): *Auspicatius enecta parente gignuntur.* Sicut Scipio Africanus prior natus primusque Caesarum a caeso matris utero dictus; qua de causa caesones appellati. Quod ait de Scipione et apud Tertullianum legitur libro de anima: *Possumus illos quoque recogitare, qui exsecto matris utero vivi aerem hauserunt, Liberi aliqui et Scipiones. Scal.* *Caesones* a caedendo. *Dac.* Vide l. 141. ff. de v. sign. *Goth.*

Caesar. Vel ab elephanto, qui Mauris caesar dicitur, vel a caeso matris utero, vel a caesarie, vel quod oculis caesiis. Spartian. in Aelio Vero (c. 2.). Postremum etymon prorsus ineptum; secundum multi amplectuntur. Quod si verum, putandum est, id nomen accepisse quendam ex maioribus imperatoris, non ipsum imperatorem, quem iam puberem et Gallias subigentem matrem amisisse satis constat. Sed aliud omnino quaerendum est. Nam vetustissimum Caesaris nomen quippe et ante bellum Samniticum quidam Claudius Caesar extitit. Sane Caesar, ut optime notavit Salmasius, antiqua vox Latina, quae τὸν κουριῶντα significat, unde *caesaries* vel *caesaria* ἡ κόμη ἡ κουριῶσα. *Dac.* *A caesarie.* Sic Isidorus IX. c. 3. alii ab elephanto, qui Punica lingua *caesar. Goth.* Vide quae supra diximus in notis ad v. *Caesariati. Kaeça* sive *Kêça* caesariem significat. Cum suffixo *ra*, *kêçara* (nom. *kêçaras*) significat *comatum.* Iterum adiuncto suffixo *ja*, quod saepe statum rei significat, *kêçarja* i. e. caesaries, proprie statum hominis comati denotabit.

Capsit. Plaut. Pseudol. IV, 8. (3, 6.):

Si occasionem capsit, qui fiet malus.

Dac.

Capreoli. Varro lib. I. de re rust. cap. 31.: *Capreolus vites ut teneat, serpit ad locum capiendum, ex quo a capiendo capreolus.* Sed melius a capreolis animalibus deducas, quia *capreoli* illi vitium, ut capreolorum cornua, vel potius capreoli propter teneritudinem suam sic dicti, quomodo et Graeci novellos ramos vocant μόσχους. *Dac.* Fortasse idem Capreoli, quod Capronae Nonio (p. 22. Merc.), nisi quod infra Capronarum fit mentio. *Goth.*

Capillatam. Supplendum ex Plinio de Vestalibus libro XVI. cap. 44. *Scal.* Iuvenis capillum diis consecrantes eum vel templis vel arboribus suspendebant. Sic Berenice crinem suum in Veneris templo posuit, et Vestales, antequam in collegium sacrarentur, detonsum crinem ad certam arborem deferebant, quae ideo *capillata* vel *capillaris* dicta, de qua Plin. lib. VI. cap 44.: *Antiquior illa est Lotos, sed incerta eius aetas, quae capillata dicitur, quoniam Vestalium virginum capillus ad eam defertur.* Neque diis tantum comas suas veteres consecrabant, sed fluminibus etiam, interdum et amicis, ut in insula Delo testatur Callimachus:

Ἤτοι Δηλιάδες μὲν, ὅτ' εὐήχης ὑμέναιος
Ἤθεα κουράων μορμύσσεται, ἥλικα χαίτην
Παρθενικαὶ, παῖδες δὲ θέρος τὸ πρῶτον ἰούλω
Ἄρσενες ἠϊθέοισιν ἀπαρχόμενοι φορέουσιν.

Quem locum vel levicula menda male deformat. Legendum παρθενικαῖς. Δηλιάδες παρθενικαῖς. παῖδες δὲ ἄρσενες ἠϊθέοισιν. Nam τὸ Δηλιάδες παρθενικαὶ comprehendit. Et ita olim legisse videtur Scholiastes, cuius verba: παρθενικαὶ, ἀπὸ κοινοῦ τὸ φορέουσιν. *Dac.*

Contestari litem. Vide ad *Contestari est cum* etc.

Caviares. Locus corruptus in sequentibus. Legendum: *Caviares hostiae dicebantur, quod caviar pars hostiae cauda tenus dicebatur.* Manifestum est in equo Octobri, de quo hic agitur, partem secundum caudam dictam *caviar,* ut in bove *palaseam:* in sue *offam penitam.* De equo Octobri, inquam, Festus intelligit, cuius coda tanta celeritate in Regiam perferebatur, ut sanguis recens inde in focum stillaret. Fiebat autem hoc sacrificium quinto quoque anno, ut non multo post sequitur, et Propertius (IV, 1, 20.):

Qualia nunc curto lustra novantur equo.

Scal. Vide *October equus. Dac. Caviae cavae;* al. *caviar. Goth.*

Confeta sus. Talis fuit, quae cum triginta porculis ab Aenea mactata est. Ambegna quoque ovis confeta dici potest. *Scal.* Vide Virgil. Aen. VIII. (43.):

Littoreis ingens inventa sub ilicibus sus
Triginta capitum foetus enixa iacebit,
Alba soli recubans, albi circum ubera nati.

Dac.

Conclavatae. Haud dubie legendum *Conclavia*, et recte huic expositioni convenit Graecorum interpretatio *Conclavia συνοίκια.* Quin et sequentia confirmant. *Scal.* Subintellige *aedes.* Aedes conclavatae sunt, quae una clave clauduntur et idem videntur facere, quod *conclave* sive *conclavium.* Unde et hic etiam *conclavia* legendum concludit doctiss. Scaliger frustra. Aliud enim *conclave,* aliud conclavatae. Nam conclavatas aedes dixisse veteres puto compluria cubicula pervia, quae porta una sive clave clauderentur, quamvis hoc non satis dilucide apud Festum. *Dac.*

Colossus. Plinius lib. XXXIV. cap. 7.: *Ante omnes in admiratione fuit solis colossus Rhodi, quem fecerat Chares Lindius Lysippi discipulus. Septuaginta cubitorum altitudinis fuit. Ant. Aug.* Legendum *a Charete*, teste vel ipso artifice, qui subscripsit colosso:

Τὸν ἐν Ῥόδῳ κολοσσὸν ἑπτάκις δέκα
Χάρης ἐποίει πηχέων ὁ Λίνδιος.

Scal. Simonides (ap. Gaisford. Poet. Graec. min. Vol. III. p. 181. LXXXV. ed. Lips.):

Τὸν ἐν Ῥόδῳ κολοσσὸν ἑπτάκις δέκα
Χάρης ἐπόιει πηχέων ὁ Λίνδιος.

Idem Strabo (XIV. p. 964. B.) et Eustath. ad Dionys. (Perieg. 505. p. 72.). Verum Simonidis versus aliter in quibusdam; nempe:

Τὸν ἐν Ῥόδῳ κολοσσὸν ὀκτάκις δέκα
Λάχης ἐπόιει πηχέων ὁ Λίνδιος.

(Cfr. Iacobs.). Nisi ibi *Χάρης* et *ἑπτάκις*, ut supra, sit rescribendum. Colossus post quinquagesimum sextum annum terrae motu cecidit. Vide Plin. et Polyb. l. V. (c. 88.). *Dac. A Caleto artifice*, a *Coleto Charete. Goth.*

Codeta. Pro *caudeta* a *cauda*, pro quo dixere coda, ut alibi dictum. Hic ager Codetanus in decima quarta urbis regione trans Tiberim. *Dac.*

Censui censendo. Praedia censui censendo dicebantur ea, quae essent mancupi, quae habebant ius civile, quae subsignari apud aerarium, apud censorem possent, ut auctor est Cicero in ea pro Caecina (locus non invenitur): *neque possessiones, id est agri, qui non mancipatione, sed usu tenebantur, censui censendo dici poterant, neque hoc nomine in censum dicari. Scal.* Qui proprie iure civili, hoc est Romano, non autem alio emi vendique possunt. Cicero pro Flacco (32.): *Quaero sintne illa praedia censui censendo.* Id est, quaero an illa praedia iure Romano emi vendique possint. *Dac.*

Censores. Vide supra *Censere. Dac.* Glossis: Censor τιμητής: Census διατίμησις, τιμώτης, ἀξίωμα. *Dac.* Cf. Creuzer. Antt. Rom. pag. 97. §. 104. seqq.

Consiluere. Consileo, consilui, ut conticeo, conticui. *Dac.*

Claritudo. Sallust. Iugurth. (2. extr.): *Quum praesertim tam multae variaeque sint artes animi, quibus summa claritudo paratur*, ubi claritudo pro claritas. Sed claritudinem clarorem etiam dixere. Plaut. Mostell. III, 1, (107.): *Speculo claras* (aedes scil.) *clarorem meum. Dac.* Vide Nonium (pag. 82. Merc.) in *Claritudo. Goth.*

Casus. Sed etiam vocabulorum formas. Adde Varronem VII. (Lib. VIII, pag. 393. Sp.) ubi de casibus. *Goth.*

Catachresis. Cum vox aliqua licentius a propria significatione ad aliam deflectitur. *Abusio* latine dicitur. *Dac.*

Cocum. Pistorem apud veteres non fuisse testatur Varro in ταφῇ Μενίππου: *nec pistorem ullum nossent, nisi eum, qui in pistrino pinseret farinam;* et lib. I. de vita populi Rom.: *Nec pistoris nomen erat, nisi eius, qui far pinsebat.* Plin. lib. 18. cap. 12.: *Pistores Romae non fuerunt ad Persicum usque bellum annis ab urbe condita super IↃLXXX. ipsi panem faciebant Quirites, mulierumque id opus erat, sicut etiam nunc in plurimis gentium. Artoptam Plautus in fabula, quam Aululariam scripsit* (II, 9, 4.), *magna ob id concertatione eruditorum, an is versus poetae sit illius certumque sit Atteii Capitonis sententia, tostum panem lautioribus coquere solitos, pistoresque tantum eos, qui far pinsebant, nominatos.* Sic et apud Plautum *coquum* centies, pistorem vero ne semel quidem, nisi pro eo, qui far pinsit. Nam *pistum* antiqui dicebant pro *molitum.* Vide *pistum.* Locus Naevii ex iis operibus desumptus fuit, quorum nomina hodie non extant. Cur autem per Venerem olera intelligat Naevius, hoc inde est, quod horti in Veneris erant tutela. Varro lib. I. de re rust. (1.): *Adveneror Minervam et Venerem, quarum unius procuratio oliveti, alterius hortorum, quo nomine rustica vinalia instituta.* Idem lib. V. de L. L. (Lib. VI. p. 198. Sp.). Vide infra post *Roscii* et in *Rustica vinalia. Dac.*

Camensem. Cannensem. Locus non tam obscurus, quam ridiculus: obscurus tamen. Quod et me tacente per se satis patet. Ego sane non dubito ita legere: *Cannensem cursorem Titinnius praepostere dixit.* Recte. Nota est consternatio et fuga eorum, qui ex Cannensi clade evaserunt, qui noctes et dies nunquam cursum et fugam intermiserint. Quod Livius nominatim monet (XXII, 44.). Ab eo ilocaliter Cannenses, hoc est, qui ex clade Cannensi effugerant, vocabantur cursores, ut suspicari licet. At contra praepostere Titinnius cursorem vocavit Cannensem. Non enim, si Cannenses cursores dicebantur, ab eo consequens erit et cursorem quemvis Cannensem dici. Sed comica licentia eleganter hoc dictum a Titinnio accipiendum est. *Scal.* Ego vero existimo, Festum non esse assecutum mentem Titinnii, qui *Cannensem cursorem* vocavit quendam suae aetatis hominem, ut eum φυγόμαχον, ut Horatius diceret *fugacem* designaret. Itaque nulla distinctio post *Cannensem*, neque enim *Cannensem* sic absolute dixit Titinnius. Sed alia etiam mens Meursio. Putat enim scriptum fuisse *canensem*, unico *n*, nempe a cane, quod erat vinculi ferrei genus et catenatos fuisse pistores nemo ignorat. Itaque *canensem* lepide vocat, tanquam a loco aliquo regioneve nomine deducto. Et cursorem propter cursum, quem exercebant in circumagenda mola. *Dac.*

Collativum ventrem. Plaut. in Curcul. (II, 1, 16.). *Ant. Aug.* — — *Qui hic est homo Cum collativo ventre atque oculis herbeis. Dac.*

Convexum. Quasi *conversum.* Isidor. lib. III. Orig. (c. 16.): *Convexum curvum est, quasi conversum seu inclinatum et ad modum circuli flexum.* Sed a *veho* potius quam a *verto* convexum deducitur. Est enim *convexum* id, quod supra concavum convehitur. *Dac. Convexus* glossario περιφέρεια. *Goth.*

Confecerunt. Sic apud Terent. *confecistis* pro una fecistis. Phorm. II, 1, (28.):

Bonas me absente hic confecistis nuptias.

Nam quod alii interpretantur: *effecistis, perfecistis*, non placet. *Dac.* Glossis: *Conficit*, συντελεῖ. *Goth.*

Crebrisuro. In obliquo scilicet. Nam rectum est *crebrisurum.* Festo enim, ut et Hesychio et aliis solenne est verba producere, ut posita sunt in locis, unde ea petiere. *Crebrisurum* autem est vallum crebris suris, hoc est palis fixum. Nam *surus* palum significat. Vide infra in *rigido* et *surus. Dac.*

Cyprio bovi. Videndus Plinius lib. XXIII. c. 20. *Fulv. Urs.* Tam verum est, ullos boves σκατοφάγους esse, quam ullas oves ὠμοφάγους. Utrumque enim contrarium animali ruminanti. Scio quidem in quibusdam nationibus pisces arefactos ac sale duratos bubus apponi. Sed aliud est pisces pecori dare, cum iam amplius pisces non sunt: aliud pecus ipsos vivos consectari et pasci. Sed περὶ σκατοφάγων βοῶν non solum Festus ait, sed et Graeci παροιμιόγραφοι, exponentes proverbium κύπριος βοῦς. Vide illos. *Scal.* Cyprios boves stercore vesci antiquis proditum est, unde *Cyprius bos* proverbii vice in quemlibet iactabatur, qui se foedo victu imbulbitaret. Hesych.: *Κύπριος βοῦς ἐπὶ κοπροφάγου εἰκαίου τάσσεται τοῦτο, ἐπειδὴ οἱ Κύπριοι βόες κοπροφαγοῦσι. Dac.*

Consponsor. Intelligendum hic coniuratores, qui poena sacramenti mutuo se provocant, cum in rem aliquam agerent, puta in litem vindiciarum. *Nam*, ut inquit Varro (De L. L. V, 179. Sp): *qui petebat et qui inficiabatur de aliis rebus, uterque quinquagenos aeris ad pontificem deponebant* etc. Nam formula provocationis erat haec: *Quando negas, te sacramenta quinquagenario provoco* et *qua de re peto, laudabiliter iura.* Hoc erat consponsio. Nam qui exegerat iuramentum, rursus et ipse sacramentum adigebatur ab adversario. Vide *Sacramentum. Scal.* Alias *consponsores* etiam dicti, qui se simul pro quopiam obligarunt. *Correi* debiti Iurisconsultis dicti. *Dac.* Cicero XII. ad Attic. (17.). Vide infra *Spondere. Goth.*

Canturnus. Geographis ignotus. *Dac.* *Loci* ioci. *Goth.*

Centenas pondo. Quin et addebant saepe libras Varro, Livius, Gellius. *Scal.* Subauditur *libras. Centenae librae* idem quod *centeni aeris*, asses scilicet. *Dac.*

Coepiam. In veteri quodam schedio reperi in verbis Catonis *semesa verba*, non *seditiosa*. Erunt ergo verba tertiata et quartata, ut idem Cato dixit aliquem *tertiato et quartato verba dicere prae metu*, ut notat Servius in schedis. Quod imitatus est ut alia, Apuleius lib. V. (p. 166. Elmenh.): *tertiata verba semianimi voce substrepent. Scal.* Legendum: *ab eo quod est coepio. Coepiam* dixit Caecilius:

Acre obscuro hercle desine, mane coepiam.

Coepio Plaut. Menaechm. V, 5. (57.):

Neque ego insanio, neque ego pugnas, neque lites coepio.

Dac. De Caecilii loco adi Spengel. in libro: C. Caecilii Statii Deperditarum fabb. Fragm. pag. 25. seq.

Contagionem. Sallust. (Catil. 10. extr.): *Post ubi contagio quasi pestilentia invasit.* Sed et contagium dixit Virgil. (Ecl. I, 51.):

Nec mala vicini pecoris contagia laedent.

Contagio et *contagium* antiqui simpliciter coniunctionem significabant. *Tago* pro tango, unde *contago.* Sed postea ad venenum traducta et morbum, qui serpit, gliscit, et contactu inficit. *Dac.* Vide Nonium (p. 199. Merc.), in *Contagio.* Glossis *Contagia μολυσμοί, μιάσματα.* Iisdem *contagia νόσοι παρατριβῆς. Goth.*

Clitellae. Clitellas etiam pro locis acclivis dicunt Graeci. Nam *κανθήλιον* significat non tantum clitellas et sagmata asinorum, sed etiam, ut dixi, acclivia loca. Quin et iidem Graeci *κλιτύν* dicunt locum in vallem demissum. A quo clitellus formarunt Latini. *Scal.* Sellae dorsuariae, quae ad onera gestanda iumentis imponuntur. *Dac.*

Compluriens Ut *quotiens* pro *quoties* etc. *Dac.* Adi Nonium (p. 87. Merc.) in *Compluriens. Goth.*

Citeria. In verbis Catonis legendum *vectitatum iri. Scal.* In tanto veterum silentio vix dici possit, nec quo tempore, nec quo modo effigies ista gerebatur. Licet tantum suspicari hominem fuisse, qui se pro *citeria* locabat, ut alius apud Plautum (Rud. II, 6, 51.) pro *manduco*, et ante triumphantium currum praecedere fuisse solitum. Quin et illum plane intelligit Livius de Aemilio triumphante: *Totum agmen claudebatur a quodam, qui inepta gesticulatione risum omnibus moveret, hostibus illuderet, eosque virtutis Romanae et suae temeritatis admoneret.* Neque praetereundum non deesse, qui hominem istum non esse *citeriam* dicant, sed picturas ferre, quae *citeriae* dicebantur. Sed eos abunde refellit superior locus Livii. Neque vero *citeria* et *manducus* soli currum triumphantem praecedebant. In partes veniebat anus, quae Petreia dicebatur. Vide *Petreia. Dac.* Adde quaedam ex Plutarch. in Agesil. Adde infra *Manducus. Goth. Caecilium* Caelium. *Idem.*

Curionem agnum. Locus Plauti est Aulul. III, 6. (26.):

— — quo quidem agno sat scio
Magis curiosam nusquam esse ullam bestiam.
Volo ex te scire, quid sit agnus curio,
Qui ossa atque pellis totus est, ita cura macet.

Ubi et curiosum et curionem vocat. Nec necesse est, ut supra pro curiosam curionem legas. Nam utrumque recte dici potest. Et Apuleius agnum pinguem *incuriasum* vocat. *Dac.* Vide Nonium (pag. 86. Merc.) in *Curio. Goth.*

Coniector. Coniectoribus viri, coniectricibus mulieres utebantur. Innuit Plaut. Mil. III, 1. (98.), ubi mulier virum suum alloquitur:

— — da quod dem quinquatribus
Praecantatrici, coniectrici, hariolae atque haruspicae.

Inde *coniecturam facere* proprie dicebantur somniorum interpretes. Plaut. Curc. II, 1, (2.):

Potin' coniecturam facere, si narrem tibi
Hac nocte quod ego somniavi dormiens?

Dac. Glossis: *ὀνειροκρίτης. Goth.*

Comperce. Plaut. Poen. I, 2. (137.):

— — — Comperce, amabo, me attrectare,
Agorastocles.

Id est *compesce*, et hanc vocem restituendam puto Bacchid. III, 3. (59.):

Cave malum et compesce in illum dicere iniuste.

Lego: *et comperce*, id est *comparce*. *Parco* autem et *pasco* veteres dicebant. Unde *pascito linguam* in sacrificiis *linguam coerceto*. Vide *pascito*. *Dac.* Plane diversa sunt *parco* et *pasco*. *Pasco* enim a *πάω*, cognatumque est cum Sanscrito *paçu pecus*, nisi forte pecus a *πύκος*, quod etiam *πέκος* sonabat. Quod tamen minime mihi probabile videtur.

Comparsit. Terent. in Phorm. (I, 1, 9.). *Ant. Aug.* Locus quidem Terentii notus vulgo ex Phormione, ita tamen, ut in aliam sententiam ac Festus interpretatur accipiendus sit. *Scal.* Lege *compersit* a parco. Vidit Salmasius. Locus Terentii est:

Quod ille unciatim vix de demenso suo
Suum defraudans genium comparsit miser.

Dac.

Creduas. Plaut. in Bacchid. *Ant. Aug.* Bacch. III, 3, (72.). Sic et Amphitr. (Suppos. Scen. *Di vostram fidem* v. 9.):

O di faciant, ut tu quoque
Concisus pugnis et illisis dentibus id impransus creduas,

et alibi plus vicies. *Dac.*

Corius. Lege: *Haec lupus*, non *haec ludus*. Ennius:

Endotuetur ibi lupu' femina, conspicio amnem.

Scal. Ignoratur comoediae nomen, unde Plauti locus, quem Festus laudat, petitus est. Et idem eo alibi masculino genere usus est, ut Poenul. I, 1. (11.):

Tres facile corios contrivisti bubulos.

Et Varro in Eumenid.:

Nunc corius ulmum tuus depavit, pergis, heia.

Pro *haec ludus* dicebant *lusio*, vide Nonium (pag. 211. Merc.). *Dac.* *Haec metus.* Ennius:

Ni metus ulla tenet, rite virtute quiescunt.

Idem. *Haec amnis.* Plaut. in Mercat. (V, 2, 18.):

Neque ulla mihi obstabit amnis, neque mons, neque adeo mare.

Idem. *Hic frons.* Caecilius in subditicio:

Nam ii sunt inimici pessimi fronte hilaro,
Corde tristi, quos neque ut apprehendas neque ut mittas scias.

(De hoc Caecilii loco vide Spengel. Fragmm. Caecilii pag. 27.). *Dac.* *Corius.* Vide Nonium (pag. 199. Merc.). *Goth.* *Ludus*; alii *lucus*, alii *lupus*, quod magis probandum. Vide infra *Masculino genere.* *Idem.* *Hic frons.* Vide infra *Frontem.* Alii legunt *hic fons.* *Idem.*

Cullus. *Collus.* Repone ex veteribus editionibus: *Culleus.* Non autem aliud genus tormenti fuisse puto, quod hic dicatur, quam culleum, in quem immittebantur parricidae. Res vulgatissima. Sed tamen apponam de eo, quod inveni: *ἐγένετο νόμος τις τοιούτου τρόπου πᾶσιν ἀνθρώποις, ὅπως ὅστις πατροκτόνιον πεποιήκει, δημοσίως εἰς μολγὸν πεμφθεὶς συνραφῇ μετ' ἐχίδνης καὶ κυνὸς καὶ πιθήκου καὶ ἀλέκτορος ἀσεβῶν ζώων ἀσεβὴς ἄνθρωπος, καὶ ἐπὶ ἁμάξης ἐξευγμένης μελανοῖς βουσὶ κατενεχθῇ εἰς θάλασσαν καὶ ῥιφῇ εἰς βαθύ.* Et mirum mihi videtur, quod de eadem re Isidorus scribens in Glossis ait, culleum tunicam fuisse ex sparto in modum cruminac factam et solitam liniri a populo pice et bitumine. Plautus Vidularia:

— iube hunc insui culleo
Atque in altum deportari, si vis annonam bonam.

Scal. Isidorus in Glossis: *Culleus tunica ex sparto in modum cruminae facta, quae linebatur a populo pice et bitumine, in qua includebantur parricidae cum simia, serpente et gallo insuta mittebatur in mare, et contendentibus inter se animantibus homo maioribus poenis afficiebatur.* *Dac.* Culeus qui et *collare* Nonio (p. 197. Merc. Sed non *culleus* et *collare* Nonio, verum *culleus, cullea.*). Alii legunt culleus, ut sit vas parricidale, de quo in l. penult. ff. ad l. Pompeiam de parricid. *Goth.*

Crumina. Versus Plauti mendosus ita legi debet:

Di bene vortant; tene cruminam, in ea crunt triginta minae.

Scal. Locus est e perdita Plauti fabula. — Glossis *crumina θύλακος.* *Goth.*

Corinthienses. Qui Corinthum habitant, sed aliunde nati sunt. At Corinthii Corintho oriundi, etsi aliud solum colant. Sic Romanenses, Sicilienses, Hispanienses. Sosipater (pag. 102. Ed. Frob.): *Cum dicimus Hispanus, nomen nationis ostendimus, cum autem Hispaniensis cognomen eorum, qui provinciam Hispaniam incolunt, etsi non Hispani. Dac.*

Cavitionem. Plautus: *Opportune mihi cavita est haec epistola. Scal.* Pseudol. II, 3, (3.), quamquam libri fere omnes habent non *cavita*, sed *cavata*. Quod satis placet; *cavata* eruta. A *caveo* cavitum, cautum, cavitio, cautio. *Dac.* Ut *navita* pro *nauta*, *favitor* pro *fautor* apud Nonium (pag. 110. Merc.). *Goth.*

Consuetionem. Locum Plauti, quem vult Festus, hodie inter fragmenta legere est. Sed male ibi *consuetudo* pro *consuetio* legitur:

Clandestina ut celetur consuetudo.

Lege *consuetio.* Imo et hic versus est ex Amphit. I, 2, (28.):

Et clandestina ut celetur consuetio.

Ubi male libri omnes editi: *celetur suspicio. Consuetio* primus restituit Scioppius. *Consuetio συνουσία.* Consuescere *συνεῖναι.* Sed haec nimis nota. *Dac.*

Corculum. Plauti exemplum hic nihil ad rem, sed potius, quod ait Cicero de Scipione Nasica, cum vulgo Corculum dictum. *Scal.* Apud Plautum (Casin. IV, 4, 15.) *ὑποκοριστικῶς* positum est, ut et reliqua verba ad eundem modum efficta. Sed *corculum*, quo sensu solertem et acutum significat, dictus Scipio Nasica. Cicero in lib. de claris Orator. (c. 20.): *P. etiam Scipionem Nasicam, qui est corculum appellatus, qui item bis consul et censor fuit, habitum eloquentem.* Item paulo inferius (58.): *Iam duorum abavorum quam est illustre nomen, P. Scipionis, qui bis consul fuit, qui est corculum dictus. Dac. Cicutum* cautum. *Goth.*

Casinam. Huic fabulae nunquam Casinam nomen Plautus imposuit, sed *Sortientes.* Nam Diphilus, qui illam Graece scripserat *clerumenoe* vocaverat, non *κληρομένην*, ut male Camerarius. Neque est, quod quemquam moveat argumentum, quod illi praemittitur, ubi:

— — post id rursum denuo
Latine Plautus cum latranti nomine.

Ubi per *latrans nomen Casina* intelligitur. Nam uno ut verbo dicam, argumentum illud tam Plauti est, quam quod nunquam fuit. Casinam dixere, qui post Plautum nati sunt. *Dac.*

Conivola. Duplicem lectionem reperio in glossis Isidori: *Conivoli, concordes, iuncti*, et *Cohibuli, concordes, coniuncti.* Utrique astipulatur glossarii auctor, qui cohivum et conivum interpretatur *κάλυκα ῥόδου μεμυκότα*, ut videatur iam antiquitus in dubium hoc revocatum, utrum *Conivum* an *cohivum* dicendum esset. *Scal.* A *coeo* veteres fecere *coius* et interiecta aspiratione *cohivus*, ut *cohercere.* Hinc *cohivum* glossarium interpretatur calycem rosae, qui adhuc coit, necdum apertus est. Hinc diminutivum *conivolus* occultus, qui coit, nec apertus est. Unde per metaphoram *conivoli* et *cohivoli* sive *cohivuli* dicuntur amici concordes. *Dac. Occulta* oscula. *Goth. Conivola* sunt *coibula*, a coeundo, i. e. coeundo.

Clientam. Plaut. in Milit. (III, I, 193.):

Habeo eccillam meam clientam, meretricem adolescentulam.

Ant. Aug. Et in argument. eiusdem fabulae (13.):

Suam clientam sollicitandum ad militem
Subornat.

Et in Poenul. (V, 4, 7.):

— — tantus tibi clientarum erat numerus.

Horat. Od. II, 18, (8.):

Nec laconicas mihi
Trahunt honestae purpuras clientae.

Dac. Notum est, *Clientes* esse *cluentes*, i. e. obedientes, dicto audientes, Hörige. *Clienta* autem femininum deductum, tanquam *clientus* in usu fuerit, quod probabile est.

Comoedice. Plaut. in Milit. (II, 2, 58.): *Euge εὐσχημόνως (euge, euge euscheme* al.) *Hercle astitisti et dulce (dulice δουλικῶς serviliter*, ut Ian. Gulielm.) *et comoedice. Ant. Aug.* Vide quae ego notavi ad h. l.

Capulum. Ensis manubrium. Virgil. (Aen. II, 553.):

— Et lateri capulo tenus abdidit ensem.

Pro arca funebri. Lucil.:

Quem cum vidissent Hortensiu' Postumiusque,
Ceteri item in capulo hunc non esse, aliumque cubare.

Ab hac capuli significatione dictus *capularis* morti contiguus. Plaut. (Mil. III, 1, 23.):

Quid ais tu? tam tibi ego videor oppido Acheruntieus?
Tam capularis? tamne tibi diu videor vitam vivere?

Dac. Et id, quo mortui efferuntur. Et breviter, quicquid intra se capit; ut Sarcophagum. Vide Nonium (pag. 4. Merc.) in *Capulum. Goth.*

Caelassis. Caelaveris. *Caelasso, caelavero, amasso, amavero* et similia, quam formationem Latini a Graecis mutuati. Ex aoristis subiunctivi. *Dac.* Adde supra *Ancaesa. Goth. Caelasso* ortum est ex *caelavero, caelaveso, caelaso, caelasso.* Et sic omnia alia.

Citior. Vide Macrob. lib. III. cap. 19. qui Naevium huius vocis laudat autorem. *Dac. Nullam ego rem.* Haec ex amissis Plauti comoediis. Integram gnomen sic Virg. (Aen. IV, 174.):

Fama malum, quo non aliud velocius ullum.

Dac.

Clunes. Vide incerta Verrii. *Ant. Aug.* Paulo diversius a Nonio (pag. 196. Merc.) citatur locus Plauti. *Clunes masculino.* Plautus Agroico:

Quasi lupus ab armis valeo: clunes desertos gero.

Scal. Vocabulum hoc apud Graecos κλόνις, in Sanscrito *çroni* sonat. Cf. Bopp. Gloss. Sanscrit. pag. 179.

Coquitare. Hodie haec vox apud Plautum nusquam legitur, nisi locum intelligat Festus, qui est in Pseudol. III, 2, (85.) ubi nunc *coquinare* legitur:

Hem mane, quanti istuc unum me coquinare perdoces,

ubi *coquinare* est a *coquina*, ut et idem paulo superius dixerat (v. 67.):

An tu coquinatum te ire quoquam postulas.

Et Aulul. III, 1, (3.):

Neque ego unquam, nisi hodie, ad Bacchas veni ad Bacchanal coquinatum.

Dac.

Canitudinem. Periit ea fabula, cuius locum laudabat Festus. *Albitudinem* etiam dixit Plautus Trinum. IV, 2, (32.):

Lesbonicum hic adolescentem quaero in his regionibus
Ubi habitet, et item alterum ad istam capitis albitudinem.

Dac. Adde Nonium (pag. 82. Merc.) in *Canitudo. Goth.*

Conruspari. Ruspari est scrutari, studiose quaerere. Accius in Meleagro:

Vagent ruspantes silvas, sectantes feras.

Vide infra *Ruspari.* Plauti locus, quem laudat Festus in editis comoediis non extat. *Dac.* Vide Nonium (pag. 166. Merc.). Glossis: *Ruspinat* χειροτριβεῖ. *Goth.* Plauti locus est iambicus trimeter, omissa una ab initio syllaba. De etymo adi Vossium in Etym. sub v., qui naturae sonum imitando vocabulum ortum censet.

Caecultant. Gloss. Caecultо ἀμβλυώττω. Et ita forte rectum putavit Vossius, quem non sequor; nam a *caeco caecutio*, ut *audio, audito, ausculto. Dac.*

Cudere. Caedere. Lege: *caedere a cadendo dictum*, ut in marg. Sed etymon illud Festi falsum. Vide *caedem. Dac.*

Concipilavisti. Idem ac Compilasti, ut reciprocus reprocus: reciperare, reparare: incitegere, integere. *Scal.* Locus Naevii non extat. Ea voce usus Plaut. Trucul. II, 4. (7, 60.):

— — — — quem ego
Ossatim iamiam concipilabo.

Concipilare idem quod compilare. Vide *Incitega. Dac.*

Clava. A qua claviger Hercules. Nota interim, Festum clavam *telum* vocare. Nam inde tibi patebit, non ea tantum, quae manu mitterentur, sed alia etiam, quibus cominus pugnarent, tela dixisse. Sic ensem *telum* vocavit Virgil. VI. (IX, 747.):

At non haec telum mea quod vi dextera versat,
Effugies, neque enim is teli nec vulneris auctor.
Sic ait, et sublatum alte consurgit in ensem.

Dac. Adde *Caçula* et *Calones. Goth.*

Calones. Scribendum περισπωμένως κᾶλα, ut κάγκανα κᾶλα. Glossarium: *Calo*, δοῦλος δημόσιος. Isidorus: *Calones, Galearii militum. Scal.* Calones servi, qui clavas ligneas gerebant, ligna colligebant ac foco subministrabant, a Graeco κᾶλον *lignum*, vel, ut vult Servius, a Latino *cala.* Calas enim dicebant maiores nostri fustes, quos portabant servi sequentes dominos ad proelium. Verum non tantum fustes *calas* dicebant, sed et quavis alia ligna. Unde Lucilius:

Scinde puer calam ut caleas.

Etsi ibi *calam* vectem interpretatur Scaliger. Sed de hoc alias. *Dac.* Vide infra *Metelli* et Nonium (pag. 62. Merc.) in *Calonum. Goth.*

Consiptum. Pro *conseptum* veteres dixere *consipitum*, unde *consiptum*, quod est agri circa templum spatium deo dicatum. Varro lib. VI. (De L. L. VII, p. 299. Sp.): *Extemplo est continuo, quod omne templum debet circumseptum nec plus quam unum introitum habere.* Ubi Varroni *circumseptum* est, quod Festo *conseptum*, περίβολος, περίφραγμα. Apud Ennium haec vox hodie non extat. Nam quod ait Scaliger, Festum intelligere ex Medea Ennii:

Teneor, consipta undique venor,

id vero probare non possum. Ratio est, quod vocem ipsam produxisset Festus, uti ea apud Ennium et non mutato genere. Nam ita solet. *Dac. Reperitur.* Invenitur. *Goth.*

Curionia sacra. Quae in curiis habebant a curione sacrorum curialium praefecto. *Dac.*

Corpulentis. Haec vox in Ennii fragmentis non apparet. Sed inde in glossis: *Corpulentus*, μεγαλόσωμος. Postea *corpulentus* dici coepit pro pingui. Corpus enim pinguedo. Unde *corpus facere* dixit Phaedrus (III, 7, 5.) pro pinguescere, ut contra *corpus amittere* pro macilentum fieri. Quod iam olim viris doctis annotatum. *Dac.*

Conciliatrix. Lucillius: *Aetatem et faciem, ut saga, et bona conciliatrix.* Glossae: *Conciliatrix*, προξενήτρια. *Scal.* A verbo *conciliare*, id est copulare, quod et in bonam partem sumitur, nec semper de lenocinio. De legitimis nuptiis Plaut. Trinum. II, 2, (105.):

Tute ad eum adeas, tute concilies, tute poscas.

Catull. (68, 130.):

Ut semel es Flavo conciliata viro.

Dac.

Conventae. Omnino legendum: *Conventa conditio.* Nam et id simpliciter dicebatur conditio, unde formula repudii: *Conditione tua non utor* (l. 2. §. 2. ff. de divortiis. *Goth.*), et quod dicebatur, *parentes liberis suis conditiones quaerere. Scal.* Conditio, id est coniunctio vel pactio nuptiarum et sponsaliorum. Plaut. Aulul. III, 5, (1.):

Narravi amicis multis consilium meum
De conditione hac.

Notandum etiam *conditio* interdum non de nuptiis, sed de stupris intelligi. Sueton. Aug. c. 69.: *Et conditiones quaesitas per amicos. Dac.*

Conceptivae feriae. Quarum incertus dies, et quas praetor certis verbis concipiebat et curio indicebat. Ovid. II. Fast. (527.):

Curio legitimis nunc Fornacalia verbis
Maximus indicit, nec stata sacra facit.

Ideoque *indictitia* festa etiam dicta. Conceptivas ferias vocat Varro (De L. L. VI, 207. Sp.). Vulgo *Festa mobilia. Dac. Sementinae.* Sementiacae. *Goth.*

Coelibari hasta. Ovidius (II, 559.):

Nec tibi quae cupidae matura videbere matri
Comat virgineas hasta recurva comas.

Vide Plutarch. in quaest. Rom., qui δοράτιον vocat. *Dac.*

Cingulo. Varro γεροντοδιδασκάλῳ: *Novos maritos tacitus taxim uxoris solvebat cingulum.* Idem *Zona* dicebatur. Catull. (2, 11.):

Quod Zonam soluit diu ligatam.

Unde *Zonam solvere* pro devirginare. *Dac. Herculaneo nodo.* Id est arctissimo. Vide Erasm. Hunc repraesentant in Mercurii virga dracones media corporis parte mutuo implicati. Macrob. (Saturn. II, 19.): *Hi dra-*

cones, inquit, *parte media voluminis sui invicem nodo, quem vocant Herculis, obligantur, primaeque partes eorum reflexae in circulum, pressis oculis ambitum circuli ingruit et postmodum caudae revocantur ad capulum caducei, ornaturque alis ex eadem capuli parte nascentibus.* Huiusce rei rationem exponit Athenagoras in oratione, quae inscribitur legatio ad Impp. Antoninos: *Καὶ ὅτι* (de Iove loquitur) *τὴν μητέρα Ῥέαν ἀπαγορεύουσαν αὐτοῦ τὸν γάμον ἐδίωκε. Δρακαίνας δ' αὐτῆς γενομένης καὶ αὐτὸς εἰς δράκοντα μεταβαλὼν συνδήσας αὐτὴν τῷ καλουμένῳ Ἡρακλεοτικῷ ἅμματι, ἐμίγη. Τοῦ σχήματος τῆς μίξεως σύμβολον ἡ τοῦ Ἑρμοῦ ῥάβδος.* Et inde forsan nodus ille in nuptiis celebratus, quamvis nihil vetat cum Festo propter omen factum intelligere cum Hercules septuaginta sororibus nodum solvisset. Neque in nuptiis tantum, sed alia quoque in re religiosum ac sacrum nodum illum fuisse ex veteribus certum est, ut in vulneribus praeligandis. Plin. lib. XXVIII. c. 6.: *Vulnera nodo Herculis praeligare mirum quantum ocyor medicina est. Atque etiam quotidiani cinctus tali nodo vim quandam utilem habere dicuntur.* *Idem.* *Qui septuaginta liberos reliquit.* Multo plures numerantur filii Herculis, sed eos omnes, de quibus hic Festus loquitur, ex quinquaginta sororibus, Thestii filiabus suscepit. Vide Apollodor. I. II. *Idem.* Adde infra *Cinxiae*, Nonium (pag. 47. Merc.) in *Cingulum* et quae scripsi ad leges XII. tab. *Goth.* *Herculaneo nodo vinctum.* Vide Senecam Epist. 82. extr. *unus tibi nodus, sed Herculaneus restat.* *Idem.*

Camelis virginibus. *Γαμηλίαις θεαῖς*, *Camelis* pro *Gamelis.* Nam *g* saepissime mutatur in *c*, ut supra in voce *acitare*. *Dac.* Alii *Camesnis*, alii *Camenis*, argumento eorum, quae dicuntur infra *Camoenae.* Nisi malumus ita legere: *Camesnis vel Camenis* et *γαμήλιοι θεαί.* Possis et ita legere: *Camesnis vel Camenis*, quae glossis *Μοῦσαι.* Vel: *Camelis virgines nupturae.* Hoc adiiciendum, glossis *Camillam ἱέρειαν* exponi. *Goth.*

Cinxiae. Tamen Varro apud Augustin. de Civit. lib. IV. c. 11. ait: *Virginensem deam fuisse, cui virgines solvebant zonam.* Eandem Fortunam Virginalem vocabant. Arnobius (II. p. 91. Elmenh.): *Virginum togulas fortunam defertis ad Virginalem.* Nam nuptiarum tempus virginibus idem erat ac pueris tirocinii dies. Eo enim tempore feminae praetextum deponebant. *Scal.* Iuno nuptiis praesidebat. Ovid. (Met. III, 184.):

Iunonemque toris quae praesidet alta maritis.

Unde pronuba dicitur et iugalis. Virg. IV. Aen. (166.):

— — prima et Tellus et pronuba Iuno
Dant signum.

Et alibi (IV, 59.):

Iunoni ante alias cui vincla iugalia curae.

Dac. Scripsi de Virginali ad leges XII. Tab. *Goth.*

Cumeram. Varro L. VI. de Ling. Lat. (VII, pag. 321. Sp.): *Igitur dicitur in nuptiis Camillus, qui cumerum fert, in quo quid sit in ministerio plerique extrinsecus nesciunt.* Ita Macrobius etiam legit lib. III., cum apud Varronem *cum merum* sit. *Fulv. Urs.* Omnino legendum *Cumerum.* Nam vas illud, quo nubentis utensilia ferebantur, constanter *cumerum*, non *cumera* dicebatur. Innuit ipse Festus infra, qui etiam discrimen illud inter utrumque ponit, ut *cumera* sit ad usum popularem, *cumerum* vero ad nuptias. Firmat etiam Varro l. c. Porro hic mos a Graecis deductus est, apud quos puer ille ingenuus, quem *casmillum* Latini, ipsi vero vocant *ἀμφιθαλῆ* hoc est patrimum, matrimum, *ἐν λίκνῳ*, qui hic dicitur *cumerum*, male cumeram dici putavit Scaliger, panes gestabat cum hac intentione *ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον.* *Dac.* *Quod et camillum dicebant.* Vide *camillus.* *Idem.*

Comptus. A *comere*, quod a Graeco *κοσμεῖν*, unde *coma κόμη*, quasi *κόσμη*, quia coma animalium et arborum est ornamentum. Sed in hocce Festi loco aliquid turbatum fuisse existimo, et huc pertinere, quod infra legitur in *Conitum:* Conitum Afranius pro ornatu et excultu posuit. Quae manifesto hinc avulsa. Legendum enim *comtum Afranius* etc. Et ita apud Grammaticos citatur. *Dac.* *Quod.* Qui. *Goth.* De *Coma* cf. Doederlin. Synon. Lat. III, p. 14.

Corollam. Sub amiculo, hoc est sub flameo, quo nubens caput obnubebat. Catull. (62, 7.):

Cinge tempora floribus
Suaveolentis amaraci,
Flammeum cape.

Qui locus interpretes latuit. *Dac.*

Cupressi. Plinius apud Servium, qui nondum editus est: *Romani moris fuit, propter cerimonias sacrorum, quibus populus Ro. obstrictus erat, ut potissimum cupressus, quae excisa renasci non solet, in ve-*

stibulo mortui poneretur, nequis imprudens funestam domum rem divinam facturus introeat et quasi attaminatus suscepta peragere non possit. Ex his Servianis intelliges, quare Plinius (XVI, 33, 60.) de ea arbore loquens dixerit: *Diti sacra, ideo et funebri signo ad domos posita.* Novum autem hunc morem fuisse, neque tam vetustum, quam putat Servius, vel ex eo apparet, quod peregrina erat arbor, seroque Romam advecta fuit, non multum ante Catonis aetatem; neque enim de ea tam verbose locutus esset Cato, ut notat etiam Plinius. Divitum autem tantum, non etiam omnium aedibus praeponi solere, auctor Lucanus (III, 442.): *Et non plebeios luctus testata cupressus.* Cuius rei causam nullam aliam puto, quam raritatem arboris, quod initio pauci in agris aut intra urbanas villas eam arborem instituebant. *Scal.* Servii verba dicta sunt ad illud Virgil. III. Aen. (IV, 507.): *Et fronde coronant funerea.* Ad hunc morem alludens Horat. Odar. lib. II, 14. (15, 5.):

Neque harum, quas colis, arborum
Te praeter invisas cupressos
Ulla brevem dominum sequetur.

Et Virgil. lib. VI. (216.):

Ferales ante cupressos
Constituunt.

Dac.

Curiales flamines. Minores sacerdotes intellige, qui curionum vicem sacra et caerimonias obibant. Nam *curiones* curiarum sacerdotes fuisse notum est. *Dac.*

Cyparissae. Vide *Cyparissiae.* Idem enim aliis verbis dicitur. *Ant. Aug. Cuparisseae* et *cuparissiae* et *cuparissae*, ignes, qui in modum cypressi apparent. Nam pro cupressus *cuparissus* dicebatur a Graeco κυπάρισσος. Virgil. (Ge. II, 84.): *Nec Idaeis cuparissis. Dac.*

Coninquere. Coinquire. Suspicor: *Conquinire, decubare.* A quo *conquinisco.* De eo vide apud Nonium (pag. 84. ed. Merc.). *Conquiniscere* est cernuum se inflectere vel inclinare, ut faciunt exoneraturi ventrem. Pomponius Atellanarius:

— simul intro veni, accessi ad patrem; prendi manum
In terra ut cubabat nuda, ad eum ut conquexi, interim
Mulieres conspiciunt.

Hoc etiam veteres *cernuare* dicebant, quamquam et cernuare etiam ἀντὶ τοῦ ἀσκωλιάζειν accipiebant. Varro lib. I. de vita populi Rom.: *Etiam pelles bubulas oleo perfusas percurrebant ibique cernuabant.* A quo ille versus vetus in Carminibus:

Sibi pastores ludos faciunt coriis cernualia.

Hic ludus ἀσκωλία vocabatur, de quo Virgilius (Ge. II, 384.): *Unctos saliere per utres.* Nam cadebant proni in armos, idque *cernuare* vocabant. Erant et Cernui ludii, κυβιστηταί, de quibus in Coniectaneis (pag. 168.) diximus. Et ab eo petauristae, hoc est funambuli, dicebantur cernui. Glossae: *Cernulat* κυβιστιᾶ. Senec. Epist. 8., ut est animadversum a N. Fabro ex veteribus libris: *Non vertit fortuna, sed cernulat et allidit. Cernulus* πεταυριστής, Cernuavit πεπεταύρισται, male. *Cernuit.* Lucillius:

Modo sursum, modo deorsum tanquam collus cernui,

hoc est petauristae. Evenit enim illi nunc sursum, nunc deorsum collum pendere, prout aut se deorsum deiicit, aut in altum subiicit. *Scal.* Nihil agit Scaliger, *coinquire* compositum a verbo *inquo*, quod est *purgo. Deputare* autem nihil est aliud, quam *putare*, id est *purgare.* Compositum pro simplici, ut fit. Imo et alibi Scaliger fere sententiam demutat, cum adducit illud e tabula marmorea Romae: *Earumque arborum adolefactarum et coinquendarum. Et in eo luco aliae sint repositae. Dac. Conquiniscere* Nonio *decubare. Goth.* Ut *secere* sagen, dicere, et *secare*; ut *putare* existimare et *putare* i. q. secare; sic *inquere* (inquam) dicere, et *inquere* secare, cognata esse videntur. Quare *Coninquere* nihil est nisi *conscindere, concidere;* atque ita scribendum, uti scripsimus.

Carnificis loco. Originem huius moris explicat vetus scriptor Cassius Emina apud Servium: *Tarquinius,* inquit, *Superbus cum cloacas populum facere coegisset, et ob hanc iniuriam multi se suspendio necarent, iussit corpora eorum cruci affigi Tunc primum habitum est turpe mortem sibi consciscere.* Ut non tantum de eo, qui se vulnerasset, ut moreretur, intelligendum sit, sed de eo, qui quovis modo mortem sibi conscisceret. Quare adeo eiusmodi homines abominabantur vetustissimi Romani, ut ne eis quidem iusta face-

rent. Servius in schedis: Varro ait suspendiosis, quibus iusta fieri ius non sit, suspensis oscillis veluti per imitationem mortis parentandum esse. Artemidorus lib. I.: Ἄτιμός τε καὶ φυγὰς γενόμενος ἀναρτήσας ἑαυτὸν ἐτελεύτησε τὸν βίον, ὡς μηδὲ ἀποθανὼν ἔχειν ὄνομα. τούτους γὰρ μόνους ἐν νεκρῶν δείπνοις οὐ καλοῦσιν οἱ προσήκοντες. In caristiis enim et parentalibus omnium carorum iam vita functorum nomina ciere solebant. Ausonius (De clar. Prof. XXV, 6.): — — *nomina tantum Voce ciere, suis sufficiet tumulis.* Quae Ausoniana paulo diversius interpretatur Turnebus, quod non debuit. *Scal.* Idem non lugebatur ab uxore l. 11. §. 3. de his, qui notantur infamia. *Goth.*

Capita Deorum. Quae et *struppi.* Vide *Struppi.* *Dac.*

Corniscarum. Cornices esse in tutela Iunonis praeter fabulas cognomen etiam ipsius Deae docuerit, *Moneta.* Nam inde Gracchuli *Monetae* et *Monetulae* dicti. Posterior aetas per D *Monedulae.* Glossarium exponit *Monetam* μνημοσύνην. Non male. Hyginus: *Ex Iove et Moneta Maia.* Moneta ergo ἡ Μνημοσύνη, mater musarum; et in Odyssea veteri Livii Andronici: *Nam Diva Monetas filia docuit*, hoc est Μοῦσα. Nam est ex illo (Odyss. VIII, 480. seq.):

— — — οὕνεκ' ἄρα σφέας
Οἴμας Μοῦσ' ἐδίδαξε.

Scal. Lego *lucus* pro *locus.* In vett. epigrammate: *Deivas corniscas sacrum.* Sic dictus a cornicibus, quas in Iunonis tutela esse vel bullatae aetati notum est. Hanc ideo natalem dixit Tibull. lib. II. Eleg. 2. (init.):

Huc veniat natalis avis prolemque ministret.

Corniscas absolute vocat P. Victor, qui ponit in decima quarta urbis regione trans Tiberim. *Dac.*

Caduca. Virgam e manu Flaminis, quam commentaculum vocabant, excidisse, caducum auspicium faciebat, et, ni fallor, infelix erat. In glossario: *Caducus* τωτικοπολιτικός, δημόσιος. Lege: πτωτικός. In eodem: *Caducos* ἐπιλημπτίν; lege: ἐπιληπτικούς. *Dac.* Vide infra *Commentaculum.* *Goth.*

Clivia. Videndus Plinius lib. X. cap. 14. *Ful. Urs.* Clivus proprie locum ascensu difficilem notat, unde *clivium* dictum est omne difficile, et *auspicia clivia* difficilia, prohibentia. *Dac.* Hinc *clivia avis*, quam quidam clamatoriam vocant apud Plinium dicto loco. *Goth.*

Curiales mensae. Mensae cuiusque curiae, Iunoni dicatae. Dionys. lib. II. c. 8. Tatius in omnibus curiis mensas Iunoni Quiritiae ac Sabinae dicavit. Hae mensae celebrandis conviviis institutae. Nam singulae curiae cum suis sacerdotibus sacrificia obibant et una epulabantur, unde et *curiae dies* apud Ciceronem de Oratore (I, 7.): *Ut quum lauti accubuissent, tolleretur omnis superioris sermonis tristitia, eaque esset in homine iucunditas, tantus in iocando lepos, ut dies inter eos curiae fuisse videretur.* *Dac.*

Contrarium aes. Grave aes, cuius singuli asses pondo libram. Vide *Grave.* *Contrarium* autem, quod non numerato, sed appenso debita exsolvi et alia quaecunque emi solebant. Sic dictum a *contra*, quod eo ad praeponderandum uterentur. Nam quod praeponderabat, id *contra esse*, hoc est ἀντιῤῥέπειν et *contrarium aes* ἀντίῤῥοπον. Inde saepissime apud Plautum invenias: *auro contra* vel *contra aurum emere; talento contra carus non est*, hoc est *auro praeponderante*, *contrario.* *Dac.*

Centumviralia iudicia, quae. Vide supra *Centumviralia iudicia a centumviris* cet.

Circumluvium. Cum parte aliqua divisum flumen agrum alicuius ita ambit, ut inferius unitum illum in insulae formam redigat. *Circumluvionem* vocat Cicero (de Orat. I, 38.). *Dac.* Hic pro iure praediorum sumitur. At in glossis manuscriptis pro loco, quem aqua circumluit, qualis locus describitur in l. 7. §. quod si uno 4. ff. de adqui. rer. domin. *Goth.*

Cumbam. Cubam. A *cubo*, quod ibi milites cubabant, cum ait *lecticam, ut militares vocant*, lecticas militares intelligit, quae Graecis χαμευνάδες dicuntur et χαμεῦναι. Eurip. in Rheso (v. 9.): λεῖπε χαμεύνας φυλλοστρώτους. Talem Varro lecticam intelligit lib. IV. (De L. L. V, pag. 166. Sp.): *Lectica, quod legebant, unde eam facerent, stramenta atque herbas, ut etiam nunc fit in castris.* Sunt qui legant *cumbam* pro *cubam*, sed *cubam* vera lectio. *Dac.* Quidni etiam a *cumbo* descendat *cumba?*

Condicere. Veteres Graeci συντάσσεσθαι μετὰ παραγγελίας. Condictio συνταγή. *Scal.* Proprie est, cum actor adversario denunciat, ut certa et stata die iudicio adsit. Postea factum est, ut in quovis alio negotio *condicere* dicantur ii, qui ex compacto quidpiam gerunt et mutuo sibi denunciant diem locumque rei gerendae. Plaut. Curcul. (I, 1, 5.): *Si status condictus cum hoste intercedit dies.* Inde *condictio* in diem certum rei, quae agitur, denunciatio, et *condictum*, quod in communi dictum est. Inde condicere coenam alicui est, illi denunciare, se apud eum coenaturum, quod Cicero absolute dixit *condicere* lib. I. Famil. ep. 9.: *Cum mihi condixisset, coenavit apud me.* *Dac.* Vide §. appellamus. II. Inst. de actionib. *Goth.*

Commetacula. *Commentacula.* Verior lectio nonnullorum excusorum et scriptorum, qui non *commentacula* habent, sed *commotacula.* Nam viatores virgam frequenter commotando turbam summovent. Unde et apud Homerum ultimo Odysseae (XXIV, 5. ubi: *Τῇ ῥ' ἄγε κινήσας κ. τ. λ.*): *ἦγε δὲ κινήσας.* Loquitur de virga Mercurii. Iuvenalis (Sat. III, 317.):

Ergo commota iamdudum mulio virga
Innuit.

Scal. Adde infra *Culticula.* *Goth.*

Casta mola. *Ἁγνὸν θῦμα.* Vide *mola.* *Dac.*

Culigna. Lego: *Quam illi dicunt κυλίχνην. Scal.* Vas vinarium. Glossar: *Culigna σκεῦος οἴνου.* Cato cap. 132.: *Iovi Dapali Culignam vini, quantumvis, polluceto.* *Dac.*

Cincta Flaminica. Flaminicas nisi velatas nefas erat conspici. Quare assidue flameum gestabant. Vide *Flameo.* Cincta igitur Flaminica, quae caput cingebatur flameo, quod flameum hic *vestem* vocat, ut infra in *flameo vestimentum.* *Dac.* *Veste*; lege *Vestae.* *Goth.*

Capralia. *Caprilia* ante urbem. *Dac.* Ad Caprae paludes. Vide Livium I, (16.), Plutarchum in Romulo (c. 27. seq.). *Goth.*

Canifera. *Canephora.* Graece *Κανηφόροι* virgines, quae in Panathenaeis aliisve festis cana capite ferebant, ut Palladi, Cereri, Baccho, Dianae etiam. *Dac.*

Conauditum. *Coauditum*, quod undequaque auditum est, et *coangustatum*, quod undequaque angustum. *Dac.* *Conaugustatum*, *conaugulatum.* Sic *conadunare συναγαγεῖν.* *Goth.*

Corda. Non de plantis tantum, sed et de animalibus dicitur *cordus.* Varro lib. II. de R. R. c. 1.: *Dicuntur agni cordi, qui post tempus nascuntur ac remanserunt in volvis intimis; vocant χορίον, a quo cordi appellati;* ubi a *χορίον*, quod est membrana foetus, chordum dici putat: sed melius Martinius, qui a Graeco *κορίδιος*, *iuvenilis*, vel ab *ὅρος terminus*, *finis*, vel, ut quidam volunt a *χόρτος*, *herba.* Hominibus etiam sero natis id nomen tributum. Ita *Cordus Cremutius.* Vide Plin. (VIII, 47, 72.). *Dac.*

Consentia sacra. Erant gentilium inter se *Consentia sacra* et *Consentes Dii*, ut Corneliorum, Valeriorum etc. *Scal.* Pro tota gente fiebant, consentiente gentilitate. *Dac.* Di *Consentes* proprie sunt, qui *una sunt*, h. e. aut qui in uno concilio sunt, quasi assidentes una, aut qui communes sunt plurium. Dicuntur autem ut *absentes*, *praesentes*, a participio *ens*, sive *sens*, quod a v. *sum*, ut notum.

Culina. Poeta innominatus:

Neque in culinam et uncta compitalia
Dapesque ducis sordidas.

Εὔστρας eas vocari iamdudum monuimus. Significat et culina *τὸν ἀφεδῶνα.* Glossarium: *Culina, ἀπόπατος.* Item: *Conclavis et culina ἀφεδρών ἀπόπατος.* Glossae Isidori: *Culina, latrina, secessum.* Petronius (c. 2.): *Qui inter haec nutriuntur, non magis sapere possunt, quam bene olere, qui in culina habitant. Scal.* Aggenus Urbicus de agrorum controversiis: *Culinae vocantur in suburbiis loca inopum funeribus destinata.* Et hoc sensu legitur in Catalectis:

Neque in culinam et uncta compitalia
Dapesque ducis sordidas.

Has culinas Aristophanes *εὔστρας* vocavit in Equit. (v. 1241. seu v. 1236.):

Ἐν ταῖσιν εὔστραις κονδύλοις ἡρμοττόμην.

Apud Petronium *culina* est *coquina*, quod et doctiss. Bourdelotius vidit. Nempe ex imitatione Plautina in Mostell. (*Exi e culina* cet. I, 1, 1.). *Dac.* Vide Nonium (p. 55. Merc. ubi editur nunc *Colina*) in *Culina.* *Goth.*

Calpar. Glossarium: *Calcar, θυσίαι ἀπαρχῶν οἴνου.* Vides legendum esse, ut hic *Calpar.* Item: *Calpar, οἶνος ἐν θυσίᾳ.* Vide Arnobium (VII. p. 236. ed. Elmenh.) et Coniectanea nostra (p. 75.). Graecum est a *κάλπη*, ut ab aula *aular.* Nam *calpar* non vinum proprie est, sed vas ipsum vini. Varro apud Nonium (pag. 546. Merc.). *Scal.* Varro lib. I. de vita pop. Ro.: *Quod antequam dolii nomen prolatum esset, cum id genus vasorum calpar diceretur, id vinum calpar appellatum.* Calpar autem Iovi libabant festis vinalibus, priusquam gustarent. Quippe ni ita fecissent, reliquum omne vinum sacrum fiebat et usibus humanis eripiebatur, ut optime monuit Scaliger in Coniectaneis ad Varron. Itaque cum calpar libabant, inferium vocabant, quod solum inferretur his verbis: *MACTE HOCCE VINO INFERIO ESTO.* Et hoc praecipue dicebatur de vino diffuso et doliari; nam alioqui de eodem musto libabant, sed id *sacrima* vocabatur, posteaquam pollu-

xerant eas confectiones, quae vocabant suffimenta, ex faba milioque molito, mulso sparso, quae diis eo tempore dabantur, quo uvae calcatae prelo premebantur, quomodo et in frumentis quoque quod sacrificii causa ante praemetebatur, *praemessum* vel *praemetium* appellabant. Caeterum ipsa festa Vinalia Atheniensibus etiam celebrata, qui et ipsa vocabant πυϑοιγίαν, quod e dolio vina libarent, priusquam inde quidquam gustassent. Plutarchus III. Sympos. (quaest. VII, c. 1.). Fiebant autem die undecima mensis Augusti, et tum deos precabantur, ut ea libatione contenti reliqui vini usum illis innocentem concederent. *Dac.*

Cicatricare. Cicatricem inducere, de vulnere dicitur, cum obducitur et obcaecatur. *Dac.*

Compescere lucum. Lucum intra descriptos fines cohibere. Putarem potius esse lucum conlucare adhibito piaculo. Nam compescere lucum idem videtur, quod apud Virgil. *ramos* (Ge. II, 370.), apud Columellam *vitem* (IV, 21.) *compescere.* Sed Festi auctoritas praegravat. *Dac.*

Commugento. Proprie *conclamanto;* nam *mugio* et *mugeo*, unde *commugeo.* *Dac.*

Capitarium. Iam et hoc nego Festo unquam ne in mentem quidem venisse, sed *Capitarium aes, quod caput est.* Ait, capitarium aes, id est sortem capitarium vocari, quia caput sit usurae. Graeci ἀρχαῖον. Ego tamen malo, capitarium aes esse, quod capite penditur. Aliud enim ex censu pendebatur. Vide *Tributorum.* Cicero *caput* vocat (ad Attic. XV, 26, 29.). *Dac.*

Conquirere. Legendum *Coinquire* vel *Coinquere;* utrumque enim videtur usurpatum, *coinquio* et *coinqueo*, verbum nemini hactenus, quod puto, animadversum. Dictum autem veteri distortione *coinquio* pro *coanquio; anquire* a Graeco ἄγχειν, a quo anquina. Cinna:

Atque anquina tenet stabilem firmissima cursum.

Veteres ergo per *Q* dicebant, quod postea per *G.* Nam *Anquere* prius fuit, quam *Anguere.* *Coinquire* ergo seu *Coinquere* arbores est coercere, verbum aptum ei rei. In tabula marmorea non dudum Romae effossa, cuius exemplum communicavit mihi Cl. Puteanus, ita legitur: *EARUMQUE. ARBORUM. ADOLEFACTARUM. ET. COINQUENDARUM. ET. IN. EO. LUCO. ALIAE. SINT. REPOSITAE.* etc. Videndum igitur, num superius, ubi legimus, *Coinquire deputare*, intelligere debeamus, et mutilatoris negligentia commissum sit, quominus illud explicatum sit. Nam fulguritas arbores coercere nihil aliud, quam ea parte ramis collucare, qua de coelo tactae sunt, ut pro *deputare* legendum videatur *putare.* Sane quidquid est, illud *coinquere* nihil aliud est, quam id verbum, de quo nunc agimus. *Scal.* Ego quidem nihil mutandum censeo. *Conquirere* ut *inquirere* puto esse verbum iuris. Et conquirere vitia, fures etc. dicuntur, qui inquirunt et ita coercent. Quare *conquirere coercere.* Sic τὸ *coercere* pro *coinquere* sive deputare in precatione sacrificii, quod fieri solebat ad conlucandas arbores sacras apud Catonem (c. 139.): *SI. DEUS. SI. DEA. ES. CUIUM. ILLUD. SACRUM. EST. UTI. TIBI. IUS. SIET. PORCO. PIACULO. FACERE. ILLIUS. SACRI. COERCENDI. ERGO.* Ubi *coercere* idem est, quod *conlucare* supra dixit Festus, quod in sacra silva fieri non poterat, nisi prius facto piaculo. Sic supra Festus *coinquire* interpretatus est *deputare*, ut sexcentis locis apud Plin. et Columell. *deputari* vites et arbores dicuntur, quarum superflui reciduntur rami. Et Ovid. de Nuce (63.):

Non mihi falx nimias Saturnia deputat umbras.

Dac.

Capitalis. Non possum aliter mihi persuadere, quin Festus ita scripserit: *Capitalis locus, ubi siquid violatum est, capite violatoris expiatur.* Nam *capite*, non *caput* habent et priscae editiones. Quare Ovidius *capitale templum* Minervae captae intelligit, cum scribit Fast. III, (845.):

Aut quod habet legem capitis quae pendere poenas
Ex illo iubeat furta recepta loco.

Ergo capitalis locus est, qui habet legem, ut capital sit, qui quid in eo violarit. *Capitalis lucus* hoc modo dicetur. Quare *locus*, non *lucus* legendum, quia *locus* et *lucum* et alia comprehendat. *Scal.*

Cloacare. Supra *cloacae.* Glossae veteres: *Cloaco*, μολύνω, *inquino.* Pro *cloacare* vet. liber *cloeare* optime; est enim pro *cluare*, quod Servio est purgare; *cluere* dicit Plin. (XV, 29, 36.). Quare supra corrigendum est: *Cloacae a cloeando dictae.* At *cloacare* est a cloaca. *Dac.*

Conregione. Hac voce utebantur Pontifices in effandis templis auguralibus vel finibus fanorum et ararum, cum regionum ipsarum terminos concipiebant. Varro lib. VI. (lib. VII. pag. 292. Sp.): *Interea conregione, conspicione, cortumione utique ea rectissime sensi.* Conregione, hoc est, ut Varro ipse interpretatur, intra eas regiones, qua oculi conspiciunt. *Dac.*

Condictio. Vide notam ad *Condicere.* Eadem videtur, quae *comperendinatio.* Vide *res comperendinatae.* *Dac.*

Ddd *

Cubans. Virgil. (Aen. VII, 88.):

Pellibus incubuit stratis somnosque petivit.

Scal. Interdum, qui a Divis responsa vel alia petebant, in eorum fano cubare soliti. *Incubare* dixit Plaut. Curcul. I, 1, (61.):

Id eo fit, quia hic leno aegrotus incubat
In Aesculapi fano.

Et II, 2, (16.):

Namque incubare satius te fuerat Iovi.

Et Virgil. VII. Aen. (88. l. c.). Ubi Servius: *Incubare dicuntur proprie hi, qui dormiunt ad accipienda responsa. Unde est: ille incubat Iovi, id est dormit in Capitolio, ut responsa possit accipere.* Neque in templis tantum incubabant, sed et in tumulis, ut de Augilis tradunt Mela et Herodotus. Vide *Manes.* Porro notandum Festum *auspicatur* dixisse pro *oracula consulit* et *augurium*, fatum, oraculum. *Dac.*

Concio. A verbo *concieo*, convoco. Et est *ancio* conventus a praetore vel sacerdote convocatus. Et frustra est Varro (De L. L. VI, p. 222. Sp.), qui concionem quasi coactionem dici putat. *Sic a lacte coacto*, inquit, *caseus nominatus, sic ex hominibus concio dicta. Dac.*

Cogitatio. Idem Varro lib. V. (de L. L. VI, p. 222. Sp.): *Primus agitatus mentis, quod primum ea, quae sumus acturi, cogitare debemus.* Et paulo post: *Cogitare a cogendo dictum. Dac.*

Clam. Vide *Calim. Dac.*

Cella. Caella. Gloss.: *Cellarium et Cellaromarium*, ταμεῖον. Lege: *Cellarium et Cellar, Omarium.* Omarium et Aumarium dicebatur. Petronius apud Fulgentium: *In aumarium memet ipsum conieci. Scal.* A *caelando.* Melius per simplex *e cella a celando. Dac.* Cella in l. 3. §. 2. ff. de off. praef. vigil. inde fugitivus in cellam se recepisse scribitur in l. 17. §. 15. ff. de aedilitio. Inde cella olearia et vinaria l. 10. in f. ff. de usu et habitat. penuaria. l. 3. §. 8. ff. de penu. Hinc κελλάριος glossis Penuarius, κελλάριον Penu: κελλαρικὸν penarium: cellarius, cellae praepositus l. 24. ff. de manumiss. test. l. 12. ff. de instructo l. 12. Cod. de divers. off. et cellarii locus cellandis rebus l. 41. §. 1. ff. de legat. 3. Cellariensis species l. penul. Cod. Theodos. de offic. omnium iudic. et apud Sulpit. Sever. II. Histor. sacr. *Goth.*

Ciere. Vocare. Virg. (Aen. VI, 165.):

— *quo non praestantior alter*
Aere ciere viros Martemque accendere cantu.

Item movere. Idem (Aen. I, 541.):

Bella cient.

Dac.

AD LIBRUM IV.

Duco. A δοκῶ puto. Virg. Aen. X, (v. 668.): — *tanton' me crimine dignam Duxisti. Dac.*

Duplionem. Duplum. Leg. XII. tab.: *Reus furti duplione decidito.* Item: *Noxiamve duplione decernito. Dac.*

Duicensus. Glossarium: *Duicensus*, διταβ δεύτερον ἀπογεγραμμένος. Illud διταβ est διττὰ, β', hoc est, διττὰ, δεύτερον, dupliciter iteratove census. *Scal.* Biscensus. Vide *duis. Dac.* Id est bis census; sic incensus, qui censum non est professus de quo dixi ad leges XII. Tabul. *Goth. Cum filio.* Vide supra Improbus. Glossis δεύτερον ἀπογεγραμμένος. *Idem.* A Sanscrita voce *dvi*, quae eadem manet in compositionibus.

Duis. A Graeco δὶς, *dues*, inde *bis.* Et hic pro *dis* legendum *bis; duis* autem pro *dederis* a verbo *duere.* Vide *addues. Dac. Pro dis.* Pro bis. *Goth.*

Duidens. Vide Bidens. *Dac. Bidens.* V. s. Bidens. *Goth.* Hoc plane est Sanscritum *duidant*, ut *duipad* bipes.

Duellum. Ut a *duonum* bonum, sic a *duellum* bellum. Varro VI. de L. L. (VII, 335. Sp.): *Perduelles sunt hostes, ut perficit. Sic perduellum, duellum, id postea bellum. Ab eadem causa facta Duellona, Bellona.* Gloss. *Duellona*, πολεμική. *Bellatrix.* Male Vulcanius rescribendum contendit *Bellona. Dac.* Glossis πόλεμος, ἀρχαίως. *Goth. Perduellis.* Alii perduellio. Adde l. 234. ff. de verb. signific. Dicitur et Glossis *Divellio* πόλεμος et *Divelliones* πόλεμος, ἁρπαγαί. *Idem.*

Duonum. Vide *duellum.* Duonus legere est in carmine Saliari ut illud restituit Scaliger:

— — — omnia
Dapatilia comisse Iani cusiones.
Duonus ceruses Divius Ianusque venit.

Duonus ceruses i. Bonus creator. *Dac.* Duonus. Glossis ἀγαθός. *Goth.*

Duplabis. Ut a *donum* donare, sic a *duplum* duplare. Glossarium: *duplavit* ἐδίπλωσεν, *duplicavit. Dac.* Glossae: Duplavit ἐδίπλωσεν. *Goth.*

Duodeviginti. Duo desunt de viginti. *Dac.* Vide ad *Dextans.* Sic apud Nonium in *Duodevicesimo. Goth.* Non. pag. 100. Merc.

Dumosa frondosa. Dumus a δρυμὸς silva querna; δρυμὸς, δυρμὸς *durmus* et *r* in *s dusmus* dusmosus, et eliso *s dumosus* frondosus. *Dac. Dumosa.* Adde infra Dusmosa. *Goth. Druma* (nom. *drumas*) arborem significat in Sanscrito sermone.

Dubat. – *Dubiat.* A *duo*, *dubium*, unde *dubiare*, postea *dubitare. Dac.*

Dubenus. Locus mendosus. Proculdubio ita legendus est: *Dubienus apud antiquos dicebatur, qui nunc dubius.* Vide supra quae annotavimus in *Addubanum.* Glossarium: *Dubinus*, δισσός. Ibi quoque Dubienus reponendum. Et tamen mirum, quod in eodem Glossario legitur: *Dubius*, δεσπότης; videtur enim vulgatae lectioni huius loci favere. *Scal.* Vide in voce *Addubanum.* Nam hic quoque legit Scaliger: *Dubienus apud antiquos dicebatur qui nunc dubius* etc. in glossis tamen legitur: *dubius* δεσπότης, i. *Dominus.* Quod huic Festi loco favere videtur. Imo et Festi scripturam veram esse arbitror *Dubenus.* Et ita in Glossario rescribendum vel potius *dubinus.* A *Dominus M* mutato in *B dobinus*, *dubinus*, *dubenus. Dac.* Dixi quaedam supra in Adubanus. Alii hic legunt *Dubienus, qui nunc dubius;* unde Glossis *Dubinos* vel potius *Dubienus* δισσός. *Goth. Dominus.* Dubius ut supra eod. *Idem.* Cf. quae supra adnotavimus ad vocem *Addubanum.*

Dusmoso. Legendum fortasse *dusmosum locum. Fulv. Urs.* A dumoso inserto *s* ut vult Fest. Contra *s* in dusmoso non modo non insertum est, sed elisum in *dumoso.* Est enim a Graeco δρυμός. Vide supra. *Dac.* Adde supra Dumosa. *Goth.*

Dumecta. A dumus, dumicetum, dumectum et eliso c dumetum. *Dac. Dumeta.* Glossis Dumeta ἀκανθεῶνες, λοχμώδης ἢ θαμώδης τόπος. *Goth.*

Dracones. Acie acutissima et insomni natura dracones esse multi prodidere, quare et eos a δερκεῖν, δρακεῖν dictos putant. Allusit Horatius (Serm. I, 3, 26. seq.):

— — — tam cernis acutum
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius.

Inde eos poetae Hesperidum hortis et aureo Aeetae velleri praefecere. Aesculapio etiam dicati feruntur, quin et Aesculapium ipsum Romam olim specie draconis translatum ex historia notum est. *Dac.* Videtur Festus alludere ad id quod Varro VI. de lingua et Nonius de *Picis* scribunt. *Goth.* Apud Varronem nihil de picis, quod sciam. Nonii locus est pag. 152. Merc.

Dici. Haec erant scribenda infra littera Q; est enim interpretatio illius verbi *Quiritibusque.* Sed nos Festi et Pauli errores hac in re secuti sumus, indice tamen adiecto eorum verborum, quae obiter explicantur. *Ant. Aug. Dici mos erat.* Haec verba *Populo Romano Quiritibusque* ex conceptis antiquarum precationum verbis tracta sunt. Livius lib. VIII. (c. 6.): *Comparant inter se ut ab utra parte cedere Romanus exercitus cepisset, inde se Consul devoveret pro populo Rom. Quiritibus.* Et apud Gellium lib. X. c. 24.: *Die Nonis Populo Romano Quiritibus compitalia erunt,* quasi dicas quod Populo Rom. et Quiritibus bene vertat. *Dac. Curensibus.* Adde infra *Quirina tribus. Goth.*

Dalivium. Dalivum. Glossarium: *Daunum*, ἄφρονα; manifesto legendum *Dalivum.* Sinceriora vestigia apud eundem scriptorem in illo: *Davus*, ἄφρων, ἄπειρος. *Dalivus* enim legendum. *Scal.* Per *supinum* negligentem intellige et insipientem. Ad eandem mentem glossae: *Dalivus* ἄφρων, ἄπειρος. Item *Dalivum* ἄφρονα. Et optime. Santra eum esse putavit, quem Graeci vocant δείλαιον. Ab Aeolico δείλαιφος, *dalivus*, δείλαιος autem est μάταιος ut exponit Hesych. δείλαιον, μάταιον. *Dac. Dalivum.* Aliaunum; et ita Glossis *Daunum* ἄφρονα; iisdem *Davus* ἄφρων, ἄπειρος. *Goth.*

Daps. Exempla dapis pro verna aut hiberna semente habes apud Catonem. *Scal.* Sacrificium hiberna vel verna semente fieri solitum; unde apud Catonem reperias *daps* pro ipso veris vel hiemis tempore.

Daps enim latius patet, nam omnes opiparos et sumtuosos apparatus significat. Livius Andronicus: *Quae haec daps est, quis festus dies?* Ex Homer. illo Iliad. γ'. (Odyss. I, 225.):

Τίς δαὶς τίς δὲ ὅμιλος ὅδ' ἔπλετο;

Et inde *daptice* sumtuose. *Dapticum* magnificum, sumptuosum; *dapsilis*, magnificus. *Daps* autem potius a δαπάνα quam a δαΐς, nam prius dicebatur *dapis*. *Dac.* Glossis εὐωχία. *Goth. Res divina;* inde Nonio Dapes, apparatus religiosi, opipari; sed et infandi et vitabiles. *Idem. Daptice se acceptos.* Dapsile Nonio; adde eundem in Dapalis cena. Et Glossis *Dapas*, πολυτελῆ δεῖπνα. *Idem.*

Daedalam. Daedalam terram ob varietatem dixit Lucret. lib. I, (7.): — *Tibi suavis Daedala tellus summittit flores.* Idem lib. II, (505.): — *Daedala cordis carmina.* Et lib. IV, (551.): *Verborum Daedala lingua.* Lib. V, (235.): — *Naturaque Daedala rerum.* Item (V, 1450.): — *Daedala signa. Dac. Apud Ennium Minervam.* Ob lanificii artificium, cui praeest locus Ennii lib. I. Annal. sed mutilus:

Daedala. . . . . Minerva.

Idem. Apud Virgilium Circen. Lib. VII. Aeneid. (282.):

Illorum de gente patri quos Daedala Circe
Supposita de matre nothos furata creavit.

Idem.

Damium. Damia. Glossarium: *Damium*, θυσίαι, ὑπαίθριον γενόμενον. Contra dicit, ac Festus. Falsum vero ἀντιφραστικῶς dictum, quod minime publicum sit. Imo ita dictum, quod pro populo fieret. Iuvenalis (IX, 117.):

Pro populo faciens quantum Laufella bibebat.

Sequentia quoque ita legenda: *Dea quoque ipsa Damia, et sacerdos eius Damiatrix appellabatur.* Sane Damiatrix etiam in antiquitus excusis legebatur. Quod inepti homines in nescio quas Graeculas ineptias mutarunt. *Scal. Damium.* Sacrificium in honorem Maiae, quae bona dea vocabatur, a matronis in aede Pontificis Maximi fieri solitum; sed male per antiphrasin sic dictum putavit Festus, quasi minime publicum sit, cum constet pro populo factum fuisse, et sub dio. Cicero epist. lib. I. ad Atticum (ep. 12, 4. 13, 3.): *Credo enim te audivisse cum apud Caesarem pro populo fieret, venisse ibi muliebri vestitu virum.* Gloss. *Damium:* θυσία, ὑπαίθριον γενόμενον *sacrificium subdiale. Dac. Et sacerdos eius Damias.* Lege Damiatrix, ut in margine. *Idem.* Glossis θυσίαι ὑπαίθριον γενόμεναι. *Goth. Dea Damia.* Aliis Dea Demia. *Idem. Sacerdos eius Damias.* Alii Damiatrix, alii Demiatrix. *Idem.*

Dacrimas. Dacrymas. Dacryma a Graeco δάκρυμα quod verbale est a δάκρυ vel δάκρυον. Usus est Livius Andronicus, sed hodie apud eum frustra quaeras. *Dac. Item dautia. Dautia* rectum esse arbitror et inde *d* in *l* mutato *lautia.* A Graeco videlicet δώτια; sunt autem *lautia* Xenia, quae legatis mittebantur in donum ut recte Festus. Meminit Livius plus semel lib. XXVIII, 111. (c. 39.) de Saguntinorum legatis: *Locus inde, lautiaque praeberi iussa;* et alibi (XXX, 17.): *Locus et lautia praebita.* Plutarch. in *Αἰτίοις* (p. 275.): τὸ γὰρ παλαιὸν, ὡς ἔοικεν, οἱ ταμίαι ξένια τοῖς πρεσβεύουσιν ἔπεμπον· ἐκαλεῖτο δὲ Λαύτεια τὰ πεμπόμενα. Quam antiquus is mos fuerit ad legatos munera mittendi ex Homero et aliis notum est. *Idem. Lautia, quae dantur legatis hospitii gratia.* In eum usum Xenoparochi, de quibus in l. 18. §. 10. ff. de muneribus; de legativo adde dictam l. 18. §. 12. *Goth.* Sanscrita vox est *açru* i. e. δάκρυ, unde Lat. *lacrima.* Vocem *Lautia* descendere ab adi. *lautus* satis notum.

Danunt. Plaut. Mostell. I, 2, (48.):

Ad legationem cum itant, adminiculum iis danunt.

Dac. Adde Nonium in Danunt. Glossis *Dianunt* διδόασιν et *Ditia* διαδοθέντα. *Goth.*

Dasi. Dari, ut *Valesii* pro *Valerii* etc. *Dac.* Est a Sanscrita radice *das*, dare, porrigere; unde credibile est, etiam verbum *daso* fuisse, cuius infinitivus pass. *dasi.*

Danistae. Qui pecuniam foenori collocant *Danista*, Graece δανειστὴς a δάνος foenus. *Trapezita* etiam dictus a tabulis quae Graece τράπεζαι. Quamquam illud discriminis inter utrumque quidam ponunt, ut *danista* privatus, *trapezita* vero publicus sit foenerator; sed apud veteres plerumque confunduntur. *Dac.*

Dagnades. Scribe per C, δακνάδες. Hesychius: δακνὶς, εἶδος ὀρνέου. Quod vero *canturiendo* hic mutant docti viri et substituunt cantitando, nescio quare sibi persuaserint *Canturire* verbum Latinum non esse; cum alii veteres usurparint, et vetus Glossarii scriptor: *Canturit*, ψιθυρίζει. *Scal.* Pro *dacnades*, c

converso in *g*; a *δάκνω* mordeo. Has aves coronis vinctas capiti imponebant quippe quis ebrietatem depelli seque ebrios factos, fieri sobrios existimabant. De coronis Geopon. lib. VII, c. 30.: *ἀνανήφειν ποιοῦσι τοὺς μεθύοντας στέφανοι ἀπὸ ποικίλων ἀνθῶν, ἐπιτιθέμεναι τῇ κεφαλῇ. Dac.* Dacnades, *δακνίδες* Hesychio. *Canturiendo.* Id Glossis *ψιθηρίζειν*; alii *cantitando* legunt. *Goth.*

Daunia. Plin. (III, 11, 16.): *Apulia Daunorum cognomine, a duce Diomedis socero.* Solinus tamen: *A Cleolao Minois filio, Daunios.* Corrupte forsan. *Dac.*

Dorsum. A deorsum quod dorsum ex utraque parte declive sit et deorsum feratur. *Dac.* Adde Nonium in *Dorsa* et *Dorsum* (p. 459. p. 203. M.). *Goth.*

Donum. Nam saepe *r* mutatur in *n*. *Dac.* Vide Nonium in *Dona* (p. 527. Merc.). l. 194. l. 214. ff. de verbor. signif. *Goth.* Sanscrite *dana* (nom. *danam*).

Donaticae. Sunt ut puto aliter provinciales dictae. Tertullianus (De Coron. c. 13.): *Sunt et provinciales aureae* (coronae) *imaginum iam, non virorum capita maiora quaerentes.* Erant et *donaticae hastae* quae militibus ob virtutem dabantur. Vide in *Optionatus. Scal.* Maiores quaedam coronae, quas capite ferre propter earum amplitudinem nequibant milites, sed imaginibus suis appendebant. *Dac.* *Quali amplitudine sunt* (*fiunt*). Lares coronis floribus ornabant Suet. Aug. c. 31.: *Compitales lares ornare bis anno instituit, vernis floribus et aestivis.* Ex hoc autem Festi loco docemur coronas illas amplas fuisse, imo et ipsis etiam laribus maiores. *Dac.* Vide infra in Optionalis et Donaticae hastae. *Goth.*

Dotem. Dos. A *διδόναι* dare, inquit Fest. Sed non immediate, est enim a *δώς* quod Hesychius exponit *δόσις*. *Dac.* Ea *φέρνη*, *προὶξ* Glossis. Adde Titul. C. 10. de rei uxor. act. Ulp. de dotib. ff. de iure Dotium. *Goth.* Recta descendit a Sanscrita radice *dâs*, dare, porrigere.

Doliola. Varro lib. IV. (V, p. 156. seq. Sp.): *Est locus qui vocatur Doliola ad cloacam maximam, ubi non licet despuere, a Doliolis sub terra.* Integram ex Livio historiam libet apponere Lib. V, c. 40.: *Flamen interim Quirinalis virginesque Vestales, omissa rerum suarum cura, quae sacrorum secum ferenda, quae* (*quia vires ad omnia ferenda deerant*) *relinquenda essent, consultantes, quisve ea locus fideli custodia asservaturus esset, optimum ducunt condita in doliolis, sacello proximo, aedibus flaminis Quirinalis, ubi nunc despui religio est, defodere.* Locus est non longe a muris paulo supra horrea publica, in XIII. regione urbis. *Dac.*

Doli voc. Dolus ut in malam sic et in bonam partem sumebatur. Unde ad distinctionem *dolum malum* et *dolum bonum* dicebant. Sic multae aliae voces mediae cum apud Latinos tum apud Graecos, ut *gratia* apud Terent. bona et mala gratia. Phorm. IV, 3, (16.):

— — *Inter vos sic haec potius cum bona*
Ut componantur gratia quam cum mala.

Et apud Plaut alicubi:

Cognatae meae malam gratiam habere nequeo.

Sic apud Graecos *χάρις*. Callim. hymn. in Del.:

Μάλα γάρ γε κακῶς ἐχαρίσατο Λητοῖ.

Dac. *In bonis.* Vide l. 1. §. 3. ff. de dolo. l. 26. ff. de captivis. *Goth.*

Dirus. *Θεοχόλωτος. Scal.* Nannius: *Dirum est triste, infestum et quasi Deorum ira missum.* Virg. lib. XI. Aeneid. (II, 622.): *Apparent dirae facies.* Et lib. III, (262.): *Seu sint dirae obscoenaeque volucres.* Servius vero ait esse vocem Sabinam: *Sabini*, inquit, *et Umbri, quae nos mala, dira appellant.* Quod si verum est, Sabini a Graecis accepere: *dirus* enim a *δεινός gravis*, *n* mutato in *r*, ut saepe. *Dac.* Adde Nonium in Dirum (pag. 30. Merc.). *Goth. Dei ira.* Hinc Gloss. *Dirae, ὄργαι, κατάραι, θεοχωλοσίαι*, et *Dirus θεοχώλατος. Goth.*

Derogare. Glossarium: *Derogat εὐτελίζει. χρεωκοπεῖ*; retulit ad tabulas novas. Nam et id est derogare veteri credito. *Scal.* Aliquid veteri legi per legem novam detrahere, et idem est *exrogare*, quod vide. *Dac.* Dixi ad l. 102. ff. de verb. sign. *Goth.*

Dierectum. Quod Graeci dicunt *εἰςφθαρῆναι*, Latini dierectum intrare, quod *οὐκ ἀποφθαρεῖ ἐντεῦθεν*; Latine id est: *Non hinc dierecta abibis?* Et similia. De quibus satis apud Plautum. *Scal.* Quasi *dies rectus* et per antiphrasim dici vult Festus, quod is dies minime rectus sit, sed contra *saevus*. Quod ineptum plane est. Nec placet etiam ut *dierectus* sit in crucem elatus, ut quidam volunt. Vere ut videtur Salmasius, qui monuit *dierectus* esse meram putam vocem Graecam *διάῤῥεκτος*, *a* in *e* mutato *dierectus*, id est *disruptus*. Curcul. II, 1.: *Lien dierectu' 'st.* Ubi quidam codd. habent: *Lien disruptu' 'st.* Quod sine dubio non vera

lectio, sed explicatio vocis *dierectus,* ab studioso aliquo margini adscripta, ut fit, et male postea in textum recepta; quod certe unice Salmasii coniecturam fulcit. *Dac.* A praepos. ins. *di* et *erigere* deduxit Rostius in Plautin. cupedd. ferc. III. Cf. quae notavi ad Plaut. Captiv. III, 4, 103.

Dirigere. Lege: *Discindere*, non *discedere.* Locus Plauti, quem intelligit est in Curculione. *Scal.* Pro *discedere* lege *discidere*, ut in veteri codice. *Discidere* enim, ut *abscidere, concidere* etc. Locus autem Plauti est Curcul. III, (v. 54.):

Clypeatus elephantum ubi machaera dirigit.

Ubi male hodie *dissicit.* Male etiam apud Nonium legitur *diligit* pro *dirigit.* Id est, in duas partes scindit. Inde *directarii*, qui fores effringunt, quos cum latronibus iungit Basil. in Epist.: ὅτι πάντα λῃστῶν καὶ διρεκταρίων πεπλήρωται τὰ τῆς ὁδοῦ. *Dac. Apud Plautum.* In Curculione: *Clypeatus eleph. ubi mach. dirigit;* et ita legendum apud Nonium c. 4, 148., non *diligit.* Nonii codd. omnes exhibent *diligit* pag. 209. Merc. Apud Plautum Codd. exhibent *dessicit, descicit, diligit.* Non dubium est, apud Plautum legendum esse *dirigit.* Apud Paullum vero pro *discedere* legendum *discidere.*

Dirunciunt. An legendum *dirunciant?* Runcare enim Varroni est herbas e segetibus expurgare. An *diruncinant? Diruncinare* est radere, polire, a Graeco ῥυκάνη, instrumentum fabrile ad opera laeviganda; vel *diruncinant* a *dirunco, diruncino*, ut *nato, natino* et alia. *Dac. Derunciunt,* alii Diruncinant. *Goth.* Legendum: *Deruncinant.*

Dirutum aere. Quantum coniectura assequi possum inde dirutum aere militem dictum puto, quia *aere exciderat*, hoc est, privatus fuerat, ut *diruere* sit pro simplici *ruere*, id est *cadere.* Varro de vita pop. Rom. lib. XI.: *Stipendium appellabatur, quod aes militi semestre aut annuum dabatur; cui datum non sit propter ignominiam aere dirutus esset.* Cic. Verr. VII. (V, 13.): *Aleatoris Placentini castra commemorabuntur, in quibus cum frequens fuisset, tamen aere dirutus est.* Id est *aere decidit.* Aes autem absolute pro militis stipendio. Plaut. Aulul. III, 5, (52. 54.):

Ibi ad postremum cedit miles, aes petit.
Impransus miles astat, aes censet dari.

Et aes illud quo milites diruti *resignatum aes* proprie dicebatur. Vide suo loco. *Dac.* Adde Varr. IV. de lingua (V, pag. 180. Sp.). Adde infra *Resignatum aes.* Eo fine librarii caducorum in l. ult. ff. de iure immunitatis; potest et huc referri pecuniaria multa, de qua in l. 3. §. 1. ff. de re militari. *Goth.*

Delicata. Delicatus. Lusui dicatus, in MS. *usui.* Delicati homines sunt qui muliebria patiuntur. Graeci παῖδας ἁπαλοὺς vocant, *pueros teneros. Enervatos greges* vocat Victor, sed *delicatus* melius a deliciis; nam et delicati Suetonio etiam *deliciae* dicuntur. *Dac.* Delicatus quasi lusui. *Goth.* Glossis Delicatus καθάριος, τρυφερὸς, σπάταλος. *Idem.*

Dedicare. Sic Nonius, *Dedicare* est dicere. *Goth.* Cf. Non. p. 280. ubi pro *dedicare* haud dubie legendum *delicare*, quod ipsum apud Paullum nostrum restituendum. Cf. etiam Nonium in *Delica* p. 98. et p. 277. Adde quae dixi ad Plaut. Amphitr. II, 2, 38. et ad Milit. III, 2, 31.

Depuvere. Lege *depuvire. Scal.* Legendum *depuvire*, ut optime Scaliger. Nisi *e* pro *i* positum sit. *Depuvire* a *pavio*, caedo, pulso, quod a Graeco παίω. A *pavio depuvio*, *a* in *u*, ut *quatio, concutio.* Vide *obpuvit. Dac.* Depuvire. *Goth.*

Dedita. Valde data, id est, omnino, in perpetuum data, ita ut ea nequeas repetere. Sic vetus Terentii interpres: *Dare est quod repetas. Dedere est ad perpetuum. Damus amicis, dedimus hostibus. Dac.* Vide quae diximus in *Decultarunt. Goth.*

Deperire. Valde perire, funditus perire. Inde *deperire* dicitur is qui efflictim amat et perdite. *Dac.*

Δέῤῥις. Deris. Glossae veterum: *Segestre*, διφθέρα, διφθέρα πλοίου. Glossarium: *Segestre*, στέγαστρον, τεράδερμον; fortasse περιδέρμιον, vel potius γεράδερμον, vetus pellis, ut γεράνδρυον. *Scal. Δέρις.* Δέρις est δέρας sive δέρμα pellis. Hesych. *Δέῤῥις*, δέρμα βύρσῃ. Latini vocant *segestre*, στέγαστρον, quod a στέγω, *tego.* In Glossario exponitur, διφθέρα πλοίον, pellis navigii. Sed prius *segestria* e segete fiebant et tum demum δέρεις dici coepta sunt, cum in eorum usum pelles cesserunt. Quamvis et δέρεις texta, quibus pro velis sive umbraculis utebantur, Graeci dixerunt. Hesych.: *Δέῤῥις*, τὸ παχὺ ὕφασμα ᾧ εἰς παραπέτασμα ἔχρωντο. *Dac. Et post segestria.* Glossis *segestrum* γεράδερμον, ubi falso τεράδερμον. *Goth.*

Demum Postea, tandem. Et apud Livium Andron. legitur *demus.* Sed locus non exstat. Sic *rursus* pro *rursum. Dac. Alii demum pro dumtaxat.* Quintil. I, c. 4.: *Possunt tantum id demum, quod in proximo est. Idem.*

Denicales. A *nex*, *neco*, unde *deneco*. Unde *denicales.* Cic. II. de Legg. (22.): *Nec vero tam denicales, quae a nece appellatae sunt quia residentur mortui, quam caeterorum caelestium quieti dies, feriae nominarentur, nisi maiores eos qui ex hac vita migrassent. in Deorum numero esse voluissent. Eas in eos dies conferre ius quibus neque ipsius, neque publicae feriae sunt.* Columel. lib. II, cap. ult.: *Nos apud Pontifices legimus feriis tantum denicalibus mulos iungere non licere, caeteris licere. Dac.* Denecales. Adde infra Privatae feriae. *Goth.*

Deminutus capite. Capitis nomine veteres pericula libertatis, civitatis, familiae, vitae denique et existimationis significabant. Sic *diminui capite* dicebatur is qui civitatis vel familiae ius amiserat vel alicui pro servo traditus fuerat, cum liber esset vel denique cui vita interdictum fuerat. Et sic tribus modis accidebat capitis diminutio; cum enim aliquis cum libertate civitatem amiserat, ut servi, ingrati liberti, ea dicebatur maxima capitis diminutio. Et cum civitatem tantum amittebat, libertatem retinens, ut in insulam deportati, aqua et igne interdicti, ea minor sive media dicebatur capitis diminutio. Cum vero hominis tantum status mutabatur, conservata civitate, et libertate retenta, ut in aliis accidit, qui cum sui iuris essent, sese in adoptionem dederunt aut contra qui alieno iuri subiectus erat, sui iuris factus est, tum ea minima dicebatur capitis diminutio. Et haec omnia paucis persecutus est Festus. In eo tamen aliquid reprehendas; neque enim omnino verum est eos qui in hostium potestatem venerunt, pati capitis diminutionem, scilicet propter spem postliminii quo restituuntur in integrum, unde et in edicto de maioribus in integr. rest. servitus separatur ab hostium potestate. *Dac.* V. Titulum ff. de capite minutis. *Goth.*

Dividicula. Castella erant loca, quae aquam publicam recipiebant et in varia loca tramittebant, unde a *dividendo dividicula* dicta. *Dac.* Hesych.: *Κάστελλος, ὄνομα τόπου μερίζοντος τὸ ὕδωρ. Goth. Castella.* L. 19. ff. de servit. urb. l. 1. §. 39. ff. de aqua quotidiana, quae et castelli. l. 41. §. 1. ff. de legat. 1. plerumque ex plumbo fiebant. l. 17. §. 8. l. 38. §. 2. ff. de act. empto. *Idem.* Goth. legit *Castella quibus*, omissa *ex* praepos.

Defrui. Vide *deactio. Dac.*

Dividiam. Dividia. Glossae: *Dividia, διχόνοια.* Vide Coniectaneum tertium (p. 130. 131.). *Scal.* Discordiam. Attius Phoenissis:

Ne horum dividiae discordes dissipent,
Disturbent tantas et tam optimas
Civium divitias.

Quem locum afferens Nonius similiter *dividias* dissensiones interpretatur. Significat etiam *dividia* tristitiam, taedium. Plaut. Bacch. IV, 6. (init.):

Nimio illaec res est magnae dividiae mihi.

Vide Varr. lib. VI. (VII, p. 343. Sp.). *Dac.* Vide Nonium *Dividiae, Dividiae* et *Dividos* (pag. 96. 101. 564. Merc.). Glossis *Dividia διχόνοια. Goth.*

Deversus. De significat *infra*, et opponitur *τῷ sus* quod significat *supra, sursum. Dac.*

Deinceps. A *Dein* et *capiendo*, et significat *qui deinde cepit*, et *quod deinde captum est.* Ut princeps, qui primus cepit et qui primus captus est. Et *deinceps*, ut *princeps* per obliquos veteres efferebant. Sic Apuleius dixit *deincipe die* et *deincipem sermonem.* Vide *tignum. Dac.* Cf. paulo infra *Deincipem.*

Deus. Non solus est Festus, qui vel a *dare* vel a *desum* vel etiam a *δέος, metus, timor, Deus* deducat. Nam et idem multi. Sed Deus est a Graeco *θεός*, *θ* in *δ*, ut a *πέρθω perdo.* Vel potius ab Aeolico *δεύς*, ut Fr. Iunio placuit. *Δεός* autem sive *θεός* vel a *θέω, curro*, quia antiqui sic dixerunt sidera et stellas, quod semper in cursu essent. Vide Macrob. lib. I. Sat. c. 23. Vel ab Hebraeo *dai* id est *sufficere*, unde *shaddai*, quod solus Deus sufficiat. Vel potius ab Aegyptio Mercurii nomine *Thoyt* sive *Theut* sive *Thoth. Dac.* Nugae. *Deus* a Sanscrita v. *Div*, unde *devas Deus.* Cf. quae ad vv. *Dium* et *Dies* notavimus.

Dium. Παρὰ τοῦ Διός, ab Iove. Unde *δίϊος, δῖος, Dius.* Inde *sub Dio*, quod Horat. dixit *sub Iove. Dac. Et interdiu. Diu* et *noctu* non a Dius, ut putat Festus, sed a *Dies. Diu* et *noctu* pro *die* et *nocte* antique. Unde *interdiu. Idem. Diurnum.* Dium sic paulo post infra in *Dium. Goth. Sub dio.* Vide Varr. IV. de L. L. 1. §. 3. ff. de via publica. *Idem. Dium* et *divum* coelum significat. Descendit a vocibus Sanscritis *Divan, diva, diu*, quae et *coelum* et *diem* et aerem significant.

Devitare. Terent. Andr. III, (5, 5.):

Post hac incolumem, sat scio, fore me, nunc si hoc devito malum.

Gloss.: *Devitat, ἐκκλίνει, περικάμπτει, ἐκνεύει. Dac.*

Demagis. Contra Glossarium: *Demagis*, σφοδρῶς. Et Nonius (pag. 98. Merc.): *Demagis, valde magis.* Sed de hoc satis dicemus in Plautum. *Scal.* Nunquam *demagis* pro *minus* me legere memini sed semper pro *valde magis.* Sed forsan pro *minus* legendum *nimis. Dac.* Glossis σφοδρῶς. *Goth. Pro minus.* Imo pro *nimis* apud Non. II, 229. *Idem.*

Denariae cerimoniae. Denariae vel tridenariae cum per decem vel triginta dies in casto erant, antequam sacra aggrederentur. Sic in libris sacris sacerdotes, antequam consecrarentur, per septem continuos dies cerimoniis vacabant, quae sic septenariae dici potuere. *Dac.* Vide infra *Purimenstruo. Goth. Rebus.* Diebus. *Idem. Carendum.* Inde enim *Ceremoniam* dictam putat Macrob. III, c. 3. *Idem.* Haud dubie legendum *continuis diebus*, ut exhibet B.

Decrepitus. A lucerna vel candela, quae ultimum expirans crepitum edere solet. Hoc enim est *Decrepare;* ut apud Persium: *destertere.* Decrepitus a veteribus Graeciae magistris exponitur ὑπέργηρος, τετυμβωμένος, ἔφθός, γέρων ταχυθάνατος. *Scal.* Cui vita crepera, i. e. dubia, ut crepusculum diei tempus dubium, vel a *crepitu*, quod senex nullum facere crepitum queat. Sed magis placet Scaliger, qui ait esse metaphoram a lucerna vel candela, quae ultimum expirans crepitum solet edere. Hoc enim est decrepare ultimum crepare, ut apud Persium *destertere*, id est, postremum *stertere.* Et eo sensu decrepitus eleganter in Glossario exponitur ἐκπεπνευκώς, qui ultimum flatum sive crepitum edidit. *Dac. Crepera iam vita.* V. s. Creperum. *Goth. Crepusculum extremum diei tempus.* Glossis ἡ περινὴ ὥρα. Et alio loco *Crepusculo*, ὄρθρου ὑπεώρου. *Idem.* Doederl. Syn. Lat. III, pag. 85. *Decrepitus* a *decrescere* derivat. Mihi videtur recta descendere a Sanscr. voce *krip*, quae debilem esse significat.

Decimanus. Decumanus. In agris Romanis decumanus limes, qui ab Oriente ad Occidentem. *Cardo* qui a meridie ad septentrionem dirigitur ubi mundi cardines. *Dac.* Plin. XVIII, 34, qui et Decimanus. Siculo Flacco adde Aggenum de limitibus: et Duodecimanus Hygeno. *Goth. Cardo.* V. Siculum, Flaccum; et Aggenum, idem et Kardo Hygeno. *Idem.*

Decumana ova. Mirum veteres inepte credidisse, quae ordine decima nascuntur, ea esse omnium maxima; ut de fluctibus Ovid. Trist. lib. I, el. 11.:

Qui venit hinc fluctus, fluctus supereminet omnes
Posterior nono est, undecimoque prior.

Nam per metaphoram *decumana* ea dicuntur a re agraria scilicet, maximus enim limes in agris Romanis *decumanus* vocatur. *Dac.* Adde *Albesia; decumani. Goth.*

Deprensa. Deprehensa. Gloss. *deprehendit*, διορθοῦται. *Deprensi* ὑπερεκτίσεως. Lego *deprensae.* Id est *poenae, multae. Dac.* Extremae quidem poenae hae militares collocantur, castigatio et ignominiosa missio in l. 3. §. 1. ff. de poenis. Non fit tamen inibi mentio *Deprehensae*, nisi forte in iis poenis quae illo loco enumerantur deprehensam putemus esse pecuniariam multam vel munerum indictionem. Proinde etiam hic legi potest Depensa, non deprehensa, ab aere pendendo. *Goth.*

Decima. Vide quantum iuris Barbarus ille sibi sumserit in hoc loco mutilando; uni enim tantum Herculi hoc fiebat. *Scal.* Nunquam legi decima quaeque Diis oblata fuisse, sed tantum Herculi. Plauti Stich. (II, 1, 80.):

Uti decumam partem Herculi polluceam

Nam quod decimam praedae partem Apollini votam apud Livium legas, alia plane res est. *Dac.* Imo, uni tantum Herculi. Varro V. de lingua (VI, 230. Sp.). De ea re dixi ad l. 2. ff. de pollicitationib. *Goth.*

Decuriones. Gloss. *Decurio*, δεκαδάρχης. *Decurionatus*, δεκαδαρχία. *Dac.* Qui et Decurioni; v. s. Centurionus; et Decures. Vide Decures. *Goth. Qui denis equitibus praesunt.* Glossis Decurio δεκαδάρχης. Decorionatus, δεκαδαρχία. Alio significatu decurio sumitur in Titul. ff. et Cod de Decurionibus. *Idem.*

Depolitum. Valde politum. Plin. lib. 36. c. 25.: *Si vero cote depolitum est, nigri pavimenti usum obtinet.* Hinc et *depolitiones.* Vide Nonium in *politiones* (pag. 66. Merc.). *Dac.*

Degunere. Fortasse *Degumare.* Quod in Coniectaneis monuimus (pag. 151.). *Scal.* Gloss. *degunere* ἀπογεύσασθαι, συγγεῦσαι. Sed apud Festum et in Glossario legendum monuit Scaliger *Degumare* sive *degumiare*, a *gumia* scilicet, id est gulosus. Lucil.:

Compellans gumias ex ordine nostros.

Dac. Alii *Degumare*, alii *Degumiare* a *Gumia;* de quo infra in *Ingluvies.* Id autem a γόμος, quod significat πλήρωμα τῆς νεώς. Saburra Latini vocant. V. Nonium (a. v. Gemiae pag. 117. Merc.). Dicitur et *degulasse* Nonio (pag. 97. Merc.); *Degulator* Apuleio in Apologet. *Goth.*

Depubem. Porcus qui trucidatur dum lactet et ita *pubes* fieri prohibetur. Pro *lactantem* legendum omnino *lactentem*, id est lac sugentem. Et ita in MSS. *Dac.*

Decotes. L. m. addit: Decotes, Decuriones. *Fulv. Urs.* Alii Decutes, quasi sine cute et flocco vel flacco; unde Defloccare Nonio (pag. 7. Merc. ubi legitur *Deflaccare.*). *Goth.*

Dictynna. Ridicule Festus Dictynnam lunam dictam putat, quasi quae dicat et indicet noctu omnia. Dictynna enim Graecum est et sic dicta Diana a retibus venatoriis, quae Graece δίκτυα ut de nympha Britomarti docet Callimachus hymn. in Dianam:

— — — καὶ ἔνθορεν εἰς ἁλιήων
Δίκτυα, τά σφ' ἐσάωσεν, ὅθεν μετέπειτα Κύδωνες
Νύμφαν μὲν Δίκτυνναν, ὄρος δ' ὅθεν ἥλατο νύμφη
Δικταῖον καλέουσι.

Hanc Callimachi historiam narrat Scholiastes Aristophanis in *Βατραχ.* p. 275. sed apud eum corrupte βρετιμάρτυς pro βριτομάρτυς legitur; tu monitus emenda. *Dac.*

Deblaterare. Vide *Blaterare. Dac. Deblacterare.* Nonio (pag. 96. Merc.) Deblaterare est obloqui, confingere. *Goth.* *Βλάκας stultos appellant.* Glossis βλάξ *iactans*, βλακία *iactatio*; et βλαρός *stultus* et *Blaterare* ματαιολογεῖν. *Blato* ματαιολόγος. *Idem.*

Dicaearchia. Dicearchia. Melius ut in margine *Dicaearchia:* nam Graece δικαιαρχία. Campaniae felicis urbs Puteoli. Idem scribunt Strabo, Pausanias et Stephanus qui etiam *Dicaeam* vocat. *Minor Delos* etiam dicta. Vide *minorem Delum. Dac.*

Δῆμοι. Demoe. Antique pro *demoi*, ut *poploe*, *poploi*, *popli*, ut alibi dictum; *demoe* autem Graecum est δῆμοι. In *demos* Attica dividebatur, qua de re vide doctissimi Meursii libellum de populis Atticae. *Dac.*

Dice. In veteri editione, *Dice pro dicam.* Recte. Legendum enim Dicem, pro Dicam; sic supra *Attingem pro Attingam.* Ubi similis error, *Attinge*, pro *Attingem:* ut hic *Dice*, pro *Dicam. Dicem* ergo secunda coniugatione et *dicebo* apud veteres. Nonius (p. 507. Merc.): *Primum, quod dicebo recte, secundum, quod dicebo, eo melius. Scal.* Pro *dic*, Plaut. Mercat. I, 2, (47.):

Quid est igitur quod vis? Dicam, dice.

Vide locum Naevii in voce *summussi.* Sed in veteri edit. legitur *dice pro dicam.* Recte modo legas *dicem* pro *dicam.* Vide *attinge. Dac. Dice* pro Dicem (unde Nonio Dicebo) alii pro Dicam, male. V. s. *Attinge pro Attingam. Goth.*

Decermina. Purgationes ad placandos Deos fieri solitae. Sed non constat quomodo peragerentur: nam proprie *decermina* de frondibus ad lustrandum decerptis. Et forsan de iis Festus. *Dac.*

Desertiones. Disertiones. Videtur legendum Disortiones. Vide infra in *Erctum;* et Isidor. lib. X. Servius, *Ercto*, inquit, *non cito, i. patrimonio vel hereditate non divisa. Fulv. Urs.* Ἀρχαϊσμός, pro *dissortiones.* Apello, Apollo. Glossarium: *Dissortes* διακληρωθέντες. Est et *Dissortium* διαχωρισμός, διάστασις *Scal.* Antiqui pro dissortiones. *Sors* autem est hereditas, patrimonium. *Dissortio* sortis divisio, inter consortes, id est, coheredes. Vide *sors.* Inde dissertio pro controversia et contentione. Gloss. *dissertio*, ἀμφισβήτησις. *Dac.*

Dispensatores. Videndus Varro lib. IV. de ling. Lat. et Plin. lib. 33, c. 3. Vide Pendere. *Ant. Aug.* Pecunias veteres non numerabant, sed pendebant passim in sacris et profanis litteris. Huius moris vestigium erat in aede Saturni, ubi trutina posita. Varro lib. IV. (De L. L. V, 182. Sp.): *Per trutinam solvi solitum, vestigium etiam nunc manet in aede Saturni, quod ea etiam nunc propter pensuram trutinam habet positam.* A pendendo igitur dispensatores dicti qui pecunias pendebant. Inde *expensa* quae de pondere detrahuntur, *compensata* quae aequali pondere facta sunt. *Compendium*, cum aequales aliquid addendo redduntur lances. *Dispendium*, ponderis diminutio, cum quid ponderi detrahitur. Varro lib. IV. (V, 181. Sp.): *Ab eodem aere impendendo dispensator, et in tabulis scribimus expensum, et inde prima pensio, et sic aut secunda aut quae alia, et dispendium ideo quod in dispendendo solet minus fieri: compendium quod cum compenditur, una sit.* Vide Plin. lib. 30, c. 3. Inde est etiam quod nunc dicimus *poenas pendere*, quia ob delictum veteres pecuniam non numeratam, sed pensam solvebant. Vide *pendere. Dac.*

Dispescere. Vide *compescere. Dac.*

Despretus. Gell. VII, 10. *Goth.*

Desivare. Vetus editio: *Desinare*, fortasse melius. Glossarium: *Desinator*, ἀβοήθητος. Qui scilicet desinit destitutus ope. Tamen dubito. Nam et alibi legitur: *Die suatur*, βοηθεῖτα, pro *Desivatur*, βοηθεῖ-

ται. Sane apud Senecam epistola CXVIII. *Desinare* per *N* legitur. *Imbecillae*, inquit, *mentis ista sunt verba et hac desinatione misericordiam captantis.* *Scal.* Legendum ut in al. cod. *desinare.* Desinere, ope scilicet destitutus; Glossar. *Diesvatur* βοηθεῖται. Lege Desinatur, οὐ βοηθεῖται. Forte etiam *desivare* rectum sit quasi desinere iuvare. Quod deiuvare dixit Plaut. in Trinum. II, 2, (71. Ed. meae):

Deserere illum, et deiuvare in rebus advorsis pudet.

Nisi ibi etiam *desivare* restituendum. *Dac.* Desinare; unde Glossis: Desinator ἀβοήθητος. *Goth.*

Dissulcus. Disulcus. Glossarium: *Disulcis* χυρoςδιαίτης, διαύλαξ. Lege: χοῖρος διχαίτης. *Scal.* *Dissulcus.* Porcus qui setas in fronte ita divisas habet ut in media quasi sulcus efficiatur. *Dac.* *Setas.* Vide supra *Biseta.* *Goth.*

Disertus. A disserendo. *Disserere* autem verbum est tralatitium a re agraria. Varro lib. V. (VI, p. 241. Sp.): *Quod dicimus, disserit partes, item areas, translatitio aeque ex agris verbo utimur. Nam ut olitor disserit in areas sui cuiusque generis res, sic in oratione qui facit, disertus.* *Dac.* *Disertus.* Glossis: λόγιος. *Goth.* *A disserendo.* Glossis: *disserit*, διασαφεῖ, διασαφηνίζει. *Diserte*, ἐκτικῶς, ἐλλογίμως. *Idem.*

Dignorant. Dignorat. Glossarium: *Dignorat*, ἀναπτύσσει. Sed melius infra: *Dicorat*, διαγινώσκει. Lege: *Dicnorat.* *Scal.* *Dignorant.* Gloss. *dicnorat* ἀναγινώσκει i. e. signat. Nam dignorare est signare, notas inurere. Virg. (Georg. III, 158.): *Et nomina gentis inurunt.* Nota inusta dicta character Colum. lib. 11. c. 2.: *Nec minus maiora quadrupedia charactere signari debent.* Quo loco forte an deceptus Scalig. in Coniectaneis notavit instrumentum, quo perurunt dici *character* rei rusticae auctoribus quod falsum est: nam de nota impressa *character* semper dicitur ut et Graecum χαρακτὴρ et χάραγμα. *Dac.* *Dignorant.* Denotant. Glossis Dignorat, ἀναπτύσσει. Alio loco Dicorat διαγιγνώσκει; alii legunt: Dicnorant. *Goth.*

Dissertim. Plaut. Stich. I, 3, (87.):

Fuit dissertim, verum id usu perdidi.

Et Livius Andronicus:

Tuque mihi narrato omnia disertim.

Dac. *Disertim pro diserte.* Ac plane Nonius in Disertim (pag. 509. Merc.). Glossae: *Disceptim*, σαφῶς, φανερῶς. *Goth.*

Distisum et pertisum. Ut a *caedo occido*; sic a *taedet distisum*, distaesum, et *pertisum*, pertaesum. *Dac.*

Delubrum. Duplex est huius nominis significatio; nam et pro Dei simulacro et pro loco Deo consecrato ponitur. Varro apud Macrobium lib. III. Servius lib. II. et IV. Aen. Asconius hanc Festi interpretationem reprehendens in Divinat. *Ant. Aug.* Graeci Grammatici καθίδρυμα, ξόανον, ἀνάθημα. *Scal.* Simulacrum ligneum, quod sit sine *libro* i. e. *cortice.* Idem Serv. IV. Aen.: *Aut certe ligneum simulacrum delubrum dicimus, a libro, hoc est raso ligno factum, quod Graece* ξόανον *dicitur.* Sic ξόανα ἀγάλματα, εἴδωλα exponit Hesych.; ab hoc igitur delubro sive simulacro templa dicta delubra. Sed magis placet aliorum sententia, qui putant delubra dicta a delubris, hoc est fontibus, quae ante templa collocabantur, ut iis homines ante ingressum deluerentur. Cornelius Fronto: *Delubrum, in quo homines pericula sua deluunt.* Delubrum igitur a *deluendo.* Servius II. Aen.: *Alii, ut Cincius, delubrum esse locum ante templum, ubi aqua currit a deluendo.* Et lib. IV.: *Delubrum autem dictum, aut, ut supra diximus, propter locum in quo manus abluuntur.* *Dac.* Hanc Festi interpretationem reprehendit Asconius in Divinat. (pag. 17. seq.). Porro Delubrum significat etiam Dei simulacrum et locum consecratum. De quo vide Varronem apud Macrobium III, c. 4. Servius II. et IV. Aeneid. et Glossis Delubrum καθίδρυμα, ξόανον, ἀνάθημα. *Goth.* *Delubrum* ubi *deluuntur* i. e. abluuntur peccata Qua re apud Frontonem lege: *in quo homines peccata sua*, pro: *pericula sua.*

Delicia. Tignum quod a fastigio tecti ad ultimas usque tegulas pertinet, ita ut inter duo tigna quasi sulcus tegularum efficiatur, per quem aqua decurrat, a *deliciendo*, quod inde aqua deliciatur. Gallice *goutiere.* Inde tectum deliciatum, *toict à goutieres.* Et tegulae deliciares, *tuile propre à faire des goutieres.* *Dac.* Deliquiae Vitruvio dicuntur huiusmodi tigna, VI, c. 3. et alias. Delicia apud Nonium pro raro ac singulari. *Goth.* *Fastigatum.* Fastigium. *Idem.*

Degere. Malim legere *degerere*, ut in margine, quamquam utrumque mihi aeque ignotum est. Nisi *degerere* operis privationem significet a *de* privativo, ut *denasci* pro mori, sic *degerere* nihil agere, et qui nihil agunt quodammodo videntur exspectare. Nihil aliud succurrit, nunc quidem. *Dac.* *Degere* est *de-agere* h. e. ad finem agere, vivere. Quare propria videtur fuisse significatio *porro versari*, *amplius morari*, i. q. opperiri, exspectare.

Deteriae. Deterius a terendo, quia ille deterior est, qui magis detritus est. Vide Priscianum (Lib. III, 1. 1. pag. 103. Kr.). *Dac.* Cf. Doederlin. Syn. Lat. I, pag. 48.

Delibare. Delibrare. MSS. *Delirare* optime. A *lira* quod fossam vel sulcum significat, per quem aqua in quemlibet locum deducitur. *Dac. Sulco derivare.* Aut potius conferre altitudinem loci unde concipitur aqua, cum loco quo ducenda est. Vitruvius VIII, c. 6. hinc libramentum aquae apud eundem auctorem, VIII, c. 3. VIII, c. 6. et c. 9. libratio, libra aquaria. De librationibus aquarum et quemadmodum dioptris aut libris aquariis aut chorobate v. eundem. Porro Delibrare alio significatu accipitur apud Colum. IV, c. 24. Auctores rei rusticae pro librum tollere seu decorticare. De quo vide Nonium in *Delibratum* (pag. 62. Merc.). *Goth. Delibare* a Graeco λείβειν.

Delicare. Pro *dedicare* ut *lacryma* pro *dacryma. Dac.* Ut et apud Nonium pro aperire, explanare et indicare. *Goth.* Cf. quae supra adnotavimus ad v. *Dedicare.*

Deliquium. Imo quia delinquere apud veteres erat deficere. Tubero: *Num delinquit aut superest aliquid tibi?* Caelius in Historiis: *delinquere frumentum; Sardiniam hostes tenere. Scal.* Vide ad v. *Delinquere.* Glossis: *Deliquium solis* ἔκλειψις ἡλίου. *Goth.*

Delinquere. Proprie *deficere* more antiquo, ut ait Servius Tubero: *Num delinquit aut superest aliquid tibi?* Caelius in Historiis: *Delinquere frumentum: Sardiniam hostes tenere.* Inde per metaphoram *peccare*, ut exponit Festus, ea linquere, quae non oportet praeteriri. A *delinquere*, deficere, est *deliquium solis*, solis defectio, ut a Graeco ἐκλείπειν, ἔκλειψις, *Eclipsis.* Male igitur qui *deliquando* pro *deliquendo* et *deliquatur* pro *delinquant* legi voluerunt, quamquam idem et Varro. *Dac. Hinc deliquia.* Vide Deliquium. Ceterum id deducit a delinquendo, quod est praetermittendo, quum potius sit a delinquendo, quod est a deficiendo. Et Glossis: *Deliquiunt* μειοῦσιν. *Goth.*

Deliquum. Plautus in Casina: *Sine amet, sine quod lubet, id faciet, quando tibi nil domi Deliquum est. Ant. Aug.* Scribendum per C quatuor syllabarum, Delicuum. In Casina (II, 22, 33.): *Quando nil tibi domi delicuum est.* Glossarium *Delicuum* interpretatur πταῖσμα. *Scal.* Locus Plaut. est Casin. 2, 2. *Quando* ctt. Id est: cum nil tibi domi minus sit, cum nil tibi domi desit. In Gloss. lege *delictum. Dac.*

Detudes. Glossarium: Detudes, μιανθέντες. *Scal.* A *tudo*, ut veteres dicebant pro tundo, ut *frago* pro *frango*, *detudes* diminuti, detonsi. Gloss. *Detudes*, μειωθέντες; ut optime hunc locum correxit Vulcanius, cum antea legeretur μιανθέντες. *Concutere* autem, *percutere* et *decutere* verba sunt a Latinis in textura vestium usurpata. *Concutere* et *percutere* est κρούειν vel σπαθᾶν, radio telum percutere, licia densare, inde *concus* radius textorius, et *concutes* vel *percutes* quas κρουστὰς καὶ σπαθητὰς Graeci vocant, densatas vestes, bene percussas. Iuvenal. (IX, 30.):

Et bene percussas textoris pectine Galli.

His opponuntur *detudes* quae sunt detritae, deminutae, quomodo et Graeci συγκρουστὰ ἱμάτια interpretantur ὧν ὁ κροκὸς ἀνατέτριπται. *Concutes* alio nomine Latinis dicuntur *Pavidenses.* Quod bene *pavitae* i. e. pulsatae, percussae. Quibus contrariae *levidenses*, quae leviter densatae sunt et non aliae sunt quam *detudes.* Isidor. lib. XIX, c. 23.: *Levidensis vestis dicta, quod raro filo sit, pavidensis contraria levidensi, quod graviter pressa atque calcata.* Vide Salmasium ad Trebel. Pollionem in D. Claudio. *Dac. Detonsos.* Detonses. *Goth.*

Delaniare. Dilaniare. A lana, quod a Graeco λᾶνος, Dorice pro λῆνος, lana. Inde laniare et lanista, ut apud veteres dicebatur is, qui lanam carebat, i. e. carminabat, carpebat; inde *lanius* et *laniena:* sic enim legendum in verbis Festi pro *lacinia. Dac. Lacinia.* Laniena. *Goth.*

Delapidata. Glossae *delapidata*, λιθόστρωτα. Delapidare est lapidibus sternere. Quandoque etiam lapides auferre, lapidibus purgare. *Dac. Lapide strata.* Sic in l. 1. §. 2. de via publica. *Goth.*

Dextans. Vide *Bes. Dac.*

Deluit. Solvit, purgat. Gloss. *Deluo*, ἀπολούομαι. *Goth.*

Dilectus. Ita semper, non delectus, in veteribus libris est. Sic in Pandect. Floren. titulo de re militari, cap. 4. Ita etiam scribendum est, titulo communi divid. cap. XX., ubi delictum scripserunt. Vide *Lacus Lucrinus* et *Neglegens. Ant. Aug.* Militum dilectus vel delectus; nam haec duo veteres non distinguebant, a legendo. Varro lib. V. (VI, p. 243. Sp.): *ab legendo legio et diligens et delectus.* Item dilectus, quo armatum significamus, a *diligendo*, quod a *legendo*, quia eum legimus quem amamus. Utramque vocis

significationem optimae glossae amplectuntur, ubi: *dilectus*, *στρατολογία*, *δοκιμασία*, *ἀγαπηθείς*. *Dac.* Ita quoque scriptum in l 20. ff. com. divid. l. 36. ff. de statulib. l. 3. ff. ad l. Iul. Maiest. l. 4. ff. de re milit. et 4. legum Francicarum. c. 71., quibus tamen locis quidam legunt *delectum*, quidam *edictum*. *Goth.*

Deliberare. Animo perpendere quid a duobus vel pluribus potissimum sumas. Et a *libra* seu *libella* dictum ait Festus, inepte; nam si ita esset, diceretur etiam *delibrare*, quod aliud est. Melius igitur qui a *libero* deducunt; is enim tantum deliberat, cui libertas data e duobus aliquid eligendi. *Dac. Deliberare.* Id est perpendere. Adde Nonium in Deliberare (p. 282. 429. Merc.). *Goth.*

Detrectare. Detractare. Malim *detrectare.* Sic *attrecto, contrecto. Detrectare* autem est male tractare, male habere. Gloss. *Detrectat, ἀπιθεῖ, παραιτεῖται. Dac.*

Dextimum. Dexter, dexterior, dextimus, ut sinister, sinisterior, sinistimus. Varro (apud Non. p. 94.): *A primo compito dextimam viam munit Epicurus.* Vide Nonium. *Dac.* Veteres Dextimum dicebant pro Dextrum. Vide Nonium in Dextima. *Goth.* Est forma superlativi in Sanscrito sermone usitata, ut *punjatămas*, purissimus, *mahattămas*, maximus, quum inusitatior in *istas* desinat, ut *bhujistas* plurimus, *πλεῖστος*, *garistas*, (*βάριστος*) gravissimus.

Dextra auspicia. Dexter ut apud Graecos δεξιὸς propitium significat. Ita *dextro Iove*, *dextro Hercule.* Id est propitio, more Graecorum scilicet, nam alioqui Romani *dextrum* vocant infaustum, *sinistrum* vero faustum. Vide *Scaeva. Dac.*

Dextrarum tibiarum. Dextrae tibiae et sinistrae tibiae, quae dextra parte oris et manu dextra, sive sinistra parte oris et manu sinistra tenebantur. Sinistrae tibiae acuti soni erant et pluribus foraminibus apertae; dextrae vero gravis et uno tantum foramine. Cum dextra et sinistra iungebantur impares dictae, cum dextrae, sive duae sinistrae, pares. Vide *impares.* De tibiis dextris et sinistris paribus et imparibus multi multa tradidere; sed adeo diversa, ut res magis incerta sit. Vide Donat. Iul. Scaliger. lib. I. Poet. c. 20. Casaub. in libello de Satura et Satyrica. Manut. lib. III. de quaes. per ep. cap. 4. et Salmasium ad Vopiscum in Carino, qui rem omnem omnium optime prosecutus. *Dac.*

Diobolares. Vilissimae meretrices quae parvo stipendio prostant. *Διόβολοι* Graece. Plaut. (in fragmm. ex Astraba): *Diobolares, Schoenicula, miraculae.* Et alibi (Poen. I, 2, 58.): *Diobolaria scorta. Servorum sordidulorum scorta diobolaria. Dac.* Vide Fulgentium Planciadem (p. 564. Merc.). Gloss. *Diovolares*, perperam *διοβούλον* pro *διόβολοι*. *Goth.* Cf. Varro De L. L. VII, 345. Sp.

Dies. Primum et tertium etymon Festi falsum et ineptum est, praesertim tertium: quis enim a *dehisco* diem dictum putet? Secundum confirmat Macrob. lib. I. Sat. cap. 15.: *Iovem accipimus*, inquit, *lucis auctorem, unde et Luctetium Salii in carmine canunt, et Cretenses Δία τὴν ἡμέραν vocant, ipsi quoque Romani Diespitrem appellant, ut diei patrem.* Idem Varro lib. IV. (V, p. 71. seq. Sp.): *Nam olim diiovis et diespiter dictus, hoc est, aer et dies pater* (*Diovis et Dispiter dictus idem, dies pater*), *a quo dei dicti qui inde, et dies et dius et divus.* Et lib. V. (VI, p. 186. Sp.): *A quo tempus, id ab hoc deo dies appellatur.* Caninius vero in alphabeto suo a Punico *dia* diem vult dictum. *Dac.* De diebus Comitialibus, Praeliaribus, Religiosis, Servorum vide supra *Comitiales*, et infra *Praeliares, Religiosi, Servorum. Goth.* Cf. quae disputat Schmidt in Jahn. Annall. Philoll. et Paedag. Vol. XII, fasc. 3, pag. 333. sqq. *Diu*, *divas* Sanscritae voces diem significant. Item *diu* coelum notat, unde Graecorum Ζεύς (Σδεύς), Διός, Latinorum *diu* (pro *die* cf. Non. p. 98. Merc.) *interdiu*, *sub divo* (i. e. sub coelo) *sub Iove*, *Diespiter*, *Iupiter*, unde intelligitur, male scribi *Iuppiter*, duplici *p.* Macrob. Saturn I, 15. testatur, Cretenses *Δία τὴν ἡμέραν* vocasse, unde *ἔνδιος*, *εὔδιος*, *Ζεὺς ὕει*, coelum pluit. Ceterum *Ζεὺς* ortum ex *Διὸς*, ut *Δεύννσος* ex *Διόννσος*. Cf. Etym. magn. pag. 259. *Dies* autem ex Sanscrito *diu* et *dius* ortum esse, testimonio etiam sunt *nudius tertius*, *interdius. Divas* quoque et *divan*, illud masculinum, hoc neutrum, pro *die* dixerunt Indi veteres, unde *nundinae.* Nec *Διογενὴς* est ab Iove natus, sed coelo ortus, coelestis, quare etiam *διοτρεφὴς* aliter, atque vulgo, erit explicandum.

Diabathra. A διαβαίνω, eo, ambulo. Inde *diabathrarii*, qui diabathra faciunt. Plaut. Aulul. III, 5. (39.):

Sedentarii sutores, diabathrarii.

Dac. Vide Varr. VI. de L. L. (VII, p. 338. Sp.). *Goth.*

Deorata. Nam veteres *deorare* dicebant pro *perorare. Dac.*

Deactio. De aliquando intendit, auget; sic *deamare*, valde amare: *decultare*, valde occultare:

deagere, peragere: *decalicare*, omnino calicare, calce illinire: *deparcus*, valde parcus apud Suetonium; *defoedus*, valde foedus, Cic. *Dac.*

Dianius. Lege: *Dianium*, ut Minervium et Vitruvio Aesculapium. *Scal.* Optime legendum monuit Scaliger *Dianium*. Sic *Minervium* et *Vulcanium* dicitur locus Minervae vel Vulcano consecratus. Et apud Livium aperte Dianium legitur lib. I. sect. 48.: *Quum se domum reciperet, pervenissetque ad summum Cyprium vicum ubi Dianium nuper fuit. Dac.* Dianium, ita apud Livium; ut Vitruvio Aesculapium, et Varroni Megalesion. *Goth.*

Diffarreatio. Dissolutio matrimonii confarreatione contracti diffarreatio dicebatur. Cicero in Topicis (c. 3, 14.): *Genus est uxor, eius duae formae, una matrum familias, hae sunt, quae in manum convenere; altera earum, quae tantummodo uxores habentur.* Addit Severinus: *Tribus modis uxor habebatur, usu, farreatione, coemptione, sed confarreatio solis pontificibus conveniebat, quae autem in manum per coemptionem convenerant, hae matres f. vocabantur; quae vero usu vel farreatione, minime.* Et Ulpianus tit. 8. Institut.: *Farre convenitur in mnnum certis verbis et testibus decem praesentibus et solemni sacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur.* Dionys. lib. 2. a Romulo rege institutum esse scribit, ut farreatione matrimonia fierent, ut ea re dicta, quod far quo tunc pane utebantur, communionem vitae ostenderet. De eodem genere matrimonii Tacitus scribit lib. IV. (c. 16.) Annalium. Plin. lib. XVIII, c. 3. *Ant. Aug.* Lege: *Diffarreatio genus est sacrificii quom inter virum* etc. vel *quo inter virum* etc. Inde Glossae Isidori: *Diffarreatio, dissolutio inter virum et foeminam. Dac. Diffarreatio.* Cui contraria farreatio. Boet. in Top. Ulpian. tit. 9. Halicarnass. 2. Tacit. 11. Annal. XVII. Plin. 3. Glossis Confarreatus, συμβιώσεως χάριν ξευκτής. *Goth.* Confer. Jahn. Annall. Philoll. et Paedag. Vol. XIV, fasc. 2, p. 148. seq.

Dium. *Et Dius heroum aliquis* etc. Agnoscis facile subaeratum Pauli numisma, qui sine dubio plane legerat apud Festum *Dius Fidius.* Is enim est a Iove genus ducens. Grammatici Graeci: *Dius filius, Διὸς υἱὸς, Ἡρακλῆς. Scal.* Herculem intelligit. Sed scripserat Festus, ut optime Scaliger, *Dius fidius Her. ab Iove genus ducens.* Pro quo subaeratum numisma Pauli dedit. *Dac.* Adiectivum *dius* pro eo quod est *diurnus* ex Sanscrito sermone repetendum est, ubi *divas* diem significat. Unde *dium* et *divum* coelum, rectius tamen *sub divo* scribi videtur. *Diuturnus* et *diutinus* quod diem, h. e. tempus durat. *Turnus* enim et *ternus* suffixa descendunt a Sanscrita radice *tri, tra* (cf. Latinorum *trans*), quae permeare, transire significant. Cf. Lisch. in censura Doederlini in Annall. phil. Jahnii XI, 1, pag. 22. *Dius fidius* nihil esse videtur, nisi *deus fidus.* Quare ita appellatus sit Hercules, non liquet, nisi forte propter opem fideliter latam hominibus ita sit dictus, quare *fidem implorare* alicuius est opem et auxilium eius expetere.

Defrensam. Glossarium: *Defrensa*, ἄρουρα θερισθεῖσα. *Defrens*, ἄρουρα, θερισμός. *Scal.* Defrens vel Defrensa proprie est seges demessa. Inde per metaphoram *defrensa vestis* dici potuit vestis detrita et detonsa. *Dac.*

Deinde. Ex praepositione *de* et *inde*, quae loci significationem continet a Graeco ἔνθεν, et haec fuit Festi sententia. Sic *exinde, perinde, proinde, subinde;* quae etiam tempus significant. Nam pro *postea* vel *deinceps* veterea usurparunt. *Dac.*

Deincipem. Apuleius dixit *deincipem sermonem. Scal.* Vide supra s. v. *Deinceps.*

Diomedis campi. Ad Aufidum flumen, ubi Cannae, vicus Romanorum clade nobilis. *Dac.*

Diomedea insula. Circa Timavum fontem. Hodie *Belforte. Dac.*

Depontani. Qui sexaginta annos nati de ponte in Tiberim praecipitabantur. Cic. pro Sext. Rosc. (c. 35.): *Habeo etiam dicere quem contra morem maiorem minorem annis LX. de ponte in Tiberim deiecit.* Varro sexagesimo: *Vix ecfatus erat cum more maiorum ultro Casnares arripiunt, de ponte in Tiberim deturbant, senibus crassis heu muli non videmus quid faciant. Nam quis patrem nunc decem annos natus non modo aufert, seu tollit nisi veneno?* Vide *argeos* et *sexagenarios Dac.* Cf. Nonium p. 86. v. *Carnales* ibique notas Gothofr. et Scaligeri od Varron. Coni. pag. 117. seq.

Desiderare. Proprie cum sideris tempus desiit, unde et desiderari dicuntur quae desunt. Vide *considerare* et *praesiderare. Dac.*

Defomicatum. Defomitatum. Quod de fomite excutitur, est autem *fomes* materies arida ad ignescendum apta. Virg. (Aen. I, 180.): — *Rapuitque in fomite flammam. Fomes* a *foveo*, quod fomite foveri solerent. *Dac. Defomitatum.* Defomicatum. *Goth.*

Depeculatus. Legendum: *Depeculatus a peculatu dicitur.* Quod sequentibus confirmatur. Veteres Graecorum magistri: *Depeculatio*, νοσφισμὸς δημοσίων χρημάτων. *Scal.* *Peculari* et *depeculari* est furari, et

de furto publico proprie dicitur; nam is qui populum fraudat, peculatus, hoc est, furti publici poena tenetur. Inde autem vox peculari tracta est, quod cum antiquitus opes fere in pecoribus consisterent, multae pecore dicebantur, quarum si aversa pecunia esset *peculatus* committebatur. Vide *peculatus* *Dac.* *A pecore;* a peculatu. Hinc *depeculassere* Nonio (pag. 97. Merc.) ad eam formam Deargentassere. *Goth.*

Decultarunt. Vide *deactio.* *Dac.* Ut particula *De* augeat; ut in verbo *depolitum.* L. 1. ff. depositi. Sic infra *Dedita* valde data. *Goth.*

Decalicatum. A Graeco κάλιξ, calix, calicare, decalicare. Vide *Calicata.* *Dac.* Quod et Calicatum, ut supra Calicata aedificia. *Goth.* *Decalicare* verbum fortasse restituendum Lucilio apud Nonium pag. 97. Merc. ubi sic lege:

Dépeculassere áliqua sperans mé ac deargentássere;
Décalicassere átque eburno spéculo depeculássere.

Dium fulgur. Iovi diurna fulmina, Summano nocturna veteres tribuebant, quod ille diei, hic tenebrarum pater; est enim *Summanus* Pluto. Gloss. Κεραυνοβόλιον ἡμερινόν. Κεραυνοβόλιον ἀπὸ πρωῒ νυκτερινόν, *fulgur Summanum.* *Provorsum* vero fulgur dicebatur, quod incertum erat, noctu an interdiu factum esset, quapropter Iovi fulguratori et Summano sacrificabant. Vide *provorsum.* *Dac.* Glossis *Dium* ἀστραπή. *Goth.* Cf. quae supra ad *Dium* diximus. *Dium fulgur* est diurnum.

Dicassit. Dicaverit, i. e. dixerit. *Dicare* enim et *dicere* pro eodem veteres usurpabant. Unde *dedicare* supra exposuit *dicendo deferre*, et post *profanum*, *Deo dicta*, i. e. *Deo dicata.* Et in illo Virgilii VIII. Aen. (344.): *Lupercal Parrhasio dictum Panos de more Lycaei.* *Dictum*, inquit Servius, *dicatum*, *consecratum.* *Dac.* Gloss. *Dicassit* συνεχῶς λέγει; et alio loco *Dicassit*, ἐπαγορεύει. *Goth.*

AD LIBRUM V.

Elucum. Pro ipso affectu Tertullianus in libro de corona (c. 7.), cum ait: *ab eluco defensare*, id enim est ἀπὸ τῆς ἑωλοκρασίας. Et Gell. lib. XVI, cap. 12.: *Tarditatem animi et stuporem*, *qui hallucinantibus plerumque usu venit.* *Scal.* A Graeco ἕωλος *hesternus* Festus videtur deducere transposito *l* et addito *c*, ita ut is *elucus* dicatur, qui hesterno vino, hesternis epulis languet, unde et infra lib. VIII.: *Helucum* ab hiatu et oscitatione dictum scribit. At Gellius l. c. *Cloatius Verus*, inquit, *alucinari factum scribit ex eo*, *quod dicitur Graece ἀλύειν*, *unde elucum quoque esse putat*, *a litera in e conversa.* Unde colligimus, elucum non solum languidum, semisomnum, allucinatorem sive halonem significare, sed etiam morbum vel affectum ipsum ob hesterni vini repletionem, quem Graeci ἑωλοκρασίαν vocant. Sic Tertullianus l. c. De etymo autem Festo potius assentior, nisi malis *elucum* esse quasi *eluce*, id est *sine luce.* De *alucinari* vide *Alucinatio.* Sed omnino *elucus* est ex Graeco ἠλυγός. Tardum et hebetem significat proprie, vel tarditatem ac stuporem. Ἠλυγὰ ὄρη apud poetam veterem τὰ ἐν σκότῳ κατεχόμενα. Hinc ἠλυγός, homo elucus, hoc est ὁ ἐπεσκιασμένος, tarditate ac stupore obsessus et oppressus; sed et pro ipso affectu sumitur. Haec Salmas. in Solin. *Dac.*

Emere. Vide supra *Abemito.* *Dac.*

Elices. Glossarium: *Elix* ἀναπνοὴ ὀχετοῦ. *Elicatores* ὑδροσκόποι. Male putantur dici ἕλικες Graece in lib. I. D. de aqua et aquae pluv. in Pandectis Florentinis. Neque enim, ut puto, unquam id Ulpianus scripserat. *Scal.* Ab eliciendo elices dicti sulci, per quos aqua e liris, id est sulcis minoribus extra segetem educitur. Colum. lib. II. cap. 8.: *Sed quamvis tempestive sementis confecta erit*, *cavebitur tamen*, *ut patentes liras crebrosque sulcos aquarios*, *quos nonnulli elices vocant*, *faciamus* *Dac.* Vide infra *Incillae*, *Inlices*, *Inlicium.* De elicibus dixi ad l. 1. § 9. ff. de aqua et aquae pluvia. *Goth.*

Ennam. Exempla desidero *Dac.* Puto scribendum esse *En iam*, ut *En* sit particula interrogativa, quae in formula *En unquam* aliisque saepe apud Livium legitur. Cf. infra.

Elaudare. *Laudare*, nominare. *E* est intensivum. Sic *emirari* maius est, quam *mirari.* Horat. (Od. I, 5, 8.): — *emirabitur insolens.* Ubi olim plura. *Dac.*

Elecebrae. Plautus Menaechmis (II, 3, 26.):

Nam ita sunt hic meretrices omnes elecebrae argentariae.

Vulgo *illecebrae argentariae* legitur. *Scal.*

Electabo eliciam. Plaut. Asinar. II, 2, (29.):

Quae istaec praeda est? ibo advorsum atque electabo, quicquid est.

Vide *Adlicit* et *Lacit.* *Dac.*

Enunquam. Gloss.: *Enunquam εἴ ποτε καί ποτε.* Livius lib. X. (c. 8.): *Enunquam fando audistis, patricios primo esse factos, non de coelo demissos.* *Dac.*

Emussitata. Adamussim facta. Recte respicit locum Plauti Mil. Glor. III, 1, (37.):

Si albus capillus hic videtur, neutiquam ingenio est senex
Inest in hoc amussitata sua sibi ingenua indoles.

Ubi ex Festo legendum *emussitata*, ut et in Aldina legitur et apud Nonium in voce *examussim* (pag. 9. Merc.). Malim tamen *amussitata*, ut in antiquissima Veneta. Et facile apud Festum et Nonium erratum fuisse crediderim, et *emussitata* pro *amussitata* operas posuisse. Etsi obstat series literarum (vide quae notavi ad Plaut. Mil. gl. III, 1, 38. p. 74. ed. Teubner.). Porro de primo versu Plauti, en tibi quod, etsi alienum videatur, non ingratum tamen fore confido. Is est ex Anacreonte ad verbum translatus Od. 48 :

Τρίχας γέρων μέν ἐστι
Τὰς δὲ φρένας νεάζει.

Dac. Fortasse uterque et Nonius et Festus prava apud Plautum scriptura decipi se passus est. Nam etiam Cod. Cam. II. in Plauti l. c. emussitata exhibet. *Amussis* vocabulum haud dubie descendit a Sanscrita radice *mas*, Germanica *messen*, unde *massis*, *messis* i. q. *μέτρον*, mensura, ex quo praefixa *a* vocali, ut saepe fit, *amussis*, ut apud Graecos *μέλγειν*, *ἀμολγός*, *μέρδω*, *ἀμέρδω*, (*μάω*) *ἀμάω* (meto, Sanscr. *mâ*), et alia.

Endoitium. Endoplorato, Endoprocinctu. Sic in XII. tab. *manum endoiacito* pro iniicito, et Ennius apud Ausonium in monosyllabis: *Endo suam do* pro in suam domum. Hac de causa, ut arbitror, in kalendario Augusti tempore confecto *en* pro interciso notatum est, quasi *endotercisum.* Vide *sub vos placo* et *struere.* *Ant. Aug.* Pro *in* veteres dicebant *endo.* Glossae *endo, ἐν, εἰς. Endotuetur* Ennius pro *intuetur.*

Endotuetur ibi lupu' femina, conspicio amens.

Dac. Gloss.: *Endoclusa, Endopicus, Endopetiscas, Endodocarit, Endofestabat, Endoribuum.* *Goth.*

Em, tum. Hanc glossam omittunt L. S. Dac. *Eri* exhibent pro *em* B. Gu. 1. Undecunque desumpta sit, non plane abiicienda esse videtur haec glossa. *Em* enim accusativus est a stirpe pronominali *es* (Sanscr. *ê*) unde genitivus *eius*, dativus *ei*, sicut *im* acc. a stirpe pronominali *is* (Sanscr. *i*). Iam quemadmodum *cum* et *quum* proprie nihil, nisi accusativi pronominis relativi, qui in adverbia transierunt temporalia, ita *em* accusativus in adverbium temporale abiit, significans *eo tempore, tum.* Etenim ipsum *tum* nihil est nisi accusativus antiqui pronominis demonstrativi, quod ex parte adhuc in Graeco sermone super est: *τόν, τήν, τό*, et in reliquis formis. Haud dubie igitur scribendum *em*, non *erim*, nec *eri*, licet infra in v. *Nec erim*, interpretationem adiecerit Paullus *Nec eum.* Nimirum etiam ibi scribendum *Nec em.*

Empanda. Paganorum, hoc est agricolarum dea, in cuius honorem Paganalia festa mense Ianuario peragebantur, eadem, quae Ceres ex Varrone apud Nonium (pag. 44. Merc.) in *Pandere: Varro*, inquit, *existimat ea causa dici, quod qui ope indigerent, et ad asylum Cereris confugissent, panis daretur; pandere ergo, quasi panem dare, et quod nunquam fanum talibus clauderetur. De vita populi Rom. lib. I. Hanc deam Aelius putat esse Cererem, sed quod in asylum qui confugisset, panis daretur, esse nomen fictum a pane dando pandere, hoc est aperire.* Non dubium est, quin Pandam sive Empandam Deam intellexerit. Sed eam Scaliger a latitudine Empandam dictam putat; nam et *εὐρύστερνος* dicebatur. At Varro a pandendo. Eandem Aelius Cererem, Scaliger Palem. Ab utraque tamen diversam facere videtur Varro his versibus:

Te Anna et Perenna, Panda καὶ Λατῶ, Pales,
Nerienes, Minerva, Fortuna ac Ceres.

Eam alii pacis Deam. Gloss. Panda *εἰρήνης θεός.* Cui non immerito a pandendo Panda nomen datum est. *Dac.* Locus, quem Dac. ex Varrone citat, legitur apud A. Gellium XIII, 21. et sic scribendus esse videtur:

Te Anna et Perenna, Panda, te Lato, Pales,
Neriene, te Minerva, Fortuna ac Ceres.

Emem. Vide infra *em.* *Dac.*

Elumbum. Elumbem. Vide *Elinguem.* *Dac.* *Evulso;* avulso. *Goth.*

Elinguem. Sic supra *elumbem, avulso lumbo. Elinguare* dixit Plautus linguam praecidere. Aulul. II, 2, (72.):

Si hercle egote non elinguandam dedero usque ab radicibus.

Dac. Hinc glossis *Elinguatio* γλωσσοτομία. *Goth.*

Elacatena. Plin. lib. XXXII, cap. ult. helacatenes piscis nomen esse ait. De melandrya vero Varro lib. IV. de Ling. Lat. (V, 12, p. 82. Sp.) Plin. lib. IX. cap. 15. Athen. lib. III. c. 20. *Ant. Aug.* Elacate et Elacatena piscis ex thunnorum genere, saliri solitus, unde Festus exponit *salsamenti genus.* Athenaeus lib. VII.: ἠλακατῆνες ἰχθῦς κητώδεις, ἐπιτήδειοι εἰς ταριχείαν. Vulgo vocantur *melandria.* Leg. *melandrya,* μηλάνδρυα Graece pulpamenta thynnorum. *Dac.*

Enubro. Glossarium: *Enibra,* ἐναντία. *Embrum* πραγμάτιος ἐπιβλαβής. Lege: *Enibrum* πράγματος ἐπιβλαβές. *Eniber picus,* ὄρνις πονηρά. *Inebra* ὄρνεον μαντευτικόν. Servius in Fragmentis: *Certa genera avium ab auguribus appellantur, quae pennis vel volatu omnia possunt facere: quae si fuerint prosperae, praepetes: si adversae, inebrae dicuntur. Scal. Enuber* autem sive *eniber, enuber* vel *ineber* ab inhibendo, ut a prohibendo *proeber.* Vide *inebrae. Dac.*

Elixa. Quae in aqua cocta sunt, a liquore, quem *lix* dicebant. Id sentit Varro lib. IV. de L. L. (V, p. 113. Sp.): *Elixum est a liquore aquae deductum. Dac.*

Endoplorato. Glossarium: *Endoplorato,* ἐπικάλεσον. *Scal. Implorare est inclamare, ad auxilium invocare.* Festus. Item *plorare flere, inclamare.* In leg. Rom.: *Si parentem puer verberet, ast olle plorassit,* id est clamaverit, ad auxilium vocaverit. Locum adi. *Dac.* Alii *edendo plorato.* Adde infra *Sub vos placo. Goth.*

Endo procinctu. Ita exple in Glossario: *Endo procinctu* ἐζωμένοι ἐν πολέμῳ. Exponit *endo* ἐνείς, lege: ἐν, εἰς. *Endopicus,* ἀνωθεῖς ἐνδωτέρω lege: *endo,* ἄνω, εἰς, ἐνδωτέρω. Nam τὸ *Picus* sequenti voci adiungendum: *Eniber picus,* ὄρνις πονηρά. *Scal. In procinctu* dicebantur milites, cum se ad pugnandum cinxerant. Nam veteres Romani cinctuti pugnabant. Inde Cethegi dicti *cinctuti.* Vide Horat. in arte (50.). *Dac.* Vide infra *in procinctu,* et excerpta nostra ex glossis. *Goth. Incincti;* succincti. *Idem.*

Emptivum. Emptivi milites, qui mercede conducti militabant. *Dac.*

Emancipati. Emancipatus. Eleganter veterum glossae: *Emancipatio* ἐξοικείωσις. *Emancipatus* χεράφετος. *Emancipatio* χεραφεσία. *Scal.* Filii dicuntur emancipati, qui e patris manu exeunt, ut sui fiant dominii, vel ut in adoptivi patris potestatem transeant. Utrumque autem fit emancipatione, hoc est abalienatione vel exemptione e patria potestate, ex solenni iuris Romani formula. *Dac.* Adde Ulpianum Titul. 10. et quae scripsi ad l. 9. Cod. de emancipat. liberorum. *Goth. Qui aliorum fiunt dominii.* Alii *domini* legunt pro *dominii.* Neutrum recte. Origo erroris non ab alio, quam Festo. Emancipare enim hoc postremo significatu videtur accipere pro mancipare, cum sint illa duo contraria; tametsi confunduntur interdum illa duo. Sic apud Nonium (pag. 105. Merc.): *Senectus nemini emancipata* (Cic. Cato Mai. 11, 38.) idem ac senectus nemini mancipata, idque etiam non sine aliquo respectu dicitur. Nam qui quid mancipat, alteri id mancipat; nec mancipatio ulla sine emancipatione; ut nec venditio sine emptione. *Goth.*

Eum. Ut dominûm pro dominorum, et supra *Cistophorûm, Cistophororum.* Neque tamen id contractione, ut volunt Grammatici, sed Graecae flexionis imitatione factum est. *Dac.* Neque Graeca est illa flexio, sed fuit communis omnium genitivorum in numero plurali, priusquam declinationes et genera distinguerentur. Ita in Sanscrito sermone Genitivus pluralis in *âm* exit, quae syllaba interdum proxime themati adiungitur, interdum interposita *n* littera adnectitur, ex certis legibus, quas hoc loco afferre non attinet.

Em. A poetico *νίν*, sive *μίν* dixere *im* eum, et *em,* unde *emem,* eundem, eum ipsum. *Dac.* Adde infra *Im. Goth.* Vide quae supra diximus ad glossam *Em, tum.*

Egeriae. Lege in fine: *Conceptum alvo egerere.* (Occupatum hoc iam fuit a Turnebo Adv. III, 5. teste Dukero ad Flor. I, 2, 3.) Egeria haec diversa videtur ab Egeria Numae uxore. Fuerit forsan ipsa Iuno, ab *egerendo* dicta *Egeria.* Tamen nihil tale in veterum monimentis me legisse memini. In glossis Isidori *Egeria* exponitur *noxia,* quod sane non praetereundum fuit. *Dac.* Aegeriae; alii ἡγερίῳ. *Goth. Conceptam;* conceptum. *Idem.*

Escariae. L. m. habet *qua in sacrificando* pro *quae* et post: *Escendere, egredi,* amplius quam in vulgatis. *Fulv. Urs.* Ab *esca escariae* dictae, ut a *cibo cibillae* Varro lib. IV. (De L. L. V, 25. p. 123. Sp.): *Mensam escariam cibillam* (*cillibam*) *appellabant. Ea erat quadrata, ut etiam in castris est, a cibo cibilla* (*cilliba*) *dicta, postea rotunda facta. Dac. Anclabris.* Lege: *Anclabris ea qua.* Et ita liber antiquus Fulv.

Ursini. Ultima verba *quod est hauritur ministraturque* a Paulo esse suspicor. Neque enim *anclare* haurire significat et ministrare, sed ministrare tantum et est ab *anculare. Anclare* vero pro haurire per librariorum incogitantiam scriptum est pro *antlare*, quod est a Graeco *ἀντλεῖν*. Vide *anclabris* et *anclare* suo loco. *Dac.* Vide Nonium libro quarto (pag. 292. s. v. *Exantlare.*). *Goth.*

Escit. Vide infra in *Obescit* et in *Superescit*, *supererit. Fulv. Urs.* Vide *Nec* coniunctionem. *Ant. Aug.* In XII. tab.: *Si morbus aevitasve vitium escit.* Ita Lucret. (I, 612.). Ita etiam Virgil. (Aen. VIII, 64.):

Hic mihi magna domus celsis caput urbibus escit.

De quo abunde apud Horatium diximus. *Dac. Escit*; esit. *Goth.* Legitimum futurum priscum fuit *eso*, quod Graecorum *ἔσομαι* satis docet. Id solita mutatione in *ero* conversum, quod postea solum in usu remansit; sed Varro De L. L. VII, 3, pag. 312. e carminibus Saliaribus affert *eso*, quare de usu huius formae dubitari nequit. Unde vero *esco* venerit, hucusque nemo enucleare potuit. Et hoc rursum loco mirari licet consanguinitatem, quae Latino et Sanscrito sermonibus intercedit. Nam in Sanscrito sermone futurum secundum verbi *as*, esse, sonaret, si inveniretur, *asjami*, ex quo solita mutatione, terminatione *ami* in o mutata, *asjo*, *esco.* Remansit igitur in Latino sermone, quod serior Indorum lingua amisit, futurum secundum a radice *as*, *esse*, deflexum; sed apud Indos in usum venit futurum a radice *bhu*, quod sonat *bhavasjami*, quod Latine sonat *fuvesco*, *fuesco*, pro quo *fueso* dictum esse videtur, ex quo *fuero* factum, quod postea ut futurum exactum usurpari coepit.

Eapse. Ea ipsa. Plaut. Cist. I, 2. (17.):

Puerum aut puellam alicunde ut reperirem sibi
Recens natum, eapse quod sibi supponeret.

Sic *eampse*, eam ipsam. Idem Trucul. I, 2. (30.):

Quia te adducturum huc dixeras eum ipsum non eampse.

(Lege apud Plautum: *eumpse non eampse.*). *Dac.* Glossis: *Ea ipsa ἐκείνη αὐτή. Goth.*

Evelatum. Ventilabra appellat Columella lib. II. cap. 10. et Varro de L. L. lib. (V, 141.) *Ant. Aug.* An a *velo*, quod velo aliquoties ad ventilandum uterentur? an *Evelatum* per syncopem pro *eventilatum* et *velabra* pro *ventilabra?* nihil aliud video. Sed optime Salmas. in Solin. legendum docuit *evallatum*, *eventilatum*, *unde valli*, *quibus* etc. A *vannus* diminutive *vollus*, unde *evallare* pro *evannare.* foras eiicere. Frustra sunt Grammatici, qui a vallo castrorum deducunt. Inde *evallefacere.* Vide *vallescit* et *valvoli. Dac.*

Egens. Festo consentit Isidorus, cui *egens* dicitur sine gente et sine genere. Sed potius ab *egeo*, ut ab *indigeo* indigens. *Dac.*

Eiuratio. Est recusatio, cum negamus ea praestare, quae a nobis petuntur. Sic *eiuravit militiam*, id est militiam recusavit. *Eiurare forum*, *provinciam* Cicero (in Verr. III, 60, 197.). Sic *eiurare bonam copiam* dicebatur is, qui iureiurando affirmabat, se in bonis non habere, unde aes alienum solveret. Cic. Ep. ad Fam. (IX, 16.): *Tu quod mihi bonam copiam eiures, nihil est. Dac.* Glossis: *Eiurat ἐξομνύει.* Hinc etiam *Deiurium* Gell. VII, 18. *Goth.* Plauti locum quaere inter eius Fragmenta ex amissis Comoediis servata. Ceterum de formula *eiurare aliquid* cf. Parei lexicon Plautinum, ubi plura exempla excitata sunt. Adde Barnab. Brisson. p. 715.

Everriator. Ab everrendo, purgando, *everriator*, *exverrae* vel *exverriae.* Erant autem exverriae februi genus, quo purgabant familiam iusta facientes ad digitum, quem mortuo absciderant, antequam reliquum corpus combureretur. In olim excusis pro *exverrae* legitur *exvertae*, quod probat Meursius pro *exversae*, id est *exversiones*, quas fieri etiam in aedibus puerperarum idem notavit ex Augustino de civit. D. lib. VI. cap. 9. *Dac. Qui accepta iure haereditate iusta facere debet.* Huc adiiciendum ex verbo *Haerem* infra antiquos accepta haereditate *Herem Marteam* coluisse. *Goth.*

Egretus et adgretus. Verbum Graecum, quod Festus intelligit, est *ἐγείρομαι*, surgo. Sed falsum est ab eo esse *egrettus* et *adgrettus*, quae a *gradior* et praepositione *e* vel *ad.* De *nyctegresia* quidem verum, transposita litera ρ pro *nyctegersia. Dac.* Vide supra *Adgrettus. Goth. Surgendo*; sugrediendo. *Idem.*

Eccere. Veteres glossae: *Eccere κατὰ τῆς Δήμητρος. Scal.* Sic *Aedepol* per Pollucem, *Aecastor* per Castorem. Terent. Phorm. II, 2. (5.): *Eccere quid si reddet.* Alii volunt dici quasi *ecce rem*, ut Charisius (lib. II, pag. 198. Fabr.) et Nannius lib. II. Miscell. cap. 21. sed frustra. Vide *Mecastor. Dac.* Sic infra *Equirine* per Quirinum. Glossis: *Eccere*, *ἰδού. Goth.*

Eamus. Potius a Graeco ἴωμεν, ab ἴω eo, vado. *Dac.* Modus potentialis Sanscritus plerumque coniunctivo Latino praesentis respondet, quapropter Sanscritum *ijam* Latinorum est *eam.* Non absimilis est prima persona pluralis imperativi, quae quum in Sanscrito sermone vel *aiâma* vel *iâma;* apud Latinos *eamus* sonat.

Europam. Legendum: *Et navem, quae Iovis tutelam effigie Tauri habuerit.* Notum, quid sit *tutela* in navi. Vetus glossarium: *Tutela* παράσημον τοῦ πλοίου. Tutelas navium a Phoenicibus παταίκους dici, auctor Herodotus (III, 37.), hoc est caelaturas καὶ ἐκτυπώσεις. Qui Hebraice scit, non negabit verum esse, quod dicimus. Nam nemo paullo doctior dubitat, Phoenices Hebraice locutos. *Scal.* Veteres alii in tres partes, in duas alii totum orbem dividebant. Sallust. Iug. (17.): *In divisione orbis terrae plerique in parte tertia Africam posuere, pauci tantummodo Asiam et Europam esse, sed Africam in Europa.* Varro de L. L. lib. IV. (V, 6. p. 46. Sp.): *Terra in Asiam et Europam; Asia enim iacet ad meridiem et austrum, Europa ad septentrionem et aquilonem.* Ubi notandum Varronem Africam in Asia ponere, contra quod supra Sallust. De hac postrema divisione intelligendus locus Horatii Od. III, 27. (75.): — *tua sectus orbis Nomina ducet. Sectus* i. e. divisus in duas partes. Europae autem nomen esse ab Europa, Agenoris filia, scriptores fere omnes tradunt. Vide tamen Eustath. in Dionys. Sed verum est Europae nomen Phoenicibus deberi, qui Europam dicebant *Ur-appa,* quasi terram λευκοπρόσωπον, quia Europaei Africanos candore faciei multum superant, unde et Europa ipsa Cadmi soror dicta est, quasi *alba facie* virgo. De Europae raptu variant sententiae, ut hic Festus refert, cui addere potes, si lubet, eam raptam fuisse navi, quae taurus dicebatur, ex Polluce lib. I. cap. 9.: Ἔστι δέ τινα πλοῖα Λίβυα λεγόμενα κριοὶ καὶ τράγοι, ὡς εἰκάζειν, ὅτι τοιοῦτον ἦν πλοῖον καὶ ὁ ταῦρος, ὁ τὴν Εὐρώπην ἀγαγών. Item ex Palaephato, Taurum hunc Cretensium regem fuisse, qui occupata Tyro Europam inter alias virgines rapuit. Τὸ δὲ ἀληθὲς, inquit, ἔχει ὧδε. Ἀνὴρ Κνώσιος ὀνόματι Ταῦρος ἐπολέμει τῇ Τυρίᾳ χώρᾳ· τελευταῖον δ' ἐκ Τύρου ἥρπασεν ἄλλας τε κόρας καὶ δὴ καὶ τὴν τοῦ βασιλέως θυγατέρα Εὐρώπην, ἔλεγον οὖν οἱ ἄνθρωποι, Εὐρώπην τὴν τοῦ βασιλέως Ταῦρος ἔχων ᾤχετο. τούτου δὲ γενομένου προσανεπλάσθη ὁ μῦθος. Huius Tauri regis meminit Eustath. in Dionys. Meminit et scriptor chronici Alexandrini, aitque eum occupata Tyro rapuisse Europam et tori consortem fecisse. *Dac. Quae Iovis tutelam effigiem tauri.* Lege cum Scaligero: *Quae Iovis tutelam effigie tauri.* Sed foedius mendum latet. Quippe legendum: *Et nave, quae* etc. Ait enim Agenoris filiam nave delatam in eam regionem, nempe Europam. Nihil certius. Lege modo. Tutela dicebatur in navi, ubi Deorum effigies caelabantur, in puppi scilicet, non in prora, ut quibusdam persuasum. Ovid. in Epist. (XVI, 112.):

Accipit et pictos puppis ad unca Deos.

Virgil. X. Aen. (171.):

Et aurato fulgebat Apolline puppis.

Tutelam et parasemon perperam confundunt viri docti, quae et loco et significatione differunt. Tutela semper in puppi; parasemon semper in prora, nempe animalium, ut plurimum; aliquando etiam rei cuiuslibet effigies, sive pictura, supra rostra posita. Unde navibus nomen apud Virgil. (Aen. X, 166.):

Massicus aerata princeps secat aequora tigri.

Navis tigris dicta, quod tigrem haberet pro parasemo. Sic apud eundem *pristis, chimaera, Centaurus, Scylla* naves dictae. Sic navis Bellerophontis dicta *Pegasus,* quod ei equus alatus erat insigne. Navis autem, quae Europam vexit, tutelam Iovis habuit sub effigie tauri. Unde et navis *taurus* dicta. Verum Agatharchides Gnidius in Europicis ait, non in tutela navis, sed in parasemo, in prora, taurum fuisse depictum. Inde fulciri possit sententia eruditissimi Salmasii, qui legebat in verbis Festi: *alii eam a praedonibus raptam et nave, quae Iovis tutelam effigiem tauri habuerit,* quasi Festus separet Iovis tutelam, quae in puppi, ab effigie tauri, quae parasemon erat in prora. *Dac.*

Epolonos. Apud Romanos is mos erat, ut placandae alicuius dei irae epulae, convivia in illius templo exhiberentur; quae alio nomine *lectisternia* dicebantur, quod diis epulaturis lecti sternerentur. Et iis conviviis procurandis praeerant triumviri Epuloni dicti, qui postea septemviri, tandem decemviri facti sunt. *Epolonos* autem antiqua scribendi consuetudine, qua *epolas* pro *epulas* etc. *Dac. Epulones.* Epulares. *Goth.* Cf. Creuzer. Antt. Rom. et quos ibi citatos reperies.

Eudiaeon. Εὐδίαιον. Ab eo *Eugium* dixerunt Latini. Lucillius Epodis:

Hymnis sine eugio ac distina.

Imitatio Graecorum. Vide Hesych. εὐδίαιον. *Scal.* Εὐδίαιον proprie foramen navis, per quod effluunt cum

pluviae aquae, tum quae ex sentina exhauriuntur. Unde per metaphoram sic dicitur filum illud lineum, per quod *κλυσμός* (sic enim legendum est, non *κλιμός*) emittitur. *Ἐνδίαιον* ab *εὖ* et *διαίνω* irrigo. *Dac.*

Euboicum. Talentum Babylonicum est septuaginta minarum Euboicarum, ut Herodotus scribit lib. III. (cap. 95.) et Atticarum minarum septuaginta duarum, ut Aelianus affirmat lib. I. cap. 22. de v. h. Omne autem talentum est sexaginta minarum; minae autem singulae centenas drachmas continent, ut Africanus et Iulius Pollux scribunt. Sic fit, ut Euboicum talentum sit sexaginta minarum Euboicarum et totidem millia denariorum, ut verbo *Talentorum* Festus scribit, quod etiam Plin. ait lib. XXXV. cap. 11. et Athen. lib. IV. cap. 6. et Pollux lib. IX. Itaque si LXX. minae Euboicae aestimantur LXXII. Atticis et eadem proportio est in drachmis sive denariis, triginta quinque drachmae Euboicae aestimantur Atticis drachmis triginta sex. Talentum vero Euboicum aestimatur drachmis Atticis, sive denariis centum et septuaginta uno, supra sex millia. Mendose igitur Festus ait quattuor millibus denariorum aestimari. Quod vero ad cistophoros attinet, nihil a me certi statui potest. Non ignoro Pollucem dicere Babylonicum talentum aestimari septem millibus drachmarum Atticarum; sed mihi vero similior videtur Aeliani opinio, ut Euboicae minae ab Atticis differant. *Ant. Aug.* Falsissimus videtur hic locus, nam cistophorus non multo plus, quam denarii dimidium continet. Euboicum autem talentum talento Attico minus est tribus minis et triente. Atticum continet sexaginta minas, hoc est sex millia denariorum, ut infra in *Talentum.* Sunt igitur Euboico talento minae 56. et bes, hoc est sexcenta et sexaginta sex supra quinque denariorum millia. Ergo Cistophorûm maior, quam septem millium et quingentorum debet esse numerus, adeoque maior etiam, quam *quatuor millium denariorum*, quod ex supradictis facile cognoscitur. Euboicum talentum aureos nostros capit 556. paulo plus; Atticum 600. Cistophorus Asiaticae pecuniae genus, sic dictus, quod expressos haberet cistigeros, qui sacrorum arcana cistis inclusa gestabant. Euboicum autem talentum dictum non ab Euboea insula, sed ab Euboea Argolidis loco, ubi Phidon pondera et mensuras invenit primusque nummos argenteos et aureos cudere instituit. *Dac.*

Extrarium. *Extrarius* et *Extraneus* nullo modo differunt. Sic *proletarius* et *proletaneus* dicebant, *praesentarius* et *praesentaneus*, *vicarius* et *vicaneus* et similia. Sic extrarius et extraneus haeres, qui nullo cognationis vinculo testatori iungitur. Infra legendum: *Qui extra focum, sacra familiae iusque sit.* Extrariis opponuntur sui haeredes, qui sunt in sacris patrisfamiliae. *Dac.* Unde liberi in sacris paternis constituti leguntur passim in iure. De quo dicam ad legem ult. Cod. ad Tertullianum. *Goth.*

Exta. Quasi *exsecta*, ab exsecando, et non ab extando, ut putat Festus. Inde *extar* in glossario, olla, ubi exta coquebantur. *Dac.* Adde de extis Regalibus infra *Regalia. Goth.* Ab *ex* praepositione sit adiectivum *extus*, unde comparativus *exterus*, superlativus *extimus.* Verum igitur Festi etymon esse videtur, nisi quod magis ab *ex* praep. quam ab *exstando* derivari dicendum erat.

Extimum. *Extimum promontorium.* Plin. (H. N. V, 1, 1.). *Dac.* Adde notata adv. *Ad Exitam* seu *Ad Extimam. Goth.*

Exterraneus. Frustra est Festus, qui a *terra* et praeposit. *ex exterraneum* dictum putat. Nam est ab *extra*, pro quo prius dicebant *extera.* Ita *exterraneus*, qui postea *extraneus. Dac.*

Exterraneus quoque. Hic locus sic melius in quibusdam codd. conceptus est: *Exterricineus quoque dicitur, qui ante tempus natus vel potius eiectus est. Dictus autem exterricineus, quod eum mater exterrita alvo deiecit.* Ab exterrendo *exterricineus* dictus, quem exterrita mater eiecit. Graeci vocant *ἔκτρωμα* et *ἐξάμβλωμα.* Et differt ab eo, quem Graeci vocant *ἠλιτόμηνον*, qui ante exactos menses natus est, ut apud poetas Eurystheus. *Dac.*

Externus. Ab *exter exterus*, unde *externus. Dac. Alienae;* alienus vel alius. *Goth.* Ab *ex extus*, *exterus*, *externus*, *extimus.* Est enim in Sanscrito sermone legitima comparativi forma in *taras* desinens, superlativi in *tamas*, quorum illa cum Latinorum *terus*, Graecorum *τερος*, haec vero Latinorum *timus* in *extimus*, *ultimus*, *infimus*, *intimus* convenit. Atque etiam in Sanscrito sermone praepositiones sic inflectuntur. Vide supra *Exta.*

Experrectus. Pro *corrigendo se* videtur legendum *a porrigendo se. Ful. Urs.* Hic autem *porrigere* est pro *perregere*, unde *pergere.* Vide supra *Expergitus. Exporrigere* autem, unde per syncopen *expergere*, non a *porro agere*, ut infra Festus, sed a *per* et *rego* probat praeteritum *porrexi. Dac.* Nihil agit Dacerius. Recte Festus. Vide suo loco.

Expreta. Nihil mutandum. *Expreta* transposita litera pro *experta*, id est *experita. Experiri*, ex-

peritus, *expers*. Vide supra *experitus*. *Dac*. *Expreta*. Experta. *Goth*. Vocabulum *exspretus*, sive *expretus* hodie legitur in Plauti Bacch. III, 3, 42.:

It magister quasi lucerna uncto expretus linteo.

Ibi Salmasius *extertus*, pro *extersus*, legendum coniiciebat, Gronovius autem *spretus* proponebat, hac sententia: *Magister spretus*, h. e. irrisus et contemptus, *it uncto linteo*, hoc est, emplastro vel fomento fissorum curandorum gratia caput obsitus, quasi *laterna*, cui et ipsi linteum unctum praetenditur. Hactenus Gronovius. Libri Camerarii in scriptura *expretus* consentiunt, sed *expletus* exhibent Cod. Sur. Edd. Vett. Putabat Doederlinus *exspretus* ab *ex* et *sperno* dici posse, quasi *reiectus*, *contemtus*. Cf. Doederlin. Syn. Lat. III. Addend. pag. 323. seq. Ipse tamen subdubitare videtur, utrum haec lectio et vocabuli interpretatio sententiae poetae conveniat. Mihi non convenire videtur. Nulla enim alia esse loci sententia potest, nisi haec: Magister a puero verberatus vulneratusque uncto linteo hoc est emplastris expletus circuit, quasi lucerna uncto linteo, hoc est, filo et oleo expleta esse solet. Apertissime sententia requirit *expletus*, sed hoc verbum nihil est, nisi interpretamentum vetustissimae vocis *expretus*, quae idem significat. Est Sanscrita radix *pri*, quae et placere, satisfacere, et implere significat, a qua Latinorum verba *placere* et *plere* haud dubie descendunt. Eius participium et *prita* (nomin. *pritas*, *a*, *am*); at quid hoc est aliud, nisi Latinorum hoc *pretus*, unde seriores fecerunt *pletus*, quemadmodum ex radice *pri* fecerunt *plere*? Non igitur dubium esse videtur, *pretus* et *pletus* priscis Latinis perinde in usu fuisse, unde *expretus* pro *expletus* dixisse eosdem probabile est. Quae quum ita sint; non dubito, etiam apud Festum *Expreta* pro *expleta* esse accipienda, sed vocis potestatem aut a Festo non recte acceptam, aut a Paullo eius interpretationem non recte intellectam fuisse. Nam etiamsi *quasi experta habita* legas, nihil inde sani conficitur; apparet enim, Paullum, sive Festum, quod particula *quasi* ostendit, noluisse *expreta* sic simpliciter pro *experta* aut pro *expertia* accipi; aliter enim vix adiecisset *quasi*, et *habita*. Qua de caussa prorsus inutilis est Festi interpretatio, quippe quae ne satis quidem ostendat, quam sententiam vocabulo subesse voluerit. Ab isto antiquo *pretus* etiam vv. *interpres*, *interpretari* descendere, alibi dicam.

Excudere. *Excudo* et *procudo*, feriendo fabrico, elicio. Nam *cudere* est ferire, unde *incus*, quod illic aliquid fabri cudant, id est feriant. Quidam pro *cudendo* legunt *caedendo*. Sed nihil mutandum. *Dac*.

Explorare. Vide *endoplorato* et *plorare*. Inde *explorare*, inquirere, tentare; et *explorator*, qui inter hostes versatur et ex rumore eorum secreta cognoscit suisque renunciat. Et differt ab speculatore, qui ante exercitum speculandi gratia mittitur, hic munere belli honesto fungitur, ille saepius capitis poenas luit. Arrius Menander de re militari 1. Exploratores, qui secreta nuntiaverunt hostibus, proditores sunt et capitis poenas luunt. *Dac*. *Explorare* Doederlin. Synon. Lat. III, pag. 155. male a *pleco* derivat; ut fere idem sit, atque *explicare*. Verisimile est, *plorare* antiquitus petendi et flagitandi habuisse notionem, quare *implorare* fere idem quod *invocare*, *explorare* autem *elicere*, *exquirere* significasse videtur. Nam radice *fla*, *flag*, *plo*, *pla* omnem vehementiorem motionem et affectum, maxime petitionem indicasse Latinos, satis docent verba *flo*, *fleo*, *flagro*, *flagito*, *plaga*, *ploro*; et Graecorum πλέω, πλήττω, κλαίω, πλάζω eodem ducunt.

Expapillato. Vide *effafilato*. *Dac*. Adde Nonium (pag. 103. Merc.) in *Expapillato*. *Goth*.

Exbures. *Exbuae* dictae a *bua* infantium puerorum voce, unde *vinibuas* Lucillius *bibaces mulieres* vocat. Nisi auctoritas Festi intercederet, ego libentius *exuberes* ἀπογαλάκτους infantes interpretarer, quemadmodum contra *Sabuberes*, ὑπομαστίους, ut inveni in glossis Latinis. *Scal*. Veteres Latini *buere* et *imbuere* dicebant pro implere liquore, unde *bua* potio, quae propria puerorum vox est, qui cum volunt bibere *bu* priori syllaba contenti sunt, ut infra Festus in voce *imbutum*. Sed cur *exinteratas* interpretetur, non video, nisi significare velit mulieres, quae nimium epotae torquentur et quasi exenterantur et eviscerantur. *Dac*. Cod. Gu. II. exhibet *Exbures* et paullo post *Exburae*, in hoc postremo vocabulo cum vulgata faciens. Legendum existimo *Exbuves* et *Exbuvae*. Nimirum *vinibuas* dixisse Lucilium, refert Nonius pag. 81. Merc. Quare probabile est *exbues* et *exbuas* dixisse alios; sed interpositum esse digamma ab aliis, docet Sanscrita radix *piv*, quae in specialibus temporibus substituitur pro *pâ*, bibere. Id ipsum etiam docet lingua Francogallica hodierna, ubi formae *buvons*, *buvez*, *buvois*, *buveur*, *buvense* in usu sunt.

Exdorsua. Respicit locum Plauti Aulul. II, 9. (2.):

— — *tu Machaerio*
Congrum, *muraenam exdorsua*, *quantum potes*
Atque omnia, *dum absum hinc*, *exossata fac sient*

Verum apud Plautum mihi semper suspectum fuit *exdorsua;* neque enim dici posse putabam, quid esset in piscibus praeparandis *exdorsuare*, sive dorsum confringere, eximere. Quare legebam *exossua*, id sequentia suadebant, *quantum potes* et *exossata fac sient.* Itaque ubi illud primum in mentem venit, nec mora. Doctissimo et acutissimo ita et optimo viro Tanaquillo Fabro, nunc μακαρίτῃ, μουσαγέτῃ, tunc meo, eoque nomine, ut alia multa taceam, de me optime merito, meam suspicionem aperui; atque ille, ut erat facilis et mei amans, conatum laudare, hortari, mihique codicem suum ostendere, ubi illud idem manu sua vir doctissimus praenotarat. Adiecit etiam, ita semper de piscibus veteres locutos. Plaut. Amph. I, 1. (161. et alibi.):

Exossatum os esse oportet, quem probe percusseris,
Mirum nisi hic me quasi muraenam exossare cogitat,
Ultro istinc qui exossat homines. Perii si me aspexerit.

Et Pseudol. (I, 3, 147.):

Exossabo ego illum similiter itidem ut murenam.

Sic Terent. Adelph. III, 3. (24.):

Congrum istum maximum in aqua sinito ludere
Paulisper, ubi ego venero, exossabitur;
Prius nolo.

Haec propter Festi auctoritatem pluribus. *Dac.* Adde Nonium (pag. 17. Merc.) in *Exdorsuare. Goth.* Magnopere fallitur Dacerius. *Exossuare* non dicitur, sed *exossare.* Locus autem Plautinus verbum requirit tetrasyllabum.

Exfir. Exfit. Vide, quae olim in Coniectaneis (pag. 77.) super hoc diximus. *Scal.* A θύω adoleo, sacrifico, θ mutato in *f*, *fio*, a quo *exfio* et *suffio*, inde *suffitus*, *suffimentum*, *exfit.* Fabius Pictor apud Nonium (pag. 223. Merc.) in voce *Sal* aperte nos docet, quid sit *exfit. Exfit* inquit, est *sale sordidum, quod ustum est et in ollam rudem fritilem obiectum est. Postea id sal Virgines Vestales serra ferrea secant.* Hoc sal serra secatum in serram coniiciebant et in fusa aqua iugi muriem efficiebant. Vide *Muries. Dac.* Male apud Nonium (pag. 222.) *Tesfit* (ubi nunc editur: *muries fit ex sale*). *Goth. Suffitio* de suffitionibus dixi quaedam ad Varronem V. de L. L. (cf. notas Gothofredi ad Varr. pag. 34.). *Idem.* Cf. Gesnerus in thesauro sub v. *Exfir.* Mihi videtur syllaba *pur*, quae purgandi habet notionem, in *fir* mutata; ceterum vocabulum declinatum esse, ut *assir.*

Exlitius iudex, quem una pars eligit. Ita nova glossa legitur in Cod. Lipsiensi, cuius propter exiguam auctoritatem glossam istam non recepimus, quae ex nescio quo glossario ad marginem adscripta postea inter Paulli verba irrepsit. Scribendum: *Exlicius iudex.* De re ipsa nihil invenio.

Escendere. Excedere. Lege ut in veteri libro *escendere.* Glossae: *Escendit* συμβαίνει. *Dac.*

Experitus. Expers. A *periri*, quod est *conari*, *discere*, est *peritus.* Inde *experiri*, *experitus*, qui et *expertus*; vide *Expreta*, *expertia*, et *Expers.* Glossarium: *Expers* ἄπειρος καὶ ἔμπειρος. Et infra *Expertes*, ignari. Vides *experitum* esse expertem. Nam *ex* modo privativum, modo intensivum, ut *e*, *in* etc. *Dac.*

Explenunt. Ut *redinunt* pro *redeunt. Pleo* autem, unde *impleo*, *expleo*, *compleo*, *repleo*, a πλέος, plenus. *Dac.*

Exdutae. Legebam *exdutae*, *exutae*, sive potius *exduviae*, *exuviae.* Sed vulgata lectio retineri potest. Nam exuviae nihil aliud proprie, quam vestes exdutae, ut indutae, induviae. *Exduta* ab *exduo* Graece ἐκδύω et eliso *d*, *exuo*, *exuviae. Dac. Exdutae.* Exclutae. *Goth.*

Excipuum. Quod excipitur, seiungitur, separatur; *excipere* enim separare. Virgil. (Aen. IX, 270.): *Ipsum illum clypeum cristasque rubentes Excipiam sorti. Dac.* Aliud ab Excipulo, quod Glossis ἐκδοχεῖον. *Goth.*

Exciet. Cieo moveo a Graeco κινέω; *exciet*, exmovet et exmovebit, ut apud Plaut. Truc. I, 1. (59):

Suum nomen omne ex pectore exmovit meo.

Dac. Cio et *Cieo* a Sanscrita radice *khja*, voco, descendunt.

Expatare. Pacuvius: *Expatant se omnes, publiceque se ostendunt. Expatant se* id est *expatiantur.* Hoc vocabulum retinent Vascones, qui dicunt *s'espata*, *s'estendre*, *s'escarter. Dac.* Festus vitioso codice videtur usus et *Expatare* pro *Expatrare* legisse, quod Glossis ἐπιτελεῖν. *Goth.*

Exdecimata. Edecimata. Glossarium: *Decimata*, *Decumatum*, δόκιμον, ἐπίλεκτον. Tamen in aliis glossis: *Edecumatus* ἀδέκαστος, ἀδωροδόκητος. *Scal.* Quae e multis decima sive potius quae e decimis *decima* capiuntur, id est electa. Hesychius: Ἀδέκαστον, ἀδωροδόκητον. ὁ δεκάδας μὴ λαμβάνων. *Dac.*

Expectorat. Pacuvius in Epigono:

Eloquere proprie ac pavorem hunc meum expectora.

Hoc verbum damnare videtur Quinctil. lib. VIII, cap. 3.: *At veteres,* inquit, *ne expectorat quidem timuerunt.* Modestius tamen Cicero III. de Orat. (38, 54.): *Novantur autem verba, quae ab eo, qui dicit, ipso gignuntur, ac fiunt vel coniungendis verbis, ut haec.* *Dac.* Vide Nonium (p. 16. Merc.) in *Expectorare.* *Goth.*

Experrectus. Expergitus. Inter *expergitus* et *experrectus* hoc discrimen Festus statuit, ut ille sit, qui ab aliis excitatur, hic, qui per se vigilat. Aliter tamen Diomedes lib. I. (pag. 372. ed. Putsch.): *Expergitus,* inquit, *qui satiatus somno sponte vigilat, unde et Lucilius ait: Ergo et somno pueros cum mane expergitu' clamo. Experrectus autem a quiete impeditus. Unde Sallustius: interdum somno experrectus tumultum facere. Expergefactus porro est, qui per alium somno excitatur.* Ego vero crediderim, haec tria eadem esse, neque differre *experrectus* ab *experrego,* unde per syncopem factum *expergo.* *Expergitus* ab *expergo, expergiscor* *Expergefactus* ab *expergefio.* Vide infra. *Dac.* *Expergefactus* glossis ἐξυπνισθείς. Passive sumitur Gell. VI, 10.: *Ista re animos hominum expergebat.* *Goth.*

Effata. Vide *Effari.* *Dac.* Cf. Varro De L. L. VI, pag. 229. Sp.

Exporgere. Vide *experrectus.* *Dac.*

Exoletus. Glossarius: *Exoletus* ὑπέρακμος καὶ ἐξώλης. Legendum puto: *Καὶ* ἔξωρος. Idem: *Exoletus* τρίβακος. *Scal.* Vide *Adolesco;* inde *exoleti* dicuntur scorta mascula iam adulta. *Dac.* *Exoleo* παρακμάζω. *Exoleto* τριβακῶ. *Goth.* Vide quae diximus supra ad v. *Adolesco.* Voc. *olesco* Boppius (Gloss. Sanscr.) deducit a rad. *vridh,* quod non probabile.

Exanclare. Pro *exantlare.* Vide *Anclare.* *Dac.* Vide supra *Anclabris.* Adde Nonium (pag. 107. et 297. Merc.) in *Exanclare* duobus locis. *Goth.* Vidimus supra in notis ad v. *Anclare,* non proprie *exhaurire* significare hoc verbum, sed perferre, tolerare.

Examen. Σήκωμα Graeci, unde Latini *sacoma.* Vitruvius (IX, 3.). Vel *scama.* Glossarium: *Scama,* σήκωμα. Apud eundem auctorem: *Scava,* ζυγός. Lego: *Scama.* *Scal.* Lingula illa, quae in ansa huc atque illuc nutat, dum lancibus aequatis respondeat summo puncto. Quare optime Festus *aequamentum* dixit. *Dac.*

Exagogen. Exportationem, evectionem, a Graeco ἐξάγω educo. Plaut. Rud. II, 2. (17.):

Eamque eventuram exagogen Capuam salvam et sospitem.

Dac.

Exurgentes. Exugentes. *Exugo* pro *exsugo,* deperdita litera *s.* Vide *exercirent* et *exilica.* Verbo *Exugere* saepe utitur Plautus. *Dac.* Vide Nonium (pag. 479. Merc.) in *Exsugebo.* *Goth.* Retinendum fuit, quod Codd. Gu. II. et M. praebent: *Exurguentes,* prisca scriptura. Legitur verbum *exurgeo* apud Plautum Rud. IV, 3, 69. 70.: *Ego iam hic te, itidem quasi penicillus novus exurgeri solet, Ni hunc amittis, exurgebo, quicquid humoris tibi est.* Ubi Douza cum aliis *exugeri* et *exugebo,* quasi quis Laciniam tersoriam vel penicillum exsugere, et non potius exprimere velit. Cf. etiam Cat. de R. R. 156, 3.

Exgregiae. Vide *abgregare* et infra *eximium.* *Dac.*

Exodium. Mirum displicuisse hoc doctis viris, qui pro eo substituerint *Exodum.* Quam bene, ipsi viderint. Meminerant quippe, ἔξοδον a Graecis dici, non ἐξόδιον. At iidem debebant contra meminisse, πρόλογον a Graecis dici, non item προλόγιον, cum tamen Pacuvius *prologium* dixerit. Varro Hecatombe περὶ θυσιῶν: *Socrates cum in vinculis publicis esset et iam bibisset* κώνειον *in exodium vitae.* Idem ἕως ποτε περὶ ὡρῶν: *Vitae cursum ut agnoscere possem, et quae servitutis et libertatis ab origine ad exodium adductae.* Idem ταφῇ Μενίππου: *Quod coeperas modo in via narrare, ut ad exodium adducas.* *Scal.* Vide Nonium (pag. 27. Merc.). *Dac.*

Examussim. Quod ait, amussim ferramentum esse, quo utuntur fabri in poliendo, verum est. Inde enim *amussivum* Vitruvio (I, 6.). Varro Quaestionum Plautinarum lib. II.: *Amussis est aequamen, laevamentum.* Vetus Glossarium: *Examussim* ἔρευναι. Id potius conveniret voci *Examina.* *Scal.* Accurate. Plaut. prolog. Menaech. (50.):

Ut hanc rem vobis examussim disputem.

Dac. Vide Nonium (pag. 9. Merc.) in *Amussim.* *Goth.* Cf. quae supra diximus ad v. *Emussitata.*

Exuviae. Vide *Exdutae.* Exuviae dictae, quaecunque exuuntur, imo et alia etiam, ut *exuviae Deorum* infra in voce *Tensa.* *Dac.* Vide Nonium (pag. 458. Merc.) in *Exuviae.* *Goth.*

Exercitus. Militum copia *exercitus, ûs,* substant. quartae declinationis. At *exercitus, ta, tum,* adiect. negotiis districtus, impeditus, fatigatus. Plaut. Bacchid. (Hodie legitur inter Fragmm.): — *quae sodalem atque me exercitos habet.* Aliquando etiam *exercitus, huius exercitus,* pro exercitatione legitur, ut apud Plautum Rudent. II, 1. (7.):

Pro exercitu gymnastico et palaestrico hoc habemus.

Legitur et *exercitus, exerciti* pro exercitus, exercitûs. Varro de vita pop. Rom. lib. 2.: *Decius imperator pro exerciti salute se diis manibus devovit. Dac.* Vide Nonium (pag. 6. Merc.) in *Exercitum.*

Exomides. Ἐξωμίδες. Tunicae sic dictae vel quod ab humeris dependerent, sive quod humeri exererentur. Ἐξωμίδα ἐσθῆτα κωμικὴν vocat etiam Pollux lib. IV. Idem etiam innuit Hesych., sed non tantum comicam fuisse certum est. Gell. lib. VII. cap. 12.: *Romani primo quidem sine tunicis toga sola amicti fuerunt; postea substrictas et breves tunicas citra humerum desinentes habebant; quod genus Graeci dicunt exomidas.* Tria autem exomidum genera fuisse reperio. Primum fuit earum, quae sine manicis erant, cum uno tantum foramine, quo collum exserebant, quae proprie ἐξωμίδες. Alterum earum, quae duas manicas habebant, ἀμφιμάσχαλοι dictae et ingenuorum tantum propriae. Tertium earum, quae unam manicam duntaxat, et dicebantur ἑτερομάσχαλοι, et erant servorum. De his intelligendus Schol. Aristoph. cum ait ἐξωμίδας esse ἱμάτια δουλικὰ καὶ ἑτερομάσχαλα. Vide in ἀμφιμάσχαλος et ἑτερομάσχαλος. *Dac.*

Exiles. Legendum videtur *inarum* pro viarum, ut habet l. m. Vide in *Ilia. Fulv. Urs.* Quid sit *ina* in charta, diximus in libros Varronis de re rust. (III, 9, 11.) Plinius de chartarum generibus (XIII, 12.): *Deprehenditur et lentigo oculis; sed inserta mediis glutinamentis tenia fungo papyri bibula vix inis literae fundenti se* (legendum secundum Salmasium: *ina e iunco papyri bibulo, vix nisi littera fundenti se*) *tantum est fraudi.* Qui locus et perperam hodie legitur et male conceptus est a Melchiore Guillandio, qui in ea capita Plinii de papyro scripsit. At nos plura in eum dicemus, et errata hominis in omnes bonos scriptores debacchantis in medium proferemus. *Scal. Inae,* a Graeco ἶνες, hoc est subtilissimae incursantes venae, quales in chartis veterum et aliquando in nostris: ab *ina, inula,* unde *illa* vel *ila,* unde *ilia* et *exilis,* nisi malis cum Isidoro (XI, 1.) *ilia* esse a Graeco εἰλεός (ἰλεός cod. Gud. optimus), quod intestinum tenue significat, et cum Vossio *exilis* ab ἐξίτηλος, *exilis, tenuis, evanidus, obscurus,* per syncopen ἔξιλος, exilis. Apud Horat. Od. lib. I, 4, (16.):

Iam te premet nox fabulaeque Manes
Et domus exilis Plutonia.

Domus exilis interpretibus negotium facessit. Ibique omnes etsi se excruciant, tamen nihil intelligunt. Atqui poterant ipsum Horatium sui ipsius interpretem adhibere, qui ait Epist. I, 6, (45.):

Exilis domus est, ubi non et multa supersunt
Et dominum fallunt et prosunt furibus.

Exilis igitur est tenuis, *pauper. Dac.* Marcellus Empiricus cap. 31.: *Adulcera in ano facta chartae combustae seu inarum eius conferunt. Goth.* Domus exilis Plutonia dicitur propter *umbrarum* exilitatem ac tenuitatem. Cf. Interpp. ad illum Horatii locum. Ad etymon autem quod attinet, mihi *exilis* proprie dici videtur, qui *exemptis* est *ilibus,* h. e. tenuis, tenuatus.

Exilica. Ab *exilio,* quod pro *exsulio.* Et *exsilium* per *s* scribendum aiunt Grammatici, sed non attendunt, in omnibus fere verbis, quae incipiunt a praepositione *ex* et *s* litera, eam ipsam literam perire. Sic apud Festum: *Exercirent* pro *exsercirent* a *sarcio.* Vide *Pierium* lib. V. Aeneid. et lib. I. Georg. *Dac. Exilica.* Exulica. *Goth.*

Exitium. Olim *exitus.* Nunc pernicies, mors. Gloss. *Exitium,* ὄλεθρος, ὄλεθρον. *Dac.* Cf. Doederlin. Synon. Lat. II, pag. 64. et III, pag. 176.

Exercirent. A *sarcio* compositum *exsercio,* eliso *s exercio.* Unde Terent. (Heaut. I, 1, 91.):

— *qui opere rustico*
Faciundo facile victum exercirent suum.

Ita enim scribendus est locus, non ut quidam male *exsarcirent.* Et forte restituenda vox illa Ciceroni in libro de petitione consulatus (11, 45.): *Aliis te id rebus exacturum esse persuadeas.* Legendum enim: *exerturum. Dac.* Orellius e coniectura Lambini posuit *exsarturum.*

Exercitionem. Ab *exerceo* est *exercitium, exercitio, exercitus, exercitior, exercitissimus,* quibus usi veteres Iurisconsulti, ut ab *exercitatus,* exercitatior, exercitatissimus etc. Sed in vett. libb. scriptum: *Exercionem exerciti dicebant* etc., quod et verum est. Nam ut a *suspicio* dictum *suspicio, onis,* a *conspicio,*

conspicio, onis; sic ab *exerceo* ductum substantivum *exercio, onis. Dac.* Quidam ita legunt: *Exercitionem exerciti dicebant antiqui, exercitationem exercituis.* Nam antiqui, teste Nonio (pag. 485. Merc.) *exerciti* vel *exercituis.* Quin Turneb. III, c. 5. dispungit verbum *exerciti*, sed, ut video, alia mens est Festo; ab *exercito* exercitionem, ab *exercitato* exercitationem declinanti. *Goth.*

Exfuti. Nam *s* saepe mutatur in *t*. Exempla passim. *Dac. Mertat*; vide infra *Mertat. Goth.*

Effari. Eloqui, *effata*, elocuta. Virgil. Sic *effata.* Aliquando *effata* a recto *effatum* dicebantur augurum preces et *effari templa*, sistere templa, conceptis verbis consecrare. Graeci dicunt τεμενίζειν. *Dac. Effari* φάσθαι, ὥς φάτο. *Goth.* Cf. Varron. De L. L. VI, pag. 229. Sp.

Equiria. Ab equorum cursu dicta *equiria*, die XXVII. Februarii celebrari solita. Ovidius II. Fast. (859.). Erant et alia Equiria, quae die XIV. Martii peragebantur in campo Martio, vel, si is aqua teneretur, in monte Coelio. Vide *Martialis campus. Dac.*

Equirine. Per Quirinum, ut *Ecastor* per Castorem, *Eccere* per Cererem. Vide *Mecastor. Dac.* Cf. Sosip. Charisius pag. 224. Ed. Fabr.

Equus Marti. October equus. *Scal.* Vide sub. v. *October equus* infra.

Equo vehi. Vide *Edera. Dac.*

Exinfibulabat. Quasi extra infulas educebat. Vide *Infula. Dac.* Haud dubie legendum: *Exinfulabat*, quemadmodum Scal. Goth. Dac. exhibent.

Existimo. Ab *ex* et *aestimo.* Aestimo autem a Graeco ἐκτιμῶ, pretium statuo, aestimo, nisi malis esse a Graeco τιμῶ et Latino *aes. Dac.* Quemadmodum a Sanscritis vocibus *ucta, ucti, auctri*, Latina descendunt vocabula *auctor* et *auctumare*, autumare, sic a Sanscrita radice *isch*, desiderare, et ab *istas* carus, dilectus, deducitur *aestumare*, h. e. carum habere, pro caro et dilecto putare. Nam syllaba *aest* pro *ist* legitime ponitur per vriddhim, ut pro *u* ponitur *au* in v. *auctor.*

Exrogare. Vide *Derogare. Dac.*

Eximium. Quod eximitur. Donat. ad Hecyr. I, 1.: *Eximia pecora dicuntur, quae a grege excepta sunt ad usus dominorum suorum, ut uberius pascantur. Sed proprie eximii sunt porci maiores, qui ad sacrificandum excepti liberius pascuntur. Etenim boves, qui ad hoc lecti sunt, egregii dicuntur et oves lectae.* Virgil. (Aen. IV, 57.): *Mactant lectas de more bidentes. Ita et porci eximii.* Verum non de porcis tantum, sed de quibuslibet hostiis *eximium* dici ex Veratio docet Macrob. lib. III. Sat. cap. 5.: *Veratius*, inquit, *in pontificiis quaestionibus docet eximias dictas esse hostias, quae ad sacrificium destinatae eximuntur a grege, vel quod eximia specie, quasi numinibus offerenda eligantur. Dac.* Cf. Voss. Etymol. s. v. *Eximius.*

Exemplum. Quod animo imitandum proponitur. Terent. Adelph. III, 3, (62.):

— — — *Denique*
Inspicere tanquam in speculum in vitas omnium
Iubeo atque ex aliis sumere exemplum sibi.

Exemplar vero, quod oculis, ut picturae, tabulae pictoribus. Horat. Epist. I, 2, (17.):

Rursus quid virtus et quid sapientia possit
Utile proposuit nobis exemplar Ulyssem.

Sed confunduntur, ut plurimum, haec duo. Ut cum dicitur exemplum et exemplar eloquentiae pro imagine et praescriptione ad imitandum, et exemplar, vel exemplum literarum, chirographi, testamenti, pro forma et descripto, quod vulgo *copia* vocatur. *Dac. Istud*; et hoc. *Goth.*

Exhaustant. Nihil muto. Ab *exhaurio, exhausi, exhaustum, exhaustare*, efferre, educere. *Dac.*

Exin. Cicer. in Orat. (45.): *Dein etiam saepe et exin pro deinde et exinde dicimus. Dac.*

Exesto. Quod ait *in quibusdam sacris*, recte docet, non in omnibus sacris id observatum, sed in illis tantum, quae *Resolutoria* dicebantur, ad quae nisi solutis nodis accedi fas non erat. Servianae schedae Danielis nostri in illud: *Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta*; (Virg. Aen. IV, 518.): *Solent enim*, inquit, *et resolutoria sacrificia ab auspicibus fieri, et ad Iunonis Lucinae sacra non licet accedere, nisi solutis nodis. Scal.* Hinc capiendus hic locus Ovidii VII. Metam. (183.):

Egreditur tectis vestes induta recinctas
Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos.

Et alter Tibulli lib. I. (5, 15.):

Ipse ego velatus filo tunicisque solutis.

De hostibus, hoc est peregrinis, quos sacris interesse nefas, Servius VIII. Aen.: *Extraneos ad sacra non licebat adhibere.* *Dac.* Sic apud Lucianum in Pseudomante (cap. 38.): ἔξω χριστιανούς, ἔξω ἐπικουρείους. *Goth.*

Epulares. Varro: *Dum Epulares nocte epularentur.* *Dac.* Vide *Epolonos.* *Goth.* Varronis locus ne a Gesnero quidem repertus. Cf. Gesn. thes. sub v. *Epularis.*

Epistylium. Ab ἐπὶ et στήλη columna, quod supra columnam ponitur, vulgo *Architrave.* *Dac.* Vide interpp. ad Horat. Carmm. II, 18, 3. et qui ibi citati reperiuntur.

Epeus. Faber, qui equum ligneum aedificavit, quo Troia capta. Virgil. Aeneid. II. (264.): *Et ipse doli fabricator Epeus.* *Dac.* *Dureum* est δούρειον.

Epicrocum. Glossarium: *Epicrocum* ἐσθῆτος εἶδος ἢ σχοίνιον ἀρμένου κατώτερον. Vide Varronem lib. VI. (VII, pag. 338. Sp.). *Scal.* Genus vestis a Graeco ἐπὶ et κρόκος, quod croco tincta sit. Naevius apud Varronem:

Diabathra in pedibus habebat et erat amictus epicroco.

Dac.

Epulam. Non mirum, cum adiective sumatur. Intelligitur enim dapem et epulae dapes. Sic *epulae oves* Varroni (R. R. II, 1.). *Scal.* Sicut *deliciam* singulari numero. Unde in lapide antiquo: *pro salute Veneriae filiae dolcissimae, deliciae suae.* *Dac.* Vide Nonium (pag. 204. Merc.). *Goth.*

Epilimma. Lege, ut erat in margine: *Epalimma.* Graece ἐπάλειμμα ab ἐπαλείφω unguo. *Dac.*

Erctum citumque. Tolle copulam *Que.* Erctum citum est haereditas divisa. Glossae: *Herctus citus,* διαίρεσις τῶν ὑπαρχόντων. Donatus apud Servium (ad Aen. VIII, 642.): *Erctum non citum, hoc est patrimonium non divisum.* *Erctum ciendum;* hereditas dividunda. Glossarium: *Ciendae,* διαιρουμένης. Idem: *Erciscundae* διαιρέσεως, fortasse διαιρετέας. *Scal.* *Erctum* ab ercendo, hoc est coercendo, ab *erco,* ercis, unde *ercisco,* coerceo, certis regulis rego, partior. *Citum* a *cio* divido, ita ut *erctum citum* sit coercitum divisum. Nam primum coercebatur patrimonium, postea dividebatur. Erit igitur *erctum* pro *herctum,* quod pro *horctum,* id est *bonum,* teste Festo. Quare *horctum herctum* vel *erctum citum* est *haereditas divisa,* quod inter cohaeredes fit, qui proprie consortes dicuntur. Vide *sors.* *Dac.* *Consortes.* Vide supra *Disertiones.* *Goth.* *Legum.* Regum. *Idem.* Veram huius formulae mentem atque originationem aperuit Ernest. in Clave Cic. s. v. *Herciscere,* cuius verba apposuimus. Est a Graeco ἕρκος, aut Latino *erceo,* pro *arceo,* a quo dividendi vis duci non potest. Veteres, quorum divitiae in pecoribus erant, ut notum est, aulam habebant ante aedes, h. e. spacium septo circumdatum, quod septum ἕρκος appellabant. — Hinc non mirum, si *herctum,* quod est proprie locus clausus, (unde Graecis ἑρκτὸς, item εἱρκτός, carcer,) pro patrimonio — et pro hereditate dictum est. Quum ad divisionem provocarent haeredes, herctum ciendum erat, h. e. movendum loco suo, non, ut Salmasio, Vossio, Burmanno placet, dividendum. Vide *Ciere.* Hinc *herctum ciere* pro *dividere* dictum. Similiter movere est pro accipere: a Coecilio numum movere non possum. Vid. in *Movere.* Ut numus accipi non potest, nisi moveatur, sic herctum non potest dividi, nisi moveatur, seu cieatur. Hactenus Ernestius. Nec tamen illud verum est, quod idem Ern. secundum vett. Iureconsultos asseverat, *familiam herciscere* esse contracte dictum pro eo quod fuit *familiam, herctum Ciscere* i. e. ciere. Est enim *familiam herciscere* nihil aliud, nisi εἴργειν τὴν οὐσίαν, h. e. septo continere rem familiarem ad dividendum.

Ederam. Vide *Hedera.* De iis, quae Diali erant prohibita vel concessa, vide *Equo vehi* et *Fabam* et *Funebres* et *Iurare* et Gell. lib. X. cap. 15. Plutarch. in Problem. Sed quid haec ad verborum significationem, qua de re agitur? *Ant. Aug.* Verum est, quod ait Festus, nempe quod ea vinciat, quibus adhaeret. Neque enim nodum ullum habebat vel in apice, vel in cinctu, vel alia quavis parte. Annulum etiam solidum ei gestare non licebat, hoc est, qui non pervius esset et cassus. *Dac.* *Diali.* Glossis: ὁ τοῦ Διὸς ἱερεύς. *Goth.*

Edeatrae. *Edeatre.* Scribe per diphthongum, *edeatrae,* ἐδεάτραι. *Scal.* Sed legendum: *Edeatroe,* hoc est *edeotroi,* ut supra *demoe, demoi.* Ἐδέατρος, προγεύστης βασιλεῖος, ἐπιμελητὴς δείπνου. Hesych.: ἀπὸ τῶν ἐδεσμάτων ab eduliis. *Dac.* Alii *edesmatrae.* *Goth.*

Ervum. In l. m. est *Erviliam,* ἐρέβινθος pro *Ervilia* ὀρόβινθον. *Ful. Urs.* A Graeco ὄροβος et ὀρόβιον. Sunt autem *ervum* et *ervilia* leguminum genus, queis armenta pinguescunt. *Dac.* Adde Nonium (pag. 204. Merc.) in *Ervum.*

Ergo. L. m. habet Οὐκοῦν pro οὖν. *Fulv. Urs.* Servius ad illud Aen. VI. (v. 670.) *illius ergo.* *Illius ergo,* inquit, *propter illum vel causa illius. Ergo autem coniunctio fuit, sed per accentus mutationem*

in adverbium transit et est sola particula, quae habet in fine circumflexum. Multi male putant nomen esse indeclinabile et dicunt positam esse pro causa (causa autem nomen est, quod ponitur pro ratione), qui casus declinatione caret. Dac. Adde Nonium (pag. 107. Merc.) in *Ergo.* Goth.

Eritudo. Erus scribebant veteres, a quo *Eritudo*, ab antiquo Graeco ἔρος, unde εἴρερος. *Scal.* Εἴρερον usus est Homer. Od. ϑ, 529. Sic *erus* servus, a quo *eritudo* servitudo. Gloss. *Eritudo*, δεσποτεία. Ἔρος Aeol. ἐρέος, ervos et addito sibilo *servos, servus. Dac.* Insolens plus satis verbum servitudinis facit, ut in eius vicem legam: *severitudo;* ut apud Nonium (pag. 173. Merc.); et eo amplius: *Everitudo* pro *Eritudo. Goth.* Quomodo *Eritudo* servitutem significare possit, quum ab *ero, hero* descendat, quod respondet Germanorum *herr*, Batavorum *heer*, nemo facile dicat. *Servum* qui a v. *erus* dictum putant, vehementer errant. Est enim *servus* nihil nisi captivus, h. e. servatus in bello, non occisus, sed captivus factus. Est autem *servus* eadem ratione se habens ad *salvus*, ut *servare* ad salvare, ex quo descendit Germanorum *Scalk, Sclav*, quod servum denotat. Qua de caussa *Eritudo* non aliter videtur servitutem significare posse, nisi sic, quemadmodum dicitur *in dominatu esse, in dicione esse, in possessione esse*, hoc est, ab aliquo dominari, ab aliquo possideri.

Erugere. Erugo ab ἐρεύγομαι, unde frequentativum *eructo.* Ab *erugo* compositum *exerugo*, quo usus Ennius:

Contemsit fontes, quibus exerugit aquai vis.

Exerugit metaphorice cum sonitu erumpit. *Dac. Factum.* Alii *ructum*, alii *eructum.* Vide Gell. X, 7. *Goth.*

Erebum. Virgil. lib. VI. Aeneid. (v 404. et v. 671.) utrumque. Sed non flumen esse ait Erebum, sed tranasse amnes illius loci, qui Erebus dicitur. *Ant. Aug.* Quisquis poeta dixit Erebo creatam noctem, interpretari voluit, quod toties Graeci poetae dicunt νὺξ ἐρεβεννή. Ἔρεβος est nomen Hebraeum aut Syrum. *Ereb* enim in iis linguis est ἑσπέρα. Ab eo Arabes, quasi dicas ἑσπερίους, qui et ab eadem re dicuntur ἐρεμβοί. Eadem est origo. *Scal.* Hic certe turpiter sive Festus sive Paulus lapsus est. Erebus enim duobus hisce Virgilii locis (Aen. VI, 404. 671.) pro toto inferorum loco ponitur. *Dac. Erebo natam noctem.* Hesiodus tamen (Theog. 125.) noctem Erebi sororem facit et ex Chao una cum Erebo genitam:

Ἐκ χάεος δ' ἔρεβός τε μέλαινά τε νὺξ ἐγένοντο.

Dac. Vide Tull. III. de N. D. (17.). Ab ἐρέφω, *tego*, descendere ἔρεβος, ἐρεμνός, ἐρεβεννός, nunc inter omnes constat.

Effafilatum. Vox nihili. Legendum *exfilatum;* poterat et *exaffilatum. Scal.* Voss. *effafilatum* pro *exafilato*, ut *effari* dicitur pro *exfari.* Festus autem respicit locum Plauti Mil. Gl. IV, 4, (44.): *Id erit connexum in humero laevo exaffilato brachio.* Exafilato brachio id est extra fila, i. e. vestem educto. Quidam legunt *expapillato.* Inter quos etiam Festus, qui supra *expapillato* exponit *exerto.* Vide Nonium (pag. 103. Merc.); id quod et probavit Salmasius, sed certum est legi debere: *effafilato* sive *exafilato*, ut probat etiam Voss. Neque enim exerto brachio nudantur papillae, nec, si id fiat, propterea brachium recte expapillatum dici possit. Neque displicet doctiss. Meursii coniectura legentis *exfipulato* pro exfibulato vel effifulato. Nam *fifula* et *fifulare* veteres pro *fibula* et *fibulare* dicebant, ut *sifilum* et *sifilare* pro *sibilum sibilare. Dac.* Testimonio hic locus esse potest, quantopere corrupti vetustissimorum scriptorum Codices iam antiquissimo tempore fuerint, aut, nisi corrupti, quam male lecti atque intellecti. Vix enim dubium esse potest, scripsisse Plautum loco illo Militis *expapillato.* Quod quum scriptum esset ECPAPILATO; fuisse credibile est librarios, qui inusitatam vocem nescientes primum ECFAFILATO, deinde, qui *effafilato* efficerent, de sententia incuriosi; quod deinde Grammatici in libros suos receperunt, et pro captu suo exposuerunt.

AD LIBRUM VI.

Fornacalia. Ovid. Fast. lib. II, (525.):

Facta Dea est Fornax, laeti fornace coloni
Orant, ut fruges temperet illa suas.
Curio legitimis nunc fornacalia verbis
Maximus indicit nec stata sacra facit.

Dac. Vide infra *Popularia sacra. Goth.*

Formiae. Campaniae urbs, quasi *hormiae* inquit Festus. Eum igitur latuit prius dictam *Hormiae*, Strab. lib. V. (233.): Ἑξῆς δὲ Φορμίαι Λακωνικὸν κτίσμα· Ὁρμίαι λεγόμενον πρότερον, διὰ τὴν εὔορμον. Plin.

(III, 5, 9.): *Oppidum Formiae, Hormiae dictum, ut existimavere, antiqua Laestrygonum sedes.* Nescio unde Servius (ad Aen. VII, 695.) ἀπὸ τῆς ὁρμῆς dictum tradidit. *Formiae,* inquit, *quae ante Hormiae ἀπὸ τῆς ὁρμῆς,* id est ab impetu, dictae. *Dac.*

Forma. Lege: *ut cum exta, quae dantur, Formida appellantur. Scal. Formum* antiqui dixere calidum, quod est a Graeco θερμός. Unde deformus apud Catonem valde calidus. Inde *forma* pro facie et pulcritudine et *formosus.* Quidam non *formum,* sed *forvum* dicunt a *fervendo* scilicet. Servius: *Nam forbum est calidum, unde et formosos dicimus, quibus color sanguinis ex rubore pulchritudinem creat.* Sed melius *formum.* Donat. in Phorm. Act. II. Sc. 2. (1, 2, 57.): *Veteres ignem et calorem quendam, quasi fervorem, dixerunt formam et ideo fornaces forcipes, formam et formosos, ex quibus ignis amoris exoritur.* Melius tamen *forma* vel ab ὅραμα, vel a μορφή transpositis literis. De *forma* pro *pulte* nemo quod sciam praeter Festum meminit. *Dac. Calidam.* Calidum. *Deforma.* Formida. *Hieme formido.* Hieme calido, formido. *Goth. Formum* esse Germanorum *warm,* non est quod dicam. Cf. Non. pag. 531. s. v. *Fornum.*

Fordicidiis. Varro lib. V. (VI, pag. 198.) non a foetu, sed quia fert in ventre *fordam* dici existimat. Ovid. lib. IV.: *Forda ferens bos est, fecundaque dicta ferendo: Hinc etiam fetus nomen habere putant.* Festus hordam etiam dici et hordicidia ostendit littera H. *Ant. Aug.* Glossarium: *Fordas,* ἐγκυμονούσας. *Forda,* θυσία ἐγκύμονος βοός. *Scal.* Varro lib. IV. de L. L. (VI, pag. 198.): *Fordicidia a fordis bubus; bos forda, quae fert in ventre. A fordis caedendis fordicidia dicta, quod eo die publice immolantur boves praegnantes in curiis complures.* Vide *Horda. Dac. Ford.* Quae et Hordicalia; Cato II. de re rustic. 5.; celebrata VII. kalend. Maii. Glossis θυσίαι ἐγκύμονος βοός. Vide infra *Horda;* Varronem lib. V. *Goth. Boves fordae;* ἐγκυμονοῦσαι. *Idem. Hordus* et *Fordus.* Utrumque vocabulum descendere a Sanscrita radice *bhri,* h. e. a Latinorum *ferre,* multa sunt testimonia. Sic Latinorum *cor, cord-is,* est Sanscritum *hrid,* quod descendit a *hri,* capio, carpo, percipio, Latinorum *vorto, verto,* descendit a Sanscrito *vrit. Bh* Indorum, et Latinorum *F,* quod idem saepe in Sanscrito sermone transit in *H,* frequentius tamen apud Latinos. Cf. *Hormiae, Formiae; Horctus, Forctis; Hedus, Fedus* et alia. Simillimo modo Sanscritum *bhumi* est Latinorum *humus,* unde *bhuvanas* (a breviori forma *bhu*), humanus, *bhaumas,* homo.

Foedus. Virgil. lib. VIII. Aen. (v. 641.) *Fetiales* autem dici apparet in veteribus monumentis et a Graecis Dionysio et Plutarcho ita appellantur a feta fortasse caesa. Vide Porci. *Ant. Aug.* Vide in *Fedum.* Et fortasse hic *Fostia* pro *hostia* scribendum. Velius Longus de Orthographia (pag. 2230. Putsch.): *Siquidem ut testis est Varro, a Sabinis Fasena dicitur, et sicut S familiariter in R transit, ita F in vicinam transpirationem mutatur; similiter ergo et hoedos dicimus cum aspiratione, quoniam foedi dicebatur apud antiquos, item hircos, quoniam eosdem aeque fircos vocabant. Fulv. Urs.* Vel a *ferire,* vel a *forda,* vel a *foede,* vel a *fide,* vel ab *Haedus.* Sed est a *fidus;* nam et *fidus* pro *foedus* dixit Ennius. *Dac. Hostia.* Fostia, ut in v. *Fedum. Foeda; feda, feta. Goth.*

Forcipes. Velius Longus (pag. 2232. Putsch.): *Forcipes dicimus ab eo, quod formum capiunt, i. e. calidum. Fulv. Urs. Formicapes, forcipes,* si Festo credimus: Sed melius a *ferro* quasi *ferricapes. Dac. Forma id est calida.* Idem Velius Longus libro de Orthographia. *Goth.*

Forbeam. Servius: *fibrae, herbae. Nigid. Commento Grammaticali:* φορβή, *sed antea Fibra dicta est, ut nunc etiam rustici dicunt.* Haec Servius, qui adhuc est in conditoriis eruditi amici nostri P. Danielis. Ex quibus suspicor alterutrum scriptorem ex altero emendandum. *Scal.* A Graeco φορβειὰ pro φορβή, quod apud Suidam legitur: φορβή, φέρβω, *pasco. Dac.* Alii Fibram φορβή; antea Fibra. *Goth.*

Foedum. Fedum. Varro lib. IV. de L. L. (V, p. 99. Sp): *Hircus quod Sabini fircus: et quod illic fedus in Latio rure hedus, quod in urbe ut in multis, a addito, haedus* (Editur a Sp. *ircus, edus, aedus,* sine aspiratione.). Ab antiquis Graecis deductum puto, qui pro aspirata ponebant F. Latini etiam vice versa pro f utebantur aspirata h. Sic *horctis* dicebant pro *forctis,* quod et Hispanis familiare. *Dac.* Adde Nonium in Foedum. *Fostim;* fostem. *Fostiam pro hostia.* Ita legendum in v. *Foedus;* quin et ita scribendum Velius Longus de Orthographia refert. *Goth.*

Furvum. Furvus est color qui ex adustione comparatur. A *ferveo* quasi *fervus.* Vel ut Vossius a φώζω, torreo. Nam et olim dicebant *fusuus. Dac. Hinc dicta furnus, furiae.* Furnus quidem a *furvo* recte duci possit, sed in reliquis Festus ineptus est. *Furia* enim a *furere; fuligo* a *fumo,* quasi *fumiligo;* funus a funalibus sive potius a φόνος. *Fumus* ab Aeolico φύμος pro θυμός; πνοή, ἀήρ. *Dac.* §. 2. Instit. de obligat. ex delicto l. 1. §. 2. ff. de furtis. *Goth.*

Fodare. Forte an apud Ennium legerat:

Illyrici restant Sicis Sibinisque fodantes.

Ubi vulgo *fodentes*, quod non placet, quia hic littera *e* vocem reddit nimis exilem et exanguem. Aurem tuam interroga et lege. Vide *Sibinae. Dac.*

Forctes. Fortis. Restitue in veteri editione Forctis. In XII. Tabulis: *SANATIBUS. IDEM. QUOD. FORCTIBUS. IOUS. ESTO.* i. e. bonis et qui non defecerant a populo Ro. *Scal.* Vide *Horctum. Dac.* Forectes, forects, forctes; alii forcties; alii forctis, ut infra in *Horctum* et in *Sanates. Goth.* Hoc merum est Sanscritum adiectivum *urk*, quod descendit a radice *urdsch*, unde qui Sanscrite norunt, intelligunt *k* sive *c* in hac voce ad ipsam vocabuli stirpem pertinere. Nam *tsch* et *dsch* linguae Sanscritae elementa ex certis quibusdam euphoniae legibus in *k* et aliquoties in *g* transeunt. Ex quo efficitur, antiquissimam illius vocabuli apud Latinos formam fuisse *horctus* sive *horctis*, unde postea ortum *forctis*, et consuetudine diutina facilitatem pronuntiandi praeferente, *fortis*, quod in usu remansit.

Forum. In fine pro *forecula* m. l. habet *forula. Fulv. Urs. Forum agere.* Lucas in Actis (XIX, 38.): αἱ ἀγόραιοι ἄγονται. Et Servius in illud: *Indicitque forum* (ad Aeneid. V, 758.). *Scal.* Varro lib. IV. de L. L. (V, pag. 147. Sp.): *Quo conferrent suas controversias, et quae vendere vellent, et quo quaeque ferrent forum appellarunt. Dac. In quo iudicia fieri, cum populo agi* etc. Graece δικαστήριον. Vide *cum populo agere. Idem. Cum is, qui provinciae praeest, forum agere.* Cic. Ep. ad Fam. III, 4.: *Malevoli homines, qui te forum Tarsi agere, statuere multa, decernere, iudicare dicerent, cum posses iam suspicari, tibi esse successum. Conventum* et *conventus agere* pro eodem dicitur. Cic. Verr. 27. 27. (II, 5, 11.): *Scitote esse oppidum in Sicilia nullum ex iis oppidis, in quibus praetores consistere et conventum agere solent.* Caes. lib. IV. B. G. (VI, 44.): *Frumento exercitui proviso in Italiam ad conventus agendos profectus est.* Galli dicunt *tenir les assises, les estats. Idem. Cum id forum antiqui app. q. n. v.* Cic. lib. II. de Legg. sect. 24.: *Quod autem forum, id est vestibulum sepulcri bastumve usucapi vetat, tuetur ius sepulchrorum.* Loquitur Cicero de lege XII. tab.: *Forum bustumve usucapi nefas esto. Fori bustive aeterna auctoritas esto. Idem. Locus in navi.* Forus non tantum pro loco in navi, sed etiam pro negotiationis loco masculine dixerunt, ut Lucilius. Vide Nonium (pag. 206. Merc.). Charis. lib. I. (pag. 69. Fabr.): *Forum neutro genere dicimus locum rebus agendis destinatum, aut quum commercium significamus. Masculine autem tabulata navium et semper pluraliter, quamvis Gellius fora navium neutraliter dixerit. Et Lucilius negotiorum forum masculine extulerit lib. III. Forus olim ornatus lucernis.* Imo falsi sunt etiam et Festus et Charisius, cum affirmant *fori* de tabulatis navium pluraliter dici. Nam et singulariter Ennius extulit:

Multa foro ponens ageaque longa repletur.

Et Sallustius (apud Non. c. III, 96.): *illum nautis forum.* Videlicet *forus* est tabula. Unde *forum aleatorium* vocat Sueton. (Aug. 71.) tabulam sive alveum lusorium. Et Gellius de Arione lib. XVII. cap. 19.: *Stansque in summae puppis foro. Foro* id est tabula. *Idem. Fori significant Circensia spectacula.* Hoc est loca erecta in Circo, unde ludos spectarunt. Liv. lib. I. sect. 36.: *Tum primum Circo, qui nunc maximus dicitur, designatus locus est. Loca divisa patribus equitibusque, ubi spectacula sibi quisque facerent, fori appellati. Spectavere furcis duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes.* Inde per diminutionem dicti foruli, id est armariola sive capsulae, ubi reponuntur libri. Sueton. August. c. 31. *Idem. Inde et forare et foras*, unde *forare.* Foras autem a θύραζε. Forsan etiam foris melius a θύρα. Quod Scaligero et Caninio placuit. *Idem.*

Fons. Varro lib. IV. de L. L. (V, p. 128. Sp.): *Fons, unde funditur e terra aqua viva. Dac.* Ideo veteribus dicebatur *funs*, non *fons. Goth. Fons* a Sanscrita radice *und*, fluere, descendit, quemadmodum *Forctis*, fortis, ab *urk*. Ab illa autem radice *und*, primum derivatur *unda*; tum quia secundum euphoniae leges certis quibusdam conditionibus ex *und* efficitur *ud*, ab hoc *udus* et *uvidus* efformatum; deinde *fundere* verbum procusum, unde antiqua vox *funs*, funtis, consueta mediae litterae in tenuem mutatione, quemadmodum ex *dul* factum tulo, tollo, ex *bahu* πῆχυς et multa id genus alia. Ex his intelligitur, quam male Doederlinus Syn. Lat. II, pag. 155. Latinorum *fons* et Graecorum πίνω composuerit.

Fomites. Omnis materia arida et ad ignescendum apta *fomes* dicitur a *fovendo*, quod eo ignis foveatur. Notum est illud II. Aen. (Virg. Aen. I, 175.):

Suscepitque ignem foliis, atque arida vircum
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.

Dac. Pari modo assulae, quae sunt securibus excussae. Inde Glossarium Graeco-Lat.: πελέκημα, *fomis, fomes*, πελεκήτης dolator, πελεκῶ, dolo, fomeo. Supra, cum addit Festus: *At Opilius adustas iam vites vo-*

cari existimat fomites nugae sunt de vitibus. Scribendum, ut in vetustissimo libro legitur: *At Opilius adustas iam fomites vocari existimat. Fomites alii vocari putant scintillas, quae ex ferro candenti malleis excutiuntur.* Dixerat fomites assulas esse ex arboribus, dum caeduntur, excussas. Opilius non assulas, quae ex arboribus excuterantur inter caedendum, sed iam adustas existimabat vocari fomites. Servius ex libro commentariorum Clodii quarto: *Fomites assulae ambustae, ligna excavata, a fungis nomine excepto.* Hoc dicit, quia *fungi* pro fomitibus in usu erant, et escas vocabant, unde apud recentiores Graeciae medicos ἴσκαι, hoc est *escae* proprie appellantur fungi arboribus innascentes, quod fomitum usum praeberent. Salmas. in Solin. *Dac.* Adde supra *Defomitatum. Goth.*

Fontinalia. Et *fontanalia.* Varro lib. V. (VI, pag. 204. Sp.): *Fontinalia a fonte, quod is dies feriae eius, ab eo autem tum et in fontes coronas iaciunt et puteos coronant.* Erant die Octobris decima tertia. Porta Capena dicta fontinalis, quod iuxta eam fontis delubrum fuerit. *Dac.*

Folium. Verum est, esse a φύλλον, sed posterius *l* mutatur in *i*, contra quod Festus putavit; sic ab ἄλλος *alius. Dac.*

Focus. Ovid. VI. Fast. (301.):

At focus a flammis, et quod fovet omnia, dictus.

Sed melius viri docti, qui *foves* dicunt a *focus*, unde *foculus*, *foculare*, *focillare*. *Focus* autem a φώγω, seu φωγνύω vel φώγνυμι, *uro. Dac.* Hinc glossis Fomentario πυρίασις. Adde Nonium (pag. 481. Merc.) in *Focillatur* et *Focula* (pag. 9. Merc.). *Goth.*

Folliculare. Folliculum vocat, quod Graeci ἄσκωμα. *Scal.* A folliculo, id est pelle remos muniente, qua parte scalmo incumbunt. Hesych.: ἄσκωμα, δερμάτιον, ὃ ἐν ταῖς τριήρεσιν ἔχουσιν. Hesychii verba illustrat interpres Aristophanis in *Βατραχ.*: ἄσκωμα δὲ δερμάτιόν τι, ᾧ ἐν ταῖς τριήρεσι χρῶνται, καθ' ὃ ἡ κώπη πάλλεται. Inde follicularis vita eorum, qui ad remos sunt delegati. Aliter tamen follicularem vitam interpretatus est Meursius nempe caducam ad instar folii: nam follum, i. e. folium, unde folliculum extrema pars remi in folii similitudinem desinens, quae Graecis πτερόν, quod alae vicem navi praestet. *Dac.* Dicitur etiam *follimen. Goth. Lecta;* tecta. *Idem. A quo vita follicularis;* a quo vita folliculum, vel follicula res; ita lego. Nam folliculum Nonio (pag. 110. Merc.) pro corpore sumitur. *Idem.*

Ferentarii. Varro lib. VI. de L. L.: *Ferentarii equites hi dicti, qui ea modo habebant arma, quae ferrentur, ut iaculum* (pag. 341. Sp.). Vide *adscriptivi. Dac.*

Firctum. Ferctum. Vid. Cato de re rust. (13.). *Ant. Aug.* Pro *fertum.* A *fero fertum* pro *latum*, et fertum est diis oblatum. Inde *fertor* et *infertor.* Gloss. *Fertores, ferto libantes; infertor* παραθέτης, id est structor. De strue et ferto vide *Strufettarii. Dac.* Unde ferctores Isidori fercta ferentes. *Goth. Strue.* Vide *Strues. Idem. Struferctarii* strufertarii. *Idem.*

Feralia. Priorem Festi etymologiam probat Varro de L. L. lib. V. (VI, pag. 195. Sp.): *Feralia ab inferis et ferendo, quod ferunt tum epulas ad sepulcrum, quibus ius ibi parentare.* Sed certum est, *feralis* et *feralia* esse a *fera*, nam *feram* dicebant mortem. Et ferale est, quod ad mortuos pertinet, unde Gloss. interpretantur νεκρικόν. Feralia fiebant die XXI. Februarii. Ovidius a veteribus calendariis recedit, qui ea fuisse dicit die XVII. Illum vide lib. II. Fast. (569.). Feralia Graeci dicebant μιαρὰς ἡμέρας. Hesych. μιαραὶ ἡμέραι τοῦ ἀνθεστηριῶνος μηνὸς, ἐν αἷς τὰς ψυχὰς κατοιχομένων ἀνιέναι ἐδόκουν. *Dac.*

Februarius. Ait diem Lupercalia a veteribus februatum vocari solitum. Varro (De L. L. VI, pag. 195. Sp.): *Lupercalia dicta, quod in Lupercali Luperci sacra faciant. Rex, cum ferias menstruas Nonis februariis edicit, hunc diem februatum appellat. Scal.* Varro de L. L. lib. V. (VI, pag. 195. Sp.): *Februum Sabini purgamentum, et id in sacris nostris verbum; nam et Lupercalia, februatio, ut in antiquitatum libris demonstravi.* Et paulo post (VI, pag. 214. Sp.): *Prior a principe Iano Ianuarius appellatus; posterior, ut iidem dicunt scriptores, ab Diis inferis Februarius appellatus, quod tum his parentetur. Ego magis arbitror Februarium a die februato, quod tum februatur populus, id est lupercis nudis lustratur antiquum oppidum palatium, gregibus cinctum.* De febrius vide Ovid. lib. II. Fastor. init. *Dac.* Vide Nonium (pag. 114. Merc.) in *Februare. Goth.*

Fescennini versus. A *Fescennina* Tusciae urbe, quae *Fescennia* Plinio (III, 5, 8.), *Fescennium* Catoni, Dionysio Φασκένιον. Servio, si vera scriptura, *Fescennium.* Hodie *Citta Castellana.* Perperam Servius Campaniae oppidum dicit. Fescennini versus temere compositi et rudes nascentis adhuc Romanae poeseos primordia fuere, neque nuptiales. Quippe eos casci illi homines in conventibus suis ac festis solemnibus post fruges conditas et labores rusticos exactos sacrificiis operati, ut animum relaxarent et sese iucunditati

traderent, genio indulgentes inter epulas usurpabant, per ludum et iocum inter se iocularia dicta obscenitate et opprobriis referta iacientes. Aperte declarat Horat. in Epistola ad Augustum, quae est 1. libri II. (145.):

Agricolae prisci, fortes parvoque beati
Condita post frumenta levantes tempore festo
Corpus et ipsum animum spe finis dura ferentem
Cum sociis operum et pueris et coniuge fida
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
Floribus et vino Genium memorem brevis aevi.
Fescennina per hunc inventa licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica ludit.

Livius lib. I. (VII, 2.): *Qui non, sicut ante, Fescennino versu similem incompositum temere ac rudem alternis iaciebant.* Inde postea versus, qui a puerorum multitudine nubentibus canebantur, quia omnium lasciviarum et opprobriorum plenissimi erant, *Fescennini* dicti sunt. Catull. (61, 126.):

Nec diu taceat procax
Fescennina locutio.

Convitia festa vocat Lucan. lib. II. (Phars. II, 369.):

Non soluti lusere sales, nec more Sabino
Excepit tristis convitia festa maritus.

Dac.

Fenus et feneratores. Fenus appellatur. (Vid. p. 70.). Pauli verba male cohaerent cum verbis Festi. Haec Pauli sunt: *Fenum quoque* cet. Festi, quae antecedunt: *Fenus et feneratores et lex de credita pecunia* etc. Hic Varronem Festus sequitur, de quo Gell. lib. XVI. cap. 12.: *Fenerator enim, uti M. Varro in lib. III. de sermone latino scripsit, a fenore est nominatus, fenus autem dictum a fetu et quasi fetura quadam pecuniae parientis atque increscentis; id circo et M. Catonem et caeteros aetatis eius feneratorem sine a litera pronuntiasse tradit, sicuti fetus ipse et fecunditas appellata.* Nonius (pag. 53. Merc.): *Fenus ab eo dictum est, quod pecuniam pariat increscenti tempore, quasi fetus aut fetura, nam et Graece τόκος dicitur ἀπὸ τοῦ τίκτειν.* Neque tamen *fenus* a *fetu*, sed ab obsoleto *feo*, unde *fenum*, *fetus*, *festuca*, *femur.* At Salmasius de usuris p. 35. ait *fenus* esse a Graeco *ποῖνος*, quod est merces, pretium vel poena. Quod certe nemini unquam probabitur, imo et vel vocem Graecam *ποῖνος* pro *ποινή*, nescio unde Salmasius. Nemo sane eam idonei scriptoris auctoritate tueatur. *Dac.*

Felicata. Filicata patera. Cui *filicis* seu *felicis* herbae species coelo erat insculpta. Meminit Cicero in Paradoxis (I, 2, 11.): *Quid a Numa Pompilio? minus ne gratas diis immortalibus capedines ac fictiles urnulas, quam filicatas, aliorum pateras arbitramur?* Sic *lanx pampinata*, *patina hederata*, *Discus Corymbiatus* apud Trebellium Pollionem (in Claud. 17.) a *pampino*, *hedera*, et insculptis *corymbis* sive *corymbiis. Dac.*

Fescenoe. Fesnoe. L. m. *Fescenoe*, et ita videtur scribendum. *Fulv. Urs.* Lego *Fascinoe* ex vestigiis priscae editionis. Fascinoe ut *Pilumnoe*, *poploe*, hoc est *Fascini*, *Pilumni*, *populi. Scal.* In marg. *Fesceninae.* An legendum *Fescenninoe*, ut Fescennini dicti fuerint pueri, qui in nuptiis Fescenninos versus canentes sic fascinum arcere putabantur? At liber antiquus *Fescenoe*, et ita legendum. Nam et Deus *Fascinus* fuit, qui fascinum depellebat, imperatorum et infantium custos, inter sacra Romana a Vestalibus cultus. De quo Plin. lib. XXVIII. cap. 4. *Dac.* Omnis verborum et formarum familia, quae cum voce *Fascinum* cohaeret, veluti *fascinare*, *effascinare*, *praefiscini* descendit a Graeco *βάσκανον*, unde *βασκαίνειν*, alia. Quibus omnibus subest Graeca radix *βάω*, unde *βάζω*, *βάσκω*, *φάσκω*; Sanscrita radix est *vatsch*, *vak*, loqui.

Ferias. Corrige: *Ferias antiqui fesias vocabant.* Recte. Feriis epulationes adiungebantur, quare a Graeco *ἑστιᾶν*, *festum diem agere*, convivio excipere, *festae*, quae postea *Feriae.* Velius Longus (pag. 2233. Putsch.): *Ferias quoque non fereas, quoniam apud antiquos fesiae, non feseae dictae sunt. Dac.* Id etiam doctissimo Vossio in mentem venit. *Idem.*

Ferire. Inepte Paulus a ferendo. *Ferio* est ab Aeolico *βερπύρ* pro *δερτύρ*, unde et verbero. *Dac.*
Feruntur. Ferantur. *Idem.*

Felicones. Filicones. Sic *blitei* et *blitones* a *blito*. *Dac.*

Ferus. Ut contra *politus ager*, qui bene cultus est. *Dac.*

Factio et factiosus. Initio *factiones* proprie divitum et nobiliorum ordines dicebantur et factiosi nobiles et opulenti. Plautus Cistellaria II, 1. (16.):

— — *Neque nos factione tanta, quanta tu, sumus.*

Et in Aulul. (II, 1, 45.):

Istas magnas factiones, animos, dotes dapsiles.

Inde in Gloss. factio exponitur τάγμα, id est ordo. Inde histriones et quadrigarii in *factiones*, hoc est in *ordines* divisi. At postea *factio* in malam partem sumi coepta est, nempe pro conspiratione et consensu pessimorum hominum et ita nunc semper. *Dac.* Glossis factio σκευωρία et συνσκευή, unde iisdem facionarius συνσκευαστής. *Goth. Factiosus.* Adde supra *Actiosi.* Glossis *factiosus* νεωτεριστής. *Idem.*

Fama. A Dorico φάμα pro φήμη, quod a φημί. Istud a φάω, unde Latinum *fari. Dac.*

Familia antea. Quaedam editiones habent: *Familia aurea*, qua re motus Io. Meursius Philologici auctarii cap. 11. existimavit, *servos* simpliciter familiam, at *ingenuos familiam auream* appellari. Quod probari non potest, et certum est, Festum scripsisse *Familia antea*, ut in antiqua Mediolanensi. Id probat antithesis: *Familia antea in liberis* etc. *Postea hoc nomine.* Familia est coetus hominum a Graeco ὁμιλία, et ita proprie antea dicebatur series hominum eiusdem generis, qui singuli familiares dicebantur. Ubi notandum *familiam* Festum dixisse, quae proprie *gens* est. Et apud Livium lib. II, (49.) de Fabiis: *Ibant unius familiae duces.* Inde postea *familia* ad servos et gladiatores translatum, et familiae servorum et gladiatorum coetus dicti sunt. Cicero (pr. Sull. 19.): *Gladiatorum familiae.* Apul. Apol. (p. 304, 35.): *Quindecim liberi homines populus est, totidem servi familia, totidem vincti ergastulum.* Inde etiam servi dicti sunt famuli. Tamen infra Festus a se ipso dissentit, aitque familiam esse ab Osco *famel* sive *famul*, id est servus. Vide *Famuli* et ibi notata. *Dac. Materfamiliae.* Materfamilias. *Goth. Pompiliorum.* Popilliorum. *Idem. Famulus*, Oscorum *Famel*, priscorum Lâtinorum *Camillus* ab eadem omnia voce Sanscrita *kumâras*, quae *puerum* significat, descendunt. *Famuli* igitur *pueri*, hoc est, et *servi* et *liberi*, filii familias, unde *familia* et liberorum numerum et servitium complectebatur. Cf. quae supra notavimus ad v. *Camillus.* Ex quo intelligitur, radicem *kumal*, quam ibi posui, quae significat *ludere*, veluti infans, haud esse ab iisdem vocibus alienam, sed subiacet eadem vocabulo *pumilio*, quod *nanum* denotat.

Facessere. Pacuvius in Teucro apud Nonium (pag. 306. Merc.): *Facessite omnes hinc, parumper tu mane. Ant. Aug.* A *facio facesso*, ut a *capio capesso. Facesso* duo significat: *facio* et *retrocedo.* Donat. ad illud Terentii Phorm. IV, 3. (30.): *Haec hinc facessat. Pro hinc se faciat*, inquit, *id est abeat, ut huc se faciat, huc accedat significat.* Item: *Facessat pro cedat, alias faciat. Ergo duas res significat hoc unum verbum: an hinc facessat proverbialiter, quasi hinc faciat. Plautus: argentum hinc facite. Huc te fac dicitur pro huc accede. Dac.* Prior locus, quem citat Festus, e Virg. Aen. IV, 295. depromptus est.

Facul. Afranius:

Haud facul femina invenietur bona.

Vide Nonium (pag. 111. Merc.). *Dac. Sed postea.* Ait *facultatem* de rebus sive opibus dici, *facilitatem* ad animum pertinere. Sic fere Cornel. Fronto (in differentiis sub v.): *Facultas*, inquit, *locupletis, facilitas artificis est. Itaque dives facultatem habet multa vel emendi vel redimendi: Artifex opera perficiendi facilitatem. Dac.* Adde infra *Perfacul. Goth.* Cf. quae supra ad v. *Familia* diximus.

Famuletium. Pro *famulitium.* Varro: *Apud ignavum dominum duro famulitio adstrictus. Famulatum* vocat Cicero. *Famulitatem* Accius et Pacuvius apud Nonium (p. 109. Merc.). *Dac.*

Famicosam. Famelicosam id est aridam. Glossa. *Famelicus*, λιμόξηρος. *Famelice*, λιμοξήρως. *Dac.* Vel *familicosam* vel *famicosam. Goth.*

Famuli. A *famel*, Osca voce *famul, famulus*, sed Latinum esse, non Oscum *famulum* puto, ut et supra Festus in *familia.* Pro famulo dictum postea *famul*, ut *pa* pro *parte, do* pro *domo* et similia. Quae sequuntur *unde et familia vocata* si Festi sunt, levitatis et inconstantiae Festum arguunt, qui in *familia* his contraria scripsit. Nempe famulum dici a familia, *i* mutato in *u*, quod verum est. Nam si a *famel* esset *familia*, velim hic mihi respondeant, qui Festum sequuntur, qui fieri potuit, ut antea familia honeste de ingenuis hominibus diceretur. *Dac.* Quia *famel* et *famulus*, ut supra in notis ad v. *Familia* vidimus, *puerum* significabant, quae nomina, item ut *camillus*, a Sanscrita voce *kumâras* descendunt.

Fagutal. Varro lib. IV. de L. L. (V, pag. 152. Sp.): *Et fagutal a fago: unde etiam quod ibi sacellum, Iovis Fagutalis. Dac.*

Fovii. Veteres pro *fodio* dixere *Faveo* et foveo, fovea et favea, inde Fovii et Favii, qui postea *v* mutato in *b Fabii.* Sed vide Plutarch. in vita Fabii Maximi. Plinium lib. XVIII. cap. 3. *Dac.*

Faces. In nominandi casu prius dicebant *faces*, quod nunc *fax.* *Dac.*

Famino. Cato cap. 141.: *Ianum Iovemque vino prece famino, sic dicito.* Et alibi *hoc vino praefamino.* Unde Lexicorum sarcinatores ridicule vinum praefaminum dici putarunt. *Dac.* Similis forma secundae personae singularis imperativi inventa est in Grut. Inscriptt. p. 204. lin. 31.: *IS EUM AGRUM NEI HABETO, NEIVE FRUIMINO.* Cf. Struve de Lat. Coni. et Declin. pag. 143.

Facem. Catull. (61, 77.): *Viden' ut faces splendidas quatiunt comas.* Ideo autem faces, quia per noctem tantum nova nupta ad maritum ducebatur, ut ait Plutarchus, qui quinque ferri solitas fuisse docet in quaest. Rom. quaest. 2. Illum vide et infra *Patrimi* et *rapi.* Aqua etiam aspergebatur nova nupta. Varro lib. IV. de L. L. (V, 67. Sp.): *Igitur causa nascendi duplex aqua et ignis, ideo ea in nuptiis in limine adhibentur.* Idem apud Servium IV. Aen.: *Aqua et igni mariti uxores accipiebant, unde et hodie faces praelucent et aqua petita de puro fonte per puerum felicissimum, vel puellam, quae interest nuptiis, de qua solebant nubentibus pedes lavare.* Vide Plutarch. loco supra laudato quaest. 1. Vide supra *Aqua.* *Dac.*

Fabam. Vide Gellium lib. X. c. 15. De fabis, quas *lemuribus* iaciebant in eorum sacris, Varro de vita pop. Ro. lib. 1.: *Quibus temporibus in sacris fabam iactant noctu, ac dicunt, se lemures domo extra ianuam eiicere.* Ritum aperte docet Ovid. lib. V. Fast. (431.):

Ille memor veteris ritus timidusque deorum
Surgit, habent gemini vincula nulla pedes.
Signaque dat digitis medio cum pollice iunctis
Occurrat tacito ne levis umbra sibi:
Terque manus puras fontana perluit unda,
Vertitur, et nigras accipit ore fabas,
Aversusque iacit: sed dum iacit, haec ego mitto,
His, inquit, redimo meque meosque fabis.
Hoc novies dicit, nec respicit; umbra putatur
Colligere et nullo terga vidente sequi.

Hunc morem si ego hodieque alicubi observari moneo, nescio an plures sim habiturus, qui facile fidem adhibeant; atque certum est, illud idem etiamnunc in Vasconia pueros factitare, qui quum larvas illas lemurales expavent, fabas aliaque legumina per cubicula sua disseminant, et ita opinantur, se eas e cubiculo fugare et extra domum eiicere. *Dac.* De faba fressa et refriva vide infra *Frendere* et *Refriva.* *Goth.* *Nec tangere nec nominare.* Adde, quae supra scripsi in *Ederam.* *Idem.* *Lemuralibus.* Vide Nonium (p. 135. Merc.) in Lemures. *Idem.*

Flamen. Quasi *filamen* a filo lanae, quo velabantur. Idem Varro lib. IV. de L. L. (V, p. 88. Sp.) et Servius lib. 8. Aeneid. (ad vers. 664.). Alii a Pileo, quasi *pileamines*, sed omnino *flamines* dicti a velamento capitis, quod *flameum* dicebatur propter colorem luteum sive rubrum. *Dac.* Glossis ἱερομνήμων a Dio, id est aere. *Goth.* Flamen Dialis dicitur Iovis sacerdos, quia *Dius* ipse est Iupiter. Cfr. in *Iubar.* *Flamen* autem certissime a *flare* derivatur, passiva potestate quasi *Φλάμενος* (ut *κλύμενος*) h. e. afflatus, a deo correptus, inspiratus, *θεοπνευστός*. Cfr. Lisch. in Jahn. Annal. philol. et paedag. XI, 1. p. 37.

Fabiani. *Faviani.* Vide *Quintia prata.* *Ant. Aug.* Fabiani Remi socii, Romuli Quintil. Ovid. II. Fast. (203.):

Dicta facit, Fabiique simul. Venit irritus illuc
Romulus, et mensas ossaque nuda videt.
Risit et indoluit, Fabios potuisse Remumque
Vincere, Quintilios non potuisse suos.

His postea a C. Caesare addita tertia sodalitas, nempe Iuliorum. Dio lib. XLIV. *Dac.*

Fastorum. Fasti enim dies festi sunt. Hoc falsum est. Sunt enim fasti dies, quibus fari licet praetori iuridica verba. Varro, Ovid., Macrob. Ab his diebus Fastorum libri appellantur, quibus eos dies cognoscimus et translaticie fastos consulum appellamus, quibus consules singulorum annorum continentur. *Ant. Aug.* Eleganter veteres Graeci *Fastus* ἡμερολόγιον. Et *fastus* in quarta declinatione, de quo quaestio apud veteres grammaticos, super illo Lucani (X, 187.):

Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.

Ex quibus licet coniicere antiquitatem eius glossarii, et quantum fidem eius sequi debeamus. Ego alioqui inveni duos versiculos Iambicos in Litera R., qui videntur dedicationis loco esse:

Τοιοῦτο δῶρον τῇ σοφῇ γερουσίᾳ
Ὕπατος ὑπάρχων προσφέρω Φιλόξενος.

Videtur fuisse is Philoxenus, qui temporibus Iustiniani consul fuit cum Probo. Porro verba ultima *Fasti enim dies festi sunt*, ne Pauli quidem sunt. Sed ad sacrificulorum Calendaria, unde profecta sunt, ea remittimus atque adeo flagris ablegamus. *Scal.* *Fasti* a diebus fastis, qui in iis referuntur, ut et nefasti, sed cum plures fasti, a potiori nomen sortiuntur. Quae leguntur in fine, ego Festi esse existimo, sed leviter deformata. Lego: *Fastis enim dies fasti insunt*, vel, si mavis: *fastis enim dies fasti scripti sunt. Dac.* *Fasti* et *Festi* dies a Sanscrito *bhas*, Graecorum φάος, quae *lucem* denotant, derivandi sunt. Probe tamen tenendum est, fieri posse, ut quemadmodum φάω, luceo, et φάω φημὶ, dico apud Graecos fuere communia, significatione tamen diversa; ita Latinorum *fastus* et *festus* potuisse forma quidem communia, re esse diversa. Ita *festus*, quod probabile est etiam *fastus* prolatum esse, *lucidum* significare potest, φαιστόν; contra *fastus* φαστόν, quod *dici*, vel ubi dici potest.

Fanum a Fauno. Ita l. m. pro *a fano. Fulv. Urs.* A faunis fana dicta veteres putabant, quod illis primum templa sint consecrata. Cornelius Fronto: Fanum Fauno consecratum. Alii *fana* a *fando*, quod in iis consecrandis pontifex certa verba fatur; vel potius, ut Varro lib. V. de L. L. (VI, pag. 230. Sp.) quod pontifex in sacrando fatus est finem; hinc (a fando) *fana nominata*, inquit, *quod pontifices in sacrando fati sunt finem.* Sed maxime placet sententia Vossii, qui putat fanum esse eo, quod id Graeci similiter ναόν vocent. Nempe per transpositionem fuerit ἀνόν, sed spiritus abit saepius in *f.* Id probant ipsam et Festi verba e lib. VIII.: *Hanula parva delubra quasi fanula.* Ergo ex obliquo ἀνόν fanum, unde hanulum, postea fanulum, ut *hostis*, *fostis*, *holus*, *solus* et similia. *Dac.* *Hinc fana sistere.* Vide infra *Sistere. Goth.* *Fanum* a Sanscrita voce *bhanus*, quae splendorem, lumen, maxime lumen solis, ipsumque solem significat. Est igitur *fanum* τὸ φανόν, i. q. *lucus*, proprie locus lucidus, h. e. sacer locus, sacellum. Ut enim *lucus* a lucendo, sic *fanum* a φάω, *bhas*, *bhanus.* Contra *Faunus* est a favendo dictus.

Fastigium. In Glossario: *Fastidium*, λέτωμα. Lege: *Fastigium*, ἀέτωμα. Ita saepe Vitruvius ex Ctesibio et aliis, et ἀέτωσις fastigiatio. *Scal.* Graeci vocant ἀέτωμα, quod aquilae volantis speciem repraesentaret. De hoc ita Galenus: Ἀέτωμά ἐστι τὸ εἰς ὕψος ἀνατεταμένον τῆς ὀροφῆς ὥσπερ τρίγωνον. Inde et fastigium *trichoron* dictum, τρίχωνον et τρίγωνον idem. Vide Salmas. in Pescennino Nigro Spartiani. *Dac.* Vide Nonium in *Fastigium* et *Fastigia.* Hinc autem *fastigiatio* dicta. *Goth.* *Fastigium* formatum et procusum esse apparet, quemadmodum *litigium* i. e. litis actio; *vestigium*, vestimenti actio, quia vestes tractae pulverem verrunt; quare *fastigium*, quod lucem habet, vel lucem affert, a *fastus*, lucidus. Videturque primum ita dictus esse locus in tecto medius, per quem splendor diei intrare in tecta solebat. Satis pro arbitrio Doederlinus *fastigium*, ut fastidium, a *fatis* i. e. satis derivat Lat. Syn. tom. II, pag. 109. seqq.

Favissae. Vide Gell. lib. II. cap. 10. *Ant. Aug.* Non est dubium, quin Graeci vocarint θησαυροὺς ea loca. Plutarchus in Philopoemene (19.): Οὐ μὲν ἀλλὰ κομίσαντες αὐτὸν εἰς τὸν καλούμενον Θησαυρὸν, οἴκημα κατάγειον οὔτε πνεῦμα λαμβάνον οὔτε φῶς ἔξωθεν οὔτε θύρας ἔχον, ἀλλὰ μεγάλῳ λίθῳ περιαγομένῳ κατακλειόμενον, ἐνταῦθα κατέθεντο καὶ τὸν λίθον ἐπιῤῥάξαντες ἄνδρας ἐνόπλους κύκλῳ περιέστησαν. Livius quum acciperet haec ab eodem auctore, ex quo hausit postea Plutarchus, ita reddidit de eadem re loquens lib. XXXIX, (50.): *Admonent deinde quidam, esse thesaurum publicum sub terra, saxo quadrato septum; eo vinctus demittitur, et saxum ingens, quo operitur machina, superimpositum est.* In quo annotandum, eleganter ab ipso Livio τὸν περιαγόμενον λίθον verti saxum, quo operitur machina, hoc est mola inferior, quam metam vocat Paulus Iurisconsultus. Intelligitur ergo *Catillum*, ut idem Paulus vocat, hoc est superiorem molam. Machina enim significat molam apud veteres. Unde Ausonius dixit *machinale pondus* pro mola (Ep. 21, 34.). Hinc Italicum vulgus *machinare* pro molere. Sane neque Plutarchus sine Livio, neque ille sine Plutarcho exponi poterat. Porro et Varro thesaurum pro eadem re dixit lib. de Latino sermone VI. (VII, pag. 304. Sp.): *Sed quod Delphis in aede foramen ad latus est quoddam thesauri specie*, quod Graeci ὀμφαλὸν dixerunt. *Thesauri specie*, hoc est ad modum illarum Favissarum, quod Graeci θησαυροὺς vocant. Non tamen ignoro aliter olim a nobis eum locum expositum, sed eleganter Naevius in suo Epitaphio Orcivum thesaurum ab ea translatione dixit:

Itaque postquam est orcivo traditus thesauro.

Scal. Cisternae templi ad aquam recipiendam ab antiquo *favio* pro *foveo* vel *fodio*. Et haec prima fuit huius vocis notio. Postea ob similitudinem *favissae* dictae sunt cellae subterraneae in templis, ubi reponi solebant res sacrae vetustate collapsae. Gloss.: *Favissae θησαυροί.* Cf. Ennius in Iphigen.:

Acherontem obibo, ubi mortis thesauri obiacent.

Neque tamen *favissae* dictae a *flavissae*, dempta *l* litera, quod in eas non rude aes argentumque, sed flata signataque pecunia conderetur, ut idem Valerius Soranus (ap. Gell. l. c.) existimavit. Nam si ita esset, prima in *favissa* produceretur, quam corripuit Caesar Scaliger:

Quae possunt de Socraticis exisse favissis.

Neque prius favissae de thesauris, sed de pateis et aquae cisternis dictum est, ut iam supra. De favissis Capitolii insignis locus Varronis, qui Servio Sulpicio roganti, quid in Censoriis libris significarent *favissae Capitolinae*, rescripsit, in memoria sibi esse, quod Q. Catulus curator restituendi Capitolii dixisset, voluisse se aream Capitolinam deprimere, ut pluribus gradibus in aedem conscenderetur, suggestusque pro fastigii magnitudine altior fieret, sed facere id non quisse, quia favissae impedivissent. *Dac.*

Faventia. Bona ominatio, *Faustum:* bene ominatum. Nam *favere* est bona et bene ominata fari Graecis εὐφημεῖν. Et ut apud Latinos in sacris praeco Favere populum iubebat, sic apud Graecos in sacris clamabat εὐφημία ἔστω. Saepe apud Aristophanem et ab hac faventium attentione bonaque ominatione *favere* pro silere dictum est et ad alia etiam translatum. *Dac. At.* Ac. *Goth. Populum sacrificiis favere iubebant.* Hinc illa formula: *Favete linguis.* Idem Cic. de Divin. II, 28. (I, 45. II, 26.?) Plin. 21. (XXVIII, 2, 3.) Horat. (Od. III, 1, 2.) Virgil. V. Aen. (71.) Papin. II. Silv. in Genethliaco Lucani. Martial. IX. (14, 131.?) Ovid. Fast. II, (654.) Ovid 3. Amor. 12. 3. Eleg. (1, 71.?) Senec. de vita beata (26. extr.) Servius V. Aen. Donatum Andria. Quinctil. Declam. 365. Iulianus in oratione, quae μισοπώγων. *Goth.*

Falcones. Glossar.: *Falcones Δάκτυλοι ποδῶν ἔσω βλέποντες.* Et Isidorus in Glossis: *Falcones, qui pollices pedis intra curvos habent.* Similiter Graeci δρεπανώδεις dicunt, a δρέπανον *falx. Dac.* Vide supra *Capuam* in fine. *Goth.*

Farreum. Quod in nuptiis fiebat, unde nata vocabula confarreatio et diffarreatio. Plin. lib. XVIII. cap. 3.: *Quin et in sacris nihil religiosius confarreationis vinculo erat, novaeque nuptae farreum praeferebant. Dac.* Quod antiquis etiam *horreum.* Vide infra *Horreum. Goth.*

Falarica. Ennius:

Quae valido venit contorta falarica missu.

Falarica a *falis.* Idem Nonius (pag. 555. Merc.) et Servius. Alii a φαλός *splendidus*, quod ea tela splendeant ob ferratam cuspidem, vel potius ob flammam. Nam falaricis circumligabatur materia e pice, sulphure et stupa. Sed prius etymon certum est, ut supra. *Dac.* Glossis χειροβαλίστρα. *Goth.*

Fatantur. Apud Sallustium (Bell. Catill. 47.) tamen *fatatum* est fatis decretum. *Dac. Fatum* nunc recte legitur apud Sallustium.

Falae. Proprie turres ligneae militares, unde tela mittebantur, quae ideo falarica dicta. Vide infra. *Falae* autem ab Hetrusco *phalando* sive *phalanto*, quod caelum notat. Φάλαντον Graecum est a φαλός forsan, *albus, nitens.* Sed potius *falae* a Graeco φάλαι, ut Graeci dicebant montes, altitudines, arces. Hesych. φάλαι ὄρη, σκοπιαί. Et inde φάλαντον, coelum apud Hetruscos, quod altum, inde palatium, id est arx. Inde etiam *falere* apud Varronem (Cf. Varro de R. R. III, 5. ad eumque locum Scaligeri notam) saxa pilea ad onus peristylii sustinendum. Et φάλαι Saxones sive Germani vocabulum retinent *fales*, sive *fels*, *rupes. Dac.* Vide Nonium (pag. 114. Merc.) in *Falae. Goth.* Descendit vocab. a radice Sanscrita *pál* tueri, servare. A qua radice *palus, vallum, falantum*, Etrusca vox, et *Palatium* descendunt.

Farfenum. Videtur legisse in Plauti Milite (Poen. II, 1, 32.):

Eo praesternebant folia farfani.

Vel *farfeni. Scal.* Scripserat Festus *farferum*, nisi dicas r abiise in *n. Farferus* autem pro *farfarus*, quod fluvii in Sabinis, de quo Servius VII. Aen. et herbae nomen est. *Farfari* herbae meminit Plaut. l. c. et Apul. (Metam. pag. 106. 8. ubi vide Lips. et Elmenhorst.): *Folia sunt farfari et nugae merae.* Farfarus est tussilago nostra, populago, ungula caballina. *Dac.*

Fascinum et fas. Fas quidem a fando, quod quasi fatum sit a diis et sacerdotibus. Sic *ius* a *iubendo.* Sed quomodo fascinum a fando, an quia lingua quoque fieret fascinatio, ut apud Catull. (VII, 9.):

Quae nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

Haec sunt nugae. Fascinum, ut optime Cloatius Verus apud Gellium lib. XVI. cap. 12. a Graeco *βάσκανον* et fascinare a *βασκαίνειν*, ensorceler, enchanter. Ad fascinum avertendum omnia turpia veteres adhibebant; sic veretri figuram de collo pueri suspendebant, in gremium suum despuebant, de quibus alibi. *Dac.* De *Fascino* vide supra quae diximus ad v. *Fescenoe.*

Fartores. Candidati, id est qui magistratum aliquem petebant, summa ope nitebantur, ut sibi complurium studia conciliarent, ideoque summo mane solebant domi inambulare et salutatoribus sui copiam facere, quorum singulos nomine proprio compellabant. Verum quum in tanta salutantium turba fieri non posset, ut aeque omnes cogniti essent, huic rei ministrum habuere praepositum, ut accedentium nomina dictaret, qui inde *nomenclator* vel *monitor*, vel *fartor* dictus est. *Dac.* Alio significatu apud Varronem (De L. L. pag. 115. Sp.). Glossis *σιτευταί.* *Goth.*

Furnalia. Varro lib. V. de L. L. (VI, p. 201. Sp.): *Furinalia* et l. IV. (p. 88. Sp.) et VI. (ibidem): *Furinalis Flamen* et *Furinales feriae.* In fastis marmoreis VIII. Kal. Aug. *Furr.* hoc est Furrinalia. Ita credendum est deam ipsam Furrinam esse appellatam. *Ant. Aug.* Lege *Furinalia.* Varro lib. V. de L, L. (VI, pag. 201. Sp.): *Furinalia a Furina, quod ei Deae feriae publicae dies is, cuius deae honos apud antiquos: nam ei sacra instituta annua et flamen attributus: nunc vix nomen notum paucis.* Furinalia erant VIII. Kal. August. Furina eadem, quae Furia. Vide Lil. Gyraldi Syntagma. *Dac.*

Furcilles. Imo quibus aliquid movebant. Furcillis movere, expellere, eiicere, et Latinis proverbialiter effertur, et Graecis ipsis, qui *δικράνοις ὠθεῖν* dicunt, adeo ut ne inferorum quidem temporum Graeci ignorarint. Cedrenus: *Τοὺς βασιλικοὺς θησαυροὺς κιναίδοις καὶ σαμβυκιστρίαις καὶ ὀρχηστρίσι καὶ ἀκολάστων ὅλων πληθύϊ δικράνοις ὅλοις ἀποκενοῦντες.* Non est dubium, quin ea verba: *quibus homines suspendebant,* sint emplastrum ipsius Pauli breviatoris. *Scal.* Existimo Festum loqui de furcis poenalibus, ad quas nocentes allegati et ita circumducti in iis postea tollebantur. Quare temere Scaliger, qui verba ista: quibus homines suspendebant, Pauli emplastrum pronuntiavit. Sane si quid hic tentandum esset, crederem vocem addendam, nempe: quibus homines onera suspendebant, ut de aerumnulis, quibus religatas sarcinas viatores gerebant, Festus locutus sit. Nam et furcillae dicebantur. Vide *Aerumnulae.* Initio etiam legendum *furcilles* sive *furcillae.* Dicebantur enim *furcilles* et *furcillae,* ut *caules, caulae* etc. *Dac.* Adde *Muli Mariani.* *Goth.*

Fundus. Cicero pr. Balbo (8.) ita fieri populum fundum scribit: *Si cum iussisset populus Rom. aliquid, si id adscivissent socii populi ac Latini; et si ea lex, quam nos haberemus, eadem in populo aliquo tanquam in fundo resedisset, ut tum lege eadem is populus teneretur.* Significare autem auctorem ex sententia accusatoris Balbi crediderim. *Negat,* inquit, *ex foederato populo quemquam potuisse, nisi is populus fundus factus esset, in hanc civitatem venire.* Et postea: *Potuit magis fundus populus Gaditanus fieri, quoniam hoc magnopere delectare verbo, si tum fit fundus, cum scita ac iussa nostra sua sententia comprobat, quam cum hospitium fecit?* Plautus in Trinummo (V, 1, 6.): *Nunc mihi is propere conveniendus est, ut, quae cum eius filio egi, ei rei fundus pater sit potior eo.* Adde Gell. lib. XVI. c. 13. et l. XIX. c. 8. *Ant. Aug.* A Graeco *βαθύς,* imus, sive potius *βένθος* profunditas. Nam *fundus* prima notione notat imum putei, fluvii, dolii. Postea de agro cum aedificiis usurpatus. *Dac.* *Fundus quoque dicitur.* Cicero pro Caecina (36, 104.): *In iudicium non venire, utrum Caecina possedit, multo etiam minus quaeri, Caecina* (*Caecinae* Orell.) *fundus sit necne: me tamen docuisse fundum esse Caecinam* (*Caecinae* Orell.). Fundus igitur dictus auctor, quod sit veluti solum et firmamentum. *Dac.* Cf. Varro De L. L. V, pag. 38. Sp.

Futare. Isidorus *futo ἐλέγχω.* *Scal.* Proprie futo, quod erat vas aquarium, aquam ferventem compescere. Varro lib. IV. de L. L. (V, pag. 124. Sp): *Vas aquarium vocant futum* (*futim* Sp.) *quo in triclinio allatam aquam infundebant.* Et proprie Titinnius in Setina:

Coquus ahenum quando fervit paulla confutat trua.

Inde per metaphoram futare, arguere, a quo confutare, refutare. *Dac.* A *fut* aversandi voce, quod est Graecis *φεῦ.* *Goth.*

Futilis. Lutatius Grammaticus: *Futile, vas lato ore, fundo angusto, quo utebantur in sacris deae Vestae: quia aqua ad sacra Vestae in terra non ponitur. Quodsi fiat, piaculum est. Unde excogitatum est fas, quod stare non posset, sed si positum, statim funderetur. Unde et homo commissa non retinens, futilis dicitur.* *Scal.* Haec ille vetus grammaticus. At Terentius in Eunucho (Donat. ad Andr. III, 5, 3. et ad Phorm. V, 1, 19.) *vas futile* intelligit plenum rimarum. *Scal.* Donat. Andr. III, 5, (3.): *Futili, id est levi, a vase, quod futile dicitur, quod non deponunt ministri sacrorum, quod est acuto fundo et patulo ore, eoque instabile*

est. Idem Phorm. V, 1. (19.): *Effutiretis est eloqueremini, evacuaretis, exinaniretis, ab eo, quod est effundere. Translatio est a vase futili nomine, quod patulo ore, fundo acuto, instabile, nihil prorsus continet. Unde futilis dicitur eiusmodi, ut nihil intra se contineat et semper inanis sit. Dac.*

Flagratores. Imo potius ii videntur fuisse, *qui flagris caedebant.* Id ipsa vox satis ostendit, quae activa est, non passiva. *Dac.*

Flustra. Tertullianus de pallio (2.): *Sic et mari fides infamis, dum flabris aquae mutantibus de tranquillo probum, de flustris temperatum et extemplo de decumanis inquietat. Scal.* A *fluo flustrum*, ut a *luo lustrum.* Tunc autem flustrum dictum puto, quum post tempestatem fluctus non moventur, quia tunc *defluit saxis agitatus humor. Dac.*

Flator. Glossarium: *Flat flator, φυσᾷ αὐλητής.* Arnobius lib. II.: *Tibia calamoque flantes.* Veteres glossae: *Αὐλητής, flator tibicinator. Scal.*

Flemina. Placidus in Glossis: *Fleminum vestem, in qua sanguis ambulando in pedes defluit.* Vide infra in *Tama* et supra in *Boa. Ful. Urs.* Caper (p. 2243. Putsch.): *Flemina est, ubi abundant crura sanguine.* Vossius (Vid. Etym. sub v.) deducit a *φλεγμονή*, id est *tumor.* Usus est Plautus Epidic. I, 2. (V, 2, 5.):

Lassitudine me invaserunt miserum ingenua flemina.

Dac.

Flaminius circus et via Flaminia. Livii Epitom. lib. 20.: *C. Flaminius censor viam Flaminiam munivit et circum Flaminium exstruxit.* Circus Flaminius, qui et *Apollinaris* ab Apollinis templo dictus ab aede Sancti Angeli in Piscina, ad campum usque Agonium protensus. Via Flaminia per Hetruscos Aretium ducebat. *Dac.*

Flaminia aedes. Flaminiae aedes. Omnino legendum: *Flaminia, aedes Flaminis Dialis.* Nam Flaminiae aedes mirum non est, si sunt domus Flaminis, quomodo dicitur Flaminius Camillus et Flaminius lictor. Apud Ovidium in Fastis (II, 27.):

Ipse ego Flaminia poscentem Februa vidi.
Februa poscenti pinea virga data est.

Flaminia, ex aedibus Flaminis. Ita legimus apud Ovidium pro eo, quod hodie Flaminiam. *Scal.*

Flammearii. Flamearii, infectores flamei coloris. Distingue: *Flamearii, infectores flamei coloris; violarii, violatii coloris dicuntur.* Locum Plauti respicit Festus, qui est in Aulul. III, 5. (36.):

Stat fullo, Phrygio, aurifex, lanarius:
Caupones patagiarii, indusiarii,
Flamearii, violarii, carinarii.

Dac.

Flumentana porta. Imo potius, quod ad fluvium sita esset. Nam erat ad laevam partem Tiberis. Hodie *porta populi. Dac.*

Flammeo amicitur nubens. Lucanus lib. II. (III, 361.) de Martia iterum nubente:

Lutea demissos velarunt flamea vultus.

Inde Plin. lib. XXI. cap. 8.: *Lutei video honorem antiquissimum in nuptialibus flameis totum feminis concessum. Dac. Eo assidue utebatur Flaminica.* Quae ideo cincta dicebatur. Vide *Cincta*, ubi flameum *vestem* dicit, ut infra *vestimentum. Idem. Cui non licebat facere divortium.* Vide Gell. II (X), 15. *Goth.*

Fidusta. Ut a *venus, venustus; onus, onustus,* sic a *fidus, fidustus. Dac.* Vide *Confoedusti.*

Fides. Imo a Graeco *σφίδες.* Hesych. *σφίδες, χορδαὶ μαγειρικαί· σφιδή, χορδή.* A *fides, fidicula,* sideris nomen est, quod *lyram* vocant. *Dac.*

Fixulas. A *figo, fixum, fixibula, fixula, fibula. Dac.*

Fiscellus. A fiscella, quae est vas vimineum, per quod defluit serum. Isidoro in glossis: *Forma, ubi casei exprimuntur. Dac. Catillones.* Vide supra *Catiliones. Goth.* Descendit a *fisco*, ut *fiscella* a *fiscina.* Ipse autem homo, casei appetitor, quum *fiscellus* diceretur, eadem utebantur metaphora, qua *lagena* dicitur de ebriosis, *macellum* de voracibus.

Fiber. Animal, quod et *castor* et *canis ponticus* dicitur. Fiber, quod extremas amnium oras colat, quas *fibras* dixere. Nam veteres omne extremum *fibrum* vocabant. Unde *fibrae*, extremae iecinoris partes et vestium *fimbriae.* Varro lib. IV. de L. L. (V, p. 85. Sp.): *Fiber ab extrema ora fluminis dextra et sinistra maxime quod solet videri et antiqui fibrum dicebant extremum, unde in sagis extrema fimbriae et in iecore*

extremum fibra hinc fiber dictus. Ubi Scaliger: *Ut a cerno cribrum; a facio faber; a luo liber; a cresco creber; a glubo glaber; a scarreo scaber; a suo suber* etc. sic *a finio fiber.* Verum Salmasius *fimbria* sive *fibria* et *fiber* pro Castore ab Aeolio φιβρός pro θιβρός, quod significat *molle*, pulchrum, ornatum amans. Hesych. Nam *fimbriis* villi assuuntur ad mollitiem et ornatum. Fibro autem mollior pluma pilus Plin. lib. VIII. c. 30. Mihi veterum sententia magis placet. *Dac.* Locus Plauti in iis, quae extant, non est.

Fratria. Nonius (pag. 557. Merc.): *Fratriae oppellantur fratrum inter se uxores.* Gloss.: *Fratria* εἰνατήρ. Andromache et Helena erant fratriae. *Dac.*

Frivola. A *frio* contero, imminuo. Budaeus annot. in Pandect. Sumitur pro suppellectili tenui Ulp. leg. 11. §. 4. D. de pigner. act.: *Non enim credibile est, hoc convenisse, ut ad universam pensionem insulae frivola mea teneantur.* Senec. lib. Controv. III.: *Ego illos in frivola invitavi nostra. Dac.* Glossis σκευάρια, iisdem σκευάριον vascellum. Adde l. 11. §. solutam 5. ff. de pignoratitia. *Goth.* Cf. Laurembergii Antiquar. s. v. *Friare.*

Frater. Postremum etymon ex Nigidio refert Gellius lib. XIII. c. 10.: *Fratris autem*, inquit, *vocabulum P. Nigidius, homo impense doctus, non minus arguto subtilique etymo interpretatur, frater, inquit, est dictus quasi fere alter.* Vide Nonium. Et hoc firmari videtur cognomento Romuli, qui *altellus* dictus est, id est gemellus ab *alter.* Tamen magis placet frater esse a φράτωρ, sive potius ab Aeolico φράτηρ. Φράτορας enim dicebant sodales, qui erant eiusdem tribus vel etiam familiae. Nam φρατριά est quasi πατριά inserto ρ, inde et collegae appellantur *confratres. Dac. Frater* est a voce Sanscrit. *bhratri*, ut *matri* i. e. *mater*, *pitri*, piter i. e. pater.

Frontem. Vide *Corius Ant. Aug.* Vide *recto fronte. Dac.* Adde *Masculino* et Nonium (p. 204. Merc.) in *Frontem. Goth.*

Fremitum. Imo a *fremo*, quod a βρέμω. *Dac.*

Fratilli. A φράττω munio. Et ita videntur esse villi illi, qui in oris et extremitatibus tapetium relinquuntur, quare optime *fimbriae.* Glossae veteres *Fratilli* κροσσοί. Nam *Crossi* sunt λέγναι, λώματα, *fimbriae. Dac.*

Fracebunt, displicebunt. Fracem veteres dicebant fecem expressam ex oleis. Inde *fracere* et *fracescere*, mollescere, putrefieri et corrumpi. Gloss. *Fracescere*, ἐξίστασθαι, demutari, corrumpi. Item *fracidus* ὑπέρωρος, exoletus. Et quia quae fracida et corrupta, ea minus grata sunt, inde factum, ut *fracere* pro *displicere* veteres usurparint. *Dac.*

Forago. L. m. habet *a forando* pro *furando. Fulv. Urs.* Imo a *forando* potius, quia eo filo forabant telam, ut pensa distinguerent. Quare vel ita legendum, vel dicendum est haec: *a furando dictum* ab alio esse adiecta. Sane a MS. Pauli codice absunt, ut monuit Voss. In glossario Isidori *forago* exponitur *trames diversi coloris. Dac.* Ut *vorago* a *vorando*, *propago* a propagando, *plantago* a plantando, et innumera alia.

Frutinal. Si liceret in prima litera erratum librarii existimare in hoc nomine, ut in aliis quibusdam, *Erucinal* potius scriberem templum Veneris Erucinae. Id fuisse duplex Romae in Capitolio et ad portam Collinam, testatur Livius lib. XXII. XXIII. XXX. XL. Exstat etiam denarius C. Considii Noniani cum templo, in quo *Eruc.* scriptum est. Illud vero, quod in Sicilia Erycinae Veneri erat dicatum, laudatores non desiderat. Sed nil temere affirmandum esse reor. *Ant. Aug.* Veneris Fruti meminerunt Solinus: *Dum,* inquit, *simulacrum dedicat Veneri matri, quae Fruti dicitur.* Item Augustin. lib. IV. cap. 21. de Civit., quam *Divam Fruti Seiam* vocat. Trium horum testimoniis, Solini, Festi, Augustini cur fidem elevemus, quominus Frutinal legamus, causae non est. At Erucinae Veneris templum fuit Romae. Quid? Propterea non erit et Veneris Fruti, praesertim quum constet fuisse Venerem cognomine Fruti? Neque nos non vidimus nummum Considii Noniani. Eius enim copiam et aliorum vetustatis monumentorum nobis fecit Christophorus Neytter, Augustanus. At Glossarium Erucinam, non Venerem, sed Isim putat: *Erucinae*, Ἴσιδος. Male hodie *Erudnae;* a Venere Fruti dicta est *Frutilla*, ἴυγξ, quia Veneri dicata est. Glossae. Sine dubio Fruti detruncatum ex Ἀφροδίτη. Nam cum post tempora Numae in urbem Venus recepta sit, non potuit habere nomen Latinum, sed Graecum Afrodite, quod distortum in *Fruta* seu *Fruti.* Sic etiam dicebatur *Venus Murti*, ut *Venus Fruti.* Varro (De L. L. V, 154. Sp.): *Intimus circus dictus ad Murtim.* Utrumque autem potest dici et *Fruti* et *Frutis*, item *Murti* et *Murtis. Scal.* Atqui si ita est, *Venus* et *Frutis* idem est. Non potest igitur *Frutis* esse Veneris cognomentum. Quare potius legendum: *Frucinal, templum Veneris frugi. Frucinal* pro *Fruginal.* Et ita *Venus frugi* caelestis illa Venus sit. Sed mihi maxime placet, ut *Frutis* dicatur a *fruor,*

nempe *fructus frutus*, *frutis*. Vide Salmas. in Solin. cap. 8. *Dac*. *Venus Murti* et *Venus Fruti* unam eandemque deam significare mihi videntur. *Murti(s)* enim *corpus* significat in lingua Sanscrita, ex qua re apparet nomen *Venus Murti*, sive *Murtea* corpoream significare Venerem, h. e. vulgarem illam et πάνδημον, non Uraniam sive coelestem. Idem autem denotat *Venus Fruti*, sive *Frutis* h. e. quae usum venereum et fructum corporis spectat. Nisi forte *Frutis*, ut *frux*, frugis meliorem aliquem usum et altiorem utilitatem salutemque significet, quae res probabilior redditur, si *virum frugi* et similes formulas comparamus. Tum *Venus Frutis* esset frugalis venus et salutem hominibus afferens. Haec vero res altioris est indaginis, quare mythographis erit relinquenda. Ceterum *Venerem Murteam* non posse dictam esse a *myrtis*, iam alii intellexerunt.

Fringilla. Σπίνος. *Scal*. Nonius (pag. 308. s. v. *Frigit*. M.): *Frigere est et frigutire et fritinire, subsilire cum sono, vel erigi et exsilire, quod, quaecunque friguntur, vel frigent, nimio calore vel frigore cum sono susum sussiliunt*. A *frigutire* igitur sive *fringutire* erit *fringillus* sive *fringilla*, avis sic dicta, quod crebro subsiliat et subsultet cum sono. Sic a *fritinnire fritinnus* et per diminutionem *fritillus* vasculum, turricula, in quo tesserae fritiniunt, cum sono subsiliunt concussaeque agitantur. At Varro (De L. L. p. 381. Sp.) innuit, *fringutire* et *fritinnire* voces esse a sono effictas, et illam fringillarum, hanc hirundinum propriam, sed per metaphoram ad homines transferri. Eius verba sunt lib. V. de L. L.: *Eiusdem* (Ennii) *ab hirundine, nefrende fritinni suaviter. M. Actius in Casina* (Plaut. Cas. II, 3, 49.) *a Fringuilla, quid fringutis, quid istuc tam cupide cupis?* Inde Fulgentius *Frigutire*, inquit, *est subtiliter adgarrire* et affert locum Plauti, quem laudat Varro. *Dac*.

Fratriare. *Fratrare*. Et *fraterculare*. Vide *Sororiare*. *Dac*.

Frigere. A φρικεῖν sive φριγεῖν. Lege φρύγειν. Glossarium frigit φρύγει, τεγανίζει, sartagine torret. Inde *frictae nuces* Plauto (Poen. I, 2, 113.) *Frictum cicer* Horatio (? Plaut. Bacch. IV, 5, 6.). *Dac*. *Frigere* i. e. torrere, mera Sanscrita vox est *bhridsch*, torrere, assare. Radicis enim illud *dsch* in Latino sermone, quemadmodum saepe in Sanscrito sermone per derivata, transit in *g*, ut *bhandsch*, frango, *pindsch* pingo, *bhudsch* (frug) fruor, alia.

Fregellae. Fregellae urbs olim nobilis ad fluvium Lirim sita, unde, postquam cives Romam commigraverunt, locus, ubi habitavere, *Fregellae* dictus est. *Dac*. *Felii hospites*. Illim hospites. *Goth*.

Festram. Nihil praeterea addit ineptissimus mutilator, hoc uno contentus, vocabula tantum nobis apponere, significationis et omnis ritus atque antiquitatis securus. At nos sciamus, festram fuisse ostium minusculum in sacrario. Quod tantum abest, ut praetermittere debuerit abbreviator iste, ut etiam de eo librum instum confecerit doctissimus simul atque vetustissimus grammaticus M. Antonius Gnipho. Macrobius (Sat. III, 12.): *Item Antonius Gnipho, vir doctus, cuius scholam Cicero post laborem fori frequentabat, Salios Herculi datos probat in eo volumine, quo disputat, quid sit Festra, quod est ostium minusculum in sacrario, quo verbo Ennius etiam usus est*. Ita iamdudum legendum in Macrobio suspicati sumus, cum ecce confirmata est sententia nostra libro Macrobii manuscripto, cuius copiam nobis fecit eruditissimus ac totius antiquitatis iurisque civilis promptuarium Petrus Pithoeus, amicus noster. *Scal*. *Fenestra* a φανίζω, quasi *fanestra*, per syncopen *festra*, nisi *festra* simpliciter sit a φάω, ut putavit Vossius. Neque *festra* fuit quaevis fenestra, per quam lux intraret, sed minusculum sacrarii ostium. *Dac*.

Firmum. A Graeco ἕρμα fulcrum, firmamentum, nisi malis cum Vossio ab εἱρμός *nexus*. *Dac*.

Frausus erit. Plaut. Asinar. II, 2. (20.):

Metuo in commune, ne quam fraudem frausus siet.

Livius lib. XXXIII. (14.): *Qui capitalen fraudem ausi, quique pecuniae iudicati in vinculis essent*. Lege: *fraudem frausi*. *Scal*. Vide Nonium (pag. 112. Merc. v. *Frausus*.). *Dac*.

Faleri. *A fale dictum* l. m. habet pro *a sale*. *Fulv. Urs*. A sale, quod apud eos sal fieret, prius Halerii dicti. Sed magis placet ab Haleso conditore, unde et Falisci. Ovid. lib. IV. Fast. (73.):

Venerat Atrides fatis Agitatus Halesus
A quo se dictam terra Falisca putat.

Dac. Fortasse legendum: *A falere dictum*. Cf. supra notata a viris doctis ad v. *Falae*.

Fraxare. A φράττω munio, quod qui vigilias obeunt, ii sint velut aliorum septum atque munimentum. Aliter paulo tamen Scaliger in Coniectaneis: *Frago antiquum, ut pago, tago, est lentare, flectere, παρὰ τὸ φράγειν, unde φράγνυμι, quod significat lentare, ut lentare remum Virgilio* (Aen. III, 384.) *et lentare arcum Statio* (Ach. I, 436.). *Ab eo φράγειν et φράττειν dici coeptum pro ambire et*

Latinum priscum fraxare, *obire*, *circuire vigilias*, *a frago*, *ut a veho vexo; tago taxo; fraxatores ergo custodes circumientes vigilias.* Dac. *Fraxare* frequentativum est a *fracare* (*fragere*), *fraquare* (*fraquere*) *fragen*, ut *secere*, *sequere*, a *sagen*: *Insece Musa virum* (Ennius ap. Gell. XVIII, 9.) cet. Unde *frequens*, qui saepe *fragit* i. e. interrogat. Sic *taxare* a *tagere* i. e. *tangere*. *Frango* vero est aliud, et potius cognatum est cum Graecorum ῥήγνυμι, ῥηγνύω i. e. Fραγγύω.

Florifertum. Quod in sacrarium Cereris ferebant post messem factam. Glossae: *Florifertum* ἀνθοφορία. Dac.

Frugamenta. An legendum *frumenta*? an existimavit Festus *frumenta* dicta quasi *frugamenta* a *frugibus*? Dubito. *Frugis* et *frumenta* a fruendo. Fruges sunt, quae siliqua seu folliculo continentur, ut faba, lupinum et reliqua legumina frumenta, quae habent aristam. Interdum tamen *frugis* nomen generale est. Et Iulianus Iurisconsultus D. de verbor. signif. l. 77. tradit: *Frugem appellari omnem reditum*, *non solum*, *qui ex frumentis aut leguminibus*, *verum etiam qui ex vino vel ex silvis caeduis vel cretae fodinis*, *lapicidinis percipitur.* Dac.

Frendere. Proprie dentibus collisis sonitum edere, vox a sono ficta. Per metonymiam dentibus frangere. Gloss. *Frendeo*, θλάω, tero, frango. Inde Pacuvius in Antiopa: *Fruges frendeo solas*, *ac sicco robore.* Serenus:

Copia farris uti frendentibus eruta saxis.

Attius Troadibus: *Saxo fruges frendam.* Virgil. in Culice (175. *infringeret* nunc legitur.): *Obvia infrenderet.* Inde *fressus*, fractus Colum. lib. II. c. 11.: *Cicera bubus erui loco*, *fressa faba datur in Hispania Buetica.* Et Celsus cap. 18. lib. V. Martial. l. IV. ep. 46.:

Farris semodius fabaeque fressae.

Vide *Nefrendes.* Dac. Glossis Faba fresa ἐρεγμός, faba solida κύαμος. De *refriva* vide infra *Refriva.* Goth. Cf. Nonium pag. 447. Merc. s. v. *Fremere.*

Formucales. Manifesto legendum *formucapes*, unde contractum *forcipes.* Scal. Vide in *Forcipes.* Goth. *Quod forma capiant.* Vide *Forma.* Idem.

Farrago. Quod ex multis satis, ut hordeo; vicia et leguminibus fit pabuli causa. Varro lib. I. de re rust. cap. 31.: *Contra ex segete*, *ubi sata admixta*, *ordeum et vicia et legumina pabuli causa viridia*, *quod far ferro caesa farrago dicta*, *aut nisi quod primum in farracia segete seri coeptum.* Gloss. *Farrago* γράστις, id est gramen semiviride. Vide Plinium (XVIII, 16, 41.). Dac.

Fetiales. Legati, qui vel ad pacem faciendam vel ad bellum indicendum. A feriendo foedere dicti, quasi *feriales*, vel a *faciendo*, quasi *feciales*, unde et quidam per *C.* scribunt. Sed apud Graecos semper per T, φετιάλεις. Quare optime Vossius, qui ait dictos a *fatu*, id est fando, *a* converso in *e*. Quippe et *oratores* dicebantur. Varro de vita pop. Rom.: *Itaque bella et tarde et nulla licentia suscipiebant*, *quod bellum nullum*, *nisi pium*, *putabant geri oportere*, *et priusquam indicerent bellum iis*, *a quibus iniurias factas sciebant*, *fetiales legatos res repetitum mittebant quatuor*, *quos oratores vocabant.* Dac. Vide Liv. I. (32.) Virgil. VIII. Aen. Dionys. (Antiqq. Rom. II, p. 131. et saepe alibi.) Plutarch. (Vit. Rom. et saepe.). Alii legunt *Faeciales.* Vide Nonium (pag. 529. Merc. ubi nunc scribitur *Fet.*) in *Foeciales.* Goth. *Fetiales* sunt oratores a radice Sanscrita *vatsch*, dicere, loqui, unde *vates.* Recte igitur per *t*, non per *c* scribitur, quanquam ex radice *vatsch* certis quibusdam condicionibus etiam *vak* oritur, unde *Feciales* quoque scriptura non absurda videri possit. Sed cf. Graecorum προ-φήτης, et Latinorum *vates.*

Feretrius. Alii, quod ei opima ferrent spolia, vel a feriendo. Propert. lib. IV. (10, 46.):

— — — *caussa Feretri*
Omine quod certo dux ferit ense ducem
Seu quia ficta suis humeris haec arma ferebant.
Hinc feretri dicta est ara superba Iovis.

Sed optime monuit Scaliger dictum Feretrium a Feretro pompae triumphalis. Valerius Flaccus (V, 11.):

Has, *precor*, *exuvias et opima cadavera nostro*
Linquite, *ait*, *feretro.*

Dac.

Femur. At Servius et Charisius (p. 24. 83. 130. Fabr.) annotarunt, *femur* tantum dictum et ab eo declinari femoris et feminis pro ea parte corporis, quae est a coxa ad flexum pedis. Tibull.: *Implicuitque femur femini.* Dac.

Frux, frugis. Puto ita distinguendum et supplendum: *Frux frugis dicebant antiqui.* Mox a capite: *Fructum et fructam a fruor.* Frux quidem dixit Ausonius imitatione veterum:

Ante equidem, campis quam spicea suppeteret frux.

Fructus sum et *perfructus* aliquam rem dixerunt veteres, inter quos Lucretios. *Scal.* Nihil muto. Nam sic saepe Festus. Distinctio tantum post *antiqui* ponenda est. De recto *frux* vide Varronem lib. VIII. (De L. L. IX. pag. 487. Sp.). *Fructus* autem et *fructa* pro *fruitus.* Lucret. lib. III. (953.):

Sin ea, quae fructus cumque es, perire profusa.

Item (III, 169.):

Omnia perfructus vitai praemia, marces.

Dac. *Frux* est Sanscritum *bhudsch*, sine *r* littera, ut *bhandsch* frango. Cf. Rosen. Radices Sanscr. p. 119.

Ferocit. A *ferox*, quod a *ferus. Dac.*

Fivere. De *fivere* pro *figere* valde dubito, neque enim reperio *g* unquam mutatum in *u*. Sed legendum est *fibere*. Nam *fibo* dicebant pro *figo*, hinc *fibula*, quae a *figo*, *fixula. Dac. Fibere* Meursius. Vide *Fibula.* Vide Senec. VII. Controv. 6. *Goth. Idem*; item. *Idem.*

Fruniscor et frunitum. Quod ait vulgo dici infrunitum, usus est Seneca de Benef. lib. III. (16.): *Infrunita*, inquit, *et antiquaria est, quae nesciat, matrimonium vocari unum adulterum.* Ut *Iter itiner, iecur, iecoris, se, sine*, sic *fruor, fruinor, fruiscor, fruiniscor* et *fruniscor. Scal.* Gellius lib. XVII. cap. 2. ad illud Q. Claudii primo annali: *Damus suas quemque ire iubet et sua omnia frunisci. Rarius quidem*, inquit, *fuit in aetate M. Tullii, ac deinceps infra rarissimum, dubitatumque est ab imperitis antiquitatis, an Latinum foret. Non modo autem Latinum, sed iucundius amoeniusque etiam verbum fruniscor factum est, quam fruor. Q. Metellus Numidicus, qui caste pureque lingua usus Latina videtur in epistola, quam exul ad Domitios misit, ita scripsit: Ego neque aqua neque igni careo et summa gloria fruniscor. Naevius in Atellana, quae Partus inscripta est, hoc verbo ita utitur:*

Quod magnopere quaesierunt, id frunisci non queunt,
Qui non parsit apud se, frunitus est.

Haec Gellius. Ut *fruor fruiscor*, sic a *fruinor fruiniscor* et per syncopen *fruniscor*. A *fruniscor frunitus* et *infrunitus* proprie dictus homo, qui rebus frunisci nesciret, vel homo nullius frugis, sed postea homo agrestis, insulsus, ἀπειρόκαλος. Nisi malis *fruniscor* geminam olim habuisse notionem, unam *fruendi* a fruor, alteram *sapiendi* a φρονέω. Unde *infrunitus* ἄφρων. Sipontinus: *Frunitus dicitur prudens, hoc est is, quo perfrui licet: sicut a contrario infrunitus insipiens ac stolidus, qui nulli usui est. Sed nos frunitum et infrunitum a Graeco potius deducta existimamus. Nam Graeci φρόνιμον prudentem, ἄφρονα dementem dicunt. Dac.* Respondet *fruniscor* praesenti parasmaipadi *bhunadschmi* in Sanscrito sermone. Atque hanc litterae *n* interpositionem ex lege fieri, docet Bopp. in Gramm. Sanscr. crit. reg. 384. Cf. in paradigmate radicem *iudsch*, ad reg. 324.

Felices. Enumerat Verannius apud Macrob. lib. III. (II, 16, 2.) arbores felices et infelices, in quibus est ficus atra. Vide Plin. lib. XVI. cap. 27. *Ant. Aug.* Duobus modis intelliguntur felices et infelices arbores pro fertilibus et frugiferis sive agrestibus et feris, sic *felix olea* apud Virgil. (Aen. VI, 230. VII, 751.) et *infelix oleaster* (Ge. II, 314.). At in libris pontificum felices et infelices arbores dicuntur faustae et infaustae, non tam fertilitatis habita ratione, quam Deorum, in quorum essent tutela. Vide Macrob. lib. III. c. 20. Quamquam id a veteribus non fuisse observatum testatur hic Festi locus, cui suffragatur alter Plinii: *Infelices existimantur damnataeque religione, quae neque seruntur usquam, neque fructum ferunt.* Item iste Apuleii in Apologia: *Arbor infecunda et infelix, quae nullum fructum ex se gignit, tanti est in pretio, quanti lignum eius trunco.* Imo et Lycophron *infelicia ligna*, quae ad portentorum expiationem adhibebant, vocat ἄκαρπα φυτά:

Ὅταν ἀκάρποις γυῖα συμφλέξας φυτοῖς
Ἥφαιστος εἰς θάλασσαν ἐκβράσῃ σποδόν.

Dac.

Falsius et falsior. Vox *rationabiliter* est Pauli, qua etiam alii inferioris notae grammatici utuntur; voluit dicere ἀναλόγως. *Scal.*

Fucilis. A *fuco*, ut ab herba *herbilis.* Nihil mutandum. *Scal.* Alii *fucilia. Goth.*

Feriae statae. Publicarum feriarum genera sunt quatuor: *stativae*, quae certis diebus et mensibus et in fastis statis observationibus adnotatae, ut *agonalia, carmentalia, lupercalia* etc. *Conceptivae*, quae

quotannis a magistratibus vel sacerdotibus concipiuntur, vel in certos vel in incertos dies, ut *Latinae*, *Paganalia*, *sementinae*, *compitalia*. *Imperativae*, quas consules vel praetores pro arbitrio potestatis indicunt. Et *nundinae* paganorum, id est rusticorum, quibus conveniunt negotiis propriis vel mercibus provisuri. Vide Macrob. lib. I. Sat. cap. 16. *Dac.* Vide supra *Conceptivae*, *Denicales*, et infra *Privatae*, *Sementinae*, *Stultorum*. *Goth.*

Fluonia Iuno. Vide Arnob. lib. III. (p. 118. Elmenh.) Augustin. de Civit. D. lib. VII. c. 2. 3. *Dac.*

Flammeo vestim. *Fulminis;* fulmine. *Goth.*

Fulguritum. *Locus fulguritus* τόπος κεραυνοπλήξ, qui *bidental* dicitur. Vide *Bidental*. *Dac.* Vide *Fanatica* et infra *Obstitum*. *Goth.*

Fanatica. Fanatici proprie dicebantur, qui divino furore correpti, qui numine afflati erant. Inde fanatica arbor, quae fulmine afflata; sed fanatici etiam dicuntur sacrorum ministri. Optimum Glossarium: *Fanaticus* ἱερατικός, ἱεροδοῦλος. In veteri lapide extra Romam: *Q. Coelio Apollinari fanatico de aede Bellonae*. *Dac.* Vide *Fulguritum* et *Obstitum*. *Goth.* Vidimus supra, *fanum* nihil esse, nisi locum sacrum, sacellum, unde apparet, proprie *fanaticus* nihil esse, nisi ἱερατικός. Cf. supra v. *Fanum*.

Fulmen. Imo a *fulgore*, ut in vet. cod. probat Varro lib. IV. de L. L. Nam etsi ignis proprie manare dicatur et fluere, ut apud Lucret. (II, 383.):

Quam noster fluat e taedis terrestribus ortus;

et Callimach. Hymn. in Dian.:

Τόρα πατρὸς ἀποστάζουσι κεραυνοί.

a *fluere* tamen nequit esse *fulmen*, nisi transpositis literis quasi *fluimen*, quod ineptum est. *Dac.* *A fluore.* A fulvore, alii a fulgore. *Goth.*

Fulgere. Falsum erit, quod ait Festus, nisi *ferire* intelligas de fulgore et coruscatione. *Fulgur* enim proprie est ignis sive coruscatio cum fulmine emicans, *fulmen* telum ipsum, quod mittitur, etsi postea frequenter *fulgur* pro fulmine, ut infra *Fulguritum*, quod fulgure, id est fulmine citum est. *Dac.* Vide Varronem IV. de L. L. (V, pag. 76. Sp.). De fulguribus, quae *peremptalia*, *pestifera*, *postularia*, *provorsa*, *renovativa* vide has voces. *Goth.*

Funebres tibiae. Nam funeribus tibiae addebantur. Ovid. V. Fast. (VI, 659.):

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat moestis tibia funeribus.

Item de tibicinum numero:

Adde quod Aedilis, pompam qui funeris irent
Artifices solos iusserit esse decem.

Erat in leg. XII. tab.: *Decem tibicinis adhibeto.* Servius autem ad V. Aeneid. notavit antiquae consuetudinis fuisse, ut maioris aetatis funera ad tubam proferrentur, minoris vero ad tibias. Inde Papinius lib. VI. (Thebaid. VI, 121.):

Tibia cui teneros suetum producere manes.

Dac. *Quas Flamini audire.* Flamini tamen funus exsequi non est religio. Gell. l. X. cap. 15. *Idem.*

Flaminius camillus. Vide *Camillus*. *Dac.*

Flaminia. Patrimem et matrimem interpretatur, cuius uterque parens in vivis est. At alii, qui ex eodem patre et matre nati. Nam ἀμφιθαλῆ vertunt. At contra ἀδελφὸν ἑτεροθαλῆ vocat Cedrenus uterinum aut consanguineum. *Scal.* *Patrimes et matrimes;* patrima et matrima. Alii: *Patrimus et matrimus.* Vide infra *Patrimi*. *Goth.*

Flaminius lictor. Hunc Ovidius intelligit II. Fast. (23.):

Quaeque capit lictor domibus purgamina certis,
Torrida cum mica farra, vocantur idem.

Dac.

Frequentarium. Frequentarius a frequente dicitur, ut *momentarius* a momento, *ferentarius* a ferente, et multa eiusmodi alia.

Fornacalia. Vide supra *Fornacalia*.

Furvum bovem. Diis inferis hostia furva faciebant. Virgil. VI. Aen. (243.):

Quatuor hic primum migrantes terga iuvencos
Constituit.

Et paulo post:

— — — *ipse atri velleris agnam*
Aeneas matri Eumenidum magnaeque sorori
Ense ferit.

Dac.

Ferentarii. Varro lib. VI. de L. L. (VII, 341. Sp.): *Ferentarii equites hi, qui ea modo habebant arma, quae ferrentur, ut iaculum.* Vide *Adscriptivi. Dac. Auxiliares;* auxiliatores. *Goth.* De vocabuli forma cf. quae supra dixi ad vocem *Frequentarius.*

Faustulum. Faustitatem Deam colebant veteres pro incremento pecoris, ut, *si foetura gregem suppleverit*, propterea almam Faustitatem vocat Horatius (Od. IV, 5, 18.). *Scal.* Hanc in seculari carmine sic mire depinxit Horatius:

Fertilis frugum pecorisque tellus
Spicea donet Cererem corona;
Nutriant foetus et aquae salubres
Et Iovis aurae.

Dac. Porcellum est genitivus pluralis. *Goth.*

Familiaris. Eiusdem familiae. *Dac.*

Fana. Vide *fanum. Dac.*

Fastis diebus. Lego: *Fastis diebus ius fari licebat, nefastis non fari licebat. Scal.* Varro lib. V. de L. L. (lib. VI, pag. 229. Sp.): *Fasti dies, quibus certa verba legitima sine piaculo praetoribus licet fari. Ab hoc nefasti dies, quibus diebus ea fari ius non est, et si fati sunt, piaculum faciunt.* Ovid. I. Fast. (48.):

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur,
Fastus erit, per quem lege licebit agi.

Tria verba sunt *do*, *dico*, *addico*, quibus tota iurisdictio continetur. *Dac.* Ab his diebus fastorum libri, quibus dies fastos cognoscimus, et translaticie *Fasti Consulares*, quibus consules singulorum annorum continentur. *Goth.* Cf. etiam Varro VI, pag. 210. Sp. Adde quae supra diximus ad v. *Fastorum libri.*

Fenus appellatur. Vide *Fenus et feneratores.*

AD LIBRUM VII.

Gerrae. Vide *Cerrones*, ubi paulo aliter. Quare et tertium illud fortasse addi potest, nempe Athenienses a Siculis *Gerras* vocatos quasi imbelles, nam gerra Siculis pudenda significat. Suid. Hesych. *Dac.* Vide Nonium (pag. 118. Merc.) in *Gerrae. Goth.* Descendit hoc v. quum *nugas* denotat a Sanscrita radice *gardsch*, quae significat *clamare*, *vociferari.* Contra ubi *crates* notat *vimineas*, cum Graeca voce *γέῤῥον* cognatum est, aliamque habet originem, quae eadem est verbi Latini *gerere.* Recte Doederlin. Syn. Lat. III, pag. 86. ubi *gerrae* significat *nugas*, cum Graec. *γαρύω*, Lat. *garrire* componit.

Genas. In versu Pacuvii potius legerim *flora*, quam *flore. Nunc primum opacat flora lanugo genas.* Nam idem Attius in Bacchis:

Genas lanugo flora nunc demum irrigat.

Idem in iisdem:

Nam flori crines video ut propexi iacent.

Quod Euripides Bacch. 455.: *Πλόκαμός τε γάρσον ταναός.* Pacuvius Antiopa: *Cervicum floros dispargite crines.* Est coronis Anapaestica. Virgilius tamen contra lib. XII. (Aen. VIII, 160.):

Tum mihi prima genas vestibat flore iuventas.

Scal. Pro operimento oculorum et pro malis veteres usurparunt, sed priorem notionem propriam fuisse cum Becmanno existimo. Sic proprie Ovid. Eleg. 8. lib. 2. (e Pont. II, 8, 66.):

Nam caput e nostra citius cervice recidi,
Et patiar fossis lumen abire genis.

Dac. Sulti. Sultis. *Goth.* Duae sunt radices Sanscritae, diligenter distinguendae, *dschna gnosco*, *γνῶναι*, *kennen; to know;* et *dschan gigno*, *geno*, *γεννάω*, *γένω*, *γίγνομαι.* Ex priori descendunt vocabula Latina *gnavus*, *gnarus*, *Gnaivos* (Cneius), *gnotus*, unde *cognitus*, *agnitus;* ex altera derivantur *genus*, *gens*, *gener*,

gnatus, unde *prognatus*, et alia. Cum prioribus illis conveniunt Germanorum *genau*, Batavorum *nauw*, Anglorum *know*; atque ex eodem fonte derivata esse videntur Latinorum *genae*, *genu*; Graecorum *γέννς*, *γενεῖον*, *γνάθος*, *κνάω*, *γόνυ*; Germanorum *Knie* et *Kinn*; Sanscrita *dschânu*, i. e. *genu* et *gandas*, *gena*. Quibus omnibus *connivendi* nativa quaedam ac *nitendi* significatio subest; ipsaque verba *nivere* et *niti* ex eodem fonte duci mihi videntur. Cf. quae dixi ad v. *Gnitus*.

Gentilis. Cicero in Topicis ex Q. Scaevola (c. 6.): *Gentiles sunt, qui inter se eodem nomine sunt. Non est satis. Qui ab ingenius oriundi sunt. Ne id quidem satis est. Quorum maiorum nemo servitutem servivit. Abest etiamnunc. Qui capite nondum sunt deminuti. Hoc fortasse satis est. Nihil enim video Scaevolam pontificem ad hanc definitionem addidisse.* Legitur apud Ciceronem *gentilis* pro cognominis. I. Tusc. (16, 38.): *Regnante gentili meo*, de Tullo Volscorum rege. De discrimine inter gentiles et agnatos vide iuris commentatores. *Dac.* Vide l. saepe. 53. ff. de verb. signif. *Goth.*

Genialis lectus. De eo Arnobius contra gentes. Describitur prolixe a Catullo de nuptiis Pelei et Thetidis. Glossae: *Genialis lectus κλίνη συμποσίου*. Non de eodem intellexit. Nam genialis lectus sternebatur Genio et Iunoni. *Scal.* Servius V. Aeneid. (ad lib. VI, 603.): *Geniales* (lecti) *proprie dicuntur, qui sternuntur puellis nubentibus.* Apuleius Miles. X.: *Et iam torus genialis scilicet noster futurus accuratissime desternebatur, lectus Indica testudine perlucidus, plumea congerie tumidus, veste Serica floridus. Dac.* Vide Nonium (pag. 117. Merc.) in *Geniales. Goth. Nuptiis* om. Ursinus. *Idem.*

Gens Aelia. Quasi vero illud Aeliae gentis proprium sit, ut in familias dividatur, et non reliquarum omnium. Quid igitur? Lege: *Gens illa app.* etc. *Gens* nomen est generale et familias complectitur. Aliquando tamen familia latius patet et gentem significat. Vide *Familia. Dac.* Vide infra *Ingens.* Livium lib. IV. (init.) L. 1. ff. de probat. *Goth.* Cf. Sigonius ad Liv. IV, init. et in libro de Nom. Romanorum. Vox est Sanscrita *dschanas*, ex qua Latini contractiori forma *gens*, ut ex *manas mens*, *dantas dens*, alia.

Gerusia. *Γερουσία*, Senatus. Plutarch. An seni administrand. Resp. (c. 10.): *Ἡ δὲ Ῥωμαίων σύγκλητος ἄχρι νῦν γερουσία καλεῖται.* Hesych.: *Πρεσβυτέριον, πλῆθος γερόντων. Dac.*

Genuini dentes. Graece *σωφρονιστῆρες*, quod prudente et perfecto homine nascantur. Gloss.: *Genuini, σωφρονιστῆρες.* Item: *Genuinum, ὀδόντα μύλην.* A *genis* dicti *genuini*. Interpr. Persii: *Genuinus proprie dens, qui sub genis est.* Alii a *geno* gigno, ex Plin. lib. II. c. 37.: *Homini*, inquit, *novissimi, qui genuini vocantur, circiter vigesimum annum gignuntur, multis et octogesimo. Dac.*

Gestus. Substant. *σχῆμα, εἰδέα, χειροθεσία*. Gloss. *Dac.*

Genium. Aurelius Augustinus: *Genius est deus, qui praepositus est ac vim habet omnium rerum gignendarum.* Vide *Geniales. Dac. Genius.* Luberius: *Genius generis nostri parens. Scal. Alii genium.* Servius I. Georg. (v. 302.): *Genium autem dicebant antiqui naturalem deum uniuscuiusque loci, vel rei, aut hominis.* Inde apud Virgil. Aen. V, (95.):

Incertus Geniumve loci famulumve parentis
Esse putet.

Ubi Servius: *Nullus enim locus sine genio est, qui per anguem plerumque ostenditur.* Genios Graeci vocant *ἐγχωρίους θεοὺς, δαίμονας, ἥρωας. Dac.*

Germen. A *gero* pro *geno*, *gerimen*, *germen*. Inde *germani*, qui ex eodem semine, ex eadem stirpe. Et germani proprie dicuntur, qui eundem habent patrem, sive ii communem matrem habeant, quomodo Terentius, Cicero et alii *germanorum* voce uti solent; sive diversam, qui *consanguinei* dicti sunt. Aliter tamen Varro in lib. de gradibus: *Germanus*, inquit, *ex eadem genitrice natus est, non, ut multi, de eodem germine, qui tantum fratres dicuntur.* Sed vana est haec Varronis differentia, nec idoneis autoribus observata. Terent. Adelph. (II, 4, 5.):

Te habeam fratrem, o mi Aeschine, o mi germane.

Frater nomen generale est et continet *fratres germanos*, *fratres consanguineos*, qui ex uno patre nati sunt et matres diversas habent; *fratres uterinos*, qui ex eadem tantum matre geniti sunt; et *fratres patrueles*, qui ex duobus fratribus procreati. *Dac.* Recte Doederlin. Synon. Latin. III, pag. 74. *germen* et *herba* eiusdem esse originis suspicatur. Utrumque enim a Graeco *φέρβω*, unde *φορβή*, *herba*, et *φέρμα*, *germen*.

Gemursa. Plin. lib. XXVI. cap. 1.: *Et bene quidem morbus celeriter in Italia restinctus est, sicut et ille, quem gemursam appellavere prisci, inter digitos pedum nascentem, etiam nomine obliterato. Dac.*

Gingrire. Glossar.: *Gingrina* εἶδος φωνῆς σάλπιγγος. *Fulv. Urs.* Glossae: *Gingriunt*, χῆνες ἐκβοῶσι. *Gingrum* φωνὴ χηνός. Inde *gingrinae* tibiae dictae. *Gingrinae* sunt Hesychio: Γιγγρίαι, αὐλοὶ μικροὶ, ἐν οἷς πρῶτον μανθάνουσιν. Solin. cap. 12.: *Sive gingrinas, quae, breviores licet, subtilioribus tamen modis insonant.* Verum Athenaeus, Eustath. et Pollux non a gingriendo, sed a Gingra, Gingre vel Gingri Adonidis nomine. Athen. cap. 23.: Γιγγραίνοις γὰρ οἱ Φοίνικες, ὥς φησὶν ὁ Ξενοφῶν, ἐχρῶντο, αὐλοῖς σπιθαμιαίοις τὸ μέγεθος, ὀξὺ δὲ γοερὸν φθεγγομένοις. Idem paulo post: Ὀνομάζονται δὲ οἱ αὐλοὶ γίγγροι ὑπὸ τῶν περὶ Ἄδωνιν θρήνων, τὸν γὰρ Ἄδωνιν γίγγρην καλεῖτε ὑμεῖς οἱ Φοίνικες, ὥς ἱστορεῖ Δημοκλείδης. Eustath. Iliad. 6.: Ἡ δὲ χρῆσις τοῖς γίγγροις ἐκ τῶν περὶ Ἄδωνιν θρήνων, ὃν γίγγριν ἐκάλουν οἱ Φοίνικες. Pollux lib. IV. cap. 10.: Γίγγρας τις αὐλίσκος γοώδη καὶ θρηνητικὴν φωνὴν ἀφίησι, Φοῖνιξ μὲν ὢν τὴν εὕρεσιν, πρόςφορος δὲ Μούσῃ τῇ Καρικῇ. Ἡ δὲ Φοινίκων γλῶττα Γίγγραν τὸν Ἄδωνιν καλεῖ, καὶ τούτῳ ὁ αὐλὸς ἐπωνόμασται. Gingra autem Bochartus ex Phoenicio *gigara* Dominus; plenum fuisset *girgara*, sed prius *R* elisum. *Dac.* Arnob. VI. (p. 205. Elmenh.): *Anserum gingritibus. Goth.*

Gingeriator. *Gingriator* tibicen. Vide Athenaeum. Glossae Hesychii: Γίγγριαι, αὐλοὶ μικροί, ἐν οἷς πρῶτον μανθάνουσιν, ὅπερ ἔνιοι γιγρόν. Glossarium: *Gingriva*, εἶδος φωνῆς σάλπιγγος. *Gingriunt*, χῆνες ἐκβοῶσι. *Gingrum*, φωνὴ χηνός. Arnobius libro X.: *Anserum gingritibus.* Vide Solin. c. X. *Scal.* Lege *gingritor* a gingrire, vel *gingrinator*, a *gingrina*, ut viri docti. *Dac.*

Gizeria. *Gigeria.* Falsum est *Gigeria* esse cibum confectum ex multis obsoniis, sed *gigerium* est ventriculus gallinarum: quod verbum hodie in Gallia retinemus. *Gesier* enim vocamus. Lucillius:

— — — *Gigeriae sunt*
Sive adeo hepatia.

Dac. Vide Nonium (pag. 119. Merc.) in *Gigeria. Goth.* Commode Gallicum nomen *gesier*, veram esse scripturam *gizeria*, quam ex optimo Cod. Gu. II. restituimus.

Geniales deos. Petrus Chiacconius Hispanus homo magni ingenii praeclaraeque eruditionis, a quo multa in hoc libro emendata sunt, existimabat *Genitales* legendum esse. Nam et in veterib. numismatibus *Dis Genitalibus* et Virgilius habet genitales illo versu libri VI. (764.):

Romulus in coelo cum dis genitalibus aevum
Degit.

Item lib. II. Georg. (324.):

Genitalia semina poscunt.

Fulv. Urs. In fine corruptissima ita restituo: *Geniales dicti a genendo, qua plurimum posse putabantur, quos postea Genios appellarunt.* Id est: *Qua re plurimum pollent, hoc est genitura.* Sunt enim θεοὶ γενέθλιοι. Quod autem ait *geniales deos* esse semina et elementa rerum, non latuit Graecos magistros, qui interpretantur *Geniales* στοιχεῖα. *Genialem* etiam τύχην et *genialia* τύχια. Addendum et quod Santra vetus scriptor monet: *Scis enim geniales homines ab antiquis appellatos, qui ad invitandum et largius apparandum cibum promptiores essent.* Potest et vulgaris lectio defendi a *gerendo* et *gerulos.* Nam et idem Censorinus: *Eundem*, inquit, *esse Genium et Larem multi veteres memoriae prodiderunt, in his etiam C. Flaccus in libro, quem ad Caesarem de indigitamentis reliquit scriptum.* Hunc in nos maximam, quinimo omnem habere potestatem creditum est. Gerulus enim apud veteres non ὁ βαστάζων, ut postea, sed ὁ πράττων καὶ πρακτήρ dictus est, ut Plautus in Bacchidibus (IV, 9, 80.) dixit *gerulifigulos mendacii*, gerulos et figulos, hoc est πρακτῆρας καὶ πλάστας. Et veteres glossae: *Geruli*, πρακτῆρες. *Scal.* Non opus est, ut *genendo* scribatur, nam *gerere* idem quod *genere*, unde et apud Varronem de re rust. lib. I. cap. 31. quidam codd. habent: *Id ex pabuli segete viride sectum, antequam gerat siliquas.* Quod in aliis *genat.* In Gloss. Graeco-Latinis: Ἀνύτης *gerulus*, *efficax.* Πράσσειν autem et ἀνύειν verba sunt, quae iocosis rebus illis accommodantur, quibus adesse genios necesse est. *Dac.*

Gnarus. *Gnarus* proprie, cui cuncta gnara sunt, id est cognita, aperta. Non mirum igitur *prognare* significare *aperte. Dac.* Cf. quae supra disputavimus ad v. *Genas.*

Gnephosum. Glossar.: *Gnefonsum*, σκοτεινόν. Vide in *Cnefonsum. Fulv. Urs.* Glossarium Gnetonsum ἀμαυρόν, σκοτεινόν. Corrige: *Gnefonsum. Scal.*

Galli. Sacerdotes Rheae castrati, a Gallo fluvio Phrygiae. Ovid. IV. Fast. (361.):

Cur igitur Gallos, qui se excidere, vocamus,
Cum tantum a Phrygia Gallica distet humus.

Inter, ait, viridem Cybelen altasque Celaenas
Amnis it insana nomine Gallus aqua.
Qui bibit inde, furit; procul hinc discedite, queis est
Cura bonae mentis; qui bibit inde, furit.

Herodianus in Commodo: *Πάλαι μὲν Φρύγες ὠργίαζον ἐπὶ τῷ ποταμῷ Γάλλῳ παραῤῥέοντι, ἀφ' οὗ τὴν ἐπωνυμίαν φέρουσιν οἱ τῇ θεῷ τομίαι ἱερωμένοι.* *Dac.* Cfr. Arnob. VII. Iuvenal. Sat. VI, (511.). Galli etiam sumuntur pro mirmillonibus. Vide infra *Retiario*. *Goth.*

Gnarigavit. Et Gnaruris. Ausonius (ep. 22, 19.):

Non cultor instans, non orator gnaruris.

Apud Arnobium lib. II. (III. p. 113. Elmenh.): *Cur esse dicatis in aliis praeceptionibus gnarures.* Male hodie in Ausonio *gnarus* est, in Arnobio *gnariores*. *Scal.* Optime Voss. *gnaruravit.* Antiqui dicebant *gnaruris* gnarus. Plaut. (Most. I, 2, 17.):

Simul gnarures volo vos esse hanc rem mecum.

Hinc *gnaruro*, gnarum reddo. Unde per syncopen et aphaeresin *naro*, quod nunc *narro*. Gloss.: *Gnarurat, γνωρίζει. Gnarurem, γνώριμον. Gnaritur, γνωρίζεται.* A gnaruris per syncopen *gnarus ἐπιστάμενος*, sciens, peritus. *Dac.* Hinc *gnaritas*. Nonio (pag. 116. Merc.) pro *scientia*. Hinc *gnarus*. Tacito et in l. 43. ff. ad Trebell., ubi tamen *ignarus* legitur. Glossis: *Ignarures ἀγνοοῦντες.* *Goth.* *Gnarigo* a *gnarus* descendit, ut *laevigo* a *laevis*, vel potius *levis*, unde *levigo* potius scribendum. Erit igitur *gnarigare* gnarum facere, i. e. certiorem facere, *narrare*. Nihil enim aliud est *narrare*, nisi *gnarare*, i. e. gnarum reddere.

Gnarivisse. *Gnaruisse.* Vide notam superiorem. *Dac.* *Gnarire* variata forma est verbi *gnarare* h. e. *narrare*, gnarum facere.

Gaia. Pauli errorem potius, quam Festi vel Verrii crederem in hoc genere scripturae, in quo post Constantinum omnes paene librarii et marmorum incisores errabant. Notum est illud Quinctiliani Caium et Caiam scribi, dici vero Gaium et Gaiam. Paulum non errasse arbitror, cum viderim antiquissimum Festi fragmentum ordine literarum scriptum et Verrius eundem ordinem secutus fuerit in libris de verborum significatione. Secuti igitur sunt sonum, non figuram literae: vel cum ipsi alio loco scripserint, imperiti mutarunt, erratum librariorum esse putantes. Quod ad rem ipsam attinet, vide Plutarch. in Problem. Plin. lib. VIII. cap. 48. Iulius Paris in Epitome Valerii Maximi de praenominibus. Sed et observatum est, omnes mulieres, quae alio praenomine carerent, Caias dictas, earumque libertos Caii praenomine plerumque appellatos, seque Caiae libertos dixisse. Vide Cicer. pr. L. Murena (c. 12.) et Velius Longus de Orthographia (p. 2218. P.). *Ant. Aug.* Quinctil. II, (I.) 7.: *Quid, quae scribuntur aliter, quam enunciantur? Nam et Gaius C. litera notatur, quae inversa Ↄ mulierem declarat, quia tam Caias esse vocitatas, quam Caios etiam ex nuptialibus sacris apparet.* Quod ad morem attinet, idem Valer. Max.: *Ceterum Caia usu super omnes celebrata est. Fertur enim Caiam Caeciliam Tarquinii Prisci regis uxorem optimam lanificam fuisse. Et ideo institutum fuit, ut novae nuptae ante ianuam mariti interrogatae quaenam vocarentur, Caiam esse se dicerent.* Cic. pro Murena, qui id facete exagitat: *Quia, inquit, in alicuius libris exempli causa id nomen invenerunt, putarunt omnes mulieres, quae coemptionem facerent, Caias vocari.* *Dac.* Quid significent *Gaius* et *Gaia* proprie, ostendit linguae rusticae vocabulum *gayus*, quod hodie superest in Gallico sermone, ubi *gai* hilarem significat. Fuerit igitur *Gaius*, *gaia*, *gaium* laetus, a, um, et *Gaius* praenomine dicti sunt, quemadmodum *Gnaivos*, *Cneius*, *Manius*, *Lucius*, *Publius*, quorum ratio et significatio aperta.

Gallam. Lucil. lib. XV. apud Nonium (pag. 445. Merc.): *Quae gallam bibere ac rugas conducere ventri Farre aceroso, oleo decumano, pane coegit Cumano.* Sic enim scribendi sunt hi versus. *Ant. Aug.* Galla est fructus sub autumnum arboribus innascens, praecipue robori. Gall. *noix de galle.* Eius sapor asper, quare vinum, quod atrum esset et asperum ad instar gallae *gallam* dixere. *Dac.*

Gaulus. Navis Phoenicia rotunda. Nam Graeci veteres usque ad Iasonem et Argonautas rotundis solum navibus utebantur. Unde Plin. lib. VII. cap. 56.: *Longa nave Iasonem primum navigasse, Philostephanus auctor est.* Aristoph. in Avibus (598):

Γαῦλον κτῶμαι καὶ ναυκληρῶ.

Ubi Schol.: *Γαῦλος, Φοινικικὸν σκάφος.* Et Callimach.:

Κυπρόθε Σιδόνιός με κατήγαγεν ἔνθαδε γαῦλος.

Ab huius gauli formae similitudine vas pastorale *Gaulus* dictum. Theocrit. Idyll. 5. (58.):

Στασῶ δ' ὀκτὼ μὲν γαυλὼς τῷ Πανὶ γάλακτος.

Vide Hesych. Sic et multa alia nomina sunt navigiis communia cum vasis, ut κύμβαι, κάνθαροι, κελέβαι, σκάφαι. *Dac.*

Galbeum. Vide *Calbeos. Dac.* Hinc *galbeae lineae* infra in *Ruscum. Goth.*

Gestit. A *gestu gestire*, quod Donatus Eunuch. III, 5. interpretatur: *Motu corporis monstrare, quod sentias. Constat autem a pecudibus ad homines esse translatum.* Item: *Gestire proprie est sensum corporis gestu indicare; quod magis brutorum est animalium.* Virgilius (Ge. I, 387.):

Et studio in cassum videas gestire lavandi.

Ubi Servius: *Gestire est,* inquit, *laetitiam suam corporis habitu significare. Nam ut homines verbis laetitiam suam exprimunt, ita aves corporis gesticulatione. Dac.*

Gnaeus. Cn. hoc praenomen significare dubitat nemo, et licet sonus *G* literae audiatur, *Cn.* scribitur, ut in Pandectis Florentinis apparet Gnaeum et Gaium ita scribi, ut pronuntiatur. Corporis autem insigne *naevus* dicitur, unde Naevia familia nomen deduxit. Additur autem C. antiquo more, ut cum *frucmentum*, *ferctur*, *forctis*, *cnatura* dicebatur, ex Valerio a Iulio Paride relato, qui enumerat triplicem huius praenominis scribendi rationem *Cn. Gn. N. Ant. Aug.* Idem quod *Naevus*, ut natus, gnatus, navus, gnavus. *Scal. Gnaeus* et *gnaevus* tuberculum in facie excrescens, quasi γναῖος vel γναῖφος. A γίνεσθαι nasci, unde praenomen *Gnaeus.* Itaque cum *naeus* et *naevus* scribitur, *g* perit, non contra, ut volunt viri docti. Sed perperam in voce γίνεσθαι etymon rimatur Festus. Graecum est κναῖος ἀπὸ τοῦ κναίω, quae πάθος et φῦμα significat, unde *Gnaevus* Latinum, ut ᾠόν ovum. Salmas. in Solin. *Dac. Γίγνεσθαι. Γίγνεται. Goth. Gnaeus* et *Cneius*, antiquo sermone *Gnaivos* pronunciabantur et ita scriptum reperitur nomen in inscriptione Cornelia, quam vide in Lanzi Saggio di Lingua Etrusca Tom. I, pag. 150. Vocabulum est idem, atque *gnavus*, Germanorum *genau*, Batavorum *nauw*, Anglorum *know*, quae omnia derivantur a Sanscrita radice *dschna*, nosco.

Ganeum. Locus Terent. est Adelph. III, 3. (5.) ubi Donatus: *Veteres ganeum meritoriam tabernam dixerunt ἀπὸ τῆς γᾶς, τοῦτ' ἔστι τῆς γῆς, quod ipsa sit in terra, non ut caenacula superius.* Ergo ganeum quasi γάνειον a γα, sive potius γάνα, ut veteres dicebant, si fides Hesychio. At Iulius Caesar Scaliger Exercit. CCCXVIII. Sect. II. ait ganeum dici a γάνος, hoc est gaudium, γάννσθαι gaudere, nempe quod homines laetam voluptariamque vitam ibi agitent. *Dac. Abductum.* Abditum, alii *obductum. Goth.*

Galearia. Lege: *Galerita. Galerita* et *Galeritus* avis dicta ab apice, quem habet in capite, galeae speciem referente. A Graecis similiter κόρυδος, κορυδαλός et κορυδαλίς dicitur; nam κόρυς galea. *Galeria* hic nomen habere non potest: nam *galeria tribus* a Galeso fluvio nomen habuit, sive ab alio quovis loco. *Dac.*

Gnitus. Lege *a genubus. Scal.* Sic infra in *Nixi: Nixi dii appellantur tria signa in Capitolio, ante cellam Minervae genibus nixa.* Ergo *gnitor*, quod nunc *nitor*, quasi *genitor*, *genibus* incumbo. A *gnitor*, *gnisus*, *gnitus* et *gnixus. Dac.* Recte quidem Dacerius, quod a *gnitor* i. e. *nitor* derivat, minus bene, quod a *genibus* cum Festo, licet ipsum voc. *genu* ex eodem fonte sit derivandum. Nam *dschna*, gnosco, propriam habet *connivendi* ac *nitendi* significationem, qua de causa Germanorum *kennen* et *können* proprie unum est vocabulum et eandem habet notionem, postea discriminatam. Ac referenda esse eodem Latinorum *gnavus* (navus), Germanorum *genau*, Batavorum *nnuw*, Anglorum *know*, supra vidimus ad v. *Genas.* Igitur a Sanscrito *dschna*, pro quo fortasse etiam *dschni* in usu fuerit, primum descendit *dschânu*, genu, Knie, (cf. praesens Sanscritum *dschânâmi*); tum *ganda*, gena; tum *gnitor*, quod fortasse sonuerit *gnio*, a quo participium *gnitus*, nisi forte *gnitus* pro *gnisus*, ut *grettus* pro *gressus*, *merto* pro *merso* et alia multa.

Gnotu cognitu. A γινώσκω factum *gnosco.* Varro:

Adeste, adeste, quae feramque gnoscite
Domum ut feratis e theatro literas.

A *gnosco* dempto *g nosco*, *gnotu*, *notu.* Glossar. *Gnot.* Lege *gnoscit*, εἶδεν, ἐπιγινώσκει. *Gnotu*, γνῶσιν, διάγνωσιν. Falluntur igitur, qui in *gnosco* et *gnotus g* credunt assumptum in his. Priscianus lib. II. (c. I. p. 60. Tom. I. Kr.): *Est quando n principalis syllabae ante se assumit g, ut natus, gnatus; notus, gnotus antique, unde ignotus; nosco, gnosco, novi, gnovi.* Sed contra Diomedes lib. I. (pag. 378. Putsch.): *Gnoscit ait Caecilius, quoniam et praepositione addita adgnosco* (lege *agnosco. L.*) *et cognosco dicimus. Dac.* Nativam esse atque radicalem litteram *g* in *gnosco* et *gnotus*, ostendunt composita *agnitus*, *cognitus*, adiectiva *gnarus* et *gnavus*, et praeter omnia Sanscritum *dschna* i. e. *gnosco*, unde participium *dschnatas* i. e. *gnotus*, γνωτός.

Gravastellus. Plaut. in Epid. (V, 1, 14.): *Sed quis haec est muliercula et ille ravistellus qui venit.* Vide *Ravi coloris. Ant. Aug.* Locus Plauti est Epid. V, 1. (14.):

Sed quis haec est muliercula et illic gravastellus, qui venit?

Sed hic *gravastellus* non a *gravitate*, ut putat Festus, sed pro *ravastellus*, a *ravus*, qui ravi est coloris, ascito *g*, *gravus*, a quo *gravaster* et diminutivum *gravastellus*, qui ravastellus, imo et *ravistellus* corrupte etiam apud Plautum legisse videtur Festus. Vide *Ravi coloris. Dac.* Apud Plautum Codd. variant *gravastellus*, *gravistellus*, *graviscellus*, *gravestellus.* Meliores *gravastellus* et *gravestellus* exhibent. Hoc non ab adi. *gravis* deduci posse, sed a *ravus* deducendum, ostendit metrum. Aut igitur *ravastellus* scribendum, aut *gravastellus*, ut *g* sit radicale, uti in Germanorum voce *grau*, quae eadem videtur, atque Latinorum *ravus*, *gravus*, in qua *g* postea sit omissum, ut in *gnarus*, *gnotus*, *gnitor*, *gnatus.*

Gramiae. *Λήμη*, Aeolice *γλάμα*, unde *Gramia. Scal.* Nonius (pag. 119. Merc.): *Gramia pituita oculorum. Caecilius:*

Gramiosis oculis ipsa, atratis dentibus.

Glossae: *Grama*, *λήμη*. Vide Hesych. *Dac.*

Groma. Glossae: *Gruma*, *γνώμων*, *βασιλικὴ γνώμη*. Et male lectum ab ipso auctore Glossarii: *Gauma ὀραία τεκτονική*. Lege: *Gruma: ὄπτρα τεκτονική*. In aliis glossis: *Gruma διόπτερα* (lege: *διοπτρα. L.*) *ἡ τῶν μέτρων.* Et *Grumari.* Lucill.:

— — — *viamque*
Vis degrumari, ut castris mensor facit olim.

Glossarium: *Grumat*, *μετρεῖ*, *ἐξισοῖ*. Nonius (pag. 63. Merc.): *Grumae sunt loca media, in quae directae quatuor congregantur et conveniunt viae.* Recte. Nam et in castris et in coloniis capiendis groma ponebatur in tetrantem, antiqua et postica linea se invicem ad angulos rectos intersecantibus. Auctor Aggenus. *Scal.* A *γνῶμα*, *n* mutato in *r*, *groma*, pro quo dicitur *gruma*, *o* in *u*. Hinc *grumare* et *degrumare.* Lucillius: *Viamque Degrumabis uti castris mensor facit olim.* In castrorum etiam metatione *gruma* dicitur mensura illa, illud organum, quod a metatore in loco medio ponebatur in tetrantem, hoc est, ut quatuor faceret angulos normales, et ita divideret castra in quatuor partes. Et locus ipse medius, ubi *gruma*, gruma etiam dictus. Nonius: *Grumae sunt loca media, in quae directae quatuor congregantur viae.* A *gruma* seu *groma* dictus *gromaticus* et *gromatica* disciplina, quae agrorum mensuram docet. *Dac.* In Sanscrito sermone *krama(s)* significat *gradum*, *passum*, a radice *kram*, progredi. Fuerit igitur *groma* proprie *mensura passus*, quod voc. cum omni agrimensura et castrorum metatione ex Etruria translatum esse Romam credibile est.

Grumus. Glossarium: *Grumi τύμβοι. Grimini οἱ διορίζοντες τοὺς ὅρους λίθοι.* Lege *Grummi. Scal.* Scribitur et *grummus.* Proprie clivulus, terrae collectio paulatim exsurgens. Unde exponitur *τύμβος*. Gloss. *Grumi*, *τύμβοι*. Inde propter similitudinem acervi lapidum, qui ad terminorum distinctionem ponebantur, *grumi* dicti. Gloss. Graeco-Lat. *ὅρων λίθοι*, *grumi. Grumus* autem a *congerie* ducit Nonius (pag. 15. Merc.). Vossius a *κρυμός* frigus, quia frigore res concrescunt. Sed verisimilius illud, quam verius. Puto a *gruo*, id est congruo, dictum *grumus*, quod terra multa et multi lapides coeant et congruant ad grumum efficiendum. A *grumus* factum diminutivum *grumulus* pro qualibet acervatione et strue. Paulinus Epist. III. ad Severum: *Et ut totom iuxta Dei verbum confectionem prophetici panis impleret, lentem quoque et hordeum viciam miscuisset in grumilum.* A grumus facta Gallica vox *grumeau. Dac.*

Gracchuris. Ilerda Ptolemaeo in Hispania Tarraconensi. *Dac.*

Graeca sacra. Cerealia, quae ad Eleusiniorum imitationem facta. Ideo ex Graecia translata dicit Festus. Repraesentabatur Ceres Proserpinam quaerens et cum face totum orbem pererrans. Vide Ovid. IV. Fast. (390. seqq.) Cerealibus ante noctem epulari nefas, quia, ut ait Callimachus, Ceres fame affecta ac nihilominus pertinaciter ieiunium servans a Vespero tandem persuasa, ut potum sumeret:

Ἕσπερος, ὅστε πιεῖν Δαμάτερα μῶνος ἔπεισεν.

Vel, ut Ovidius (Fast. IV, 532. seqq.), quod, dum sub noctem papaver legebat, imprudens gustaverit:

Colligit agresti leve papaver humo.
Dum legit, oblito fertur gustasse palato,
Longamque imprudens exsoluisse famem.
Quae qua principio posuit ieiunia noctis,
Tempus habent mystae sidera visa cibi.

A lugentibus haec sacra peragi non poterant, quia post receptam Proserpinam (Fast. IV, 615.):

Tum demum vultumque Ceres animumque recepit
Imposuitque suae spicea serta comae.

Ideoque tunc candidas vestes induebant (619.):

Alba decet Cererem vestis; Cerealibus albam
Sumite, nunc pulli velleris usus abest.

Sed post cladem Cannensem cum propter luctum matronae Cerealibus operari non possent, Senatus luctum finiri iussit, *centum diebus*, ut Festus; ut Livius *triginta*. Livii verba sunt Lib. XXII. sect. 36.: *Tum privatae quoque per domos clades vulgatae sunt: adeoque totam urbem opplevit luctus, ut sacrum anniversarium Cereris intermissum sit, quia nec lugentibus id facere est fas, nec ulla in illa tempestate matrona expers luctus fuerat. Itaque ne ob eandem causam alia quoque sacra publica aut privata desererentur, senatusconsulto diebus triginta luctus est finitus.* Inde proprie *minui luctus* dicebatur, cum erant in casto Cereris, hoc est, cum rebus Venereis abstinebant ad sacra Cereris obeunda: nam Cerealibus vino et Venere interdictum. Vide *Minuebatur.* Porro Cerealia erant a pridie Idus Aprilis per dies octo. *Dac.* Vide Tull. IV. Verr. (cap. 49.). *Goth.*

Gruere. Glossae: *Gruunt*, *γερανίζουσι*. *Scal.* Vide *Congruere*. *Dac.*

Gradivus. Quia gramine sit ortus. Ex flore nescio quo concepit eum mater. Ovidius lib. V. Fast. (255 seqq.). *Scal.* Servius III. Aen. (35.): *Gradivum exsilientem in proelia, quod in bellantibus sic necesse est; aut gravem deum patrem, aut ideo, quia apud pontifices Mars pater dicitur. Alii Gradivum, quod gradum inferant. Alii a gratitudine* (lege *graditudine*), *quod huc et illuc gradiatur: unde Martem communem dici. Alii Gradivum, quia nunquam equester, aut a gradu dictum. Dac.* *Gradivus. Κραδαίνειν, γραδεύειν. Goth.*

Grassari. Grassari, ὀξυποδεῖν, ἐπερείδεσθαι, βαδίζειν. Grassa, βάδισμα, βῆμα. Grassatur λωποδυτεῖ. Grassator λωποδύτης. Scal. A gradior, *grassari*, ire, ambulare. Sed postea hoc verbum male audiit, et *grassari* de viarum obsessoribus dictum, qui in praetereuntes impetum faciebant. Inde autem *grassari* pro *adulari*, quod parasiti atque adulatores per plateas ambulantes in obvium quemque grassarentur, ut adulationibus suis sibi victum quaererent. Et quia ita olim fere poetae, ii etiam *grassatores* dicti sunt. Varro in libro de moribus apud Gellium lib. II. cap. 2.: *Vestiri in foro honesto mos erat; domi, quod satis erat; equos carius, quam coquos emebant. Poeticae artis honos non erat. Si quis in ea studebat, aut sese ad convivia applicabat, grassator vocabatur. Dac.* Adde Nonium (pag. 315. Merc.) in *Grassari*. *Goth.*

Grallatores. Plautus in Poenul. (III, 1, 27.):

Vinceretis cervom cursu vel grallatorem gradu.

Sic etiam apud Varronem lib. VI. de L. L. (VII, pag. 350. Sp.). *Ant. Aug.* Glossarium: *Grullatores, πανικὰ φοροῦντες.* Imo *Grallatores. Πανικὰ φορεῖν* explicat, quod de Aegipanibus hic dicitur. *Scal.* Grallae sunt perticae ligneae furculas habentes, quibus pedes ponebant. Gall. *des echasses*. A gradiendo gradulae, grallae. Inde grallatores, qui grallis ambulabant. His grallis, ut ait Festus, pantomimi utebantur, cum Panas sive Aegipanas induebant, quorum exsicci pedes et crura non melius repraesentari poterant, quam ligneis illis pedibus grallatorum. Grallatores Graecis dicuntur *γύπωνες*, colobathrarii et ipsae grallae colobathra. *Dac.* *Ad similitudinem*; ad simulationem. *Goth.* *Et grallatorem.* Et clavatorem. Vide *Clavator*, *Calo*. *Idem.*

Gravida. Glossar.: *Inciente, innitente, pariente, a ciendo et invocando proximos quosque auxiliatores.* Haec ad verbum *Inciens*. *Fulv. Urs.* Lego infra: *Praegnans velut occupata in genando.* Nam *praegnans* est quasi *praegenans*. Et veteres *genere* et *genare* dicebant pro *gignere*. *Dac.* Inde *gravidavit*, implevit. Non. (pag. 118. Merc.). *Goth.* Locus Paulli ita legendus et distinguendus: *Gravida est, quae iam gravatur conceptu. Praegnans, velut occupata in generando, —. Inciens propinqua* cet.

Graculi. Varro lib. IV. (De L. L. V, 81. Sp.): *Quod gregatim volent.* Sed melius Festus a sono oris, ut et Isidorus lib. XII. cap. 7.: *Graculus a garrulitate nuncupatus, non, ut quidam volunt, pro eo, quod gregatim volent, cum sit manifestum, ex voce eum nuncupari. Est autem loquacissimum genus et vocibus importunum.* Idem Quinctil. lib. I. cap. 10.: *Gracculus diminutivum a graccus, et graccus a graxo aut graco, quod a κράζω.* Sed verum etymon invenit eruditissimus et elegantissimus Aegidius Menagius, amicus noster, qui scribit ἀπὸ τοῦ κόρακος diminutiva forma *coracus*, *coraculus*, *craculus*, *graculus*; graculus enim ex corvorum genere. *Graculus* contractum *graulus*, unde Italicum *grola*, Gallicum *grole*. Quare *corniculam* dixit Horatius in Epistolis (I, 3, 19.):

Ne si forte suas repetitum venerit olim

Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus.

Plura vide apud illum in *Amoenitatibus iuris civilis.* *Dac.*

Greges. *Quos illi ἀγέλας*, melius: *quos illi γάργερα.* *Γάργερα* est pro *γάργαρα multitudo.* Hesychio: *Γάργαρα, πλῆθος, πολλά.* A *γάργερα* sive *γέργερα* factum *grex*, nisi potius sit ab *ἄγερσις* ex *ἀγείρω congero*, quae Vossii sententia. Mihi maxime placet *grex* dici ab antiquo Hebraeo *gar*, pro quo nunc *ogar.* Nam et ita simplex *grego*, quod postea *aggrego.* *Dac.* *Grex* descendit a Sanscrita radice *krî* (diversa a *krĭ* facere) cui respondet Graecorum *ἀγείρω*, unde Latinorum *acervus;* ex eodem fonte derivandum *ἀγέλη*, mutato *ρ* in *λ;* indidem etiam *γέργερον* et *γάργαρον*, reduplicata syllaba radicali, et *grex*, quod ad veterem formam propius accedit.

Grave aes. Hic locus ita interpungendus emendandusque: *Quia asses singuli pondo libram efficiebant, deni autem denarium, ab hoc assium numero dictum.* Vide Plin. lib. XXXIII, cap. 3. et infra in *Sextantarii.* *Fulv. Urs.* Sed nihil mutandum, neque video, cur eum offenderit vulgata lectio. Illum fugit scilicet, hic *libras* esse secundi casus. Nam ita omnia plana. Porro *aes grave* de libralibus assibus semper dictum et duravit usque ad primum bellum Punicum, quo sextantarii, postea unciales et semunciales facti sunt. *Dac.* Hinc *grave* Nonio (pag. 313. seqq. Merc.) ponderosum. *Goth.* *Libras.* Librae. *Idem.* *Librariis.* Libralibus. *Idem.* *Tantundem.* Tantuli. *Idem.*

Glomus. *Globulos* dicit Varro lib. IV. de L. L. (V, p. 110. Sp. ubi nunc legitur *Globi.*): *Item in oleo cocti dicti a globo globuli.* Vide Catonem cap. 29. Gloss. Graeco-Lat. *Globus* et *glomus ἀγαθίς.* Nam Agathis Hesychio est sesamis, placenta ex oleo, melle et sesamo. Agathis etiam est fasciculus lini sive staminis, ut et Latinum *glomus.* *Dac.* *Sphaera* Isidoro XX. cap. 20. *Goth.* *Glomus* et *Globus* descendunt a radice Sanscrita *grah*, quae significat *prehendere*, *greifen*,, goth. *greipan*, unde *carpo*, et *glob-us*, *glom-us.* *R* enim in *L* convertitur, ut in *pritas* i. q. *pretus*, *pletus* (cf. supra *Expreta*) *prithu*, *πλατύς*, latus, et alia multa.

Glos. Glossarium: *Glos, ἡ τοῦ ἀνδρὸς ἀδελφή.* *Γάλως παρὰ Πλαύτῳ.* *Scal.* Hesych.: *Γάλως, ἡ τοῦ ἀνδρὸς ἀδελφή, καθάπερ Κασσάνδρα τῇ Ἀνδρομάχῃ.* *Dac.* *Et fratris uxor* Nonio (pag. 557. Merc.). Adde l. 1. §. 6. ff. de gradibus. *Goth.*

Glocire et glocidare. Lege: *Glocire et glocitare.* *Glocire* a *κλώζειν*, vox a sono efficta. Columell. l. VII. cap. 5. Ut ova quam recentissima supponantur glocientibus. Gloss.: *Gluttit, κροκκᾶ ἡ ὄρνις.* Leg.: *Glocit.* Hanc vocem Vascones retinent, qui dicunt *gloucir* et ipsam avem glocientem *clouque*, ut Hispani *clueca.* *Dac.* Germani *Glucke.*

Glittis. Lege: *Glutis.* Cato (45.): *Uti bene subactum, utique bene glutum siet.* In Glossis Latinis: *Glis, glitis, humus tenax.* *Scal.* Nihil mutandum: *Glittis* pro *gluttis.* Nam *u* saepe abit in *i.* A *glus*, gluten, *glutus*, unitus, bene subactus. *Dac.* Sunt radices Sanscritae *gras* et *glas*, quae *devorare*, *glutire* significant. Est igitur *glus* Germanorum *klos gleba*, unde *glutus*, in glebas redactus, *glutire*, frusta devorare, *gluten*, quod vim habet glebas faciendi; cohaeret Germanorum kleben, leimen, klaiben.

Gluma. A *γλύφω*, scalpo, sive potius a *λέπω*, corticem detraho, est *glubo*, unde *gluma*, follicula hordei, *λέπυρον κριθῆς.* Gloss.: *Quod eo granum glubitur, nudatur.* Varro de re rust. lib. I. cap. 48.: *Arista et granum omnibus fere notum; gluma paucis. Itaque id apud Ennium solum scriptum scio in Euhemeri libris versis. Videtur vocabulum etymon habere a glubendo, quod eo folliculo deglubitur granum. Itaque eodem vocabulo appellant fici eius, quam odimus, folliculum.* Hinc pecus glubi et deglubi dicitur, unde illud Tiberii (Suet. cap. 32.): *Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere.* *Dac.* Vide Nonium (pag. 118. Merc.) in *Gluma.* *Goth.*

Gliscere. Gloss.: *Gliscit, αὔξει.* Aliae: *Glisco, ἐπιτείνομαι.* Hinc *reglisco.* Quod vide suo loco, et *Gliscerae* mensae opimae et opiparae, struibus frequentibus refertae. *Dac.* Adde Nonium (pag. 22. Merc.) in *Gliscit.* *Goth.* *Et;* ut. *Idem.*

Glucidatum. Vide tertium Coniectaneum (pag. 160.). Glossarium: *Glodidatus, ἡδύς.* *Glocidatus* legendum. *Scal.* Vide *Clucidatum.* *Dac.* Vide quae ibi notavimus de origine v. *dulcis*, pag. 380.

Gloria. Antiquitus *Glosia*, a Graeco *γλῶσσα.* *Scal.* Sed Martinio assentior, qui a *κέλωρ*, *φωνή.* *Dac.* Recte *gloria* cum *κλέος*, *κλύω* coniungitur, a Sanscrito *çru* clueo, audio. Ut enim a *dschna* descendit *gnarus*, sic a *çru* derivari potest *glurus* et *glorus*, quod cum v. *clarus* cognatum est, ut *gnarus* et *gnorus*, quod in verbo *ignorare* superest.

Gulliocae. Glossar.: *Guilliciola cortice nucis iuglandis viridi, per quem corpus humanum intelligi vult. Fulv. Urs.* Vide eadem verbo *Culiola. Ant. Aug.* Glossae: *Gulluca καροιοτομία* et *gutilliocae κάροια μακρά, παρὰ Λουκιλλίῳ.* Lege: *Gulioca καρυοτομία. Gulliocae, κάρυα μακρά.* De longis nucibus alibi satis diximus. *Scal.* Lege: *Gullicae* vel *gulliolae. Dac.* Descendere videtur a Sanscrita radice *hul*, quod *velare*, significat, Germanice *hüllen.*

Gutturnium. Glossae: *Gutturnum, εἶδος σκεύους ὀστρακίνου. Gutturnium, βαθμός, προκοπή, ὡς Βάῤῥων.* Ultimum videtur dictum, quod guttatim fiat. *Scal.* Vide *Coturnium. Dac.*

Gaudium. Imo potius a *γαθέω*, sive potius a *γαδέω*, laetor, gaudeo. *Dac.* A Sanscrita radice *hlad*, gaudeo. Anglicum *glad* contulit Bopp. Glossar. Sanscr. pag. 209. Ex *glad* enim sit *gald*, inde *gaud*, ut ex *falsus*, *fausse*, *faux*.

Genus. A *γῇ* terra, quod e terra omnia nata sint. Sed nemo nescit, esse a *γένος*, quod a *γένω*, unde *geno. Dac. Genus.* Gens. *Goth. Γῆν. Γένος. Idem.* A Sanscrita radice *dschan*, generare, nasci, descendit *dschanas*, gens, genus. Inde veniunt *γίγνομαι*, *γένος*, *γνήσιος*, gigno, geno, gnascor, gnatus, kunni (goth.), *cunnus*, *kind* (germ.) quod nihil est nisi *gent(is)* i. e. gens. Cf. Bopp. Gloss. Sanscr. 209.

Gannitio. A *γάννυσθαι* gaudere, proprie de canibus, qui, ut ait Lucretius (V, 966.):

— — *gannitu vocis adulant.*

Quidam vulpibus etiam attribuunt. *Dac.*

Gesum. Lege: *Gesum, grave iaculum.* Varro de vita pop. Rom. lib. III.: *Qui gladiis cincti sine scuto cum binis gesis essent.* Isidorus: *Gesum, hasta, iaculum, βολίς. Scal.* Gesum, gessum et gaesum. Quidam hastam interpretantur. Servius VII. Aeneid.: *Pilum proprie est hasta Romana, ut Gessa Gallorum, Sarissae Macedonum.* Suidas: *Γαῖσα καὶ γαισὸς κοντίς, εἶδος ἀμυντηρίου, οἷον δόρατος.* Sed melius Festus, qui iaculum dicit grave, quod totum esset ferreum. Hesych.: *Γαισὸς, ἐμβόλιον ὁλοσίδηρον.* Et iacula fuisse vel hinc constat, quod bina gerebant singuli. Virgil. VII. Aen. (VIII, 661.):

— — — *Duo quisque Alpina coruscat*
Gesa manu.

Quod idem alibi (Aen. I, 313.) de *hastili:*

Bina manu lato crispans hastilia ferro.

Gaesum autem Gallicam vocem putant, vel etiam Hispanicam. Ab Hispanis enim *gaesa* accepisse Romanos docet Athenaeus. Illustrissimus Bochartus *gesum* putat, quod Chaldaeis *gisa*, vel Hebraeis *chets*, sagitta, iaculum. Nam *chet* littera mutatur in *g. Dac.* Vide Nonium (pag. 555. Merc.) in *Gesa. Goth. Gesum* est *ges* h. e. *gwes*, *gwer*, *wehr*, i. e. waffe, *ὅπλον*, arma, iaculum.

Gurgustium. Quin et gurgulio. Glossae enim interpretantur *οἰκημάτιον βραχύ. Scal.* Tamen *gurgustium* potius a *gurgite*, quasi *gurgistium.* Nam proprie *gurgustium* taberna obscura et latens. *Dac.*

Gricenea. Mihi omnino ignota vox. Adeoque hic nihil vel immutare audeam vel tentare. *Dac.*

Grando. Plin. lib. II. cap. 60.: *Grandinem conglaciato imbre gigni, et nivem eodem humore mollius coacto, pruinam autem ex rore gelido. Grando* autem a *grandis* Festus. Sed melius Isidorus lib. XIII. cap. 10. a *granum*, unde et *grandis. Dac.* Hoc verbum masculini et foeminini generis esse Nonius (pag. 208. Merc.) scribit in *Grando. Goth.*

AD LIBRUM VIII.

Herbam do. Nam nemo poterat dici victor, nisi prius is, quem vicisset, se victum fateretur et victum agnosceret. Ennius:

Qui vicit, non est victor, nisi victu' fatetur.

Citatur in fragmentis Servii, quae extant in pluteis P. Danielis. Versus vero Attii, qui citantur ex Meleagro a Nonio (pag. 317. Merc.), nihil ad rem; imo contra sententiam ipsius Nonii, qui eos ad hoc proverbium accommodat. Sunt autem hi:

Gaudent, currunt, celebrant, herbam conferunt, donant, tenent;
Pro se quisque cum corona clarum collustrat caput.

Nam hic quidem agnoscitur victor, at non a victis. Sunt enim socii et aequales Meleagri victori de sue interfecto gratulantes. *Scal.* Plinius lib. XXII. cap. 1.: *Apud antiquos signum victoriae erat porrigere herbam*

victos, hoc est terra et altrice ipsa humo et humatione cedere, quem morem etiamnunc durare in Germania scio. Vides hunc morem in Germania aetate Plinii, et ego eum etiamnunc durare in Vasconia certo scio, et inde originem traxisse arbitror, quod eum primum pugnae genus apud antiquos utpote pastores lucta fuerit, victus ut se terram tetigisse ostenderet et ita se plane minorem fateretur, victori herbam ex eodem loco decerptam porrigebat. Sed postea illud ad alia traductum et *herbam dare* pro se victum fateri dictum est. Inde Nonius: *Herbam veteres palmam vel victoriam dici volunt.* Sed haec paulo aliter Servius ad illud VIII. Aen. (116.):

Et vitta comptos voluit praetendere ramos.

Ut in pacis petitione, inquit, *ramus olivae cum vittis offerebatur; partim fabulae, partim naturae efficit ratio. Nam cum de nomine Athenarum Neptunus et Minerva contenderent, et iussisset Iupiter, ut illius nomine diceretur civitas, qui munus melius obtulisset hominibus, equum Neptunus, Minerva olivam protulit et statim vicit. Unde cum eius ramus alicui offertur, indicat eum esse meliorem. Hinc est illud proverbium: Herbam do, id est cedo victoriam, quod Varro in antiquarum libris ponit: Cum in agonibus herbam in modum palmae dat aliquis ei, cum quo contendere non capit et fatetur esse meliorem.* Haec Servius, sed multo melius Festus. In Graecia autem manus sive manum victi pugiles porrigebant. Theocrit. Idyll. XXII, (129.):

— — *πᾶς δ' ἐπὶ γαῖαν*
Κεῖτ' ἀλλοφρονέων, καὶ ἀνέσχετο, νῖκος ἀπανδῶν
Ἀμφοτέρας ἅμα χεῖρας.

Ubi olim plura. *Dac.*

Heluo. Ab *eluendo*, *eluo*, qui bona sua eluit i. e. dissipat, perdit; cum aspiratione *heluo.* Gloss.: *Heluo, λαφύκτης, heluari λαφύσσειν,* haurire. Quomodo *haurire opes* dixit Martialis (IX, 83.). Sed vide *Helvela. Dac. Heluo* non ab *eluendo*, nunquam enim praepositioni *ex* aspiratur, sed ab *halo* descendit, quod Festus (v. *Elucus*) significare docet eum, qui hesterno vino est languidus. *Halo* autem eiusdem est originis, atque Graecorum *ἄλη*, quae v. *errorem, dissipationem* denotat, unde *ἀλάομαι*, erro, vagor. Quemadmodum vero a Graeco *ἄλη* descendit *ἀλύω*, unde *ἀλύκη, ἄλυσις, ἀλύσσω, ἄλυκτος, ἀλυκτέω, ἀλυκτάζω, ἀλυκταίνω, ἀλύκτημαι*; sic ab *halo*, veniunt *halucinari, heluo, elucus, helucus.* Et *halo* quidem haud dubie *erronem*, tum *vacillantem*, h. e. qui mente ac pedibus non satis constare potest, significat. Quare *halucinari*, quod est procusum ut *sermocinari*, proprie mente vacillare, *faseln*, necessario valet. *Heluo*, quod e permutatione vocalis radicalis ortum, non proprie notat eum qui dissipat bona sua, sed qui huc illuc circumvagatur, atque ita vorando, potando, ludendo patrimonium consumit. Unde *heluari*, heluonem esse, consumere dissipando; quod etiam passive dicitur, ut Virgil. Catalect. pag. 142. Burm.: *Et heluato sera patrimonio In fratre parsimonia.* Iam *helucus* et subst. abstractum *elucum*, Gr. *ἀλύκη*, ab heluando derivatur, et proprie est *helu-icus, helu-icum*, ut a *villa, villicus*, a *civis, civicus*, ab *hostis, hosticus*; quod genus contractionis usitatius est in adiectivis quae in *utus* desinunt. Significabit igitur *helucus* hominem heluando deditum, vulgo autem eum, qui hesterno vino gravis est, *helucum*, crapulam, gravedinem ex crapula. Cf. etiam A. Gellius XVI, 12. et IV, 19. Omnibus autem istis Graecis atque Latinis vocabulis subesse videtur pro fundamento Sanscrita radix *hval*, quae significat huc illuc se movere, vacillare, unde reduplicativum *hillel*, vibrare, volvere, descendit. Ex ista radice fit substantivum *hvalas*, unde Lat. *halo*, et litteris transpositis *halvas*, unde Lat. *heluo.* Quare etiamsi in Graecis vocibus aspiratio abiiciatur, a qua tamen consuetudine recedunt Attici, qui *ἁλύω* aspirant; tamen Latina illa vocabula sine aspiratione scribenda non sunt. Ab eadem radice descendunt Latina *velo, valvae, volvo, vulva.*

Helvacea. Helvus dicitur color inter rufum et album ab Aeolico *πέλφος*, niger, fuscus, pallidus. Varro lib. II. de re rust. (5.): *Colore potissimum nigro, deinde rubeo, tertio helvo, quarto albo.* Ab *helvus, helvolus, helvinus* et *helvaceus*, qui helvum colorem refert. *Dac. Helvus* idem est, quod *gilvus, gelb*; haud procul abludens a *flavus fulvus* et *furvus*, quae eiusdem sunt originis, sed significationis variegatae. Ut enim permutata vocali radicali differunt *velo, valvae, volvo, vulva*, sic *galbus, galbeus, flavus*; Germ. *gelo, gelb*; Lat. *gilvus, helvus, fulvus, furvus*, et forma et notione diversa, sed eadem similia.

Herma. Graecum est *ἕρμα*, fundamentum, firmamentum, passim. Sed male ab herma Mercurium Hermen dictum vult Festus, quod ipse firmae orationis fundamentum sit, ut herma navium. *Ἑρμῆς* enim a verbo *ἐρέω dico*, unde *ἐρέας* inserto *μ ἐρμέας* per contract. *ἑρμῆς* hermes. *Dac. Interdum etiam Saburram.* Hoc a priori notione pendet, qua scilicet *herma* firmamentum significat. *Saburra* enim nihil aliud est quam

navium firmamentum, ἕρμα, nempe arena, sive etiam lapides et alia, quae ad certam usque mensuram navibus imponuntur, ne instabiles sint. Hesych.: Ἕρμα τὸ νῦν ναῦν ἔρεισμα στερίζον. *Idem.*

Here. Pro *heri.* Plaut. Capt. I, 2. (2.):

Advorte animum sis tu, istos captivos duos
Here quos emi de praeda de quaestoribus,
His indito catenas singularias.

A Graeco χθεσί extrito θ et χ verso in *h* factum *hesi*, nam ita veteres dicebant, postea *heri*, *here.* *Dac.* Forma Sanscrita est *hjas*, unde, mutato *s* in *r* et adiecto *i* demonstrativo, factum *hiari*, quod hodie quoque apud Italos sonat *hieri.* Illud autem *i* finale saepe transit in *e*, ut *peregri*, *peregre*; unde *heri* et *here.* Ab *hias* est *hesternus*, in qua forma *s* redit.

Hetta. Veteres glossae: *Ecta*, φλοκτὶς ἄρτιον. At *Hitta* aliter interpretantur: *Hitta*, *Hicta* ὑμὴν ῥοιᾶς, videlicet, quod superius *Ciccum* dici annotatum est, et *Hittus* φωνὴ κυνός. Unde factum *Hittio* ἰχνεύω, proprium canum vestigia indagantium cum aliqua vocis nictatione. *Scal.* Scribitur et *hecta* ab ἕψω *coquo.* Imo potius ab *hio:* in panis enim pusulis exiguus hiatus cernitur; cave tamen *hetta* cum *hitta* confundas; *hitta* enim vel *hicta* est ὑμὴν ῥοιᾶς. Aliud est et *hittus.* Recte autem Festus *quasi hicta.* Nam inde veteres *hictare* dicebant. Vide Diomed. lib. I. (p. 334. 336. Putsch.). *Dac.* *Pusulam.* Pustulam. *Goth.* *Hettae facere*, dicitur, ut *flocci facere.*

Heres pro domino. Gloss.: *Heres* κύριος, κληρονόμος, *dominus, possessor.* Plaut. Menaech. III, 2. (11.):

Prandi, potavi, scortum accubui, abstuli
Hanc, quoius heres nunquam erit post hunc diem.

Inde Iustinian. §. ult. de hered. qualit. et diff.: *Pro herede*, inquit, *gerere est pro domino gerere, veteres enim haeredes pro dominis appellabant.* Nimirum ab *herus* veteres fecere *heres*, neque obstat syllabae prioris ratio, quae in *heres* producta in *herus* corripitur. Idem enim saepe alias fit. Tamen viri docti heres deducunt ab Hebraeo *iaresch*, *haeredem esse*, *possidere*, quod non alienum est, praesertim si *haeres*, sive *haires* per diphthongum olim scriptum fuit. *Dac.* *Hēres* et *hĕrus* eiusdem haud dubie originis, vocali demutata et flexione variegata, diversam paullo induerunt notionem. Ad eundem fontem pertinent Graeca nomina Ἥρα, ἥρως, Ἡρακλῆς alia.

Heredium. Varro lib. I. de re rust. cap. 10. Antiquus noster ante bellum Punicum pendebat bina iugera, quod a Romulo primum divisa dicebantur viritim, quae, quod heredem sequerentur, heredium appellarunt. *Ant. Aug.* Cornel. Nep. in Porcio Cat. (1.). Versatus est in Sabinis, quod ibi heredium a patre relictum habebat. *Dac.* Vide Nonium (pag. 61. Merc.) in *Heredii.* *Goth.* Ibi nunc legitur: *heredioli.* Sed Varronis loco, qui a Nonio excitatur, recte *heredium* legitur, etiam apud Nonium.

Hecate. Eam in coelo Lunam, in terra Dianam, in inferis Proserpinam fuisse poetae fabulantur. Unde et *tergemina* dicta. Alii tamen diversas faciunt. *Dac.*

Helus. Lege: *Helus* et *Helesa.* *Scal.* *Helesa* autem pro *holesa*, quod pro *holera*, ut *Valesii*, *Valerii*, *dasi*, *dari.* *Dac.* *Helusa*, non *helesa*, legendum. Sic in tabula Bantiana *facurent* osce pro *fecerint*; *facust*, osce pro *facusit* i. e. *fecerit*; *benust* pro *venusit*, i. e. *venerit.* Ut non dubium sit, *helusa* pro *holera* i. e. *olera* dixisse veteres.

Herem Marteam. Vereor, ne Verrius in corruptam scripturam offenderit, ut *herem* pro Nerienem legerit. Nam *Nerien* una ex comitibus Martis, quamquam nihil affirmo. Ceterum *herem* pro *heredem* dicebant. Accius Didascalicon lib. I.:

— — *sapientiaeque invictae gratia*
Atque honoris patera erem mactavit aurea.

Ita enim sine aspiratione, ut apud Plautum Menaechmis (III, 2, 28.):

Quor ausus facere, quoi ego, qua tu, eres eram.

Nam male veteres tam excusi, quam scripti habebant *eras.* *Scal.* Non verisimile est, quod ait Scal., Verrium in corruptam scripturam incidisse, ita ut *herem* pro *Nerienem* legerit. Nam et Nerien non comes, sed uxor Martis. Sed eo tantum errasse videtur Festus, quod Herem Martis comitem dixit, quae Nerienis potius eius uxoris comes fuit, unde et eam cum Neriene coniungit Ennius:

— — *Nerienem Martis et Herem.*

Dac. Dixi ad Varronem IV. de L. L. (ad pag. 14, 17. ed. Goth.), ubi de Lara. Adde quae superius a nobis dicta sunt in *Everriator.* Vide Nonium (pag. 486. Merc.). *Goth.*

Heus. Locus mendosus. *Ant. Aug.* Neque enim *heus* a Graeco αἴ, quod adverbium vocandi nunquam fuit. Potius a Graeco φεῦ. *Dac.* Fortasse legendum: *a Graeco* αὖς, quod pro οὖς dicitur Aeolice. Nec tamen temere in his quicquam affirmandum est.

Hemona. Hemonem pro hominem dicebant veteres. Ennius:

Volturis in silvis miserum mandebat hemonem.

Et ab hemo, hemonus, id est humanus. *Dac.* *Hemo*, *homo*, *humus*, *humanus* descendunt a Sanscrito *bhûmi*, terra, ita ut *hemonus* et *humanus* proprie *terrestrem* significet. *Homo* et *hemo* est Sanscritum *bhaumas*, quod *terrenum* denotat.

Harviga. Ἄριξ *aries*, inserto digam. Aeol. ἄρϜιξ, Arvix, inde *harviga*, proprie hostia, cum aries scilicet mactabatur. Sed postea quaevis hostia, cuius exta inspiciebantur, harviga dicta. In antiqua Mediolanensi legitur: *Harviga dicebatur hostia, cuius ad hepatia inspicienda conducuntur arioli.* Unde Vossius: *Cuius ad hepar et exta inspicienda conducuntur arioli. Dac.* *Arviga* Varro l. IV. de L. L. (p. 100. seq. ed. Sp.). Alii *Aruga* vel *Arinca*, alii ἀρίχα, alii *Ariuga*, *haruga*. *Goth.* Apud Varronem nunc ex optimis codd. editur *ariuga.* Sed falso. Locus Varronis ita se habet: *Aries, qui eam dicebant ares veteres, nostri Ariuga, hinc Ariugas. Haec sunt quorum in sacrificiis exta in ollo, non in veru coquuntur, quas et Accius scribit et in pontificiis libris videmus. In hostiis eam dicunt Ariugem, quae cornua habeat, quoniam is quoi ovi mari testiculi dempti, et ideo ut natura versa Vervex declinatum.* Scribendum videtur: *Aries, qui etiam dicebatur ares, veteres nostri arviga, hinc arvigas. Haec sunt, quarum in sacrificiis exta in olla, non in veru coquuntur, quas et Ateius scribit et in pontificiis libris videmus. In hostiis eam dicunt arvigem, quae cornua habeat, quoniam, si cui ovi mari testiculi dempti sunt, ideo, ut natura versa, vervex declinatum.* Utut haec sunt, has habebimus vocabulorum formas: *Ares*, *aries*, *arvix*, *arviga* (fem.) *vervex.* Iam subiungamus Hesychii testimonia: Ἄρθεος, τράγος. Ἐθρίς, τομίας. κριός. Ἐῤῥάς, κριός. Ἴριον, τράγος. κριός. Ἄριχα, ἄῤῥεν πρόβατον. Quibus omnibus subesse videtur syllaba radicalis ἀῤῥ, ἀρσ, quae marem significat, per varias sed similes tamen notiones vocalibus demutatis. Iones frequentant ἔῤῥην et ἔρσην pro ἄῤῥην et ἄρσην. Sed amplius etiam producitur vocalium demutatio apud Hesychium, cuius verba sic scribenda existimo: Ἄρθεος (ortum ex ἄρσεος, θ pro σ adoptato); Ἐρθίς (ortum ex ἐρσίς); Ἔῤῥας pro quo etiam ἐῤῥαος et ἔῤῥωος invenitur; Ἰῤῥίον (deminutivum, ut ἐρθίς); Ἄριξ, pro quo apud Hesychium, glossatorum more, accusativus invenitur. Et vocabulo ἔῤῥας respondet Lat. *ares*; Graeco ἄρθεος convenit *aries*; ex ἐρθίς factum est *vervex*, olim fortasse *verves*, θ mutato in *v*, ut οὖθαρ in *uber* mutatum est; ex ἄριξ ortum est *arvix* et *arviga*; ἰῤῥίον convenit vocibus *ircus*, *hircus*, *fircus*, quum haud dubie vocabuli forma simplicior apud Graecos fuerit ἴῤῥος. Mire igitur consentiunt vocalis radicalis demutationes. Apud Graecos ἄρθεος, ἄριξ, ἐρθίς, ἔῤῥας, ἴῤῥος; apud Latinos *aries*, *ares*, *arvix*, *vervex*, *ircus*; quae prout demutantur vocales, demutatam paullo induunt notionem. Aspiratio in *arviga* et addita esse et subtracta videtur, ut in *ircus*, *hircus*, *fircus*; sicuti in *vervex* pro ea digamma adoptatum est. Vocabulum *haruspex* aliunde mihi videtur esse deductum, nisi forte *arvix* et *arvis* pro omni hostia dici coeptum. Fuere qui *harus* esse crederent adiectivum, quod responderet Graeco ἱερός, ἱαρός.

Hebes. Corpora obtusa et minime acuta hebetia proprie, et per metaphoram homines stupidi et crassi hebetes dicti sunt. *Dac.* *Retusi.* Obtusi. Vide Non. (pag. 121. ed. Merc.) in *Hebes.* *Goth.*

Helucus. Vide *Elucus. Dac.* Cf. quae supra notavimus ad v. *Heluo.*

Hemina. Dimidia pars sextarii, nam (Priscian. de pond. et mensur. carmen, v. 68.):

Heminas, recipit geminas sextarius unus.

A Graeco ἥμισυ, melius a Graeco ἡμι, semi. *Na* est vocis productio. *Dac.* Vide infra *Publica pondera.* *Goth.*

Hedera. Vide *Ederam. Ant. Aug.* Ab edendo *edera* et cum aspiratione, ut solebant illi veteres *hedera*, idque magis placet, quam ab haerendo; nam tertium etymon *quod edita petat*, ineptum plane est. *Dac.*

Herbilis. Lucillius: *Anseris herbilis virus.* Citatur in fragmentis Servii. *Scal.* Pro *gracilior* quidam *grandior.* Male. *Dac.*

Hercules. Atqui is se flammis iniecit anno ante Christum natum 1196. quo anno nulla fuit solis obscuratio. Melius Servius ad illud I. Aeneid. (741.): *Docuit quae maximus Atlas. Hic Atlas*, inquit, *Iapeti filius in Africa natus dicitur. Hic quod annum in tempora diviserit et primus stellarum versus vel cir-*

culorum vel siderum transitum naturasque descripsit, coelum dictus est sustinere, quia nepotem suum Mercurium et Herculem docuisse dicitur, unde et Hercules coelum ab Atlante susceptum sustinuisse narratur propter coeli scientiam traditam. Constat enim Herculem philosophum fuisse. Atlantem esse Enochum, qui astrologiae inventor fuit, refert Euseb. ex Eupolemo de Iudaeis, ubi ait Abrahamum astrologiam et alias scientias Heliopoli docentem affirmasse Babylonios: *Τὴν εὕρεσιν αὐτῶν εἰς Ἐνὼχ ἀναπέμπειν, καὶ τοῦτον εὑρηκέναι πρῶτον τὴν ἀστρολογίαν.* Et non multo post: *Ἕλληνας λέγειν τὸν Ἀτλάντα εὑρηκέναι ἀστρολογίαν, εἶναι καὶ τὸν αὐτὸν τὸν Ἐνώχ. Τοῦ δὲ Ἐνὼχ γενέσθαι υἱὸν Μαθουσαλάμ, ὃν πάντα δι' ἀγγέλων θεοῦ γνῶναι καὶ ἡμᾶς οὕτως ἐπιγνῶναι. Dac.*

Hernici. Populi in Latio, Lavinio et Albae propinqui, sic dicti a saxis, quae *hernae* Sabinis dicuntur, unde Virgil.: *hernica saxa* dixit VII. Aen. (684.), ubi Servius: *Sabinorum lingua saxa hernae vocantur. Quidam dux magnus Sabinos de suis locis elicuit et habitare secum fecit saxosis in montibus, unde dicta sunt hernica loca et populi Hernici. Dac.* Convenit *giri(s)*, mons, Sanscr., et *hora*, mons, Slav., ut videantur *Hernici* potius *montani* esse, et *hernae* non saxa, sed *montes* significare.

Histriones. De histrionum origine melius aliquando Livius lib. VII. (2.): *Sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu ludiones ex Hetruria acciti ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Thusco dabant. Imitari deinde eos iuventus simul inconditis inter se iocularia fundentes versibus coepere, nec absoni a voce motus erant; accepta itaque res, saepiusque usurpando excitata vernaculis artificibus, quia hister Thusco verbo ludio vocatur nomen histrionibus inditum. Dac.* Glossis *παντόμιμοι. Goth.* Duae sunt radices Sanscritae, a quibus v. *hister* deductum esse potest, *hrisch* et *has*; utrumque significat *ridere, iocari, laetum esse.* Probabilius tamen est, ab *has* descendere verbale *hastri*, quod significat risorem, iocatorem, unde Etruscum *hister*, ludio.

Herceus Iupiter. Sic dictus, quod intra conseptum parietem, qui *ἕρκος* dicitur, colebatur. Ovid. in Ibin. (286.):

Cui nihil Hercei profuit ara Iovis.

Ideoque *domesticus, cortalis* et *septitius* Iupiter dicitur. *Dac.* Adde infra *Penetrale. Goth.*

Hippagines. *Ἱππαγωγοὺς* Graeci vocant. Aristoph. in Equit. (599.): *Εἰς τὰς ἱππαγωγοὺς εἰσεπήδων ἀνδρικῶς.* Ab *ἵππος* equus et *ἄγω* duco *hippagogas* dixit Livius (XLIV, 28.) *ἱππαγωγὰ πλοῖα* Herodot. Polyb. *ἱππηγούς. Dac.* Antea male *ἵππους. Goth.*

Hirtipili. Hircipili. Qui pilos habent similes hircinis. In antiqua Mediolanensi legitur: *Hircipili densorum pilorum homines.* Graeci vocant *δασύτριχες.* In edit. Veneta Ant. Augustin.: *Hircipili duorum pilorum homines.* Non dubium est, quin scriptum fuerit *durorum pilorum homines.* Ergo hircipili *τραχύτριχες*, quare melius forsan *hirsipili*, ut in MS. Pauli cod. Voss. *Dac*

Hirquitalli. Vide in *Irquitalli.* Censorinus cap. 4. de die natali. *Vox crassior et inaequalis fit homini III. hebdomada. Hoc Aristoteles appellat τραγίζειν, antiqui nostri hirquitallire, et inde ipsos putant hirquitallos appellari, quod tunc corpus hircum olere incipiat.* Velius Longus (pag. 2223. ed. Putsch.): *Hinc tractum est, ut eos, qui sunt in adulta aetate hirquitallos vocemus. Fulv. Urs.* Glossae: *Irquitalus νηπιώτατος.* Et: *Irquis τραγιων παις αρχη νηβιοσος.* Lege *τραγιῶν παῖς ἀρχὴν ἡβιώσας,* vel *τραγῶν παῖς ἀκμὴν ἡβώσας. Scal.* His adde, quae de hircoso scripsi ad l. 12. in fin. ff. de aedilicio. *Goth.*

Hira. Plaut. Capt. II, 1. (Curc. II, 1, 23.):

Radices cordis pereunt, hirae omnes dolent.

Ab *hira, hirula, hilla.* Dicitur et *hillum* in neutro genere, quod Varro ab *hilo* derivat, id est minimo. *Dac.* De v. Hilla cf. Non. pag. 122. Merc.

Hippacare. At Isidori Glossae: *Hippitare. Scal.* A Graeco *ἵππος* equus. In Isidori glossis legitur: *Hippicare, oscitare, badare. Dac.*

Hilum. Hillum. Glossarium sine aspiratione: *Illum νάρθηκος τὸ ἐντός.* Et ita in Plauto, ut ostendemus aliquando, si Deus faverit. *Scal.* Minutum illud, quod grano fabae adhaeret. Varro in rerum humanarum libris sic intestinum tenuissimum dici putat, quod *hillum* vocatur. Alii medullam ferale, quam asphodelon Graeci vocant, cui posteriori sententiae Glossae consentiunt supra allatae. Sed facile probatur veteres quidvis tenuissimum hillum dixisse, ut vestium pilos Ennius:

Quae dedit, ipse capit neque dispendi facit hilum.

A *ne* et *hilum nihilum* per apocopen *nihil. Dac. Hillum* Nonio (pag. 121.) et Hilum promiscue. *Goth. Nihil*; vide infra *Nihili. Idem.*

Hirrire. Vox ad imitationem efficta ob literam R, quam canes irritatae sonant, quae et ideo canina dicitur. Sidon. (9, 16.):

Prodat hirritu rabiem canino.

Pro *garrire* quidam legunt *ringere*, ego *rabire*, quod de canibus etiam dicitur. *Dac.* Vide Excerpta Gloss. *Goth.* Sanscrita vox *gir* vocem, vociferationem significat, a radice *gri*, sonare, cui cognatum est *gardsch*, vociferari, unde *gerrae* et *garrire* deduximus supra ad v. *Gerrae*, q. v. *Garrire* igitur et *hirrire* eiusdem sunt originis, et habemus vocalis demutationes tales *a*, *e*, *i*, quas saepe animadvertimus, *garrio*, *gerrae*, *hirrio*.

Hilarodos. Graece Ἱλαρῳδός poeta in conviviis aliisque celebritatibus amatoria vel alia quaevis iucunda carmina, quae tamen tragica quadam gravitate condita essent, cantitabat, ab ἱλαρός, dulcis, gratus et ᾠδή cantio. Athenaeus lib. XIV. ex Aristotele: *Σεμνότερος δὲ τῶν τοιούτων ἐστὶ ποιητῶν ὁ ἱλαρῳδὸς καλούμενος, οὐδὲν γὰρ σχινίζεται, χρῆται δὲ ἐσθῆτι λευκῇ ἀνδρείᾳ καὶ στεφανοῦται χρυσοῦν στέφανον, καὶ τὸ μὲν παλαιὸν ὑποδήμασιν ἐχρῆτο, νῦν δὲ κρηπῖσι. Ψάλλει δὲ αὐτῷ ἄῤῥην καὶ θήλεια, ὡς καὶ τῷ αὐλῳδῷ.* *Dac.*

Hippius. Ἵππιον vel ἱππικὸν Neptunum vocari, scimus ex Aristoph. in Equit. (v. 551.):

Ἵππι' ἄναξ Πόσειδον, ὦ
Χαλκοκρότων ἵππων κτύπος
Καὶ χρεμετισμὸς ἁνδάνει.

Ideo autem *hippius* ἵππιος dictus, quia primus equos iunxisse dicitur et equitandi artem invenisse. Sophocl. in Oed. Col. (715. Br.):

Ὦ παῖ Κρόνου, σὺ γάρ νιν εἰς
Τόδ' εἷσας αὔχημ' ἄναξ Ποσειδάν
Ἵπποισιν τὸν ἀκεστῆρα χαλινὸν
Πρώταισι ταῖς δ' ἔκτισας ἀγυιαῖς.

Dac. *Vel quod tridentis ictu.* Virgilii locum ob oculos habuit lib. I. Georg. (13.):

— — *Tuque o cui prima frementem*
Fudit equum magno tellus percussa tridenti
Neptune.

Alii aiunt, e Neptuni semine in saxo dormientis equum natum, qui inde *Scyphius* dictus est et ipse Neptunus *Petraeus.* Pindar. Pyth. Od. 4. (v. 246. Heyn.):

Παῖ Ποσειδῶνος Πετραίου.

Ubi Scholiastes: *Ἐπίθετον Ποσειδῶνος ὁ πετραῖος. φασὶ δὲ καὶ ἀγῶνα διατίθεσθαι τῷ πετραίῳ Ποσειδῶνι, ὅπου ἀπὸ τῆς πέτρας ἐξεπήδησεν ὁ πρῶτος ἵππος.* Et paullo ante: *Ἐπί τινος πέτρας κοιμηθεὶς Ποσειδῶν ἀπεσπερμάτισε καὶ τὸν θορὸν δεξαμένη ἡ γῆ ἀνέδωκεν ἵππον πρῶτον, ὃν ἐπεκάλεσαν Σκύφιον.* *Idem.* *Quaternos equos.* Sic Rhodii quadrigas soli consecratas quotannis in mare iaciebant. *Idem.*

Hastae. Vox *praecipuum* forte mutanda in *praelii.* *Fulv. Urs.* Cum quid publice venibat, hasta erigebatur, unde passim apud veteres *sub hasta venire* reperias. Inde autem mos deductus videtur, quod primis temporibus ea tantum publice venibant, quae bello capta fuerant. Graeci vocant δορύκτητα. *Dac.* *Nam et Carthaginenses.* Sic Romani in eorum fines, quibus bellum indicebant, hastam mittebant. Quem morem alibi fusius. Vide *Bellona.* *Idem.* Auctionis signum hasta in foro posita. Tertullianus in Apologetico: *Sub eadem voce praeconis, sub eadem hasta, sub eadem annotatione quaestoris divinitas addicta conducitur.* Hinc Titulus ille Codicis: de fide et iure hastae fiscalis. *Goth.*

Habitudo. Pinguedo. Gall. *enbonpoint.* Terent. Eun. II, 2. (11.):

Qui color, nitor, vestitus, quae habitudo est corporis.

Dac.

Halapanta. L. m. *Holaphanta.* Forte *Holpata*, ex Graeco ὅλος et ἀπατάω. *Fulv. Urs.* Ego suspicor Plautum (Curc. IV, 1, 2.) scripsisse *Halopanta* per o, ut *παρὰ τὴν ἅλα* simile faceret ac *παρὰ τὸ σύκον* factum est sycophanta. Nihil significat *Halopanta*, sed comice et tempore lusum est propter habitum marinum, et recte hodie in Plautinis codicibus legitur per o. *Halophantam, an sycophantam hunc magis esse dicam, nescio*, in Curcul. *Scal.* Male Fulv. Urs. *holpata.* Sed pessime Festus halapantam (ut ipse legit) omnia mentientem interpretatur, ab ἄλη, πλάνη *error* et πάντα omnia. Nec melius viri doctissimi, quorum alii, ut Scaliger et Canterus halophantam dici volunt ab ἅλς mare et φαίνεσθαι ostendere, ob vestitum nauticum. Alii, ut Nonius (pag. 120. Merc.) ab ἄλη et ὑφαίνω texo, qui mendacia texit, consuit. Alii denique,

ut Turnebus, ab ὅλος totus et φαίνεσθαι, quasi qui sit totus in ostentatione. Mirum in tantis viris. Halophantae ii dicebantur, qui eos, apud quos sal privatum contra leges repertum fuerat, deferebant, ut sycophantae, qui eos, apud quos ficus. Nam quod hodieque apud nos fieri videmus, ut nemini e certis quibusdam locis in alia sal auferre licitum sit, id olim et apud Graecos observatum fuisse vel unicus Aristophanis locus fidem faciet ex Acharn. II, 5. (v. 517.):

Ἀλλ' ἀνδράρια μοχθηρὰ παρακεκομμένα
Ἄτιμα καὶ παράσημα καὶ παράξενα
Ἐσυκοφάντει Μεγαρέων τὰ χλανίσκια
Κεἴπου σίκυον ἴδοιεν, ἢ λαγῴδιον
Ἢ χοιρίδιον, ἢ σκόροδον, ἢ χόνδρους ἁλός
Ταῦτ' ἦν Μεγαρικὰ, κἀπέπρατ' αὐθημέρον.

Dac.

Habitior. Respicit locum Terent. Eun. II, 3. (34.):

Si qua est habitior paulo, pugilem esse aiunt, deducunt cibum.

Dac.

Hostiliis laribus. Singulae domus, urbes singulae, viae etiam suos lares habebant, qui viales, domestici, urbani dicti sunt. Domestici quidem satis noti. Viales laudat Plaut. Merc. V, 2. (24.):

Vos lares viales ut me bene iuvetis.

De urbanis Ovid. V. Fast. (135.):

Stant quoque pro nobis et praesunt moenibus urbis
Et sunt praesentes auxiliumque ferunt.

Urbani iidem et hostilii dicti, quod ab urbe, quam protegebant, hostes summoverent. Propert. Eleg. III, 2.:

Hannibalemque lares Romana sede fugantes.

Dac.

Hallus. Vide *Allex. Ant. Aug.* Ὁ ποδὸς μέγας δάκτυλος. Glossae. *Scal.*

Hammo. Hamo. Mutilus esse videtur hic locus, qui forsan ita supplendus sit: *Hammo cognominatus est Iupiter, quia.* Nam de Iove hic agitur, quem, cum Libero patri per Libyae deserta iter cum exercitu facienti sitique arido, arietis formam indutus fontem pede vel cornu effossum ostenderit, ab arena, quae Graece ἄμμος dicitur, *hamonem* cognominatum et sub eiusdem arietis persona cultum fuisse poetae fabulati sunt, unde Graecis κριοπρόσωπος, *arietinum caput*, Latinis *corniger.* Sed verum est hammo non a Graeco ἄμμος arena, sed ab Aegyptiaco ἀμοῦς, ut Herodotus et Eustathius apud Dionys. tradunt. Docet autem doctissimus Bochartus Iovem esse *cham* sive *ham* filium Noae, qui in steriles Africae arenas ablegatus ibi per multa secula cultus est sub nomine Iovis *ham* seu hammonis. Aegyptii mollito sono densae aspirationis ἀμμοῦν vel ἀμοῦν dicebant, et ab eo tota Africa Ammonia olim appellata, ut ex Alexandro Polyhistore testatur Stephanus. *Dac.*

Horreum. A farre horreum Festus deducit, *f* mutato in *h*, *harreum*, *horreum*, et id multo verisimilius, quam quod alii commenti sunt, nisi cum Salmasio dicas *horreum* esse a Graeco ὥριον, *custodia, conditorium.* Nam idem plane ὥριον Graecis, quod Latinis *horreum* et in horreis non frumentum tantum, sed alia omnia reponebantur, res quoque pretiosissimae, ut in lege tertia D. de off. praef. vig. et leg. 6. D. de edendo. *Dac.* In feminino etiam dicitur Nonio (p. 208. Merc.) in *Horrea. Goth.* Cf. Doederlin. Syn. Lat. II, pag. 197.

Hostis. Vid. Cicero lib. I. Offic. (cap. 12. Vide Beieri Excursum ad h. l.) Varro lib. IV. de L. L. (pag. 14. Ed. Sp.). Caius cap. 234. de verborum signif. lib. L. Digest. *Ant. Aug.* Servius Danielis nostri: *Persas, qui erant Graecorum hostes, ξένους a Lacedaemoniis appellatos refert Herodotus. Inde hostes, inquit, pro hospitibus dixerunt. Nam inimici perduelles dicebantur.* Locus Herodoti est ἐν οὐρανίᾳ (IX, 11.) ubi de Lacedaemonibus loquitur: Οἱ Ἔφοροι εἶπαν ἔπ' ὅρκῳ καὶ δὴ δοκέειν εἶναι ἐν ὀρεστίῳ στείχοντας ἐπὶ τοὺς ξείνους. ξείνους γὰρ ἐκάλεον τοὺς βαρβάρους. *Scal.* Leg. XII. tab.: *Sei status condictus dies intercedit cum hoste, ito.* Quae verba XII. tab. Plautus usurpavit in Curcul. (I, 1, 5.):

Si statu' condictus cum hoste intercedit dies
Tamen est eundum.

Ab hac priori hostis significatione Galli etiamnunc *hospites* vocant *hostes.* Neque enim Gallicum *hoste* est ab *hospes*, ut quidam somniarunt. *Dac.* *Hostis* ab *hostiendo*, quod ex aequa causa pugnam ineat. Vide Nonium

(pag. 121.) in *Hostimentum.* De peregrino dixi ad l. 1. Cod. de hered. instit. *Goth. Hostis* cognatum cum Gothico *gasts*, Slavico *hosz*, Graecorum *ἑστία*, Germanorum *gast.* Cf. Wackernagel in Jahn. Annal. I. Suppl. fascic. 1. pag. 49.

Hostia. Ovid. lib. I. Fast. (336.): *Victima, quae dextra cecidit victrice, vocatur; Hostibus a domitis hostia nomen habet. Ant. Aug.* Corrige Glossarium: *Hostia θῦμα, ἱερεῖον, θυσία, τόμιον.* Nam vulgo *θυσίας τόμιαν. Scal.* Ab antiquo verbo *hostire* ferire. Alii ab hostibus. Ovid. (Fast. I, 336.):

Hostibus a victis hostia nomen habet.

Sed obstat, quod hostiae etiam eae dictae, quae sacrificabantur, antequam in hostes pergerent. *Hostia* de parvis animalibus, ut ovibus, volucribus; *victima* de magnis, ut tauris. Plaut. Pseudol. (I, 3, 95.):

Nolo victimas, agninis med extis (Lege: *me extis*) *placari volo.*

Dac. Quid prima hostia et prodigua vide infra *Opimae* et *Prodigae. Goth. Hostire.* Adde infra *Redhostire.* Nonium in *Hostire* (121.) et *Hostimentum* (p. 3. M.). *Idem. Hostia, hostire, fustis,* (Germ. Fust, Faust) descendunt a voce *ferire,* ita ut similes habeamus demutationes vocalium radicalium, atque saepe iam observavimus. Ut enim alibi *a, e, o* mutant, sic h. l. demutant *e, o, u; ferio, hostia, fustis.* Cf. Doederlin. III, pag. 263. Ex Doederlini sententia huc referenda sunt etiam verba *verber,* et *ferula.*

Hordiarium. Hordeariae etiam quadrigae dicebantur, quia victori agitatori hordeum praemium dabatur. Auctores veteres Virgilii interpretes, qui sunt in Bibliotheca P. Danielis. *Scal.* Romae hordeum equitibus publice dabatur, quo iumenta sua alerent, neque enim avena utebantur. Cum igitur pro hordeo aes dabatur, illud hordiarium dictum est. *Dac.*

Hostimentum. Aequatio. Nam *hostire* aequare. Plaut. Asin. III, 3. (I, 3, 20.):

Par pari datum hostimentum est, opera pro pecunia.

Vide *Redhostire. Dac.* Adde supra *Hostia.* Nonium (pag. 3. Merc.) in *Hostimentum.* Livium V. *Goth. Hostimentum* propria ac nativa significatione nihil est nisi id quod alicui feritur, h. e. secando attribuitur, distribuendo secatur. Quare tributum, attributum, beneficium denotat, et *hostire* attribuere. Nisi forte *hostire* ab *hostia* demum deductum, sit generatim dictum pro *offerre;* quare hostimentum pro omni *oblato* dicatur.

Hortus. Duriuscula originis ratio, quae si vera est, *ortus* scribendum est, non *hortus. Ant. Aug.* Apud veteres Romanos rustici, non urbani, milites legebantur, qui quum in villis orirentur, ii *ortorum* sine aspiratione nomen dederunt. Horti quidem villae semper dictae sunt, ut in XII. tab. Plin. cap. 4. lib. 19.: *In duodecim tabulis legum nostrarum nusquam nominatur villa, semper in significatione ea hortus, in horti vero heredium.* Sed Festi etymon plane ineptum. *Hortus* a Graeco *ὄρχος*, quod Hesych. interpretatur *κῆπος* i. e. *hortus*, vel potius a *χόρτος* gramen, herba, atque etiam septum. *Dac.* Adde quae de hortis dicam ad legem penult. §. Virgini in hortos ff. de donationibus vir et uxor. *Goth. Hortus* est Germanorum *Gart, Gard,* unde Francorum *garder,* et Italorum *guardare* descendunt. Est igitur *hortus* pr. nihil nisi locus septus et custoditus.

Horctum. Lege *horctem* et *forctem.* Vide supra *Forctis. Scal.* Pro *fortis* veteres dicebant *forctis,* et *h* pro *f horctis;* vide *foedus. Forctis* bonus, id est validus. Leg. XII. tab.: *Sanatibus idem, quod forctibus ius esto. Forctibus* bonis et qui non defecerant a populo Ro. *Sanatibus,* qui olim hostes, sed nunc cives. Quamvis de iis variant sententiae, ut infra in v. *Sanates. Dac.* Cf. quae supra diximus ad v. *Forctes.*

Hosticapax. Impensius placet *Hostirapax, hostium raptor. Dac.*

Hamotrahones. Piscatores et qui unco quasi hamo cadavera trahebant. Hic autem Romanorum morem alludit, apud quos damnatorum cadavera unco in Gemonias vel in alia loca trahebantur. *Dac.*

Horda. Vide *Fordicidiis.* In Fastis XII. kal. Mai. *Ford.* scriptum est, non *Hord.* Varro tamen lib. II. c. 5. de re rust. *Hordicalia* esse in Fastis dicit. *Ant. Aug.* Locus est: *Quae sterilis est vacca taura appellata; quae praegnans horda.* Ab eo in Fastis dies Hordicalia nominantur, quod tunc hordae boves immolantur. *Horda, hordicidi* pro a *forda* et *fordicidia.* Forda autem a ferendo. Ovid. (Fast. IV, 630.):

Forda ferens bos est foecundaque dicta ferendo.

Sive potius a Graeco *φορός* gravida, a *φέρω*. A fordis caedendis fordicidia dicta XV. April., quo triginta gravidae boves Telluri immolabantur pro numero curiarum. Ovid. (Fast. IV, 629. seqq.):

Tertia post Veneris cum lux surrexerit idus
Pontifices forda sacra litate bove.

Nunc gravidum pecus est, gravidae nunc semine terrae
Telluri plenae victima plena datur.

Dac. *Fero*, *fors*, *fordus*, *hordus*, *porto*, omnia a Sanscrito *bhri*, unde *bharas*, onus, *βάρος*, *φόρτος*. Rursum solennes illas vocalium deprehendimus demutationes *a*, *e*, *i*, *o*; ut *βάρος*, *βαρύς*, bharas, fero, *φέρω*, bhri, fors, forduus, porto, *φόρτος*.

Honorarios ludos. Liberalia festa in honorem Bacchi, qui Liber dictus est. Graeci vocant *Διονύσια*, die decima septima Martii Romae celebrabantur. Sed cur *Liberalia honorarii ludi* dicta sint, haud equidem video, nisi quod ante Bacchi ortum arae sine honore fuerint, et hoc allusisse videtur Ovid. Fast. (III, 728.):

Ante tuos ortus arae sine honore fuere
Liber, et in gelidis herba reperta focis.

Dac.

Hodidocos. Hesych.: *Ὁδοιδόκος, κλώψ, ἐνεδρευτής, κακοῦργος, ἔνοδος, λῃστής.* *Dac.*

Homelium. Haec vox mihi suspecta est, neque video tamen, in quam sit commutanda. *Dac.*

Hyperionem. Coeli et Terrae filius fuit Hyperion, qui ex Thea Auroram, Solem et Lunam suscepit. Apollod. statim initio lib. I. Saepe tamen *hyperion* pro ipso sole Ovid. (Met. VIII, 564.):

Iamque duas lucis partes hyperione menso
Discubuere toris.

Dac.

Humanum. Quod mortis causa fiebat. Nam cum mortem designabant, *humanum* usurpare solebant veteres, *siquid humani mihi accidat.* Ennius: *Siquid me fuvat humanitus* i. e. si mors contingat. *Dac.*

Hyperborei. *Οἱ ὑπὲρ Βορέαν* populi, qui supra Boream, non quod apud eos non spiret Boreas, ut Herodotus tradit. Quam opinionem secutus Pindarus Ol. 3. (v. 55. Heyn.):

— — *Ἰδὲ κἀκείναν χθόνα*
Πνοιᾶς ὄπισθεν Βορέα
Ψυχροῦ.

Post Olenem Lycium, qui, ut docet Pausanias, primus dixit, esse quosdam homines *οἱ ὑπὲρ τὸν ἄνεμον οἰκοῦσι τὸν Βορέαν*, sed quod Boreae flatum excedant, vel, ut Servius, quod supra, id est ultra eos flet Boreas. Fuitque primum a poetis conficta vox *hyperborei*, qua populus *βορειοτάτους*, boreae proximos, significarent. Ridicule Festus sive Paulus *ὑπερβαίνοντες ὅρον*, excedentes terminum seculi humani. Mere barbara balbuties. De Hyperboreis multi multa tradidere. Vide Strabonem (I, pag. 62.). Plin. lib. IV. cap. 12. Melam lib. I. cap. 2. et l. III. cap. 5. Horum regionem inviam fabulatur Pindarus Pyth. Od. VII. (X, 46.):

— — *Ναυσὶ δέ, οὔτε πεζὸς ἰών*
Εὕροις ἂν ἐς Ὑπερβορέων ἀγῶνα. θαυμαστὰν ὁδόν.

Vide Stephan. Clerici Quaest. Academ. IV. *Dac.*

Helvella. Titinnius:

Lenti calido helvela, rapula, rumices.

Scal. Veteres pro *holus* dicebant *helus*, ut *Apello* pro *Apollo* et ab *helus helvela* parva *holera.* Glossae: *Helvola λαχανάρια.* Inde et heluones Meursio non voraces, ut Festus docet, sed delicati et opipari, ab aegrotis voce translata, qui nauseabundi et fastidiosi oleribus tantum olim victitabant. *Dac.* *Elvellas* apud Nonium (pag. 210. Merc.) in v. *Lentem.* *Goth.*

Hanula. A Graeco *ναόν* per transpositionem *ἀνόν*, digamma Aeolico *Fανόν*, fanum. Inde fanulum et posito *h* pro *f*, ut saepe apud veteres, *hanulum.* Vide *Fanum.* *Dac.* *Fanum* et *Hanum* idem esse vocabulum, veteres perspexerunt. Cf. quae supra notavimus ad v. *Fana.*

AD LIBRUM IX.

Im. Leg. XII. tab.: *Igitur im capito.* Gl.: *Im eum, τὸν αὐτόν.* *Im* autem a Graeco *νίν.* *Dac.* Macrob. Sat. I, 4. *Goth.* *Im* accusativus a pronomine *is*, ut *em*, acc. a stirpe pronominali *e* sive *es*, unde gen. *eius*, dat. *ei.* Cf. quae diximus supra ad glossam *Em*, *tum.* Multis in locis vett. scriptorum Romanorum accusativus *im* adhuc latere videtur, a librariis oblitteratus. Felici coniectura restitutus est a Bothio

Plaut. Milit. V, 5, 31. ubi vulgo legitur *antequam mittis*, ubi Codd. *animam mittis* et *animam amittis*, pro quo rescripsit Bothius: *an im amittis*. Cf. quae ad Plaut. l. c. a nobis sunt adnotata.

Ianeus. A Iano, qui foribus praeest. *Dac.* *Ianus*, qui etiam *Dianus*, unde *Iana* et *Diana* quemadmodum *Diovis* et *Iovis* (Iupiter) ex eodem fonte est, atque *Diovis*, *Iovis*, et *Iupiter*, scilicet ex Sanscrito *diu* coelum, lux, et *dia(s)* dies. *Ianum* ac *Dianum* esse solem, contra *Ianam* ac *Dianam* lunam vidit Scaliger de emend. temporum II, pag. 174. ostenditque Varronis locus de R. R. I, c. 37.

Iussa. Optime viri docti, qui legunt *iusa* i. e. *iura*, *s* pro *r*, ut *maiosibus* pro *maioribus*, *Lasibus* pro *laribus* etc. *Dac.*

Iubere. Hoc verbo populus Ro. utebatur, cum legem aut aliud rogatus a magistratu hoc modo: *Velitis iubeatis Quirites*; ita respondebat, si rogationem probaret: *Volumus iubemusque*. *Iubere* aliquando pro *hortari*, ut *iubeo te valere* etc. *Dac.* Adde Nonium (pag. 324. Merc.) in *Iubere*. *Goth.*

Iunium. Multa de his Ovid. VI. Fast. 26. et Macrob. lib. I. Saturn. *Ant. Aug.* Iunonius antea dictus. Ovid. l. c. *Dac.* Varro lib. IX. de L. L. (Lib. VI, 214. Sp.). Quin et ipse Festus in *Maius*. *Goth.* *Iunus*, unde *Iuno* (Ζανώ Graece), est splendens, a rad. Sanscr. *Diu*, addito suffixo *nus*, quare Iunius potius a Iunone, quam a iuvenibus videatur derivandum. Sed *Iunius* ut *Maius*. Ut enim *Maius* a Sanscr. *mahat*, *mahas* (maias) *magis*, *maior*; sic a *Iunus*, *Iunius*, qui splendorem habet, quia mensis est, ubi sol maxime splendet. Igitur ut *Maius* erit auctans, crescere faciens; sic *Iunius* splendidus, splendore Solis insignis. Adde, quae s. v. *Dies* diximus.

Iulius. Quintilis antea dictus, quod quintus essent a Martio, qui mensi dabat initium. Postea in honorem Caesaris *Iulius* dictus, quod is IV. Idus eiusdem mensis natus sit. *Dac.*

Iurgatio. Varro lib. VI. (pag. 371. Sp.): *Iurgare est iure agere, cum quis iure litigarit.* Sed proprie *iurgatio* et *iurgium* est inter benevolos et propinquos dissentio vel contentio. *Lis* inimicorum concertatio vehementior. Cicero IV. de Rep.: *Si iurgant benevolorum concertatio est, lis inimicorum non iurgium dicitur.* Quare apud probos auctores distinguuntur Liv. lib. V.: *Iurgiis ac litibus temperatum.* Ovid. II. Fast. (I, 74.):

Lite vacent aures, insanaque protinus absint
Iurgia, differ opus livida lingua tuum.

Dac. Ita iurgium (iuris actio) definitur in c. forus §. iurgium de verb. signif. Adde Nonium (p. 430. Merc.) in *Iurgium*. *Goth.*

Iusti dies. Unico verbo Glossarium cum alia interpretatione: *Iustidium*, ἀρχοντικὴ ἡμέρα, tanquam iusti dies sint, quibus ius dici poterat, quod verum non est. *Scal.* Erant continui triginta dies, quibus exercitui imperato vexillum rufi coloris in arce positum erat, et praeliaribus diebus differunt, quod praeliaribus fas erat rem repetere et hostem lacessere, iustis autem non item. *Dac.* Alia significatione *iusti dies* sumuntur apud Gell. XX. cap. 1. pro *iustitio*, iuris interstitione et cessatione inter litigatores. *Goth.*

Iuge. Cicero II. de Divin. (36, 77.): *Huic simile est, quod nos augures praecipimus, ne iuge auspicium obveniat, ut iumenta iubeant disiungere.* Servii fragmenta in illud: *Primum omen equos in gramine vidi.* (Virg. Aen. III, 537.): *Multi de libris augurum tractum tradunt. Iugetis enim, quod ex iunctis iumentis fiat. Observatur enim, ne prodituro magistratui disiunctis bubus plaustrum obvium veniat*; et infra: *Cum autem dicit iugo veram significationem iugetis facit. Scal.* Pessime tractavit hunc locum Schegkius (in Gruter. Lamp. IV. p. 893.). Auspicato viam aut aliud agenti iumentum alteri iumento iunctum, si stercus faceret, ex Augurum ritibus vitiabat auspicium, quod non faciebat ab alio seiunctum. Ideoque ne tale auspicium obveniret, iubebant disiungere. Mihi suspicio est, e Servio aliquid excidisse. Forte scriptum fuerat: *Ne prodituro magistratui nisi disiunctis bobus* etc. Porro eo allusisse videtur auctor Glossarii, cum scripsit: *Iugites*, συνεζευγμένοι. *Dac.* *Cum iunctum*; cum vinctum. *Goth.*

Iubar. Varro lib. VI. de L. L.: *Iubar dicitur stella lucifer, quae in summo habet diffusum lumen, ut leo in capite iubam.* Sed recte de Vespero etiam *iubar* dici monuit Festus. Calvus in Epithalamio:

Hesperium ante iubar quatiens.

Stellam iubatam vocat Varro. (Cf. Scalig. Coni. in Varr. pag. 72.) Et Callimachus (Hymn. in Del. 302. seq.) alludens οὖλος ἐθείραις ἕσπερος, qui locus male ab interprete acceptus est, dum vertit: *Salubris capillis vesper.* Οὖλος ἐθείραις dixit Callimachus, quod alii οὐλοκάρηνος, unica voce οὐλόθριξ, crispus. *Dac.* *Iubar* nihil est nisi splendor, a Sanscrita radice *diw*, *diu*, *splendere*, *lucere*; proprieque *diubar* dictum est, sed *d*

omissum, ut in *Iupiter*, *Iuno* (vide *Iunius*). *Iuno* autem et *Ianus*, *Dianus*, *Iuno* et *Diana*, *Diiana*, eiusdem originis. Cfr. Schmidt de cognatione linguae Sanscr. cum Gr. et Rom. in Jahn. Annal. Philol. et Paedag. XII, 3. p. 342. Ex eodem fonte *Diespiter*, *Diiovis*. Cf. Varro de L. L. V, 20. Sp. et *Flamen Dialis*, Iovis sacerdos.

Iugula. Glossarium: *Iugula*, *ἄστρον Ὠρίωνος*, *ὁράτιος ὥς φησι*. Sane Horatiis meminit Orionis, non autem iugulae. Sed legendum: *Ὁ Ἄττιος ὥς φησι*. Varro (VII, pag. 335. Sp.): *Iugula signum est, quod Attius appellat Oriona, cum ait: citius Orion patefit.* Ita nec quidem constabit sua fides illi glossario. Nam Attius non dixit iugulam, sed Orionem. Sed puto *μνημονικὸν ἁμάρτημα*, cum meminisset a Varrone *Iugulae* et *Attii* uno in loco mentionem factam, putasse ab Attio ipso iugulae quoque mentionem fieri. *Scal.* Plaut. Amph. I, 1. (118.):

Neque iugula, neque vesperugo neque Virgiliae occidunt.

Ratio autem nominis ex Varrone l. c.: *Huius signi caput dicitur e stellis quatuor, quas infra duae clarae, quas appellant humeros, inter quas quod videtur iugulum. Unde iugula dicta.* Idque rectius, quam quod nugatur hic Festus. *Dac.*

Iugum. Idem Livius lib. III. sect. 24.: *Tribus hastis iugum fit, humi fixis duabus, superque eas transversa una deligata.* Vide *sub iugum mitti.* Vide et Liv. lib. IX. sect. 5. *Dac.* Adde Florum. Alia significatione iugum *ζυγὸς ἀκρωρίαι*, *ζυγοκέφαλον*. *Goth.*

Iugere. Glossarium: *Iugit*, *ἰκτὶν βοᾷ*. Ita enim legendum. Varro Sexquiulyxe: *Iugere volitans milvos, aquam e nubibus tortam indicat fore, ut tegillum sibi pastor sumat.* Vide in Coniectaneis (p. 36.). *Scal.* Glossae Isidori: *Iugit milvus, cum vocem emittit. Dac.* Vide Nonium (pag. 179. Merc.) in *Tegillum*, ubi *vigere mulsus* pro *iugere milvos*. *Goth.* Nonii locum Scaliger sic emendavit: *Iugere volitans miluus visus* cet.

Iuges. Inde adiectiva *coniuges*, *seiuges*, *iniuges*. Apuleius (de Mund. p. 59, 14.): *Quinque coniuges copulae, iis ordinatae vicibus attinentur.* Idem alibi (Met. VII. p. 189, 4.): *Nec istud puduit me cum meo famulo meoque vectore illo equo factum conservum atque coniugem.* Inde *coniux* de viro, subaudi *vir*; de *uxore*, subaudi *uxor*. Gloss. Isidori: *Iniux bos nondum iugo iunctus. Dac.* Adde apud Festum: *Iniuges.* Glossis: *Iugites συνεζευγμένοι*. *Goth.*

Iubilare. Rusticorum plane verbum, ut et ipse dicit. Attius in Chrysippo: *Io buco, quis me iubilat? Vicinus Atus* (lege: *tuus*) *antiquus.* Prius enim iobilare. Nam *io* rusticorum *ἐπίφθεγμα*, ut in Atellana: *Io venit simus a villa. Scal.* Rustici *iubilare* dicuntur cum clamant, urbani *quiritari*. Varro lib. V. de L. L. (VI, pag. 244.): *Ut quiritare urbanorum, sic iubilare rusticorum.* Ibidem adducit locum Chrysippi. In Glossis Graeco-Lat.: *Eiulatus, iubilatus: κραυγὴ ἀγροίκων, clamor rusticorum.* Et in glossario Quiritans, *ἐπιβοώμενος, clamans. Dac.*

Iuventutis. Alii *iuventatis*, non male, non tamen, ut propterea *Iuventutis* reiiciamus. Indifferenter enim utrumque usurpabant. In Glossario: *Iolinta*, *ἥρα* (*ἥβη*). Lego: *Ioventa. Scal.* Adde Nonium in *Iuventus*, *Iuventa* et *Iuvenilitas* (pag. 433. Merc. et pag. 123. Merc.). *Goth.*

Iurare. Notum ex edicto perpetuo praetoris: *Sacerdotem, Vestalem et Flaminem Dialem in omnei mea iurisdictione iurare non cogam.* Livius lib. XXXI. (c. 50.): *C. Valerius Flaccus, quem praesentem creaverant, quia Flamen Dialis erat, iurare in leges non poterat.* Vide Plutarch. Problem. (Quaestt. Rom. 44.). *Scal.* Adde Gell. X, 16. *Goth.*

Iuvenalia. Alii *iuvenilia*, non male. Non ita tamen, ut iuvenalia reiiciamus. A *iuvenis* enim et *iuvenalis* recte dicitur. Iuvenalia igitur Dianae simulacra fingebantur, vel quod ea aetas venationi maxime apta est, cui praeest Diana, vel quia viarum Dea putabatur. Callimachus in Dianam (v. 38.):

— — *καὶ μὲν ἀγυιαῖς*
Ἔσσῃ καὶ λιμένεσσιν ἐπίσκοπος.

Dac. *Iuvenalis* et *Iuvenilis* glossis. *Goth.*

Iugarius vicus. Publ. Victor in octava regione urbis: *Vicus iugarius idem et thurarius, ubi sunt arae Opis et Cereris cum signo Vertumni*; ubi nulla mentio arae Iunonis. Quidam iugarium dictum scribunt ab ara iuga, quod ad eam nubentes veteri ritu vinculis iuncti fuerint. *Dac.*

Ilia. Vide *Exiles. Dac.* Ubi legetur *Ilia* pro *ina.* *Ilum* videtur appellari ab Isidoro XVII, 9. in *Ferula. Goth.*

Ilicet. Vix dici possit, quem locum Festus ob oculos haberet, cum dixit *Ilicet* esse *sine dubio.* Nam *licet*, ut pueris notum, vox est, quam praeco pronuntiabat, ut de consilio iudices mitteret, et in fune-

ribus praefica, ut omnia peracta significaret. Mirum tamen, ni respexit ad illud Terent. Eunuch. I, 1, (9.): *Actum est, ilicet, peristi.* Hanc enim τὸ ilicet Festi interpretationem ferre potest, etsi semper ab eodem more ductum sit. *Dac.* Glossae: *Ilicet, scilicet, sine dubio.* *Goth.*

Ianiculum. Dictum potius a vetustissimo oppido, quod *Ianus* condidit. De quo Virgil. VIII. Aen. (358.):

Hic duo praeterea disiectis oppida muris
Relliquias veterumque vides monumenta virorum.
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem,
Ianiculum illi, huic fuerat Saturnia nomen.

Dac.

Idulis. Ovidius lib. I. Fast. (56.);

Idibus alba Iovi grandior agna cadit.

Scal. Adde Macrob. Sat. I, 15. *Goth.*

Ianual. Cereale libum vocat Ovid. I. Fast. (127.):

Inde vocor Ianus, cui cum Cereale sacerdos
Imponit libum mixtaque farra sali.

Dac.

Igitur. Apud antiquos saepe pro *inde, postea, tum.* Plaut. Amph. I. (I, 145. vide notam meam ad h. l. Male Boppius a stirpe pronominali *i* (is) derivat.):

— *Sin aliter sient animati, neque dent, quae petat,*
Sese igitur summa vi virisque eorum oppidum expugnassere.

Et Casin. II, 2. (40.):

— *Mox magis cum otium mihi et tibi erit,*
Igitur tecum loquar.

In leg. XII. tab.: *Sei in ius vocat, nec it antistator, igitur im capito. Dac.* Vide Nonium in *Igitur* (p. 128. Merc.). *Goth.*

Ircens. Lege *Irceus.* *Dac.*

Irquitallus. Vide *Hirquitalli.* *Ant. Aug.* Vide *Hirquitallire.* *Dac.*

Iovistae. Locus mendosus. *Ant. Aug.* Putarem legendum: *Iovs esto*, quia ita legitur in veteribus legibus. Habeo et fragmenta quarundam, in quibus ita semper exaratum legitur. Sed cum ipse compositum esse dicat, hae vero sint duae voces, non potest legi: *Iovs esto.* Quid sit ergo quaeramus. *Scal.* Scribendum *Ios ipse compositum* ab *ios* et *ipse.* Glossae: *Ios ipse, αὐτος.* Antiqui autem *ios* dicebant pro *is.* Lipsius quaest. lib. III. cap. 20. Meursius autem existimat, Pauli hoc additamentum esse. Est enim vox aevi illius barbari, quo vixit, et *Iovistae* dicebantur, qui sub Iove nati essent. Neque ideo eam interpretatur, quod tum nimis nota esset. Sed valde se ridendum propinat, cum compositam dicat et tam ineptum etymon quaerat. Ita Meursius, cui minus assentior. *Dac.* Fortasse legendum *Ioviustae*, ut sit compositum a Iove et ustae, ea forma, qua dicimus subverbustae. *Goth.*

Ignitabulum. Glossarium: *Ignitabulum* δᾳδὸς ῥαβδίον πυροστρόφον. *Scal.* Proprie lignum illud, tabula illa, quae terebratur, donec ignem suscipiat, unde et *igniarium* dicitur. *Dac.*

Ignia. Aliud in glossis: *Ignia, νοτία, φυκίασις.* *Scal.* Cum vehementia ignis dissiliunt (vasa.). *Dac.*

Ipsippe. Forte *ipsipte.* Glossar.: *Ipsipte αὐτός.* Cato *mihipte* posuit pro mihi ipsi. Sic fortasse *ipsipte* hic pro *ipsimet.* Vide in *Ineopte.* *Fulv. Urs.* Glossarii auctor non bene legit, undeunde accepit: *Ipsipti αὐτοί.* Legendum enim *ipsipe.* Sed et *ipsipte* potest legi. Ita enim vitiose et pronunciabant et scribebant veteres. Unde Claudius imperator multavit senatorem, qui *isse* pro *ipse* dixerat. *Scal.* *Ipsipte* ut *suopte mihipte* etc. Forte etiam legendum *ipsipsi*, ut apud Plaut. alicubi *ipsipsus est.* *Dac.* Nusquam satis certum est, Plautum scripsisse *ipsipsus.* Duobus enim in locis creditur inveniri, Cistell. II, 3, 58. et Truc. I, 2, 24. Utrobique longe est probabilius, legendum esse *is ipsus.* Quamquam forma pronominis reduplicativa, iocula-riter ficta, per se nihil habet offensionis. Ex Apollonio Dyscolo libr. περὶ ἀντωνυμίας citatur locus Sophronis, ubi est: *αἱ δὲ μὴ ἐγὼν ἔμαθον ταῖς αὐταύταις χερσίν.* Cf. Koen. ad Gregor. Cor. pag. 365. Simili modo antiqui dixisse reperiuntur *berber* pro *virvir*, *Marmar* pro *masmas*, unde *Mamers*, cet. Verum apud Plautum res est dubia. Cf. Taubmann. ad Plauti Cistell. II, 3, 58. Quare equidem crediderim apud Festum *Ipsi-*

pte legendum esse, nisi forte *ipsippe* nihil sit aliud, nisi forma ex illo *ipsipte* corrupta. Ceterum Codd. nostri in lectione *Ipsippe* consentiunt omnes, sed Goth. Scal. Dac. *Ipsipe* exhibent.

Icit. Ab antiquo *icere* percutere. Plaut. (Trucul. II, 7, 41.): *Icit femur. Dac.* Nonius (pag. 125. Merc.) in *Icit. Goth.* Respondet Sanscrita radix *îh* (*ich*), de qua vide Bopp. in glossario pag. 33.

Insipere. Vide *Supat. Ant. Aug.* Lege ut in al.: *Insipere farinulam iacere pullis. Dac.*

Irnella. Diminutivum ab *hirnea*, quod est vinarii vasis genus. *Dac.* Forte: *urnula. Goth.*

Ibi. Eo loco, *ibidem*, eodem loco, loco iam designato. *Dac.*

Ipsullices. Alibi monemus legendum *Ipsiplices.* Cuius sententiae adhuc me non poenitet. Glossarium: *Ipsiplices* αὐτόπτυκτα φύλλα. *Scal.* Et *Ipsillices.* Lamellae necessariae sacrificiis, quaeque ad rem divinam dicuntur maxime conferre. Alio nomine *subsilles* dictae. Vide *subsilles.* Doctissimus Vossius suspicatur imagunculas fuisse, queis magi in amatoriis sacrificiis utebantur, ut eum, quem referebant, in amorem pellicerent. Ab *ips* et *illix.* Pessime autem Scaliger, qui legebat *ipsiplices.* Nam omnino aliud sunt *ipsiplices. Dac.* Cf. Vossii Etymol. sub v. pag. 269.

Itonida. Lege *Itonis* vel *Itonia.* Callim. in Cererem (v. 75. seq.):

Ἦνθον Ἰτωνιάδος μιν Ἀθηναίας ἐπ' ἄεθλα
Ὀρμενίδαι καλέοντες.

Ubi Schol.: Ἰτὼν πόλις Θεσσαλίας, ἔνθα τιμᾶται Ἀθηνᾶ. Imo etiam et *Itonida* recte legi potest: sic *cassida* et *cassis; chlamyda* et *chlamys; Tritonida* et *Tritonis; Colchida, Colchis; Elida, Elis* et sexcenta alia. *Dac.*

Irpices. Videatur Varro lib. IV. de L. L. (lib. V. pag. 138. Sp.). *Ant. Aug.* Servius Danielis in illud: *Vimineasque trahit cratis.* (Virg. Ge. I, 95.). Ad agrorum, inquit, scilicet exaequationem, quam Irpicem rustici vocant. Vide Coniectanea nostra (pag. 58.). *Scal.* Cato vocat *urpices* (de re rust. 10.), sive *harpices.* Est autem a Graeco ἅρπαξ, ἁρπαγή, quia herbas ἁρπάζει, rapit. Euripid. (Cyclop. 33.):

Σαίρειν σιδηρῷ τῇδέ μ' ἁρπάγῃ δομούς.

Male Varro a serpendo Lib. IV. de L. L.: *Irpices regula cum pluribus dentibus, quam itidem ut plaustrum boves trahunt, ut eruant, quae in terra sunt* (bene Scaliger serpunt) *sirpices, postea s detrita a quibusdam dicti. Dac.*

Irpini. Videndus Strabo in fine l. 5. (pag. 250. C.). *Fulv. Urs.* Gens Samnitium a Lupo coloniae ductore. Nam lupum *Irpum* dicunt. Servius IX. Aeneid. (XI, 785. pag. 683. Dan.): *Lupi Sabinorum lingua irpi vocantur.* Strabo l. V. (pag. 250. C.): Ἑξῆς δ' εἰσὶν ἱρπηνοὶ κ' αὐτοὶ Σαυνῖται, τοὔνομα δ' ἔσχον ἀπὸ τοῦ ἡγησαμένου λύκου τῆς ἀποικίας· ἵρπον γὰρ καλοῦσιν οἱ Σαυνῖται τὸν λύκον. Sed e Graecia mutuati sunt vocem *irpum* Samnites. Ἅρπος enim vox antiqua Graeca, quae lupum significabat a rapacitate, nam ἅρπω rapio, inde et ἅρπη milvus avis rapax Latinis *Hirpus*, ut ἅρπαξ, *hirpex*, ita et Samnites vocarunt. Salmas. in Solin. Nota interim lupum coloniae ductorem. Sic Battum corvus duxit in Libyam. Sic alios multos, qua *volucres*, qua *ferae. Dac.* Nescio, unde Dacerio de voce ἅρπος constet; equidem nihil auctoritatis invenio, quare suspicor, Dacerium male accepisse Vossii verba, qui s. v. *Irpices* sic habet: *Nam ab* ἅρπω *i. e. rapio,* ἅρπος, *unde hirpus.* Apparet Vossium non somniasse vocem ἅρπος, sed eam supposuisse tantum, ut inde *hirpus* derivaret. Ceterum haud dubie *irpus*, vel ut apud Servium in codd. est *hirpus*, non ab ἅρπω, ἁρπάζω, sed a communi *lupi* nomine derivandum. Nam componendae sunt hae formae: *wlk welk* Slav., *irp*(*us*) Sabin., *volp*(*is*) Lat., *wolf* Germ., λύκος Graec., *lup*(*us*) Lat. Habemus igitur rursum solennem illam vocalium demutationem *e*, *i*, *o*, *u*, quam tam saepe deprehendimus.

Ignis Vestae. Tertullianus in libro de poenitentia: *Quid illum thesaurum ignis aeterni aestimamus, cum fumariola quaedam eius tales ictus flammarum suscitent* etc. Pro *terebrare* in quibusdam editionibus legitur *verberare.* Sed *terebrare* possumus in suo loco quietum esse iubere. Simplicius in III. de coelo: Ἀπὸ ξύλων δὲ πῦρ ἐκβάλλουσι, θάτερον τῶν ξύλων ὡς τέρετρον ἐν θατέρῳ περιστρέφοντες. Hesych.: Ἀχάλκευτα τρύπανα τὰ Φρύγια πυρεῖα. Σοφοκλῆς ἐν Φινεῖ δευτέρῳ. *Scal.* Hunc Numa primus instituit, ut ad *simulacrum ignium coelestium flamma vigilaret.* Florus. Quodsi negligentia extinctus fuerit, ab alio igni accendere non licebat, nisi eo, quem tabulam felicis (alii facilis) materiae terebrando virgo susceperat. Plin. lib. XVI. cap. 40.: *Teritur ergo lignum ligno, ignemque concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis, facillimo conceptu. Sed nihil edera praestantius, quae teratur, lauro, quae terat. Probatur et vitis silvestris, alia, quam labrusca et ipsa ederae modo arborem scandens.* Idem etiam nunc alicubi factitari legitur. In verbis Festi pro *tabulam* Scaliger legebat *clavulam.* Clavulas enim dicebant illas lignorum scissiones, ut ex rei rusticae

auctoribus notum est. Tamen nihil mutandum. Nam recte *tabula* dicitur. Tabula est στορεύς vel ἐσχάρα lignum quadratum felicis materiae, quod ad excudendum ignem Vestales terebra ferrea perforabant. Sed quod addit Festus: *Quousque exceptum ignem cribro aeneo virgo in aedem ferret*, id Salmasio suspectum est. Nec enim cribrum, inquit, ad hanc rem aptum. Nec cribrum ex aere, σκαφεῖα χαλκά vocat Plutarch. in Numa, licet paulo aliter narret ignis Vestalis extincti resuscitandi morem. Scribe, inquit, *in cavo aeneo* aut *in cavo aeno*. Certe in veteri lib. scriptum est *cribo*. *Dac.* Dixi ad leg. XII. tab. Adde Livium XXVIII. *Goth.* *Terebrare* al. *terere*. *Idem.* *Ignis Vestae in — aedem ferret.* Emendat locum Casaub. Lect. Theocr. c. 20.

Ignem ex domo Flaminia. Hic vox *domo* videtur abundare, nam *Flaminia* absolute dicebatur Domus Flaminis. Sic Gell. lib. X. cap. 15. Ignem e Flaminia, id est Flaminis Dialis domo nisi sacrum, efferri ius non est. *Dac.*

Icadion. Vide *Rhondes.* *Dac.*

Iracundia. Ab *ira* et veteri *cando*, unde *incendo*; ita Festus. Male. *Iracundus* ab *iratum*, ut a *fatum facundus*, a *veritum verecundus*. *Dac.*

Italia. Licet a vitulis, vel ab Italo rege multi dicant Italiam esse appellatam, de Attelido nihil aliud accepi. Thucyd. lib. VI. (cap. 2.) Varro lib. II. cap. 5. de re rust. Columell. lib. VI. in princ. Virgil. lib. I. Aen. Dionys. lib. I. Antiqq. Gell. lib. II. cap. 1. Apollodorus in Biblioth. Steph. de urbibus. *Ant. Aug.* *Ab Attelido.* Puto distinguendum ab *Atte Lydo*, quasi *Attalia.* Sane ἄττης est nomen Lydium et Phrygium. Lydos vero in Italiam venisse nemo dubitat. Quin et Strabonem nobiscum facere postea deprehendimus lib. V. (pag. 219. C.): *Οἱ Τυῤῥηνοὶ τοίνυν παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις Ἐτρουσκοι καὶ Τοῦσκοι προσαγορεύονται. Οἱ δ' Ἕλληνες οὕτως ὠνόμασαν ἀπὸ τοῦ Τυῤῥηνοῦ τοῦ Ἄτυος, ὥς φασι, τοῦ στείλαντος ἐκ Λυδίας ἀποίκους δεῦρο.* Vide caetera. Vide Herodot. lib. I. (c. 94.). *Scal.* Primam Festi sententiam confirmat Gellius lib. II. cap. 1. *Timaeus in historiis, quas oratione Graeca de rebus pop. Rom. composuit et M. Varro in antiquitatibus rerum humanarum terram Italiam de Graeco vocabulo appellatam scripserunt, quoniam boves Graeca veteri lingua ἰταλοὶ vocitati sunt.* Idem et apud Varronem legas de re rust. lib. II. cap. 5.: *Graecia enim antiqua, ut scribit Timaeus, tauros vocabat ἰταλούς, a quorum pulchritudine et foetu vitulorum Italiam dixerunt.* Secundam de Italo rege secuti Thucydides, Antonius Syracusanus, Hyginus. Quorum primus eum Siculum dicit, alter Oenotrium, Hyginus Ulyssis ex Telegono nepotem. Infra *ab Attelido* optime distinguendum monuit Scaliger: *Ab Atte Lydo.* Sane ἄττης est nomen Lydium et fuit Ἄττης vel Attys Manis Lydiae regis filius; sed haec omnia merae nugae. Et optime doctiss. Bochartus, qui, postquam probavit Italiae littora Phoenicibus fuisse cognita, priscam Italiam nihil aliud fuisse quam Brutiorum agrum cum parte Lucaniae, Brutiorumque agrum pice abundasse, tandem apertissime demonstravit Italiam dictam ab Hebraeo *itar*, id est *pix: itaria* quasi dixeris *picearia regio.* Graeci mollito sono *Italiam* dixere, nam R et L facile commutantur. *Itar* pix alio nomine Hebraeis doctoribus *calab* dicitur, a quo vicinae Brutiis Calabriae nomen, quae et ipsa pinu et picea aliisque arboribus piciferis est valde ferax, unde et eadem Graece *Πευκετία Peucetia* dicta ἀπὸ τῶν πευκῶν a piceis arboribus. *Dac.* *Italos.* Vitulos. *Goth.* *Itali.* Ab italis. *Idem.* *Italus* nihil est, nisi variegata forma, sed eiusdem illa originis, atque *Σικελός*, *Siculus.* Alia ratione formatum est *Sicănus*, *Σικανός*, quod idem tamen est vocabulum. Atque haec antiquissima videtur esse forma, descendens a Graeca voce ἵκω, ut *Σικανοί* videantur intelligi *advenae.*

Indoles. Incrementum significat primigenia notione, ut apud Gellium (XX, 6. extr.): *Mendi indoles.* *Olere* enim crescere significat et spem, quam ex vultu colligimus virtutis futurae in pueris, quae vocatur χαρακτήρ a Graecis, ut apud Euripidem dictum ὡς δεινὸς εὐγενείας χαρακτήρ. Glossae: *Indoles*, καλὴ ἐλπὶς ἐν νεωτέρῳ. *Scal.* Adde infra *Suboles*, Nonium (pag. 456. Merc.) in *Indolem.* *Goth.* *Industria.* Servius ad illud X. Aeneid. (826.):

Quid pius Aeneas tanta dabit indole dignum.

Indoles, inquit, *proprie imago quaedam virtutis futurae.* *Dac.* *Oleo*, *olesco* per demutationem vocalis ortum ex *alo*, nutrio. Cf. quae supra diximus ad v. *Adolescit*

Indigetes. Qui ex hominibus in Deorum numerum relati simul cum iis invocantur. *Indigitare* enim est invocare. Aliter tamen Festus, aliter et alii, qui sic dictos volunt indigetes, quod nihil indigeant, vel quod in diis agant. Sed omnino *indigetes* sunt χθόνιοι, ἐγχώριοι. Ab *indu* et *ago* indiges, ut ab *indu* et *gena indigena*, αὐθιγενής, qui ibi genitus est. Dii indigetes sunt *Dii topici.* Aliud etymon etiam cogitavit eruditiss. Salmasius. *Dicare*, inquit, est ἱερῶσαι, unde *indicare* idem quod *dicare*, ut *coquere*, *incoquere: sepire*, *insepire* et similia sexcenta. Ab *indico*, quod est ἐνιερῶ, verbum *indices*, *indicetis*, ὁ ἀφιερωθείς in-

ter Deos scilicet consecratus, qui postea dictus est *indiges.* Veteres certe *indices* dixerunt, non *indiges.* Nam et *Cabino* dicebant pro *Gabino*, ut *lece* pro *lege* etc. Hinc *indigitare* diminutivum pro *indicitare* ab *indico*, quod est invocare et imprecari. Nam et supra in verbis Festi pro *indigitanto* in optimo libro scriptum *indiganto.* Ab *indigitare* dicta *indigitamenta*, ἱερατικὰ βιβλία, libri, qui dedicationum ritus continebant et Deorum Dearumque nomina atque hominum in Deos receptorum. Sane Grammatici veteres in eo consentiunt *Indigetes* dici, qui ex hominibus Dii erant facti. Arnobius: *Indigetes dicitis atque Divos. Indicetes* igitur sive *Indigetes* proprie fuere homines consecrati et dicati. *Dac.*

Indeptare. Indipiscor, indeptus, unde *indepto*, as, are, consequi. *Dac.* Adde Nonium (p. 128. Merc.) in *Indipiscere. Goth.* Cf. supra quae diximus ad v. *Ape.*

Industrium. Proprie laboriosum, qui semper aliquid struit, id est agit, et *industria* labor. Cato contra Thermum: *Ego iam a principio in parsimania atque in duritia atque industria omnem adolescentiam meam abstinui, agro Sabino, saxis Sabinis, silicibus repastinandis atque conserendis. Dac.*

Indictivum. Indictiva funera, ad quae per praeconem evocabatur populus his verbis: *EXEQUIAS L. TITIO L. FILIO, QUIBUS EST COMMODUM, IRE IAM TEMPUS EST; OLLUS EX AEDIBUS ECFERTUR. Scal.* Vide *Quirites Sabini dicti. Dac.* Adde *Simpludiarea*, Varronem IV. (V, p. 160. Sp.) et VI. de L. L. (VII, p. 328.). Hoc autem modo funus indicebatur: *Ollus Quiris leto datus est.* Et apud Terent. Phorm. V, 9, 37.: *Exsequias Chremeti, quibus est commodum ire, iam tempus est.* Eo alludens Ovidius II. Amor. (6, 1.) loquens de psittaco:

Occidit, (inquit,) *exsequias ferte frequenter aves.*

Goth.

Indepisci. Plaut. Rud. (V, 2, 28.):

Magna hercle praeda 'st, largiter mercedis indepiscar.

Sed et *indepisco* dixere veteres. Plaut. Asin. II, 2. (13.):

Nunquam aedepol quadrigis albis indepiscet postea.

Dac. Adde Nonium (p. 128. Merc.) in *Indipiscere. Goth.* Cf. supra v. *Ape.*

Indiges. Glossarium: *Indigetes*, ἡμίθεοι, κούρητες. *Scal.* De Aenea, qui indiges Iupiter dictus est, vide Livium lib. I. (2). Sacellum ei dicatum tali inscriptione: *Patri Deo Indigeti, qui Numici amnis aquas temperat.* De *indigetibus* vide supra. *Dac.*

Inquilinus. Qui in aedibus habitat conductitiis; ab *in* et *colo*, *incolinus*, *c* in *q* et *o* in *i*, *inquilinus. Dac. Vel.* Velut. *Goth.* Verborum formae huic radici cognatae, haec sunt: *cēlo*, *culo* (in comp.) Lat. *colo* Lat. unde *culina*, *inquilinus*; *kula* i. e. familia Sanscr., *hul* i. e. tegere, occulere Sanscr., *hüllen* Germ. Habes igitur vocalium demutationes has: *e*, *o*, *i*, *u*, ut saepe alibi vidimus.

Incilia. Incillae. Vide *Inlices* et *Elices* et *Inlicium. Ant. Aug.* Lege *Incilia. Incilia* loca depressa aquae derivandae. Ulpian. in Pand. l. 43.: *Incile est locus depressus ad latus fluminis ex eo dictus, quod incidatur; inciditur enim vel lapis vel terra, unde primum aqua ex flumine agi possit. Sed et fossae et putei hoc interdicto continentur.* Etsi de etymo fallitur Ulpianus, nam *incile* est ab *inciendo*; ut a *cubo cubile*, sic ab *incio incile. Fossas inciles* dixit Cato de re rust. c. 155. Inde *incilare.* Palladius lib. XII. tit. 3. *Dac.* Adde l. 1. §. 5. ff. de Rivis. *Goth.* Cf. etiam *Incilare* apud Non. pag. 125. quod tamen a *calare* potius derivandum videtur.

Incitega. Superius (s. v. *Concipilavisti.*) monuimus *incitegam* dictam ab *integendo*, quia veteres *incitegere* pro *integere* dicebant, ut *reciprocum* pro *reprocum*, *reciperare* pro *reparare*, *concipilare* pro *compilare.* Dicta ab integendo, quia partem mensae tegat. Ea autem utebantur, ne vinarium vas, puta crater magnus aut amphora labem ex fundo in mensa relinquat, cum saepe videamus lagenas mensae impositas circulum de vino describere in mappa. Itaque copones, ne mappa aut mantile maculam illam contrahant, imponunt circulos de ligno, super quibus statuuntur lagenae. Sed crescente luxuria has machinulas Romani abiecere, et ne citreae mensae laederentur, si sine incitegis crateres impositos nudae sustinerent, gausapas insternebant. Pauperes vero, ut puto, incitegas retinuerunt. Martialis (XIV, 136.):

Nobilius villosa tegant tibi gausapa citrum,
Orbibus in nostris circulus esse potest.

Nam potest intelligi incitega per circulum illum. Sed nihil impedit et maculam circularem vasorum vinariorum intelligere, et incitegae, ut puto, non erant circuli specie. Porro *incitega* a Graecis vocatur ἐγγυθήκη.

Polemo περιηγητής· ἐγγυθήκη καὶ ἐπ' αὐτῆς κύπελλον, ut manifesto appareat ἐγγυθήκην ὑπόστημα esse. Dicta autem quasi ἀγγοθήκη, et ita vocabatur ab Alexandrinis. Athenaeus (lib. V.): Ἡ δ' ὑπ' Ἀλεξανδρέων καλουμένη ἀγγοθήκη τρίγωνός ἐστι, κατὰ μέσον κοίλη, δέχεσθαι δυναμένη ἐντιθεμένον κεράμιον· ἔχουσι δὲ ταύτην οἱ μὲν πένητες ξυλίνην, οἱ δὲ πλούσιοι χαλκῆν ἢ ἀργυρᾶν. Vocatur autem ab Herodoto (I, 25.): Ὑποκρητήριον, cuius nominis causa obscura non est. *Scal.* Latinis *canistra siccaria* dicebantur. Servius ad illud I. Aeneid. (706.): *Et pocula ponunt. Similiter*, inquit, *more antiquo dixit, quia veteribus non in manus dabantur pocula, sed mensis apponebantur, ut hodie apud plures pocula in canistris argenteis apponuntur, quae canistra siccaria dicuntur.* Herodotus vocat ὑποκρητήριον lib. I. (c. 25.) ubi de Alyatte Lydo, qui ἀνέθηκε εἰς Δελφοὺς κρητῆρά τε ἀργύρεον μέγαν καὶ ὑποκρητηρίδιον σιδήρεον κολλητόν, quem locum male cepit interpres, qui vertit: *Apud Delphos dedicavit grandem ex argento pateram, itemque alteram ex ferro, parvulam ex ferro compactilem.* Vertendum fuerat: *Item incitegam parvulam ex ferro comp.* In verbis Festi in fine pro *vina deferrentur* legendum puto: *vina defunderentur. Dac.* In verbis *incitega, concipilare, reciperare, reciprocare* invenitur vestigium praepositionis vetustae inseparabilis, quae respondet Germanorum *ga, gi* (ki, chi) *ge* voculis, de quibus vide Grimm. Gramm. Germ. I, 1015. seq. II, 832.; quaeque eadem est, atque Latinorum *co- con- cum.* Cui rationi non repugnat, quod *concipilare* decompositum sit quasi *concompilare.* Nam quum veram particulae *ci* (*cu* in *recuperare*) vim ac potestatem Latinos oblitos fuisse credibile sit, quod ipsum in Germanico sermone factum esse animadvertimus; facile potuit verbum *cipilare* iterum componi, quo magis vera vis vocabuli, quae collectionem notat, appareret.

Ita Castor. Lege, ut alii: *Ita me Castor* etc. *Dac.*

Incomitiare. Plautus in Curcul. *Ant. Aug.* Locus Plauti Curc. III, 1. (30.):

Adolescens, ob rempublicam hoc intus mihi
Quod insigne habeo, quaeso ne me incomities.

Quod verbum a parasito fictum, ut liquet ex responso Lyconis, qui ad eius exemplum τὸ *inforare*, nove protulit:

Licetne inforare, si incomitiare non licet.

Ubi et *inforare* et *incomitiare* flagitiosa verba sunt. Sed antequam abeo, en tibi quid de voce *intus*, quae primo versu superiori legitur, sentiam. Ea enim ita hucusque omnino omnes interpretes torsit, ut eam tandem se nescire fateantur Taubmannus, Turnebus et alii. Nihiloque plus proficiat doctissimus Salmasius, dum ita nititur emendare: *Ob rempublicam hoc inustum mihi. Intus* sic absolute accipiendum est pro fossa illa, ex qua oculus exsculptus fuit. Nihil certius et facilius. *Dac.*

Incita. Incitata, id est concitata. Lucret. (I, 270.): *Vis incita venti. Dac.* Significat etiam *Egestatem* Nonio (pag. 123. Merc.). *Goth.*

Inchoare. Terent. Scaurus (pag. 2251. Putsch.): *Inchoare cum aspiratione scribendum, quoniam a chao dictum, quod fuerit initium omnium rerum. Fulv. Urs.* Sed probat Verrius legi debere *incohare* a voce *cohum*, quam pro *chao* vel *mundo* veteres dixere. Diomed. lib. I. (pag. 361. Putsch.): *Inchoavi ab inchoo dicendum putat Julius Modestus, quia sit compositum a chao initio rerum. Sed Verrius Flaccus in postrema syllaba aspirandum probavit, cohum enim apud veteres mundum significat. Tranquillus quoque his assentiens libello suo plenissime aedem incohatam ita disseruit. Dac. Quod Hesiodus.* Vide Varronem lib. IV. de L. L. (V, pag. 30. Sp.). *Goth. Chaos.* Vide supra *Chaos. Idem. Cohum* vox est nihil. *Cohare* sive *choare* nihil esse videtur nisi antiqua forma verbi pro *capere*, ut *coho*, pro *capo*, *capio*, dictum videatur. Respondet Germanorum *fahan, fahen, faho, capere, capio.* Ex quibus intelligitur, vocalium demutationem illam, de qua saepe diximus, etiam in his verbis inveniri: *Apo, capio*, ἅπτω, *coho, coepi* (cepi), *faho*, ubi alternari videmus vocales *a, e, o.* Ut *incoho* sive *inchoo* nihil aliud significet nisi incipio.

Increpitare. Arguere, conviciari. Virgil. X. Aeneid. (900.):

Hostis amare, quid increpitas, mortemque minaris.

Dac. Vide supra *Creperum. Goth.*

Inconciliasti. Inconciliare. Pro *conciliare.* Nam saepe compositum usurpatur pro simplici. Apud Plautum tamen *inconciliare* semper est inimicare, ut Mostell. III, 1. (80.):

Ne inconciliare quid nos porro postules.

Et Trinum. I, 2. (99.):

Inconciliastin' eum, qui mandatus est tibi?

Quamquam hic ultima Festi interpretatio *per dolum decipere* locum habere possit. Malim tamen aliter. *Dac.* Inconciliare et inducere, seducere, illicere.

Inclutus. Qui valde cluet. Cluere est nominari, celebrari a *κλύειν.* Plaut. Capt. (III, 5, 31.):

Facito ergo tu, ut Acherunti clueas gloria.

Dac. Vide supra *Clutum. Goth.* Cf. quae supra diximus ad v. *Clienta.*

Inceps. Ab *in* et *capio* inceps, ut a *dein* et *capio* deinceps. *Dac.*

Incestus. A Graeco *ἀνήκεστον*, inexpiabile, incurabile. Sed *incestus* potius ab *in* privativo et *castus*, ut *infectus* a *factus.* Incestus autem de quovis illicito concubitu dicitur. *Dac.* Adde Nonium (p. 461. Merc.) in *Incestus. Goth.*

Inconspretum. Ab *in* et *con* et *sperno. Dac.*

Incoctae. Ab incoquendo incoctae mulieres, quae calamistris crines vibrabant et intorquebant. Sed in verbis Festi turpe mendum inolevit. Nam certum est legi debere: *Plus aequo calamistris ustae*, id est inustae, incoctae. *Dac.*

Incavillatio. Vide *Cavillatio. Dac.* Glossae MS.: *Incavillatur, inde ridetur. Goth.*

Incalationes. Vide supra *Calatores.*

Incensit. Incenderit; sic *incepsit*, inceperit; *irrepsit*, irrepserit. *Dac.* Non credo dictum esse *irrepsit* pro eo quod est *irrepserit.* Nam *surrepsit* dicitur pro *surripuerit; arrepsit* pro *arripuerit; ademsit* pro *ademerit; incensit* pro *incenderit.* Res ita se habet. *Rit* terminatio solebat in lingua Osca et antiqua Latina in *Sit* demutari, unde dempta vocali interposita pro *emerit emsit* dicebatur. Igitur *incensit* dictum est pro *incendsit*, h. e. *incenderit.* Iam intelligitur, quare *irrepsit* pro *irrepserit* dici non potuerit.

Incessere. Perperam quidam pro *iactu iaculo* substituunt. *Scal. Saxis incessere* Livius (VIII, 24.). Male pro *immittere* quidam legunt *inniti. Dac.* Adde infra *Petissere. Goth.* Est infinitivus futuri nativus. *Petisso* enim pro *petiero*, *incesso* pro *incessero* dicebatur, unde infinitivus procusus est.

Inclamare. Plaut. Asin. (III, 2, 36.):

Nimis aegre continui ubi hospitem inclamavit,
Quod se absente mihi fidem habere noluisset.

Inde *inclamitare* obiurgare. Plaut. Epid. (V, 2, 45.):

Etiam inclamitor quasi servus.

Dac.

Incicorem. Qui minime *cicur* est, mansuetus, placidus, a membrana mali Punici, quae *cicum* dicitur. Varro Lib. VI. de L. L. (lib. VII, 368. Sp.): *Apud Pacuvium:*

— — — Nulla res neque
Cicurare, neque mederier potis est, neque
Reficere.

Cicurare mansuefacere. Quod enim a fero discretum, id dicitur cicur, et ideo dictum Cicur ingenium obtineo, mansuetum. A quo Vetturii quoque nobiles cognominati Cicurini. Id natum a cico. Cicum dicebant membranam tenuem, quae est in malo punico discrimen. Sed ineptum etymon. Veteres Latini *curare* dicebant pro domare, mollire, mansuefacere. Nigid. in historia animal.: *Omne pecus indomitum habet quiddam in se ferum: sed tamen ea natura est, ut curari et domari possit.* At pro *curare* per reduplicationem dixere *cicurare*, imitatione Graecorum, qui repetita prima consonante et vocali addita ita verba sua efferunt, *δόω διδόω.* Sic *curo, cicuro, cicur* etc. *Dac. Cicur* haud dubie ortum ex reduplicatione syllabae radicalis, non tamen a *cura* detortum videtur. Radix est Germanorum *kirr*, ex quo intelligitur, quare syllaba radicalis corripiatur. Eiusmodi autem reduplicationes saepe apud Latinos inveniuntur, veluti in vocabulis: *Cucúlus, papáver, Upŭpa, Ulula, bubo, bibo, cucumis, cicindela*, aliisque permultis.

Impolitias. Gellius (IV, 12.): *Item si quis eques Romanus equum habere gracilentum aut parum nitidum visus erat, impolitiae notabatur. Id verbum significat, quasi tu dicas incuriae.* Nescio an et hic isti barbaro mutilatori satis credere debeamus. *Scal.* Vel hunc locum non satis intellexit barbarus mutilator, vel *τὸ impolitias* erit secundi casus, non quarti, ut *familias.* Impolitias autem, id est impolitias causa. *Impolitiae*, id est *incuriae*, *ἀκομψίας* Graecis. Non pugnabo tamen, si impolitias facere dicerentur Censores, cum impolitiae equites notarent. Etsi id mihi satis persuadere nequeo. *Dac.*

Impages. Clavi lignei, qui tabulis infiguntur, ut aptius cohaereant. Ab antiquo *pago* pro *pango*, id est figo. Unde versus pangere per metaphoram dixere veteres, versus figere, versus exarare. Vide *pangere.* Pro *figere* leg. *figendo. Dac. Infligere.* Infigere. *Goth.*

In non semper. Legendum: *Sed interdum etiam pro augmento ponitur.* Vide in *Ingens. Fulv. Urs.* Id suadent, quae sequuntur. Defendi tamen possit vulgata lectio, adnuit enim, qui auget. Hic autem facile geminam manum agnoscas. Nam quod infra est: *In praepositio significat modo quod non* idem est ac *abnuitionem significat*, quod initio legitur. Et *τὸ modo auctionem* idem quod: *etiam pro adnuendo ponitur.* Quare certum est, Pauli verba coaluisse cum verbis Festi. Sic igitur hunc locum intellige: *In* modo privationem significat, ut *inimicus, intactus;* modo auctionem, ut *infractus*, valde fractus, *inclamavit*, valde clamavit; aliquando motum, ut *incurrit*, aliquando quietem, ut *inambulat. Dac. Abunitionem* Abnuitionem. Abnuitionem dixit Paulus in l. inter stipulantem 83. ff. de usurpationib., et, ut quidam putant, infrequens. Probo. Frequens in l. 1. §. 2. ff. demigrando. Sed Ursinus legit *pro augmento*, quod non probo. Mox enim Festus aliam *τοῦ in ad* significationem ponit, *ibi*, modo auctionem. Brissonius legit *additamento. Goth. Inclamando.* Vide *Ingens* et *Insanum. Idem. Modo auctionem.* Vide supra *Clutum. Idem. Qui.* Quis. *Idem.* Particula *in*, ubi negativa est, respondet Sanscritae *una*, *un*, Graecae *ἀν-*, Germanicae *ón-* et *ún-*; similiter in voce *ingens* non auget, sed negat. Est enim idem quod *inhumanus*, *immanis.* Auget ista particula nusquam. Nam *inclutus* est *in hominibus* auditus; *incolumis* est in se *columis*, h. e. *integer.* In *incanus* est hic illic canus. Cet.

Imporcitor. Qui porcas facit. Sic etiam dictus Deus, qui praeerat lirationi. De *porcis* vide suo loco. *Dac.*

Impetritum. Glossarium: *Impetratus*, *θυσία.* Non plane explicavit, sed si dixisset *καλλιέρησις.* In sacrificiis quod litare est, id in auspiciis impetrire. Nihil aliud est quam impetrare. Sic dicebant *artitum* pro artato, *dolitum* pro dolato. *Scal. Impetrire* est, cum aves ratum et faustum auspicium faciunt. Plaut. Asin. IV. (II, 1, 11.):

Impetritum, inauguratum est, quovis admittunt aves.

Cicero lib. II. de Divinat. (I, 16.): *Ut nunc extis, quamquam id ipsum aliquanto minus, quam olim, sic tum avibus magnae res impetriri solebant. Dac.* Sic supra *Armita*, non quidem *armata*, sed *armum obtecta.*

Impercito. Ab *in* et *parco*, ut ab *in* et *partior impertio. Dac.*

Improlus. Glossar.: *Improles.* Marius Victorinus de orthographia (pag. 2465. Putsch.): *Improles est, qui nondum vir est. Fulv. Urs.* Locus obscurus, et, ut arbitror, mendosus. *Ant. Aug.* Glossarium: *Improles*, *ἀφῆλιξ*, *μήπω πολιτευόμενος.* Contrarium est *Duicenso.* Nam *duicensus*, qui cum prole in civitatem adscribebatur. Ab iisdem glossis *Improles* exponitur *ἄγονος*, *ἄτεκνος*, *ἄνηβος. Scal.* Neque illud tantum de sociis Latinis intelligendum, ut voluit doctissimus Turnebus in Adversar. lib. VII. cap. 21., etsi eis lex dederit, ut, qui prolem domi relinquerent, in civium Romanorum numerum referrentur. *Dac.*

Impelimenta. Ut *delicare* pro *dedicare*, *lautia* pro *dautia. Dac.* Sic *lacrima* et *dacrima.*

Impluvium. De impluvio et compluvio sic Varro lib. IV. de L. L. (V, pag. 160.): *Cavum aedium dictum, qui locus (locus tectus) intra parietes relinquebatur patulus, qui esset ad communem omnium usum; in hoc locus si nullus relictus erat sub divo qui esset, dicebatur testudo a testudinis similitudine, ut est in praetorio in (et) castris. Si relictum erat in medio, ut lucem caperet, deorsum quo impluebat, impluvium dictum et sursum qua impluebat, compluvium, utrumque a pluvia.* Hoc sensu Plaut. Amph. V, 1. (56.):

Devolant angues iubati deorsum in impluvium duo.

Sed non sat video, quî geminum Terentii locum cum Varrone concilies, alterum Eunuch. III, 5. (41.):

— — *Atque per alienas tegulas*
Venisse clanculum per impluvium fucum factum mulieri.

Alterum Phorm. IV, 4. (26.):

Anguis per impluvium decidit de tegulis.

Quomodo enim *per impluvium*, si impluvium locus sit, qui deorsum pluviam accipit? Sane et Varroni et Terentio, aliis etiam facies satis, si impluvium accipias totum illud spatium, quod tecto vacuum relinquebatur a solo usque ad tegulas. *Dac. Impluvium.* Inde *impluviatus color* Nonio (pag. 548.). *Goth. Quo.* Qua. Ita apud Varronem IV. de L. L. (l. c.). *Idem.* De *impluvio* cf. Stieglitz. Archaeol. d. Bauk. tom. III, p. 172.

Impensam stipem. Impensa est stipes, hoc est pecunia in cella Dei reposita, quae nondum pensa est, sed stipata, ab *in* privativa particula et *pendo.* Vide in *Stipes.* Inde factum, ut quaevis stipatio et far-

ctura *impensa* diceretur. Apicius: *Indet impensam praescriptam*, id est farcturam. Arnob. lib. VII. impensarum varietate conditis. Palladius lib. I.: *Impensa pumicea farciri muros.* *Dac.*

Impescere. Vide *Compescere.* *Dac.*

Impomenta. Verbum sacrorum fuisse suspicor, ut *imponere*, ita ut *impomenta* ea dicta fuerint, quae diis offerebantur. Ovid. (Fast. I, 127.): *Cereale sacerdos imponit libum.* A pono *ponimen*, *pomen*, *pomentum* et *impomentum*, ut a moveo *movimen*, *momen*, *momentum* etc. *Dac.* Non *ponimen* a *pono*, sed *posimen*, *posmen*, *pomen.* Nam ipsum *pono* contractum ex *posno.*

Importunus. Qui portu caret et proprie qui alios quiescere non patitur. *Dac.*

Imputatum. Vide *Putus.* *Dac.*

Imbrica. Et *imbricitur* in glossario: *Imbricitur*, ὀμβροῦται, βρέχεται. Sed sine dubio fallitur ille scriptor, qui apud Ennium *Imbricitur* pro *Imbricitor* legerit in illis versibus ex Annali decimo septimo:

Concurrunt, veluti venti cum spiritus austri
Imbricitor, aquiloque suo cum flamine contra
Indu mari magno fluctus extollere certant.

Scal. Iam saepe monuimus Festum integra auctorum loca solitum exhibere, ut ea in ipsis auctoribus reperit. Imbrica igitur tempestate, id est pluvia; ab imber imbricus, unde *Auster imbricus* Plauto (Merc. V, 2, 35.), quia imbres ciet, unde et *imbricitor* Ennio dicitur. *Dac.* *Tempestate;* a tempestate. Ita lego, ut imbrica sit a tempestate pluvia. Adde Nonium in *Imbrices* (pag. 125. Merc.). *Goth.* *Imber* descendit a rad. Sanscr. *him* nix, unde Graecorum χειμ-ών idem significat. Ex eadem radice venit *hiems* (*him-am* Sanscr.). In vocibus *imber*, ὄμβρος, *umbra*, eadem, de qua saepe, vocalium demutatio, quae variam reddit eiusdem stirpis nominalis vel verbalis significationem.

Implorare. Vide *Endoplorato.* *Dac.* Adde infra *Plorare.* *Goth.*

Impudicatus. Impudicare, impudicum facere, idem quod depudicare, quo usus Laberius. *Dac.*

Impos. Glossarium: *Imros*, ἀνεξούσιος. Lege: *Impos.* *Scal.*

In procinctu. Glossarium: *In procinctu* ἐν προτομῇ πολέμου στῆναι μετὰ ἐσθῆτος ὑπατικῆς, ἤτοι διαθέσθαι ἐν παρατάξει πολέμου ἀγράφως. *Scal.* In procinctu esse dicitur miles, cum ad pugnam paratus et accinctus exspectat, dum signa canant. Inde testamentum in procinctu factum dicitur, cum miles statim pugnaturus heredem coram commilitonibus nominat sine scriptis. Vide Procinctam classem. *Dac.* Adde supra *Endoprocinctu.* *Goth.*

Imbutum. De *bu* effutitia puerorum vocula supra diximus. *Scal.* Vide *Exbuae.* *Dac.* Adde supra *Butubatta.*

Impenetrale. Penetrare est penitus intrare; *impenetrale* pro *impenetrabile*, quod penitus intrare non licet. *Impenetrabile* etiam dici possit, quod penetrare non potest, ut *penetrabile*, quod penetrat, unde *penetrabile telum*, *penetrabile frigus.* *Dac.*

Implexum. Ab *in* et *plecto*, quod a πλέκω necto, unde *perplexus* πεπλεγμένος, *implexus*, ἐμπεπλεγμένος. *Dac.* Lege apud Paullum ἐμπεπλεγμένον.

In mundo. Plaut. Asin. II, 1. (16.):

Aut mihi in mundo sunt virgae aut atriensi Saureae.

Idem Pseud. (I, 5, 84.):

Pistrinum in mundo sciebam, si id faxem mihi.

Sic vulgo dicimus: *Il y a au monde un moulin pour etc.* *Dac.*

Imbrex. C. Licinius Imbrex a Festo nominatur in voce *Obstitum.* Meminit etiam Gellius (XIII, 22, 16.): *Licinius Imbrex*, inquit, *vetus comoediarum scriptor; quartum locum illi inter comicos tribuit Volcatius Sedigitus:*

Si erit quod quarto detur, dabitur Licinio.

Sunt qui eundem ac Licinium Tegulam putent, cum Imbrex tegulam significet. Sed frustra. Nam Tegula *Publius*, at Imbrex *Caius* cognominatus. *Dac.* Adde Gell. XV, 24. Alias diversam habet significationem. Vide Nonium (pag. 125. Merc.) in *Imbrices.* *Goth.*

Impares tibiae. Dextra et sinistra, ut contra pares dextrae duae vel sinistrae duae. Dextra tibia unum tantum foramen habebat, sinistra duo. Illa gravem, haec acutum sonum reddebat. Igitur duae tibiae dextrae vel sinistrae pares dicebantur, quod parem foraminum numerum haberent; at cum dextra una et altera sinistra, impares, quod numero foraminum differrent. Plura enim foramina in sinistra, quam in

dextra. Nunc fabula quae acta dicitur *imparibus tibiis* intellige dextra et sinistra; quae *paribus*, intellige aut duabus dextris aut duabus sinistris. Et cum Andria Terentii acta dicitur *tibiis paribus*, *dextris et sinistris* bis eam actam fuisse intellige, semel, *tibiis paribus dextris* et iterum tibiis paribus sinistris. Neque enim mendum est in ista Andriae inscriptione, ut quibusdam visum est. De tibiis dextris, sinistris, imparibus, paribus multa, eaque inter se pugnantia, multi prodidere. *Dac.*

Imparem numerum. Virgil. Eclog. VIII, (75.):

Numero Deus impare gaudet.

Ubi Servius: *Aut quemcunque*, inquit, *superorum iuxta Pythagoreos, qui ternarium numerum perfectum summo Deo assignant, a quo initium et medium et finis est, aut re vera Hecaten dicit, cuius triplex potestas esse perhibetur, unde et tria virginis ora Dianae, quamvis omnium prope Deorum potestas triplici signo ostendatur, ut Iovis trifidum fulmen, Neptuni tridens, Plutonis canis triceps; Apollo, idem Sol, idem Liber; vel quod omnia ternario numero continentur, ut Parcae, Furiae, Hercules etiam trinoctio conceptus, musae ternae, aut impari quemadmodumcunque, nam septem chordae, septem planetae, septem dies nominibus Deorum, septem stellae in septentrione et multa his similia. Et impar numerus immortalis, quia dividi integer non potest, licet Varro dicat Pythagoreos putare imparem numerum habere finem, parem esse infinitum; ideo medendi causa multarumque rerum impares numeros servari.* Haec Servius. Vide Gellium lib. III. cap. 10. *Dac.*

Impetix. Genus scabiei sic dictae quod corpus impetat. *Dac.*

Impiatus. A verbo *impiare*, sceleste agere. Plautus saepe. *Dac.*

Impite. Perperam. Legendum: *Impetite*, ab eo *Impete*, ὁρμηδόν et *Impeteius* βίαιος. Glossae. *Scal.* Nisi malis *impete*, *impetum face.* *Dac.* Lege: *Impete*, *impetu facto.*

Inhibere. Videatur Cicero lib. XIII. ad Atticum. *Ant. Aug.* Puto legendum *inigere*, non iungere. *Scal.* Retinere, retrahere ab inepto opere vel cursu. Inhibere navem est contraria rémorum percussione eius impetum non solum retardare, sed alio avertere. Cicero ad Atticum XIII. (ep. 21.): *Inhibere illud tuum, quod valde arriserat, vehementer displicet. Est enim verbum totum nauticum, quamquam id quidem sciebam, sed arbitrabar sustineri remos, cum inhibere essent remiges iussi. Id non esse eiusmodi didici heri, dum ad villam nostram navis appelleretur, non enim sustinent, sed alio modo remigant.* In verbis Festi pro *iungere* Scaliger legendum suspicatur *inigere*, cui contrarium *exigere* i. e. pecudes e stabulis educere. Alii *iniungere.* Sic *inhibere imperium* apud Plautum in Bacchid. (III, 3, 44.) et Stich. (V, 4, 18.). Apud Livium lib. III. (38. bis et 50.) et lib. XXXVII. (c. 51.). *Dac. Iungere.* Fugere. *Goth.*

Inebrae. Isidorus lib. XII. cap. 7.: *Inhibae.* Glossar.: *Enibra*, ἐναντία. *Fulv. Urs. Inebra*, ὄρνεον μαντευτικόν. Vide supra *Enebra. Scal.* Servius (ad Aen. III, 238. pag. 287. ed. Dan.): *Certa genera avium ab auguribus appellantur, quae pennis vel volatu omina possunt facere, quae si fuerint prosperae praepetes, si adversae inebrae (inhibrae) dicuntur. Dac.* Vide supra *Enubro. Goth.*

In. Vide *In non semper* etc.

Immunis. Plaut. in princip. Trinummi: *Amicum castigare ob meritam noxiam Immane est facinus.* In Plauti libris editis et Ciceronis, a quo hi versus referuntur lib. I. de Invent. (50, 95. item ad Heren. II, 23.) *immane* scriptum est, non *immune*, sed Festus immune legerat, ut ex hoc loco apparet. Vaticanus liber habet *immoene*, quod idem est quod *immune.* Nam et alibi dicit in Bacchidib. (IV, 9, 2.): *Pergamum divina moenitum manu. Ant. Aug.* Vacans munere, qui non facit munus. Virgil. (Georg. IV, 244.):

Immunisque sedens aliena ad pabula fucus.

Vide *Munem. Immune facinus* non est improbum facinus, ut putat Festus, sed facinus ingratum, vel quod est extra amici munia. *Dac.* Adde infra *Impetum. Goth.* Cf. Interpp. ad Plauti Trin. l. c.

Iniurum, periurum. Malim contra ius vel iniuriose factum interpretari. Iniuratus autem eum, qui non iuravit, significat. *Ant. Aug.* Sic iniurus, periurus. Plaut. Pers. 33. (III, 3, 4.):

Impure, inhoneste, iniure, inlex, labes popli.

Dac. Iniurius periurus. Ita lego, aliis iniurius, qui contra ius facit. *Goth.*

Ineopte. Lege: *In Eopte, in eo ipso. Dac.*

Impetum. Recte sane Verrius *impetum*, *industrium*, *indulgentem* perinde composita ait atque *impunem*, *immunem*. *Impetus* enim est ab *in* et *peto*; *industrius* ab *indu*, id est *in*, et *struo*, qui *intus struit*, hoc est *domi agit*, et *indulgens* ab *in* privativo et *urgeo* inserto *d indurgeo*, mutato *r* in *l indulgeo*, ut *impunis* ab *in* et *poena*, qui est sine poena. Immunis ab *in* et *munus*, qui est sine munere. Nec mirum, si id satis sibi persuadere barbarus mutilator non potuit. *Dac.* Vide supra *Immunis. Goth.* Nimirum hoc sibi vo-

lebat, quicunque ista scripsit: *Mihi non satis persuadet*, ut diceret: voc. *Impetus* negativam non habere vim, quam habeat *immunis*, *impunis*. Sed composita esse ista satis etiam barbarus sibi persuasum habebat.

Immolare. Mola est far tostum sale sparsum, quod hostiarum fronti inter cornua imponebatur, quod proprie *immolare*. Vide *mola*. *Dac.*

Initium. Inire est inchoare, unde initium proprie, quo quid incipit, ut *viae initium*, ut Graecis ἀρχή. Sed pro quolibet etiam principio sumitur, ut pro elementis, quod ea sint omnium rerum primordia. *Dac.*

Increta. Sic supra *Crevi* id est *divisi*. *Incretum*, id est non cretum. Cerno a κρίνω, separo, divido. *Dac.*

Iners. Lucill.: *Ut perhibetur iners, ars in quo non erit ulla.* Citatur in fragmentis Servii (ad IV. Aen. v. 158.). Ab eo *inertitudo* formarunt veteres, quam ἀδρανίαν vertunt Graeci, hoc est ignaviam, ut inertem ἀδρανῆ. *Scal. Iners* qui nullas artes tractat. *Dac.*

Inigere. Varro de re rust. I, 2.: *In nutricatu cum parere coeperunt, inigunt in stabula ea, quae habent ad eam rem seclusa.* Pro *inigere* veteres scribebant *inicere*. Varr. (De L. L. V, pag. 159. Sp.): *Carpentum iniceret. Dac. Iungere. Inigere. Goth. Minare.* Vide supra *Agere* et *Agasones*. *Idem.*

Init. Inire interdum obscenum verbum est, unde Inuus et Inivus Pan dictus, qui Graece ἐφιάλτης. Inire rationem, consilium est deliberare, constituere, qua ratione hoc vel illud fieri possit. *Dac.* Locus Plauti in nostris exemplaribus non reperitur.

Inermat. Inde *inermis* et *inermus*, qui sine armis. *Dac.* Vide Non. (pag. 492. Merc.) v. *Inermus. Goth.*

In insula. Tiberinam insulam intellige, quam Tiberis fluvius ambit, nam et eam *Aesculapii insulam* vocat Sueton. in Claud. cap. 25. Vide Plutarch. in Quaest. Rom. quaest. 94. *Dac. Quod is uberibus canis.* Lactant. lib. de falsa relig. (cap. 10.) tradit, Aesculapium lacte canino nutritum Chironi traditum ab ipso Chirone artem medendi fuisse edoctum. *Idem. Huic gallinae immolabantur.* Sic Socrates in Phaedone Platonis se gallum debere Aesculapio medico dicit, quod gallus illi mactari consueverit. *Idem.*

Intempestam noctem. Varro lib. VI. de L. L.: *Intempesta nox dicta ab tempestate, tempestas ab tempore. Intempesta nox, quo tempore nil agitur. Attius in Bruto:*

Nocte intempesta nostram devenit domum.

Servius III. Aeneid.: *Intempesta dicta est nox media, intempestiva inactuosa, carens actibus, per quod tempora dignoscimus. Ait enim Lucretius, quod per se tempus non intelligitur nisi per actus humanos. Medium autem noctis tempus actu caret.* Graeci tamen noctem intempestam dixerunt ἀμολγὸν νυκτὰ, ἐν ἀμολγῷ τῆς νυκτός, quia tunc mulgent. *Dac.* Glossis: *Intempesta* ἄωρος, ἄκαιρος, ϑαϑεῖα (an ϑάλεια h. e. δαὶς ϑάλεια?), ἄκρατος. *Goth. Tempestatem.* Vide infra *Tempestatem*. *Idem.*

Intergerivi. Intergerius. Glossar.: *Intergerios. Fulv. Urs. Intergerivi.* Ego mallem scribere per duo *rr*. Est enim a *gerris*, hoc est cratibus. Unde et congratitii parietes aliquando dicuntur. Glossarium: *Intergeries paries*, τοῖχος ὁ δύο κτήσεις διορίζων. *Scal.* Qui inter duas habitationes intergeruntur, interponuntur, ut eas separent, ab intergerendo dicti, non autem a gerris, id est cratibus, ut putavit Scaliger, qui et ideo legebat *intergerrini*. *Intergerivus paries* una voce dicebatur *intergerium* et *intergeries*. *Dac.* Unde craticii et congraticii dicuntur in iure l. cum duobus 51. §. Item Mela 15. ff. pro socio. Dixi infra in *Solea*. *Goth.*

Internecio. Internectio. Verbum *interfectio* videtur adiectum. *Fulv. Urs.* Eliso *t internecio*, et plus sonat quam *necio* sive *nex*. *Inter* enim interdum auget, sic *interire* plus est quam *perire*. *Dac.* Glossis: *Internecio* ἀναίρεσις. *Goth.*

Inter cutem flagitatos. Hos Cato dixit intercutibus stupris obstinatos, insignibus probris flagitatos. *Flagitare* verbum obscenum est. Apuleius (Met. 10.): *Nudatum supinatumque in ventrem execrandis uredinibus flagitabant.* Unico verbo *intercutiti* dicebantur, ut infra, item et *internuculi*. Omne enim medium *nucleum* vocabant veteres, ut est apud Vitruvium. (Saepe.). *Dac.*

Interduatim. Ab *interduatim* et *interatim interdum* et *interim* dici iudicat Festus. *Interduatim* apud Plautum restituit Scioppius Trucul. IV, 4. (29.):

Id quoque interduatim nomen commemorabitur.

Libri impressi: *Interim futatim.* Sed de hoc alibi. *Dac. Interduatim* nihil esse potest nisi *interdatatim*, h. e. *interdum dando*. Contra pro *interatim* legam *iteratim*. In loco Plautino Scioppii commentum ferri nequit propter metrum. MSS. *interim futatim*. Goellerus nuper edidit *interim furatim*.

Intrahere. In contumeliam sive etiam in laquea, in insidias trahere. *Dac.*

Intercapedo. Quod inter duo temporis spatia intercipitur. Gloss.: *Intercapedo διάστημα χρόνου.* *Dac.* *Intercapedo, διάστημα, διάστησις χρόνου.* *Goth.*

Instaurari. Ab *instar* est *instaurare*, quasi *instar novare.* Varro (apud Macrob. Sat. I, 9.). Alii a σταυρόω palum defigo. *Instaurare* autem proprie est, quae aut vi deiecta sunt, aut vetustate corruerunt, renovare, et inde traducitur ad alia omnia, quae innovantur et integrantur. *Dac.*

Insulae. Proprie domus ab aliis separatae. Cicero. Sueton. etc. Improprie autem quaelibet domus etsi cum aliis coniunctae etiam insulae vocabantur, et hoc intellexit Festus, cum dixit *proprie. Dac.* Frequens verbum in iure, quod quid sit vide in l. 3. §. 2. ff. de officio praefect. vigil. l. 58. ff. legati. l. 91. ff. de legat. 3. Inde insularius l. 16. §. 1. ff. de usu. l. 5. §. 1. ff. de Institor. action. *Goth. Cinguntur.* Coniunguntur. *Idem.* *Insulae* vocabulum ab eadem radice descendit, atque *Exsul, Consul, Nov-en-siles.* Erit igitur *insula* proprie locus inhabitationis, ubi homines incolunt. Nihil aliud. Postea notio vocabuli variata est. Alii *insulam* dictam voluerunt *in salo* iacentem, h. e. in medio mari, in fluctibus. Quod non est verisimile. Cf. Voss. Etym. s. v. pag. 268.

Instigat. Virgil. (Aen. XI, 720.):

Variisque instigat vocibus alas.

Dac. Simplex *stigare*, quod in usu non est, haud dubie convenit cum Graeco στίζειν, unde στίγμα, στιγμός, *stimulus.* In usu est *stinguo.*

Insimulare. Accusare. Gloss.: *Insimulare κατηγορεῖν.* Plaut. Menaech. (V, 2, 55.):

Male facit, si istuc facit: si non facit, tu male facis
Quae insontem insimulas.

Dac.

Insuasum. Vide *Suasum. Ant. Aug.* Glossarium: *Insuasum, εἶδος δοκαριοκαπνισμένων.* Lege: *Εἶδος δοκαρίου κεκαπνισμένου.* Et sane hoc vult Festus, esse colorem similem illi, qui est in illis trabibus, quas diutinus fumus infecit. *Scal.* Plaut. Truc. II, 2. (16.):

Quia tibi insuaso infecisti propudiosa pallulam.

Quem locum infra Festus adducens legit *suaso.* Illum vide in *Suasum.* Mihi magis placet *insuaso.* In Gloss. lego: *Δοκαρίων κεκαπνισμένων*, vel, ut Scaliger. *Dac.* Alii legunt *Insuorsum. Goth. Colorem.* Is color impluviatus a Nonio (pag. 548. Merc.) appellatur cap. 16. *Idem. Ex fumoso stillicidio.* Fumato stillicidio, Nonio. *Idem.* Videntur vocc. *suasum* et *insuasum* derivandae esse a Sanscrita radice çvas, quae significat *spirare, halare*, ut *suasum* sit quasi afflatum, aspiratum, spiritu quodam obductum, angehaucht; tum *infumatum*, angeräuchert.

Insitum. Ab inserendo alterum, unde in glossario exponitur ἔμφυτον; alterum ab *in* et *situs*, a, um, quod a sino. *Dac.*

Inseque. Videndus A. Gellius lib. XVIII. cap. 9. *Fulv. Urs.* Glossarium: *Inseque, εἰπέ.* Livius Andronicus initio Odysseae: *Inseque musa mihi virum versutum. Scal.* *Seco* vel *sequo*, dico, a Graeco ἔπω. Inde compositum *inseco.* Ab *inseco* etiam teste Gellio *insectiones* sermones dicti, ut a *seco sectiones.* Quae vox infra apud Festum restituenda, ubi *secessiones.* Et hanc scripturam ex Pauli negligentia ortam olim Merula apud Ennium animadvertit, qui et in fine pro *dixit* ex veteri exemplari restituit *dixerit.* Ut a *facio faxo*, id est *fecero*, sic ab inseco *insexo*, id est *dixero. Dac.* Cf. Voss. Etym. s. v. *Seco.* Ennii locus est: *Insece Musa manu Romanorum induperator Quod quisque in bello gessit cum rege Philippo.* Cf. Gellius XVIII, 9. De Livii loco cf. Herm. Elementa doctr. metr. pag. 618.

Insignes. Insignis est, qui aliquo signo notatus est, et ut in bonam, sic et in malam partem sumitur, deteriora enim signis notari solent aeque ac meliora, discriminis causa, ut apud Plautum (Mil. III, 1, 126.) insigniti pueri dicuntur vitio aliquo notati et deformes, in Mil. (l. c.):

Tum ne uxor mihi insignitos pueros pariat postea.

Insignitus etiam aliquando pro eo, qui nullo signo notatus est, unde in glossario: *Insignitum, ἀσήμαντα. Dac.* *Feminae.* Femore. *Goth. Insigniti.* Vide Nonium (pag. 130. Merc.) *insignite. Idem.*

Inseptum. Optime Salmasius, qui in suis ad Spartianum notis legit: *Ponitur tamen pro aedificatum.* Nam *inseptus* etiam pro *septus*, ut *insectus* pro *sectus*, *iniunctus* pro *iunctus*; *insciens* pro *sciens* etc. Seneca de Benef. l. IV. (c. 19.): *Hunc igitur inseptum ingenti quodam et inexplicabili muro divisumque a conspectu mortalium. Saepire* autem est inaedificare in lege Manilia: *Neve quid sepito, quominus aqua suo itinere ire, fluere possit.* Hinc apud Vopiscum (Aurel. 22.): *Septiones urbis* pro muris. *Dac.*

Insecta. Insectum dicitur et quod sectum et quod non sectum est, ut supra *inlaqueatus* et vinctus et solutus, *infractus* fractus et non fractus. Vide *prosicium*. *Dac.*

Insipare. Ab antiquo *sipare* iacere est *dissipare*, dispergere, disiicere; *insipare* iniicere; *obsipare* obiicere. Pro *insipare insipere* etiam veteres dixere. Pomponius Atellanarum scriptor:

Facito ut ignis fervat, ligna insipite far concidite.

Varro lib. IV. de L. L.: *Cum aqua ferventi insipitur. Dac.* Vide infra *Supat. Goth.*

Insons. Sons, nocens, insons, innocens. Ausonius Technopaegnio (15.):

Si bonus est insons, contrarius et malus est sons.

Vide *Sons.* Inde morbus sonticus in XII. tab. est morbus sacer sive comitialis, qui et morbus maior. Dictus *sonticus* vel quod noceat, ut vult Festus, vel quod causa sit, cur quod agendum erat agere desistimus. Vide *Sonticum morbum. Dac.*

Inscitia. Stultitia. Sic Plauto *inscitus* est stultus, Bacchid. (IV, 10, 2.):

Quam se ad vitam et quos ad mores praecipitem capessat.

Dac. De differentia, quae intercedat vv. *inscitia* et *inscientia* cf. Gernhard ad Cic. Lael. et Cat. in excursu de hac re peculiari.

Insessores. Insidiatores ab insidendo; *insidere* est dolose aliquem exspectare, unde insidiae Graecis dictae ἐνέδραι. *Dac.*

Immanis. Proprie ferus a privativa particula et *manus* sive *manis* bonus. Virgil. (Ge. III, 39.): *Immanemque rotam.* Sed sumitur etiam pro magno. Virgil. (Aen. X, 209.): *Immanis Triton*, *immania armenta* (Ge. IV, 394.). Sic *saevus*, qui proprie crudelis pro magno veteres usurparunt. Virgil.: *Saevus Aeneas* (Aen. XII, 107.) *Saevus Hector* (Cul. 307.). Ennius: *Induta fuit saeva stola. Dac.*

Imago. Imitago, imago. *Dac. Ab imitatione;* ob imitationem. Non tantum autem imago similitudo, sed et vagina. Vide Nonium (pag. 329. Merc.) in *Imago. Goth.*

Ingluvies. Lego *guttur*, *gluttus.* Glossarium: *Gluttus*, βρόγχος. Persius (V, 112.):

Nec glutto sorbere salivam Mercurialem.

Scal. Ingluvies. Voracitas, ἀδηφαγίαν Graeci vocant, a *gula*, quasi *inguluvies.* Unde *gulo*, *gluttus*, *glutto*, *guttur*, *gutturiosus*. *Gumia* vero non a *gula*, ut vult Festus, sed a Graeco γόμος, quod significat πλήρωμα τῆς νεώς, ἕρμα. Saburram Latini vocant, quique se cibo nimis ingurgitarent, ita dicti ab eo, ut et apud Plautum saturae mulieres a *saburra saburratae* vocantur. In verbis Festi pro *guttus* lege *gluttus*, pars colli, qua cibus transmittitur. *Dac. Grumia.* Dixi ad Nonium 2. numero 377. Adde supra *Degunare. Goth.*

Immusulus. Immusculus. Eadem avis *immustulus*, ni fallor, mox dicitur, de eadem vidimus verbo *Alites.* Plinius *immusculum* vocat lib. X. cap. 7. *Ant. Aug.* Glossarium: *Immusulus* εἶδος ὀρνέου. Infra *Immustulus.* Glossarium: *Inemustulus*, ὄρνεον βασιλικὸν, ὄρνις βασιλικός. *Scal.* Hic Festus diversum facere videtur *immusculus* et *immustulus*, quod unum et idem est, nempe aquilae genus. Sed haec vox totfariam (tam varie) scripta legitur, ut difficile sit veram eius scripturam investigare. Apparet enim *immussulus*, *immusculus*, *immustulus*, *immissulus*, *immisculus*, *immistulus.* Rectum puto *Immussulus* sive sit pro *immissulus.* Ab immitto subito, quod, ut infra Festus, subito se immittat. Sic enim legendum, non *immutat.* Sive sit a *mussando*, id est murmurando. *Immussus*, *immussulus*, quod sit *querulae murmurationis*, ut ait Plin. de Percnoptere, quae eadem et *immusculus* Meursio videtur, cum eam minorum esse virium affirmet Plin., quod hic de immussulo Festus. Porro de immussulo et ossifraga sic Plin. lib. X. cap. 7.: *Sanqualem avem atque immissulum augures Romani magnae quaestionis habent. Immussulum aliqui vulturis pullum arbitrantur esse et sanqualem ossifragae. Massurius sanqualem ossifragam dicit esse, immussulum autem pullum aquilae, priusquam albicet cauda. Dac. Immittat.* al. *mutat:* al. *immutat. Goth.*

Infindere. Glossarium: *Infendere*, ἐπιτεῖναι, ἐνκληματίσαι. Lege: *Infindere.* Metaphora a surculis, qui infissis truncis arborum inseruntur. Quod eleganter vertitur ἐνκληματίσαι. Κλῆμα surculus, sarmentum, *Scal. Infindere intercipere.* Lego: *Intersipere*, id est interiicere. *Dac.*

Inferiae. Item *inferilia*, hoc est καταχθόνια, εἰσκομίσματα. Glossae. *Scal.* Sacra, quae Diis Manibus, qui inferi dicti sunt, solvebantur. Graeci vocant χοάς. *Dac.*

Infector. Infector, βαφεύς; *infecti*, ἀνεστυμμένοι. *Scal.* Plaut. Aulul. (III, 5, 47.):

Cum incedunt infectores crocotarii.

Pro *efficiunt* lege *afficiunt.* Et ita viri docti. *Dac.* Vide infra *Offectores. Goth.*

Infrequens. Plaut. Trucul. (II, 1, 19.):

Pro infrequente eum mittat militia domum.

Inde eleganter Horat. Od. lib. I, 34. (in.):

Parcus Deorum cultor et infrequens.

Dac. De v. *Frequens* cf. Doederlin. Syn. Lat. I, pag. 17. eiusque censorem Lischium in Jahnii Annall. 1829. 3, 1. pag. 3. seqq.

Involvus. Bene viri docti: *Involvulus.* Plaut. Cist. IV, 2. (63.).

Imitatur nequam bestiam et damnificam. Quamnam amabo?
Involvulum, quae in pampini folio intorta implicat se.

Catoni (cap. 95.) et Columellae *convolvulus* dicitur. *Dac.*

Infit. Infit, inquit, magis proprie dicitur. *Ant. Aug.* *Infit* ἄρχει λέγειν, ἐπιγίνεται, ἄρχεται. *Infe*, (*Info?*) ἄρξαι. *Scal.* Saepe Lucretius et Virg.: *Ita farier infit.* *Infit* etiam κατ' ἔλλειψιν pro fari incipit. Est autem a verbo substantivo *fio*, quod a φύω, unde antiquum *fuo*, sum. *Dac.* Vide Doederlin. Synon. Lat. III, 160. seqq.

Infitiari. *Infitiari* creditum negare. Varro: *Qui petebat et qui infitiabatur.* Sed *infitiare* etiam veteres dixere: *Sei infitiat, duplionem subeito. Dac.* Isidor XV. c. 26. l. 14. ff. Depositi. 2. ff. de except. l. 7. ff. de solution. l. 61. ff. de furtis, hinc *inficiator.* Cic. I. de Orat. (c. 37.). Quintil. VII. c. 2. Martiali (I, 104.) Nonio (pag. 130. Merc.) tamen *infitiatores* falsi criminis obiectores, hinc *inficiatio* §. quaedam. Instit. de act. l. 16. ff. *Indicatum solvi.* l. 67. ff. de furtis. *Goth.*

Infulae. Infula est alba fascia lanea, pensilibus ex ea utroque latere vittis albis laneis, percingens caput Flaminum, hostiarum, pacem poscentium, rogantium veniam, diadematis specie, templorumque ambitum succingens. Varr. IV. (lib. VII, p. 310. Sp.). *Infulas dictas apparet in hostiis, quod velamenta e lana, quae adduntur, infulae intra hostiarum cornua velamenta erant.* Infularum autem nomen Latinum est. Nam *infilare* sive *infulare* veteres dicebant amicire, velare, ut contra exuere *exfilare* vel *exfulare*; et *exinfulare* supra Festus: *Exinfulabat, exerebat.* In fine notabis *velabant* pro *velabantur. Dac.* Apud Varronem loco supra exc. nunc aliter legitur: *Dictas apparet infulas, quod velamenta, his e lana quae adduntur, infulae* cet. Locus mendosus, sed qui emendari nequeat propter lacunam unius plagulae statim antegressam.

Inferium vinum. Idem quod *Calpar.* Vinum, quod totius vindemiae nomine Iovi libabatur, ut is eo esset contentus. Libandi formula: *Iupiter macte hoc vino inferio esto.* Quae ni adhibita fuisset, vinum omne usibus humanis eripiebatur Iovique sacrum fiebat. Quem ritum Arnobius contra gentes lib. VII. sic aperte declarat ex auctoritate Trebatii: *Operae pretium*, inquit, *est; etiam verba ipsa depromere, quibus cum vinum dabatur, uti ac supplicare consuetudo est: Mactus hoc vino inferio esto. Inferio*, inquit, *Trebatius, verbum ea causa est additum eaque ratione praefertur, ne vinum omne omnino, quod in cellis atque apothecis est conditum, ex quibus quod effunditur promptum est, esse sacrum incipiat et ex usibus eripiatur humanis. Addito ergo hoc verbo solum erit quod inferetur, sacrum, nec religione obligabitur ceterum.* Vide *Calpar. Dac.* *Inferium.* Inferum. *Goth.*

Inlicium. Cato de re rust. (c. 14.) *colliciares* habet pro *colliciae. Fulv. Urs.* Ab *inliciendo*, cum populus inlicitur ad magistratus conspectum. Varro V. de L. L. (pag. 265. Sp.): *Qui exercitum imperaturus erit, accenso dicit hoc: Calpurni voca inlicium omnes Quirites huc ad me. Accensus dicit sic: Omnes Quirites inlicium visite huc ad iudices. Dac.* Alii *Inlicum. Goth.*

Inlecebrae. Haec glossa omittitur in cod. Lips. ed. princip. Scalig. Dacer.

Inlex. *Inlex, inlegis*, secunda producta, qui est sine lege. Plaut. (Pers. III, 3, 4.): *Inlex, labes popli. Inlex, inlicis*, secunda correpta ab inliciendo, qui illicit. Plaut. Asin. I, 3. (67.):

Esca est meretrix, lectus illex est, amatores aves.

Dac. Nonio (pag. 446. Merc.) et *Illix. Goth.* *Ab inliciendo.* Vide supra *Adlicit. Idem.*

Inlaqueatum. Pro vincto et soluto. Nam praepositio *in* privativa aliquando, aliquando etiam intensiva *Inlaqueatus* tamen saepius pro vincto. *Dac.*

In conventione. Videndus Varro lib. IV. de L. L. (VI, pag. 265. Sp.). *Fulv. Urs.* Conventionem antiqui dicebant pro concione. Varro V. de L. L. (VI, l. c.): *C. Calpurnius dicit, voca ad conventionem omnes Quirites huc ad me. Accensus dicit sic: Omnes Quirites, ite ad conventionem huc ad iudices. Dac.*

Iustum vadem. Vide *Vadem. Dac.*

Infra classem. Non dubium est, quin loquatur de classe prima, in qua censebantur ii, qui centum millia aeris aut supra eam summam possidebant ex Dionys. et Livio. Plinius tamen CX., nisi mendosus liber sit, scripsit lib. XXXIII. cap. 3. Asconius centum millia sestertiorum lib. III. in Verr. (p. 98. Lugd.) Gellius CXXV., millia aeris lib. VII. c. 13., Festus CXX. Haec ita varie traduntur, vel quia immutata est aestimatio, vel quia numerorum notas librarii varie interpretati sunt. *Ant. Aug.* De prima classe hic Festus loquitur, in qua censebantur ii, qui centum viginti millia, vel, ut habet Gellius, centum viginti quinque millia aeris possidebant. *Dac.*

Intercutitus. Vide *Inter cutem flagitatos.*

Inlicitator. Liceri et licitari est licente aliquo supra adiicere, *encherir*, unde *inlicitator* emptor. *Dac.* Adde infra *Licitati.* *Goth.*

Infibulati. Fibulis vestes subnexi. *Dac.* *Flamines*; sacerdotes. *Goth.*

Immussulus. Vide *Immusulus.*

Inarculum. Vide A. Gell. lib. X. cap. 15. Verbum *sacrificans* mihi suspectum est. *Fulv. Urs.* Serviana Fragmenta (ad Aen. IV, 137. p. 333. Dan.): *Arculum est virga ex malo Punica incurvata, quae fit quasi corona, et ima summaque inter se alligatur vinculo laneo albo, quam in sacrificiis certis regina in capite habebat: Flaminica autem Dialis omni sacrificatione uti debebat.* Gellius: *Eaedem ferme ceremoniae sunt, quas Flaminicas sacerdotulas Diales seorsum aiunt observitare, veluti est: Quod venenato operitur. Et quod in rica surculum de arbore siliqua habet.* In quibus non de Punica malo, sed de siliqua arbore fieri praecipitur, quamvis alii felici arbore legant. De venenato etiam Servius in iisdem membranis: *Vetere ceremoniarum iure praeceptum est, ut Flaminica venenato operta sit.* Idem etiam ait: *Flaminicam praecipitur habere arculum, ricam, venenatum, fibulam.* Sequitur apud Gellium: *Et quod scalas, quae Graece κλίμακες appellantur, eas ascendere ei plus tribus gradibus religiosum est.* Lege: *Et quod scalas, nisi quae Graece appellantur.* Idem Servius alio loco: *Apud veteres Flaminicam scalas plus tribus gradibus, nisi Graecas scandere non licebat, ne ulla pars pedum eius crurumve subter conspiceretur, eoque nec pluribus gradibus, sed tribus, ut in ascensu duplices nisus non paterentur extolli vestem, aut nudari crura. Nam ideo et Graecae scalae dicuntur, quia ita fabricantur, ut omni ex parte compagine tabularum clausae sint, ne aspectum ad corporis aliquam partem admittant.* *Hoc* egregium Servii fragmentum, ut et alias eius Grammatici reliquias, debemus optimo et eruditissimo amico nostro P. Danieli, I. C., ex cuius loci sententia ita locum Gellii, qui semper alioqui nunquam non mihi suspectus fuit, emendavi. *Scal.* Servius ad IV. (v. 137.) Aeneid. *Dac.*

Iniuges. Nondum iugum passi. Gloss.: *Iniux bos, nondum iugo iunctus.* Sic *hostiae iniuges*, quae nunquam domitae ac iugo subactae. Macrob. (Sat. III, 5.). Vide Nonium (p. 560. Merc.). *Iniuges. Dac.* Adde infra *Iuges.* *Goth.*

Insanum. Plaut. in Mostell. (III, 3, 5.):

Quoiusmodi gynaeceum? quid porticum? insanum bonam.

Ant. Aug. Lege cum Lipsio: *Insanum magnum* pro *valde magnum.* Nam respicit locum Plauti Bacch. (IV, 5, 1.):

Insanum magnum molior negotium.

Alioqui *insanum* nihil aliud est quam *valde.* Sic apud Graecos *μανικόν*. *Dac.* Adde et confer huic loco Nonium (pag. 127.) in *Insanum.* *Goth.*

Ircei. Imo *ircens*, ut infra. Neque iterum ponendum erat. *Scal.* Ab *hircus*, *hirceus* sive *irceus*, genus farciminis ex hircino sanguine. *Dac.* Fortasse legendum: *Isicia*, ut ap. Isidor. XX. cap. 2. *Goth.*

Incalative. Vide *Incalanto.*

Indigitanto: imprecanto. Ab *indico indicito*, *indigito*, ad digitum ostendo, voco, nomino, nomen laudo, unde etiam *indigito*, imprecor, invoco. Macrob. lib. I. Sat. cap. 17.: *Namque virgines Vestales ita indigitant, Apollo musice, Apollo paean. Dac.* Indignitando, imprecando. *Goth.* Adde *Indiges.*

Inlicium. *Colliciae.* A colliciendo. Plinius *Collicias* vocat sulcos agri aquarios, quos *Elices* alibi vocat Festus. In fine pro *in vas* lege *in vias. Dac.* *Collicia.* V. Adde supra *Incillae*, *Inlices*, *Elicium.* Catoni I. de re rust. *colliciares. Goth.* Adde *Inlicium vocare.*

Indigitamenta. Glossar.: Ἱερατικὰ βιβλία. *Fulv. Urs.* Explicatio haec Pauli est, non Festi. Quis ignorat, pontificios libros ita vocatos? *Scal.* Sic proprie dicebantur, in quibus varia essent Deorum cognomina, ut sunt Orphei ad Musaeum initia sive hymni; *indigitamenta* autem ab *indigitare*, indicare. *Dac.*

Insignes. Vide *Insignis.*

Internecivum. Scribi debet *internecinum*, nam Graeci *'Ιντεονέκινον. Fulv. Urs.* Utroque modo scribitur, testamentum exitiosum, quod mortem domino peperit. Sic *internecivum bellum* Ciceroni, Liv. et al., quod non servitutem, sed mortem victis parit. At internecinum testamentum in iure civili est falsum testamentum, propter quod homo occisus, unde internecini actio, quae ab Isidoro (lib. X. s. v. internecida.) vocatur *internecidii a voce internecida. Internecida*, inquit ille, *est qui falsum testamentum fecit et ob id hominem occidit.* Item (lib. V, 26.): *Internecidii iudicium in eum dabatur, qui falsum testamentum fecerat et ob id hominem occiderat. Accusatorem eius bonorum possessio sequebatur.* Et hic forsan Festus respexit. *Dac.*

Increpitato. Non sat video cur *ferito* Festus interpretetur, nisi *ferire* intelligas obiurgare, verbis tangere. Tamen *increpare* pro ferire, pulsare Ovid. (Her. III, 118.):

Threiciae digitis increpuisse lyrae.

Dac. Increpitato. Increpato. V. Adde Nonium (pag. 329. Merc.) in *Increpitat. Goth.*

Increpitare. Virgil. (Aen. IX, 504.):

At tuba terribilem sonitum procul aere canoro
Increpuit.

Dac. Male dicere. Oburgare. Ennius lib. I. Annal.:

Ast hic, quem nunc tu tam torviter increpuisti.

Sed male *increpare* a crepero deducit in *Creperum.* Est enim a *crepo*, quod a vocis similitudine et sonitu dictum est. Varro Lib. V. de L. L. (lib. VI, 244. Sp.). *Dac.*

Imbelliam. Gellius lib. V. cap. 5.: *Tum Poenus eludens ignaviam imbelliamque militum eius pretiose armatorum. Dac.*

Iecunanum. In al. *incumanum* vel *iecinorum.* An legendum: *Iecinorum, victimarum*, ut Festus dicat *τὸ iecinorum* alicubi positum legi pro *victimarum*, cum iecur sive iecenor in victimis praecipua par sit. *Dac.* Difficile dictu est, quid sit rescribendum. Ego quoque aliquid detorti ex v. *iecur* suspicor et subodoror. Sed quid illud sit, dicere non habeo. Interim scribam *Iecunorium, victimarium*; ut adiectivum sit.

Inori. Scribo *inori, inores*, quia scilicet inores usitatius esset, quam *inori.* Turpilius Demetrio: *In acta cooperta age inoras ostreas. Scal.* Sed legendum, ut libb. vett.: *Inori, sine ore. Inorum* est quod ore caret. Gellius (VII, 6.): *Animalium inora inauritave.* Gloss.: *Inora, ἄστομα. Dac.* Hinc *inores ostreae.* Lucillio Satir. apud Nonium (p. 216. Merc. ubi locus ille tribuitur Turpilio.) in *Ostreo. Goth.*

Incalanto. Calo, voco, a *καλῶ*, inde *incalo, incalationes, incalative* cet. *Dac.*

Ingens. Ab *in* epitatico et *gens*, quasi quod in gentem sufficiat. Sed potius *ingens* quasi *incens*, ab *in* privativo et *censeo*, quod tantum sit, ut censeri non possit. Et plus esse *ingens* quam magnum indicat locus Terent. Eunuch. (III, 1, 2.):

Magnas vero agere gratias Thais mihi?
Ingentes.

Quem Cicero adducens in Laelio (c. 26.): *Satis erat*, inquit, *respondere magnas, ingentes inquit. Semper auget assentatio id, quod is, cuius ad voluntatem dicitur, vult esse magnum. Dac. Augendi.* Vide supra *In. Goth. Gens.* Vide supra *Gens. Idem. Ingens* est *inhumanus, immanis.* Nam *gens* est h. l. idem quod Sanscr. *dchanas*, i. e. natus, unde in plurali homines significat, *Leute.* Igitur ingens ab *in* privativo et *gens* est comp.

In pelle lanata. Servius, qui est penes Danielem nostrum, tantum refert ad confarreationem. *Mos*, inquit, [ad l. IV. Aeneid. (v. 374. pag. 348. ed. Dan.). *Dac.*] *apud veteres fuit Flamini ac Flaminicae, ut per farreationem in nuptiis convenirent, sellas duas iugatas ovili pelle superiniecta poni eius ovis, quae hostia fuisset, et ibi nubentes velatis capitibus in confarreatione Flamen ac Flaminica residerent. Scal.* Sed quibusvis aliis nubentibus morem hunc observatum fuisse fidem facit hic Festi locus. Id autem ea causa factum esse arbitror, ut eo se nova nupta lanificio intentam fore significaret. Nam apud antiquos matronis maxima cura circa lanificium fuit, ut passim videre est, unde illud in epitaphio veteri: *Domum servavit, lanam fecit, dixi, abi.* Sed vide inprimis caput ultimum aurei libelli Salomonis, qui *proverbia* inscribitur. *Dac.*

AD LIBRUM X.

Lucetius. Glossarium: *Λουκέριος Ζεύς. Fulv. Urs.* Glossae: *Lucerius Ζεύς.* Utrubi error, nescio. Gellius habet Lucetius. *Scal.* Gellius lib. V, cap. 12.: *Item Iovis Diespiter appellatus, i. e. diei et lucis*

pater. Idcirco simili nomine Diiovis dictus est, et Lucetius, quod nos die et luce quasi vita ipsa afficeret et iuvaret. Servius ad illud Virg. IX. Aeneid. (570.): *Lucetium portae subeuntem. Solum hoc nomen est*, inquit, *quod dictum a Virgilio a nullo alio reperitur auctore. Sane lingua Osca Lucetius est Iupiter, dictus a luce, quam praestare dicitur hominibus, ipse est nostra lingua Diespiter, i. e. diei pater.* Horatius (Od. I, 34, 5.): *Namque Diespiter. Dac.* In Gloss. lege: *Lucetius. Idem.*

Lemnisci. Lege: *Fasciae coloriae. Scal.* A Graeco λῆνος dici putant. Sed *Lemnisci* Syracusana vox est. Hesych.: *Λημνίσκους, τὰς στενὰς Συρακούσιοι ταινίας.* Male quidam hunc Festi locum sollicitat, qui non *Lemnisci* sed *Lanisci* legendum esse contendit. *Dac.* Glossarium: *Lemniscata*, maior palma gladiatorum. *Goth. Fasciae colorisiae.* Fasciae coloriae. *Idem.*

Lectus. A legendis foliis, ex quibus sibi lectos veteres sternebant. Eurip. in Rheso (v. 9.): *Λεῖπε χαμεύνας φυλλοστρώτους.* Sed melius lectus a λέκτρον amisso ρ. Varro lib. IV. (V, 35. pag. 166. Sp.): *Lectica quod legebant, unde eam facerent, stramenta atque herbas, ut etiam nunc fit in castris. Lectos ne essent in terra, sublimes in his ponebant; nisi ab eo quod Graeci antiqui dicebant λέκτρον lectum potius. Dac.* Descendit *lecti* voc. a communi Indogermanicis sermonibus radice *leg* quae iacere, prosternere, significat. Unde Graecorum λέγω, quod superest in ταννλεγής, λέχος, λέκτρον; Germanorum *legen*, *liegen*, *lager*, *lage*; Angl. *to lay*; Batav. *leggen*, cet.

Lapidem silicem. Etsi sciam iuratores simpliciter hac formula usos, quam Festus refert, hic tamen per *iusiurandum* illud intelligo quo foedera firmabantur. Vide Polyb. lib. III, (25, 6.). Alia etiam formula usos veteres in foederibus feriendis patet ex Livio lib. I, (24.), quae haec fuit: *Qui prior defexit publico consilio dolo malo, tu illo die, Iupiter, populum eum sic ferito, ut ego hanc porcum hodie feriam, tantoque magis potes pollesque. Haec ubi dixit, porcum saxo silice percutit. Dac.*

Lepista. Naevius apud Fortunatianum de Saturnio versu (pag. 2680. Putsch.): *Ferunt pulchros pateras, aereas lepistas.* Sed *crateras* pro *pateras* scribendum *Fulv. Urs.* In Glossario: *Lepistra*, εἶδος χύτρας. De hoc satis olim in Coniectaneis (pag. 53. ed. St.). Varro de vita populi Ro. lib. I.: *Ubi erat vinum in mensa positum aut lepestam, aut galeolam aut sinum dicebant. Tria enim, pro quibus nunc Acratophoron dicitur.* Qui locus coagmentatus partim ex Nonio, partim ex schedis Servianis, quae sunt penes doctissimum Danielem nostrum. *Scal.* Inde patet vas vinarium fuisse Graecis λεπαστή. Dolopum vocem esse docet Eustath. Puto esse a Graeco λέπας concha, quod conchis pro vasis uterentur. Varro lib. I. de vita pop. Rom.: *Lepistae etiamnum Sabinorum fanis pauperioribus plerisque aut fictiles sunt, aut aeneae. Dac.* Dixi ad Varr. IV. de L. L. Adde Nonium in Lepistae (pag. 547. Merc.). *Goth.* Locum Naevii emendavit Bentl. in Resp. ad Boyl. pag. 123. Cf. Herm. Elem. doct. metr. pag. 610. et pag. 636.

Legio Samnitum. Videndus Livius lib. X. In fine scribendum *iuraverant. Fulv. Urs.* Hoc fuse describit Liv. lib. X. cap. 38.: *Ea legio* (sexdecim millium fuit) *linteata ab integumento consepti, quo sacrata nobilitas erat, appellata est.* Nam paullo superius idem scripserat: *Ibi mediis fere castris locus est conseptus cratibus pluteisque et linteis contectus, patens ducentos maxime pedes in omnes pariter partes.* Male igitur pro *circumdatam* quidam habent *circumdati*, neque enim ipsi Samnites linteis tecti, sed conseptum ubi ara fuit, ad quam sacrata nobilitas. *Dac. Iuraverunt.* Iuraverant. *Goth.*

Lenones. Melius Priscianus (IV, 2, 7. tom. I, pag. 144. Kr.) et Isidorus a *leniendo*, quod diliniendo adolescentes seducant. *Dac. Ab alliciendo.*. Id est decipiendo; v. supra *Adlicit* et *Lacit. Goth.*

Letum. Varro lib. VI. (VII, pag. 328. Sp.): *Quom dicimus ollus leto datus est, quod Graecus dicit λήθῃ, id est oblivioni.* Et eo Varronis Festique mens spectat, quod veteres abstinebant mortis mentione, ne cogerentur δυσφημεῖν ut in voce *abitio* dictum est; et sic lethum quasi λήθην dicebant, quia mortui (Virg. Aen. VI, 715.):

Securos latices et longa oblivia potant.

Etsi Priscianus (IX, 10. tom. I, pag. 469. Kr.) a *leo*, *levi*, *letum* deducit. *Dac.* Et a Sanscrita radice *lî*, quae liquefacere, solvere, delere significat, cuius infinitivus *letum* et *latum* formatur.

Lemonia tribus. Meminit Cicero Philipp. 9. (7, 17.) et in Orat. pro Planco (16, 38.). *Dac.*

Levir. Glossar.: *Ἀνδράδελφος. Fulv. Urs.* Graecis ἀνδράδελφος. Est autem ex Graeco δαήρ. Quare propterea prima producitur, ut apud Senecam in Octavia. Male enim quidam docti corripiunt. *Scal.* Veterum librorum scripturam probo: *frater meus.* Levir enim est viri frater, δαήρ, qualis Hector erat Helenae. *Dac. Uxoris meae frater.* Uxori meae frater meus. v. 9. Isidor. 8. quasi laevus vir; v. Non. (p. 557. Merc.) in *Levir.* Viri frater *levir.* l. 4. §. 6. vers. Viri frater ff. de gradibus. *Goth.* Respondet vox Sanscrita

devri, ubi *d* in *l* transiit, ut in *lacrima*, *oleo* (ex ὄζω, ὄδωδα) *lingua* (*dingua* cf. Mar. Victor. p. 2457. Putsch.) et pauca alia.

Leria. In ornamentis muliebribus qui sint λῆροι in Coniectaneis (pag. 136. seq. St.) diximus. *Scal.* *Λῆροι* Graecis; Hesych.: *Λῆροι τὰ περὶ τοῖς γυναικείοις χιτῶσι κεχρυσωμένα.* Etsi vox latius patet, nam χλιδῶνες omnes muliebres, ornamenta omnia, quae vulgo *iocalia* vocamus, veteribus dicebantur λῆροι, i. e. *nugae* et *nugivendi*, qui ea vendebant. Plaut. Aul. (III, 5, 51.):

Ubi nugivendis res soluta est omnibus.

Dac. Laena alii; v. Pollucem, Hesychium et 6. Epigram. *Goth.* Suidas in v. ληρεῖς ἔχων affert v. λῆροι ex vetere epigr. cf. Intt. ad Hesych.

Lesbium. Meminere Athenaeus, Pollux et alii. *Dac.*

Legimus. Plures significationes τοῦ *legere* v. apud Nonium (pag. 331. seq. Merc.) in *Legere. Goth.* *Oleam.* Olera. *Idem.* *Glandemve.* V. ff. de glande legenda. *Idem.*

Lectosia. Dionys. lib. I. (53. p. 43.): Ἔπειτα νήσῳ προσέσχον, ᾗ τοὔνομα Λευκασία, ἀπὸ γυναικὸς ἀνεψιᾶς Αἰνείου πρὸς τόνδε τὸν τόπον ἀποθανούσης. Legendum igitur *Leucasia. Fulv. Urs.* Lege: *Leucosia.* Insula est Leucaniae in sinu Paestano. Ovid. Metam. XV, (708.):

Evincitque fretum, Siculique angusta Pelori
Hippotadaeque domos regis, Themesesque metalla
Leucosiamque petit, tepidique rosaria Paesti.

Verum haec non ab Aeneae consobrina, sed a Leucosia Sirenum una nomen traxit, ut Lycophron, Strabo, Eustathius in Dionys. Perieg., Plinius et alii testantur. Quare legendum omnino *Leucasia* (id quod et doctissimo Cantero in mentem venit) ex Dionysio (l. c.). Et Solin.: *Ex consobrina Leucasiam insulam.* Haec insula in mari Ionio et male viri docti eam cum *Leucosia* confundunt. *Dac.* V. Canter. 3. Novar. c. 10. *Goth.*

Lictores. Scribendum *apparentes* pro *parentes.* Vide in *viatores. Fulv. Urs.* Alii a ligandis reis dictos volunt, ex illo Cicer. pro C. Rabirio (4.): *I lictor colliga manus.* Vide Gellium. *Dac.* Adde l. 8. l. 23. ff. de manumissis vindicta. Gell. (XII, 3.). *Goth.* *Quod fasces virgarum ligatos ferunt.* Hinc glossis lictor ῥαβδοῦχος, lictor summus ἀρχιραβδοῦχος. A ligando Nonius (pag. 51. Merc.) derivat. *Idem.* *Parentes.* Apparentes; v. infra *Viatores. Idem.*

Liber. Alii quod animum curis liberet et trietitiam pellat. Seneca (de Tranq. 15.): *Liber non ob licentiam linguae dictus est inventor vini, sed quia liberum servitio curarum animum asserit, vegetumque et alacriorem in omnes conatus facit.* Servius (ad Georg. I, 7. pag. 16. Dan.): *Liberum* quasi *Libasium* dictum, quia Graece λοίβη dicitur res divina. Alii aliter, sed unice placet doctissimi Bocharti sententia. Nempe Liberum Bacchum dici Hebraea phrasi qua *horim* vocantur principes i. e. liberi. Sic Ecclesiast. 10, 17.: *O te beatam regionem, cuius rex est filius horim liberorum*, i. e. praeclaris ortus parentibus et ab illis liberaliter institutus. Atque ita nominantur Babylonii principes Es. 34, 12., ubi Chaldaeus habet *bene horim* filios liberorum seu heroum. Inde enim heroum nomen: ut non immerito Nimrodum Methodius appellet ἀδελφὸν τῶν ἡρώων. *Dac.* Perstringamus hic paucis omnia ista vocabula, quae *liber* sonant et similiter. Et primum quidem *liber*, penultima producta, non dubium est, quin ab ἐλεύθερος descendat, vel potius cum hoc sit cognatum. Nam ut ab ἐρυθρός, *ruber*, sic ab ἐλεύθερος, *liber.* Illud ipsum autem ἐλεύθερος descendit a λύω solvo, ut *liber* a Sanscrita voce *li*, solvo, unde etiam *luo*, *leo*, *levo*, λύω derivata. Itaque apparet *Deum Liberum*, *Liberum patrem* nullum esse, nisi *liberatorem*, λυαῖον, cuius Graecae vocis Latina est interpretatio *Liber.* Idem vocabulum est *liberi*, οἱ παῖδες, qui proprie sunt ἐλεύθεροι, quibus opponuntur *servi.* Contra *liber*, penultima correpta, descendit a Graeca voce λέπος, i. e. φλοιός, cui cognata sunt: *glaber*, *gluber*, *glubere*, et *glubare.* In hoc igitur postremo vocabulo, ut saepe animadvertimus, cum vocalium demutatione inflectitur paullum notio: *glaber, liber, gluber, glubere.* Praeterea commemorandum est v. *libra*, quod respondet Graeco λίτρα; et quemadmodum ex Graeco λυτήρ factum esse videtur *Liber*, vel potius, quemadmodum λυτήρ et *Liber* sibi respondent, sic cognata sunt vv. *libra* et λίτρα. Est autem λίτρα recta descendens a Sanscrito *li*, quod *solvere* notat, unde *litra* nihil aliud est nisi *litura*, h. e. solutura, solutio, Bezahlung, quae est nativa significatio vocabuli *libra.* Porro *Libido*, *libet*, *Libitina*, descendunt a Sanscrita radice *lubh*, quae denotat *cupere*, *desiderare*, quare intelligitur rectius, saltem antiquius, scribi *lubido*, *lubet*, cet.

Limis. Limus. Bene non *limis.* Obliquus, transversus. Terent. (Eun. III, 5, 53.): *Ego limis specto.* Subauditur *oculis.* *Limis oculis* i. e. obliquis, transversa tuentibus. *Dac.* V. Hyginum et Non. (pag. 133.

Merc.) in *Limum obtortum*, et Glossae *Limis, obliquis oculis. Goth.* De etymo adi. *limus* disputavit Doederlin. Syn. Lat. II, pag. 36. ubi a *liveo* deducit. Sententiam retractavit III, 67. not. ubi a *linquo* derivandum existimat, quemadmodum *obliquus.* Quae ratio nobis quoque vera videtur.

Limites. Quaecumque in agro facta sunt ad observationem finium. Virg. (Aen. XII, 898.):

Limes agro positus litem ut discerneret arvis.

Aliquando viae transversae, ut decumanus limes, qui agrum secat ab ortu solis ad occasum. *Cardo*, limes qui per agros currit a meridie ad septentrionem. Sumitur etiam limes pro quavis alia via. Virg. (IX, 324.): *Lato te limite ducam. Dac. In agris.* Sunt etiam imperiorum limites l. 5. Cod. de annonis; seu limina; unde postliminium dictum §. 5. Inst. quibus modis ius patriae potestatis. *Goth. Termini.* Duo praecipui limites: *Cardo* a septentrione in meridiem; *Decumanus* ab oriente in occidentem per transversum directum, ut formam denarii faceret; v. Plin. XVIII, 33. Isidor. XV, 14. V. Siculum Flaccum et Hyginum. *Idem.* Vv. *Limes* et *limen* descendunt a Sanscrita radice *likh*, quae scribere, delineare, significat, unde *linea* quoque deducitur. Quemadmodum enim a radice *iug* fit *iumentum*, a rad. *sec* (secare) fit *semita*, a rad. *lac* (lacio, lacero) fit *lanius*, *laniare*, a rad. *lig* (ligare) fit *limus* (cingulum); sic plane a radice *lic* orta sunt *limen*, *limes*, *linea*. *Limus* vero (luti genus) recte a Doederlino Syn. Lat. II, ex radice *lino* procusum esse ostenditur, nisi quod propius a rad. Sanscrita *lip* descendere videtur, quae significat *oblinere.* Ex hoc enim fonte descendunt Graecorum λίπα, λιπαρός, ἀλείφω, λιπάζω, λιπαίνω, Germanorum *leim*, *lehm*, Angl. *lime*, Batav. *lym*, *leem*, Latinorum *linere*, *limus*, *lima*, *limare*, *limax*, quod postremum vide infra in v. *Limaces.* Ab ista autem radice *likh*, quae etiam *lig* sonat, descendit participium *likhitas* et *lingitas*, unde orta Latinorum *littus* (veluti *lictus*) et *littera*, id quod longe est probabilius, quam communis illa opinio, quae *littus* a *lino*, *litum*, et *littera* a *lego* descendere iubet. Atque ex Sanscriti sermonis legibus *littus* nihil aliud est, nisi *ductus*, *linea*, *Saum*, *Streif*, *littera* vero nihil aliud, nisi *scriptura*, *pictura*, lineae ductio. Sic commodissime nativa horum verborum potestas aperitur.

Limitatus ager. In centurias, in certa quaedam iugera dimensus. *Dac.* De limitatis agris v. l. 16. ff. de adqu. rerum dominio; Iulium Frontinum de limitibus agrorum. *Goth.*

Librilla. Lege: *librilia.* Porro ultimis temporibus senescentis imperii haec in desuetudinem abierunt Sed magister rerum usus in eorum locum Fustiballum commentus est. De quo apud Veget. (de re mil. III, 14.). *Scal.* Instrumenta, quibus saxa in hostem librantur, et ipsa etiam saxa loris revincta. *Dac.* Hic deest verbum a quo regatur oratio. *Goth.*

Liberalia. Vide *honorarios ludos. Dac. Loquemur.* Loquuntur. *Goth.*

Limaces. Limax a limo quod ibi vivit. Varro lib. VI. (VII, pag. 345. Sp.) unde *Limaces* dictae meretrices. Plaut. Clitell. (Fragmm. Bacch. 11.):

Non quasi ut hae sunt hic limaces lividae.

Dac. Vermes dicuntur Glossis et λυμνοκοχλίαι. *Goth. Limax.* Descendit hoc v. a *limare*, quod proprie est ἀλείφειν, oblinere. Cf. quae supra diximus ad v. *Limes.*

Litatum. Litare. Solvere, a verbo *luo*; nam et prius *lutare* dicebatur. Varro apud Nonium (pag. 131. Merc.) in voce *lutavi: Habes qui et cuius rei caussa fecerim hecatomben, in quo ego ut puto, quoniam est luere solvere, lutavi.* Optime igitur Festus *litatum*, *solutum* deo deditum interpretatur. Nam et inde *litare* in sacrificiis καλλιερεῖν. *Dac. Solutum.* Solituni. *Goth.* Verba apud Nonium: *quoniam est luere solvere*, non Varronis esse videntur sed Grammatici. *Lito*, *litare* haud dubie descendit a *luo*, Graec. λύω, id quod ostendit locus Varronis apud Nonium l. c. ubi *lutari*, aperte pro *litavi* dicitur. Propior tamen est Sanscrita radix *li*, quae solvere significat. Ex qua apparet, qua ratione *litare* pro *lutare* dici potuerit. Igitur Sanscritum *li* has formas verborum progenuit: *leo* (unde *deleo*) *luo*, λύω, ὀλλύω, *solvo*, et frequentativa *luto*, *lito*, i. e. expio, crimine solvo.

Lixae. Potius a *lix*, aqua, quia eorum munus erat aquam ferre militibus. Vel a *lixando* coquendo, quia cibos coquebant militibus. *Dac.* A *lixa* i. e. aqua Nonius (pag. 62. Merc.) deducit lixas. *Goth.* *Lixae* haud dubie a *ligere*, antique pro *ligare*, unde *lictor.* Erit igitur *lixa*, qui impedimenta ligat.

Lingula. Martialis lib. ult. (XIV, 120.): *Quamvis me ligulam dicant equitesque patresque, Dicor ab indoctis Lingula grammaticis. Ant. Aug.* Graeci *Lingula*, μύστρος καὶ γλωσσίς. Malo tamen Ligula, ut Martialis; et aliae Glossae *Lingula* μυστρίον. *Scal.* Martialis tamen alibi *lingulam* scripsit lib. 2, (29.):

Non hesterna sedet lunata lingula planta.

Sane nullo discrimine utrumque a veteribus usurpari facile crediderim. Nam a *lingua*, *lingula*, syncope *ligula*. Neque enim a *ligando* dici possit lingula ut placuit Charisio (pag. 100. Fabr.) et Iuvenalis Scholiastae. Sunt autem variae huius vocis notiones, nam *ligula* sive *lingula* dicitur in calceis linguae instar fastigiatum. Martialis supra. Item *ligula* in tibiis, quam pariter *γλωσσίδα* Graeci vocant. Lucian.: *Εἰς τὴν γλωσσίδα τοῦ αὐλοῦ λεπτόν τι ἐμπνεῖν.* Ligula autem instrumentum, quo aromatarii unguentum educunt e vasis, idem gladiolus in speciem linguae factus. Item mensura, quarta pars cyathi. In verbis Festi pro: *infra dentes coercitae*, lege cum Vossio: *intra dentes coercitae. Dac.* Duo vocabula diligenter sunt distinguenda, *ligula* a *ligando*, et *lingula*, deminutivum a *lingua*. Illud *ligula* ostendit, nomen *liga* in usu fuisse, quod convenit cum Graecorum *λύγος*, unde *λυγίζω*. *Lingua* autem, cui respondet Sanscritum *dschihva*, descendit a Sanscrito *lih*, *λείχω*, lingo. Igitur sic variant sermones Indogermanici in hoc vocabulo: Sanscr. *dschihva*, Gr. *γλῶσσα* (olim *γλῶχα*, unde *γλωχίν*, *γλῶξ*) Lat. *dingua*, *lingua*, Germ. *Zunge*, Bat. *Tonge*, Angl. *tongue*, Fr *langue*, Hisp. *lengua*. Habes igitur demutationes vocalium solennes illas *a*, *e*, *i*, *o*, *w*, *u*; de quibus saepe iam diximus.

Libella. V. l. Iudices. C. de Episco. audientia. *Goth.*

Lacit. *Lacere in fraudem* dixit Lucret. lib. 5, (IV, 1200.):

Quae lacere in fraudem possent vinctosque tenerent.

A *lacere* est *lactare*, ut a *ducere ductare*. *Lactare* est blanditiis trahere, unde *delectat*, *illectat*, *electat*, *oblectat. Dac.* Vide supra *Adlicit.* Hinc Gloss. *Lacebra* seductio. *Goth.*

Lituus. Tuba incurva equitum propria, ita dicta non a *lite*, ut vult Festus, sed a Graeco *λιτός*, *tenuis*, *acutus*. Litui enim acutus est sonus. *Dac.* *Liticen.* Gell. XX, 2. Ovid. Fastor. VI. Dixi ad legem XII. Tabularum. Glossis Liticen *ἱεροσαλπιγκτής*. *Goth.* *Effundit.* Effudit. *Idem.*

Litis cecidisse. *Liti.* *Liti* pro *lite.* Lite cadere dictum ut caussa cadere. *Dac.* *Liti.* Litis. *Goth.*

Lixabundus. Glossae Isidori: *Lixabundus ambulat, qui voluptatis caussa ambulat. Scal.* *Lixare* est *lixae* instar circumvagari.

Licitati. Licitatione contendentes. Unde *licitari* pro pugnare, congredi. Enn. (apud Non. p. 134. Merc.):

Pars ludicre saxa iactant, inter se licitantur.

Dac. Adde supra *Inlicitatum.* Hinc *animose licitus* in l. 29. ff. familiae. *De vestibulo liceri;* in l. 19. §. 1. ff. commun. dividundo. Hinc *licitatio* l. 6. l. 22. §. 1. ff. familiae; *licitatione vincere* l. 9. ff. de Publicanis. *Superiorem esse in licitatione* l. 4. Cod. de vectigalib. et commissis. *Calor licitantis* l. 9. ff. de Publicanis. *Goth.* *Contendentes.* Hinc licitari Nonio pugnare, rogare. Glossis: *Licitari ὑπερθεματίσαι*, *Licitatio ὑπερθεματισμός* et *διακήρυξις*. *Idem.* Duo verba hic sunt distinguenda, *licere*, unde *licet*, *licitum est*, et *liceri*, unde *licitari*, et *polliceri;* utrumque tamen a communi quodam stirpe, quae sinere, mittere significabat, quae fortasse reperitur in Germanico *lassen*, *laten*, unde Latinorum *lassus* i. e. remissus, *laxus*, *luxus*, i. e. solutus. Erit igitur *licet licitum est*, permittitur, permissum est; *liceri* et *licitari*, se mittere, ex sese emittere, unde *bieten* i. e. rogare pretium, pretium pronunciare. Unde *polliceri*, promittere, pr. sich darbieten; *pollucere*, unde *polluctum*, offerre; *polluctum* igitur est oblatum; quare Plaut. Stich. II, 1, 80. *Uti decumam partem Herculi polluceam* i. e. offeram, consecrem.

Liquitur. Virg. (Aen. IX, 813.): *Tum corpora sudor liquitur. Dac.*

Lingulaca. Piscis linguae speciem referens, Graecis *βούγλωσσος* a *βου* particula epitatica et *γλῶσσα*, non quod bovis linguam referat, ut male quidam putavit. Latinis *solea* dicitur. Inde facete lingulacam locuteleiam mulierem Plautus vocavit Casin. II, 2.:

Vin' lingulacas? Quid opus est, quando uxor domi est?
Ea lingulaca est nobis, nam nunquam tacet.

Pro *auguratrix* vel *garrulatrix* lege cum Cantero *argutatrix. Dac.* Varro de lingua (Lat. V, 12. p. 82. Sp.). *Goth.* *Auguratrix.* Alii garrulatrix, recte. Lingulacae Nonio (pag. 26. pag. 50. Merc.) verbosi et Locutuleiae. Alii etiam hic legunt *argutatrix*, ut Canter. 4, cap. 28. *Idem.*

Lance. Notum ex XII. Tabulis esse ideoque repetendum ex ultimo Atheniensium iure. Nam qui concipiebant in aliqua domo furtum, nudi cincticulo amicti, quod vocatur hic *licium*, aedes suspectas ingrediebantur. Aristophanes *Νεφέλαις* (497. Dind.):

— — *Κατάθου θοιμάτιον· ἠδίκηκά τι;*
Οὐκ, ἀλλὰ γυμνοὺς εἰσιέναι νομίζεται.
Ἀλλ' οὐχὶ φωράσων ἔγωγ' εἰσέρχομαι;

Plato enim de Legibus lib. XII. (pag. 202. St.): *Φωρᾶν δ' ἂν ἐθέλῃ τίς τι παρ' ὁτῳοῦν γυμνός, ἢ χιτωνίσκον ἔχων ἄζωστος προομόσας τοὺς νομίμους θεοὺς, ἦ μὴν ἐλπίζων εὑρήσειν, οὕτω φωρᾶν.* Propter matrem familias autem et virgines opponebat lancem ante oculos, quia etiam in *γυναικωνιτίδα* intrabat. Quod non licebat apud Graecos viro externo, ne corrumpendi feminas potius, quam furti concipiendi caussa ingressus videretur. Ideoque lancem ob oculos ponebat, ne videret eas. Sed quaero, quid ergo proderat intrasse Gynaeconitin et nihil videre? Sane qui ita oculos tegeret, quid videre posset, quomodove furtum concipere nescio. *Scal.* Certe hic erravit sive Festus sive Paulus sit, qui nobis hunc morem conscripsit, neque enim qui licio cinctus erat, idem et lancem habebat ob oculos; qui enim furtum quaerere potuisset? Quaerere furtum per lancem et licium dicebatur rei furtivae dominus cum adhibito servo publico, qui licio cingebatur, aedes intrabat, quae sibi furti suspectae erant, ipse lancem habens ob oculos. Plato de Legg. (l. c.) ubi quod *χιτωνίσκον* vocat Plato, Romani dixere *licium.* Vide Schol. ad Arist. Nub. pag. 155. *Dac.* Dixi ad §. conceptum vers. quum enim, ibi, secundum veterem observationem, Inst. de obligat. ex delicto; et ad leges XII. Tabularum. *Goth.*

Lautia. Melius veteres editiones *Lautitia.* Porro notum, quid sit lautia, quae prius Dautia vocabantur. Eadem etiam Lauta loca, item legatorium dicebantur. Servius Danielis (ad Aen. VIII, 361.): *Alii dicunt Carinas montem nominatum, quod ager suburbanus ante portas Cariis erat. Alii Lauta loca legatoriumque in ea regione instructa accipere consuerant.* Habes et apud Livium. *Scal.* Omnino legendum *lautitia.* Nam lautia aliud est. Vide *Dacryma. Lautitia* a *lautum*, quod a *lavo*, magnifici enim et opulenti homines ante epulas sese in balneis lavabant. Plaut. Terent et alii. Servius (l. c.). Sed aliter hic locus Servii, nempe: *Lautia, loca legatorum, quae* ctt. Et ita legendus hic locus. *Dac. Lauticia.* V. supra Dautia, quae *ξένια* l. 6. §. 3. ff. de offic. Procons. et *παροχή*; unde Xenoparochi in l. 18. §. 10. ff. de munerib. et honorib. *Goth.*

Laeva. A *λαιός* inserto u, ut a *σκαιός* Scaevola, qui sinistra tantum manu utitur. *Dac.*

Lacuna. Vide *Lustra. Ant. Aug.* Pro *lama* perperam manuscripti *limam.* Neque id tam mirum, quam doctos viros pro eo substituisse *λίμνην.* En cacoethes bonos auctores corrumpendi. Cur ipsis displicuit *lama?* An ignorant, idem esse, quod *lustrum?* Et sane ita veterum Glossae: *Lamae, πηλώδεις τόποι.* Melius tamen *lamae* collectiones aquarum exponerentur. *Scal.* Varro lib. IV. de L. L. (V, pag. 42. Sp.): *Lacus lacuna magna ubi aqua contineri potest.* Virg. Georg. 1, (117.):

Unde cavae tepido sudant humore lacunae.

Ubi Servius (ad Virg. Georg. I, 116.): *Lacunae sunt fossae, in quibus collecta aqua stare consuevit et est quasi lacus minores.* Vide *Lustrum. Dac. Lustrum. Λουτρόν. Goth.*

Lacit. V. supra *Lacit. Lacerare* et *lacere* cohaerent, ut Germanorum *lockern*, et *locken. Lacer* enim est locker, ut *lacus*, *lacuna* loch.

Laena. L. m. pro *habitus* habet *habitu* et *χλανίδα* pro *χλαίνην. Fulv. Urs.* Toga crassior supra caetera vestimenta, unde Varro a lana multa dictum putat lib. IV. (V, pag. 136. Sp.): *Laena quod de lana multa, duarum enim togarum instar.* Alii Etrusce dictam volunt, sed *laena* omnino a *χλαίνη* quasi *χλιαίνη* a verbo *χλιαίνω.* Nam et ex Plutarcho certum est laenas nihil esse aliud quam Graecorum *χλαίνας. Dac.* Militare vestimentum esse ait Nonius (pag. 541. Merc.) in *Laena. Goth.*

Lautumias. Latumias. L. m. *lautumias* antiqua scribendi consuetudine, ut *Laumedon* pro *Laomedon. Fulv. Urs.* Loca, unde lapides exscindebantur, in quae damnati noxii manu sua lapides effodiebant, unde et pro *carcere* sumuntur, ducto a Syracusanis more, quibus carceres erant *Latomiae.* Varro lib. VI. (V, p. 150. 153. Sp.): *Carcer a coercendo, quod exire prohibentur. In hoc pars, quae sub terra, Tullianum ideo quod additum a Tullio rege; quod Syracusis, ubi simili de caussa custodiuntur, vocantur latomiae et de latomia translatum, quod hic quoque lapidicinae fuerunt.* Latomiae *λατομίαι* a *λᾶς* et *τέμνω.* De latomiis Plaut. Capt. III, 5, (65.):

Inde ibis porro in latomias lapidarias,
Ibi quom octonos alii lapides effodiant,
Nisi quotidianus sesquiopus confeceris
Sexcentoplago nomen indetur tibi.

Dac. Ita Cic. 7. in Verrem (cap. 26.). Hinc Glossae: *Latomii, lapidum caesores.* Alii lautumias legunt; v. in l. 9. ff. ex quibus causis maiores. l. 1. ff. de Aleatoribus, Senecam 9. Declamat. et 5. Controvers. Paulo post Glossae meae manuscriptae: *Lautomia, custodia carceri; Lautumiae, vincula, catena, carceris custodiae; Lautumnum, supplicii genus. Goth.*

Laureati. Quia laurus sanguinis purgandi habet potestatem. Aliam causam tradit Servius ad Eclog. 8, (13.): *Cur tamen triumphantes lauro coronentur, haec ratio est, quoniam apud veteres a laude habuit nomen, nam laudum dicebant. Dac. Currum triumphantis.* Curru triumphantes urbem ingrediebantur, ut ovantes equo, sequentibus eos non militibus, sed universo senatu v. Gell. V, 6. *Goth.*

Laverniones. Laverna. Lavernam Romani fures precabantur instituta sua et consilia furandi ac mentiendi fortunaret. Plautus Cornicularia (apud Non. pag. 134. Merc.):

Mihi Laverna in furtis celebrassis manus.

Horat. (Ep. I, 16, 60.): *Pulchra Laverna da mihi fallere.* Sic Graeci eodem modo orabant τὴν Πραξιδίκην, ut consilia furandi ad effectum perduceret. Erat autem ea Dea tantum caput, sine reliquo corpore. Glossae Graecorum: *Πραξιδίκη δαίμονά τινά φασι, τὴν ὥσπερ τέλος ἐπιτιθεῖσαν τοῖς τε λεγομένοις καὶ πραττομένοις, διὸ καὶ τὰ ἀγάλματα κεφαλὰς γίνεσθαι καὶ τὰ θαύματα ὁμοίως.* Quare recte Glossarium: *Laverna πραξιδίκη.* Glossae Isidori: *Laberna, gladiator. Laberna, ferramenta latronum vel grassatorum vel furum. Laberna, latro, aut qui filios alienos seducit.* Vides plagiarium manifesto vocari Lavernam. Quod et Ausonius intellexit cum de plagiario bonorum carminum ait (Ep. 4. extr.):

Nec iam post metues ubique dictum:
Hic est ille Theo poeta falsus,
Bonorum mala carminum laverna.

Hoc est, ut Martialis etiam loquitur, alienorum scriptorum plagiarius. *Scal. Lavernalis porta.* Varro lib. IV. (V, pag. 164. Sp.): *Hinc porta Lavernalis ab ara Lavernae, quod ibi ara eius Deae. Dac. Deae Lavernae.* Dea erat furum, quam ut faveret, invocabant. Vide Nonium (p. 134. Merc.) *Laverna.* Dixi etiam de Laverna ad leges XII. Tabul. *Goth. Soliti.* Solitos. *Luere.* Dividere. *Idem. Laverna* descendit a Sanscrito *labh,* Graeco *λαβεῖν,* sumere, unde *Laberna* sive *Laverna* Dea furum.

Lacerare. Scindere, dividere, comminuere, dissipare. *Lacerare furtis hereditatem.* Florus (IV, 4, 2.): *Bona patria lacerare,* Sallust. (Catil. c. 14. ad quem locum exempla congessit Kritz). *Dac. Lanius.* Non a lacerandis, sed a laniendis pecoribus. Vide *dilaniare. Idem. Lacinia.* Infima pars vestis quae lacerando avulsa est a *lacino,* lacero, quod a Graeco *λακῶ,* unde Lacinia *λακίς. Idem.* Alia ratio etymi apud Graecos, a quibus *κρεοπώλης. Goth. Lacerna.* Verba sunt Pauli: *Lacerna, quod minor capitio sit.* Ultimis temporibus *Capitium* significabat capitis tegumentum. Antiquitus autem mamillare feminarum. Neque unquam boni auctores pro cuculione acceperunt, ut posterior aetas barbara, quae epomidas monachorum *capitia* vocat. Nos olim adolescentes docuimus in Coniectaneis (pag. 53. ed. Steph.) Nonium (pag. 542. Merc.) errare, qui putarit a veteribus in eum significatum accipi, in quem accipiebat sua aetas. Quin locus Varronis, qui ab eo producitur, manifesto contra eum facit. At Hieronymus antiquitatis et linguae Romanae peritus scriptor, Capitium non aliter accipit quam Varro et veteres, in Epistola de veste Sacerdotali. *Scal.* Capitium significabat et strophia vel fascias illas quibus utebantur foeminae ut graciles essent. Terent. (Eun. II, 3, 23.) de puellis quas matres student esse:

Demissis humeris vincto pectore ut graciles sient.

Varro lib. IV. de L. L. (V, pag. 134. Sp.): *Capitium ab eo, quod capit pectus.* Idem de vita populi Rom. lib. III. (ap. Non. pag. 541. Merc.): *Neque id ab orbita matrum familias instituti, quod eae pectore atque lacertis erant apertis, nec capitia habebant. Dac. Lacer.* Ascon. in Verr. 2. (c. 17.): *Lacer dicitur amputatis a corpore sensuum membris, hoc est, auribus oculisve.* Imo non solum auribus oculisve, sed et quavis alia parte corporis. Virg. Aen. VI, (495.):

Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora,
Ora manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, et truncas inhonesto vulnere nares.

Dac. Lacer est Germanorum *locker,* unde *lacerare* lockern.

Laudare. Nominare. Plaut. Capt. (II, 3, 66.):

Iovem supremum testem laudo Hegio.

Vide Nonium (pag. 335. Merc.). *Dac. Nominare.* Et verbis efferre. Vide Non. *Laudare.* Gell. II, cap. 6. Dixi ad legem Tenetur 6. §. 5. si tibi iter. ff. de act. empt *Goth. Laudare* cognatum cum Germanorum radice *laut,* Graecorum *κλύω,* Latinorum *cluo, clueo, clutus.*

Lautitia. *Ἄμυλον* intelligit. *Scal.* Graecis *ἄμυλος* dicitur. Hesych.: *Ἄμυλος βρῶμα τὸ ἐκ πυροῦ. Dac.*

Lautulae. Non procul Anxure, saltu angusto, inter mare et montes, Liv. lib. VII, (c. 39.). Aliae erant intra urbem ad Ianum geminum. Varro lib. IV. (V, pag. 156. Sp.): *Lautolae a lavando, quod ibi ad Ianum geminum aquae calidae fuerunt.* *Dac.*

Lactaria columna. Eam in undecima urbis regione ponit Pub. Victor. *Forum oblitorium*, inquit, *in eo columna est lactaria, ad quam infantes lacte alendos deferunt.* *Dac.*

Lacobrigae. L. m.: *A lac et ercobriga. Fulv. Urs.* Lacobriga Hispaniae urbs ad sacrum promontorium prope *lagos* sic dicta a lacu et briga. Alii legunt *Arcobriga*, quod Hispaniae oppidum est in Lusitania et in Tarraconensi Celtiberorum regione. *Dac.* Ex Arcobriga V. et ercobriga Urs. Ceterum Bryga veteri Hispanica lingua oppidum dicitur; hinc illa in Hispania oppida Arcobrega, Arabriga, Augustobriga, Cartobriga, Croliobriga, Deobriga, Iuliobriga, Lacobriga, Mirobriga, Midobriga, Merebriga, Nertobriga, Nemetobriga, Obriga, Segobriga, Tuntabriga, Talabriga sive Alabriga, Turobriga, Vertobriga. *Goth.*

Lancea. Vide in *Pilae. Scal.* Hispanicum verbum esse ait Varro apud Gellium lib. XV. cap. 30. Diodorus Gallicum. Addebat Bochartus forsan esse a Chaldaico *roncha*, unde Graeci λόγχη. *Dac.*

Lanoculus. Qui culcitam laneam habet ob oculos, ut apud Plautum in Milit. Glor. (IV, 4, 42.); qui oculum lana tegit ut is sese melius habeat; lanam enim frequenter veteres adhibebant. Sueton. in Domitian. cap. 17.: *Ac sinisteriore brachio velut aegro, lanis fasciisque per aliquot dies ad avertendam suspicionem obvoluto.* Mart. (XII, 89.): *Quod lana caput alligas Charine.* *Dac.*

Lamberat. Respicit locum Plauti Pseudol. II, 4, (53.):

Euge, pellepide, Charine, me meo ludo lamberas.

Dac. Lege apud Plautum: *Eugepae, lepide* cet.

Lanerum. A lana *lanerus, a, um*, ut a quercus *quercerus. Dac.* Laverum. *Goth.*

Lapit. Pacuvius Periboea:

Lapit cor cura, aerumna corpus conficit.

Imitatum a Graecis qui πώρωσιν ἀντὶ τῆς λύπης dicunt. *Scal. Lapit.* Id est *lapidescit*, lapidis instar durum fit. *Dac.* Ita quoque apud Non. (pag. 23. Merc.). Alii *lipit*, alii *lipuit*, alii *lapuit*, alii *labit. Goth.* Lapio est lapidem facio, unde *Lapicidina*, non *lapidicidina*, nec *lapidicina.*

Lapidicinae. L. m.: *Lapidicinae, ubi exciduntur lapides. Fulv. Urs.* Lapidicina corrupte pro *lapicaedina*, a *lapis* et *caedo.* A caedo *caedina* ut a fodio *fodina. Dac.* Alii Lapicidinae. Gloss. MS. meis *lapidicina* locus, ubi lapides caeduntur, Graeci λατομίαι καὶ λιθοτομίαι. V. 9. l. §. l. 13. §. 5. ff. de usufructu. l. 32. de iure dotium. *Goth.* Scribendum esse ubique *lapicidina*, iam satis constat. Cf. supra *Lapit.*

Latex. Melius Servius a *latendo*, quia ibi *latet* humor, *latex* autem liquorem tantum significat. (Virg. Aen. VI, 715.):

— — *Lethaei ad fluminis undam*
Securos latices et longa oblivia potant.

Latices, i. e. liquorem, fluenta. Et alibi *Lenaeos latices*, *laticemque Lyaeum*, i. e. Bacchi liquorem. *Dac.*

Latine loqui. Polybius lib. III, (22, 3.) eadem scribit de antiqua Latina locutione: Τηλικαύτη γὰρ, inquit, ἡ διαφορὰ γέγονε τῆς διαλέκτου καὶ παρὰ Ῥωμαίοις τοῖς (τῆς) νῦν πρὸς τὴν ἀρχαίαν, ὥστε τοὺς συνετωτάτους ἔνια μόλις ἐξ ἐπιστάσεως διευκρινεῖν. *Fulv. Urs.* Omnia sequentia sunt Pauli. Qui fateatur vix ullam notitiam Latini sermonis superesse, ne speremus ab eo Latinitati consultum, qui illo barbaro saeculo Festum nobis mutilavit. *Scal. In notitia.* Innoxia. *Goth.*

Latrones. Varro lib. VI. (VII, p. 337. Sp.): Ἀπὸ τοῦ λάτρου, i. e. mercede. *Fulv. Urs.* Lege: Ἀπὸ τοῦ λάτρου, *a stipe* et ita viri docti. Plaut. Mil. Gl. I, 1, (74.):

Nam rex Seleucus me opere oravit maxumo,
Ut sibi latrones cogerem atque conscriberem.

Inde *latrocinari* pro *militare* idem ibidem (II, 6, 19.). Ut autem militibus λάτρον latronum nomen fecit, sic *stips* stipatorum. Nam et stipatores dicti sunt. Varro lib. VI. (l. c.). *At nunc viarum obsessores.* Tamen Varro lib. VI. latrones etiam pro militibus a latere dictos putavit, quia circum latera essent regi. Festus vero pro gemina notione geminum vocis etymon commentus est. Sed frustra uterque. Obsessores viarum latrones dicti, quia id milites conductitii factitabant, qui latrones proprie dicti sunt. *Dac.* V. infra Stipatores, corporum custodes. Hinc Nonino (pag. 134. Merc.) latrocinari, militare mercede. *Goth.*

Larentalia. Placet librorum quorundam lectio *Faustuli inventoris Remi*, quamquam non displicet nutritii. Inventor est plus quam nutritius, qui expositos sustulit et educavit. Inventi enim infantes dicuntur

οἱ χαμαιῤῥιφεῖς, et qui expositi sunt propterea in Constitutionibus dicti sunt χαμευρετοί. *Scal.* Festa, quae in honorem Accae Larentiae X. Cal. Ian. celebrabantur. Alii legunt *Laurentalia* et *Laurentiae*, et ita Varro lib. V. (VI, p. 205. Sp.) Ovid. lib. III. Fast. (v. 55.). Sed Dionysius, Plutarchus, Gellius, Macrobius, Lactantius praferunt *Larentiae* et *Larentalia.* Livius etiam lib. I, (c. 4.): *Ab eo ad stabula Larentiae uxori educandos datos.* Et Tabula Fast. mense Decembri: E. LAR. NP. id est: *Larentalia nefastus primo.* Libri quidam pro *nutritii* habent *inventoris*, quod placuit Scaligero mihique etiam placet. *Dac.* *Laurentalia*, alii Larentaria. De expositis dixi ad Titulum de infantibus expositis. *Goth.* *Larentalia* et *Larentia* hodie apud Varronem quoque legitur.

Locupletes. Proprie qui *locis* i. e. agris pleni sunt. Plin. lib. XVIII, cap. 3.: *Locupletes dicebant loci, hoc est agri plenos.* A *locus*, ita antiqui agrum dicebant, et *ples*, plenus, a *pleo*, unde *impleo.* *Dac.* Cf. etiam quae supra diximus ad v. *Expretus.*

Locatum. Locare, ponere. Virg. (Aen. IV, 266.): *Fundamenta locant alii.* *Dac.*

Larvati. Sic proprie dicebantur, qui sibi larvas, id est nocturna terriculamenta, nocturnos daemones videre videbantur iisque erant exterriti. Vide *Cerritus.* *Dac.* *Larva* propr. est femininum nominis *Lar*, unde *Lara*, *Larva*, *Larthia* formae sunt femininorum. Cf. Müller. die Etrusker II, 106. et I, 411.

Lotos. Arbor est Lydiae, unde tibiae fiebant, quae et ideo λωτοί Graecis dictae. Euripid. (aliquoties) et alii. Latini etiam *loti* pro tibiis. A loto dicti *Lotophagi* populus et Lotophagitis insula. *Dac.* Inde *loton* pro fistula Athenaeo. *Goth.* De *Loto* eiusque variis generibus, cf. Passow. in lexico Graeco, et qui ibi citati sunt.

Lucaris pecunia. Vide *Lucar.* *Dac.*

Lucaria. A luce dicta vult Varro lib. V. (VI, pag. 255. Sp.): *Lucaria item a luce, quod propter lucem amissam is cultus institutus.* Sed frustra; Lucaria enim a luco, lucus a luce, quod accensis funalibus lucum implebant luce, etsi contra Servius. Celebrabantur autem *Lucaria* XIV. Cal. Sextiles intra Tiberim et viam Salariam, quae a porta *Collina* in Sabinos mittit. *Dac.*

Lucar. Vide infra *Pecunia.* Plutarch. probl. (88.): *Διά τι τὸ τελούμενον εἰς θέας λοῦκαρ καλοῦσιν· ἢ ὅτι πολλά ἐστιν ἄλλα περὶ τὴν πόλιν ἀνειμένα θεοῖς, ἃ καλοῦσι λούκους, καὶ τὴν ἀπὸ τούτων πρόσοδον εἰς τὰς θέας ἀνήλισκον.* Glossar.: *Lucar θεατρικὸν ἀργύριον.* *Fulv. Urs.* Θεατρικὸν a Charisio (I, pag. 82. Fabr.) et Glossis, itemque μισθὸς ἀπὸ φίσκου. Apud Livium lib. III. (XXIII, 11.): *Pythio Apollini republica vostra bene gesta, servataque lucris meritis donum mittitote.* Nulla controversia legimus: *lucaris meriti donum.* Ex eo lucare dabatur pecunia in sumptus et impensas scenicas, unde θεατρικὸν vertunt Grammatici; quibus impensis modum factum fuisse, et lucar histrionum coercitum temporibus Tiberianis, refert Tacitus Annali primo. Invenio in veteri inscriptione: *LUCAR IIIII INAE REDEMPTUM A REP.* Tertullianus contra Gnosticos (cap. 8.) loquitur autem de praecursore Domini: *Ipse clausula legis et Prophetarum, nec Prophetes, sed Angelus dictus contumeliosa caede truncatur in puellae salticae lucar.* Eleganter. Nam lucar erat merces saltatorum et histrionum. Plutarchus vertit *τὸ τελούμενον εἰς τὰς θέας.* *Scal.* Vide *Pecunia quae erogatur in ludos* ctt. *Dac.* Quae cum ita sint, legendum hic non *lucis*, sed *ludis.* Dicam ea de re plenius ad l. unicam Cod. de expensis ludorum publicorum. *Goth.* *Lucar*, *Lucare* descendit a Sanscrito *lôk*, videre, spectare, et significat pretium vel pecuniam, quae solvitur pro spectaculo, vel quae ad spectaculum consumitur.

Lucereses. *Lucerenses.* A Lucumone vel a verbo Etrusco. Varro lib. IV. de L. L. (V, 9. p. 61. Sp.) a Lucumone vel Lucretino, vel a Luco Asconius lib. III. Verrin. (pag. 72.). *Lucerum nominis et originis causa incerta* Livio lib. I, (c. 13.) Lucerenses a Luco asyli Plutarch. in Romul. (c. 20.) Festus hic a *Lucero* sed verbo *Lucomedi* a *Lucumo.* Vide etiam verbo *Lucumones;* de eisdem enim, ut arbitror, loquitur. *Ant. Aug.* Romani primum trifariam a Romulo et Tatio dispertiti fuere. Alii Ramnenses a Romulo, alii Tatienses a Tatio, Luceres alii et Lucerenses vel a Lucumone, vel a Lucero, vel a Luco, quem lucum Romulus asylum fecit. Vel a verbo Etrusco. Quae sententiarum varietas effecit, ut vera nominis causa incerta sit, ut et Livii aetate etiam incerta fuit, qui lib. I, (13.): *Lucerum*, inquit, *nominis et originis causa incerta est.* *Dac.* *Lucumones*, *Luceres*, *Lucetius*, *Lucerius*, omnia a communi stirpe Sanscr. *lôk*, *videre*, *spectare*, descendunt. Sunt igitur *Luceres* die Seher, *luger*, οἰωνοσκόποι, qui auspicia habebant.

Lucani. Lege *loca aerosa*, non *Cretosa.* *Scal.* Italiae populi, qui Bruttios complectebantur, a Samnitibus orti. Λευκανοὶ Graece a λευκός albus, non quod eorum regio sita sit sub parte stellae luciferae. Sive quod eorum loca *aerosa* sint, ita enim legendum, non *cretosa*, sed quod eorum terra albescat propter argillam fortasse. De Lucanis fuse Strabo lib. VI. (pag. 254.). *Dac.* *Vel a Lucilio duce.* Rescribendum *a Lu-*

cio. Ex Eustath. in Dionys. Perieg.: *Ἡ δὲ τῶν Λευκανῶν πόλις Λευκάνη βαρυτόνως, ἐλέγετο ἀπὸ Λευκίου τινός.* Neque a Lucilio unquam Lucania dici potuisset. Quamvis neque a Lucio formari potest Lucania. Vera nominis ratio, quam supra posuimus. *Dac. Cretosa.* Aetherosa; alii aerosa. *Goth.*

Lucem facere. Qui mos ante bellum Troianum fuerat aperto capite sacrificandi, is post Aeneae in Italiam adventum obsolevit, quod cum ille Veneri rem divinam faceret, caput operuit, ne ab Ulysse cognitus sacrificium interrumpere cogeretur. Id Italici postea tenuere, soli tantum Saturno antiquo more capite aperto sacra facientes, quia apud eius aram supplicabant, quae illi ante bellum Troianum in imo clivo Capitolino dicata fuerat. Vide *Saturnia* et *Saturnio sacrificium fit.* Scaliger *lucem facere Saturno* ideo dictum putat quod cereis accensis illi preces conciperentur, quapropter etiam Saturnalibus Cereos proceribus mittebant pauperes clientes. Neque Saturno tantum ita capite aperte sacrificium fiebat, sed Honori etiam teste Plutarcho. *Dac.*

Lucius. A luce, qui oriente luce natus. *Dac.* Idem Varro de L. L. V. circa principium (VI, pag. 185. Sp.). *Goth.*

Lycii Apollinis oraculum. Lycias sortes vocat Virgil. (Aen. IV, 346.):

Italiam Lyciae iussere capessere sortes.

Ipse Apollo *Lycius*, *Λύκιος* Graecis, quod in Lycia cultus non vero ob lupos interfectos, etsi ob eandem causam eum *λυκοκτόνον* dictum fuisse reperias. Vide Hesych. *Dac.*

Luxa. Glossae: *Luxum, στρέμμα, ἢ λογισμὸς ἢ ἀσωτία. Scal.* A Ino, *lutum* et *luxum.* Unde *luxus, a, um*, quod solutum, suo loco motum est; a quo *luxus, ūs*, animi dissoluti et suo loco moti vitium; inde *luxuries* et *luxuriosus* etc. *Dac. Luxuriosus in re familiari solutus.* Hinc mulier luxuriose vivens in l. 15. ff. de Curatore furios. et aliis et luxuria in l. 40. ff. de damno. l. 1. ff. de aedilitio, impensa profusa. Vide Nonium in *luxuria* (pag. 339. Merc.). *Goth. Luxus* est solutus. Cf. quae supra diximus ad v. *Licitati.*

Lucuntem. Luc. ntere. Lege *lucunter*, quod Graecum est, *λευκαντήρ*, ab aspersione farinae, quae alba est. Dicitur et *lucuns, lucuntis.* Varro *περίπλῳ, περὶ φιλοσοφίας:*

Ac nulla ambrosia, ac nectar, non alia, sardae,
Panis, pemma, lucuns, cibu' qui purissimu' multo est.

Idem *σκιαμαχία, περὶ τύφου.:*

Vinum, pemma, lucuns illi nihil ista ministrant.

Ab eo *ὑποκοριστικὸν* lucunculus. Glossae: *Lucunculus, τηγανίτης.* Afranius Fratriis:

Pistori non; at cur non scriblitario?
Ut mittat fratris filio lucunculos.

Ita enim legendum in Afranio. Tertullianus libro de Spectaculis (cap. 26.): *Stillicidia mellis de livacunlo venenato.* Lege: *de lucunculo.* Apuleius libro X, (pag. 245. Elm.) de pistore dulciario: *Hic panes, crustula, lucunculos, hamos, laterculos, plura scitamenta mellita. Scal.* Verum de etymo obstat, quod prima in *lucunter* et *lucuns* brevis est, quae produceretur, si esset a *λευκαντήρ.* Quare omnino verum est, *lucunter* esse a *γλυκαντήρ*, ut a *χλαῖνα laena.* A *γλάξ, γλακτὸς lac:* sic *γλυκαντὴρ lucanter, lucunter;* sic *γλυκόεις, γλυκοῦς glucuns*, ut *πλακόεις, πλακοῦς, τυρόεις, τυροῦς*, subintelligitur *ἄρτος*, panis. Salmasius apud Aelium Lampridium. *Dac.* Lucentem, Lacuntem; alii Lucunter, Graecum *λευκαντήρ* ab aspersione albae farinae. Dicitur et Lucuns, Lucuntis. Non. 2, 493. (pag. 131. Merc.). *Goth.*

Lucretilis. Horat. Od. 17. lib. I.: *Velox amoenum saepe Lucretilem mutat Lycaeo Faunus. Dac.*

Lucomones. Lucumones. Ausonius ad Theonem (4, 68.):

Scillito decies si cor purgeris aceto
Anticipesque tuum Samii Lucumonis acumen.

Ita legendus est locus Ausonii, ut in Ausonianis lectionibus diximus (II, 12.). *Scal.* Qui apud Arcades *Λυκάονες*, ii apud Tuscos qui ex Arcadia in Italiam venere, Lucumones dicti sunt, ut optime Scaliger in notis ad Orphei initia. Sunt autem *Λυκάονες* qui alio nomine *λυκάνθρωποι*, qui scilicet melancholiae genere laborant, quae *λυκανθρωπία* dicitur, a Lycaone Arcadiae rege nomen sortiti, qui a love in lupum fertur conversus. Unde *Lucumo*, insanus. Auson. ad Theonem (l. c.). *Dac. Infesta.* Festa. *Goth.* Cf. C. Ottfr. Müller. Die Etrusker. II, 2, 4. Tom. I, pag. 263. seqq.

Lucomedi. Legendum *a Lucumone.* Propertius vocat Lucmonem: *Prima galeritus posuit tentoria Lucmo. Scal.* Vide *Lucerenses.* De iis enim hic loquitur. Porro Lucumones reges suos dicebant Tusci a Ly-

caone Arcadiae rege. Tusci enim ex Arcadia. Servius II. Aeneid. (pag. 245. ed. Dan.): *Lucumones qui reges sunt Tuscorum.* Et lib. VIII. (pag. 535. ed. Dan.): *Tuscia duodecim Lucumones habuit, id est, reges. Dac.*

Luculentus. A *luce luculentus*, ut a *luto lutulentus*. Luculentus caminus, qui luce plenus est, qui splendet. Horat. (Epp. I, 5, 6.): *Iamdudum splendet focus.* Sed per metaphoram ad alia transfertur; sic *luculenta oratio*, *luculenta auspicia*, i. e. perspicua, pulcra, bona. Sic *luculentum praedium* dixit Plaut. (Most. III, 2, 136.). *Dac.*

Lues. Morbus a *luendo*, i. e. solvendo, quia ea solvuntur corpora. *Dac.* Adde Nonium in Lues (pag. 52. Merc.). *Diluens.* Dilues. *Goth.*

Luctus et lugere. Lege: λυπεῖν vel λύζειν; λύζω est *singultio*. Sed magis placet a λυπεῖν; π facile mutatur in γ. *Dac.*

Longitrorsus. Ad longum, in longum, longum versus. *Dac.*

Lustra. Malo ex veteribus editionibus *lamas* quam lacunas. *Scal.* Pro lacunas ex vett. editt. melius *lamas.* De qua voce supra dictum est. Lustra autem per *u* tenue proprie ferarum cubilia a luto dicta et per metaphoram pro popinis et lupanaribus sumuntur. Cum vero lustrum per *u* densum, quasi *loustrum*, tempus quinquennale significat a *luendo*, solvendo, quod quinto quoque anno vectigalia et ultra tributa per Censores persolvebantur. Varro lib. V. (VI, 192. Sp.). Significat et lustrationem, i. e. expiationem quae censu peracto Suavetaurilibus fiebat. Vide Livium. *Dac. Lacunas.* Vide Lacuna. *Goth. Aprorum cubilia.* Ut et ferarum habitacula. Nonius in *Lustra* (p. 135. 333. M.). *Idem. In lustris vitam agere.* Lustra enim pro lupanari Nonio. Eidem (pag. 135. Merc.) *lustratus* luxuriosus. *Idem. Tempus quinquennale.* Frequens in iure lustri mentio hoc significatu, i. e. pro quinquennii tempore. Glossis *lustrum* πενταετηρίς, *lustrale* πενταετηρικόν. *Idem.*

Lymphae. Quasi nymphae, *n* mutato in *l.* Hae si conspicerentur, furorem immittere putabantur. Varro lib. VI. (VII, 365. Sp.): *In Graecia commota mente quos νυμφολήπτους appellat, ab eo lymphatos dixerunt nostri.* Pacuvius in Teucro:

> *Flexanima tanquam lymphata et Bacchi sacris*
> *Commota.*

Ideo Theocritus poeta suavissimus Nymphas vocavit numina agricolis metuenda (XIII, 44.):

> Νύμφαι ἀκοίμητοι, δειναὶ θεαὶ ἀγροιώταις.

Dac.

Luxantur. Glossae: *Luxatur* ἀνασάσσει. *Scal.* Gloss. ἀνασάσσει, *infarcit*, *implet*; quem locum frustra sollicitavit doctissimus Vulcanius. *Nunc vero*, ut ait Nonius (p. 55. Merc.), *vulsum et suo loco motum luxari ignari Latine dicimus. Dac.* Apud Nonium lege: *Luxum, id est vulsum et loco motum, quod nunc luxatum, ignari Latine, dicimus.* Cf. supra *Luxa.*

Luma. Glossar.: *Luma*, βοτάνη ὁμοία ἡδυόσμῳ, ἣν τινες ποταμογείτονα καλοῦσιν, ἄλλοι καλαμίνθην. Quae omnia falsa sunt. Neque enim *luma* est herba, sed spina, unde *Falces lumariae* Varroni. Neque similis Potamogitoni, neque Potamogiton Calaminthae. *Scal.* Male in MSS. *lima* vel *lina. Dac.* Varro lib. IV. de lingua (V, pag. 139. Sp.). *Goth.*

Lumbago. Glossis: *Lumbago* ἰσχίων νοσήματα, *lumborum morbi.* Ita enim legendus hic locus, non ut Vulcanius ἴσχυος ἅμματα. *Dac.* Glossis: *Lumbaga* et *Lumba. Goth.*

Luscitio. Oculorum vitium. Sed quale sit, magistri veteres ambigunt. Alii enim cum Varrone luscitiosos esse dicunt, qui nihil vident vesperi, alii cum Festo qui clarius vesperi quam meridie. Mihi prior sententia magis placet, praesertim cum Plinius scribat, luscitiosos (Plin. H. N. XXIX, 6.) Graecis dici νυκτάλωπας, hoc est ut exponit Galenus, τοὺς τῆς νυκτὸς ἀλαούς. Vide *Nuscitiosum. Dac.* Qui et Nonio (p. 135. et Fulgent. p. 561.) *lusciosus*, qui ad lucernam nihil videt, μείωψ. Gloss.: *Lucinosus qui, ut Vespertilio, aut parum aut nihil videt.* Iuri νυκτάλωψ et luscitiosus l. 10. §. 4. ff. de aedilitio. *Goth.* Apud Nonium l. c. legendum est μύωπες.

Lura. Ausonius *Lora*, etiam pro ipso utre in Periocha decima Odysseae, quod Homero ἀσκός. *Scal.* Utris vel os culei, quia fit ex corio, quod lurum sive lorum dicitur. Usus et Lucilius:

> — — *In os prius accipiam ipse*
> *Quam gladium in stomacho, lura ac pulmonibu' sisto.*

A *lura* dicti *lurcones* et *lurcari* quasi *luricones* et *luricari*, hoc est, cibos in utrem, in ventrem ingerere. Lucil.:

Ut lurcarentur lardum et carnaria furtim
Patrum conficerent.

Dac. Cf. Nonium (pag. 10. seq. Merc.) in vv. *Lurcones.* Gloss. Mss. *Luricones*, *devoratores.* Et *Lurco*, *glutto.* *Goth.*

Lustricus. Tertullianus hunc diem vocat *Nominalia*, libro de Idololatria (c. 16.): *Circa officia vero privatarum et communium solennitatum et togae purae, ut sponsalium, ut nuptialium, ut nominalium, nullum puto periculum observari de statu idololatriae.* Glossarium: *Nominalia*, *ὀνοματοθεσία.* Graeci *ἀμφιδρόμια.* Glossae Graecorum: *Ἀμφιδρόμια, ἡμέρα ἀγομένη τοῖς παιδίοις, ἐν ῇ τὸ βρέφος περὶ τὴν ἑστίαν ἔφερον τρέχοντες κύκλῳ, καὶ ἐπετίθεσαν αὐτῷ ὄνομα, ὅτε ὑπὸ τῶν οἰκείων καὶ φίλων δῶρα ἐπέμπετο.* Quae omnia morem Atheniensium, qui exstat apud Terentium in protatica persona primae scenae Phormionis Comoediae. Non tamen in Amphidromiis imponebant nomina, ut hic dicitur, sed decima post natum puerum die. Itaque apud Suidam integriora haec verba habentur: *Καὶ τῇ δεκάτῃ ἐτίθεσαν αὐτῷ ὄνομα.* Sed de lustrico die vide amplius Plutarchum in Quaestionib. (102.). Et Macrob. lib. I. Saturnal. (c. 16.) de Nundina Dea. *Scal.* Lustricus dies, quo infans lustratur, id est expiatur, purificatur. Sueton. Neron. cap. 6.: *Eiusdem futurae infelicitatis signum evidens die lustrico extitit.* Ideo *lustralis solemnitas* dicitur Symmacho. Et hunc puellarum octavum fuisse nonumque puerorum consentiunt Plutarch. et Macrob. (l. cc.) Tertullianus eam diem hebdomadae ultimam vocat, quod non repugnat. Nihil enim vetat, ut optime doctiss. Casaubonus in Persium, diem eandem ultimam esse hebdomadae et nativitatis octavam vel nonam. Ita autem nomen imponebant. Eligebant scilicet aliquem, qui praeesset huic nominis impositioni eiusque quasi magister foret, ut hodie apud nos. Polyaen. Strateg. lib. VI.: *Κύριον εἶναι τῆς θέσεως τοῦ ὀνόματος τοῦ παιδίου.* Aliquando etiam omina captabant, ut nomen imponerent. Accensis enim multis luminibus unicuique nomen assignabant, atque eius demum quod caeteris extinctis supervixerat, nomen arripiebant ac puero imponebant. Idque sua aetate adhuc observatum fuisse queritur D. Chrysostomus in 4. caput prioris ad Corinthios. *Dac.* Dixi ad Nonium in cap. 15. *Goth.*

Luridi. Graeci: *luridus ἰκτερικός, ὠχρός.* *Scal.* A *loro*, qui lori colorem referunt. *Dac.* Gl. *Lurida*, *pallida*, *sordida*, *ἰκτερικά.* *Goth.*

Lyrnessiades. Ex Lyrnesso oriundi, quae urbs erat in ora Troiae, unde Achilles abstulit Briseida. Alii Lyrnessum in Sicilia ponunt. Infra legendum *dictae.* Lyrnessiades enim *τὸ θηλικόν.* *Dac.*

Loebesum. Ut ex Graeco exemplo apparet *oe* pro *ei* usurpatum fuisse dicebat fortasse Pompeius. Itaque *loebesum* pro *leibesum* sive *leiberum* et *loebertatem* pro *leibertatem* scribebant, postea *leiberum* et *leibertatem*, ad extremum *liberum* et *libertatem.* Extat apud me denarius C. Cassii, in quo scriptum est *Leibertas.* Sic in aliis: *T. Deidi. L. Opeimi, C. Serveili.* Quis autem usus fuerit huius diphthongi, docuit Lucilius apud Quinctilianum (I, 7, 15.) et Scaurum (pag. 2255. P.), Nigidius apud Gellium (XIII, 25.) et Longum (pag. 2220.), atque Terentianus (De Syllab. v. 460. seqq.). Sed et Cotta apud Ciceronem lib. III. de Oratore (c. 10.) reprehensus est, quod *ictu* tolleret et *e* plenum diceret. Vide *Aboloes.* *Ant. Aug.* Serviana schedia (pag. 61. ed. Dan.): *Sabini Cererem panem appellant: Liberum Loebasium, quia Graece λοιβή dicitur res divina.* *Scal.* *Liberum* non a *λοιβή*, sed ab *ἐλεύθερος* dici, supra ad v. *Liber* diximus.

Lycophos. Imo dictum, quod *λύκη* lux apud veteres, unde mansit in *ἀμφιλύκη*, inde etiam *lux* et *lucere.* *Scal.* Graece *λυκόφως* summum diluculum, ultima pars noctis sub exortum aurorae, non a *λευκὸν φῶς*, ut putat Festus, sed a *λύκη.* *Dac.*

Libertatis templum. A patre Tib. Gracchi et conditum et dedicatum. Liv. lib. XXIV. sect. 16. *Dac.* *Constructum.* Constitutum. *Goth.*

Lingua. *Pars corporis.* Eo significatu sumitur in l. 1. §. 1. Cod. de Offic. Praet. ibi linguis abscissis poenas loqui. *Goth.* *Lingua*, pro quo antiqui *dingua*, ut refert Marius Victor. pag. 2457., descendit a Sanscrito *dschigva*, unde Graecorum *γλῶσσα*, (*γλῶχα* unde *γλωχίν*,) quibus respondet Germanorum *Zunge*, Batav. *Tonge*, Anglor. *Tongue.* Cf. quae supra diximus in v. *Lingula.*

Libycus. In Argeo, ubi postea vicus Tuscus. *Dac.*

Leparenses. Cives Liparae insulae sive Lipararum. Sic enim pluraliter dicitur. Liparae insula una ex Aeoliis, quae Sicano litori obiectae. Docuit autem doctissimus Bochartus, Liparas mollito sono esse a Punico *nibras* vel *nibaras*, lucerna, lampas, taeda, fax, et inde nomen Liparis, quia facis instar noctu lucebant

propter nocturnas ignis eruptiones. Aristoteles in Mirandis: *Καὶ τὸ ἐν τῇ Λιπάρᾳ δὲ πῦρ φανερὸν καὶ φλογῶδες οὐ μὲν ἡμέρας, ἀλλὰ νυκτὸς καίεσθαι λέγεται.* Et Paulus Silentiarius carmine de aquis Pythiis:

Καὶ Λιπάρα τε νήσῳ
Ἀφεγγές ἐστιν ἆσθμα,
Ὃ νυκτὶ μὲν παμφαῖνον
Πέμπει λίθους θειώδεις
Πολυψόφους, βροντώδεις.

Sed, quod doctissimum Bochartum latuit, idem Lipararum etymon allusit Scholiastes Callimachi hymn. in Dianam (ad v. 48.): *Νῆσος δέ ἐστιν ἡ Λιπάρα Σικελίας, ἔνθα ἦν τὰ χαλκεῖα Ἡφαίστου. Ἔστι δὲ μία τῶν Αἰολίδων. Λέγεται δὲ, ὅτι σίδηρα διάφορα θέντες ἐν αὐτῇ ναῦται ἕωθεν εὑρήκασιν αὐτὰ ἐκ τῆς ἀναδύσεως τοῦ πυρὸς πεπανθέντα, καὶ διὰ τοῦτο ἐκλήθη ἡ νῆσος Λιπάρα διὰ τὸ αὐτὰ διάφορα ὄντα ἓν γενέσθαι.* Quem locum nisi ita intelligas, certum est non posse intelligi, nisi potius dicas locum corruptum esse et pro *πεπανθέντα* rescribendum *λιπανθέντα*, qua voce Graecum etymon alluserit, nempe *ἀπὸ τοῦ λιπαίνεσθαι*, quod est in stricturas cogi. Gloss.: *Strictura, λελιπαμμένον.* Porro Lipara alio nomine dicebatur *Meligunis* sive *Melogonis.* Strabo, Stephanus, Hesych. Eustath. et alii. Egregie Callimach. hymn. in Dian. (v. 47. seqq.):

— — *τοὺς μὲν ἔτετμε*
Νήσῳ ἐνὶ Λιπάρῃ νέον, ἀλλὰ τότ' ἔσκεν
Ὄνομά οἱ Μελιγουνίς.

Meligunin vel *Melogonin* haud dubie per *n* in secunda syllaba Poeni scripsere *Menaggenin.* Insula *Menaggenin* est insula eorum, qui pulsant instrumenta musica, citharam, barbiton, nablium, cymbalum, tympanum etc. Iam haec insula cur sic vocetur, te doceant haec Aristotelis in lib. Mirabil.: *Ἐν μίᾳ τῶν ἑπτὰ νήσων τῶν Αἰόλου καλουμένων, ἣ καλεῖται Λιπάρα, τάφον εἶναι μυθολογοῦσι, περὶ οὗ καὶ ἄλλα μὲν πολλὰ καὶ τερατώδη λέγουσι* etc. *Ἐξακούεσθαι γὰρ τυμπάνων καὶ κυμβάλων ἦχον, γέλωτά τε μετὰ θορύβου καὶ κροτάχων ἐναργῶς.* Fabulae dedit occasionem inclusus ignis ex imis terrae cavernis erumpens atque exaestuans non sine mugitu et murmure, quare Paulus Silentiarius supra ait lapides excitari *πολυψόφους, βροντώδεις.* Plura vide apud eundem Bochartum. *Dac.*

Labes. Cum *labes* sit a *labor*, cado, verosimilius est ruinam proprie significare et metaphorice maculam in vestimentis et hominibus, ut apud Plaut. in Pers. (III, 3, 4.): *Labes popli. Dac.* Alio significatu *labes* in iure hiatum terrae et *χάσμα* signif. l. 15. §. 2. 11. Servius l. ult. ff. locati et glossis: *Labes, λύμη*, idem quod lues. *Goth.*

Latrare. Quidam huc referunt locum Ennii lib. IX. Annal. (apud Varr. de L. L. VII, p. 379. Sp.):

— — *Animusque in pectore latrat.*

Sed verosimile non est, eo Festum allusisse, aut si alluserit, perperam fecisse certum est. Hic enim *latrat* non *poscit*, sed *clamat*, tumultuatur, quod ex Homeri Odyssea (XX, 13. seqq.) expressit Ennius:

Κραδίη δ' οἱ ἔνδον ὑλακτεῖ.

Latrare vero pro *poscere* posuit Lucretius lib. II. (17.):

Nil aliud sibi naturam latrare, nisi ut quom
Corpore seiunctus dolor absit.

Dac.

Latitaverunt. A *latum latito*, ut a *dictum dictito. Dac.* A *lateo* dicitur *latito*, ut *observito* ab *observo*, et alia similia.

Liberales. Hinc nostri liberalia studia, quae *ἐλευθέρια* in l. 1. ff. de extraordinariis cognitionibus. *Goth.*

Liberata. Illa verba *id est locuta*, ne Pauli quidem sunt. Quare expungenda. *Effata, liberata, defanata, idem.* Arnobius (l. IV. extr.): *Spatiola templorum defanata. Scal.* Vide in v. *Effari. Dac.* Ponebant XII. Tabularum auctores. *Goth.*

Lacus Lucrinus. Veteres Rom. non solum laeta et felicia verba captare solebant, sed etiam si quae male ominata occurrerent et obscena, ea in contraria deflectebant. Inde est cur *Maleventum* in *Beneventum* mutarent; cur Lucrinum lacum primum in vectigalibus publicis locarent propter omen lucri, cur in nuptiis proferrent *Caiam Caeciliam* et *Talassionem* et in Vestali capienda *Amatam*, et cur adeo in *delectu* sive *dilectu* (nam utrumque aeque bonum est,) et in censu primos eos vel legerent vel censerent, qui *Vale-*

rii, *Salvii*, *Statorii* nominabantur, ex eo scilicet auspicantes valentem, salvam et stantem fore rempublicam. Cicero (de Divin. I, 45.): *Itemque*, inquit, *in lustranda colonia ab eo, qui eam deduceret, et cum imperator exercitum, censor populum lustraret, bonis nominibus, qui hostias ducerent, eligebantur, quod idem in delectu Coss. observant, ut primus miles fiat bono nomine.* Ceterum in verbis Festi pro *eruendus* legendum *fruendus*, ut iam olim videre viri doctissimi, etsi *eruendus* quodammodo defendi posse videatur, imo et nihil mutandum. Lacus Lucrinus locabatur eruendus, id est, ut ego interpretor, *retandus*, *purgandus*. *Dac.* *Dilectu.* Vide supra *Dilectus.* *Goth.*

Laneae effigies. Vide *Pilae* et *Effigies*. *Dac.* *In*; ad. *Goth.* *Redactae.* Sedatae; alii *relatae*. *Idem.*

AD LIBRUM XI.

Magnos ludos. Ita dictos putat Asconius (pag. 57. Ed. Lugd.) quod magnis impensis ederentur, sed ita potius vocati, quod in honorem trium magnorum Deorum, Iovis scilicet, Iunonis et Minervae peragerentur. Cicero lib. V. in Verr. (c. 14.): *Mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani oppellati sunt, maxima cum dignitate ac religione Iovi, Iunoni, Minervaeque esse faciendos.* Fiebant autem mense Septemb. per plures dies; iis enim aliquando novem insumptos fuisse in fastis reperias. *Dac.*

Meltom. Scribo *meliom*; Tarentinum est *ἀμέννων*, pro *ἀμείνων*. Cum duae in Graeca voce liquidae interveniunt, altera semper mutatur in *ἰῶτα*. In Latina lingua, *φύλλος*, folium: *ἅλλομαι*, salio: *ἄλλος*, alius: *ἀμέννων*, menior, quod postea melior. *Scal.* Lege cum Scaligero *Meliom*. *Dac.* Minime vero. Est enim *Meltos*, *melta*, *meltom* antiquus positivus, unde apud Graecos derivata *βελτ—ίων*, *βέλτ—ιστος*.

Matrem matutam. Vide *Mane a diis manibus*. Infra pro *usui* legendum *esui*. *Et in carmine Saliari cerus manus.* Cerus manus optime interpretatur Festus *creator bonus*. Neque tamen *cerus* a *cereo* antiquo verbo, ut ipse putavit, sed *cerus* est *genius*, ut a *carnimen*, *carmen*; *genimen*, *germen*. Ita *genius*, *gerus*, et *C* pro *G*, *cerus*. Et cerus manus vetustissima lingua *genius bonus*. Et ita in Ianualio carmine dictus Ianus, qui in Pontificum indigitamentis *Ianus pater*. Et apud Catonem in Originibus: *Ianus genius*. Vide Meurs. Exerc. Crit. part. II. lib. III. cap. 1. (Adde infra quae notata sunt in *Mater Matuta*.). *Dac.*

Minutum. Scribe *μινύειν*, non *μειοῦν*. *Scal.* Minutum est a *minuo* quod a *μινύθω* vel *μινύω*, quod a *μινυὸς* Attice pro *μικρὸς*, parvus; Eustath. Bene itaque Scaliger qui pro *μειοῦν* legendum monet *μινύειν*. *Dac.*

Minores. Si tres sorores eodem nomine erant, cognominibus a numero distinguebantur. Servilia Prima, Servilia Secunda, Servilia Tertia. Si duae ab aetate: *Servilia maior*, *Servilia minor*. Livius (I, 46.): *Aruns Tarquinius, et Tullia minor.* Horatius (Serm. I, 8, 25.):

Cum Sagana maiore ululantem.

Scal. Hinc Glossae: *Minores μεταγενέστεροι*. Et *minor*, *μικρότερος*. Si tres erant, dicebatur *prima*, *secunda*, *tertia Servilia*, si duae, *maior*, *minor Servilia*. *Goth.* Festus *minor* et *maior* cognomina esse dicit; ex Varrone tamen coniicere est, olim praenomina fuisse, unde prima, secunda, tertia, quarta ibidem scribit, quare cum Sigonio dicendum est cognomen dici vocem quamlibet qua gentilitia nomina distinguamus, qua voce tam prima quam tertia nomina comprehenduntur. Hinc fit ut ratio nascendi praenominibus pariter et cognominibus causam dederit. Atque ut praenomina aliquando pro cognominibus, sic cognomina pro praenominibus usurpata sunt, ut prima, secunda, tertia, quarta, maior, minor, quae olim erant praenomina, et nomen gentilitium praecedebant, ut *Prima Valeria* etc. Postea cognomina facta et post nomen gentilitium posita ut apud Livium (l. c.): *Aruns Tarquinius et Tullia minor.* Et Horat. (l. c.): *Cum Sagana maiore ululantem.* *Dac.*

Minam mammam. A *minus* quia minus habet lactis; sic apud Varronem de re rust. (II, 2. pag. 65. St.): *Minam ovem hoc est ventre glabro.* Id est quae minus habet lanae. *Dac.* Igitur *Minus*, *mina*, *minum*, antiquitus fuit positivus adiectivi, quemadmodum supra vidimus in *Meltom*, ubi *meltos*, *melta*, *meltom*, antiquum esse positivum ostendimus, quod eiusdem stirpis, atque *bellus*.

Minurritiones. Glossae: *Minurit*, *μινυρίζει*. *Scal.* Male quidam *mimurrationes*. Minuritiones a *minurire* quod a Graeco *μινυρίζειν*, querula ac gracili voce cantillare. De hirundinibus usurpavit Sidonius. Et *μινυρίζειν* est a *μινυρόν* quod *μικρόν*, *ὀλίγον*, i. parvum interpretatur Hesychius. *Dac.*

Minyae. Argonautae. Pindar. Od. 4. Pyth. (121.):

— — *μετὰ γὰρ*
Κεῖνο πλευσάντων Μινυᾶν θεόπομ-
Ποι σφίσι τιμαὶ φύτευθεν.

Dicti autem Minyae a Minya Neptuni filio ad quem et Tritogeniam Aeoli filiam maxima eorum pars genus referebat. Apoll. Argonaut. I, (230.):

— — — *ἐπεὶ Μινύαο θυγάτρων*
Οἱ πλεῖστοι καὶ ἄριστοι ἀφ' αἵματος εὐχετόωντο.

Verum Strabo et Eustathius Minyos a Minyo Orchomeno genus habere tradunt, quorum alii in Iolcum migrarint, a quibus Argonautas Minyos dici. Vide Theocritum Idyll. 16. v. 104. *Dac.*

Minutia. Ubi fuerit ignotum est, ut et quis fuerit iste Minutius. Putabam olim *Minutiam portam* eandem esse et trigeminam ab eo Minutio sic dictam, qui extra eam aurato bove donatus est, ut narrat Livius IV, 16. Sed nihil ibi de sacello: quare amplius quaerendum. *Dac.*

Minorem Delum. Vide *Dicaearchia. Dac. Delos.* Delus. *Goth.*

Militem. A mollitie dictum vult Aelius Stilo, sed perperam. Alii miles a *mille* quasi millesimus. Eutrop. lib. I. de Romulo: *Mille pugnatores delegit, quos a numero milites appellavit.* Sed milites prius *merites* dicti, postea *melites*, *milites* unde et contracto nomine iidem dicti *metelli* quasi *meritelli.* Eruditiss. Aegid. Menagius *miles* ait esse a Graeco *μίλαξ* id est *popularis.* Quae vox et militem significat et eum qui est eiusdem populi, ut Graecis *πρυλεῖς.* Unde in veteribus Glossis *populares στρατιῶται.* Ex *μίλαξ* factum *milex*, ut forex ex *ὕραξ*, ut pellex ex *πάλλαξ*, et deinde ex *milex* factum *miles*, *ξ* mutato in *s*, ut *trabes* ex *τράφαξ*, *dies* ex *δίαξ*, etc. *Dac.* Vid. l. I. ff. de testamento militis. *Goth.*

Minerrimus. Minus parvus, pro quo dicebant etiam *miner*, ut *vetus*, *veter; viduus*, *viduer*, unde *viduertas. Dac.*

Miniscitur. Pro *comminiscitur*, *reminiscitur.* Vide *mentum. Dac.* A radice Sanscrita *măn*, cogitare.

Minerva. Prius dicebant *Menerva*, a qua menervare erat monere ut in saliari carmine *promenervat*, monet; *menere* est *monere*, a quo *meniscor*, ut *apo*, *apiscor;* composita *comminisci*, *reminisci.* Neque tamen *Menerva* a *menere;* nam Minervae nomen Aegyptium, ut optime docuit Stephanus Guichartus in Harmonia etymologica linguarum. Nempe a voce *manor*, quod est instrumentum textorium, factum *minoru.* Unde Latinis *minerva*, texendi inventrix, apud Aegyptios enim ars texendi primum inventa. Ea manu liciatorium tenens pingebatur. Quod liciatorium quia hastae sive lanceae simile erat, ut in lib. Reg. I. cap. 17. v. 7. et lib. II. cap. 21. v. 19. inde Graecis et Latinis Minerva hastam tenere credita est. *Dac. Minerva*, Etrusce *Ménerfa* et *Menrfa*, nihil est nisi Graecorum *Μνημοσύνη.* Cf. Müller. die Etrusker. tom. II, pag. 48. seqq.

Milvina. Meminit Solinus, cap. 10. *Scal. Tibiae quae lugerent a milvis dictae milvinae quae in accentus exeunt acutissimos.* Solin. c. 11. Vide *lugere. Dac.* Vide Solin. c. 10. *Goth.*

Miracula. Pro rebus turpibus. Arnob.: *Vertit Baulo artes, et quam serio non quibat allicere, ludibriorum statuit exhilarare miraculis.* Inde miraculae meretrices dictae. Plaut. (Frag. Astr. v. 9.): *Diobolares, schoeniculae, miraculae.* Quem locum adducens Varro lib. VI. (De L. L. VII, pag. 345. Sp.): *Miraculae*, inquit, *a miris, id est monstris, a quo Aelius personas distortas oribus difformes miriones.* Monstra etiam dixit Catull. (104, 4.) quae Arnob. et Festus miracula:

Sed tu cum Cappone omnia monstra facis.

Dac. Miracula. Ita Nonius in *Mira* (pag. 521. Merc.). *Miraculae* Varroni. *Goth.*

Mirior. Varro: *γνῶθι σαυτόν. Quid hoc mirius? Dac.* Idem Nonius (p. 135. Merc.): *Mirius magis mirum. Goth.*

Misenum promontorium. Montem vocat Virgil. VI, (234.):

Monte sub aërio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur aeternumque tenet per saecula nomen.

Dac.

Miseratur. Miserari est lamentari et deplorare; *misereri*, alterius infelicitate moveri. Ita miseramur casum nostrum, aliorum infortunium. Virg. V, (350.):

Me liceat casum miserari insontis amici.

Sueton. in Claud. (c. 36.): *Miseratus est conditionem suam.* Plaut. (Epid. IV, 1, 7.):

Se ipsam miseratur.

At *miseremur* semper *aliorum*, ut eis opem feramus. Virg.:

Miserere animi non digna ferentis.

Neque tamen illud discrimen ubique a veteribus observatum. *Dac.* Adde Nonium in *Miserari et misereri* (pag. 445. Merc.). Gloss.: *Miseratur*, ἐλεεῖ. *Goth.*

Miracidion. *Mirachidion*, μειράκιον, μειρακίδιον, μειρακύλλιον. Aristoph. (passim.). *Dac.*

Metus. Ennius:

Ni metus ulla tenet rite virtute quiescunt.

Dac. Vide sub v. *Masculino* et in *Recto fronte*. Adde Non. pag. 214. v. *Metus*. *Goth.*

Metari castra. *Metari* nihil aliud est quam dividere, secare suis finibus et metis. Inde *metator agrorum* Ciceroni est *finitor*, cui rei gruma et decempeda serviebat. Hinc *degrumare viam*, et *decempedator* pro *metatore*. *Dac.* *Meta...ca...a.* (Vid. p. 170.) *Metari castra vocari a metis.* Nihil aliud video. Neque enim doctiss. Merulae assentiri possum qui in hisce ruderibus latere putavit fragmentum Ennii: *Dico queis hunc dicare cupit.* *Scal.*

Meddix. Livius lib. XXVI, (c. 6.): *Mediastutius* (*Medixtuticus*) *qui summus magistratus apud Campanos est.* *Fulv. Urs.* Melius *medix* ut in al. quod propius accedit ad Graecum μέδων, regnator. In versu Ennii lego *unus* pro *summus:*

Unus ibi capitur Medix, occiditur alter.

Postrema litera vocis *Ennius* adhaesit voci *unus*, *sunus* unde postea factum *summus*. Et ita rescribendum probat vox *alter*. *Dac.* Male apud Senecam de Tranq. 3. *Cetyx*. Hic tamen alii legunt *Medistriticus*. *Goth.* Dicebatur *Meddis*, *Meddix*, *Merris*, *Medix*. Μέδδειξ in Graecis invenitur inscriptionibus. Apud Livium legitur iam dudum recte *Meddix tuticus*, vel una voce *Meddixtuticus*. Cf. Müller. die Etrusker. p. 29. tom. I. *Meddix* nihil est aliud, nisi *consul*. Descendit enim meddix a Sanscrita voce *măti*, *consilium*, unde Graecorum μῆτις, Latinorum *meditari*, et alia. Ex eodem fonte sunt *Mettus*, *Mettius*, nomina Sabina, quae permutationem illam consonantium *t* et *d* probabilem reddunt. *Tuticus*, quod scribitur etiam *Toticu*, *tuftik*, significare *magnus*, *summus*, ostendit Itinerarium Hierosolymitanum, ubi oppidum in Samnio, *Equustuticus*, hoc vocabulo redditum est: *equus magnus*. Erit igitur *Meddix tuticus*, *Consul maximus*, vel *Senator magnus*, summus, ex qua re intelligitur, recte apud Ennium legi: *Summus ibi capitur Meddix*. Tuticus autem cognatum est vocabulum cum voce *tutulus*, quae Flaminis apicem, summum ornamentum capitis significat.

Meditrinalia. Varr. lib. V. (De L. L. VI, pag. 203. Sp.): *Meditrinalia dies dictus a medendo, quod ut Flaccus flamen Martialis dicebat hoc die solitum vinum novum et vetus libari et degustari medicamenti causa; quod facere solent etiam nunc multi cum dicunt: novum vetus vinum bibo, novo veteri morbo medeor.* Idem etiam factitatum fuisse ad pomorum primitias docet Plinius alicubi: *Cur, ad primitias*, inquit, *pomorum haec vetera esse dicimus, alia nova optamus?* Quo Festi et Varronis verba alludit: *Novum vetus vinum bibo.* Erant autem Meditrinalia V. Id. Octobr. Similiter Graeci Neoinian celebrant, de qua Longus lib. II. Meditrina autem est nomen ἐπιτηδεύματος, ut *Cociatrina*, *Lavatrina* et similia. *Scal.* Dixi ad Varron. V. de lingua no. 3. *Goth.*

Medioximum. *Medioxumum.* Antiquitus prius dicebant *mediotumum*, ut Plautus. Dictum a medio *Mediotumum*, ut a quoto, quotumum. Apud Plautum (Pseud. IV, 2, 7.): *Quotumae sunt aedes?* πόσται. *Scal.* Plaut. Cistell. II, 1, (36.):

Ita me Di Deaeque, superi atque inferi et medioxumi.

De diis Medioximis Servius XII, (v. 118.) Aen.: *Sunt enim*, inquit, *numina aliqua tantum coelestia, aliqua tantum terrestria, alia media, quos Apuleius medioxumos vocat.* *Dac.* *Medioximum* Nonio (p. 141. M.). *Goth.*

Medullitus. A medullis ut ab oculis oculitus. Plaut. (Most. I, 3, 86.):

Ut videas illam medullitus me amare.

Dac. Adde Nonium in *Medullitus* (pag. 139. Merc.). Glossae: *Medullitus*, *nomen*, ἡδονικώτατος. *Goth.*

Meditullium. Quasi *media tellus*, inquit Fest. sed aliter Cicero qui testatur in Topicis (c. 8, 36.), non plus esse *tullium* in *meditullium*, quam *timus*, in *finitimus*, *legitimus*, etc. *Tullium* ergo est vocis productio ut *tolium* in *Capitolium*. *Dac.*

Medibile. A *medeor medibile*, ut a *medicor*, *medicabile*. *Dac.*

Mediterream. *Mediterreum.* Ut Graecis μεσογεῖον. *Mediterraneum* tamen usus obtinuit. *Dac.* Glossae: *Mediterraneus*, μεσόγαιος. *Mediterranei*, μεσογεωτικοί. *Goth.*

Merendam. Merenda ut notavit Scaliger in Coniectaneis (pag. 247. ed. St.) cibus iis, qui merebant aere, id est Mercenariis datus a Domino seu conductore antequam labore mitterentur. Calpurn. (V, 61.):

— — *serae cum venerit hora merendae.*

Merendam tamen idem quod prandium fuisse monet hic Festus. Quare dicendum est priscis temporibus nondum inducto *prandii* nomine merendam pro prandio fuisse, postea vero pro cibo, qui post meridiem dabatur, ut apud nos hodieque fit. *Dac. Merendam.* Quasi *medendam*, *ἄριστον δειλινόν*. *Goth.* Cf. Non. p. 28. Merc.

Mergae. Plaut. Poenul. V, 2, (58.):

Palas vendundas sibi ait et mergas datas,
Ut hortum fodiat atque ut frumentum metat.

Dac. Ut illae se in aquam mergunt. Idem Varro de L. IV. no. 13. (V, pag. 85. Sp.). *Goth.* Respondet radix Sanscrita *maddsch*, quam priori aetate sonuisse *mardsch* verisimile esse putat Bopp. Gramm. Critic. Sanscr. pag. 67. reg. 110. b).

Mercurius. L. m. *festinabant* pro *existimabant. Fulv. Urs. Mercurius* a mercibus quia iis emundis et vendundis praeerat. Plaut. Prol. Amph. (init.):

Ut vos in vostris voltis mercimoniis
Emundis vendundisque me laetum lucris
Afficere, atque adiuvare in rebus omnibus.

Quare et idem putatur esse qui *Chanaan* filius Hami sive Chami. Nam *Chanaan* Hebraeis mercatorem significat. *Dac.* Mercurius descendit a communi Indogermanicarum linguarum radice *mark*, *marg*, *merc*, unde apud Indos *marga*, via; apud Germanos *marka* signum, terminus, finis; apud Latinos *margo*; unde verba *merken* Germ., *mercari* Lat., *marg* Sanscr., quaerere, alia.

Merum. Id est *solum.* Terent. (Phorm. I, 2, 96.): *Spem meram.* Et Varro (apud Non. p. 344. M.) sesqui Ulysse *meram tunicam.* Imo et quod nunc dicimus *purum* id nihil aliud est, quam *solum* ut vinum purum quod solum est nec aquam habet admixtam. A *mero* est *merula*, *merle*, quod sola vagatur. Varro lib. IV. (V, p. 81. Sp.): *Merula quod mera id est sola volitat. Dac. Merum.* Pro solo hic accipitur, ut et apud Varronem IV, num. 11. et Nonium in *Merum* (p. 344. Merc.). Gloss.: *Merum*, *ἄκρατον*, *μόνον*, *ψιλόν*. *Goth.*

Mercedonius. Mercedonias, subintellige Dies. Ita enim omnes dies intercalaris mensis vocabantur. Nam mensis intercalaris *Mercidinus* vocabatur, ut ait Plutarchus in Numa; vel *Mercedonius* ut ait idem in Caesare. Isidorus in Glossis: *Mercedonius, qui dat mercedem;* nihil praeterea reperio. *Scal.*

Medialem. Pro *meridialem*, nisi malis a *medius* factum *medialis. Dac. Medidialem.* Ita legunt antiqui, *medidies*, pro *meridies. Goth.*

Mercedituum. Mercedicius. Quidam *mercedinus.* Ms. liber, ut testatur Vossius, *Mercedituus*, quae videtur vera lectio et probant sequentia, *quod mercede se tueatur. Dac. Mercedivus* alii. Gloss.: *Mercenarius*, *μισθοφόρος*, *μίσθιος*. *Goth.*

Mertat. Pro mersat, *s* mutato in *t*, Graecorum more. Legitur et apud Nonium *mertaret*, sed pro *meritaret.* De hoc olim apud illum Deo favente. *Dac.* Vide supra *Exfuti.* Nonius in *Mertaret*, *mergeret* (p. 138. Merc.). *Mertare* est etiam merentem facere Nonio (pag. 137. Merc.). *Goth.*

Melicae gallinae. De mutatione D in L vide *delicare.* Medicae gallinae ceteris proceriores, ut Medici Galli Varr. de re rust. lib. III. cap. 9.: *Ad hanc rem electis maximis gallinis, nec continuo his quas Melicas appellant falso, quod antiqui ut Thetin, Thelin, sic Medicam, Melicam vocabant. Hae primo dicebantur quia ex Media propter magnitudinem erant allatae, quaeque ex iis generatae postea propter similitudinem. Dac.*

Melos. Insula in mari Cretico inter Cretam et Sunium Achaiae promontorium a Phoenicio quodam Melo dicta ut sentit Festus consentiente Eustath. in Dionys. Perieg.: Ἡ Μῆλος περὶ τὸ Κρητικὸν πέλαγος ἀπό τινος Μήλου κληθεῖσα κατὰ τὴν Ἀῤῥιανοῦ. Sed hoc falsum esse docuit doctiss. Bochartus in suo Chanaan. lib. I. c. 14. ubi planissime demonstravit insulam *Melo* Hebraeis dictam Melo i. insulam *repletionis*, insulam *plenitudinis*, propter fertilitatem scilicet, nam Hebraeis *melo* plenitudo, maturitatem sonat cum de frugibus agitur et huic insulae haec appellatio mire congruit quae et fructus tulit uberrimos et tam mira ratione maturescentes, ut fruges intra tricesimum diem perfecte maturescerent et sementis a multis fieret propemodum ipsa messe, nec agricolae tam tardo quidquam inde decideret. Theophrast. plantar. lib. IV. cap. 12. et lib. VIII. cap. 3. ab

eadem ratione eadem dicta *mimallis*, *memblis* et *biblis*. Ab Hebraeo scilicet *memalle* vel *mamli* quasi dicas *terram complentem*, i. e. ad plenam maturitatem brevi spatio perducentem, et ex *Mamli* deflexa *Memblis* et *Byblis*, M et B permutatis ut saepe fit. Solin: *Melos quom Callimachus Mimalleda dixit.* Plinius (IV, 12.): *Melos cum oppido, quam Aristides Byblida appellat, Aristoteles Zephyriam, Callimachus Mimallida, Heraclides, Syphnon et Acyton. Dac.* Alia significatione sumitur apud Festum. *Goth.*

Melo. A Graeco μέλας. Ita enim Graeci Nilum vocavere, ut tradit Eustath. et ita intelligendus Hesych.: *Μέλας, μελανὸς, βαθὺς, ἢ ποταμός. Melas, niger, profundus, vel fluvius. Dac.* Vide supra *Alcedo. Goth.*

Melis. Si a ligno mali dicta est, non video, quam utilis bello fuerit: cum malus arbor inepta prorsus ad hastas sit. Sed restituendum *Melia*, ut sit μελίη. Et Paulum cum suis etymologiis missum faciamus. *Scal. Meloas* vel *Melia. Goth.*

Meliboea. Virg. V, (251.):

Purpura Maeandro duplici, Meliboea cucurrit.

A Meliboea Thessaliae urbe. Lucret. lib. II.:

Iam tibi barbaricae vestes Meliboeaque fulgens
Purpura Thessalico concharum tincta colore.

Dac. Dicta. Vocata. *Goth.*

Melancoryphi. Μελαγκόρυφοι. *Atricapillae* vertit Gaza, sunt ficedulae: sed diverso tempore nomen alterum sortiuntur. Plin. lib. X. cap. 29.: *Alia ratio ficedulis, nam formam simul coloremque mutant. Hoc nomen* (ficedularum) *non nisi autumno habent. Postea melancoryphi nominantur.* Vide Aristot. lib. VIII. hist. animal. cap. 3. *Dac.*

Mensarii. Trapezitae. *Dac.* Livius VII, (21.) Cicero pro Flacco, (c. 19.) qui et *Mensularii* in l. si ventri. 24. Glossis τραπεζῖται. Hi rationes publicas, ut argentarii privatorum, conficiebant. Vide Sigonium 2. de iure civium 11. Huc referenda frequens Mensae mentio, de qua in iure et in l. 4. ff. de edendo. l. 47. ff. de pactis. l. 5. §. 1. l. 19. §. 1. l. ult. ff. de Institoria. l. 77. §. mensae. ff. de legat. 2. l. 29. §. 1. ff. de liberatione legata. l. 27. ff. de furtis. l. 3. Cod. de Institutionib. Novell. 137. 14. Gell. 2, (24.). *Goth.* Adde Ern. Clav. Cic. v. *Mensarii.*

Mend.... (Vid. p. 175.) Ex iis, quae Paulus scribit *Mendicum dici Verrius* etc. haec supplenda sunt. Scriptum autem fuisse videtur: mente eius, *quam* fefellerit fortuna; non *quem. Ant. Aug.* Imo potius *Mendicus* a menda immediate, ut optime Scaliger in Coniectaneis (p. 171. St); est autem menda cum aliquid deest. A *minus.* Isidorus lib. X. (lit. M.): *Mendicus quia minus habet unde vitam degat.* Eiusdem originis est *mendicum*, vel ut alii *mendicium*, velum in prora, puta quia id minus velum esset. *Dac. Mendicus* adiectivum a mendo deducit Vossius. Cum voce *mancus* comparavit Martinius, qui idem Germanorum *mangeln*, Francorum *manquer*, comparat. Cf. Doederlin. Synon. Lat. III, pag. 117. Descendit autem a Sanscrito adiectivo *manda(s) a, am*, quod *paucum*, exiguum numero significat, unde ista omnia sunt deducenda: *mancus, menda, mendum,* et *mendicum* velum, h. e. exiguum.

Mentum. A *meniscor*, unde postea factum *commeniscor, commentum. Dac.* Sanscrita radix *man,* cogito, subest, unde *manas, mens*, μένος, et alia.

Memoriosus. Glossarium: *Memoriosus*, μνήμων. *Scal.*

Mensa frugibusque. Alii: *Messe frugibus iurato significat per messem et fruges.* In schedis *mensa. Dac. Mensa.* Messe. *Mensam.* Messem. *Goth.*

Megalesia. Ludi μεγάλης θεᾶς magnae Deae, Cybeles scilicet, quae Deorum omnium mater. Vid. Ovid. IV, (357.) Fast. Pridie Non. April. celebrabantur. Megalesia autem et Megalenses ludi dicti sunt contra quod quibusdam visum est qui diversos fecere. Vide *Romani. Dac.*

Mesancilum. Mefancilum. Lege *Mesancylum.* Μεσάγκυλον est amentatum iaculum. Ennius *Ansatas* vocat: *Mittant ansatas de turribus.* Menander:

— — πῶς τὸ τραῦμα τοῦτ' ἔχεις; μεσαγκύλῳ.

Scal. Cf. Gellius X, 25.

Mecastor. Quod Graeci iurantes μὰ, νὴ praeponunt, id Romanis erat *me* et *e* hoc est *per:* ut *mecastor* per Castorem, *medius-fidius* per Iovis filium i. Herculem. *Mehercule* per Herculem. *Eiuno*, per Iunonem, *Equirine* per Quirinum, *Ecere* per Cererem, *Epol* per Pollucem. *Dac. Diceretur.* Dicerent. *Goth.* Ali-

ter olim statui, aliter nunc statuendum censeo de huiusmodi formulis asseverandi. *Epul*, *Epulu* Etruscae sunt formae nominis *Apollo*. Cf. Müller. die Etrusker. tom. II, pag. 69. Quare non est dubium, *Epol* et *Edepol* formulas esse ex Etrusca lingua petitas. Si *Epol* idem est atque Apollo; sequitur ut *Edepol* sit *per Apollinem*, *νὴ τὸν Ἀπόλλω*. Nam *ed* syllaba nihil est aliud, nisi *e* illud asseverando inserviens, cui additum *d* euphonicum ubi sequitur vocalis; quare *d* omittitur in formulis *Ecere*, *Eiuno*, *Equirine*, *Ecastor*. Sed *Mecasor*, *Mehercules*, *Mehercle*, orta sunt ex formula: *ita me Castor*, *ita me Hercules*.

Messapia. Apulia a Messapo Neptuni filio. Virg. VII. Aen. (IX, 523.):

At Messapus equum domitor Neptunia proles.

Dac.

Mactus. *Mactare*, *mactus*, *macte*, sacrorum verba sunt. Apud Catonem (c. 132.): *Macte hocce vino inferio esto: Macte hacce dape pollucenda esto. Macte esto*, antique, pro *mactus esto*. Mactus, i. e. magis auctus. Et ad alia quaevis transferuntur, ut *mactare honoribus*, *infortunio*. Plaut. (Amph. IV, 2, 14. et alibi.). Eleganter Arnob. lib. I.: *Fanorum consecratione mactare. Dac.* Vide Non. (pag. 341. Merc.) in *Mactare*. *Goth.*

Macellum. Unde sit, mire veteres dissentiunt. Festi sententiam probat Varro duobus locis (p. 99. ed. St. et Scal. Coni. p. 61. St.) qui a Macello quodam dictum vult. Donatus vero, Isidorus et Scaliger a mactandis pecoribus deducunt, ut sit a *mactum*, *mactulum*, *mactellum*, *macellum*. Salmasius ab Aeolico *μάγερρος* qui carnes vendit: sed Scholiastes Aristophanis a structura nomen sortitum dicit: Ὁ δὲ κύκλος (inquit in Equit.) Ἀθήνησίν ἐστιν καθάπερ Μάκελλος, ἐκ τῆς κατασκευῆς τὴν προσηγορίαν λαβών. Quodsi verum dicendum est *cuclon* a rotunditate dictum fuisse quia rotundus. Macellum vero ἀπὸ τῆς μακέλλης, a ligone, quod ita structum fuerit, ut ligonis figuram referret. Sed eius typum vidisse oportuit, ut id unice probetur. Subiungit idem Scholiastes in macello praeter carnes omnia alia obsonia veniisse, praesertim pisces, et ibi illum frustra esse certum est, nam de carnibus etiam constat, imo et in macello lanios et fartores ponit Terent. Eunuch. II, 2, (24.):

— — *Interea loci ad Macellum ubi venimus*
Concurrunt laeti mi obviam cupedinarii omnes
Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores.

Dac. Vid. Varronem. Differt autem a *Macellum*, quod diminutivum a macro, de quo supra in v. *Altellus*. Nonius in *Macellum* (pag. 136. Merc.). A macello macellarius, Glossis ὀψωνιοπώλης. *Goth.*

Macilenti. *Macilentus*, a *macie* quod a *maceo*; Macilentus qui ita macet ut totus ossa atque pellis sit. *Dac.*

Murricidum. Plauti locus est in Epidico (III, 1, 12.): *Vae tibi muricide homo*. Nam duo illa, *ignave*, *iners*, sunt glossemata Festi. Melius autem scriberetur unico *r*, *muricidus*. Quod videtur tanquam ioculariter ignavo exprobratum, ut qui hostem non potuisset, mures caederet. Quasi μυοκτόνος. *Murcidum* tamen etiam dixerunt veteres, ut Pomponius Atellanarius. Augustinus de Civitat. lib. III. cap. 16.: *Deam Murciam, quae praeter modum non moveret, ac faceret hominem, ut ait Pomponius, murcidum, id est nimis desidiosum, et inactuosum. Scal.* Sed *murcidum* melius a μυλκὸς, *mulcus*, *murcus*, murcidus, ignavus, iners, mutilus, quippe qui caussa detrectandi Sacramenti sibi pollices amputavit. Μυλκὸς autem Aeolice pro μαλκὸς *imbellis*, *ignavus*. Et Dea *Murcia* ignavorum Dea, quae ignavos faceret, ut *Strenua*, quae strenuas, *Ageronia* quae ad agendum excitaret, *Stimula*, quae stimularet. Quare *Murcia* Venus dicta, ut et *Verticordia*. Vide *Murciae*. Locus Plauti Epidic. III, 1, (12.):

Vae tibi murcide homo.

Nam duo illa *ignave*, *iners*, sunt interpretationes Festi. Murcidos Isidorus vocare videtur murcinarios. Sic enim in glossis: *Murcinarius mutilus*; forte legendum *murcidarius*. *Dac.* Lego *muricidum*, qui mures tantum audeat necare. *Goth.*

Manlium. *Manliae gentis*. Vide Livium lib. VI. (cap. 20.) et Dionem lib. LI. Inde Musonius apud Gellium lib. IX. cap. 2.: *Simili autem*, inquit, *exemplo ex contraria specie antiquos Romanorum audio praenomina patriciorum quorundam male de republica meritorum et ob eam caussam capite damnatorum censuisse, ne cui eiusdem gentis patricio inderentur, ut vocabula quoque eorum defamata atque demortua cum ipsis viderentur. Dac.*

Mane a diis manibus. Vide in v. *Manare solem*. A *manus* dicta mater *matuta*, quasi *manuta* converso *n* in *t*, *matuta*. Quae fuit Ino Cadmi filia, Leucothea a Graecis dicta. Cicer. I. Tuscul. (cap. 13.):

Quid Ino Cadmi filia? Nonne Leucothea nominata a Graecis, Matuta habetur a nostris? A *manus* etiam *maturus*, quasi *manurus*. Etsi quidam a *mando* quasi *mandurus*. *Dac*. Cf. Nonium in *Mane* (pag. 66. Merc.). *A diis manibus.* Vide in v. *Manes dii*. *Mana*. Mania. *Mater matuta*. V. Nonium in *Manum*. (p. 66. M.). *Goth.*

Matronas. Stolae usus matronis tantum, id est, pudicis et honestis mulieribus concessus; quia ea honestioris erat cultus. Famosae vero mulieres non stolatae sed togatae procedere cogebantur. Unde Martial. (II, 39.):

Vis dare quae meruit munera, mitte togam.

Dac. *Fere*. Forte. *Quibus stolas habendi ius erat*. Vid. l. Vestis 23. §. vestimenta 2. ver. muliebria. ff. de auro. Cic. Philipp. (II, 18.): *Cito Curio intervenit, qui te a meretricio quaestu abduxit, et tanquam stolam dedisset, in matrimonio certo collocavit*. *Goth*

Materfamiliae. Quae hic habet Festus, ea partim vera, partim falsa sunt. Verum est, matremfamilias non antea dictam quam vir eius paterfamilias. Nam materfamilias proprie ut ait Servius lib. IX. Aeneid. illa dicitur, quae in matrimonium convenit per conventionem. Nam per quandam iuris solennitatem in familiam migrat mariti. Verum est etiam, non plures uno hoc nomine in una familia. Neque enim in una familia plures uxores: hunc locum pessime accepit doctissimus Hotomanus, qui ait non consentaneum esse ut si socrus vivat quae materfamilias appelletur, nurus eandem dignitatem obtineat. Imo maxime consentaneum et verum est tam nurum quam socrum matremfamilias dictam. Quod addit Festus *sed nec vidua hoc nomine* verum est antiquae illius consuetudinis habita ratione, neque enim materfamilias dici poterat quae desierat esse in viri familia. Postea tamen tam vidua quam nupta ut *matrona* sic et *materfamilias* dicebatur, pro eadem enim *matrona* et *materfamilias*. Quod in fine legitur, *nec quae sine filiis est*, id omnino falsum, ut ex superioribus patet. Nisi dicas cum Hotomano nomen illud in conventione nuptis datum propter omen, a matris nomine non adepto, sed cum spe et omine mox adipiscendi. Ut de matronis tradit Gellius lib. XVIII. cap. 6. *Dac*. *Materfamiliae*. Quae et *materfamilias*. Adde Nonium in *Matronae* et *Matresfamiliae* (p. 442. M.) l. 3. in fin. ff. de liberis exhib. l. 195. in fin. de ver. sig. *Goth.*

Matula. Vide *Matellio*. L. 25. §. 10. ff. de auro argento. Gloss. ἀρύταινα ubi tamen legitur *matulata*. Eo Matella Nonio (pag. 543. Merc.). *Goth.*

Matralia. Tertio Id. Iunii:

Ite bonae matres (vestrum matralia Festum)
Flavaque Thebanae reddite liba Deae.

Ovid. VI. Fast. (533.) Matutae libum proprie *Testuatium* dicebatur Varr. lib. IV. (pag. 27. Ed. St.): *Testuatium quod in testa calda coquebatur, ut etiam nunc matralibus id faciunt matronae*. *Dac.*

Mattici. Matrici. Explicatum a nobis in Coniectaneis (p. 151. St.). *Scal.* Pro *matrici* lege *mattici*. *Mattici* autem homines magnarum malarum non quasi *malattici*, sed quia ματύας veteres maxillas vocabant, unde etiam γνάθωνες in comoedia, *gulosi*. *Dac.*

Matrimes ac patrimes. *Matrimes* ac *patrimes* sacrorum lingua pro *patrimi* ac *matrimi*. Sic apud Plautum *porci sacres* pro *sacri*; sic *manes* pro *mani* etc. Matrimi patrimi autem vel matrimi et patrimi dicebantur quibus uterque parens superstes erat, Graecis ἀμφιθαλεῖς. Contra quibus alter tantum parens erat, *matrimi* si mater, *patrimi* si pater. Ut apud Catull. (I, 9.): *patrima virgo* Minerva quae Iovem tantum patrem et matrem ciet. Graecis ἑτεροθαλεῖς. Sic pater patrimus dicebatur qui pater erat et patrem habebat. Infra Festus. *Dac.* Apud Catull. l. c. vulgo legitur: *patrona virgo*.

Matellio. *Matellio a matula dictus, et dictus posteaquam longius a figura matulae discessit.* Varro (pag. 30. Ed. Sp.) Matulla, matella, matellio, vas aquarium ἀρυταίνα item vas ad urinam recipiendam. Gloss: *Matella*, οὐρητρίς, ἀμίς. Adde Nonium in Matella (pag. 543. Merc.). *Goth.*

Magmentum. Lege cum Scaligero: *Magmentum, maius augmentum*. Erat daps quae profanabatur a rusticis Iano, Silvano, Marti, Iovi Dapali; sed et qualibet alia qua Deos mactabant. Unde magmentarium vas ubi exta sacra arae imponebantur. Gloss.: *Magmentarium*, ἐφ' οὗ τὰ σπλάγχνα τιθέμενα τοῖς βωμοῖς προσφέρονται. *Dac.* Vide Varronem de L. (pag. 29. Sp.) ubi de victu. Aliud autem est Glossis: *Magmentarius*, μύρεψος. Et *magmentaria vasa*, in quibus magmenta et exta sacra imponebant. *Magis augm.* maius augm. *Goth.* Hoc vocabulum certissime testatur, fuisse Latinis priscis in usu verbum *magere*, h. e. magnum facere, augere; unde *mactus* participium, a quo *mactare*, i. e. honore augere, honorare, nativa quidem significatione. Ex eodem fonte *magis*, maior (i. e. *magior*) et *maximus* (i. e. *magissimus*). Omnibus subest radix Sanscrita *mah*, quae *augere*, *colere*, *honorare* significat.

Madulsa. Madusa. Scribe *Madulsa* ut in Plaut. Pseud. V, 1, (7.):

Profecto edepol ego nunc probe abeo madulsa.

Scal. Madulsa et *madidus* a verbo *madeo*, quod aliquando etiam ponitur pro ebrius sum ut contra siccus pro sobrio. Madeo autem a μαδᾶν, deglabrari, glabescere, depiles esse, cum scilicet propter nimiam humoris copiam decidunt pili, nisi malis esse a μυδᾶν, *prae nimio humore putrescere.* Nam et eo sensu etiam *madere* aliquando legere est, unde a Graecis exponitur τήκειν quod est humidum esse, tabefieri vel corrumpi. Gloss. *madida* ταχερά. Etsi par in utroque est ratio, nam et μαδᾶν pro μυδᾶν et contra saepe positum est, ita ut meo quidem iudicio minime tentari debeant loci ubi haec vel illa vox usurpatur. *Dac. Sit.* Satis. *Goth.*

Magisterare. Deerat spatium ad ea capienda quae desiderabantur ex sched.; in fine puto desiderari tantum vocem *docere* vel similem. Et recte quidem Festus magisterare antiquis usurpatum dicit pro regere, imperium habere. Inde in Gloss.: *Magistro* πρυτανεύω. Magisterium ἀρχή. Sed postea pro *docere*, unde artium doctores dicti magistri. Sic Spartianus in Adriano sect. X.: *Ipse inter manipulares vitam militarem magistrans*, i. e. docens. *Dac.* Verba Festi, quae haec praecedunt, ad hoc verbum referenda sunt. *Ant. Aug.* Post verbum *pagorum* videtur addendum *curiarum* ex Plauto, qui dicit in Aulularia:, *Nostrae qui est magister curiae. Fulv. Urs.* Male Paulus *magister* ducit a *magisterare* vel *magistrare*; cum contra *magisterare* a *magister* dictum sit. Erat autem proprie magister, praefectus, Graecis ἐπιστάτης ut magister pagorum in inscriptionibus; *societatum* apud Ciceronem pro Plancio (c. 13.); *vicorum* apud Suetonium in Augusto (c. 30.); *collegiorum* apud Asconium (pag. 159. ed. Lugd.); *equitum* apud Livium, Varronem et alios. Inde et magistri nomen honoris causa artium doctoribus datum videri potest; ut apud Livium lib. V. sect. 27. Inde publicae magistrationes in Cod. Theodos. I. scholae publicae. A magisterare est *magistratus*, non vero a *magister* immediate ut putavit Varro. *Dac. Unde magistri.* L. Cui praecipua. 57. ff. de verb. signif. Magister etiam dicitur Theophilo Tit. de success. bonorum, qui bonis debitoris vendendis constitutus erat a creditoribus. *Pagorum.* Glossarium: *Magister Pagi*, ἀμφοδάρχης. Adde Siculum Flaccum de limitibus agrorum. *Pagorum societas.* Pagorum, curiarum, societas. Ursin. et Plaut. Aulularia (II, 2, 3. I, 2, 29.). Adde infra *Vicc. Societatum.* l. 4. ff. de Pactis. *Collegiorum.* Equitum. l. 2. §. 19. ff. de origine iuris. l. de officio Praef. urbi. *Magistratus.* l. 57. de verborum signif. Vide Varronem (p. 63. ed. St.). *Dicimus.* Dicitur. *Magis caeteris possunt.* V. l. 57. de verbor. significatione. *Goth.* Descendit *magister* ab antiquo Superlativo *magistus*, i. q. μέγιστος, a positivo *magis*, quod adiectivum respondet Sanscrito *mahat*, magnus. Est autem *magister* ex formatione in *er* ortum, quae syllaba aliquoties pro *-us* finali ponitur. Nisi forte *magister* respondeat Sanscrito *mahitri* a *mahita(s)* quod participium significat *cultum*, honoratum, honore auctum; ut *magister* significet eum, qui honoribus et veneratione colitur.

Maximus pontifex. Cuperem Festi verba videre. Neque enim facile Paulo credo asserenti Pontificem fuisse vindicem contumaciae magistratuum, et privatorum. Vide Dionys. lib. IV. *Ant. Aug.* Postrema verba negotium facessunt doctis viris, quae sunt haec, vindexque contumaciae privatorum magistratuumque. Quid? non licebat illi animadvertere in contumaciam privatorum? Audite Macrobium: *Regem sacrorum Flaminesque non licebat videre feriis opus fieri, et ideo per praeconem denunciabant, ne quid tale ageretur: et praecepti negligens multabatur.* Quod licuit Flaminibus, hoc non licuisset Pontifici Maximo? At magistratus contumaciam non coercebat, inquitis. Audite Val. Maximum: *Metellus Pontifex Max. Posthumium Cos. eundemque Flaminem Martialem ad bellum gerendum Africam petentem, ne a sacris discederet, multa indicta, urbem egredi passus non est.* Sed his exemplis pleni sunt Romanorum annales, quae studiosus lector passim adnotare potest. *Scal. Religiones.* Religionem. *Goth. Vindex contumaciae privatorum magistratuumque.* Suspecta sunt haec verba Paulli quibusdam, quae tamen minus quam suspecta esse debent. Nam et privatorum contumaciam coercebat Flamen, si festis operabantur. Vid. Macrob. I, 16. et infra in *Praeclamitatores* et *Magistratuum.* Sic apud Valerium Maximum Metellus Pontifex Posthumium Cos., eundemque Flaminem Martialem ad bellum gerendum Africam petentem, ne a sacris discederet, multa indicta, urbem egredi non patitur. *Idem.*

Magis. Duriusculum etymon. Verisimilior videtur Iul. Scaligeri sententia qui ab obsoleto *magnior* eliso *n magior*, *magis* deducit. *Dac. Magis* ipse est antiquus adiectivi positivus gradus, Sanscr. *mahat*, unde *magior*, *maior* cet.

Maximam hostiam. Victimae de maioribus animalibus dicebantur, hoc est armentis, etiam si lactentes essent; hostiae de minoribus, etiam si opimae καὶ τέλειαι inter victimas taurus praestabat. Virg. II. Georgic. (146.): *Et maxima taurus victima.* Inter hostias ovis, ut hic vides, et ratio postulat; in gregibus enim, quis sues et capras praeferat ovibus? ergo maxima victima, taurus; maxima hostia, ovis. Haec est

ratio, non quam adfert Verrius, aut Festus. *Scal.* Maxima hostia *ovis*, maxima victima *taurus. Goth. Ab animo placidiore.* Si compares cum suibus et capris. *Idem.*

Magnum socerum. Socer est viri pater, magnus socer avus; maior socer, proavus. Socer a Graeco ἑκυρός. *Dac.* L. 4. §. 6. socer magnus. ff. de gradibus, quem nostri autores prosocerum appellant. L. Is. ff rerum annotarum l. 3. §. 2. de in ius vocando. l. 146. ff. de verbb. signif. *Goth.*

Magnam socrum. Socrus ἑκυρὰ viri sive uxoris mater, magna socrus avia, maior socrus, proavia. *Dac.* Quae et *prosocrus.* l. 4. §. 6. versiculo, item prosocer. ff. de gradibus. *Goth.*

Maximi annales. L. m. habet *confecisset* pro *consecrasset. Fulv. Urs.* Cic. cap. 11. de Oratore: *Erat enim historia nihil aliud nisi annalium confectio, cuius rei memoriaeque publicae causa, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium Pontificem maximum, res omnes singulorum annorum mandabat literis Pontifex maximus referebatque in album, et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi; ii qui etiam nunc annales maximi nominantur.* Et Servius lib. I. Aeneid.: *Ita autem*, inquit, *Annales conficiebantur, tabulam dealbatam quotannis Pontifex maximus habuit, in qua praescriptis consulum nominibus et aliorum magistratuum digna memoratu notare consueverat domi militiaeque terra marique gesta per singulos dies, cuius diligentiae annuos commentarios in octoginta libros veteres retulerunt, eosque a Pontificibus maximis a quibus fiebant annales maximos appellarunt.* In verbis Festi pro *consecrasset* liber quidam melius *confecisset. Dac.*

Maximus Curio. Qui reliquis curionibus, sexaginta enim et duo erant in qualibet curia, praeerat. *Le grand Curé, Le général des Curés. Dac.* Vide Livium XXVII. (c. 8.). *Goth.* C. Mamilium Vitulum primum e plebe Curionem Maximum creatum esse, memoriae prodidit Livius l. c.

Manare. Festus videtur a manando deducere mane; postea a mature, unde Matuta dicta est. Alio loco a Diis manibus; sive quod mana bona dicerentur, unde Matuta et matura dicuntur. Varro lib. V. (pag. 44. St.): *Dici principium mane, quod tum manet dies ab oriente: nisi potius quod bonum antiqui dicebant manum.* Vide Mater Matuta. *Ant. Aug. Manare* de eo dicitur quod ex integro liquido fluit, a Graeco μανὸν quod liquidum et rarum significat. Alii deducunt a νᾶμα quod χεῦμα, ῥεῦμα, *fluxum* interpretatur Hesychius. *Dac. Manat*, ῥεῖ. *Goth.*

Manalis fons. Locus Festi corruptissimus, qui nisi fallor, ita restituendus. *Manalis fons appellatur ab auguribus puteus perennis; neque tamen specu inciliisve cietur.* Quia flumen *id auspicatur, quod sua sponte in amnem influit.* Ad auspicandum, inquit, flumina non prosunt, quae ope humana, puta specu, inciliis ducta sunt; sed quae sponte sua in amnem influunt. Non est autem dubium, quin loquatur de peremni auspicio, quod dicebatur, quoties quis amnem, aut aquam, quae ex sacro oritur, auspicato transit. Ex sacro, hoc est, ex capite fontis. Nam capita omnium fontium sacra. Contra quae ex castellis aut dividiculis derivatur, non est sacra. Vide in v. *Petronia.* Non mediocriter studiosos iuverimus, qui tam utilem locum, cum contineat in se egregiam antiquitatis cognitionem, emendavimus atque illustravimus. *Scal. Nunc ad aquae lene caput sacrae.* Horat. (Od. I, 1, 22.). *Dac.* Locus obscurus et fortasse mendosus. *Goth.*

Manalem lapidem. L. m. *pertraherent*, quod rectius est, quam *protraherent. Fulv. Urs.* Imo: *Manale putabant esse ostium orci.* Ita enim nulla controversia legendum. *Manal*, seu *Manale* eleganter ostium manium; inde manale sacrum erat sacrum Deorum manium. Varro de vita populi Romani lib. XI.: *Urceolum, aquae manale vocamus, quod eo aqua in trulleum effundatur; unde Manalis lapis appellatur in pontificalibus sacris, qui tunc movetur, cum pluviae exoptantur. Ita apud antiquissimos manale sacrum vocari, quis non noverit, unde nomen illius?* Haec Varro, ex cuius verbis novimus manale sacrum etiam significare, cum hic etiam ostium inferorum exponatur a Festo. Sed de eodem utrumque intelligere non dubito, quamvis diverse ab utroque exponatur. Locus hic Varronis egregius, quem produximus, corruptissimus extat apud Nonium (pag. 547. Merc.), et confusus cum altero eiusdem auctoris, qui priore loco citatur. Nam ita legitur apud Nonium ubi explicat quid sit Trulleum, non quae luxuriae causa esse parata; eius urceolum aquae manalem vocamus. Legendum enim: *Non quae luxuriae causa essent parata*; et XI.: *Urceolum, aquaemanale vocamus*, etc. Sed fallitur Varro in etymologiis, et saepe, etiam aliquando prudens sciens. Nam non a manando, sed a manibus dictum; estque id vas quod postea aquimanile vocatum; ut librale et librile utrumque dicebatur. Glossarium: *Aquimanile, χέρνιβον Distortius*, in Pandectis Florentinis lib. III. de supell. leg. *Aquiminale Scal.* Non a manando ut putat Paulus, sed a Diis manibus. Et non male forsan Scaliger qui legit: *Manale putabant esse ostium Orci.* Manal seu manale eleganter ostium manium, ut manale sacrum, sacrum Deorum Manium, tamen nihil mutandum. *Dac. Manal*

vel *Manale* vel *Manalia* apud Nonium in *Trulleum* (pag. 547. Merc.) ut sit ostium Manium et Orci. *Goth.* *Orci ostium.* Ethnici Orci ostia collocabant iis potissimum locis, quae foeditatem odoris exhalabant. Verbi gr. in Averno lacu Cic. Tusc. I. Plaut. Trin. (II, 4, 124.): *Acheruntis ostium in nostro est agro.* Lucret. (VI, 762.): *Ianua nec puteis orci regionibus illis Credatur.* *Idem.* *Manalem etiam.* Fulgentius: *Labeo, qui disciplinas Etruscas, Tagetis, et Bacidis quindecim voluminibus explicavit, ita scribit: Fibrae iecinoris sandaracei coloris dum fuant manales tunc verrere opus est petras.* Deinde Fulgentius explicat: *Hac est*, inquit, *quas antiqui solebant in modum cylindorum per limites trahere pro pluviae commutanda inopia.* *Scal.* Vide supra *Aquilices.* Non. in v. *Manalis lapis* (pag. 547. Merc.) et Fulgentium (pag. 559. Merc.). *Goth.*

Manubiae. Sic Iovis fulmina Etrusco vocabulo dicta sunt, vel Graeco, ut quidam volunt, a verbo scilicet μανύω, *ostendo* et βία *virtus, potentia*, quia iis Iupiter potentiam suam ostendit. Fulminum autem multa fuisse genera finxerunt veteres, et eorum tria tantum Iovem eiaculari, quae vocarunt *manubias*, candidas scilicet, rubras et atras; candidas quidem, consilii, quae monitoriae placidaeque seu laetae, quare id solum fulmen placabile dixit Seneca alicubi; rubras vero auctoritatis, quae diis inferioribus consciis cum fragore veniebant vulneraque infligebant, tamen sine cuiusquam caede; tertias denique, id est atras, status dicebant, quae Deorum etiam superiorum consilio praeter expectationem omnium superveniebant, ignitaque violenter discutiebant adurebantque non sine significatione status publici privatique mutandi, saepiusque cum hominum clade. Neque prorsus absque ratione dixisse veteres videntur primas manubias solius Iovis consilio fieri, cum eae innoxiae, de natura scilicet planetae Iovis qui benignus est: ad secundas vero adhiberi Deos minores, quos ego interpretor planetas Iove inferiores, quare eae etiam violentiores. Ad tertias denique vocari Deos superiores i. superiores stellas, quapropter eae etiam violentissimae et non sine hominum clade. Et ad hanc manubiarum rationem respexisse videtur Tamerlanus qui in obsidione urbium primo die candido tentorio utebatur, ut impunitatem sese dedentibus ostentaret; die sequenti rubro, quo principum tantum caedem futuram significabat; tertio die tandem atro tentorio omnium internecionem pollicebatur si urbs caperetur. Etsi illud alio possit referri ut et illa de manubiis quae a me supra posita sunt. Verum super vario fulminum genere, ita a veteribus lascivitum est, ut quaecunque ab iis tradita sunt, pleraque somnia potius ac deliramenta, quam physica axiomata sive metaphysica videantur, quae ego ne chartis illinam. Vide si lubet Senec. lib. II. Natural. quaest. Plin. lib. XI. hist. nat. cap. 52. et Servium ad illud in Aeneid. *Disiecitque rates.* *Dac.* Adde infra *Peremptalia*, de manubiis. Adde Nonium in *Manubias* (pag. 138. 432. Merc.). *Goth.* *Dicuntur.* Creduntur. *Placideque.* Placatae. *Superarunt.* Superorum. *Idem.*

Manias. *Maniae.* Non solum terriculamenta infantium, sed et lactentium deos praesides ita vocabant. Itaque et Varro *Cuninam* et *Ruminam* inter Manias censet. Cuius haec verba: *Cato de liberis educandis: Hisce Maniabus lacte fit non vino; Cuninae propter cunas: Ruminae, prapter rumam* etc. Male apud Nonium *manibus.* *Scal.* *Maniae* figurae quaedam ex farina a nutricibus fictae ut terriculamenta infantibus obiicerent; *maniae* dictae a *mania* Deorum manium matre vel avia. Glossae Isidori: *Maniae formidinum imagines.* Erant et Maniae Deae lactentium praesides; itaque Varro Cuninam et Ruminam inter Manias recenset. Quod infra legitur: *Id est manes quos*, paulo aliter in sched. *Id est manes Deos Deasque, qui aut ab inferis ad superos manant; aut Mania est eorum avia materna, sunt enim* etc. *Dac.*

Manceps. Quod manu capiatur; imo capiat; ita ergo repone. *Scal.* Est autem quasi *manuceps*, quia manu sublata se pluris esse licitatum significabat. Sublata enim manu vel digito licitationes fiebant. Cic. III. in Verr. (I, 54.): *Accurrunt tamen tutores ad tempus, digitum tollit Iunius patruus.* Quae in fine posita, sic legenda sunt: *Quam is pro quo praes factus est;* ut viri docti. *Dac.* Adde *Mancipatio* et supra *Emancipatio.* V. l. 3. Cod. quibus iunioribus. lib. X. *Goth.* *Capiatur.* Capit, conducit. l. 52. ff. locati. *Idem* *Praes.* Adde infra *Praes.* *Pro eo.* Pro quo. *Idem.*

Manduci. *Manducus.* L. m. manduci effigies in pompa antiquorum inter ceteras ridiculas, formidolosasque res ire solebat. *Fulv. Urs.* Locus Plauti Rudent. II, 6, (51.):

Ch. *Quid si aliquo ad ludos me pro manduco locem?*
La. *Quapropter?* Ch. *Quia pol clare crepito dentibus.*

Hunc μορμολυκεῖον Graeci vocant. De eo intelligendus hic locus Iuvenalis Sat. III. (v. 175.):

— — *tandemque redit ad pulpita notum*
Exodium: cum personae pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans.

Vide *Citeria* et *Petreia.* *Dac.* *Clare.* Quia pol clare. *Goth.*

Mancini tifata. Mancini fana. Vetus editio, *Mancini Tifata.* Quare ergo mutatum est? *Tifata* sunt *iliceta.* Ita ergo in suas sedes, unde vi deiecta erat haec vox, restitui iubeo. *Scal.* Haec autem potentes, domos maxime commendabant. Horat. Od. 10. lib. III. (v. 5.):

Audis quo strepitu ianua, quo nemus
Inter pulcra situm tecta remugiat
Ventis.

Quem locum utinam ne attigisset vir elegantissimus Tan. Fab. qui rescribendum esse contendit *queis nemus.* Nempe *queis ventis.* Nam sic loci venustas perit, et sonat aliquid quod eruditas aures vulnerat. Huius loci ἑξῆς erat: *Audis quo strepitu ianua, quo strepitu nemus remugiat ventis.* Ita ut *strepitu* et *remugiat ventis* repetantur ἀπὸ κοινοῦ. Atque id ego quidem eo libenter et studiose moneo, ut a quo vulnus ab eodem remedium etiam videatur allatum. Nihil enim in hisce litteris delicatioribus possum, si possum aliquid, quod non viro illi acutissimo meique amantissimo acceptum debeat referri. *Dac.*

Mamercus. A Mamerte Mamercus, ut a Marte Marcus. Inde Mamercus Aemilius Dictator. M. Aemilius Mamercus. L. Aemilius Mamercus Cos. *Dac. Appellant.* Dicunt. *Goth.*


Mamphula. Ego scio in Hebraeorum commentariis *Mamphul* esse mancipem pistrinorum, depravatum a Graeco μονοπώλης. Neque dubito, quin Mamphula in traduces Syriacae linguae ex matrice Graecia propagata sit. Sic in Daniele vetustissimo scriptore Graecum est psanterin pro psalterio; sic in Paralipomenis, seu Chronicis Rhapsod. παρὰ τὸ ῥαψωδεῖν. Versus Lucillii ita legito:

Pistricem validam si nummi suppeditabunt,
Addas empleuron, mamphulas quae sciat omnes.

Non solum validam dico, sed quod magis est, ἔμπλευρον. *Scal. Mamphula,* genus operis pistorii. Versus Lucilii: *Pistricem* etc. Hoc est: *Si nummi suppeditabunt pistricem validam, imo et quod magis est ἔμπλευρον quae sciat omnigeneris mamphulas condire, efficere.* Hunc locum Lucilii intellexit Varro lib. IV. de L. L. (p. 140. Sp.): *Inde pistor vel Lucilii pistrina et pistrix.* Nunc illud negotium facessit, nempe quod e Verrio dicit Festus *mamphulam* dictam *quod decidat in carbones,* et sane verisimilis Francisci Iunii coniectura qui censet esse a verbo *Naphal* i. e. cadere. Neque ab eo dimovere debet Scaliger, qui censet Mamphulam in Hebraeorum commentariis esse mancipem pistrinorum, ac ut multa alia Syriaca, ita hoc a Graeco fonte venire puta a μονοπώλης, nam certum est Mamphulam hic Lucilio non pistricem, sed opus pistorium significare. Praeterea, ut optime Voss. non pistrinorum duntaxat, sed etiam aliorum erant monopolia adeoque in Hebraeorum commentariis mancipibus pistrinorum a pistorio hoc opere mamphulis nomen fuisse magis verisimile est. *Dac. Pistricem.* Dixi ad Varronem lib. IV. (l. c.) *Valida.* Validam. *Addas.* Nunc addam. Vel: ad classem. *Goth.*

Municeps. Vereor ne legendum sit: *Item, quem municipium a servitute liberavit.* Varro de Latino sermone lib. VII. (pag. 100. ed. St.): *In hoc ipso analogia non est: quod alii nomina habent ab oppidis, alii aut non habent, aut non, uti debent, habent; habent plerique libertini a municipio manumissi. Scal. A munere capiendo municeps.* Municipii liber civis, unde in Gloss.: *Municeps,* πολίτης. *Item qui ex alio genere hominum,* id est, quivis homo sive in municipiis, sive alibi natus, modo qui munus functus sit. *Dac. Item qui in municipio.* Legebat Scaliger: *Item quem municipium a servitute liberavit;* ex Varrone lib. VII. Vides libertinos a municipio manumissos, qui postea municipes dicti. Sed et altera Festi lectio defendi potest. *Idem. Item municipes qui ex al. Civit.* Municipiorum duo fuere genera: primum eorum qui ex municipiis ad civitatem Rom. admissi, muneris tantum honorarii Romanis participes fiebant, sine suffragii iure; hoc est, qui tantum honoris causa in civitatem Rom. venientes gradum aliquem dignitatis consequebantur, ut cives Rom. non in auxiliis, ut socii, militarent. Iique suis legibus vivebant. Gell. lib. XVI. cap. 13.: *Municipes sunt cives Rom. ex municipiis suo iure et legibus suis utentes, muneris tantum cum pop. Rom. honorarii participes, a quo munere capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi Rom. lege astricti, cum nunquam populus eorum fundus factus esset.* Alterum autem municipiorum genus eorum erat quibus cum suffragii latione civitas est data, ita ut suis legibus spoliati Romanis astringerentur. Hi omnia iura habebant, quae cives Rom. excepto iure domicilii. Hos intelligit infra Paulus cum scribit: *Alio modo cum id genus hominum definitur, quorum civitas universa in civitatem Rom. venit, ut Aricini, Caerites, Anagnini* etc. *At Serv. filius.* Servium Sulpicium filium intelligunt viri docti. Sed in schedis scriptum est *Servilius.* Forte is P. Servilius augur, quem in *stellam* laudat Festus. *Dac. Municeps.* Πολίτης. Adde l. 1. §. ff. ad Municipalem. *Goth. Item qui in municipio a servitute se liberavit.* Item quem municipium a servitute liberavit. Nam

et ita Varro VII. de L. L. (p. 100.) a municipio manumissi. *Goth.* Niebuhr. Histor. Rom. II, p. 66. not. 112. In diesem Servius ist wohl der vielverheissende Sohn des grossen und beredten Rechtsgelehrten zu erkennen, dessen sein väterlicher Freund mehrmals gedenkt, wie Epp. ad div. IV, 3. Was hier gemeldet wird, war mündliche Lehre (aiebat); hat er vielleicht überhaupt kein Buch hinterlassen, so konnte er im Auszuge des Paullus um so eher übergangen werden.

Mamurii Veturii. Viri nomen proprium multi faciunt quos sequitur Festus. Quidam Mamurium Veturium aiunt esse veterem memoriam. Varr. lib. V. (pag. 53. ed. St.): *Itaque Salii qui cantant Mamurium Veturium significant veterem memoriam.* Sed Festo potius assentiar. Nominabant autem Romani Mamurium Veturium in carmine Saliari boni ominis causa ut et Luciam Volumniam. Ancilis historiam plerique scriptores tradunt. Quod de eius etymo addit Festus. Ancile dictum quia ex utroque latere erat recisum, ut summum infimumque eius latus medio pateret; id probatur ex Plutarcho qui scribit in Numa (c. 13.): Ἀγκύλια καλοῦσι διὰ τὸ χρῆμα, κύκλος γὰρ οὐκ ἔστιν, οὐδὲ ἀποδίδωσιν, ὡς πέλτη, τὴν περιφερείαν, ἀλλ' ἐκτομὴν ἔχει γραμμῆς ἑλικοειδοῦς, ἧς αἱ κεραῖαι καμπὰς ἔχουσαι καὶ συνεπιστρέφουσαι τῇ πυκνότητι πρὸς ἀλλήλας ἀγκύλον τὸ σχῆμα ποιοῦσιν. Quod ut facilius intelligatur, en tibi Ancilis  formam, qualem fuisse coniicio. *Dac.*

Cantibus. Carminibus. *Latius.* Latus. *Goth.*

Mamers. Sive Oscorum vocabulum sit Mamers, sive Sabinorum ut vult Varro, certum est eos a Graecis sumpsisse quibus μαμερτὸς dicitur, Lycophron. Pro *Mamers* dixere *Mavers* unde *Mavors*, *Mavortius.* *Dac.* *Mamertini* appellati sunt Messinenses hac de caussa. Vid. Strabo lib. VI, (pag. 268.). *Goth.*

Martialis. Ad verbum Ovidius in Fastis III, (519.):

Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curvis in latus urget aquis.
Qui tamen eiecta si forte tenebitur unda:
Caelius accipiet pulverulentus equos.

Scal. *Martialis campus;* vide *Equiria.* *Dac.*

Mamiliorum. De Octavo Mamilio Tusculano Superbi genero, qui Latini nominis princeps, et a Telegone Ulyssis, et Circes filio genus ducere dicebatur, Livius lib. I. (III, 29.) Dionys. lib. IV. primus civis Romanus ex hac familia L. Mamilius, C. Nautio, L. Minutio cos. Liv. lib. III. Vide *October equus.* *Ant. Aug.* *Mamiliorum familia.* Mamilia gens Plebeia fuit et a Mamilia Telegoni filia nomen et originem traxisse scriptores fere omnes consentiunt. Telegonus autem Ulyssis et Circes filius Tusculum in Latio condidit, quod ideo Circaeum vocavit Horat. (Epod. I, 30.):

Nec ut superni villa candens Tusculi
Circaea tangat moenia.

Dac. Manilio Telegoni filio. Ita legendum. *Goth.* *Condidisset.* Est appellata. *Idem.*

Mamilia. L. m. *Suburae* habet pro *Saburae.* Haec Pauli sunt. *Fulv. Urs.* *Mamilia turris* vide *October equus.* *Dac.* *Saburae.* Suburae. *Goth.*

Mamphur. Quod est sucula in machina tractoria, id *mamphur* in torno. Graecum est μαννοφόρον, quia circumvolutum habeat lorum, ut callum monile, quod μάννον et νάννον vocant Graeci. *Scal.* Schol. Theocrit. Idyl. II.: Μάννον τὸ περιτραχήλιον κόσμον, τὸ λεγόμενον μαννάκιον. *Dac.* *Mamphur.* Mimphur. *Goth.*

Mansuetum. Proprie de feris dicitur quae manum patiuntur quasi manu, i. *manui suetum.* *Dac.* Vid. Nonium in *Mansuetus* (pag. 59. Merc.). *Goth.*

Mantare. Verba Caecilii ita legenda:

— — *Iam ohe adeo; manta iam; hoc vide*
Ut caecus animum adventus angit.

Scal. Plaut. Poenul. I, 2, (52.):

Quia herus nos apud aedem Veneris mantat,

et alibi saepe. Schedae: *Iam ne adeo; manta* etc. *Dac.* Vid. Nonium in *Mantat* (pag. 505. Merc.). *Goth.*

Manticularia. Quae ad manum sunt καὶ πρόχειρα a manticulis ducta similitudine, quia cum iis manus extergeantur, ut frequenter manibus adhaereant necesse est. *Dac.*

Manticulari. Manticularum. Quot verba Pacuvii, totidem fere monstra errorum; et tamen pulcherrimam prisci sermonis notionem in se continent. Age igitur ita legamus: *Pacuvius:*

Ad manticulandum astu aggreditur; scite quid prome, erue.

Item:

Educ, i, manticulator. Ita me facti oppressit iugo.

Item deinde:

Aggreditur astu regem; manticulandum est hic mihi.

Et:

— — — Machinam ordiris novam,
Manticulatam astu, sanctiora adicis
Iuraiuranda — — — —

Planius hoc significare videtur:

— — quibus quotidie
Parvae noxae extergeantur.

Planius, inquit Festus, *hoc significare videtur,* et quasi notionem verbi in eo quod sequitur: *Quibus noxae extergeantur.* Hoc est illis verbis etymon verbi manticulari expressit Pacuvius, cum extergendi significatum adiecit. Nam mantilibus extergentur manus, quae antiquitus dicebantur *Manticulae.* Unde *Manticularia* quaecumque erant ad manum, καὶ πρόχειρα vocabant, quia nihil magis ad manum, quam Mantile. Sed verba Pacuvii coniungamus:

Machinam ordiris novam, manticulatam astu.
Sanctiora adigis iuranda iura, quibus cotidie
Parvae noxae extergeantur. — —

Pro *dicis* emendavimus *adicis,* quod dicebant pro *adigis.* Notum est, quid sit *adigere aliquem iusiurandum,* et quid Graecis ἐπακτὸς ὅρκος; eleganter et quasi γνώμῃ παροιμιώδει definivit iusiurandum. Quid est iusiurandum? mantile, quo quotidianae noxae extergentur. Quod fere, quamvis alia allegoria, extulit Laberius:

Quid est iusiurandum? emplastrum aeris alieni.

In illo versu, *Machinam* etc., deest finis; in eodem traiecta erant ex divulsione membra *manticula tactu an:* pro *manticulatam astu.* In illo versu, *Educ, i,* verba illa, *ita me facti oppressit iugo,* idem valent ac Plautinum illud: *Ita me in ipso articulo oppressit.* In illo versu: *Aggreditur:* tertia a principio producitur, unde indefinito modo, *Aggrediri.* Spero equidem huius tam egregii loci a nobis restituti candidos lectores gratiam relaturos. Sed illud praetereundum non est, quare iureiurando dixit extergeri noxas quotidianas. Allusit ergo ad satisfactiones, quae fiebant, cum in gratiam redibatur; eius exemplum habes apud Plautum Amphitruone (III, 2, 50.):

Mane; arbitratu tuo iusiurandum dabo:
Me meam pudicam esse uxorem arbitrarier.
Id ego si fallo, tum te summe Iuppiter
Quaeso, Amphitruoni ut semper iratus sies.

Et mos exigendi id a laesis, seu iniuria affectis, extat in eadem fabula (III, 2, 8.):

Aut satis faciat mihi, atque adiuret insuper,
Nolle esse dicta, quae in me insantem protulit.

Ex his luculenter illustratur insignis locus Pacuvii. Habes et in Adelphis Terentii. *Scal.* Manticae et diminutive, Manticulae, Zonae quibus instar perae veteres utebantur, et inde *manticari* et *manticulari* furari et dolose agere. Gloss.: *Manticularius,* κλέπτης. *Manticulor,* τεχνάζομαι. Item dolose tentare. Gloss. Graeco-Lat. πειράζω, *tento, manculor.* Dicebatur etiam et *manticulare.* Gloss. Isidor.: *Manticulare, fraudare vel decipere.* Nisi ibi etiam *manticulari* sit rescribendum. Sed nihil necesse. Gloss. Arabico-Lat.: *Manticulatio fallacia vel lenocinium.* Imo etiam videri potest *manticulari* dictum fuisse pro mantilia sive manticulas colligere, i. res furtivas convasare, quo sensu fere Galli dicunt, *plier la toilette.* Quod et *manuare* dixit Laberius a *manuis,* i. e. manipulis. Gloss.: *Manua, manipulus.* Item Gloss. Graeco-Lat.: *Δράγμα, manipulus, manua, dragma. Dac.* *Extergeantur.* Adde ex schedis: *Frequens enim antiquis ad manus tergendas usus fuit manticularum.*

Dac. Extergeantur. Manticulae igitur etymon a mantilibus seu manticulis quibus manus extergentur. Nisi hoc verbo *mantile* quis putet iuramentum hic proverbialiter definiri, quod iuramento quotidianae noxae extergeantur. *Goth.*

Mantisa. Non est Tuscum, sed purum putum Latinum; *mantisa* pro *manutensa*, ut *manterium* Varroni (pag. 61. Steph.) pro *manuterium. Tesum* antiqui pro *tensum* dicebant, et *pesum* seu *pessum* pro *pensum*, et *passum* pro *pansum*. Igitur *Mantisa* seu *Mantissa* quod melius est, et exstat in quibusdam veteribus editionibus, dictum pro *Manutensa*, pro eo quod manu porrigitur, praeter id, quod ad pondus exigitur, ut sit mantisa caro, vel mantisa merx, χειρότονον κρέας. Porrigitur enim manu, non datur pondere. Porro mantisam, pro mantesam dictum non mirabitur, qui scit veteres pertisum pro pertesum, et similia dixisse. *Scal. Tusca.* Osca; imo Latina, pro *manutensa*, quod manu porrigatur, unde mantesa et mantessa. *Goth.*

Malleoli. Malleolorum incendiariorum mentionem facit Nonius (pag. 556. Merc.) ex Sisenna, et alii. Dicebantur Graece ἀστίοχοι. Glossae Hesychii: Ἀστίοχος, ἄγγος περιφερὲς, εἰς ὃ ἐγχέοντες πίσσαν, τὸ θεῖον καὶ στυπεῖον, ἠφίεσαν· καὶ ἔνθα ἐφέρετο, ἔκαιε τὰ προστυγχάνοντα. Ἔστι δὲ καὶ γένος λίθου καὶ ξηροῦ ξύλου καὶ πεπισσωμένου. Ultima exprimunt notionem Malleoli. Glossarium: *Malleolus*, σφῦρα, πυρέκβολα. *Scal. Malleoli*, parvi mallei sive ferrei, sive lignei quibus ferrum et alia tunduntur. Sunt etiam manipuli Spartei forma quadam mallei legati et pice aut sulphure contacti, qui incensi aut in muros aut in testudines iaciuntur. Sisenna Histor. lib. IV. (apud Non. pag. 556. Merc.): *De quibus partim malleolos partim fasces sarmentorum incensos supra vallum frequentes. Dac. Videlicet.* Scilicet. Glossae alio loco: πυρίβολα. *Goth.*

Mollestras. Sic Latini vocabulum Graecum depravarunt, et e μηλωτὴ quod pellem ovilem significat, *mollestram* interpolarunt. Turneb. lib. III. cap. 11. et lib. XIX. cap. 24. Melota; postea *melotra*, *s* inserto, *melostra*, *molestra*, geminatis literis *mollestra. Dac. Oviles.* Ovillas, vel ovinas. *Goth.*

Malta. Maltha. Glossarium: *Maltana*, πισσόκηρον. *Scal.* Ex cera et pice liquida, unde et glossario exponitur πισσόκηρον. Hesychius μεμαλαγμένον κηρὸν vocat, mollitam ceram; a μαλάσσω, μαλθάσσω, unde et latinum nomen *Maltha.* Alii Maltham describunt ex pice et unguine sive sevo calce minutatim superadiecta. Vide Palladium lib. I. cap. 17. et Plin. lib. XXXVI. cap. 24. *Dac. Maltha.* Hic pro pice sumitur; apud Nonium (pag. 37. Merc.) *maltha* mollis. Glossis: *Maltana*, πισσόκηρον. Aliis malthana. *Goth.*

Meson. Scribendum per diphthongum *Maeson.* Quae huc pertinent, tam quae de notione huius vocis, quam de Aristophane Grammatico, huc ex Athenaeo coniicere libuit: Ἐκάλουν δὲ οἱ παλαιοὶ τὸν μὲν πολιτικὸν μάγειρον μαίσωνα, τὸν δὲ ἐκτόπιον τέττιγα. Χρύσιππος δὲ ὁ φιλόσοφος τὸν μαίσωνα ἀπὸ τοῦ μασᾶσθαι οἴεται κεκλῆσθαι, οἷον τὸν ἀμαθῆ, καὶ πρὸς γαστέρα νενευκότα· ἀγνοῶν ὅτι μαίσων γέγονε κωμῳδίας ὑποκριτὴς μεγαρεὺς τὸ γένος. Ὃς καὶ τὸ προσωπεῖον εὗρε τὸ ἀπ' αὐτοῦ καλούμενον μαίσωνα, ὡς Ἀριστοφάνης φησὶν ὁ Βυζάντιος, ἐν τῷ περὶ προσώπων, εὑρεῖν αὐτὸν φάσκων καὶ τὸ τοῦ θεράποντος πρόσωπον, καὶ τὸ τοῦ μαγείρου, etc. *Scal.* Vide Hesych. in μαίσω et τέττιξ. *Dac. Moeson*, alii *Maeson. Mesne.* Moesone. *Goth.*

Maeniana. In aliquo libro est a Maenio Censore. Fuit autem C. Maenius P. F. P. N. Censor cum L. Papirio Crasso anno CDXXXV. Hic triumphavit de Antiatibus, aliisque priscis Latinis; quamobrem ei columnam datam esse Plin. scribit lib. XXXIV. cap. 5. cum Festo consentiunt Nonius, et Isidorus. *Ant. Aug.* Maenianum ἐξώστης. *Menianus* ἐκθέτης. Glossae. *Scal. Maeniana.* Haec sunt Pauli. Quae Festus scripserat, inveni in schedis, quas editio Romana Fulvii Ursini repraesentat. En tibi: *Maeniana appellata sunt a Maenio Censore qui primus in foro ultra columnas tigna proiecit quo ampliarentur superiora spectacula.* Maenianorum meminit Cicero Academ. quaest. lib. IV. (II, 22.): *Interim ille cum aestuaret, veterum ut Maenianorum sic Academicorum viam secutus est.* Nominis causam docet Ascon. in divinat. (pag. 36. ed. Lugd.): *Maenius*, inquit, *cum domum suam venderet Catoni et Flacco Censoribus ut ibi basilica aedificaretur, exceperat ius sibi unius columnae super quam tectum proiiceret ex provolantibus tabulatis, unde ipse et posteri eius spectare munus gladiatorum possent, quod etiam tum in foro dabatur. Ex illa igitur columna maeniana vocitata est.* Idem vetus interpres Horatii lib. I. Sat. 3. adducens illud Lucilii: *Maenius columnam cum peteret.* Quod ad normam versus sic facile reducas ut Iano Douzae olim suboluit: *Columnam Maenius cum peteret*, vel *cum exciperet.* Porro ut Maenianorum rationem et modum discas pone tibi ob oculos hodiernas nostras casulas quas vulgo vocamus *loges*; unde spectantur ludi, puta tragoediae, choreae, opera musica etc. Nam eadem plane res est. Neque tamen a Maenio dicta maeniana, sed a *moenia* quae sunt περίβολοι ut optime olim magnus Salmasius. Nam *maenianum* proprie περίβολον sive podium in circuitu Solariorum positum ne facilis in praeceps lapsus esset: qua voce etiam Latini usi sunt, qui peribulum pro Maeniano dixere; optimae glossae, *peribulum* πρόφορον.

Prophorum autem nihil aliud est quam proiectum provolans, sive solarium, sive planum tectum ex transversis et provolantibus tabulatis per circuitum corona munitum, idem chalcidicum dictum, hyperoon et pergula. Adiiciebatur aliquando foribus et porticibus ut hodie balcones nostri, et inde in foro spectacula illa unde spectabantur ludi, ut casulae illae nostrae, moeniana etiam dicta; plura vide apud Salmasium in Aelio Spartiano. *Dac.* *Meniana* Nonio (pag. 65. Merc. ubi nunc legitur *Maeniana*). Adde Varronem. L. 20. ff. de servitut. urbanor. l. 2. §. cum quidam. 6. Ne quid in loco publico. l. 242. ff. de verb. sign. 35. Plin. 10. et 34. c. 6. 9. Valer. 12, 15. Isid. 3. In lege Meniana c. de aedificiis privatis. *Goth.*

Maior Graecia. (Ad pag. 168.) Quare Graecia dicta sit, non dubitatur, sed quare maior Graecia. Certissimum est, ita vocatam a Romanis, quia propior ea esset illis, quam transmarina Graecia, quemadmodum contra Graecos Italos ipsi Graeci transmarini vocabant ἐξωτικούς, id est, barbaros. Nam Messenio servus apud Plautum (Menaechm. II, 1, 11.) vocat *exoticam Graeciam*, quam Romani maiorem Graeciam non quidem ex persona sua; nam erat Siculus, neque vocasset consulto se ipsum barbarum, sed μιμητικῶς ex persona Graecorum ipsorum, qui Siculos et Calabros vocabant Ἕλληνας ἐξωτικούς; ut Plautus cum se vocat barbarum, et barbariam Italiam, non ex consuetudine Romanorum dicit; quis enim sanus se barbarum vocet? sed ex persona Graecorum, qui βαρβάρους καὶ ἐξωτικοὺς Italos vocabant, quod etiam ex Plutarcho in vita Pyrrhi cognoscimus. Ego hoc monui de exotica Graecia, ne forte Turnebum sequamur et auctoritate tanti viri permoti imprudentes eundem lapidem offendamus, qui exoticam Graeciam non de ea quae dicta est magna Graecia, sed illam, quae in Epiro erat, intellexit, in quo profecto non leviter erravit. *Scal.* Quid magnae sive maioris Graeciae nomine veteres intellexerint, non satis convenit inter auctores. Festus ait Italiam dictam; Athenaeus omnem fere Italiam. Strabo Siciliam et eam partem Italiae, quae Siciliae obversa est. Plinius Italiae tantum partem aliquam. Servius a Tarento usque ad Cumas; Seneca totum Italiae latus quod infero mari alluitur. Quare autem Graecia dicta sit, non dubitatur, sed quare maior Graecia. Scaliger recte quidem Graeciam exoticam, Italicam Graeciam sive maiorem Graeciam interpretatus est; sed falsum ita eam dixisse Messenionem ex persona Graecorum, neque enim antiquitus ita foeda res erat se ipsum vocare barbarum sive exoticum, ut nemo sanus se eum esse profiteretur, cum *barbarus* et *exoticus* nihil aliud sonarent quam *extraneus*, *alienigena.* Illud olim pluribus exemplis ostendam apud Plautum ipsum favente Deo. Nunc de maiori Graecia. Nunquam sane maiorem errorem erravit Scaliger quam cum ait eam a Romanis ita dictam, quod propior esset eis quam transmarina Graecia, ridiculum enim sit duarum urbium cognominum alteram vocare maiorem, quod a nobis propior absit. Peccavit igitur Scaliger, et iterum etiam cum ait a Romanis ita dictam fuisse. Nam certum est a Graecis ipsis nomen inditum, adeoque ab ipsis maiorem Graeciam vocatam ut ipsius soli praestantiam significarent. Utrumque probat Plin. cum Italiam dilaudans ita scribit: *Ipsi de ea iudicavere Graeci, genus in gloriam suam effusissimum, quotam partem ex ea appellando magnam Graeciam.* *Dac.* Adde Festo: *vel quod propior Romanis esset transmarina Graecia.* *Goth.*

Maesius. A quo postea *maius.* Ergo hic mensis ante Romam conditam fuit, quare falsum est eum a maioribus Romuli nomen traxisse, ut voluit Varro. Osci enim, qui oram Campaniae maritimam tenebant, sic eum ante Romam conditam vocavere. Vide infra in voce *Maius.* Pro *Oscos* alii legunt *Oscor*, alii *Oscorum*, quam postremam ego lectionem unice amplector, cum sciam Oscos partem Campaniae tenuisse, ut ex Strabone et aliis notum est. Imo etiam et ab ea parte Campaniae, quae serpentibus abundaret *Opici* prius, postea *Osci* dicti sunt. Quare emendabis obiter illud Servii VII. Aen. (730.): *Oscorumque manus. Capuenses dicit qui ante Osci appellati sunt, quod illic plurimi abundavere serpentes.* Rescribe *qui antea Opici.* Opici enim prius dicti ab ὄφις *serpens.* Nunc Festi verba satis aperta. *Dac.*

Maius. (Ad pag. 168.) Ausim affirmare me veram lectionem assecutum in corruptissimo fine huius loci: *An a Maia, quod Mercurio Filio eius res divina idibus fiat eo mense.* Nam sine ullo prorsus dubio inversae sunt literae in *solemnes* pro *ipso mense;* quia principium τοῦ *ipso* cohaesit cum fine praecedentis τοῦ *fiant.* Haec est ni fallor vera lectio. *Scal.* Ante Romam conditam fuit, ut supra in *Maesius;* quare facile adducor ut credam a *mnesius* detracta litera *s* factum *maeius* postea *maius.* A Maia tamen Mercurii matre nomen traxisse scribit Ovid. (Fast. V, 104.):

At tu materno donasti nomine mensem
Inventor curvae, furibus apte, fidis.

Quanquam idem alibi vel a *maioribus* ut *iunium* a iunioribus dictum putat, vel a maiestate honoris et reverentiae filia. Quae hic desunt, sic expleri possunt: *An a Maia quod Mercurio filio eius res divinae idibus*

fiant solennes, an quod ipsi Deae in multis latinis civitatibus sacrificia fiebant ipso mense. Nihil amplius deest. *Dac.* *Iunius.* Vide aliud etymon in v. *Iunium.* *Goth.* *Maius* non dubium est, quin descendat a Sanscrito *mahat*, Germ. *meh*, Graec. *μέγ—ας*, Latino *magis*, unde *maior*, *maximus*; ut enim *maior* propr. est *magior*, *maximus* i. q. *magissimus*, quae fortasse fuerunt formae antiquissimae; sic *Maius* est *Magius*, Osce *Maesius*, sive *Mesius*. Erit igitur *Maius* qui *magit*, h. e. crescere facit fruges. Contra *Iunius* a splendore solis dictus est, qui illo mense esse videbatur summus. Adde quae supra diximus ad v. *Iunium*.

Maiestas. Ab antiquo *maius* pro magnus, *maiestas*, magnitudo. *Dac.* Glossis *μεγαλειότης*. *Goth.*

Maior magistratus. Graeci vocant *ὕπατον* quasi dicas summum. Nullum enim altius imperium Romae fuit. Ovid. lib. IV. de Ponto. El. 2. (9, 65. seq.):

— — — *nullum Martia summo*
Altius imperium consule Roma videt.

Dac.

Matertera. Matris soror, non quasi *mater altera*, ut putat Paulus, est enim a matre tantum, ita ut *tera* sit vocis productio. *Dac.* L. 10. §. 14. vers. matertera. ff. de gradibus. *Goth.* *Mater.* Matertera. *Idem.*

Maior patruus. Proprie avi non aviae patruus, hoc est proavi frater, ut amita aviae, non avi, amita, hoc est proaviae soror. At maior avunculus, aviae, non avi avunculus, proaviae frater; sed non semper discrimen illud veteres observarunt. Ut hic ex Festo et alibi ex aliis certum est. *Dac.* L. 10. §. 16. vers. patruus maior. ff. de gradibus. *Goth.*

Maior socer. Vide *maiorum socrum.* *Dac.*

Maeandrum. Etiam picturae in lacunaribus propterea *μαίανδροι* dicuntur. Inde Maeandratum. Varro *ταφῇ Μενίππου, ἢ περιέχον τὰς ταριχείας.* *Mihi facies maeandrata, et vermiculata, atque adeo cingens orbem terrae.* *Scal.* Maeandrum fluvium Lydiae maxime flexuosum fuisse e veteribus certum est. Ab eo in vestibus et in pictura maeandros dicimus, quidquid flexuose ad instar Maeandri vel ponitur vel pingitur ut purpuram flexuosam, et in se remeantem in Chlamyde de qua Virg. (Aen. V, 250.):

Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Maeandro duplici Meliboea cucurrit.

Ubi Servius: *Erat in chlamyde flexuosa et in se remeabilis purpura, in modum Maeandri fluminis Cariae provinciae, qui sinuosus est.* Ab eo etiam Maeandri dicuntur vafra et obliqua consilia, *des detours.* Cicero in Pison. (22.): *Quos tu Maeandros et quae diverticula flexionesque quaesisti.* Vide doctissimum paroimiographum in voce *Maeandros.* *Dac.* *Maeander* Nonio (pag. 140. Merc.), inde maeandrata facies apud eundem. *Goth.*

Maecia. Huius meminit Livius lib. VIII. (c. 17.): *Eodem anno census actus. Tribusque propter eos additae Maecia et Scaptia.* Meminit et Cicero ad Atticum (IV, 15.) et pro Plancio (c. 16, 38.). Dicta autem Maecia a Maecio castro quod non procul a Lanuvio fuit. *Dac.*

Mansucium. Al. *mansucum*, pro *manducum* *d* mutato in *s*, quod rarissimum est. *Manducus* et *manduco*, edax, a mandendo vel manducando. In Atellana Pomponii:

Magnus manducus camelus cantherius.

Dac. Locus Pomponii legitur apud Nonium pag. 17.

Mortuus. Quomodo ab emerita vita? an *emeritus emertus*, *emertuus e* in *o*, *emortuus*, *mortuus?* Nugae; a *morior*, *moritus* addito *u morituus*, *mortuus.* *Dac.*

Moracias. A *mora* scilicet voce efficta. *Dac.*

Monimentum. Vel *monumentum*, ut veteres scribebant, quidquid scriptum vel factum memoriae causa, et proprie in defunctorum memoriam, sive cadaver contineat, sive sit inane, quod Graeci vocant *κενοτάφιον*. Varr. lib. V. (pag. 53. ed. St.): *Sic monimenta quae in sepulcris, et ideo secundum viam, quo praetereuntes admoneant, et se fuisse et illos esse mortales, ab eo caetera quae scripta ac facta memoriae causa, monimenta dicta.* *Dac.* *Monimentum.* Momentum. Adde Nonium in *Monumenta* (p. 462.) et *Monimenti* (p. 33.). Adde l. 2. §. 6. ff. de religiosis. *Goth.*

Monitores. Qui in scena monent histriones, dicuntur *ὑποβολεῖς*, et recte glossarium: *Monitor ὑποβολεύς.* In Phormione *Geta monitor* dicitur, hoc est, qui consilium dederat, quem et Graeci dicunt *ὑποβολέα.* *Scal.* *Ὑποβολεῖς* quasi dicas *subiectores.* Phorm. Act. II. Sc. 1. (4.):

O facinus audax! O Geta monitor.

Dac. *Monitores.* Etiam qui opera rustica urgebant. L. 8. ff. de instrumento. Et apud Paullum sentent. 6. et qui dicentibus oratoribus praesto aderant subsidii causa. Cicero in div. (16.) Plin. in paneg. (23, 1.). *Goth.*

Monile. Ornamentum ex auro et gemmis quod ex mulierum collo pendet, quale Polynices Eriphylae Amphiarai uxori dedit, ut Amphiaraum ad bellum capessendum cogeret. Apollod. lib. III. *Dac.*

Momar. Sicula vox, ut etiam ipse notat. *Μῶμαρ* significat *μέμψιν, αἶσχος.* Isidorus in Glossis: *Momar, Siculus, stultus, qui cito movetur ad rem.* Plautus: *Quid tu, o momar, Sicule homo, praesumis?* Ubi non tantum momar, sed et Siculus pro Stulto. *Scal.* Hesych.: *Μῶμαρ, μέμψις, αἶσχος, ὄνειδος, momar, opprobrium, dedecus, crimen.* Plaut.: *Marsiculus qui cito movetur ad iram.* Idem: *Quid ais homo marsicule.* Quae procul dubio ita emendanda: *Momar, Siculus, qui cito movetur ad iram.* Plaut.: *Quid tu, o momar, homo Sicule.* Haec inde corruptelam traxere quod in *homo momar Sicule, mo* prior syllaba vocis *momar* cum *mo* posteriori vocis *homo* coaluit, et unam tantum effecit. *Dac.* Loci Plautini leguntur in Glossis Isidori. Cf. Interpp. Hesych. ad v. *Μῶμαρ.*

Momen. A supino motum, momen, momentum. *Moveo, movimen, momen.* Ut a *luceo, lucimen, lumen;* a *pono, ponimen, pomen,* unde *pomentum,* etc. *Dac.* *Si parvo possent.* Si a parvo possunt. *Goth.*

Modo cum per correptum O. Adverbia in o semper debent corripi, *imo, merito, crebro, cito, sero,* ut distinguantur ab adiectivis nominibus sexti casus, ab *imus, meritus, creber, citus, serus.* Vide in *ergo, modo, quando. Dac.*

Monstrum. Post *monstrum.* Verba Festi dimidiata intelliges ex illis Pauli *monstra dicuntur* etc. *Ant. Aug.* A monendo, monestrum, monstrum, passim apud bonos autores. Cicero tamen a monstrando lib. I. de divinat. (c. 42.): *Quia enim ostendunt, portendunt, monstrant, praedicunt, ostenta, portenta, monstra, prodigia dicuntur.* Idem et lib. II. (c. 3.) de nat. Deor. Sed minus bene. De ostentis, portentis et prodigiis, vide suo loco. *Dac.* V. l. 38. ff. de verb. signif. l. 7. in fin. Cod. de posthumis hered. *Goth.* *Prodigium velut.* Lego: *Prodigium velut prodicium et quasi praedicium. Dac.* *Quod item ab ostendendo dictum est.* Schedae: *Quod item ab ostendendo dictum est ut apud auctores qui monent histriones in scena, sed etiam ubi adiiciuntur commentarii.* Quae diversa sunt. Nam post *dictum est* sequuntur verba Festi de monitoribus quae retractis fugitivis vocibus ita sunt rescribenda: *Monitores dicti sunt qui monent, ut apud autores, qui monent histriones in scena, sed etiam ubi adiiciuntur commentarii.* Nihil certius; quae sequuntur: *Monstra dicuntur* etc. novum caput incohant et Paulo sunt adscribenda. *Dac.*

Molucrum. Afranii verba sunt, qui ita scribant: *Virgini tam crescit uterus, quam gravidae mulieri, vocatur molucrum transit etiam sine dolore.* Gabriel Faernus ita: *Virgini Tam crescit uterus, quam gravidae mulieri: Molucrum vocatur, transit sine doloribus.* Sunt autem senarii duo post verbum virgini. *Ant. Aug.* Scribe *μύλακρον.* Versus Afranii ita legito:

— — — *ferme virgini*
Excrescit uterus, tanquam gravidae mulieri.
Molucrum vocatur; transit sine doloribus.

Et ubi molatur, non, ubi immolatur. *Scal.* Lege: *Non solum quo molae verruntur,* etc. Scopam enim molarem significat, pro *μύλικρον* lege *μύλακρον, μυλήκορον* a *μύλη, mola* et *κορεῖν* verrere. At molucrum, tumor ventris est a *μυλόκρεος,* mola carnis, quae proprie ex semine virili, quare improprie de virginis tumore *molucrum* dixit Afranius. *Dac.* *Μύλικρον. Μύλακρον. Goth.*

Mola. Vide *immolare* et *muries.* In fine *molas avias inepte quidam dictas putant,* certe non capio. Puto rescribendum *molas alias.* Ut dicat Festus inepte facere eos qui molam aliam dictam putant, quam far cum sale. Nihil aliud video. *Dac.* Vide supra *Immolare.* Et Varronem (pag. 141. Sp.). Glossis *molae salsae, μύλαι πεφρυγμέναι. Goth.*

Moles. Lege: *Moliri et molitiones a molendum certum est dici.* Imo potius a molibus est moliri a quo et *molitiones. Dac.* *Molitiones.* Molitores. *Goth.* *Moliendo.* Molendo. *Idem.*

Munus. Vide infra in fine post *myrtea.* Utramque muneris significationem amplexus Varro lib. IV. de L. L. (pag. 143. 178. Sp.): *Et munus quod mutuo animo qui sunt, dant officii causa. Alterum munus quod muniendi causa imperatum, a quo etiam municipes, qui una munus fungi debent, dicti. Dac.* Vid. l. munus. 214. ff. de verbor. sign. *Donum.* Vid. d. l. 214. *Goth.*

Mummiana aedificia. A Mummio qui Corinthum diruit. *Dac.*

Mundus. Haec corrupta, transposita, et male etiam distincta sunt. Lege igitur ex iudicio Merulae apud Ennium: *Mundus appellatur coelum, terra, mare et aer, quia non alius est quam quod moveri potest. Mundus etiam dicitur ornatus muliebris. Attius, cum virginali mundo clam patre. Mundus quoque op-*

pellatur lautus et purus. Ennius, idem loca navibus celsis munda facit nautisque mari quasentibus vitam. Nam integrum versum Ennii descripserat Festus ut odoratus sum ex schedis, ubi *munda facie atque etiam aere Cereris quin. Mundus* igitur ex Festo, Isidoro et aliis quasi *movendus.* A motu perpetuo; sed omnino *mundus* a *munditie* ut Graecis etiam *κόσμος ἀπὸ τοῦ κοσμότητος.* Inde etiam et ornatus mulieris *mundus,* nempe speculum, unguenta, catenae, annuli etc. *Dac. Etiam dicitur ornatus muliebris.* Vide ff. de auro, argento et mundo. Vide Nonium in v. *Mundus* (pag. 214. Merc.). *Goth.*

Munitio. Vetus codex, *Mortificatio;* lege *Morsificatio. Scal.* Forte pro *molitio, o* in *u* et *l* in *n* mutatis. Molere enim est conterere, unde molae dicti etiam dentes qui et molares. Meursius tamen vult *munire* veteres usurpasse pro *mandere cibum;* unde et in illo Plauti in Curcul. (III, 70.):

Vineam pro aurea statua statuam, quae tuo
Gutturi sit monumentum.

Antiquam lectionem *munimentum* restituendum censet, quasi dicat Phaedromus statuam tibi vineam quam gutture absorbeas, quam ingurgites. Sed manifeste contra mentem Plauti, cuius verba sic mire sapiunt: *Au lieu d'une statue d'or, je vous éleverai une vigne pour servir de monument à vostre gosier,* c'est à dire, *à vostre yvrognerie.* Munimentum pro *monumentum;* antique. Infra Scaliger legebat: *morsificatio;* frustra ut optime Meursius; *mortificatio* enim a *mortare,* conterere. *Dac. Munitio.* Molitio. *Morsicatio.* Mortificatio vel mollificatio. Alii morsificatio. Adde Nonium in *Morsicatim* (pag. 139. Merc.). *Goth.*

Muneralis. Lex Cincia de donis et muneribus non omnibus prohibuit munus accipere; sed ob causam orandam, patrociniumve praestandum. Vid. Cicero lib. I. epist. ult. ad Atticum. Tacitus lib. XI. (c. 5.) XIII. et XV. *Ant. Aug.* Leviter immutati Plautini versus (Legitur inter fragmm. ex amissis com. citata, amisso etiam com. nomine) ita legendi:

Neque muneralem legem, neque lenoniam,
Roga, nec fuerit, nec ne, flocci existuma.

Vetabat ob defensam causam donum accipere. Vide epistolam Plinii Iunioris ad Valerianum libro V. Etiam legis mentio non fit. *Scal.* Lex Cincia muneralis sive de donis et muneribus qua cavebatur ne quis ob causam orandam donum munusve acciperet. Eam tulit M. Cincius Tribunus plebis M. Cornelio Cethego, P. Sempronio Tuditano Coss. *Dac.* Vide Ottonis not. ad Cic. de Senect. pag. 29. Ceterum duo versus sunt Plautini, sic describendi: *Neque múneralem légem, neque lenóniam, Rogáta fuerit nécne, flocci aéstimo.*

Munem. A *munus,* munis, immunis. Plaut. Mercat. I, 1. (Prol. 105.):

Dico eius pro meritis gratum me et munem fore.

Ita enim legendum, non ut quidam, *memorem. Dac. Munem.* Pro officio hic. Apud Nonium *Munes* (p. 23.) consentientes ad ea quae amici velint. *Immunis.* Vide supra *Immunis* et *Impetum. Goth.*

Mutae. Festi verba ex iis, quae Paulus conscripsit, intelligimus, ordinem tamen videtur mutasse, namque illa duo verba Festi, *mutum dicimus;* referenda sunt ad oratorem, aut tragoedum. Si quis tamen velit nihil mutare, addere poterit ea, quae Festus scribit iis, quae Paulus retulerat. Mihi prior opinio placet. *Ant. Aug.* Infra. Verba Festi sunt ultima in epitome. Praecedentia supplebis ex ipsa epitome. Nam falso putant docti homines, qua Paulus finit, ea incipere Festum. Antecedentia enim, ut dixi, desiderantur. Quae sequuntur, alio spectant. *Scal.* Vide infra *Mutum.*

Multam. Legendum, *poenam quidam,* non *quandam. Scal.* Oscum vocabulum, a quo *multus* quod numerando multa aestimaretur, et *multare,* numerare. Plaut. Stich. III, 1. (19.):

Quam multas tecum miserias multaverim.

Multa autem primis temporibus in ovibus et bubus aestimatis constitit, quibus abundabat Italia. Gell. lib. XI. (c. 1.): *Suprema multa erat duarum ovium, et triginta boum pro copia scilicet boum et penuria ovium. Sed cum eiusmodi multa pecoris armentique a magistratibus dicta erat, adigebantur boves ovesque, alias pretii parvi, alias maioris, eaque res faciebat inaequalem multae punitionem, idcirco postea lege Ateria* (quam Tarpeiam alicubi vocat Festus) *constituti sunt in oves singulas aeris deni, in boves aeris centeni, minima vero multa fuit ovis unius. Dac. Poenam quandam.* Poenam quidam. *Pecuniariam.* Multa, pecuniaria poena hic olim non ita. l. aliud. 131. ff. de verb. sign. *Maximam multam.* Vid infra in *Ovibus. Quia non licebat.* Vid. infra *Peculatus furtum publicum. Aestimaturque bos.* Vid. infra *Peculatus ovibus* et supra *Aestimata. Goth.*

Mullei. Mulleos. Verbum *allucinatos* mendosum est; *lunatos* placet, sive *alutatos* ab aluta; de utroque est carmen Iuven. Sat. 7.: *Appositam nigrae lunam subtexit alutae,* quod aliter dixit Horat. lib. I.

Satyr. 6, (27. sqq.): *Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus Pellibus, et latum demisit pectore clavum, Audit continuo quis homo hic?* Vid. Plutarch. in Probl. Titinii carmen mendosum est. *Ant. Aug.* Catonis verba ita legenda: *Qui magistratum Curulem cepisset, calceos mulleos, alii uncinatos, caeteri perones.* Haec erat antiquorum εὐτέλεια. Magistratu functi mulleos, milites fulmentatos, caeteri Romani perones, καὶ ὠμοβυρσίνους, sumebant; de uncinis et clavis militaribus satis in Coniectaneis. Versus Titinii ita lego:

— — — *iam cum mulleis*
Te ostendisti, quos tibiatim calceos.

Tibiatim, hoc est, ad mediam usque tibiam; ita erant omnia ea genera calceamentorum, qualia Turcarum hodie, medio crure tenus. Quod et Tertullianus manifesto ostendit libro de Pallio: *Impuro cruri purum, aut mulleolum inducit calceum. Scal.* Mullei vel mullei calcei dicuntur non ab antiquo verbo *mullare* suere, ut putavit Scaliger, sed a colore mulli piscis, nam puniceos fuisse vel ex Dione certum est, qui ait Caesarem usum ὑποδέσει ἐνίοτε ὑψηλῇ καὶ ἐρυθρῷ χρόῳ κατὰ τοὺς βασιλέας τοὺς ἐν τῇ Ἀλβῇ ποτὲ γενομένους. Aperte mulleos describit quos ab Albanis regibus ad patricios transiisse idem docet. Nam stante libera republica Patricii et Senatores calceos nigros gestabant, ex patriciis autem qui Magistratum curulem cepissent, mulleos, hoc est, rubros, at postquam imperatores sibi solis puniceos illos sive mulleos calceos voluere quasi proprios relinqui, consulibus non purpurei aut punicei ut antea, sed aurati sunt attributi ut constat ex Cassiodoro. Ita igitur, ut optime ad Vopiscum Salmasius, conciliandi sunt autores, qui patriciorum nigros faciunt calceos et qui mulleos, nam patriciorum eorum qui magistratum curulem cepissent, proprium gestamen erant mullei calcei, reliquorum qui nondum in sella curuli sedissent, vulgariter nigri. Id omnino evincit locus Catonis cuius verba sic legit Scaliger: *Qui magistratum curulem cepissent calceos mulleos, alii uncinatos, ceteri perones.* Porro, docet idem Salmasius Puniceos illos sive mulleos calceos Tyrrhenicos etiam dictos quod eorum factura Tuscanica esset, ut Virgilius Tyrrhenos calceos Evandro regi tribuit lib. VIII. (458.):

Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis.

Ubi Servius: *Tyrrhena vincula Tusca calceamenta et dicit crepidas quas primo habuere Senatores, post Equites Romani, nunc milites. Alii Senatorios calceos volunt quia hoc genus calceamenti a Tuscis sumtum est.* Sed adi ipsum Salmasium ad Vopiscum. In verbis Catonis pro *allucinatos* Turneb. *olutacinatos*, nempe ab *aluta;* alii *alutatos*, vel *lunulatos.* Perones calcei toti ex pellibus, ex corio crudo; Isidor. in gloss.: *Pero calciamenta pilosa. Dac. Quibus reges Albanorum primi.* Quibus vero imperatores Romani aliquando usi. Campagii Novell. 126. *Allucinatos.* Alii *alutocinatos*, alii *lunatos*, alii *alutatos.* Iuvenalis: *Appositam nigrae Lunam subtexit alutae.* Alii *uncinatos* eo sensu: magistratu functi, mulleos: milites fulmentatos: caeteri Romani Perones. *Perones.* Iis utebantur per nives et glaciem. Iuvenal. Satyr. 14. Sidon. Apollin. Epp. IV. *Goth. Tibialis.* Ita erant genera omnia calceamentorum, qualia Turcarum hodie. *Idem.*

Multifariam. Graecorum imitatione πολυφάτως, διφάτως, τριφάτως, multifariam, difariam, trifariam. Varro: *Totfariam: in totfariam locis;* a *multus* et *fari. Scal.* Gloss.: Πολυτρόπως, πολυμερῶς. Eadem forma *Totfariam* a Varrone dicitur, et Gloss.: *Difariam*, διχῶς. *Trifariam*, τριχῶς. *Quadrifariam*, τετραχῶς, τετραπλῶς. *Septifariam.* Vide Nonium (p. 141. et p. 170. ubi nunc legitur *septemfariam.*). *Goth.* Locum ubi Varro dixerit *Totfariam*, non reperio. *Aliquotfariam* in Catonis fragmento legitur apud Varron. de R. R. I, 2.

Mulciber. Melius *obtuitu* in versu Pacuvii. *Scal. Mulciber* a *mulcendo ferro*, imo potius a *mulcendo* tantum, ut a *craceo*, *craber;* a *tumeo*, *tuber;* sic a *mulceo*, *mulciber.* Gloss.: *Mulciber*, ἥφαιστος, ἀφιγνήεις. *Dac. Molliendo. Goth.*

Maniae. Non solum terriculamenta infantium, sed et lactentium deos praesides ita vocabant. Itaque et Varro (apud Non. pag. 167. Merc.): *Cuninam* et *Ruminam* inter Manios censet, cuius haec verba: *Cato de liberis educandis: Hisce Maniabus lacte fit non vino: Cuninae propter cunas; ruminae propter rumam* etc. Male apud Nonium *manibus. Scal. Maniae*, figurae quaedam ex farina a nutricibus fictae ut terriculamenta infantibus obiicerent, *maniae* dictae a *mania* Deorum manium matre vel avia. Glossae Isidori: *Maniae formidinum imagines.* Erant et Maniae Deae lactentium praesides. *Cuninae propter cunas; Ruminae propter rumam, id est prisco vocabulo mammam.* Quod infra legitur: *Id est manes quos*, paulo aliter in sched.: *Id est manes Deos Deasque, qui aut ab inferis ad superos manant; aut mania est eorum avia materna, sunt enim* etc. *Dac.*

Mutire. Vide in coniectaneo tertio (pag. 154. Steph.). *Mutire* est ne mu quidem audere facere,

quod Graeci γρύζειν. Glossarium: *Muttum*, γρῦ. Etiam in idiotismo dicimus, *ne muttum quidem audet dicere.* *Scal.* *Mutire* idem quod *mussare.* Lucillius:

Nec laudare hominem neque mu facere unquam.

Mu autem proprie canum est, unde *mutire* dicuntur, ut *gru* porcorum, qui *grunnire.* *Dac.* Vide supra *Amussim.* Adde Nonium in *Mussare* (pag. 427. Merc.). *Goth.*

Moenia. Pro *munia* a muniendo ut pro *murus*, *moerus.* Verba Attii sic legit Merula:

— — — *Signa extemplo*
Canere ac tela ob moenia adferre imperat.

Ob moenia, i. e. ad moenia. Vide *Ob;* moenia pro officia Plaut. (Fragmm. ex Nervolaria):

Prohibent quin moenia aliunde fungar mea.

Ita enim legendus hic versus ut in Al. *Dac.* *Et alia.* Et caetera. *Nervolaria.* Exstant haec in Sticho Plautina. *Fungar.* Fungor. *Goth.* Non in Sticho haec inveniuntur. Cf. Taubm. ad Fragmm. Nerv.

Moene. (Ad pag. 169.) Singulariter pro moenia. *Dac.* *Per.* Pro. *Goth.*

Murrina. Vide *murrata potione.* Hanc antiquae mulieres Romanae muliebri ὑποκορίσμῳ *muriolam* indigetarunt. *Dac.* *Murrhina* Nonius (pag. 551.). Dixi ad l. 16. *Goth.*

Murgiso. Tanquam dictus esset, *Moriciso.* Isidorus in glossis: *Murgiso, callidus, murmurator.* Lego: *Callidus, morator.* *Dac.*

Myrmillonica. Potius scuta quibus gladiatores, Myrmillones scilicet, utebantur. *Dac.* *Murmilonica.* *Goth.*

Myrtea. Infra: Est fragmentum, quod pertinet ad literam S. de suis et necessariis heredibus; cuius hae extant reliquiae: . . . *ut patri suo heres existeret. Et tam heres est, quam, si idem in potestate aliena non fuisset, suus heres; ut patet ex eo, quod ait Sulpitius in ea oratione, quam dixit pro Aufidia.* Perspicuum est, quod ait, de eo, qui in adoptionem datus, a patre adoptivo emancipatus est. Tam enim is heres est beneficio Praetoris, quam si in aliena potestate non fuisset, suus heres futurus erat, iure civili; quamquam non ignoro in bonorum possessionibus nomen heredis καταχρηστικῶς poni. Praetor enim heredem facere non potest. *Scal.* Mihi quidem ignoti sunt campi illi myrtei ubi Sardas superavit Papirius. *Dac.* Vide infra *Ovalis.*

Mussare. A Graeco μύζω, clausis labris e naribus sonum mitto, quod murmurantium proprium, μύζω autem a μῦ. Quod muti non amplius quam μῦ dicunt. Varro lib. VI. (pag. 377. Sp.) inde mussare tacite murmurare. Ennius lib. VI. Annal.: *Intus in occulto mussabant* al. *mussabat.* Lege: *Quintus in occulto mussabat.* Citatur hoc fragmentum in voce *summissi* et de Quinto Fab. Max. loquitur Ennius qui ideo mussabat, quod de se ab exercitu removendo senatus cogitabat. *Dac.* *Vulgo vero pro tacere.* Philargyrius IV. Georg. (188.). Mussant, hic, inquit, murmurant quae vox ponitur et in tacendi significatione ut apud Ennium in XVII.:

Non possunt mussare boni qui facta labore
Nixi militiae peperere.

Vide Serv. ad illud XII. Aeneid. (v. 657.):

Mussat rex ipse Latinus.

In illo Ennii quem laudat Festus, nemo est qui dubitet legendum:

Non decet hic mussare bonos.

Dac. Vid. Non. in *Mussare* (pag. 427. Merc.). Gloss.: *Mussitare*, γρύξαι. *Mussabant.* Mussabat. *Goth.*

Mucia prata. Livius XI. XIII.: *Patres C. Mucio virtutis causa trans Tiberim agrum dono dedere, quae postea sunt Mucia prata appellata.* *Dac.*

Mugionia. Varro lib. V. (pag. 164. Sp.): *Mugionis a mugitu.* Solin. cap. 2.: *Mugioniam supra summam Novam viam.* Vide Nonium (Nihil de Mugionia porta ap. Non.). *Fulv. Urs.* *Mugionia porta.* Melius Varro qui lib. IV. (l. c. legitur nunc *Mucionis*): *Mugionis portam dictam docet a mugiente pecore, id est bubulo.* Quod per eam ad pascua sua exigeretur ab antiquo oppido, Palatino scilicet, ubi primum Roma condita. Eius verba: *Praeterea intra muros ideo portas dici: in palatio Mugionis a mugitu, quo ea pecus in Bucitatum antiquum oppidum exigebat. Eadem et Trigonia et porta Palatii dicta.* *Dac.*

Muginari. Plinius in praefatione (§. 18.): *Dum ista, ut ait Varro, muginamur, pluribus horis vivimus.* Isidorus: *Muginatur, caussatur.* *Scal.* *Muginari: causari, tergiversari, moras nectere.* Gloss. Isidori:

Muginatur, causatur. Usus est Cicero ad Atticum lib. XVI, ep. 12.: *De ocella dum tu muginaris nec mihi quidquam rescribis, cepi consilium domesticum.* Nonius (pag. 139. Merc.) interpretatur *murmurare.* Ut et in glossario: *Muginor*, γογγύζω, i. e. *murmuro.* Erit igitur *muginor* vel a *magio*, vel ut doctissimo *Vossio* placebat, a *nugor*, *nuginor*, *n* in *m muginor.* *Dac.*

Mustricola. Invenio in glossis latinis: *Mustricula, machina ad stringendos mures.* Et puto verum esse. Nam lignum illud ad calceos suendos, a similitudine illius machinae dictum videtur. *Scal.* Gloss. Isidori: *Mustricola, machina* etc. A cuius machinae similitudine, mustricola etiam dicta est forma lignea cui induto corio novus fit calceus. *Dac. Mustricola.* Forma calcei dicitur in l. Sed etsi 5. §. Si magister. 3. ff. ad l. Aquil. l. Item quaeritur. 13. §. item. 4. ff. locati. *Mustricula* vero Glossis machina ad stringendos mures, quae et *muscipulum* et *muscipula* iisdem, μυάγρα καὶ παγὶς ἐπὶ μυῶν. *Goth.*

Myoparo. Lege: *Nam, et Myon, et Paron per se sunt.* Ab insulis Paro, Corcyra, dicta navigia, Parones, Cercuri. Quin et Syriaca lingua retinuit *Carcura.* Hoc enim est *Cercurus*, nisi mavis κέρκον καὶ οὐρὰν nomen dedisse a forma, propter longitudinem videlicet; a forma autem μυῶνες, hoc est angusta et oblonga, ut *myobarbum*, angustus et oblongus Liberi patris cantharus. Ut annotamus apud Ausonium. Mures enim et Mustellae oblongo corpore. *Scal. Myoparo.* Ita Nonius (pag. 534. Merc.); alii *mioparo.* Adde infra *Parones.* *Goth.*

Minucia. Ubi fuerit ignotum est, ut et quis fuerit iste Minucius. Putabam olim Minuciam portam eandem esse et trigeminam ab eo Minucio sic dictam qui extra eam aurato bove donatus est, ut narrat Liv. IV, 16. Sed nihil ibi de sacello, quare amplius quaerendum. *Dac.*

Martias Kalendas. Iis matronae Iunoni et Marti supplicabant, ideoque *matronalia* dictae sunt, et *matronales ferias* vocat Tertullian. Vide Ovid. Fast. lib. III, et veteres Horatii interpretes ad Od. 7. lib. III. (init.):

Martiis caelebs quid agam Calendis.

Dac. Hinc illud proponitur in l. Sed si Vir 31. §. Si vir uxori munus immodicum Kalendis Martiis aut natali die dedisset, donatio est. 8. ff. de donationibus inter virum et uxorem. *Goth. Capta sit.* Coepta erat vel est. *Idem.*

Mavortem. Vide *Mamers.* *Dac.*

Magnum annum. Cicer. lib. II. (c. 20.) de nat. Deor. ubi de planetis *quorum ex disparibus motibus magnum annum Mathematici nominaverunt, qui tum efficitur cum Solis et Lunae, et quinque errantium ad eandem inter se comparationem confectis omnium spatiis est facta conversio, quae quam magna sit, magna quaestio est: esse vero certam et definitam necesse est.* Et in Hortensio: *Horum annorum quos in fastis habemus, magnus* XII. *millia nongentos quinquaginta quatuor annos complectitur.* Sed merae nugae. Magnus annus sive annus Platonicus cum stellae fixae ab aequinoctii et Solstitii cardinibus digressae, εἰς τὰ ἑπόμενα totum circulum suum confecere. Eas autem ex Timacharidis, Hipparchi suisque adeo observationibus centum annorum spatio gradum unum absolvere Ptolemaeus statuit, ex quo efficitur 36000 annorum decursu hunc magnum annum evolvi. Tardiorem hunc motum faciunt tabulae Alphonsianae, ita ut totis 49000 annis periodum hanc absolvi rex Alphonsus crediderit. At brevioribus eam spatiis determinavit Albategnius: nec plusquam 23700 annos ei tribuit, quippe quam 66 quoque anno gradum unum explere deprehenderit, quam sententiam observationibus suis longe accuratissimis ad verum proxime accedere confirmavit Tycho, nam intra 67 annorum spatium gradu uno fixus εἰς τὰ ἑπόμενα progredi, totumque illud curriculum 24120 annis peragere comperit. Ita illustr. Huetius in doctiss. suis in Origenem observationibus. *Dac.*

Medius fidius. L. m. *filius*, i. *Hercules. Fulv. Urs.* Quod Graeci iurantes μὰ, νὴ praeponunt, id Romanis erat *Me* et *E.* Mecastor, Medius fidius, Mehercule, Eiuno, Equirine, Ecere, Epol, Ecastor. *Scal.* Vide *Mecastor.* Medius fidius, per Iovis filium. A Graeco διός factum *dius.* Festi sententiam probat Varro lib. IV.: *Aelius Gallus Dius fidius dicebat Diiovis filius ut Graeci διόσκουρον Castorem: et putabant hunc Sancum ab Sabina lingua et Herculem ab Graeca. Dac.* Iuramenti species, compositum ex *me* et *dius Fidius.* Ita Mecastor, Mehercules. Alii ex *E* compositam dictionem putant, ut Ecere, Equirine, Ecastor. *Goth.*

Mortem abiisse. Mortem adiisse. Vide *ob.* *Dac.*

Manues. Manuos. Forsan legendum vel *manes* vel *manos;* nam manis dicebant pro *manus*, a quo immanis. In carmine saliari est: *Cerus manus* i. e. *Creator bonus, bonus genius.* Quod hic forsan alludit Festus. Nihil tamen affirmo, nam *manuus* dici quidem potuit. *Dac. Manuos.* Manes. *Aelius Stilo.* Aurelius vel Ateius. *Et.* Unde. *Goth.*

Muscerdas. Haec sunt Pauli. Festi verba sic schedae: *Muscerdas prima syllaba producta dicebant antiqui stercus murum.* Scribendum *mucerda*, sic *bucerda*, bovum stercus, *opicerda*, ovium. Glossae: *Mucerda*, *μυόχοδον.* Sic enim legendum, non *μυιόχαδον;* quod ait primam syllabam produci *u* densum innuit. Vide notata in *lustrum.* Sic in *essemus* primam syllabam produci notat Donat. Sic in *insanos* Cicero. Sic inclytus prima brevi. *Dac.*

Mapalia. Ait hominibus solute viventibus exprobrari vocem mapalia; et verum est. Seneca *ἀποκολοκυντώσει: Ego*, inquit, *P. C. interrogare vobis permiseram; vos mera mapalia fecistis. Volo servetis disciplinam curiae.* Mera mapalia fecistis, hoc est, susque deque habuistis et dissolute potius egistis; vel potius: vos o inepti et dissoluti, id fecistis. Vide quam bene locus ille ex Menippea Senecae huius locis collatione illustretur, et tamen mirum, quantum negotii facessit viris doctissimis, qui in loco Senecae exponendo plurimum aestuarunt. *Scal.* Eadem et *magalia*, nisi quod iu *mapalia*, *ma* est breve quod in *magalia* producitur. Virg. IV. Aeneid. (259.):

Ut primum alatis tetigit magalia plantis.

Et lib. I. (421.):

Miratur molem Aeneas, magalia quondam.

Ubi Servius: *Magalia Antistoichon est; nam debuit magaria dicere, quia magar non magal Poenorum lingua villam significat. Cato originum primo: magalia aedificia quasi cohortes rotundas dicunt; alii magalia casas Poenorum pastorales dicunt.* Ut vides locum Catonis, quem noster e quarto, e primo Servius attulit et non leviter immutatum. *Magar* autem ab Hebraeo *magur* habitatio. A *magur* variante dialecto Poeni fecere *magar* et Poeni quidem *magar* sive magara sive *megara* vocabant partem eam Carthaginis quae Byrsam cingebat et habitationi civium relinquebatur. *Dac. Cohortes.* Vide *Cortina. Dac.* Glossae: *Mapalia*, *καλύβαι. Goth.*

Metalli. Metelli. Glossarium: *Metellus*, *μίσθιος. Scal. Metellus*, *μίσθιος*, *mercenarius.* In fine: *Caeciliae familiae cognomen putatur ductum.* Aliter schedae ubi: *Caeciliae familiae cognomen putat ductum quod est . . . .* Desideratur tantum vox *Metellus.* Caeciliam familiam pro Caecilia gente dixit Festus quae Metellorum cognomento potissimum clara. *Dac. In re.* In lege. *Mercenarii.* Hinc glossae: *Metellus μίσθιος. Goth.*

Manum et mentum. Vide Gell. lib. XIII. cap. 17. et interpr. Lycophr. in Iambicis, et Eustath. in I. Homeri Iliad. qui nihil de Calchante, sed de aliis dictum referunt. Vide proverbiorum interpretes. *Ant. Aug.* Verba Graeca sic latine Erasmus:

Multa cadunt inter calicem supremaque labra.

Qui et *πέτει* pro *πέλει* legisse videtur. Quamvis et aliter fieri potuit: nam *πέλει* veteres omnes agnoscunt. Caeterum in verbis Festi non pauca desiderari fidem faciet hic locus Eustathii qui de Ancaeo narrat, quod ille de Calchante; eius verba I. Iliad. pag. 77. edit. Rom. Multos sus Calydonius interfecit: *Ὧν εἷς καὶ ὁ παρὰ Λυκόφρονι Ἀγκαῖος, ὃς ἀμπελῶνα κατὰ πολλὴν σπουδὴν φυτεύσας, καὶ ἀκούσας ποθὲν ὡς οὐκ ἂν ἴσως τοῦ ἐκεῖθεν οἴνου πίοι, καὶ ψευδῆ τὸν λόγον εὐχόμενος ἐλεγχθῆναι, ἦλθεν εἰς τοῦτο καιροῦ, ὡς τελεσφορηθῆναι καπρὸν* (lego *καρπὸν*) *ἐκεῖθεν καὶ οἶνον ἐκθλιβῆναι, οὗ ὡς ἔμελλεν ὁ Ἀγκαῖος πινεῖν, ἤλεγχε τὸν φοιβήσαντα, ὁ δὲ εἰπὼν τὸ παροιμιαζόμενον ὡς πολλὰ μεταξὺ χείλους καὶ ποτηρίου, τέως μὲν ἔδοξε γελοῖος, ἐν ἀκαρεῖ δὲ κατεφάνη σπουδαῖος, ἀκούσας γὰρ οἱ* (leg. *ὁ*) *Ἀγκαῖος εὐθὺς τὴν περὶ τοῦ συὸς βοὴν ῥίπτει μὲν τὴν τοῦ οἴνου κύλικα, ἐκδραμὼν δὲ σπᾷ τὴν τοῦ θανάτου πεσὼν ὑπὸ τῷ συί.* Ex his igitur si non ipsamet Festi verba, at saltem eorum sententiam facile elicies. Ancaei historiam aliquantulum immutatam ex Aristotele narrat Didymus, aitque etiam Dionysium Thracem tradidisse illud proverbium ab Alcinoi morte vulgatum, quem, ut ait Hom. Odyss. XXII. pocula tenentem labrisque iam admoventem Ulysses interfecit. Neque praetereundum ad huius proverbii similitudinem effatum istud *inter os et offam* de quo Gellius lib. XIII. cap. 16. Huic simile etiam istud etsi aliunde natum, *inter caesa et porrecta* quo usus Cicero ad Atticum lib. V. epist. 18. *Dac.*

Mulis celebrantur ludi. De Consualibus suo loco dictum est. Mulis autem tunc ludos celebratos fuisse praeter Festum nemo quod sciam docuit. *Dac. Vehiculcque adiungi.* Hinc mulae charruchariae in l. 38. §. 8. ff. de Aedilitio. Et Rhedariae. *Goth.*

Maiis idibus. Ovid. Fast. lib. V. (669.):

Templa tibi posuere patres spectantia circum
Idibus, ex illo est tibi festa dies.

Te, quicunque suas profitentur vendere merces,
Thure dato, tribuas ut sibi lucra rogant.

Dac. *Mercurii aedes.* Vid. Livium II, (21.). *Goth.*

Minusculae quinquatrus. Varro lib. V. (pag. 196. 199. Sp.): *Quinquatrus minusculae dictae Iuniae idus ab similitudine maiorum, quod tibicines tum feriati per urbem vagantur et conveniunt ad aedem Minervae.* Minores vocat Ovid. lib. VI. Fast. (651.):

Et iam quinquatrus iubeor narrare minores.
Nunc ades o coeptis, flava Minerva, meis.
Cur vagus incedit tota tibicen in urbe?
Quid sibi persona, quid toga longa volunt?

Vide et Livium lib. IX. *Dac.* Adde Gell. II, 21. Müller. die Etrusker. II, 201.

Muli Mariani. Sic per iocum Romani milites vocabantur, nam C. Marius recidendorum impedimentorum gratia, quibus maxime agmen oneratur, vasa et cibaria militum in fasciculos aptata furcis, quas appellarunt aerumnulas, imposuit, quibus onusti milites iter conficiebant. *Dac.* Vid. supra *Aerumnulas. Mario instituti.* Marii instituto. *Goth.*

Murciae. Vide Varron. lib. IV. (p. 154. Sp.) de Ling. Lat. et Plutarch. in problem. *Ant. Aug.* Per *c* scribitur, cum antea per *t* scriberetur, ut ait Plutarchus. Unde a murteto, quod ibi erat proximum, dictam volunt Varro, Plinius et Plutarchus ipse (Quaestt. Rom. XX. fin.) Tertullianus de spectaculis: *Consus, ut diximus, apud metas sub terra delitescit. Murtiae quoque idolum fecit; Murtiam enim Deam amoris volunt, cui in illa parte aedem vovere.* Lege: *Apud metas sub terra delitescit Murtias has quoque idolum fecit.* Nam metae Circi Murtiae metae vocabantur. Apuleius: *Si quis a fuga retrahere, veloccultam demonstrare poterit fugitivam regis filiam, Veneris ancillam, nomine Psychen, conveniat retro metas Murtias Mercurium praedicatorem.* Varro: *Intimus Circus ad Murtim vocatus.* Has metas in eodem libro paulo ante, *primas metas* vocaverat Tertullianus: *Et nunc,* inquit, *ara Conso illi in Circo defossa est ad primas metas sub terra.* Quod hic scribitur de monte Aventino, de hac re ita in veteribus monumentis Danielis nostri scriptum reperi. *Vallis ipsa, ubi Circenses editi sunt, ideo Murcia dicta est, quia quidam vicinum montem Murcum appellatum volunt; alii quod fanum Veneris Verticordiae ibi fuerit, circa quod nemus murtetis consitum fuisset, immutata litera Murciam appellatam,* etc. *Scal.* *Murciae Deae,* hoc est Murciae Veneris et per *c* scribitur cum antea per *t* scriberetur, unde a murteto quod ibi erat proximum dictam volunt. Varro lib. IV.: *Ad Murtium etc. Alii esse dicunt a murteto declinatum, quod ibi id fuerit cuius vestigium manet, quod ibi sacellum etiam nunc Murtiae Veneris.* Plin. lib. XV. cap. 29.: *Ara fuit Romae vetus Veneris Murtiae quam nunc Murciam vocant.* Et ita Plinius et Plutarchus ipse. A myrto, quae Veneri sacra, Myrtea, postea Murcia Venus dicta. Eius aedem in XI. urbis regione ponit Victor; fuit praeterea alia Dea *Murcia* sic dicta quod Dea esset *Murcidorum*, i. e. ignavorum, inertium. Quamvis istam cum altera Servius videtur confundere. Vide *Murricidum.* *Dac.* Liv. I, (33.). Adde quae scripsi de *murcis* et *murcia* ad l. 4. §. eum qui. 12. ff. de re militari. *Goth.* *Murcus.* Murtus. Nam a murteto Murtia primum. Et metae murtiae in Circo apud Tertullianum. *Idem.*

Martius mensis. Annum in decem menses divisit Romulus, et primum genitori dicavit, qui ab eo *Martius.* Tamen ante Romam conditam non omnibus Italiae populis primus fuit; nam Albanis erat tertius, Phaliscis quintus, sextus Hernicis. Vide Ovid. Fast. lib. III. (I, 39.). *Dac.* Vid. Varron. de L. L. V. (VI, pag. 213. Sp.). *Goth.*

Membrum. At in XII. est: *Homini mortuo ne ossa legito, quo post funus faciat.. Fulv. Urs.* Huc pertinent quae de praecidanea porca. *Scal.* *Membrum abscidi. Membrum abscindi.* Etiam os quoddam ad eandem rem adimi testatur Varro lib. IV. (pag. 33. Sp.): *Aut si os exceptum est mortui ad familiam expurgandam.* Id enim ad familiam purgandam certo genere februi quod vocabant *exverrias.* Sed illud postea Decemviri prohibuere, nisi quis aut peregre aut in hostico esset mortuus. Hinc intelligenda lex XII. tabularum: *Homini mortuo ne ossa legito, quo post funus fiat: extra quam si militia aut peregre mortuus sit.* Crinis etiam secabatur ad quem pro toto corpore iusta fierent. Vid. Stat. IX. Thebaid. Vide infra *praecidanea agna. Dac.* Dixi ad Varron. de L. L. IV, no. 4. et ad leg. XII. tabb. in quibus sic erat: Homini mortuo Ossa ne legito, quo post funus faciat. *Goth.*

Monodos. Plin. lib. VII. cap. 16. videndus. *Ant. Aug.* Μονόδους, qui dentium loco unum os aequaliter extensum habet, ut Prussiae filius et Epirotarum rex Pyrrhus. Valer. Max. Plin. *Dac.*

Minotauri effigies. Vide *lupi.* Et non aquilam tantum vel minotaurum prisci illi Romani, sed plura eiusmodi animalia in pugnas aut raptus nata bello praeferebant, ut lupos, equos, apros, porcos etc. *Dac.* Ut et *porci.* Vid. infra *Porci. Goth.*

Manius. (Cf. p. 169.) Verbum *initio* videtur adiectum. Varro lib. VIII. (p. 500. St.): *Forsitan ab eo, qui mane natus diceretur, ut is Manius esset, ut qui luci, Lucius. Fulv. Urs.* Et haec quoque male accepta sunt non a Paulo, sed ab inferioris aetatis hominibus barbaris. In veteribus enim editionibus legitur: *Manius Aegerius Nemorensem Dianae consecravit.* Ego lego: *Manius Agerius Nemorensem Dianam consecravit;* hic *consecravit* est ἀφιδρύσατο, signum Dianae posuit. Notum est Nemorensem Dianam Aricinam dici et regem nemorensem eius sacerdotem. *Scal.* Schedae: *Manius Egeri . . . . . Memorem.* Vett. editt.: *Manius Aegerius Nem.* etc. Legendum: *Manius Agerius Nemorensem Dianam consecravit;* et ita optime Scaliger. Sueton. Caligul. cap. 35.: *Nemorensi regi quod multos iam annos potiretur sacerdotio, validiorem adversarium subornavit.* Nemorensis Dianae nemus et ritum describit Strab. lib. V. (pag. 239.). Cuius locum quia male ab interpretibus acceptus est, ego sic verto: *Dianium autem quod vocant nemus, in sinistra parte viae est, qua ex Aricia ad fanum Dianae Aricinae conscenditur. Ibique Dianae Tauricae signum consecratum ferunt. Nam et Barbaricus et Scythicus mos apud illud fanum obtinet. Perfuga enim ibi constituitur sacerdos, qui sacerdotem priorem sua trucidaverit manu, strictoque semper gladio est, insultus timens, ad eos propulsandos paratus.* Plenius sed paulo aliter de eadem re Servius lib. VI. Aeneid.: *Orestes,* inquit, *post occisum regem Thoantem in regione Taurica, cum sorore Iphigenia, ut supra diximus, fugit, et Dianae simulacrum inde sublatum haud longe ab Aricia collocavit. In huius templo post mutatum ritum sacrificiorum fuit arbor quaedam de qua infringi ramum non licebat, dabatur autem fugitivis potestas, ut si quis exinde ramum potuisset auferre, monomachia cum fugitivo templi sacerdote dimicaret, nam fugitivus illic erat sacerdos ad pristinae imaginem fugae. Dimicandi autem dabatur facultas quasi ad pristini sacrificii reparationem.* Haec Servius. Hunc morem tangit Ovid. lib. I, (259.) de arte:

Ecce suburbanae templum Nemorale Dianae,
Partaque per gladios regna nocente manu.

Inde satis liquet Latinos Aricinae Dianae templum vocasse *nemus* et ipsam *Dianam Nemorensem.* Atqui apud Strabonem ita locum acceperunt interpretes, quasi de Dianae silva, ita enim interpretati sunt: *Dianae quod vocant nemus,* cum potius vertere debuissent *Dianium* sive *Dianae templum quod vocant nemus.* Quod et Salmasio video in mentem venisse; qui et in verbis Strabonis pro ἀναβαίνουσιν εἰς τὸ Ἀρικίνης ἱερόν recte emendavit ἀναβαινούσης. Τῆς δὲ Ἀρικίνης τὸ ἱερόν. Quare sic vertendum: *Dianium autem, quod vocant nemus, in sinistra parte viae est qua ex Aricia conscenditur. Estque Dianae Aricinae templum.* Strabo enim his verbis explicat vocem Ἀρτεμίσιον *Dianium,* id est Dianae templum, etc. Ego olim existimaveram alteram lectionem stare posse, sed de alio quodam fano Dianae verba illa intelligenda quasi dixisset Strabo, nemus illud, sive templum Dianae nemorensis esse in sinistra parte viae, qua ad fanum aliud eiusdem Dianae conscendebatur, quod fanum ad dextram eiusdem viae situm fuerit. Nunc vero Salmasii coniecturam unice amplector. *Multi Manii Ariciae.* Hoc est, ut interpretatur Festus, multi clari viri, ac fortes Ariciae, vel, ut Asinus Capito, multi viri turpes et deformes quasi maniae figurae deformes. Festi explicatio non potest ei displicere qui meminerit sacerdotium *Aricinae Dianae* sola virtute potuisse parari et conservari. Sed Atei Capitonis sententiam iuvat hic locus Persii Sat. VI, (55.):

— — — accedo Bovillas
Clivumque ad Virbi: praesto est mihi Manius haeres,
Progenies terrae.

Nam cum de clivo Aricino loquatur, Manium potius quam alium nominavit. Ibi etiam vetus interpres: *Manium dicit deformem et ignotum hominem eo quod Maniae dicuntur indecori vultus personae, quibus pueri terrentur. Ariciae genus panis.* Lege: *Et Ariciae genus panis fieri qui manici panes appellantur. Dac. Lucius.* Vid. supra *Lucinus.* Ita Varro de L. L. (l. c.). *Asinius.* Ennius. *Goth.*

Manliae gentis. Vide Livium lib. VI, (20.) et Dionem lib. LI. Inde Musonius apud Gellium lib. IX. cap. 2.: *Simili autem,* inquit, *exemplo ex contraria specie antiquos Romanorum audio praenomina patriciorum quorundam male de republica meritorum, et ob eam causam capite damnatorum censuisse ne cui eiusdem gentis patricio inderentur, ut vocabula quoque eorum defamata atque demortua cum ipsis viderentur. Dac.*

Maiores Flamines. Tres tantum fuere qui maiores dicti, Dialis, Martialis et Quirinalis, quos

Numa rex instituit. Reliqui processu temporum his additi, nam ad quindecim crevit eorum numerus, minores dicti sunt. Inter hos maximae dignationis erat Dialis, minimae Pomonalis. Vide *maximae dignationis*. *Dac.*

Millus. In oratione Aemiliani ita legendum ex l. m.: *Nobis inquit reique praesidio.* Ennius apud Nonium (p. 111. seq. Merc.): *Ea mi, reliquae fidei regno* etc. Vide in dictione *Fortunatim. Fulv. Urs.* Varro vocat *melium* lib. II. de re rust. (c. 9.): *Ne vulnerentur a bestiis imponuntur his collaria quae vocantur melium, id est cingulum circum collum ex corio firmo cum clavulis capitalis, quae intra capita* (lege *queis intra capita*) *insuitur pellis mollis duritia ferri.* Et ita melius dici putat Scaliger: nam μηλωτὴ pellis ovilla, unde et omne scorteum vocabant *melinum*, ut apud Plautum *melina* est scortea mantica, Epidic. I, 1, (21.):

— — — *Aut si in melina attulisti.*

Sed idem est millus et melium, dictum enim *melium*, *mellum*, *millum* et *millus*, ut *collum* et *collus*. Supra in verbis Scipionis, quae laudat Festus, legendum ex lib. Fulvii Ursini: *Nobis*, inquit, *reique praesidio erit is. Dac.* Adde supra *Catulus. Eritis. Erit is. Goth.*

Magnificissima. Magnificior et *magnificissimus* dicebant antiqui ἀναλόγως a positivo *magnificus*. Nos autem *magnificentior*, *magnificentissimus*; cum tamen *magnificens* dici non possit, unde ea deducuntur. Sic *munificior* a munifico dixit Cato, nos *munificentior* etiamsi *munificens* non sit in usu. Vide infra *munificior. Dac.*

Manceps. Quod manu capiatur, imo capiat. *Scal.* Est autem quasi *manuceps*, quia manu sublata se pluris esse licitatum significabat. Sublata enim manu vel digito licitationes fiebant. Cicer. III. in Verr. (I, 54.): *Accurrunt tamen tutores ad tempus, digitum tollit Iunius patruus.* Quae in fine posita, sic legenda sunt: *Quam is pro quo praes factus est*; ut viri docti. *Dac.* Adde infra *Mancipatio*; supra *Emancipati*. Vid. l. 3. Cod. quibus iun:oribus. lib. X. *Goth.*

Metaphoram. (Ad p. 170.) Si quis Quintiliani c. 6. de tropis lib. VIII. legerit attentius, verba Festi facile intelliget, et manca restituet. *Ant. Aug.* Lege infra: *Qua utimur, inquit Verrius in oratione* etc. Reliqua sunt obscuriora, eorum tamen si non verba, at sensum odorari mihi videor. Ita enim fere scripsisse Festum puto: *Rem indicemus. Quod si proprium quam tralatum magis valeret, redit ad sua verbum tralatum, manebitque tunc tantum cum quo pervenit eo proprium pervenire non possit. Praesertim apud poetas qui alieno perinde ac suo abutuntur.* Et ita fere Quintilian. lib. VIII. cap. 6.: *Transfertur ergo*, inquit, *nomen aut verbum ex eo loco in quo proprium est in eum, in quo aut proprium deest, aut translatum proprio melius est; id facimus aut quia necesse est, aut quia significantius est, aut ut dixi quia decentius, ubi nihil horum praestabit quod transfertur, improprium erit.* Item: *Metaphora enim aut vacantem occupare locum debet, aut si in alienum venit, plus valere eo quod expellit* *Dac.*

Metaplasticos. (Ad p. 170.) *Meta....stices.* Metaphrastices scriptum fuisse videtur; sed mendose, pro metaphrastice, vel metaphrasi, vel pro metastasi, vel metabasi. Interpretari autem existimamus, cum poetae propter necessitatem metri aliud pro alio ponunt. *Ant. Aug.* Scribe: *Metaplasticos dicitur apud poetas usurpari id quod propter necessitatem metri mutant, quod idem barbarismus dicitur in soluta oratione conscribenda. Scal.* Metaplasmus a μεταπλάττω *transformo*, *transmuto*. Quintil. lib. I. c. 8.: *Deprehendatque quae barbara, quae impropria, quae contra legem loquendi sunt posita, non ut ex his utique improbentur poetae, quibus quia plerumque metro servire coguntur, adeo ignoscitur ut vitia ipsa aliis in carmine appellationibus nominentur. Metaplasmos enim et schematismos, et schemata, ut dixi, vocamus, et laudem virtutis necessitati damus*, etc. *Dac.* Alii *metaphrasticen*, alii *metaphrasi*, alii *metastasi*, alii *metabasi. Goth.*

Metonymia. (Ad p. 170.) Lege ita versum Ennii:

Cum magno strepitu Volcanum ventu' vegebat.

Et illum:

Persuasit nox, vinum, Deus, qui multo est maximus.

Cui simile Terentianum ex Adelphis (III, 4, 24):

Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia: humanum est.

Et Propertii (I, 3, 14.):

Hac Amor, hac Liber, durus uterque Deus.

Vegere, pro vegetare, vide Nonium (pag. 183. Merc.). *Scal.* *Metonymia*, μετωνυμία a μετὰ et ὄνομα. Ad verbum sonat *transnomen*, *transnominatio*. Figura qua continens ponitur pro contento et contentum pro continente. Continens pro contento Ennius:

Africa terribili tremit horrida terra tumultu.

Africa pro *Afris*. Cicero in Oratore: *Horridam Africam terribili tremere tumultu cum dicit* (Ennius) *pro Afris immutat Africam*. In reliquis, nisi locus depravatus sit, merito Festi iudicium desiderabis. Neque enim cum dicitur *epota vini amphora*, ab eo quod continetur, intelligitur id quod continet, ut tradit Festus, sed contra ab eo quod continet id quod continetur. Nam per amphoram vinum quod in amphora, ut per Africam intelligantur homines qui in Africa. Audi Quintilian. lib. VIII. cap. 6.: *Sicut ex eo, quod continet, id quod continetur usus recipit: ut bene moratas urbes, et poculum epotum, et saeculum felix.* Contentum autem pro continente ut apud Virgil. (Aen. I, 724.): *Vina coronant*. Vina pro pateris. *A superiore inferior*, cum causa ponitur pro effectu ut Vulcanus pro igne. Ennius:

Cum magno strepitu Volcanum ventus vegerat.

Lego *vehebat*, vel ut Scaliger *vegebat* i. *erigebat*. Et *ab inferiore superior*, cum effectus pro causa, ut amor et vinum pro Cupidine et Baccho. *Dac*. *Tremis*. Tremit. *Goth*.

Masculino genere. Masculino genere ait dixisse malo cruce C. Gracchum in ea in *Popillium posteriore*, et non adducit exemplum. Item *in ea Popillium et matronas*. Citatque exemplum, ubi malo cruce masculino genere usurpavit Gracchus. Quid est citare bis eandem orationem non tanquam eandem sed tanquam alteram? Deinde quid istud rei est, in *Popillium et matronas?* nota est causa inimicitiarum inter Popillium et Gracchum; de matronis ne verbum quidem. Quare ἀτόπημα docti viri cum viderent, conati sunt emendare ita: *Item cum idem in Popillium et Mathonem ait*. Ut illud *in Mathonem* successerit in locum τοῦ *in matronas*. Laudo conatum, mallem tamen non coniecturas suas, sed rem ipsam margini chartae commendassent. Nam sane ita scribendum erat: *Item cum idem in populum, et matronas ait: eo exemplo instituto dignus fuit, qui malo cruce periret*. Vide quam dissimilia haec sint pristinae lectioni; partim enim verba Festi putabantur esse, quae nunc omnia sunt Gracchi; exprobrat adversario duo Gracchus: et quod in populum debacchatus sit, quem qui offendunt, maiestatis postulantur: et in matronas, qui sexus omnium consensu multis privilegiorum praesidiis munitur, propterea vocat malum exemplum; est enim et contra leges, et contra bonos mores. Huius orationis Gracchi in Popillium mentio extat etiam apud Gellium. *Scal*. *Parentem* pro matre, *crucem*, *stirpem*, *frontem* masculino genere dixisse veteres constat, ut *lupum*, *metum* feminino. Exempla pete a Nonio. Sed male hic duas C. Gracchi orationes a Festo laudari putarunt viri docti, cum de una tantum mentio facta sit, ut optime monuit Scaliger. Nam quae in fine leguntur: *Item*, *etc*. non Festi, sed Gracchi verba sunt ex eius oratione in P. Popilium posteriore. *Item*, inquit Gracchus, *cum idem*, (nempe Popilius) *in populum et matronas ait* (sic optime correxit Scaliger, cum male alii *in Popilium et Mathonem*) *eo exemplo instituto dignus fuit qui malo cruce periret*. *Dac*. Facit l. 51. in fin. ff. de verb. sign. *Dixit Gracchus*. Huius orationis meminit Gellius VII, c. 19. *Malo cruce*. Vid. Non. in *Crux* (pag. 195.). *Posteriorem*. Posteriore. *Hunc Frontem*. Vid. supra *Frontem*. *Hunc stirpem*. Vid. infra *Specum*. Vid. Nonium (pag. 226.) in *stirpem*. *Hanc metum*. Vid. infr. *Metus*. Non. (214.) in *Metum*. *Hanc lupum*. Vide supr. *Agnus*. *Goth*. *Masculina*. Videtur deesse ἀρσενικὰ καὶ θηλυκὰ dicunt. *Ant*. *Aug*. Constat enim et veteres dixisse nomina virilia et muliebria, ut Varro. Item nomina virilis et muliebris sexus. Deesse in fine haec non dubium: qui non ἀνδρικὰ καὶ γυναικεῖα ea, sed ἀῤῥενικὰ καὶ θηλυκὰ vocant. *Scal*. Melius ex Festi iudicio *masculina* et *feminina* dicuntur, secundum Graecorum consuetudinem, qui ea non ἀνδρικὰ i. e. *virilia* et γυναικεῖα i. e. *muliebria*, sed ἀῤῥενικὰ καὶ θηλυκὰ vocant, i. e. *masculina* et *feminina*. *Dac*.

Matronis. Verba Festi ex Pauli epitome cognovimus. Item ex Livio lib. V. apparet bis matronas aurum contulisse, Veiis a Camillo captis, et urbe a Senonibus capta praeter Capitolium. Apollini autem donum Delphos cratera aurea portata est ob decumam voti, quo se damnaverant Veiis captis. Matronis aurum restitutum dicit lib. VI. Plutarch. in Camillo doni Apollini dicati meminit. Plin. lib. XXXIII. cap. 1. id aurum in Iovis caella collatum mansisse scripsit ad Pompeium Magnum. Vide *Pilentis*. *Ant*. *Aug*. Magis odoramur, quid voluit Festus, quam ut verba in numerato edere possimus. *Scal*. *Matronis aurum redditum*. Bis aurum matronas contulisse docet Livius, semel captis Veiis, ut inde votum Apollini solverent. Liv. V. cap. 25. et 28. et iterum ut summa pactae mercedis Gallis confieret, qua adduci se posse dicebant, ut Capitolii obsidionem relinquerent; idem cap. 50. *Matronis . . . . . to ait*. Quod initio deest, ita supplendum: *Matronis aurum redditum Ateius Capito ait*. Vide *Pilentis* et Liv. lib. V. cap. 25. 28. et 50. *Apolloni* autem pro *Apollini* antiqua scribendi consuetudine. Sic in aereo numismate: *Apolloni Sancto*. *Dac*.

Muta . . . . (Ad pag. 171.) Interpretationem desiderat. *Ant*. *Aug*.

Mina. Distingui videtur inter minam singulariter, quam Graeci *mnan* dicunt, et minas. Vel usos veteres nonnunquam asserit mina pro minis, et Catonis exemplum affert. *Ant*. *Aug*. *Mina singulariter dici*

pro eo, quod minae pluraliter dicimus, Curiatius auctor est; item M. Cato in suasione . . . . . mina cogi nulla potuit. *Scal.* Minam pro minis dixisse veteres exemplo Catonis probat Festus quod notandum; distingui enim inter minam singulariter quam Graeci *μνᾶν* dicunt et minas notum est. Cicero cap. 11. de finibus (de Legg. II, 26.): *A quo iterum funerum sumtus praefinitur ex censibus a minis quinque usque od minam.* Verba Catonis forte e suasione legis Voconiae. *Dac.* Minam singulariter dici pro eo quod *Minae* pluraliter dicimus, Curiatius aûtor est. Item M. Cato in Suasione . . . mina colligi nulla potuit. *Goth.* Pertinet haec annotatio ad pag. nostrae edit. 171. ubi nunc ex Ursini coniectura legitur: *Mille singulariter* cet.

Municas. Quae desunt divinare non possum. Placidus in glossis: *Municare, communicare dictum a moeniis id est operibus.* Non dubium est veteres dixisse *moenicare* et *commoenicare;* ut *moerus, murus* et hoc forsan illud est quod Festus addebat. *Dac.*

Mancipatus ita adoptantis. (Ad p. 171.) Ad literam S hoc fragmentum pertinere iudicavit Scaliger, quia ibi de suis et necessariis heredibus agitur. Sed sic etiam illud non minus ad M literam pertinere, cum agat de eo qui a patre mancipatus et postea in adoptionem datus, ita adoptantis patris heres fit, ut patris sui naturalis suus heres erat. Animadverteram antequam in schedas incidissem. Hic autem aliud intendit Sulpicius quam quod primo aspectu videri potest. Neque enim dicit mancipatum et adoptantis patris, et patris naturalis suum heredem esse eodem tempore. Si ita diceret, peccaret certe. Nam mancipatus patris adoptivi tantum suus heres erat cum esset in eius potestate. Equidem iure praetorio vocabatur in tertios heredes, rescisa scilicet emancipatione hoc colore quod licet desierit esse suus heres patris naturalis, non tamen desiit esse filius. At postquam placuit Iustiniano emendare ius illud antiquum, filius quem pater extraneo adoptandum dederat, in patris naturalis potestate remanet, ita ut patri adoptivo succedat tantum ab intestato. Necesse est igitur aliud voluisse Sulpicium. En tibi: Sui heredes dicuntur qui sunt in potestate patris morientis ut filius, filia, nepos, neptis sive naturales, sive legitimi leg. I. ff. de suis et legitim. hered. §. 2. Mancipatus autem in patris adoptivi familiam transibat, adeoque cum esset in eius potestate recte eius suus heres erat. Desinebatque patris sui naturalis suus heres esse, quia in eius potestate esse desierat, sed si idem pater naturalis filium datum in adoptionem denuo readoptaverit, tum ille revertitur in potestatem patris atque adeo suus heres est, leg. 12. 41. et ult. ff. de adopt. Itaque in verbis Festi: *Et sui patris quasi in potestate* etc. subintelligitur sui patris *adoptantis*, et *τὸ esset*, id est *fuisset.* Quod et amico meo Vincentio Collessoni I. C. doctissimo in mentem video venisse. Porro hic *mancipatus* est *datus* in adoptionem, nam emancipationis verbo, quod latissime manat, continetur etiam datio in adoptionem. Qui enim a patre naturali dabatur in adoptionem alteri, adoptaturo eo mancipabatur per aes et libram. leg. ult. cod. de adoptionibus. *Dac.*

Multifacere. Ut parvi facere, flocci facere etc. Sed non video cur illud merito ab usu recessisse dicat Festus, quod quantitas non aestimetur numero, quasi vero quantitas non alia sit continua ab discreta. Sed forte pro *quantitas* rescribendum *qualitas. Dac.* *Multifa . . . . .* Ex epitome Pauli verbo multifacere, haec omnia facile intelliguntur. *Ant. Aug.* Ex scripturae vestigiis videre possit haec in duo capita fuisse divisa. Et forsan confusa sunt quae de multifariam scripta fuerant. Prius caput ita ex schedis: *Multifacere antiqui dicebant sicut magnifaccre item et parvifacere, testis est M. Cato in ea quam scripsit contra Q. Minucium Thermum de X hominibus: Neque fidem, neque iusiurandum, neque pudicitiam multifacitis quod quidem merito ab usu recessit, quia non aestimatur numero quantitas, nec desiderat multitudinem, nec continetur numero.* Sequebatur opinor *multifariam* ut in Pauli epitome. *Dac.*

Magisteria. Verba Festi ex his Pauli verbis intelliges; addebantur tamen alia de magisterio, ut opinor, ludorum Apollinis ex oratione nescio qua, quae contra orationem inscribebatur alterius oratoris. *Ant. Aug.* *Magisterium.* Difficile explere lacunas istas. Tamen de Apolline et de quodam scriptore, qui contra orationem nescio cuius quaedam de Apolline dixerat, tractabatur. Suspicor agi de oratione, quam habuit Varro ad populum ludis Apollinaribus de Nonis Caprotinis. Verba eius sunt haec ex quinto de latino sermone: ob hoc togam praetextam datam eis Apollinaribus ludis docui populum. *Scal.* *Magisteria.* Magistri. *Quae.* Qui. *Magis cet. possunt.* V. l. 57. de significat. verbor. *Goth.*

Maledictores. Maledic . . . . Praeter Hispaniae mentionem cetera ex Pauli epitome intelliguntur. *Ant. Aug.* Infra: *Cato cum proficisceretur in Hispaniam*, i. e. Cato in ea oratione quam habuit cum ad bellum Hispanicum proficisceretur, anno mundi 3755. *Dac.*

Mihipte. Verba Festi exceptis his, quae Paulus notat, non intelligimus. Sed exempli sumti ex libris Catonis ea esse arbitramur. *Ant. Aug.* Quae sequuntur Catonis verba sunt, sed quae frustra quaeras; et hic etiam mutilae sunt schedae. *Dac.*

Mansues. Plaut. Asin. I, 2, (19.):

Reddam ego te ex fera, fame mansuetem, me specta modo.

Dac. Vide Nonium in Mansuetus (pag. 483.) et *Mansues* (pag. 59.). *Goth.*

Meritavere. Catonis verba relata a Festo non assequimur. *Ant. Aug.* *Meritavere, saepe meruerunt*, Cato dixit, Poenorum IV. *Suffetes evocant omnis cohortes; omnis, qui stipendia meritaverunt.* Ita mihi videor scripturae Festi vestigia odorari. *Scal.* Rescribendum est *meritaverunt, saepe meruerunt.* Ut ex verbis Catonis manifestum est; in iis *omnis* pro *omnes* vel *omneis*, antique. Vide *suffes.* *Dac.*

Magnificius. Magni.... Catonis, Atei et nepotis M. Catonis, ut opinor, sententia obscura est, his paucis exceptis, quae Paulo debemus. *Ant. Aug.* Cum in hisce ruderibus excitandis satis diu me torsissem et eorum tantum partem aliquam edidissem, tandem me ab hac cura schedae liberum fecere, quae si non locum integrum, tamen aliquatenus restaurari facilem ponunt. Verba quidem Catonis ut valde confidentis esset se praestaturum recipere ita nimis meticulosi super iis coniecturam suam tacere. Locum igitur integrum sic tentabo: *Cato in ea quam scripsit .... Crimina magna quis homo quam tu aut pulcrius purgat aut magnificius. Nunc magnificentius dicimus cum magnificens eius positivus non amplius sit in usu. At nepos eius in ea quam scripsit ..... tamen ait: cum aedilis curulis esset is tum magnae* etc. De nepote Catonis vide Gellium lib. XIII. cap. 18. *Magnificior.* Iam alibi monuimus Festum libros suos ita conscripsisse ut voces omnes quae ab eadem littera incipiebant in eundem librum retulerit, nullo syllabarum ordine servato; inde factum est, ut qui singula alphabetico, ut vocamus, ordine disponere aggressus est, is multa reliquerit et corrupta et suis sedibus mota. Velut hic *magnificior quoque .....* quod ad *munificior* pertinet. Scriptum enim fuerat: *Munificior quoque deduxisse videtur.* Sed adi munificior. *Dac.*

Munificior. Ex his Pauli verbis intelliges Festi verba. *Ant. Aug.*

Mediocriculus. Mediocriculo. Obscurus locus, et ni fallor, mendosus. *Ant. Aug.* *Tò genere* abundat in verbis Catonis. Itaque dele; quin neque Paulus habet, quod non leviter fulcit coniecturam nostram. *Scal.* A mediocris est mediocriculus: in verbis Catonis *τὸ genere*, vel ut alii, *gerere* abundat, ut optime monuit Scaliger; neque illud infra Paulus agnoscit. *Dac.*

Mutini Titini. Vide an ita scribi debeat: *In angiportu; de quo aris sublatis balnearia sunt postea facta domus CN. Calvini: cum mansisset ab urbe condita ad principatum Augusti.* Cetera non assequimur; sed addi possunt, quae Paulus refert de mulierum sacrificio. Videndus etiam Tertullianus in Apolog. cap. 24. Arnob. lib. IV. contra gentes. Firmian. lib. I. cap. 20. Aug. lib. IV. cap. 11. de Civit. Dei. *Ant. Aug.* *Mutini.* Ita explemus: *Mutini Titini sacellum fuit in Veliis adversum murum Mustellinum in angiperta: de quo aris sublatis balnearia sunt facta Domitii Calvini: cum mansisset ab urbe condita ad principatum Augusti. Religiose et sancte cultum fuisse, manifestum est. Nam nunc ad sextum et vicensimum extra urbem aediculam habet, ubi et colitur, et mulieres togis praetextis velatae ei sacrificant.* Ultima supplevimus ex Paulo ita ut negari non possit, quin vera verba reddiderimus. Nam ex ....*iculum* fecimus *aediculam*, ex ....*ine, mulieres.* Nam ....*ine*, sunt apices litterarum syllabae, quae est penultima in voce, *mulieres.* Illud autem ....*vla,* quis dubitat esse reliquias vocis *Velatae? Scal.* *In Veliis.* Male al. in *velis.* Palatini montis pars versum Coelium *Veliae* dicebatur. *Murum Mustellinum.* Ubi murus iste fuerit nescio, forsan iuxta collem Latiarem in Quirinali ubi vicus fuit qui *mustellarius* Varroni dicitur. *Dac.* Mutinum Titinum Priapum vocabant quem nunc simpliciter vel Mutinum vel Tutinum. Nam *Mutinum* vel *mutunum* membrum virile significat ut et *Tutinum* sive *Tutunum*, nempe ex *tuta* pro *puta*, etc. Nempe a *μυττὸς pudendum, μυττών, μυττῶνος, muttonus.* Et a *ποσθή, ποσθών ποσθῶνος, pottunus* et *p* mutato in *t tuttunus. Dac.* Dixi ad l. XII. Tabb. Adde Tertull. Apologet. cap. 24. Arnob. 4. Lactant. 1, 20. August. de Civit. Dei 11. *Velis.* Veliis. *Praetextatis.* Praetextis. *Goth.*

Matronae. Ex his verbis quae sequuntur Festi verba potuerunt recte conscribi; et videndum est, an ad haec pertineant, quae de Vestali Claudia produntur, quae patrem complexa de curru se detrahi passa non est, Cicero pro Coelio, (c. 14.) Valer. Max. lib. V. cap. 4. Suet. in Tiberio cap. 11. *Ant. Aug.* Matronae a magistratibus non summovebantur, ne pulsari contrectarive viderentur, neve gravidae concuterentur; quam enim primam hoc iure usam ait Verrius, eam caeteris exemplum dedisse, adeo ut nec cum uxoribus adessent, quo descenderent, cogi viros a magistratibus, quod communi vehiculo vehitur vir et uxor. Media si non penitus ipsis verbis Festi concepta sunt, at saltem a sententia ac mente Festi propius absunt. De

Vestali quod monent viri docti, id vero exemplum locum hic non habet. Nam et Vestales matronae non erant, et quod essent ἀνέπαφοι id non privilegio feminarum ac sexus, sed iure sacerdotii ac dignitatis consequebantur. *Scal.* Hoc pendet e veteri Romanorum more, quo magistratibus puta consulibus, Praetoribus, interregibus etc. Dictatores per vias ambulantibus lictores apparebant, qui populum summoverent, et e via iuberent decedere; ab iis autem solae matronae non summovebantur, ut nec Vestales. Sed hoc illae matronarum ac sexus praerogativa, hae sacerdotii et dignitatis iure consequebantur. *Dac.* Infra *de essequo* antique pro *de essedo. Dac.*

Minuebatur populo luctus. Cum a Censoribus lustrum condebatur, hoc est cum censores censu peracto Suovetaurilibus urbem vel exercitum expiabant, id enim est *lustrum condere.* Livius lib. I. (c. 44.): *Ibi instructum exercitum omnem suovetaurilibus lustravit, idque conditum lustrum appellatum, quia in censendo finis factus est. Dac. Cum honos.* Puta consularis, praetoria, censoria dignitas, etc. *Cum in casto Cereris.* Vide *Graeca festa.* In casto Cereris esse dicebantur mystae qui, ut Cereri operarentur et puriter facerent, rebus Venereis abstinebant, ἥγνευον, id enim est ἁγνεύειν et castus ἁγνεία; unde pro ritu et instituto quia sic rite facerent. Varro rerum Roman. lib. I.: *Nostro ritu sunt facienda civilius, quam Graeco castu, rite et caste* ἁγνῶς. *Dac. Minuitur.* De Casto Cereris mihi non liquet, tamen non licere a lugentibus Cerealia celebrari docet Liv. lib. XXII. *Ant. Aug.* Facessit negotium doctis viris, quod in fine positum est *in casto Cereris.* Quod Graesi dicunt ἁγνεύειν τινὶ θεῷ, hoc Latini in casto alicuius Dei esse. Tertullianus libro de ieiunio: *Sed bene quod in nostris Xerophagiis blasphemias ingerens, casto Isidis et Cybeles eas adaequas.* Sed vide, quae olim diligenter de hoc in coniectaneis notavimus. Castimoniis Cereris qui operabantur, luctu carere solitas fuisse, tam ex Graecis, quam ex Latinis scriptoribus notum est. *Scal. Cum desponsa est;* fortasse melius: *cum desponsatio est.* Idque Fulv. Ursino etiam placuit: *Omnique gratulatione.* Hoc est cum ob quemcunque felicem eventum in templis Deis gratias agerent, puta ob liberatam urbem, ob servatum exercitum, ob victoriam ab hostibus reportatam. *Dac.* Dixi ad I. 15. ibi deminuto. Cod. quibus ex caussis infamia. *Familiam.* Familia. *Castro Cereris.* Casto Cer. Dixi ad Varron., et ex Livio constat (XXII, 56.) a lugentibus Cerealia celebrari non licuisse. *Constitissent.* Constituissent. *Goth.*

Maximae. Vide *ordo sacerdotum;* et decem Flaminum nomina ponit Varro lib. IV. et VI. de lingua Lat. Dialis, Martialis, Quirinalis, Volcanalis, Volturnalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Pomonalis. Adde Carmentalem ex Cicerone in Bruto, Portumnalem ex Festo, Persillum Virbialem ex marmoreis monumentis; item Divi Iulii, et Divi Augusti ex eisdem et eorum temporum historia. *Ant. Aug. Maximae dignationis.* Lege infra: *Minimae habetur* etc. Nempe: *Minimae dignationis.* In vett. libb.: *Minime.* Vide *maiores Flamines. Dac.* Vide infra *Ordo Sacerdotum. Inter quindecim.* Decem constituuntur a Varrone (pag. 88. pag. 198. Sp.). Illis adde *Carmentalem* ex Cic. in Bruto (c. 14.) *Portumnalem* ex Festo; item Divi Iulii et Augusti ex eiusdem et eorum temporum historia. *Goth. Minimi habetur.* Minime habetur. *Idem.*

Mundus. (Cf. pag. 172.) Verba illa mendosa sunt: ex iis qui intravere cognoscere potuit; forsitan scribendum: ut ex iis, qui intravere cognosci potuit. Item ex Pauli verbis addenda sunt nonnulla, ut puta *tertius dies, quo mundus patet.* Vide Varronem apud Macrobium lib. I. Saturn. *Ant. Aug.* Verba Catonis corrupta ita legimus: *Mundo nomen impositum est ab eo mundo, qui supra nos est. Forma enim eius est, ut ex iis, qui intravere, cognoscere potui, adsimilis illi. Eius inferiorem* etc. Nam inde incipiunt verba Festi. Supple etiam *maiores censuerunt.* Nihilo melius se habent sequentia, quae ita emendamus: *Ea de causa quod quo tempore ea, quae occultae et abditae religionis* etc. Varro apud Macrobium: *Mundus cum patet, Deorum tristium atque inferum quasi ianua patet; propterea non modo praelium committi, verum etiam dilectum rei militaris causa habere, ac militem proficisci: navim solvere: uxorem liberum quaerendorum causa ducere religiosum est. Scal.* Mundus hic est Platonis sedes, qua patente dies illos religiosos habebant veteres. Macrob. Saturn. I. cap. 19.: *Nec Latinorum tempore, quo publice quondam induciae inter populum Romanorum Latinosque firmatae sunt, incohari bellum decebat, nec Saturni festo, qui sine ullo tumultu bellico creditur imperasse. Nec patente mundo, quod sacrum Diti patri et Proserpinae dicatum est, meliusque occlusa Plutonis fauce eundum ad praelium putaverunt: unde et Varro ita scribit: Mundus cum patet Deorum tristium atque inferum quasi ianua patet. Propterea non modo praelium committi, verum etiam delectum rei militaris causa habere, ac militem proficisci, navem solvere, uxorem liberum quaerendorum causa ducere religiosum est.* Unde verba Festi satis intelliguntur. Sed in iis quaedam mutila, quaedam etiam corrupta sunt. Atque statim initio supplendum est: *Postridie Valcanalia IV. Non. Octobr. et ante diem sextum Id. Novembr.* Et ita est, patebat enim mundus III. Kal. Septemb. nam IV. erant Valcanalia. Item IV. Non. Octobr. id est die IV. Octobr.

et ante diem sextum Id. Novemb. nempe VII. Id. qui dies septimus est eiusdem mensis. Verba Catonis sic legenda ex Scaligero: *Forma enim eius est, ut ex iis qui intravere cognoscere potui, adsimilis illi.* Deinde *eius inferiorem.* Nam inde incipiunt verba Festi. Corrigenda etiam quae sequuntur, ita: *Quod quo tempore ea quae occultae et abditae religionis* etc. *Dac.* *Atteius.* Attius. *Pater.* Patre. *Idem loco.* Macrob. Saturn. I, 16. *Goth.* *Volcanalia.* Volcanali. *Ex iis qui intravere.* Ut ex iis, qui intr. cognosci potuit. *Commentariis iuris civ.* Vid. Gell. III, 18. (ibi C. Bassi commentarii commemorantur) l. 4. §. 1. ff. de verbor. signific. *Goth.* *Ille eius.* Illi eius. *Per eos dies.* Adde infra *Religiosus*, *Proeliares dies*, *Comitia.* *Idem.*

Mos est. Macrob. lib. III. Saturn. refert *Iulium Festum* lib. 13. de verborum significationibus scripsisse: *Mos est institutum patrium, pertinens ad religiones caerimoniasque maiorum.* Non dubito *Pompeium* pro *Iulio* scribendum apud Macrobium. Hic enim est locus, quem adfert, ex quo verba Festi sarciri possunt, paucis syllabis exceptis. *Ant. Aug.* *Mos* est institutum quodlibet consuetudine firmatum: *ritus* vero est ordo et modus in administrandis maxime sacrificiis, unde Virg. (Aen. XII, 836.):

— — — *Morem ritumque sacrorum*
Adiiciam.

Interdum tamen et *ritus* pro *more* usurpatus et *mos* pro *ritu*, ut hic. *Dac.* *Mos est institutum patrium (defunctorum) veterum pertinens maxime ad religiones cerimoniasque antiquorum.* Vox *defunctorum*, quae in codice apparet, explicatio est vocis *veterum*, neque apparet in schedis. *Mosculis.* A *mos mosculus.* Alii legunt *moscillis*, vel *mosillis* ut in gloss. Isidori *mosillus* parvus mos. Cui posteriori non adversatur analogia, nam ut a *pusus*, *pusillus*, sic a *mos mosillus.* Nihil tamen hic mutandum est. Optime enim a *mos*, *mosculus*, ut a *flos*, *flosculus* etc. *In ea quam scripsit* . . . . *vis qui moribus.* Schedae: *Mosculis Cato pro parvis moribus dixit in ea quam scripsit* . . . . Supra Festi et Pauli verba male cohaesere. Legebat Salmasius: *Muscillis Cato pro parvis moribus* etc. Muscilli *τὰ μυίδια.* *Dac.* Vide Macrob. Saturnal. III. *Goth.*

Milium. (Ad p. 173.) Varro lib. IV. (p. 109. Sp.): *Milium a Graeco:* nam id prius *μίλιν* pro *μέδιν*, ubi Turnebus rescribit: *μελίνη post μεδίνη.* Verum *μελίνη* proprie panicum quod a milio diversum, quare neutiquam ab eo potest originem capere milium, nisi id factum dicas propter quandam similitudinem utriusque leguminis. Nam *μελίνην* i. *panicum* similem *κέγχρῳ* i. *milio* tradunt Hesych. Dioscorid. Galen. et alii. Alterum etymon a millenario numero prorsus ridiculum. *Dac.* *Κέγχρον.* Gloss.: *Milium*, *κέγχρος*, *ἔλυμος.* *Goth.* *Μελίνην.* Ita Varro (pag. 109. Sp.). *Idem.*

Municipalia. (Ad p. 173.) Paulus non intellexit, quid esset ante civitatem Rom. acceptam; et ante urbem conditam interpretatus est; neque etiam municipalia sacra sunt urbis Romae sacra, sed municipiorum. *Ant. Aug.* Ex Festo scribe *acceptam* pro *conditam.* *Fulv. Urs.* *Municipalia sacra* quae municipes ante civitatem Rom. acceptam habuere, non autem ante Romam conditam ut male Paulus interpretatur. *Dac.* *Municipalia.* Id est municipiorum. *Conditam.* Acceptam. *Assuissent.* Assuessent. *Goth.*

Minora templa. Videndus Varro lib. VI. de Lingua Lat. *Ant. Aug.* Qui nos reiiciunt ad Varronem in libris de Lingua Lat. ut quae sint minora templa, ex eo putamus, non magis nos iuvant, quam si nullum de hac re verbum fecissent. Ne verbum quidem apud Varronem, ubi ille loquitur quidem de templis; ita tamen, ut quae sunt minora templa nihilo magis scias. Sed diserte Servianae schedae (pag. 337. f. ed. Dan.) id nos docent his verbis: *Alii templum dicunt non solum quod potest claudi, verum etiam quod palis aut hastis sustentatum, aut aliqua tali re et lineis, aut loris, et simili re septum est, quod ecfatum est. Amplius uno exitu in eo esse non oportet, cum ibi sit cubiturus auspicans.* In quibus verbis fere omnia, quae Festus scribit de minoribus templis, proponuntur. Tantum apud Servium legebatur, *quod et factum est* pro *ecfatum est.* *Scal.* Optime Servius: *Alii templum* etc. Ubi fere omnia quae Festus scribit de minoribus templis. *Effori* autem et *effata* auguralia verba sunt. Vide *sistere fana.* *Dac.*

Manes dii. Festi verba mutila ex Pauli epitome sarciri possunt, paucis exceptis. *Ant. Aug.* *Manes* a *mano* i. e. bono, quod boni sint. Alii per antiphrasin quia immanes. Prior sententiae favet quod in Graecis *χρηστοί* i. boni dicti sunt. Et *manes* lingua sacrorum pro *mani* ut *sacres* pro *sacri*; *patrimes*, *matrimes* pro *patrimi*, *matrimi*, et alia multa. Porro qui proprie Manes dicti fuerint, magna inter eruditos quaestio fuit, aliis alia existimantibus. De iis multa Plato, Plotinus, Porphyrius, Proclus, Apuleius etc. Notandum autem illud Melae lib. I.: *Augilae*, inquit, *Manes tantum Deos putant, per eos deierant, eos ut oracula consulunt, precati quae volunt, ubi tumulis incubuere pro responsis ferunt somnia.* Quae verba ex Ile-

rodoto fere transcripta, ab eodem Herodoto lucem capient, qui in Melpomene ubi de Nazamonibus ita scribit: Ὀμνύουσι μὲν τοὺς παρὰ σφίσι ἄνδρας δικαιοτάτους καὶ ἀρίστους λεγομένους γενέσθαι τούτους· τῶν τύμβων ἁπτόμενοι μαντεύονται δὲ ἐπὶ τῶν προγόνων φοιτέοντες τὰ σήματα καὶ κατευξάμενοι ἐπικατακοιμέωνται, τὸ δ' ἂν ἴδοιεν ἐν τῇ ὄψει τούτῳ χρῶντο. Lege: *Τούτων τῶν τύμβων* etc. Ut vides Mela *manes* vocavit, quos Herodotus iustissimos atque optimos vita defunctos. Qui viri, quoniam in inferis degere putabantur, inde Plinius cum haec a Mela accepisset, sic mutavit: *Augilae inferos tantum colunt;* et post Plinium Solinus: *Augilae vero solos colunt inferos.* Ita enim et Plinius et Solinus interpretandi; sed qui vere Manes fuerint omnium optime intellexit illustr. Huetius qui in doctiss. suis in Originem observationibus ostendit, vetustissimos Chaldaeos et Aegyptios astrologos fortunae sortem Lunae tribuisse, ut daemonis sortem Soli, huic res ad animum pertinentes, illi res corporeas curae esse existimantes. Inde Vettius Valens lib. IV. Anthol. cap. 5. docet Lunam esse fortunam in potestate habentem corpus et spiritum, Solem vero esse mentem et daemonem animas ad res gerendas excitantem et moventem. Inde Sol qui mens est et genius sive daemon, ut vertunt LXX. Interpretes, Hebraeis *meni* dictus, ut in illo Isaiae: et impletis *meni* libamen, et ut est apud Origenem *λατρεύοντες μηνί*, ex origine *mana*, i. e. *numerare*, quia Sol temporibus numerandis et dividendis praeest. Atqui sors daemonis seu genii, *cuius in tutela* ut quisque *natus est*, *vivit*, ut ait Censorinus. Et *natale comes*, *qui temperat astrum*, ut loquitur Horatius, tribuebatur Soli ab antiquis astronomicae disciplinae magistris, at Sol ipse Daemon appellabatur. Macrob. lib. I. Saturn. cap. 19. Quemadmodum autem in illo Isaiae cap. 65. v. 11.: *Qui ponitis mensam Gad.* LXX. interpretes *τῇ τύχῃ*, *et impletis meni libamen;* pro Luna sortem ipsi tributam fortunam nimirum propheta expressit: ita ad significandum Solem, sortem Soli deputatam, Daemonem scilicet seu meni notavit. Adeoque ex *meni* Hebraico prodiit Graecum *meni* Daemon seu genius qui et Sol, unde *μῆνες*, Aeolice *μᾶνες*, hinc Latini *manes* qui et Genii Serv. lib. VI. Aeneid.: *Ergo manes genios dicit, quos cum vita sortimur. Dac.* Adde supra *Mane. Terrae neque.* Terrenaque. *Goth.*

M . . . . . (Ad pag. 173.) Certum est, hic de Munere Festum scripsisse. Nempe munus esse administrationem rei publicae; et curam imperii quod plebis universae totiusque populi Comitiis delatum, ac mandatum est: ut fere in hanc sententiam scripsisse videatur: Munus, dicitur administratio reipublicae, magistratus, praefecturae, imperii, provinciae. Cum multitudinis universae consensu atque legitimis populi Comitiis mandatur, ut capere eam iussu populi, certove ex tempore, et certum ad tempus administrare possit. *Scal.* Vide supra post *Munitio. Munera* sunt *officia. Honores* vocat Horatius. Et inde munera dicti sunt ludi qui populo dabantur ab iis qui munere instructi, etc. *Dac. M . . . lebatarum.* Mille beatarum urbium . . . . s stetit pro regno . . . . dixisse ait Veranius in libro priscarum vocum; quod ei summae originem ac causam Graecus sermo dederit: eo autem non omnes uti. His proximum nescio quid dixisse videtur Festus: et rectae ei summae causam dedisse Graecorum sermonem. Gellius libro I. cap. 16.: *Mille*, inquit, *non pro eo ponitur, quod Graece χίλιοι dicitur, sed quod χιλιάς, et sicuti una χιλιάς, et duae χιλιάδες, unum mille, et duo millia certa atque directa ratione dicitur.* Puto autem testimonium illud, quod producit Veranius, esse ex scriptis Catonis. *Scal. M . . . . . . lebatarum . . . .* Haec viris doctis negotium facessunt. Ego a sequentibus puto disiungenda et componenda cum istis *mensae in aedibus*; nam in schedis ita scriptum: — *cuiusmodi est parentatio non sacrificium . . . . magno cr . . . . . tenebat aram; . . . .* postea sequebatur *mille urbium populus stetit*, ut supra. Non dubium est igitur, quin illud *lebatarum* sit pro illo *tenebat aram.* Et in iis Festus nobis ritum aliquem explicabat quem divinare nequeo. Putabat doctiss. Fulv. Urs. huc pertinere quod ait Varro lib. V. rerum divinarum apud Macrob. lib. III. cap. 2., aras primum ansas dictas quod esset necessarium a sacrificantibus eos teneri. Virgil. (Aen. VI, 124.):

Talibus orabat dictis arasque tenebat.

Mille urbium populus stetit. Lege: *Millo urbium populis stetit pro regno.* Aiebat quisquis ille sit unde hoc Verrius desumpsit, pro regno obtinendo populos mille urbium perdidisse etc. Hoc autem *mille urbium* Verrius adduxit, ut probaret τὸ mille a veteribus usurpatum eo consensu quo Graeci dicunt *χιλιάς*, *mille urbium*, non *mille urbes.* Sic Gellius lib. I. c. 16.: *Mille non pro eo ponitur, quod Graece χίλιοι dicitur, sed quod χιλιὰς et sicuti una χιλιάς et duae χιλιάδες, unum mille, et duo millia certa atque directa ratione dicitur. Dac.*

Monstra. Monstrum a *monendo*, *monestrum*, *monstrum*, passim apud bonos autores. Cicero tamen a monstrando lib. I. (c. 42.) de divinat.: *Quia enim ostendunt, portendunt, monstrant, praedicunt, ostenta, portenta, monstra, prodigia dicuntur.* Idem et lib. II. (cap. 23) de nat. Deor. Sed minus bene. De ostentis, portentis et prodigiis vide suo loco. *Dac. Monstrum.* V. l. 38. ff. de verbor. sign. l. 7. in fin. Cod. de posthumis heredibus. *Prodigium.* Vide infra *Prodigia.* Et d. l. 38. et d. l. 3. *Ostentum.* Vide d. l. 38. *Goth.*

Muta. Muta exta dicuntur, quibus nihil divinationis aut responsi elicitur. Ut contra adiutoria, quae certum aliquid indicant, aut ab incendio aut a veneno talique re certum instare periculum portendunt, aut finium deminutionem. *Scal.* Ex ruderibus istis aliquid excitare difficile. Nihil enim schedae praeter lacunas. Sic tamen recte vestigia sequi videor: *Muta dicuntur omnia quae nihil habent nisi vocem sive mugitum absque intellectu, inde etiam mutas dicimus litteras quae ita pronuntiantur ut cui potius conveniant sono cognosci non possit. Dac.* Ex verbis Festi cognoscere poteris, qualia exta non muta dixisset, ut si ab incendio, veneno, aut alio tali periculo aruspex cavendum esse respondisset, aut si finium deminutionem portendi dixisset. Haec Paulus omisit uti inania et iure religionis verae contemnenda. *Ant. Aug.* Ut contra quae aliquid portendebant, dicebantur *arguta.* Cicer. II. de divinat.: *Sunt enim qui vel argutissima haec exta esse dicant. Dac.* Non muta igitur, ex quibus aliquid divinationis animadvertebant; puta, si ab incendio, veneno, aut alio tali periculo cavendum esse respondisset augur; aut si finium diminutionem portendi dixisset. Id enim ex Festi fragmento facile potest intelligi. *Goth.*

Maiora auspicia. (Ad p. 173.) Ex libro M. Messalae Auguris de auspiciis primo apud Gellium lib. XIII. c. 14. haec Festi verba intelliges. Patriciorum auspicia in duas sunt potestates divisa, maxima sunt Consulum, Praetorum, Censorum: reliquorum magistratuum minora sunt auspicia. Ideo illi minores, hi maiores magistratus appellantur: *Maiora autem dicuntur auspicia habere*, inquit Gellius, *quia eorum auspicia magis rata sunt, quam aliorum. Ant. Aug.* His ita restituendis mihi viam fecerunt quae ex libro Messalae Auguris de auspiciis primo apud Gellium leguntur lib. XIII. cap. 14.: *Patriciorum auspicia in duas sunt potestates divisa, maxima sunt Consulum, Praetorum, Censarum. Reliquorum magistratuum minora sunt auspicia. Ideo illi maiores, hi minores magistratus appellantur.* Et postea me non vanum coniectorem fuisse reperi ex schedis ubi omnia ad verbum; maiora autem auspicia habere dicuntur, inquit Gellius, quia eorum auspicia magis rata sunt quam aliorum. Et inde lucem capit illud Virgil. lib. III. Aeneid. (374.):

Nate dea, nam te maioribus ire per altum
Auspiciis manifesta fides.

Etsi Servius *maioribus* interpretatur *coelestibus*, eo quod auspicium quod de coelo esset, verbo Augurum proprio *maximum* dicebatur. Sed mea interpretatio mihi videtur purior. Et huc respexisse videtur Horatius, cum cecinit Od. 5. lib. IV. (6, v. 21.):

Ni tuis victus Venerisque gratae
Vocibus, Divum pater annuisset
Rebus Aeneae potiore ductos
Alite muros.

Quod Virgilius dixerat *maioribus auspiciis*, ipse dixit potiore alite. Neque Virgilium melius quam per Horatium, ut contra Horatium melius nunquam quam per Virgilium possis interpretari. *Dac.* Cf. Gellium XIII, 4. *Goth.*

Mensae. Ut Festi verba intelligas, praeter Pauli epitomen lege Macrob. lib. III. Saturn. dum Virgil. VIII, (279.) Aeneid. versum interpretatur:

In mensam laeti libant, divosque precantur.

Ant. Aug. Mensae in aedibus sacris ararum vicem obtinent, quia legibus earum omnium sacrae mensae sunt, ut velut in ararum vel pulvinaris loco sint. Privati quoque in privis ipsis locis habent, ubi sacra habituri sint, qualis est parentatio non sacrificium. Parum abest, quin ita Festus scripserit. Quod ait legibus aedium sacrarum mensas quoque sacras esse, id Papyriano iure continebatur: Mensas scilicet arulasque eodem die, quo aedes dedicari solent, sacras esse; ut non dubium sit, quae lex dedicandae aedis fuerit, eandem ad vasa et mensas ipsas extendi. Cum enim aedis dedicaretur, et omnia quae ea continerentur, dedicari. Addit, *in ararum vel pulvinaris loco haberi.* Id quoque in eodem iure Papyriano relatum fuit, uti mensa hoc ritu dedicata in templo, arae usum et religionem pulvinaris obtineret. Postremo privatis licuisse in mensis suis sacra facere, qualis est parentatio, non sacrificium. Primum mensae sacrae erant impositione salinorum et sigillorum, quae ἐπιτραπέζια vocabant. Arnobius lib. II.: *Sacras facitis mensas salinorum appositu et simulacris Deorum;* hoc est, θεῶν ἐπιτραπεζίων, cuiusmodi est Hercules ἐπιτράπεζος Silva Statii et epigrammate Martialis celebratus. Inde sacra mensae frequenter apud veteres. Inde et in ὁμοτραπέζοις religio. Inde et Didoni apud Virgilium (Aen. I, 740.) libatio in mensa:

Dixit, et in mensa laticum libavit honorem.

Deinde non omnia sacra continuo et sacrificia sunt. Nam res divina cum Deo fit, sacrum quidem est, non autem sacrificium. Res divina aut sacrum non nisi in loco sacro fiebat; sacrificium etiam in loco non sacro. Aelius Iurisconsultus: *Si qua sacra privata suscepta sunt, quae ex instituto Pontificum stato die aut certo loco facienda sint, ea sacra appellari, tanquam sacrificium; ille locus, ubi ea sacra facienda sunt, vix videtur sacer esse.* Haec ille. Igitur res divina, ut parentatio et similia, rite in loco sacro, puta in mensa fit; sacrificium si fiat in loco quodam, non propterea sequitur locum sacrum esse, sed religiosum. Sic ad sepulcra res divina fiebat sacro parentali, quo nomine mensae in sepulcris ponebantur, et Graecanico et Romano ritu. Cicero de legibus (II, 26.), et scriptores Graeci auctores. *Scal.*

Mille urbium. (Ad p. 173.). Vide supra ad fragm. *M.* pag. 512, quo irrepsit nota *Dac.*

Mutas litteras et semivocales . . . . . (Ad p. 173.) Deest tantum: *In eo quem de tempore quo muta* etc. Vide in *solitaurilia.* Quae sequuntur pertinent ad *manumitti.* Sic: *Manumitti dicebatur servus sacrorum causa.* Locum adi. *Dac.*

Manumitti. Pauli verba interpretis vice fungentur verbis Festi, quae reliqua sunt, quibus addi potest, quod ex Caio lib. I. institut. refert Boetius lib. III. Topic. Vide *ambactus* et *Am. Ant. Aug.* Post *manumitti* ita, ni fallor, implendae sunt labes illae: *Manumittens modo caput, modo membrum aliud servi tenet, et dicit: Hunc hominem liberum esse volo; ac pro eo auri x . . . . . . solvit, ut, priusquam digreditur, efficiatur iuris sui, dum his verbis hominem liberum mittit.* Non dubium, quin intelligat dominum solvere vicesimam pro liberato servo: de qua lata est lex Manlia, ut ait Livius libro VII. Epictetus apud Arrianum libro II.: *Ὅταν οὖν στρέψῃ τις ἐπὶ στρατηγοῦ τὸν αὐτοῦ δοῦλον, οὐδὲν ἐποίησεν; ἐποίησε. τί; ἔστρεψε τὸν αὐτοῦ δοῦλον ἐπὶ στρατηγοῦ. ἄλλο οὐδέν; ναί. καὶ εἰκοστὴν αὐτοῦ δοῦναι ὀφείλει. τί οὖν; ὁ ταῦτα παθὼν οὐ γέγονεν ἐλεύθερος;* Item lib. III.: *Ὁ δοῦλος εὐθὺς εὔχεται ἀφεθῆναι ἐλεύθερος. διὰ τί; δοκεῖτε ὅτι τοῖς εἰκοστώναις ἐπιθυμεῖ δοῦναι ἀργύριον.* Quaenam summa hic definienda sit, non video, neque quare auri potius, quam fortunarum vicesima. Sed et in manumissionibus quae fiebant sacrorum causa, pendebatur auri nescio quid; vide in Puri adeo, ut nulla manumissio non esset vectigalis, quomodo loquitur Tertullianus. *Scal.* *Manumitti dicebatur.* Haec luxata fuerant; et prior pars huius capitis adhaeserat post *mutum* his vestigiis: . . . . *Ser* . . . . . sacrorum . . . . . . Id autem inde factum est, quod post mutum continuo hunc manumittendi morem Festus explicarat. Notum est autem dominum solvisse vicesimam pro liberato servo, de qua lata est lex Manlia; Liv. VII. cap. 16. Epictet. apud Arrian. lib. II. et lib. III. in manumissionibus etiam quae fiebant sacrorum causa eadem pecunia solvebatur, adeo ut nulla manumissio non esset vectigalis quomodo loquitur Tertullianus; ut optime notavit Scaliger. Vide infra in *Puri. Dac.* *Hunc hominem.* Vid. l. 33. ff. de manumissis vindicta. §. Caium lib. I. Instit. Boethium in III. Topic. *Goth.*

Moscillis. *Mosculis;* a *mos*, *mosculus.* Alii legunt *moscillis* vel *mosillis* ut in gloss. Isidori: *mosillus*, parvus mos. Cui posteriori non adversatur analogia: nam ut a *pusus*, *pusillus*, sic a *mos*, *mosillus.* Nihil tamen hic mutandum est. Optime enim a *mos*, *mosculus*, ut a *flos*, *flosculus.* *Dac.*

Migrare mensa. (Ad p. 174.) Locus obscurus interpretem desiderat. *Ant. Aug.* *Migrare mensa, quod sacra sit, Diisque templa posita, inauspicatum habebatur, cum sequior suaderet causa unde quidam fuisse* . . . . . Reliqua assequi non possum. Recte ait inauspicatum fuisse, mensa migrare, quia sacra esset, ut iam supra diximus, et quia vel eo nomine mensae omnes sacrae esse debent, quod in quo templo mensa est, eius Dei, cuius templum est, ea sacra sit. Huius superstitionis Plinius meminit lib. XXVIII. c. 2.: *Servii*, inquit, *principis viri commentatio est, quamobrem mensa linquenda non sit.* Vide locum. Ego sane quae hic Festus refert, ex ea commentatione Serviana desumpta puto. Fortasse quae sequuntur ita sarcienda sunt: *Unde quidam fuisse in tristibus dicunt ex libris, qui sunt Rituales appellati.* Nam in eo loco, in quo Rituales libri mensarum consecrandarum in templis ritum edocebant, verisimile est et de illis auguriis mensalibus, quae Vernisera appellabant, et de diris ac tristibus, quae contra accidebant, tractasse. Sed haec incerta sunt ac fortasse melius erat tacere. *Scal.* Quod addit Festus mensas in triviis poni solitas, de mensis Dianae sive Hecates intelligendum est. *Dac.*

Mente captus. Huc pertinent verba Festi, quae sequuntur. *Ant. Aug.* Gloss.: *Mente captus, ἄνους, amens.* Cui scilicet mens quasi vincta est, etc. Infra in verbis Festi deest vox *amens*; ita *et amens quod a mente abierit.* *Dac.* Vid. l. 25. Cod. de nuptiis. *Goth.*

Manare solem. Supple ita: *Manare solem solitos esse antiquos dicere ait, cum solis orientis radii*

splendorem iacere coepissent; atque ideo primum diei tempus mane dictum, quamvis magis id dicitur, quod manum bonum dicebant, unde est mature, quod id bonum, quod maturum; unde et Matuta dicitur. Quod Festus dicit *ait*, intelligit de Verrio, ut saepe. *Scal.* Idem Varr. lib. V.: *Diei principium mane quod tum manat dies ab Oriente, nisi potius quod bonum antiqui dicebant manum. Ad cuiusmodi religionem Graeci, cum lumen affertur, solent dicere φῶς ἀγαθόν.* Alii a diis manibus; sed verosimilius est a *manus* dici, hoc est *bonus*, clarus, lucidus. Ita Macrob. lib. I. Saturn. cap. 3. et Servius Aeneid. lib. III. Manare autem solem quia veteres luci et igni fluorem attribuebant ut alibi dictum est. *Dac.*

Mamertini. (Ad p. 174.) Ex spatio litterarum quae desunt scribi potest ita: *Mamertini appellati sunt Messanenses hac de causa.* Sunt alia, quae divinare non potuimus: sed historiae cognitionem non impediunt. Vid. Strabo lib. VI. (p. 268.). *Ant. Aug.* Ita Festus: *Mamertini appellati sunt a Mamerte hac de causa.* Deinde infra: *Cum in parte ea Siciliae consedissent, quae Taurominia dicitur, forte parantibus bello cernere Messanensibus auxilio venerunt ultro; eosque ab hoste liberarunt. Itaque provinciales ob meritum eorum ut gratiam referrent, et in suum corpus communionemque agrorum invitarunt eos, et nomen acceperunt unum, ut dicerentur Mamertini.* Strabo: *Τοσοῦτον δ' ἐπεκράτησαν οἱ Μαμερτῖνοι παρὰ τοῖς Μεσσηνίοις, ὥστ' ἐπ' ἐκείνους ὑπῆρξεν ἡ πόλις. καλοῦσι δὲ Μαμερτίνους μᾶλλον ἅπαντες αὐτοὺς, καὶ Μεσσηνίους.* Scripsimus Taurominia, quia propius ad scripturam accedebat; et Strabo *ταυρομενίαν* vocat. Alioqui scimus adiectivum Taurominitanum. Sallustius in veteribus schedis: *Scylla saxum est simile formae terebratae, quae forte inlata naufragia sorbens gurgitibus occultis, millia sexaginta Taurominitana ad littora trahit.* Quae ad verbum Strabo expressit: *Δείκνυται δὲ καὶ ἡ χάρυβδις μικρὸν πρὸ τῆς πόλεως ἐν τῷ πορθμῷ, βάθος ἐξαίσιον, εἰς ὃ αἱ παλίῤῥοιαι τοῦ πορθμοῦ κατάγουσιν εὐφυῶς τὰ σκάφη τραχηλιζόμενα μετὰ συστροφῆς, καὶ δίνης μεγάλης. καταποθέντων δὲ καὶ διαλυθέντων, τὰ ναυάγια παρασύρεται πρὸς ἠϊόνα τῆς Ταυρομενίας, ἣν καλοῦσιν ἀπὸ συμπτώματος τούτου κοπρίαν. Scal. Mamertini appellati.* Ita ad verbum schedae. Infra pro *Tauricana* quidam habent *Tauromenia*, quod idem est, a Tauro enim monte Tauricana recte dici potest, ut a Tauromenia urbe sive Fluvio *Tauromenia.* Porro a Festo diversus abit Strabo qui ait lib. VI.: Mamertinos Campaniae gentem Messanam inhabitavisse adeoque apud Messanenses invaluisse ut sub suam potestatem urbem redegerint, civesque ab omnibus Mamertini potius appellarentur quam Messanii. Vide et Polyb. qui etiam diversus abit. Supra *post annum vicensimum*, legendum *vicesimum*. Is enim fuit scribarum error solennis, ut *quotiens*, *Thensaurus*, *vicensimus* scriberent, cum iis datum fuisset *quoties*, *Thesaurus*, *vicesimus*, nota superadiecta ut illius syllabae quantitas appareret. De vere sacro vide *ver sacrum. Dac.* Cf. Strabo lib. VI. (pag. 268.) *Ver sacrum.* Vid. infra *Ver sacrum. Tauricana.* Taurominitana. *Cite.* Exercitum. *Goth.*

Murrata potione. Murrata potio idem quod *Murrina*, et murratum vinum unguentis temperatis, *μύρῳ κεκραμένη*, non *myrrha*, ut male quidam putant. Neque etiam ex una murrina ut infra Paulus. A *μύρον* ὁ *μυρίνης οἶνος*, ut a *φύλλον φυλλίνης*. Graecis dicitur nectar; ideoque et in supplicationibus ad pulvinaria deorum apponebatur. *Ne mortuo indatur.* Legis verba: *Muratam potionem mortuo ne indito. Dac.* Vid. quae dixi ad l. 16. ff. de tritico, vino cet. *Duodecim tab. cautum.* Dixi ad l. XII. tabb. *Goth.*

Muger. A veteri *mugo* pro *mungo* ut *frago* pro *frango*, *muger* muccosus, *morveux. Dac. Castrensium.* Castrensibus. *Goth.*

Muries. Vide quae super hoc in Coniectaneis notavimus. Addendum ex abstrusis, necdum publicatis Servii schedis: *Virgines Vestales tres maximae ex Nonis Maiis ad pridie Idus Maias alternis diebus spicas adoreas in corbibus messuariis ponunt: easque spicas ipsae virgines torrent, pinsunt, molunt, atque ita molitum condunt; ex ea farre virgines ter in anno molam faciunt, Lupercalibus, Vestalibus, idibus Septembribus, adiecto sale cocto et sale duro. Scal.* Non intellexit Paulus quid esset apud Festum *olla fritilis*, ideoque fictilis reposuit pessime. *Olla fritilis* genus erat vasis, quo in sacris Vestales utebantur, a *frit*, quod spicae summum est. Nisi malis ita dictam a veteri voce *fritinnus*, id est motitatio et subsaltatio cum motu, unde fritinnire apud Nonium subsilire cum sono. A *fritinnus* per diminutionem *fritillus*, ut a *cinnus cillus*, *pusinnus pusillus*; a *fritillus fritillire* et *fritillare* quod nos vulgo dicimus *fretiller.* Iam autem *fritilis* ut *sublimis*, *sublimus* etc. et sic dicta olla fritilis quod in ea sal in furno coqueretur et fritilliret. Neque enim *fritilis* corruptum ex *frictilis* quod viro doctissimo placuit. *Muries*, sal coctum ex quo et farre adoreo ter in anno Vestales molam faciebant. Serv. in Eclog. VIII. (l. c.). Hoc sal sordidum et coctum alio nomine *exfit* dictum fuisse cognoscimus ex Fabio Pictore. Vide *exfit. Dac.* Glossis: *Muria, ἅλμη. Goth. Dehinc.* Dein. *Seriae.* Dolii genus. l. 15. §. 6. ff. de Usufructu. Et dixi ad l. 206. ff. de verbor. sign. *Addent.* Addunt. *Goth.*

Mortuae. Scribe: *Flaminibus*, ut etiam extat in veteribus editionibus. *Scal. Mortuae pecudis corio.* Serv. lib. IV. Aeneid.: *Sane Flaminicae non licebat neque calceos, neque soleas morticinas habere: Morticinae autem dicuntur, quae de pecudibus sua sponte mortuis fiebant; neque supra genu succinctam esse.* Unde patet male apud Festum quosdam pro *Flaminicis* rescribere *Flaminibus. Dac. Suo morte extincta.* Id morticinium vel morticinum Varroni (p. 263. Sp.) et l. pen. ff. de via publica. Glossis: *Morticina, θανάσιμα. Goth.*

Me pro mihi. E et *I* promiscue ab antiquis usurpata fuisse praeter Festum monuit Quintilian. lib. I. (c. 7.) Instit. itaque in dandi casu *me* et *te* dicebant pro *mi* et *ti*, hoc est *mihi* et *tibi*. Huius rei luculentum exemplum est apud Plaut. Asin. III, 2, (31.):

Ut meque teque maxime atque ingenio nostro decuit.

Dac. Me pro mihi dicebant. Vide notam sup.; sed male hic Festus, nam prius exemplum nihil probat, cum Latini omnes non minus recentiores quam vetustiores dicant, *si quid illo homine fuerit, quid me fiat?* etc. quod interpres Terentii explicabit. Posterius autem nihilo etiam amplius cum apud Lucretium legatur, *saxa impendent mare*, lib. (I, 326.):

Nec mare quae impendunt vesco sale saxa peresa.

Praeterea, quod plane eiusmodi est, dicebant *exitium instat illos*; en tibi auctorem locupletem in Plaut. Poenulo (IV, 2, 96.):

— *Di immortales meum herum servatum volunt*
Et hunc lenonem disperditum, tantum eum instat exitii.

An ibi dixerit Festus *eum* esse in dandi casu? Sic et apud Lucilium invenias *incumbere gladium.* Sat. lib. XXVI.:

Suspendat ne se, an gladium incumbat ne coelum videat.

Dac.

Malevoli. Ianus in Turdellis quis sit, plane ignoro. *Ant. Aug.* Ita scripsit Festus: *Malevoli Mercurii signum erat proxime Ianum. Qui item erat in Turdellis Mercurius, malevolus appellabatur; malevoli autem, quod in nullius tabernam spectabant.* Notabis autem locum Romae Turdellos, cuius nemo alius veterum mentionem facit. *Scal.* Has lacunas ita olim expleverat Scaliger, et ita postea in schedis. Mercurius autem, qui in nullius tabernam spectaret, malevolus dictus est, quia Dii aspicientes favere putabantur, ut contra. Porro notabis locum Romae Turdellos dictum, ubi mercatores ut ad Ianum. Nemo enim alius veterum eius quod sciam meminit. *Dac.*

Malluvium. Malluviae et pelluviae, Graece *χειρόνιπτρα καὶ ποδόνιπτρα. Scal.* Malluvium et Malluviae vas ubi manus lavantur, quasi *manueluae* sive *manuluviae.* Graecis *χειρόνιπτρα*, ut *pelluviae* ubi pedes quasi *pedeluae* seu *pedeluviae*, Graecis *ποδόνιπτρα.* Hoc autem ad veterum morem respicit, qui non manus tantum, sed etiam pedes ante et post coenam lavabant. *Malluvium latum.* Legerem: *Malluvium latum in commentario sacrorum significat manus ut lavent.* Hoc sensu: *Cum malluvium latum erat, hoc in sacrorum commentario significabat ut manus lavarent.* Possis etiam legere *qui lavent,* eodem sensu. *Qui* id est *quo* pro *ubi. Dac. Pelluviae.* Vid. infra *Pelluviae. Commentarium.* Commentario. *Goth.*

Maximum praetorem. (Ad p. 175.) Sic in carmine Marcii vatis: *His ludis faciundis praesit is praetor, qui ius populo plebique dabit summum.* Liv. lib. XXV. (c. 12.) Macrob. lib. I. Saturn. De salutis augurio Cicero lib. I. de divin. (c. 47.) Tacitus lib. XII. (c. 23, 2.) Dion. lib. XXXVII. (c. 24.). *Ant. Aug. Maximum praetorem*, hoc est, urbanum, qui *maior* etiam et *honoratus* dicebatur, quia ius populo plebique dabat summum, ut est in carmine Marcii vatis apud Liv. lib. XXV. cap. 12. non autem quod caeteris erat aetate provectior. Vide *maior Consul. Pro collegio augurum.* Collegium, societas eorum, qui eandem artem tractant. Sic collegium fabrorum, collegium Pontificum etc. *In salutis augurio.* Salutis augurium per 44 annos intermissum Augustus restituit. Erat modus augurii, ut si Deus permitteret salutem populo poscerent, quasi ne salutem quidem a Diis petere fas esset, ni prius hoc ipsum Dii concessissent. Observabant autem diem unum quotannis, quo nullus ad bellum proficisceretur exercitus, nemo se ad bellum accingeret, nemo pugnaret, quare in periculis maximeque civilibus neutiquam fiebat. Vide Dionem lib. XXXVII. (c. 24.). *Dac.*

Mortis causa. (Ad p. 175.) Scribe: *Cuius stipulationis mors fuit causa.* Levis error. *Scal. Mortis causa stipulatio.* Lege in fine: *Cuius stipulationis mors fuit causa.* Et haec vera est huius stipulationis ratio, non vero quam putavit Labeo. *Dac.* Vid. leg. mortis causa. 34. ibi, ut quid stipuletur. ff. de mortis causa donationibus. *Goth.*

Marspedis. (Ad p. 175.) Filium Martis significare putarem, nisi me auctoritas Messalae moveret. *Ant. Aug.* Corrige ex iudicio Adriani Turnebi, quo doctiorem nostra non tulit aetas, *in precatione Solitaurilium.* Quidquid dubitet Messala, constat in formula solitaurilium ad lustrandum agrum ambarvali sacrificio, solum Martem nominari: *Marspiter te precor* etc. ut constat ex Catone titulo CXLI. Pro quo suspicor *Marspedis* dictum a veteribus. At quod putant doctissimi viri Marspedis esse Martis filium, hoc est, Martis *παῖδα,* plane est Horatianum *humano capiti cervicem equinam;* quare merito explodendum. Sed illud notandum, Martem in Solitaurilibus, aut aliis precationibus rusticorum non esse alium, quam Silvanum, propterea coniunctim aliquando vocatur Mars Silvanus. Idem Cato: *Votum pro bubus, ut valeant, sic facito: Marti Silvano in silva interdius* etc. De quo sic in libris de limitibus agrorum: *Omnis possessio tres Silvanos habet. Unus dicitur domesticus, possessioni consecratus; alter dicitur agrestis, pastoribus consecratus; tertius dicitur orientalis, cui est in confinio lucus positus: a quo inter duo pluresve fines oriuntur. Ideo inter duo pluresve est lucus.* De tertio intelligi apud Catonem necesse est. Primus vocatur etiam Silvanus larum, ut in illa inscriptione, quae extat Romae:

SILVANO
SANCTO
LARUM
PHILEMON
P. SCANTI
ELEUTERI
D. D.

Alterius, hoc est Silvani agrestis, mentio est in altera inscriptione, quam ex fide doctissimi amici nostri Aldi Manutii huc exscripsimus:

SILVANO
AG. SACRUM
IN MEMORIAM
C. RUFI ANTHI
IIIII VIRI
TALLIUS. LIB.
D. D.

Et de eodem intellexit Ovidius (Fast. IV, 755.):

— *nec dum degrandinat, obsit*
Agresti Fauno supposuisse pecus.

Tertii mentio est apud Horatium in Epodis (II, 21.):

— — — *et te pater*
Silvane tutor finium.

Marspedis igitur, et *Mars pater* apud Catonem intelligendus est Mars Silvanus orientalis agrestium, in interfinio duum aut plurium agrorum; est autem ex iure veterum Atheniensium. Nam in sacramento, cui dicebant ἔφηβοι, adiiciebatur ἵστορες θεοὶ ἄγραυλοι. Deinde ponit eos, *ἐνυάλιος ἄρης, ζεύς,* ubi *ζεύς* etiam est quem dapalem Cato vocat. *Scal. In precatione solitaurilium.* Vide *solitaurilia. Dac. Imprecative sesita vallium.* Quidam pro *sesita* legit *solita.* Et sic in precatione solitaurilium et Saturnalium. Turneb. 10, 15.: *Ne Messala quidem augur.* Fort. *Marspedis*, idem quod Martis puer aut filius. *Goth.*

Maior consul. Maiorem consulem. Alternis mensibus apud alterum consulem fasces erant, non penes unum tantum, et maiorem consulem dictum fuisse puto, qui eos haberet prior, nam sumere eos solebat qui maior natu esset. Praetor autem urbanus *maior* dicebatur, quia dignior erat et honestior, ita, ut veluti proprio cognomento honoratus appellaretur. Ovid. lib. I. Fast. (52.):

Verbaque honoratus libera Praetor habet.

Dac. Vide *Maximum Praetorem. Goth.*

Mendicum. Ex iis quae Paulus scribit *mendicum dici Verrius* etc. haec supplenda sunt. Scriptum autem fuisse videtur: *mente eius, quam fefellerit fortuna,* non *quem. Ant. Aug.* Imo potius mendicus a menda immediate, ut optime Scaliger in coniectaneis; est autem menda cum aliquid deest. A *minus.* Isidor. lib. X.: *Mendicus quia minus habet unde vitam degat.* Eiusdem originis est *mendicum*, vel ut alii *mendicium*, velum in prora, puta quia id minus velum esset. *Dac. Quem.* Quam. A. *Goth.*

Municipium. Sicut fuerunt Fundani. De Fundanis, Formianis, Cumanis, Lanuvinis, Tusculanis, Liv. lib. VIII. sect. 14.: *Lanuvinis civitas data* etc. *Aricini, Nomentani et Pedani eodem iure quo Lanuvini in civitatem accepti, Tusculanis servata civitas, quam habebant.* Deinde: *Campanis equitibus honoris causa, quia cum Latinis rebellare noluissent, Fundanisque et Formianis,* etc. *civitas sine suffragio data. Cumanos, Suessulanosque eiusdem iuris conditionisque cuius Capuam esse placuit.* Et de Acerranis sect. 17.: *Romani facti Acerrani lege ab L. Papirio Praetore lata, qua civitas sine suffragio data.* Addit Festus eos post aliquot annos cives Romanos effectos, quod verum esse de Fundanis, Formianis et Tusculanis discimus ex eodem Livio lib. XXXVIII. sect. 36.: *De Formianis Fundanisque municipibus et Arpinatibus C. Valerius Tappus Tribunus plebis promulgavit ut iis suffragii latio, nam antea sine suffragio habuerant, civitatem esset* etc., *rogatio perlata est, ut in Aemilia tribu Formiani et Fundani, in Cornelia Arpinates ferrent: atque in his tribubus tum primum ex Valerio plebiscito sunt censi.* Idque iis contigisse constat anno U. C. 565. totis centum quadraginta sex annis postquam iis civitas sine suffragio data fuerat. *Coerites.* Putavit vir doctiss. quem honoris gratia non appello, hic Coeritibus locum esse non posse, quippe qui priori modo municipes facti fuerint. Sed eum meminisse oportuit bis Coerites municipes factos, semel cum suffragii iure ob servata sacra Rom. cum Galli Romam occupassent, etsi contra Gellius, et iterum cum, postquam rebellarunt, victis quidem civitas data, sed ignominiae causa suffragii ius ademtum. De priori modo hic Festus. *Dac. Tertio cum.* Legendum infra, *uti municipia essent suae cuiusque civitatis.* Quamquam certe expedire hinc me satis non possum. Videtur tantum hic Festus tertium quoddam municipiorum genus facere, cum scilicet in ius coloniae transibant; quod aliquando factum fuisse notum est. Adde: vel potius de tertio quodam municipii genere loquitur, cum scilicet qui civitate Rom. donati fuerant, iidem legibus suis non spoliabantur, sed civitatis suae ius retinebant, quasi eius municipes facti essent. Qui sequuntur eos omnes colonos fuisse, in antiquorum monimentis reperi, praeter *Tiburtes* et *Arpinates.* De quibus amplius quaerendum. *Dac. Municipium.* Niebuhr. Histor. Rom. tom. II, pag. 67. So ungenügend wie dunkel wird die zweite Art der Municipes nur dadurch unterschieden, dass es solche wären, deren ganzer Staat mit dem Römischen vereinigt worden. Denn das passt nicht weniger auf die dritte, welche an sich eben so unverständlich bezeichnet werden als Bürgerschaften, deren Städte und Colonien bei ihrer Aufnahme in den Römischen Staat Municipia geworden wären. Quare legendum censet Niebuhrius: *Uti municipes essent suae cuiusque civitatis.* Idem Niebuhr. de tota hac glossa sic scriptum reliquit Histor. Rom. II, pag. 64. not. 109. Der Artikel *municipium* ist bei dem Festus durch eine merkwürdige Fügung erhalten. Er stand bei Festus auf einer weggebrannten Columne, und Paulus hat ihn übergangen; ein Römischer oder Ravennatischer Grammatiker aber, von den einzelnen Nachschösslingen der alten Schulen, im zehnten oder elften Jahrhundert hinzugeschrieben. Er fehlt nämlich in manchen Handschriften; wo er sich findet, steht er ausser der Ordnung, und die Vollständigkeit und Ausführlichkeit zeichnet ihn vor den dürftig zusammengezogenen Artikeln, die durch des Langobarden Hand gegangen sind, eben so aus, wie sich die von dem Auszug des Hermolaus aus Stephanus von dem noch mehr abgekürzten unterscheiden, welcher leider dessen Stelle einnimmt; oder der Fuldaer Servius zu den beiden ersten Büchern von dem trivialen Commentar unter demselben Namen. Auch einen andern Artikel *municeps* hatte Paulus übergangen; und über den ist wieder von Glück zu sagen, da er auf einem der Blätter stand, welche von dem Codex getrennt waren und jetzt verloren sind, die aber Pomponius Laetus abgeschrieben hatte. Dieser ist aus drei sich fremden Theilen zusammengesetzt. Zuerst steht eine Nachricht aus Aelius Gallus, wie das Recht des *municeps* auf dreierlei Weise gewonnen werde (durch Geburt, ausgeübte Isotelie, Freilassung durch einen Municeps); darauf folgten zwei Definitionen des isopolitischen Municipium; eine namenlose, und eine vom Servius dem Sohne. Cf. supra s. v. *Municeps.* Idem Niebuhrius Urbinates pro Arpinates legendum censet Hist. Rom. pag. 68. not. 118. *Urbinates* steht gewöhnlich nur als Variante, und im Text *Arpinates*, was ich nicht, weil es falsch wäre, verwerfe, da *Arpinum* seit 560, eben wie die andern hier genannten Orte, seit 660, Municipium war; sondern jenes vorziehe, weil es lauter Orte sind, die zu jener Zeit das Vollbürgerrecht erhielten, und auf gleiche Weise die Kraft und den Kern der Cinnanischen Partei bildeten. Arpinum würde fremd unter ihnen stehen; ein ähnliches, undeutliches Wort so zu lesen, fiel jedem Abschreiber ein. Der sehr gelehrte Urheber der Definition hat die zur Zeit der Zerstörung des Latinischen Staates vornehmsten fünf Städte in allen drei Classen angebracht; zwei, welche damals Vollbürger wurden; eine, die für eine Zeit lang unterthänig sein musste; zwei, die noch drittehalb Jahrhunderte Isopoliten, zwar nicht mit gleichem Rechte, blieben. Hactenus Niebuhrius.

Mater matuta. Ex his Pauli verbis sarcienda sunt, quae sequuntur Festi verba; una tamen lit-

tera diversa est, manis enim pro manes est scriptum, librarii, ut opinor, errore. *Ant. Aug.* *Matuta*, *manes*, *mane* a *mano*, i. e. *bono*, non a *matre*. At *matrimonium*, *materfamiliae*, *matertera*, *matrices*, *materies*, non a *mano* sed a *matre* quae Graece *μήτηρ*, Dorice *μάτηρ*. *Dac.* Vide supra in *Manum*. Glossis *Λευκοθέα*. Adde Nonium (pag. 66. ed. Merc.) in *Manum*. *Goth.*

Modo quodam. Paulus Festi verba refert; quae nos dimidiata invenimus. *Ant. Aug.* Lego: *Modo quodam id est ratione, a modo dicuntur ista omnia: commoditas* etc. *Dac.*

A D L I B R U M XII.

Naenia. Scribe: *Graeci enim νῆστιν extremum intestinum dicunt.* At quis ignorat a ieiunitate dictum? (A *νηστεύω* scilicet *ieiuno*, unde et Latinis *ieiunum* dicitur. *Dac.*) Deinde scribe: *Chordarum ultima νήτη dicitur.* (Vel etiam *νεάτη*, ut est apud Platonem. *Dac.*) Glossarius: *Naenia*, *ἀτονία*, ignavia scilicet. Nam et Naenia pro ineptiis. *Scal.* *Naenia carmen.* Multum abest, quin Festus ad verum neniae etymon accesserit. Neniae Hebraicum et Syriacum vocabulum, non Phrygium, quod putant Grammatici. Et planctum sonat, *nini* enim est *plange* apud Prophetam, unde et Phryges et post illos Graeci veteres *νηνίατον* vocarunt. Ab illis autem nationibus Syriae morem illum praeficarum deductum esse nemo ignorat, nisi qui in veterum historiis infrequens est. Imo Hebraei miri *θρηνῳδοί* fuerunt, quod crebro in prophetarum libris occurrit. Vide quae utiliter olim super his notavimus in coniectaneis nostris (pag. 142. St.). *Scal.* Alii ab Hebraeo *nin* (puer) neniam deducunt, ut sit proprie nenia, quidvis puerile, aut ad pueros spectans, ut cantilena quae pueris a nutricibus canitur ut somno occupentur. Arnob. lib. VII.: *Somni enim quieto solvuntur, occuparique ut hoc possint, lenes audiendae sunt neniae?* Inde quod in funere infantium canebatur *nenia* dictum etc. Sed verisimilius est neniam prius de cantu funebri dictam fuisse et deinde ad alia tralatam et ita dici coeptas res frivolas et nugas, praesertim cum *nugae* et *mortuaria* sic proprie dicebantur quae canebantur in mortuorum laudem. Plaut Asinaria (IV, 1, 63.): *Haec sunt non nugae, non enim mortualia.* Quod etiam origo declarat, nam *nugae* Hebraicum et Syriacum vocabulum, id sonat moerorem (sicut nenia planctum), de aliis quibusvis tetris rebus, et frivolis dicta sint. *Dac.* *Naenia.* Magna pars verborum Festi intelligitur ex Pauli epitome. Cetera sunt exempla quibus ostendebatur verum esse, quod dicebat. Plauti est fortasse in Truculento: *hera apud nos dixit Naeniam de bonis. Ant. Aug. Naenia est carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam, quod vocabulum Afranius in materteris posuit: naeniam inter exequias cantitabant. Sunt qui eo verbo finem significari crediderunt. Plautus . . . . abi ergo . . . . Idem: huic homini amanti mea hera dixit domi et apud nos naeniam de bonis mesto. Quibusdam dictam placet, quod ei voci similior querimonia flentium sit. Quidam aiunt naeniae ductum nomen ab extremi intestini vocabulo, quo vocabulo utitur Plautus in Bacchidibus: Si tibi est machaera, at nobis vervina est domi. Qua quidem ego te reddam, ubi me irritaveris, confossiorem soricina naenia. Sive quod eam vocem flendo efferimus; sive, quod chordarum ultimas Graeci νήτας dicunt, extremam cantionis vocem ab eo naeniam appellarunt.* In his videmus Verrio seu Festo placuisse ex quorundam sententia naeniam significare finem; ideo in Truculento Plautina naeniam dixit, idem esse, quasi supremam dixit: vale dixit. In superiore enim testimonio mutilo, illa verba *abi ergo* facile declarant, naeniam dicere idem esse ac abire iubere. Manifestum autem verba Plautina ex Truculento producta esse, quae tamen hodie sequius habent ita: *Huic homini amanti mea hera apud nos naeniam dixit de bonis.* Nam glossemata sunt illa *domi* et *mesto* ad explicandam sententiam. Nemo tamen negaverit plane ita olim Festum scriptum reliquisse, sicuti et illa ex Bacchidibus, quae proxime sequuntur, quae et ipsa aliter in nostris exemplaribus concepta sunt illo versu: *Qua quidem ego te faciam, si me irritaveris*, ubi notandum in Epitome ex officina mutilatoris illa verba deprompta esse: *Graeci enim νέτον extremum dicunt.* Non enim assecutus est Festi interpretationem, qui censet naeniam esse minutissimum intestinum, quod aliter hillam dicunt; ab eo Plautum dixisse (Bacch. IV, 8, 48.): *confossorem soricina naenia*, hoc est tam confectum vulneribus, ut ex eo nihil relinqueretur, quod hilla soricina non minutius esset. Sed profecto in eo longe errare Festum alibi docebimus. Quod infra legitur: *Sive quod eam vocem flendo efferimus*, idem prope est cum illo, quod superius dixerat: quod ei voci similior flentium querimonia sit. Vult enim naeniam *ὠνοματοποιῆσθαι*; quod scilicet flentes videntur eam vocem efferre; et sane olim adolescentes docuimus eam vocem ab Hebraea lingua manasse sine ullo prorsus dubio, in qua *Nini* est *plange, plange*, נְהִי נְהִי apud Prophetam, unde et Phryges et post illos Graeci veteres *νηνίατον* vocarunt. Ab illis autem nationibus Syriae morem illum praeficarum deductum esse nemo ignorat, nisi qui in veterum historiis infrequens est. Imo Hebraei miri *θρηνῳ-*

δοί fuerunt, quod crebro in prophetarum libris occurrit; vide quae utiliter olim super his notavimus in coniectaneis nostris (l. c.). Porro perperam *νεάτας* pro *νήτας* tam in epitome quam in ipsius Festi reliquiis excusum fuit. *Scal. Finem significari.* Nescio an hic Plauti verba laudarit Festus ex Pseudol. V, 1, (32.): *Id fuit naenia ludo.* Ibi enim naenia *finis.* Inde autem tracta est haec loquendi ratio, quod iis qui vitam finierant nenia cantabatur, etc. Haec verba *abi ergo*, quo pertineant, nescio. Imo eiusdem Plauti sunt, sed leviter corrupta. Lego: *Ubi ego circumvertor, cado, id fuit naenia ludo.* Et ita Festum legisse nemo dubitabit, quem nunc ita facile supplebis: *Plautus in Pseudolo, ubi ego circumvertor, cado, id fuit naenia ludo. Idem*, etc. Hodie in impressis Plauti libb. abest vox *ego*. *Dac. Huic homini amanti.* Ex Plauti Truculento (II, 1, 3.):

Huic homini amanti mea hera apud nos dixit naeniam de bonis.

Ista enim *domi* et *mesto* a Festo posita supra haec verba *apud nos*, et *huic homini* ad sententiam explicandam, ut optime animadvertit Scaliger. Ibi autem *neniam* dixit, idem est quod *supremam dixit*, vale dixit, abire iussit, eadem ratione qua supra diximus; non vero ut Lambinus interpretatur, *cantavit carmen leve, atque inane*, etc. quod ridiculum est. *Dac. Plaut. in Bacchidibus.* IV, 8, (48. seqq.); sed aliter in nostris exemplaribus:

Si tibi est machaera, at nobis vervina est domi
Qua quidem ego te faciam, si me irritaveris,
Confossiorem soricina naenia.

Hic autem censet Festus Neniam esse minutissimum intestinum, quod aliter *hillam* dicunt. Et inde Plautum dixisse confossiorem *soricina nenia*, hoc est tam confectum vulneribus, ut ex eo nihil relinqueretur quod hilla soricina non esset minutius. Sed longe hic errare Festum dicit Scaliger, neque tamen ipse suam nobis sententiam aperit. Mihi vero non Festus tantum, sed ii omnes quos hic aliquid tentasse video, longe a scopo videntur aberrasse, quorum alii ex Arnobio neniam *intestinum* etiam interpretantur. Alii *soricinam neniam* vocem esse dicunt quam emittit *sorex*, quae saepe ad illam vocem deprehenditur et confoditur. Quod cui unquam probari possit? Sed ne aliis arguendis immoremur diutius, tandem videamus an nobis aliquid, si non verius, verisimilius saltem repertum sit. Rem tribus verbis confectam dabo. Per *soricinam naeniam* machinulam intelligo capiendis soricibus denticulatim aculeis confixam, quae inde nenia dicta est, quod ibi neniam, funebrem cantum sorices captae canunt. Quae eleganter et venuste dicit Plautus: *Confossiorem soricina nenia. Dac. Naenia.* Ita Nonius (pag. 145. Merc.) et Gloss. Graec.: *Nenia, ἀτονία.* Dixi ad Varronem. *Aiunt.* Autem. *Dicitur.* Dictum. *Νέτον extremum. Νέατον.* Alii: *Νέστην extremum intestinum dicunt. Νέτη.* Alii *νεάτη. Naenia est.* Fortasse in Truculento. *Goth.*

Naeniae Deae. Nenia dea funerum ubi nenia canebatur. Augustin. de Civitat. Dei lib. V. cap. 9.: *Et Deos ad ipsum hominem pertinentes clausit ad Naeniam Deam quae in funeribus senum cantatur.* Arnob. lib. I.: *In tutela sunt Orbonae Orbati liberis parentes; in neniae, quibus extrema sunt tempora.* Sic tibicen, qui neniam canebat, dictus etiam nenia. *Dac.*

Navali corona. Plin. lib. XVI. cap. 4.: *Cedunt et rostratae civicis, quamvis in duobus maxime ad hoc aevi celebres M. Varrone e piraticis bellis, dante Magno Pompeio, itemque M. Agrippa tribuente Caesare e Siculis, quae et ipsa piratica, et postea dedit hanc Augustus coronam Agrippae, sed civicam a genere humano accepit ipse.* Idem lib. VII. cap. 30.: *M. Varroni Magnus Pompeius piratico ex bello navalem dedit.* Ex his intelliges Festi verba, paucis exceptis, quae plane ignoro. Adde Gell. lib. V. cap. 5. *Ant. Aug.* Prima Festi verba incipiunt: *Qui primus in hostium.* Desiderantur ergo praecedentia quae ex epitome ita supplebimus: *Navali corona solet donari, qui primus in hostium navem armatus transilierit, cuiusve opera manuve navis hostium capta fuerit. Itaque adeptus est eam M. Varro donante Cn. Pomp. Magno, bello piratico. Item A. Attilius, bello contra Nabim.* Quae sequuntur alio pertinent. M. Varroni coronam navalem datam auctor Plinius, et Varro ipse in II. de re rust. scribit bello piratico inter Delum, et Ciliciam Graeciae classibus se praefuisse. A. Attilius praetor cum classe missus est in Graeciam ad tuendos socios. Livius lib. XXXV, (c. 20.). Quae sequuntur, ut dixi, manifesto ad alia pertinent. Et carmen, puto Saliare, in testimonium producebatur. *Scal.* Corona navalis tota ex auro, rostris avium insignita. Ea donatum M. Varronem testatur Plin. (XVI, 4. VII, 30.). Et ipse Varro lib. II, (fin. praef.) de re rust. Scribit bello piratico inter Delum et Ciliciam Graeciae classibus se praefuisse. A. Attilius praetor cum classe missus est in Graeciam ad tuendos socios, Liv. lib. XXXV. (l. c.) de Saturnio carmine quod in tabulis duces publice ponere solebant, Attilius Fortunatianus de Saturnio metro: *Apud nostros autem*, inquit, *in tabulis antiquis quas trium-*

phaturi duces in Capitolio figebant, victoriaeque suae titulum Saturniis versibus prosequebantur, talia reperi exempla, ex Regilli fabula: Duello magno dirimendo, regibus subigendis. Dac. Adde Gell. V, 6. *Cn. Pomp.* Vid. Plin. XVI, 4. et VII, 30. *Goth.*

Nefrendes. Ex Festi verbis intelliges primam opinionem Mucii fuisse, alteram Aterii, qui Livii carmine se tuebatur. Cetera ex Paulo nota sunt. Vid. Fulgent. (p. 559. Merc.) Placiades de antiquis vocibus, et Festus: *Rienes. Ant. Aug. Nefrendes,* qui dentibus frendere non possunt, hoc est frangere ut apud Serenum: *Fruges frendeo solas, ac sicco robore.* Inde *nefrendis puer, nefrendis porcus.* Varro lib. II. de re rust. cap. 4. de porcis: *Amisso,* inquit, *nomine lactentis, dicuntur nefrendes ab eo quod nondum fabam frendere possunt, id est frangere.* Vide *frendere.* At *nebrundines* sive *nefrundines,* et *nefrendes* antiquis dicti qui postea *rienes,* a Graeco νεφροί id est *rienes;* et inde postea *nefrendes* et *nefrundines* ad testiculos translatum, quod testiculi rotundi sunt ut rienes. Fulgentius nefrendes porcos dici putavit porcos castratos, quasi sine renibus, sed frustra. Terent. Scaurus de Orthographia (pag. 2251. P.): *Ne pro non antiqui posuere, ut nefrendes porcos qui sunt sine dentibus, id est, qui fabam frendere non possunt. Dac.* Verba Livii sunt ex veteri Odyssea: *Quem ego nefrendem alui lacteam immulgens opem.* Ex illo:

Παῖδα γὰρ ἀνδρὸς ἔηος ἐνὶ μεγάροις ἀτιτάλλω. Ὀδυσσείας ο', (450.)

Ἀτιτάλλειν circumloquitur alere nefrendem lacteam immulgentem opem, ut possis advertere περιεργίαν veterum latinorum in reddendis et exprimendis Graecorum verbis. Cum tamen in sententiis saepe eorum diligentiam requiram, ut ostendi olim in coniectaneis. *Scal. Nebrundines.* Nefrundines. Vid. infra *Rienes. Goth.* Non videtur ex Livii Odyssea desumptus esse versus iste, quum constet, Odysseam Livianam scriptam fuisse versibus Saturninis, versus autem, quem hic legimus, senarius sit iambicus:

Quem ego néfrendem alui lácteam immulgéns opem.

Nequeunt. Melius *neceunt.* Verba Livii ita legenda: *Partim errant; nequinunt Graeciam redire. Scal.* Lege: *Neceunt,* a *nec, non,* et *eunt.* Vide *nec* et *nepurus. Dac.* Verba Scaligeri pertinent ad glossam quae infra legitur *Nequinont.* Ceterum nisi legendum *Nec eunt,* at ita explicandum vocabulum.

Necerim. Necerim pro *nec im. Suerem* pro *suem; nucerem* pro *nucem,* et similia. *Scal.* Antiquo declinandi modo pro *nec im, nec eum. Dac. Necim.* Alii *necim. Goth.* Lege: *Necenim pro nec eum.* Ex stirpe pronominali Sanscrita *na,* nascitur *nam,* qui est proprie accusativus, qui postea in adverbium abiit, quae tum coniunctio est facta, ut *tam, dam, tum, quum,* particulae, quae similem habent originationem. Ex eadem stirpe, praeposita *e,* sive ex stirpe *ena,* factum est *enim,* quod propius ab origine sua sonat *ĕnam,* pro quo apud Festum legitur *ennam,* cum interpretatione *etiamne.* Non recte ego supra ad v. *Ennam* putabam *Eniam* legendum esse, sed *enam* verum videtur. Fieri enim potest, ut illud *enam* paullo aliam, atque *enim,* induxerit notionem. Nam uti *num,* interrogandi particula, proprie fuit accusativus pronominis vetusti, cui respondet Graecorum νύν; ita *enam* quoque interrogandi potestatem accipere potuit, quam Festus interpretatione sua reddere volebat. Cf. Bopp. über einige Demonstrativstämme cet. pag. 17.

Nemora. Reliquiae Festi ostendunt illum originem Graecum deduxisse παρὰ τὸ νομὰ εἶναι ἐν αὐτοῖς, exemploque usum Graeci poetae ἐν νέμεϊ σκιερῷ. *Ant. Aug. Nemora.* Prima linea deest. Supplendum autem totum ita: *Nemora videtur idem, quod silvas amoenas valere. Cuius vocabuli auctor Homerus cum ait:* Ἐν νέμεϊ σκιερῷ ἐπί τε λῖν ἔμβαλε δαίμων. *Dubium non est designare locum, qui campos et pascua habet,* διὰ τὸ νομὰς εἶναι ἐν αὐτῷ. Locus, quem citat, est Ἰλιάδος λ'. *Scal.* Recte quidem Festus nemus a νέμος quod Hesych. interpretatur σύνδενδρον τόπον καὶ κόμην ἔχοντα, *locum arboribus consitum et pascua habentem.* Locus Homer. est Iliad. λ'. (XI, 480.). *Dac.* Ὁμὰ εἶναι αὐ–. Παρὰ τῷ νομὰ εἶναι ἐν αὐτοῖς. *Goth.*

Nemut. Exemplum omisit Paulus, Catonis fortasse, qui hoc verbo usus est. *Dac.*

Neminis. In verbis Catonis, quae Paulus refert, verbum *corde* nihil significat; at si addas, *lapideo,* sensus elicitur. Sed videntur esse poetae alicuius, ut illa: *et quis dicere cum sit.* Fortasse Ennii in Erechtheo, de qua tragoedia Gell. lib. VI. cap. 16. et Macrob. lib. VI. Saturn. *Ant. Aug.* Mira hic est Pauli supinitas, qui Catoni tribuit, quae sunt Ennii, ut infra ex Festo. *Dac. Neminis genitivo casu usus est Cato, cum dixit: et quis diceret, cum sit neminis? Idem de magistratibus vitio creatis: neminisque . . . Ennius in Erectheo, etc. Scal.* Neminis etiam legitur apud Plautum Captiv. III, 5, (106.):

— — — *neminis*
Miseri certum est, quia mei miseret neminem.

Dac. Neminis genitivo casu. Pro *Nullius.* Adde Nonium in *Neminem* (pag. 143. Merc.). *Non miseret neminis.*

Hic duo negativae pro una accipiendae, ut apud Nonium in *Negativas duas* (pag. 530. 532. Merc.). Et in l. duobus negativis 237. ff. de verbor. signif. *Goth.*

Nemo. A *ne* pro *non* et *homo* vel *hemo*, ut antiqui dicebant. *Nemo* autem et *nullus* eo differunt, quod *nemo* de persona tantum, *nullus* tam de re quam de persona; etsi *nemo dies* alicubi me legisse memini. *Dac.*

Neci datus. Non tantum de eo, qui veneno vel fame necatus est, sed et manu; ut *necare.* Sic *ferro et fuste necare* dixit Sallustius, *securi necare* Livius, *verberibus et telo necare* Ulpianus. Vide *occisum.* *Dac.*

Necessarium. A *ne* et *cesso*, vel a *nec* et *esse.* Quia sine eo nec esse possumus, nec bene esse; inde *necessarii,* cognati et adfines, et *necessitudo*, vinculum adfinitatis et cognationis. Gloss.: *Necessitudo*, ἀνάγκη κατὰ φιλίαν, καθῆκον. Item *necessarii*, οἰκεῖοι, ἀναγκαῖοι. *Dac.* *Opillius.* Opilius. *Prohiberi.* Prohibere. *Necessarius.* Οἰκεῖος, ἀναγκαῖος. *In quos necessaria officia.* Ut haereditas, quam liberis debemus. Vid. Instit. de haeredum qualitate. *Goth.*

Neglegens. *Nec legens*, c in *g*, ut *nec otium*, *negotium.* *Negligens*, qui non legit, id est deligit. Varro lib. V. de L. L.: *Negligentia igitur ex eo quod quis non utatur dilectu: diligentia contra, quia diligat, hoc est deligat.* *Dac.* *Electum.* Dilectum. Vide supra *Dilectum.* *Goth.*

Nec coniunctio. *Nec coniunctionem.* In verbis XII. tabularum relatis: *Ast ei custos necescit. Item, si adorat furto* etc. crederem scribi oportere, *nec esit*, et verbum *adorat* significare *agat*, ut idem Festus scribit verbo *adorare.* Varro lib. VIII. de Ling. Lat. (pag. 530. seq. Sp.): *Sum quod nunc dicitur, dicebatur esum, et in omnibus personis constabat quod dicebatur esum, es, est; eram, eras, erat; ero, eris, erit.* Vel *esit* significat *erit*, vel *sit* et utroque casu videtur deesse *si.* *Ast si ei custos nec esit* Sed *escit* quoque significat *erit*, ut in littera *E*, et *superescit.* *Ant. Aug.* In verbis XII. tabularum Turnebus legendum censet, *carcer custos nec esit* pro *ast ei custos nec esit.* Quod quid sit, ego plane non assequor. *Scal.* *Nec* pro *non* in leg. XII. tab.: *Sei furiosus existit, ast ei custos nec esit.* *Esit* pro *erit.* *Dac.* *Si adorat furto.* Vide *Adorare.* *Apud Plautum in phasmate.* Phasma dicebatur olim Plauti fabula, quae nunc Mostellaria. Locus est act. I. sc. 3. (v. 83.). Sed et apud Plautum et apud Turpilium legendum est *necrecte* unica voce, vel *nerecte*, et in verbis Turpilii delendum *quod.* *Dac.* *Disiunctivam.* Idem fatetur Augustin. in Grammaticis praeceptis (pag. 2013. P.), quod tamen non faterentur nostri. De quo vide Alciatum in l. si quis. 133. ff. de verbor. sign. *Ab antiquis pro non.* L. 1. §. ad fiscum. 18. ff. ut legatorum nomine l. 3. si duo. 10. ff. de Carboniano. *Esit.* Vide supra *Escit*; et infra *Superescit.* *Si adorat.* Vide supra *adorare.* *Goth.*

Nec mulieri. Mulier in veteri proverbio Graeco est inter ea, quae facile beneficii accepti obliviscuntur. Proverbium id est:

Μήποτ᾽ εὖ ἕρδειν γέροντα, μήποτ᾽ αὖ τινὸς κύνα
Μὴ γέροντα, μὴ γυναῖκα, μὴ λάλον κωπηλάτην.

Scal. De gremio autem belle admodum Catullus (65, 19. seqq.):

Ut missum sponsi furtivo munere malum
Procurrit casto virginis e gremio,
Quod miserae oblitae molli sub veste locatum,
Dum adventu matris prosilit, excutitur,
Atque illud prono praeceps agitur . . . . decursu,
Huic manat tristi conscius ore rubor.

Dac.

Necunquam. Forte e libris Pontificum. *Dac.* Legendum *Necunquem*, vel *Necunquom.*

Nequalia. An a *ne* et *qualia*, vel a *ne* et *aequalia*, ut legendum sit *nequalia*, *detrita.* *Dac.*

Nequinont. In carmine Livii non est verbum *nequinont*, et vereor, ne pro *neque nunc nequinont* sit scribendum. Ratio autem carminis valde incerta est, quacunque ratione scribatur. Homeri versus ex Odyssea, quam Livius vertit. *Ant. Aug.* Verba Livii Andronici sic legenda:

Partim errant, nequinunt Graeciam redire.

Dac. Vide Scaliger. supra in *Nequeunt* pro *non eunt.* *L.* Alii *Neque nunc.* A. Sic infra *Prodinunt* pro prodeunt; *redinunt* pro redeunt; *obinunt* pro obeunt. *Solinunt.* i. e. solent. Ex hoc loco verosimile mihi fit, infra in *Solino* non *consulo*, sed *idem quod soleo* legendum. *Livius in Odyss.* Homeri Graeca verba sunt. *Goth.* Hermannus expressa putat ex Hom. Odyss. IV, 495. Cf. Herm. Elem. doctr. metr. pag. 621.

Nequitum. Pacuvii Trochaicum emendamus:

Sed cum contendi nequitum vi, clam tendenda est plaga.

Ubi notabis simpliciter plagam etiam pro *rete.* Glossarium: *Plagae, κυνηγετικὰ λίνα.* *Scal.* *Fana in eo loco.* Catonis verba de Tarquinio, qui *ut libera a caeteris religionibus area esset tota eius templique eius quod inaedificaretur exaugurare fana sacellaque statuit, quae aliquot ibi a Tatio rege primum in ipso discrimine adversus Romulum pugnae, voto consecrata inaugurataque postea fuerant, inter principia condendi huius operis, movisse numen ad indicandom tanti imperii molem traditur Deos. Nam cum omnium sacellorum exaugurationes admitterent aves, in Termini fano non addixere.* Liv. lib. I. (c. 55.). Vide et Flor. lib. I. cap. 7. *Dac.* *Praeterquam.* Perquam. *Goth.*

Nectere. Vide *napuras.* *Dac.* *Naturas.* Nepuras. Vid. supra *Napuras.* *Goth.*

Nectar. Virg. lib. I. Aen. (v. 437.). *Ant. Aug.* Murinam exponit Festus alibi; locum adi. Versus Lucretii sic ab aliis legitur (II, 847.):

Et nardi florem nectar qui naribus halet.

Dac. Adde supra *Murrina.* Id Plinio XIV, 16. *Nectarites.* *Goth.*

Nequam. Suspicor Lucilianum versum hac emendatione egere:

Nequam est, aurum auris quoius vehementius ambit.

Hoc est, nequam is est homo cuius aures aurum ambit. Male audiebant apud Romanos barbari, praesertim Poeni, qui aures perforatas habebant; neque mediocriter eos aversabantur. Plaut. Poenul. V, 2, (20.):

Atque ut opinor digitos in manibus non habent.
Ag. *Quid iam?* Mi. *Quia incedunt cum annulatis auribus.*

Unde iocus Ciceronis in Afrum: *Atqui aurem foratam habes.* Aliter non video, quae argutia sit, si Sinnii Capitonis sententiam sequamur. *Scal.* Ex *ne* et *quidquam.* Varr. L. L. IX. (pag. 589. Sp.): *Ut ex non et volo nolo, sic ex ne et quidquam item media extrita syllaba coactum est nequam.* *Dac.* *Nequam* ἀχρεῖος, cui opponitur homo frugi et diligens. De quo l. 11. ff. de periculo et comm. rei vend. *Goth.*

Nervum. Glossarium: *Nervus* ξυλοπέδη. Simpliciter veteres Attici nervum vocabant κᾶλον, hoc est lignum. In XII.: *AERIS. CONFESSEI. REBUSQUE. IURE. IOUDICATEIS. TRIGINTA. DIES. IUSTEI. SUNTO. POSTIDEA. INDU. MANUS. IACTIO. ESTO. IN. IOUS. DUCITO. NEI. IOUDICATUM. FACIT. AUT. QUIPSENDO. IOURE. VINDICIT. SECUM. DUCITO. VINCITO. AUT. NERVO. AUT. COMPEDIBUS. QUINDECIM. PONDO. NE. MINORE. AUT. SEI. VOLET. MAIORE. VINCITO. SEI. VOLET. SUO. VIVITO. NEI SUO. VIVIT. QUI. EUM. VINCTUM. HABEBIT. LIBRAS. FARRIS. IN. DIES. DATO. SEI. VOLET. PLUS. DATO.* Nam, uti dixi, κᾶλον vocabant hunc nervum; unde, qui ex lege nexi erant, dicebantur ἐγκαλοσκελεῖς in legibus Atheniensium. Glossae Hesychii: Ἐγκαλοσκελεῖς οἱ μὴ ἀποδιδόντες τὰ χρέα, ἐν κάλοις ἐδεσμεύοντο τοὺς πόδας. Unde Terentianum (Phorm. IV, 4, 15.): *In nervum potius ibit.* Tertullianus: *Nescio an crus de periscelio in nervum se patiatur artari.* Versus Plauti mendosus ita legendus:

Perfidiose captus, edepol nervo cervices probas.

Scal. Nervus vinculum ferreum, quo pedes vel cervices impediuntur; de cervicibus Plaut. ut emendat Scaliger: *Perfidiose* etc. hoc est, *convenientes*, et in Aulul. IV, 10, (13.). Neque ferreum tantum vinculum, sed et ligneum, unde veteres glossae ξυλοπέδην interpretantur ritu Attico. Attici enim simpliciter nervum vocabant *κᾶλον, lignum.* *Dac.* *Aedepol.* Eo pol. *Goth.*

Nexum. (Ad p. 177.) Solennis ritus et formula abalienationis eius rei quae mancipio dabatur vel pignori. Cicer. III. (c. 40.) de Orat.: *Nexum est quod per libram agitur.* *Dac.* *Testamenti factio.* Testamentum per aes et libram intellige, quo paterfamilias ei, quem successorem elegerat, familiam suam ac universum ius patrisfam. mancipio vendebatur, ab illo nummum aeneum qui libra pendebatur, imaginarii pretii nomine, accipiens. *Nexi datio.* Nexum dare, *donner quelque chose en hypotheque, en gage jusques à l'entier payement, par l'entremise de la balance et de la monnaye.* Et differunt *nexum dare aliquid* et *nexu tradere aliquid.* *Nexum dare* est rem tradere ita ut non plane ac solide transeat ad emtorem, sed nexa et obnoxia maneat venditori. *Nexu tradere*, ita rem abalienare, ut ea accipientis fiat in solidum. *Dac.* *Nexum.* Dixi ad Varronem (p. 385. Sp.). *Nexi danto.* Nexi datio. *Nexi liberanto.* Nexi liberatio. *Goth.*

Negumate. Verba Cn. Marcii interprete egent. *Ant. Aug.* Lego *neginate*, vel *negunate.* *Neginare* pro *negare*, ut *natinare* pro *natare.* Carminis Martiani verba ita videntur legenda:

Quamvis induitium duonum, negumate.

Quamvis, inquit, bonum fuerit initium, tamen negate semper futurum. *Scal.* Lege *negunate* a *nego*, *negino* sive *neguno* ut a *nato*, *natino*; *fuco*, *fucino*; *coquo*, *coquino*; *trico*, *tricino*. *Scal.* Retinendum *negumate*, ita enim pro *negunate* *n* converso in *m*, ut in *muginari* pro *nuginari*. *Dac.* Cf. Herm. Elem. doctrinae metr. pag. 614., qui facilius etiam *molimentum* coniici posse pro *moventium* dicit. Verbum *negumare* procusum est ad normam illorum: *auctumare*, *aestumare*; cf. quae supra diximus ad v. *Auctor*. Dubium non est, *negare* compositum esse ex *ne* et *ajo*, cui posteriori respondet Sanscritum *ăh* vel *âh*, dicere, Goth. *aika*, dico. Vetus igitur forma fuit haud dubie *ăho* et *âho*, unde *ne-ăho*, et inde *nĕgo*; et *aio* simplex, cuius penultimam brevem etiam fuisse credibile est ex disyllabo *aiebam*, *aibam*, monosyllabo *ais*, *ait*. Non tamen minus credibile est, in productiori forma *negumo* antepenultimam produxisse priscos, quare versum Marcii sic legendum esse existimaverim:

Quantúmvis moliméntum duónum negumáte.

Negritu. (Ad p. 177.) Dubito quid hoc verbi sit; puto tamen *ritu* esse pro *rite*; *nec ritu*, *negritu*, ut *nec otium*, *negotium*. Ergo nec rite, cum non recte est: *rite* autem et *ritu* ad sacrificia et auguria pertinere notum est. *Dac.*

Nebulo. Nebulo μάλθων, ὁ τὰ ἴδια λάθρα καταφαγών, εἰκαῖος, ὁ λάθρα ἄσωτος. Glossarium. *Scal.* *Nebulo vel inanis vel vanus aut mollis ut est nebula.* Donat. Et Horatii interpres.: *Nebulones vani et leves ut nebula.* Gloss.: *Nebulo* ὁ τὰ ἴδια λάθρα καταφαγών, εἰκαῖος, λάθρα ἄσωτος. *Dac.* Adde Nonium in *Nebulones* (pag. 18.). *Goth.*

Negabundum. *Negibundum* pro *negabundum*, ut artire pro artare, impetrire pro impetrare. *Scal.* Alii *Negabundus*. *Goth.*

Neutiquam. Hic versus, *neutiquam cor* etc. citatur a Cicerone (Acad. prior. II, 17.) in Academicis sine poetae tamen nomine. Ciceronis autem locus extat in libro de universitate (c. 11.). *Dac.* Haec Ursinus notaverat. Cf. Fragmm. pag. 178.

Nepotes. Maximam partem horum verborum Festi ex verbis Pauli interpretaberis, praeter id quod de Tuscis initio dicitur, quodque in fine πόδεσσιν scriptum est. De Tuscis nihil aliud habeo, quam me opinari, Tuscos eo nomine usos. Graecum autem esse cognovi, cum mihi Fulvius Ursinus, eius linguae peritissimus, a quo multa in hoc libro emendata sunt, ostendit Apollonium lib. IV. (v. 1745.) et Theocr. Idyl. 17. (v. 25.) in hac significatione hoc verbo uti. Eustathius quoque idem affirmat in Δ Odyss. Fieri etiam potest, ut Apollonii carmen retulerit Festus, cuius finis est: Τεοῖς νεπόδεσσιν ἑτοίμη. Quem vero significet illis syllabis (*chus inter*) an Aristarchum, vel Callimachum, aliumve; nobis incertum est. *Ant. Aug.* Nepotes sunt ἀπογόνοι, Graecis etiam νέποδες dicti a νε privativa particula et πούς, pes, fundamentum, quia fundamentum non essent generis; πούς enim, ut Latinis *pes* pro fundamento. Plaut. Asinar. (III, 3, 138.):

Ego caput huic argento fui hodie reperiundo.
Ego pes fui.

Inde nepotes dicti perditi ac luxuriosae vitae homines, cuius rei rationem infra Festus dabit, cui et hanc potes addere quod nepotibus semper indulgent avi, connivent eorum delictis ac impediunt quin ea in parentum conscientiam veniant, unde ii postea nequam evadunt et dissoluti. Hinc *nepotatus* in gloss. ἀσωτία. *Dac.* *Quod non magis.* Aliud etymon affertur a *Nepa*, quae devorat omnes filios uno excepto. *Quod notus post sit.* Quidam putant nepotes a Graecis νέποδας appellatos. *Goth.*

Nepos. Vide in coniectaneis. *Scal.* Ita ego hunc locum olim expleveram, praeterquam quod in illis: . . . . . chus . . ., Callimachi locum latere putaverim:

— — — οὐ γὰρ ἐργάτιν τρέφω
Τὴν μοῦσαν, ὡς ὁ Κεῖος Ὑλλίχου νέπους.

Simonidem intelligit. *Dac.* Cf. Müller. die Etrusker. tom. I. pag. 13.

Nefasti. Quantam iacturam fecerimus, tum ex Pauli epitome nimis concisa et brevi, tum ex huius libri, qui extat, paene dicam, clade: ex his quae scribam, manifestum est. Ego enim ex dimidiatis versiculis Festi coniicio, eum principio nominis interpretationem afferre quam Varro, Ovidius et Macrobius dilucide ostendunt, ut nefasti dies sint per quos dies nefas sit fari praetorem *Do*, *Dico*, *Addico*. Addidit postea, ut Paulus notat, quibus litteris hi dies notentur in Fastis, ut cum totus dies nefastus est N. notetur, cum vero priore parte diei, tum N. et P.; ita enim interpretor illud (nep.) et illud (riores sunt) quod ipsum in fastis Achillis Mafei editis a Paulo Manutio idem Paulus, et ante eum Octavius Pantagathus acutissime

animadverterunt. Ad extremum dicebatur, quid nefastis diebus fieri posset. *Ant. Aug. Nefasti dies N. omni ex parte nefasti sunt, ut dies, apud quem nunquam licet fari Do, Dico, Addico. NE. P. nefasti parte priore sunt, quibus postea et servi liberati sunt saepe, et . . . . . unt, et in provincias itur, et sacra instituta fiunt, et aedes sacrari, et vota solvi possunt.* Hic vides, NE. P. significare idem, quod NP., hoc est, nefas partim, ut NE. PR. in Kalendario Romano: hoc est nefas priore parte. Sio F. P. fas priore aut partim; alii dicunt NE. PR. nefas praetori, quod non ita placet. Nam NE. PR. et NE. P. et NP. idem est, neque ulla differentia est. NP. et EN. partim nefasti, partim fasti sunt. Haec tamen differentia, quod NP. semel nefastus, et semel fastus est. EN. mane et vesperi nefastus, medio tempore fastus; vel ut Varroniane loquar, NP., in quo nefastum cedit locum fasto, EN., in quo nefastum insititio fasto diffinditur. *Scal.* Festi sententiam, partim etiam eius verba divinarat olim sagacissimus Scaliger. Addideratque: vides NEP. significare idem quod NP. hoc est *nefas partim* ut NE. PR. in Kalendario Romano, hoc est *nefas priore parte*, cui contrarius erat FP. *fas priore* aut *partim*. Alii dicunt NE. PR. *nefas Praetori*, quod non ita placet. Nam NE. PR. et NEP. et NP. idem est, neque ulla differentia est. NP. qui nefasti priore parte, postea fasti sunt; EN. vero, hoc est *endotercisi intercisi*, qui mane et vesperi nefasti, medio tempore fasti sunt, vel ut Varroniane loquar NP. in quo nefastum cedit locum fasto; EN. in quo nefastum insititio fasto diffinditur, hoc est in quo nefastum in duas partes, interposito fasto, scinditur. *Dac.* Vide supra *Fasti. Nefasti.* Glossis: ἀποφράδες. *Goth.*

Nepa. Plautus in Casina: *Recessim cedam ad parietem, imitabor nepam. Ant. Aug.* Recte dubitat Festus nepane cancer sit an scorpius, nam utroque modo veteres usurparunt; pro cancro supra Plaut. pro scorpio Cicero et Al. sic gloss. *Nepa*, σκορπιός. *Dac.* Idem Nonius in *Nepam* (p. 145.). *Scorpius.* Idem Nonius (l. c.). Glossis *Nepa* σκορπιός, alio loco γήινος σκορπιός. *Plautus.* In Casina (II, 8, 7.). *Goth.*

Nepus. Lego: *Nepurus. Scal.* Nepurus pro non purus, ut *nefunera* apud Catull. pro *non funera; neiure* Sallust. pro *non iure; neceunt* pro *non eunt. Dac.*

Nesi. (Ad p. 178.) *Nesi pro sine positum est in lege aedis Dianae Aventinensis.* De legibus aedium sacrarum vide quid notamus ad vocem Opima. *Scal.* Per legem intelligit postico aedis Dianae quae in Aventino erat, de more positam; quae continebat inter alia, utrum aedis illa esset templum necne: nam non omnes aedes erant templa. Vide notata in voce *opima.* Legis Dianae Aventinensis mentio extat in vett. inscriptionibus: *CETERUM. LEGES. HUIC. ARAE. EAEDEM. SUNTO. QUAE. ARAE. DIANAE. SUNT. IN. AVENTINO. MONTE. DICTAE. Dac.*

Nautea. Citatur Plautus in Artemone, quae comoedia non extat. Credo etiam ex Curcullione illum afferri versum (I, 2, 5.): *Nam omnium odor unguentum prae tuo nautea est;* et ex Casina (Grex v. 7.): *Ei pro scorto supponetur hircus unctus nautea. Ant. Aug. Nautea* proprie aqua e sentina. Est et herba qua coriarii utuntur ad depsenda et depilanda coria; a Graeco ναυτέα. Gloss. *Nautea*, ὀσμὴ βύρσης, odor corii. Cum ait Plautum nauteam inter medicamina retulisse, vereor ne frustra sit, nam ex allatis Pauli locis nihil aliud colliges nisi nauteam esse odorem teterrimum sive ex aqua sentinae, sive ex corio. *Dac. Nautea.* Nonio (pag. 8. Merc.) *aqua de coriis. A nautea.* A nausea. *T. in s. T. et s. Goth.*

Natio. Praeter ea, quae Paulus scribit, ex verbis Festi tantum elicitur Cincium esse huius sententiae auctorem. *Ant. Aug. Nationem et natum Cincius genus hominum, qui non aliunde venerunt, sed ibi nati sunt, dici auctor est. Sed et nationem ait non tantum universim de omnibus, sed et de singularibus hominibus seiunctim dici.* Haec Festus. Sequebatur deinde testimonium veteris scriptoris, quod assequi non potuimus. Post Sabinos sequitur: *Bona natio in pecoribus quoque bonus proventus dicitur.* Hoc igitur vult Festus, nationem et natum de hominibus dici; nationem quidem de universis, ut natio Graecorum; natum de singulis, ut homo maximo natu. Sed et nationem de singulis, ad cuius rei fidem adducebat exemplum auctoris veteris. Praeterea neque nationem tantum de hominibus, sed et de pecoribus dici quod non sine Graecorum imitatione dictum est, ut Homerus Odyss. ξ'. (v. 73.): Βῆ δ' ἴμεν εἰς συφεοὺς ὅθι ἔθνεα ἔρχατο χοίρων. Nos *set* scripsimus ἀρχαϊκῶς, quia ita est in illis reliquiis, *sete* pro *set et. Scal. Nationem.* Ait Cincius *nationem* et *natum* dici de hominibus universis ut *natio Graecorum*, et de singularibus etiam ut apud Ciceron. *natio canditatorum, natio optimatum.* Praeterea non tantum de hominibus, sed etiam de *pecoribus: natio equorum, natio suum.* Non sine Graecorum imitatione qui ἔθνεα etiam de pecoribus dicunt; Homer. ἔθνεα χοίρων. Glossae: *navitio*, γενεά; leg. *natio. Dac.* Adde l. 31. §. 21. ff. de Aedilitio. *Cin.* Cincium huius sententiae autorem esse ait. *Goth.*

Nautiorum familia. A Naute Troiano qui Aeneam secutus est. Virgil.: *At senior Nautes. Dac.* Multo plura Festus scripserat, quam Paulus referat. Initio de Palladio a Naute Aeneae socio conservato, a

quo Nautii dicti sunt. Idem Dionys. scribit lib. VI. (pag. 393.) et Servius lib. III. et V. (ad v. 704.) Aen. Historia postea narratur mihi incognita de bello adversus Bruttios gesto post caedem L. Caecilii, de quibus fortasse Florus lib. XII. (Epit. Liv. XII.). Fuit eisdem temporibus Cons. Sp. Nautius, de quo nihil accepimus, quod ad huius loci interpretationem pertineat. *Ant. Aug.* Primores quinque versiculi cum duobus extremis certissimum est ad Nautiorum gentem pertinere. Media interiecta ut constat aliena hoc loco esse, ita quo pertineant, affirmare non possum. Scripsisse videtur Festus: *Nautiorum familia a Troianis oriunda est, quia Nautes eorum princeps, qui secum simulacrum aeneum Minervae abstulit, unde ei sacra procurare soliti erant Nautii, quare Dea hac vocabatur de causa Nautia. Aut igitur a Dea, aut inde a principe suo familia appellata est.* Sacra Minervae non ad gentem Iuliam pertinuisse, quae ab Aenea deducitur, sed ad Nautiam, quae a Naute, qui fuit socius Aeneae, testis Servius; inde suspicor a Festo relatum Deam dictam esse Nautiam. Quanquam non video, quare Festus familiam potius dixerit, quam gentem; est enim manifesta κατάχρησις. *Scal.* De Naute qui Palladium Romam detulit, Servius ad illud V. Aeneid. (704.):

Tum senior Nautes, unum Tritonia Pallas
Quem docuit.

Quod autem dicit Pallas, quem docuit, propter illud quod supra diximus fingitur, quia ipse Romam Palladium detulit, unde Nautiorum familia Minervae sacra retinebat, quod etiam Varro docet in libris quos de familiis Troianis scripsit. Historia de Naute, Bruttiis, Messana et Q. Caecilio Metello, mihi quidem inaudita est. Scio tantum unum Q. Caecilium Metellum occisum cum contra Bruttios, Lucanos et alios qui Aretium obsidebant, missus esset. *Dac.* Post *Nautiorum.* Haec quae sequuntur, quo pertineant, ut iam dixi, nescio. Sunt autem ferme ad hunc modum: *Cum arcessiti, conductique ab illis essent ad Messanam oppugnandam, et a Senatu missus L. Caecilius ab illis interfectus esset: missi porro sunt expostulatum de foedere violato . . . . us, P. Veturius; qui cum ob refectionem corporis, oppidum insedissent, Bruttii eo quod illis pax cum Romanis erat, bello destiterunt:* aut tale quid. *Scal.*

Natinatio. Festus refert verba Catonis ex Originibus, ut arbitror, qui scripserat: audito tumultu *Macedoniae, Etruriam et ceteros natinari, id est, tumultuari. Ant. Aug.* Natinatio, negotiatio; et *natinatores, negotia gerentes.* M. Cato in . . . . . Audito *tumultu Macedoniae, Etruriam, Samnites, Lucanos inter se natinari, atque factiones esse.* Isidorus: *Natinare, negotiari.* Est autem non tam priscum verbum, quam prisci verbi forma. *Natare, natinare,* ut *iter, itiner; iecur, iecinur; prodeunt, prodinunt* et similia. Est ergo *natinare* more natantium semper in negotiis fluctuare. *Scal.* Isidorus: *Nagare, vacillare, huc et illuc fluctuare.* Lege: *Natare. Dac.*

Naccae. Scribe: *Nace dicantur a Graecis νάκη.* Apuleius lib. IX. (pag. 192. 16. Pric.): *Nam et opportune maritus foris apud Naccam proximum coenitabat. Dac. Nauci.* Vide in *Naucus. Id est.* Id quod est. *Goth.*

Naucus. Naucum. Mendosum esse videtur; *quod in oleae nucis quod intus sit.* Paulus *oleae aut nucis nucleo,* forte quod in olea nucique intus sit. De nuce iuglande vide Macrob. lib. III. Satur. (Adde Plin. XV, 22.). *Ant. Aug.* Alii *nauci,* indeclinabile. Proprie membrana tenuis, quae medias nuces disiungit, unde pro nihilo etc. Lege infra: Cincius *quod in oleae nuce intus sit,* vel: Cincius, *in olea et nuce quod intus sit.* Item *in fabae hilo* pro *in fabulo. Fabae hilum.* Gallice *le noir de la féve; naucus* a *nucus,* unde *nuculus, nuculeus, nucleus.* Idque doctiss. Guietus adscripserat orae Festi sui quem mihi communicavit V. Cl. et magni nominis Aegidius Menagius. *Naucus.* Leg. *naucum* vel *nauci* ut supra. *Dac.* Vide supra *Naccae,* et infra *Noegeum. In fabulo.* In fabae hilo. *Tuniculari.* Cunicularia. *Sed.* Et. *Illic.* Illuc. *Goth.* Plaut. Most. V, 1, 2. Idem Tricul. II, 7, 50.

Narica. Scribe *narita, νηρίτης.* Versus autem Plauti ita legendi:

Muriatica autem video in vasis stagneis:
Bonam naritam, et camarum et tagenia:
Equinos fartos, conchas piscinarias.

Equinos scriptum ἀρχαϊκῶς pro *echinos.* Stagneum vas intelligit, ni fallor, incrustatum. Nam stagnare erat περιπεταλοῦν τὰ ἄγγη. Vulgo in idiotismo dicimus *invitriare.* Eo nomine crustariae tabernae Romae institutae. Hesych.: *Νέβεστα, πετάλματα τῶν ἱερῶν, καὶ τῶν σικελῶν.* Lege: *Πεταλώματα τῶν ἱερῶν καινῶν σκευῶν.* Stagnare ergo περιπεταλοῦν, γανῶσαι, γναθοῦν, στομοῦν. Sic enim malumus quam stagnea vasa interpretari κασσιτερινά, quanquam non displicet. Quam alieno a Plauti mente sensu Turnebus hos versus restituere conatus

sit, facile qui hominis emendationem cum hac nostra contulerit, deprehendere poterit. *Scal.* *Narita*, ostrei genus, νηρῖται Graecis. In Plauti versibus per muriatica salsamenta intellige quae in muria servabantur. *Camarum* scriptum unico *m* veteri consuetudine pro *Cammarum*, et apud Hesych. Κάμαρον. *Tagenia* sunt pisces, ταγηνισταί qui et ipsi in muria; vide Athenaeum. *Equinos*, antique pro *echinos*. Echinos fartos vocat, qui farciebantur, id est, saginabantur in vivariis, sicut *conchas piscinarias*, quae in piscinis (sic fartores apud Terent. qui aves altiles farciunt, saginant,); atque adeo muriaticorum nomine Plautus pisces omnes, qui ab eo enumerati sunt comprehendit. Et ne dubites de hac correctione, audi Plin. lib. I. cap. 8.: *Sic halex pervenit ad Ostreas, Echinos, Urticas, Cammaros, Mullorum iecinora, innumerisque generibus ad saporem gulae coepit sal tabescere.* Satin aperte eosdem pisces inter muriatica, id enim est *halex*, τὸ τάριχος, recensuit, quos Plautus? Quare tam boni versus in situ et squalore relinquendi non erant. Scalig. in coniectan. ad Varron. (pag. 126. seq. Steph.). *Dac.* *In vasis stagneis.* Id est *stanneis.* Unde *nummi stagnei* in l. 9. §. 2. ff. ad l. Cornel. de falsis. Adde Senecam III. de ira 35. Proinde non ferendum, quod vir doctus putat, stagneum vas incrustatum vas esse. *Naricam bonam* etc. Bonam naricam et camarum et tagenia, Echinos fartos, conchas piscinarias. Adde Plin. XXXII, 8. alii legunt: Et canatam et comaequinas fartas et conchas piscinarias; alii sequamicam et comacinas. De sequamica vide Strabon. IV. Vetus liber et *canatum* et *tagumaquinas.* *Goth.*

Nancitor. *PECUNIAM. QUIS. NANCITOR. HABETO. ET. SI. QUID. PIGNERIS. NANCITOR. SIBEI. HABETO.* Nancitor pro nancitur, et nancitur pro nanciscitur, ut apiscitur. *Quis* pro *qui*, ἀρχαϊκῶς. Erat caput in foedere Latino, ut intra decem dies post contestatam litem creditori satisfieret. Hic vero vult ipsum pignus sibi habere, si post illud tempus ipsi satisfactum non sit. Vel potius intelligit, quod ante bellum contraxerit Latinus cum Romano, sive mutuum sit, sive pignus, uti id valeat. *Scal.* Veteres *Nancio* dixisse, auctor est et Priscianus lib. X. (c. 4, 22. Kr.) *In* XII. Id est in legibus duodecim tabularum, ubi dixi. *Goth.*

Nare. Non a nave ut putat Festus, sed a νέω, νῶ, vel a νάω, *fluo.* A supino *natum*, natare ut a *dico*, *dictum*, *dictare.* Infra versus Plauti sic legendus:

Quasi pueris, qui nare discunt, scirpea induitur ratis.

Etsi aliter hunc versum alibi legit Festus in voce *scirpus.* *Dac.* Vide Nonium in *Nare* (pag. 353. Merc.). *Dictum.* Ductum. *Navis.* Avis. *Goth.*

Nares. Idem Donat. in Adelph. (III, 3, 43.): *Nares a naritate dictae sunt, quod nos odoratu doceant praesto et prope esse quod adhuc oculi non vident.* Sed frustra. Nares enim a Graeco ῥῖνας per transpositionem. *Dac.* *Flamus.* Fiamus. *Goth.*

Navus. Ennius annali sexto:

Navu' repertus homo, Graio patre, Graius homo, rex
Aemoni'. Pyrrhus, uti memorant, a stirpe supremo.

Alter versus citatur a Nonio (pag. 226. v. *Stirpem*), sed perperam ex Annali V. pro VI. In sequenti versu legendum *induperantum: Navorum imperium servare, est induperantum.* Sententia a veteribus celebrata: bene parere est imperare. In versu Plauti lege *ductarie*, non *ductarier:*

Nave agere oportet quod agas, non ductarie.

Nave agi est, cum navis remigio aut ventis agitur; ductarie cum funibus adverso amne trahitur. Ausonius in politissimo Panegyrico Mosellae (39. seqq.):

Tu duplices sortite vias, et cum amne secundo
Defluis, ut celeres feriant vada concita remi;
Et cum per ripas nusquam cessante remulco
Intendunt collo malorum vincula nautae.

Valgius in Elegis:

Hinc mea me longo succedens prora remulco
Laetantem gratis sistit in hospitiis.
Et, placidam fossae qua iungunt ora Padusam
Navigat Alpini flumina magna Padi.

Ductarie ergo *agere* est ῥυμουλκεῖν. Non omittendum, quod est in glossis: *navities*, ἀρετή. *Scal.* Ergo si

Scaligerum sequaris in illo Plauti *nave agere oportet*, etc. *nave* non erit a *navus*, sed a *navis*, manifeste contra Festi sententiam, quam hic praegravare decere arbitror, ita ut Plauti versus legatur ut ab eo positus est, et sic simpliciter exponatur. Te id naviter agere oportet, quod agas, non vero remisse quasi invitus, quasique in eo non sponte tua ferri, sed per vim duci videaris, sive potius trahi. Nave, i. *naviter*, *σπουδαίως*, *strenue*, ut exponunt glossae. Item navus ἔμπρακτος, εὐστραφής, εὐκίνητος, actuosus, agilis, strenuus. *Dac.* Glossis εἰδήμων. *Naviter*, *σπουδαίως*. *Goth.* Cf. quae supra diximus ad vv. *Genas*, *Gnaeus*, *Gnitus*, *Gnotus.*

Navalis scriba. (Ad p. 179.) Navalis scriba dictum, tam propter scribam, quam propter navalis, quia et nautae, et id genus hominum male audit. Etiam apud Homerum navalis scriba est convicium; Ὀδυσσ. θ'. (VIII, 163.): *Φόρτου τε μνήμων, καὶ ἐπίστροφος ᾖσιν ὁδαίων*, hoc est, *γραμματεὺς φόρτου, καὶ ἐφοδίων ταμίας*. Et legendum *columbar impudens*; dictum eadem forma, qua Catullus mulierem prostituti pudoris vocat *lupanar*, Lucillius *carcer* vocat eum, qui meruit in vincula coniici. *Columbaria in nave sunt ea, quibus remi eminent*; ita enim legendum; dicta a similitudine foraminum, in quibus par columbarum nidificat. Ab eadem similitudine et in re architectonica quid significet, habes apud Vitruvium. *Scal.* Convicium ut apud Homer. Odyss. θ'. *φόρτου μνήμων*, id est, *γραμματεὺς φόρτου*. Lege in fine: *appellantur ea e quibus remigant*; sive ut Turneb. et Scal. *quibus remi eminent. Dac. Esset.* Esse. *Columbaria.* Columbar. Alii in columbari, i. e. in vinculo colli. *Remigent.* Rem geminent; id enim columbaria. *Goth.*

Nasiterna. Nassiterna. Vid. Fulgent. Placiad. de antiquis vocibus. *Ant. Aug.* Scribo *Nasiterna*, quod tres nasos, hoc est ansas haberet; ita Vatinianis calicibus assignat nasos Martialis et Iuvenalis (V, 47.):

Tu Beneventani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quattuor.

Equos post confecta spatia solere perfusione aquae recreari in Circensibus intellige, cum ait: quale est, quo equi perfundi solent. Ulpianus lib. IV. de his qui notantur infamia: *Neque thumelici, neque rustici, neque agitatores, neque qui aquam equis spargunt.* Versum autem Plauti iisdem fere verbis ex eadem fabula producit Fulgentius Placiades. Catonis verba emendamus: *Quotiens vidi trulleos, nasiternas, pertusos aquales, matellas sine ansis. Scal.* Infra versus Plauti quem ex Nervolaria laudat Festus, is hodie legitur in Sticho II, 2, (27.):

Di. *Ecquis huc afferi nasiternam cum aqua?* Ge. *Sine suffragio*
Populi tamen aedilitatem hic quidem gerit.

Dac. Nasiterna Nonio (pag. 546.) et Fulgentio (pag. 563.) a naso. Unde *nasiterna* genus vasis aquarii ansati, cui et ansa. De ansa vid. l. 26. §. 1. ff. de acquirend. rerum domin. l. 21. §. 4. ff. de furtis. *Goth. Quo equi perfundi solent.* Vide quae scribam ad l. 4. in prin. ibi. qui aquam equis spargunt. ff. de his, qui notantur infam. *Ecquis huc effert.* Ecquis huc adfert nassiternam cum aqua sine suffragio. *Suffragio.* Suffragium hic, opinor, instrumentum, quo equorum aqua perfusae suffragines curantur. *Suffraginum* fit mentio apud Isidorum (Etym. XI, 107. pag. 1098.). *Goth. Truilos.* Trulleos, apud Fulgentium (Non. pag. 547.). *Tryllae* dicuntur in l. 19. §. 9. ff. de auro, argento. *Perfusos.* Pertusos. *Idem.*

Nassa. Plaut. in Milite: *Nunquam Hercle ex ista nassa ego hodie escam petam. Ant. Aug.* Gloss. *nassa* κύρτος ἁλιευτικός. *Dac.* Nassae meminit Paulus 3. Sentent. c. 66. *Piscatorii.* Piscatoria. *Plautus.* In Milite (II, 6, 98.). *Goth.*

Napurae. Napuras. Vide *nectere. Ant. Aug. Napuras nectito.* Verba sunt ex commentario sacrorum: Pontifex minor ex stramentis *napuras nectito*, hoc est, *funiculos facito quibus sues adnectantur. Dac.* Vide *Nectere. Feniculi.* Funiculi. *Goth.*

Naustibulum. Videtur potius navium stationem significasse quasi navium stabulum, ut Graece ναύσταθμος quasi ναῶν σταθμός. Vet. lib. pro *videtur* habet *vid.* pro *videlicet*; bene. *Dac.* Puto potius eo ναύσταθμον significari. *Scal.*

Navia. Haec historia de cote novacula praecisa ab Attio Navio a multis refertur. Sed de ficu Navia nihil aliud accepi. Cicero lib. I. (c. 17.) de Divinat. cotem ait, et novaculam defossam in comitio, supraque impositum puteal. Idem ait Dionys. lib. III. (pag. 202.) addens statuam aeneam eidem illic statutam, quod etiam Livius (I, 36.) scribit, et Plin. lib. XXXIV. cap. 5. Val. Max. lib. I. cap. 4. D. Attium Navium augurem appellat. De ficu ruminali Plin. lib. XV. cap. 18. Quaerendum igitur est, qua ratione ea, quae desunt, sarciri possunt. *Ant. Aug. Navia*, aliter linter. Et eo quoque utuntur in vindemiis. Servius in illud

(Georg. I, 262.): *cavat arbore lintres: Alii*, inquit, *lintres, in quibus uva portatur, accipiunt.* Haec Servius Danielis. Tibull. lib. I. (V, 23.):

Haec mihi servabit plenis in lintribus uvas.

Nam et *navia* et *linter*, utrumque est lignum cavatum. In verbis Festi lege: *Navia est unum lignum exsculptum.* Unum dixit, unde *μονόξυλα σκάφη* Graeci. Denique *linter* et *navia* est *σκάφος; σκάπτειν*, exsculpere. Melius tamen legeris: *Navia ex uno ligno exsculpto*, quod retinendum censeo. Cicero II. (c. 18.) de legibus: *Ligneum autem quodque voluerit, uno e ligno dedicato. Scal.* Suidas *nobiam πορθμεῖον* interpretatur male; nam vel hinc satis liquet eo nomine potius navem ipsam intelligi, ut et ex lusu illo veterum quo pueri denarios in sublime iactantes *capita aut navia* clamabant, de quo Macrob. Saturn. lib. I. cap. 7. *Dac.* Tanti momenti hic locus est, ut de eo totius huius libri utilitas aestimari possit; inauditae praeterea, ac reconditae eruditionis illis praesertim, qui nesciunt ficum Naviam eandem cum ficu *Rumina* seu *Ruminali* fuisse. Ponemus prius locum, si non ipsis verbis Festi, at certe sententia ipsa incolumi atque integra. Sic igitur hos hiatus expiemus: *iussit rex cotem ac novaculam proferri; qua prolata interrogatus Augur, an cos illa posset praecidi novacula, subito eam praecidit. Ex eo, Tarquinio nihil auso contra facere, novaculam ac cotem sub locum consecratum defodi iussisse, et ficum ab eo satam esse intra id, quod contentum sine sacro sit; eamque, si quando aruisset, subseri iussisse. Deinde cum post tot annos aliae in eo loco complures ficus essent, et evulsae, de loco sacro removerentur, omnes, quae inibi erant ficus, praeter eam, eiectas fuisse admonitu ac iussu aruspicum, et divinis responsis, quandiu ea viveret, libertatem populi mansuram, ideo quod . . . .* Postrema non possumus explere, quia non satis spatii relictum sit ad explendum quantum postulat sententia. Tantum enim loci desideratur, quantum satis esset his aut similibus verbis: *ideo quod in ea fatum populi Ro. esset*, aut tale nescio quid. Multi huius fabulae meminere, qui omnes adiuvant coniecturas nostras. Sed ante omnes Plinius, cuius verba apponam ex libro XVI, cap. 18.: *Colitur ficus arbor in foro ipso ac comitio Romae nata, sacra fulguribus ibi conditis. Magisque ob memoriam eius, quae nutrix fuit Romuli ac Remi conditoris appellata, quoniam sub ea inventa est lupa infantibus praebens rumen (ita vocabant mammam) miraculo ex aere iuxta dicato, tanquam in Comitium sponte transisset. Adacto navigio ilico arescit, rursusque cura sacerdotum seritur.* Haec ille; in quibus miror, cur dixerit *Romae nata*, quasi de alio Comitio, quam de Romano intelligi possit. Deinde quid est, *adacto navigio ilico arescere?* Scio Tiberim ad illum usque tractum urbis tunc ripis suis eiectum fuisse, idque solitum alias vulgo accidere. At si navigiis tunc ea aqua transmittebatur, quis tam religionis contemptor, qui ad ficum navigium adigeret, ut illa exaresceret, cum sciret, hoc non posse evitari, si illuc navem impingeret? Suspicatus igitur sum id, quod verum esse postea apparuit, locum depravatum esse. Idque fortasse doctis viris probabimus, si nostram sententiam de eius loci emendatione proponamus. Ita igitur legendum putamus: *Colitur ficus arbor in foro ipso Romina, iam sacra fulguribus ibi conditis, magisque ob memoriam eius, quae nutrix fuit Romuli ac Remi conditoris, appellata, quoniam sub ea inventa est lupa infantibus praebens rumen (ita vocabant mammam) miraculo ex aere iuxta dicato: quam tanquam in Comitium sponte transivisset, ab Actio Navio. Ilico arescit, rursus cura sacerdotum seritur.* Primum quod ait sacram fuisse, idem et Dionysius testatur his verbis (pag. 202. cap. 70.): *Ἔπειτα δ' αὐτὸν τὸν Νάβιον θεραπεῦσαι διαγνοὺς* (Tarquinius) *ὡς ἁπάντων ἀνθρώπων θεοφιλέστατον ἄλλαις τε φιλανθρωπίαις ὑπηγάγετο, καὶ, ἵνα μνήμης αἰωνίου τυγχάνοι παρὰ τῶν ἐπιγινομένων, εἰκόνα κατασκευάσας αὐτοῦ χαλκῆν διέστησεν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς, ἣ καὶ εἰς ἐμὲ ἦν πρὸ τοῦ βουλευτηρίου κειμένη πλησίον τῆς ἱερᾶς συκῆς.* Deinde subiicit de fulguribus ibi conditis, quia scilicet ibi puteus fuisset, qui cum de coelo tactus esset, procuratum eum locum postea operculo imposito *Puteal* vocatum fuisse; nam *Puteal* est *operculum putei*, etiam teste Iurisconsulto. Quare a loco sacro ficum sacram nominat. Quin et Dionysius ait aram superimpositam, quod nihil aliud est, quam operculum ipsum ostii Deorum Manium; sed fallitur, ut homo Graecus, qui idem putet esse *puteal* ac *φρέαρ*, cum, ut dixi, *puteal* non *φρέαρ*, sed *πῶμα τοῦ φρέατος* sit. At locis fulguritis aram superimponi solere, auctor praeter Dionysium et Artemidorus: *ὁ κεραυνὸς τὰ ἄσημα τῶν χωρίων ἐπίσημα ποιεῖ διὰ τοὺς ἐνιδρυμένους βωμοὺς, καὶ τὰς ἐν αὐτοῖς γινομένας θυσίας.* In sequentibus de utraque appellatione ficus illius innuit Plinius. Nam cum eam alii Ruminalem, alii Naviam vocarent, *frequentius*, inquit, *a nutrice gemellorum urbis conditorum, praesertim cum ibi simulacrum aeneum sit lupae, Ruminalis appellata est, quam Navia ab Actio Navio, qui sponte sua illam transseverit in Comitium;* utrumque enim verum esse, et Naviam et Ruminalem vocari, sed magis utique Ruminalem, quam Naviam; propius enim vero esse, et magis consentaneum, eam ante Navium fuisse, et sub ea lupam Gemellis ubera praebuisse, quam postea ab Actio Navio ibi transseminatam. Vide quam pulchrum vetustatis monimentum sub illo situ mendo-

rum latebat. At enim vero, iam Festi verba luce ipsa clariora sunt, neque egent interpretatione, tametsi ab illo dicatur Augur cotem praecidisse, non rex ut ab aliis proditur. Sed a fabulis non est exigenda fides, praesertim cum Lactantius idem dicat, quod Festus. In postremis verbis Plinianis elegantia latuerat eos, qui locum corruperunt. Nam *illico arescit*, *rursus seritur*, est: *simulac arescit*, *statim seritur*. Notabis et elegana verbum in Festo *subserere*, quod est, priore sata arbore intermortua, aliam in eius locum serere; praeterea, cum dicit locum consecratum, eum esse, quem et *βωμόν* Dionysius, et alii Puteal vocabant. Neque praetermittendum quod ait, multas ibi ficus natas fuisse: Dionysium non ficetum, sed simpliciter *ὕλην βαθεῖαν* vocasse, cuius verba haec sunt ex lib. I. (pag. 65. cap. 79.): *Ἡ δὲ λύκαινα οὐ μάλα ἀγριαίνουσα τῶν ἀνθρώπων τῇ προσόδῳ, ἀλλ' ὥσπερ ἂν χειρόηθης ἀποστᾶσα τῶν βρεφῶν ἠρέμα, καὶ κατὰ πολλὴν ἀλογίαν τοῦ ποιμενικοῦ ὁμίλου ἀπῄει. καὶ ἦν γάρ τις οὐ πολὺ ἀπέχων ἱερὸς χῶρος ὕλῃ βαθείᾳ συνηρεφής* etc. Lege reliqua. Ennius quoque cum de eadem re loqueretur, ex quo illa sua transcripsit Dionysius pene ad verbum, non aliter, quam silvam vocat Annali primo (apud Non. pag. 378. v. *Parumper*):

Indutuetur ibi lupu' femina conspicio amens.
Hinc campom celeri passu permensa parumper
Coniicit in silvam sese. — —

Quae pene, ut dixi, interpretatus est lingua sua Dionysius. Ultimum est, quod ponit Festus fatum libertatis Po. Ro. in ea ficu situm fuisse; idque aruspices et sacras sortes admonuisse; propterea diligenter subserebatur, adeo, ut cum Neronianis temporibus exarescente trunco, et mortuis ramalibus deminuta esset, loco portenti habitum sit a populo Rom. auctor Cornelius Tacitus. Idem fatum, aut ei proximum casa Romuli contineri putabant, quam diligentissima observatione, et anxia superstitione reficiebant, neque sinebant vetustate collabi. Cuius etiam simile nugantur Graeci de nave Thesei. *Scal.* Ita Scaliger, sed male ficum Naviam, quae in comitio, non distinguit a ficu Ruminali sub qua infantibus lupa praebuit Rumam. Certum enim est, ficum Naviam in comitio non fuisse, antequam Attio Navio augure ibi transseminata esset. Necesse est igitur diversam fuisse ab altera Ruminali, unde in comitium translata. Et ita est; fuerat enim ficus Ruminalis in Germalo. Varr. lib. IV. de L. L. (pag. 60. Sp.): *Germalum a Germanis Romulo ac Remo*, *quod ad ficum Ruminalem*, *et hi inventi*, *quo aqua hiberna Tiberis eos detulerat expositos.* Germalum autem prope palatium fuisse notum est, in ripa Tiberis, ubi etiam sua aetate ficum Ruminalem extitisse narrat Liv. lib. I. (c. 6.): *In proxima*, inquit, *alluvie ubi nunc ficus Ruminalis est.* Fuit igitur longe a comitio ficus Ruminalis. Sed ficus illa Navia quae in Comitio, Ruminalis etiam dicta ab illa altera Ruminali quae in Germalo. Scaligerum fefellit hic locus Festi et alter Plinii, uterque male intellectus. Vide Ruminalis. De ficu Navia et de loco Plinii adeundus Salmasius in Solin. Eius verba olim huc referre cogitaveram, quia multa hic vidi, quae et ipse viderat prior, sed eius dissertatio paulo longior, quare satius est, te ad integrum fontem remittere; adi p. 1137. etc. *Dac.* *Sub locum consecratum.* Hic etiam falsus est Scaliger, qui scribit *puteal* additum, quia ibi puteus erat, qui de coelo tactus. *Puteal* hic nihil aliud est quam ara ipsa. Dionysius *ὑπὸ βωμῷ τινί*, sub ara quadam defossam novaculam testatur. Unde Festus optime: *sub locum consecratum.* Solus, quod sciam, Plinius sacram ficum facit fulguribus ibi conditis, sed vel mire fallor, vel alia mens Plinio fuit, cuius verba sic insolubilia, ita forte corrigenda: *Colitur ficus arbor in foro ipso Romina*, *tam sacra quam fulguribus ibi conditis.* Non dicit Plinius ficum sacram fuisse fulguribus ibi conditis, sed tanquam ibi fulgura fuissent condita, quibus verbis innuit puteal sive aram impositam, ut locis fulguritis solebat. *Aliae in eo loco complures ficus essent.* Ideo altam silvam vocat Dionys. lib. I. (pag. 65. cap. 79.): *Καὶ ἦν γάρ τις οὐ πολὺ ἀπέχων ἱερὸς χῶρος ὕλῃ βαθείᾳ συνηρεφής.* Ennius quoque cum de ea re loqueretur, unde illa sua transcripsit Dionysius pene ad verbum, non aliter quam silvam vocat; Annal. I. (apud Nonium p. 378. M.):

Endotuetur ibi lupu' femina conspicio amnem.
Hinc campum celeri passu permensa parumper
Coniicit in silvam sese.

Hic iterum errat Scaliger, qui complures illas ficus ex ficu Navia propagatas confundit cum silva illa, quae prope ficum Ruminalem in Germalo iuxta Tiberim. De ista enim intelligendus locus Dionysii, qui eam Pani sacram dicit, ut et ille alter Ennii. *Dac.*

Nauscit cum granum. Nauscit, quasi *navescit*, sive *naviscit*, in navis formam sese aperit. Nisi potius legendum *naucit*, a *nauci*, quod est fabae hilum, sive fabae granum cum se aperit. *Dac.* *Fit.* Sit. *Naucit.* A nauco. *Goth.*

Navitas secundum. (Ad p. 180.) Navitas pro nautas dixisse Catonem refert, et ut arbitror, ille locus est, quem Plinius laudat lib. XIV. cap. 13. Cato cum in Hispaniam navigaret, unde cum triumpho rediit; non aliud inquit, vinum bibi, quam remiges. Vide Penatores. *Ant. Aug.* Infra: *Navitas secundum incorruptum morem dictos, quos nunc nautas dicimus, testis est M. Cato in ea quam scripsit, cum in Hispaniam proficisceretur cum ait: navitae quod secum portaverant vinum atque oleum, usus tantum eo sum.* Quod haec sint ex illa oratione Catonis, confirmari certo potest ex Apuleio, qui in apologia sua fragmentum citat ex eadem oratione, quod non longe ab hoc abfuisse videtur; verba eius haec sunt. *M. autem Cato nihil opertus, ut alii de se praedicarent, ipse in oratione scriptum reliquit quum in Hispaniam consul proficisceretur: tres servos solos ex urbe duxisse, quoniam ad villam publicam venerat; parum visum qui uteretur; iussisse duos pueros in foro de mensa emi, eos quinque in Hispaniam duxisse. Scal.* Quod putat Festus *navitat* esse a nave et per syncopen dici *nauta*, ibi quidem frustra est, *nauta* enim est a *ναύτης*, unde per epenthesin *navita.* Porro eadem Catonis verba pene ad verbum habet Plin. XIV. cap. 13.: *Cato cum in Hispaniam navigaret, unde cum triumpho rediit, non aliud, inquit, vinum bibi quam remiges. Dac. Cato in ea.* Fortasse adversus M. Acilium. *Cum ait navitae.* Fortasse is locus est, quem tradit Plin. XIV, 13. *Goth.*

Naevia silva. Varro lib. IV. de L. L. (pag. 136. Sp.): *Sequitur porta Naevia, quod in nemoribus Naeviis. Naevius enim loca, ubi ea sic dicta, coluit.* Ex his Festi verba intelliges; referebatur M. Catonis locus ex oratione in Coelium, si se appellaverit. Proverbium autem quod Verrius referebat, ignoro. *Ant. Aug.* Infra omnino succenturiandum ita: *Naeviam silvam vocitatam extra urbem ad . . . . milliarium: quod Naevii cuiusdam ibi domus fuerit, a quo nemora Naevia appellata fuisse ait; quam obprobrii loco obiici solere, quod in ea morari adsuessent perditi homines, testis est M. Cato in ea in Caelium si se appellasset; a qua silva porta Naevia atque ea . . . . .* Quae sequebantur tantum indicabant Silvam Naeviam, quae opprobrii loco obiiciebatur, venisse in proverbium, idque proverbium etiam ab ipso Verrio referri. *Scal.* Naeviae portae et Naeviae silvae meminit Varro lib. IV. de L. L. (V. pag. 163. Sp.): *Sequitur porta Naevia quod in nemoribus Naeviis. Naevius enim loca, ubi ea sic dicta, coluit.* Livius etiam lib. II. (c. 11.). Haec porta Plinio *Lavicana;* hodie *porta maior,* ab aedificii magnificentia, propter ductum aquae Claudiae, cuius ibi vestigia cernuntur. Eandem etiam a vetustioribus *Rauduscunalam* dictam volunt, quod falsum est. Vide *Roduscu-lana.* Illa *orsus iterum,* usque ad *unde* verba sunt Catonis, ex oratione quam habuit in Caelium si se appellasset. Eam iterum laudat Festus in voce *spatiatorem. Dac.*

Nudius tertius. Ex verbis Festi quaedam videntur esse referenda ad aliud verbum mihi ignotum. *Ant. Aug.* Nudius tertius *quasi nunc dies tertius. Dac.* Glossae: *Τριθημερινός*, nudius tertianus. *Goth.*

Nuptam. Infra: *Nuptam, novam sponsam, item uti pronubas mulieres, quibus in nuptiis utuntur, ab eadem causa, hoc est a nubendo, aliqui appellatam esse volunt.* Sunt tamen, qui dicerent, appellatam ab eo, quod *νύμφην* Graeci vocant, alii quod appellat uxorem *νυόν* Homerus consuetudine Graecorum antiqua, cum ait, *ἐξ ἀπίης γαίης νυὸν ἀνδρῶν αἰχμητάων.* Deerat prima linea, ut apparet, in reliquiis Festi; versus quem in testimonium producit, est *Ἰλιάδος γ'.* (v. 49.). *Scal.* Non dubium quin *nupta* sit a *nubo, velo,* quod sponsa cum ad maritum duceretur flameo faciem nuberet. A *nubo, nupta,* et a *nupta, nuptiae.* Id infra probant Aelius et Cincius. Probavit et Varro lib. IV. (pag. 77.). Vide *Obnubit. Dac.*

Numero. Multa hic obscura et mendosa in verbis Festi. Vid. Nonius (pag. 352. Merc.) de varia signif. sermonum. *Ant. Aug.* Varro Cato, de liberis educandis: *Ut qui contra celeriter erant nati, fere Numerios praenominabant; quod qui cito facturum quid se ostendere volebat, dicebat numero id fore; quod etiam in partu precabantur Numeriae, quam Deam solent indigetare etiam pontifices.* Nelei carmen et reliqua ita legendum: *Nunquam numero matri faciemus volup.* Id est, nunquam nimium faciemus. Apud Naevium:

Neminem vidi, qui numero sciret, quod scito est opus.

Id est, nimium sciret. Et tamen hic versus attribuitur Turpilio; paulo levius immutatus apud Nonium. Turpilius Demetrio:

Nunquam quenquam numero, vidi facere quod facto est opus.

Porro totus locus ita supplendus: *Numere sunt videtur esse alienum numero fuerunt; sive eo ordine usurparunt veteres, consuetudine loquendi quadam eiusmodi, sive ob morem alium, quemadmodum videtur usus Pompeius Sextus, extrema syllaba vocativi casus, eadem correpta, in e, temporis praesentis. Numero antiquos nimium dixisse apparet. Sinnius Capito esse nimium. Vos estis minimae, nisi numero perbiterint, nisi cito, nisi nimium. Si isso qui exeam, numero estis mortui, hoc exemplo ut pingeretis — — id est, cito mortui estis.*

Haec Festus. In quibus notandum *numere* per *e*, praesenti tempore usurpari solitum; *numero* per o, praeterito. Sic *diequarte* in futuro et praesenti, *diequarto* in praeterito usurpabant. Sic *praefiscino*, *praefiscine* et similia. In secundo exemplo dictum *isso* pro *ivero* ut *iusso* pro *iussero*, *capso*, *cepero*. Sed melius legetur, *istoqui exeam; istoqui* ut *alioqui*, et verum est. *Scal.* Vide Gell. lib. X. cap. 24. Ista: *Esse enim ita locutum nimium vos estis* etc., sine dubio corrupta sunt. Forte: *Esse enim ita locutum Ennium vos estis*, etc. Nam quoquo modo illud *nimium* in poetae nomen convertendum. Ista, *si isso qui exeam*, etc. legebat Scaliger *si istoqui exeam*. Sed sic etiam ea non mihi minus suspecta sunt. Nam quae sequuntur Plauti sunt e Poenulo (V, 4, 102):

— — — *o Apollo, o Zeuxis pictor*
Cur numero estis mortui, hoc exemplo ut pingeretis.

In impressis: *Hinc exemplum ut pingeretis.* Quaerendum igitur quo modo illa *si istoqui exeam* sint convertenda. Plautus in Casina act. 3. sc. 5. (v. 20. seq.):

— — *Ere mi; quid vis mea ancilla? Nimium saevis.*
Numero dicis.

Ere pro *here.* Sic infra ex Caecilio *ei* pro *hei.* Postrema verba Attii in Oenomao apud Nonium leguntur. Lege, *tuam petii gnatam* etc. Aethrionem Caecilii laudat etiam infra in voce *sentinat.* Sed in voce *ora*, Aeschrionem. Eadem tamen videtur fabula, quare ubique vel *Aeschrione* legendum vel *Aethrione*, ut est etiam apud Nonium. Verba Afranii sic legenda: *Enim sera numero ac nequicquam egi gratias.* In verbis Caecilii *fuce* pro *fuge. Dac. Numero te expurgat timor.* Numero te expurgasti. Ita legitur apud Nonium in *Numerum* (p. 352.) [Nunc ibi pariter legitur: *te expurgat timor.*]. *Goth. Numero* est *apposite, accommodate, opportune, recte*, translatione a re musica facta, ubi quae *numero*, ad numerum, in numero fiunt, apte et in tempore fiunt. Cf. *Rostius* in Plautin. Cupp. ferc. IX. et nos ad Plauti Mil. gl. V, 7.

Numera senatum. (Ad p. 181.) Si quis ex senatoribus impedire volebat, quominus senatus consultum fieret, postulare poterat ut *singuli consulerentur*, vel ut *res, quae referrentur dividerentur;* aut si tot non essent senatores quot numero licebat praescribi Senatus consultum dicere licebat consuli, *numero senatum.* Caelius in epist. ad Cicer. lib. VIII. (ep. 11.): *Renunciatum nobis erat Hirtium diutius dicturum; praecedimus eum; non modo non fecit, sed cum de hostibus ageretur et posset rem impedire, si ut numeraretur postularet, tacuit.* In fine pro *praescribi* nemo non videt legendum *perscribi*, quod et olim Brissonius in libro de formulis. Sed non vidit vir doctiss. addendum in fine *ut legeretur.* Lege modo. *Dividantur.* Quoties sententia sua duas pluresve res quis complectebatur, eae si non omnes probarentur, postulabatur *ut divideretur*, hoc est *ut de singulis referretur.* Seneca epist. 21. lib. III.: *Quod in senatu fieri solet, faciendum esse in philosophia quoque existimo, cum censuit aliquis, quod ex parte mihi placeat, iubeo illum dividere sententiam et sequor. Dac.* Apud Dionys. Halic. (XI, c. 16.) Lucius Cornelius ab Appio postulat, διαριθμεῖν τὰς γνώμας. Plinius in Panegyr. (76.): *Consulti omnes atque dinumerati sumus.* Et Cic. V. ad Atticum: *Consule aut numera. Goth. Dividantur.* Referuntur. *Quamvis.* Quam is. *Inductus.* Inductis. *Idem.*

Nupta verba. Id est obscoena. Nubere enim de muliere dicitur, quae cum viris solet. Plaut. Cistell. I, 1, (45.):

Haec quidem ecastor quotidie viro nubit, nupsitque hodie.

Nuptias facere dixit Petron. Plautus etiam Casina II, 8, (50.):

Tantisper dum ego cum Casina faciam nuptias.

Dac. Discolo. Dyscolo. *Goth.*

Nuptias. (Ad p. 181.) Quod Graeci dixerunt *nymphea*, intellige νυμφεῖα. Et tamen νύμφη non παρὰ τὸ νυμφεῖον, sed contra. Obscurum vero, quid sit lex Parensta. Puto legendum: legem quoque, Parens ta. III. hoc est legem, cuius principium Parens, in tabula tertia. Sic in voce reus: Numa in secunda tabula, secunda lege. Non solum tabula citatur, sed et lex. Novum vero non est, edicta et actiones legitimas et capita legum iis verbis nominare, a quibus incipiunt: cum talia passim apud veteres occurrant, praesertim apud Ciceronem. Ex his non dubium est, leges regias in XII. tabulas a Decemviris coniectas fuisse: et prima, secunda, tertia tabula leges regias contineri, quin leges regias de patria potestate in IV. tabulam relatas auctor Dionysius. De iis autem, qui parentes interfecissent aut verberassent, Romulum, Tatium, Servium reges legibus capitalem poenam sanxisse constat vel ex eo, quod extat in voce *plorare*, legis regiae fragmento. Nam necesse est eam regiam legem fuisse, cum Solon nihil de ea re statuisset. Sed rogatus, quare

praetermisisset: *Quia*, inquit, *nunquam putavi fore*, *qui tantum nefas auderet*. Nescio an veram lectionem assecutus sim. Saltem spero me propius a vero abesse, quam qui Paricam legunt, decepti corrupto loco Festi ex sequenti libro, ut suo loco dicemus. Sed et meliorem lectionem nostram quam Turnebi, qui inusitate ponit *legi parens*. *Scal.* *Legem quoque parenstam.* Fulvius Ursinus legebat *funestam*. *Dac.* *Ratio.* Pactio. *Caput nubentis.* Vid. infra *Obnubit.* *Vocarunt.* Vocarint. *Parenstam.* Paricam. *Goth.*

Numerius. Idem ait Iulius Paris in epitome Valerii Maximi de praenominibus. Cur autem dicatur Numerius, M. Varro in Catone sive de liberis educandis ita scribit: *Ut qui contra celeriter erant nati*, *fere Numerios praenominabant*; *quod qui cito facturum quid ostendere volebat*, *dicebat numero id fore*, *quod etiam in partu precabantur Numeriae*, *quam deam solent indigetare etiam pontifices.* Haec mendose Nonius, sed nos emendate, ut opinamur, conscripsimus. *Ant. Aug.* Lege post *Malevantani*, *ut tum dicebatur*. *Dac.* Adde Nonium in *Numerum* (pag. 352.) et Fragmentum de praenominibus. *Goth.*

Non omnibus. (Ad p. 182.) Ne quis dubitet Cipium scribere, ut in vetustissimo libro Festi est, et ita scribendum esse lib. VII. epist. Cic., non Capius; sciat hanc familiam fuisse Romae, et extare denarios in quibus legimus M. CIPI. M. F. Hi a Cipo fortasse orti, cui cornua esse nata finxerunt. Ovid. lib. XV. (v. 565. seq.) Metam. Val. Max. lib. V. cap. 6. Plin. lib. XI. cap. 37. Sed hunc Valerius ex Genucia familia videtur nominare, et praetorem fuisse, quod ne Plinius quidem credidit. *Ant. Aug.* Meminit Cic. lib. VII. ep. 24. *Capius*, *opinor*, *olim non omnibus dormio. Sic ego non omnibus*, *mi Galle*, *servio*, ubi *Capium* vocat, quem Festus *Cipium*, nisi et apud eum rescribendum *Cipius*. Sane MSS. habent *Citius* ut semper proclivis fuit corruptio *p* in *t*; Cipius enim legendum est. *Pararenchon* autem dictus est Graece *παραρέγχων*, diceres gallice *le ronflard*. Locus Lucil. *non omnibus dormio*, est ex incerto Sat. libro. *Dac.* Species proverbii est. Male Cic. *Capius.* Capiorum familia Romae a *Cipio* forte orti, cui cornua esse nata finxerunt. *Goth.*

Nuncupata pecunia. (Ad p. 182.) Palam nominata. Ista *cum nexum faciet* e duodecim tab. id est, cum paterfamilias per aes et libram familiam vendet etc. Vide *nexum*. Quae sequuntur *ita uti nominarit* verba sunt Festi illa *uti lingua nuncupassit* interpretantis. *Vota nuncupata*, nominata, promissa. Nuncupandi autem verbum in votis solenne est ut in deditionis devotionibus et aliis id genus quae certa formula et conceptis verbis publice privatimque peraguntur. Lege in fine ex vett. libb.: *Quod etiam in votis nuncupandis esse convenientius. Dac.* Vide supra *Grave aes.* *Goth.*

Nusciciosus. *Nusciciosum.* Vide *Luscitio.* Varro et Nonius Opilium secuti sunt; Festus Aelium Stilonem. *Dac.*

Nundinas. *Nundinae.* Lego, *nundinas feriatum diem.* A nono die dictae, quia nono quoque die fiebant, ut cum rustici octo diebus in agris opere faciendo versati essent, nono die intermisso rure ad mercatum et leges accipiendas Romam venirent, et inde translata vox ad celebres mercatorum conventus immunes liberosque quos vulgo vocamus *foires*. *Dac.*

Nundinalem. (Ad p. 182.) Plaut. in Aulul. (II, 4, 45.): *Coquus ille nundinalis est*, *in nonum diem solet ire coctum. Ant. Aug.* *Nundinalem coquum* Plautus dixit pro *novendiali*. *Coquus ille nundinalis est*; *in nonum diem solet ire coctum.* Novendialem manifesto significat, quia in nonum diem coqueret. Fuit cum putarem *nundinalem coquum* dictum Plauto, quod tantum nundinis conduceretur. Tamen melior Festi sententia. *Scal.* Locus Plauti est Aulular. II, 4. (v. 45.). Cocum autem intelligit bustuarii ordinis, qui magis nosset coquere coenam feralem quae nono die fiebat, quam ad ingeniosae gulae genium escas parare. Male qui aliter. *Dac.*

Nuculas. Liv. lib. XXIII. (c. 19.) scribit Praenestinos quosdam fuisse Casilini in praesidio, famemque tolerasse, in qua Romanos milites nuces in flumen, qui medius erat inter Romana castra et oppidum, profudisse, easque fuisse cratibus exceptas. Macrobius lib. III. Saturn. refert Varronem existimasse, Praenestinas nuces esse dictas, quod iuxta agrum Praenestinum essent, Carsitanas *ἀπὸ τῶν καρυῶν* dictas. *Ant. Aug.* Naevius in Ariolo:

> — — — *Heri*
> *Quis apud te? Praenestini*, *et Lanuvii hospites.*
> *Suopte utrosque decuit acceptos cibo.*
> *Alteris inanem bulbam madidantem dare*,
> *Alteris nuces in proclivi profundere.*

Nuculas manifesto dictas confirmant hi versus. Itaque iubet illis in proclivi nuces profundere, ut solebat pueris. Quin in veteribus saxis mentio est sparsionis nucum, quam quotannis facere ad tumulum testatoris

damnas est heres ex eo testamento. *Scal.* De Praenestinis cum paucis Romanis Casilini in Campania ab Annibale obsessis, famemque nucibus quae ad se medio amne Vulturno defluebant sustinentibus, vide Livium lib. XXIII. sect. 19. Apud Naevium lego:

Alteris inanem bulgam madidam te dare.

Ideo ait *in proclivi*, quia proclivi fluvio ad Praenestinos nuces defluebant. *Dac.*

Nummus. Pura puta Graecorum vox est. Illam Romani a Doriensibus Siciliae et magnae Graeciae incolis accepere. Varro lib. V. *in argento nummi. Id a Siculis.* Epicharmus poeta Siculus apud Pollucem lib. IX.:

Ἀλλ' ὅμως καλαὶ καὶ πῖοι ἄρνες, εὑρήσουσί δέ
Μοι καὶ νούμμους.

A νόμος igitur νόμισμα, νοῦμμος. Quare inepte Sueton. qui a *Numa nummos* scribit appellari. *Dac.* Cf. Müller. die Etrusker. tom. I, pag. 315. et qui ibi sunt excitati. Varro pag. 173. Sp.

Nuncius. Syracusana vox est, quam a νέος Siculi declinarunt; νέος, νουγκίος, ita scribi malim per *c*. Non satis video quam differentiam fecisse dicatur Caesar, si *nuncius* dixerit et de re, et de persona. *Dac.*

Nuper. Quae desunt, plane deposita. *Nuper* autem est *novo opere*, ut *toper*, *toto opere*. Vide *Toper*. *Dac.* *Noviter.* Noviper. Hinc Glossae *Nuper*, νεωστί. *Goth.*

Numen. A *nuo*, *nutum*, *numen*; unde proprie nutum significat, et quoniam Dei nutum statim sequitur eventus, inde factum est, ut numen pro voluntate divina et imperio sumatur, atque etiam pro ipso Deo. Varro VI. de L. L. (pag. 363. Sp.): *Numen dicunt esse imperium ab nutu.* *Dac.* *Numen* sumitur pro ornatu apud Non. (pag. 143.). *Goth.*

Numella. Nonius (pag. 144. Merc.) numellam machinam ligneam dicit, in quam et pedes et callum immittebant. *Dac.*

Numidas. *Numidae* dicuntur Nomades, qui diutius vivere dicuntur, unde Cato vivaces esse Numidas, quod aetatem multam vivunt, dixit. Quae sequuntur alio pertinere scio, et ni fallor, ita concipienda sunt: *Nuces mitti Cerialibus Capito Sinnius solere dici ait, cum velimus significare missilia Cerialibus in Circo mitti.* Reliqua non tam verbis reddere possum, quam sententiam aperire; eas nuces flamma ustas aut tostas fuisse. Eoque nomine a populo diligi. Nam certum est inter missilia et nuces, et cicer sparsum fuisse, ut in Satira (Pers. V, 176. seqq.): *Cicer ingere late rixanti populo.* Ubi *cicer* pro omni missili accipiendum, ut hic nucem et torreri solere Plinius, et frigi Plautus (Bacch. IV, 5, 7.), aiunt, unde inter delicata edulia *frictas nuces* ponit. Non solum autem in Circensibus *frictum cicer* cum nucibus spargebatur; sed et puer spectacula circumferebatur, et vendebatur. Horatius (De A. P. 249.):

Nec siquid fricti ciceris probat, aut nucis emtor, etc.
In cicere atque faba bona, tu, perdasve lupinis
Latus ut in Circo spatiere, aut aeneus ut stes.

Acro: *Antiquis temporibus, ubi pauperiores erant Romani, haec dabantur, et spargebantur in vulgus ab his, qui ludos Florales exhibebant, ad plausum et populi favorem captandum.* Hoc vult igitur Sinnius Capito, nuces pro omnibus missilibus dici, quia inter omnia missilia haec a populo diligantur, praesertim flamma cum sunt ustae. Haec omnino est sententia. Videamus num ita verba expleri possint: *Nuces mitti Cerialibus Capito Sinnius solere dici ait, cum velimus significare missilia Cerialibus in Circo mitti: quod, cum mitti nuces mos esset, plane volumus a parte totum designare: quia adeo diligantur supra alia missilia, praesertim flamma cum sunt ustae.* Vel *prae flamma*, hoc est prae tostura aut frictura, quod valde placet. Fuit, cum putavi haec pertinere ad literam V, et de vulpibus agi, quae stipulis involutae subiecto igne ardentes Circensi ludicro Cerealibus mittebantur. Ovid. lib. IV. Fast. (v. 709.). *Scal.* Potius quia saepe loca alia atque alia petentes permutant pabulum quod Graecis νομή, unde *Nomades.* Vide Sall. Iugurth. (c. 18.). *Dac.*

Nuces. Ex his verbi Festi elicitur, auspicium solistimum ex nucibus cadentibus in nuptiis fieri. Id displicet Plinio lib. XV. cap. 22. et Varroni apud Servium VIII. eclog. Ambo haec de nucibus iuglandibus intelligunt. Huc pertinent illa Catulliana: *Concubine nuces da*, et Virgilii: *Sparge marite nuces.* *Ant. Aug.* Nuces cadentes *auspicium sonivium* facere ait Plinius lib. XV. cap. 22. quod hic vocatur solistimum auspicium. *Scal.* Auspicium solistimum est quod nuces in terram cadentes faciunt. *Sonivium* vocat Plin. lib. XV. cap. 22. Cur nuces autem spargerentur in nuptiis, variae causae afferuntur. Vide Servium ad illud Eclog. VIII, (v. 30.): *Sparge marite nuces.* Vide Catull. carm. 57. de nuptiis Iuliae et Manlii. Hoc institutum e Graecis fontibus manasse certum est, nam in ea gente novus sponsus iuglandes, amygdalas et id genus alia spargebat quae ipsi vocabant καταχύσματα; locuples testis Aristophanes. *Dac.*

Numae. Numam. Vide Plin. lib. XIII. cap. 13. ex cuius verbis haec sarcientur melius, quam ex iis, quae eadem de re Livius scribit lib. XL. (c. 29.) et Plutarch. in Numa (c. 22.). *Ant. Aug.* Numam Pompilium Ianiculum habitasse ferunt, in quo arcam eius inventam in ruinis a Terentio quodam repastinante agrum. *Scal.* Hanc historiam sic Livius lib. XL. sect. 29.: *Eodem anno* (a. 572.) *in agro L. Petilii scribae sub Ianiculo, dum cultores agri altius moliuntur terram, duae lapideae arcae octonos ferme pedes longae, quaternos latae, inventae sunt, operculis plumbo devinctis. Literis latinis graecisque utraque arca inscripta erat; in altera Numam Pompilium Pomponis filium regem Romanorum sepultum esse, in altera libros Pompilii inesse. Eas arcas cum ex amicorum sententia dominus aperuisset, quae titulum sepulti regis habuerat inanis inventa, sine ullo vestigio corporis humani aut ullius rei, per tabem tot annorum omnibus absumtis. In altera duo fasces candelis involuti, septenos habuere libros non integros modo sed recentissima specie. Septem Latini de iure pontificio erant, septem Graeci de disciplina sapientiae quae illius aetatis esse potuit.* Vide Plin. lib. XIII. *Dac.*

Nonuncium. Videtur Festus dicere teruncium et nonuncium idem esse, et significare novem uncias, ita ut teruncium componatur e sex sexunciis sive sexcunciis, quod certe ridiculum. *Teruncium* enim a tribus unciis, ut *nonuncium* a novem. Sed mutilum ego esse hunc locum contendo, adeoque supplendum: *ut teruncium duas sexuncias, quod singula* etc. Uncia autem non ab *uno* ut putavit Varro, sed a Siculo οὐγκία, et οὐγκία ab ἑνὸς, mutato *e* in *u* unde *unus*, ut optime ex Polluce Scaliger apud Varronem (p. 40. St.). *Dac.* Latinis etiam *Dodras.* Theophil. §. 5. Inst. de haered. inst. *Teruncium* Latinis *Triens. Goth.*

Nomen. Deest prima linea: *Nomen dictum est, quasi novimen, sive ex Graeco ὄνομα, idque familiae est; item pro debito, ut exactum dicimus nomen, cum pecunia sit exacta a debitore.* Festus καταχρηστικῶς ponit familiam pro gente; nam potius nomen gentis est, ut agnomen familiae. *Scal. Nomen sive ex Graeco.* Hac traiectione unius vocis non leviter corrupta sunt. Lege: *Sive ex Graeco ὄνομα, sive dictum est quasi novimen quod notum faciat. Familiae est*, etc. Si malis esse a Graeco ὄνομα, o praeciditur, ut ὄδοντες, *dentes.* Sed melius a *novimen, nomen*; vel ut alii, a supino *notum, nomen*, ut a *motum, momen.* Cum Festus ait, nomen esse familiae, familiam ponit pro gente. Nam potius nomen gentis est, ut agnomen familiae. *Dac.* Purum putum Sanscritum est, *nâman*, quod a *dschna*, gnosco, nosco. Quod ut ne dubitetur, conferatur v. *ignominia*, in qua *g* remansit.

Noctua. Verba ultima *noctua oculis est caesiis* adhaesere post *nonoeolae.* De noctua autem idem Varro lib. IV. de L. L. (p. 81.): *Noctua quod noctu canit et vigilat.* Similiter Graecis νυκτερὶς dicitur a νύξ, *nox.* Minerva vero dicta γλαυκῶπις non a noctua, ut putat Festus, sed quia ipsa erat λαμπρόφθαλμος, vel φυβερὰ τῷ ὁρᾶσθαι. Sed de hoc alibi. *Dac.*

Noneolae. Nonoeolae. Mammulas pensiles vocat Varro de re rust. lib. II. cap. 3. ubi in notis suis dubitat Scaliger, num apud Festum legendum sit *naevolae.* Quod sint ut naevuli, quomodo et cum de mamillis sermonem haberet, loquitur Gellius. In glossario Isidori legitur *nomicola, tubercula quae sub mento caprae sunt.* Lege *nonoeolae . . . . as est caesis.* Haec loco suo mota sunt; vide *noctua.* Reliqua, *nonoeolae vocantur papillae quae ex faucibus caprarum suppendent. Dac. Noneolae.* Noncolae. *Goth.*

Noctilugam. Noctilucam. Deerat prima linea, quae forsan adhaeserat post *nivem.* Postrema sunt Lucilii verba. Sed pro *noctilucam, noctilucum*, hoc est, *noctilugum* vel potius *noctulugum* emendat Scaliger in coniectaneis, additque eam vocem usurpasse Lucilium pro obscaeno, hoc est mali ominis, quales sunt bubones aut similes aves noctu lugentes. Sed sic etiam recte *noctilucam* scripserit Lucilius, pro *noctilugam.* Quidam legunt *noctipugam* veretrum intelligentes, quod nocte pungat. Et haec est vera lectio, ut optime magnus Salmasius in Solinum. Ita enim, inquit, Lucilius contraria compositione finxit *noctipugam*, alludens ad *solipugam*, quam ἡλιοκεντρίδα exponit gloss. in vet. cod. V. CL. Merserii diserte scriptum *noctinuga* ex quo factu fuit facile divinare *noctipuga*, sed veteres glossae Palatinae quas penes me habeo hoc confirmant in quibus legitur: *noctipugam obscaenum quod quasi noctibus compungat.* Noctipuga νυκτίκεντρον. Sic eam partem vocaverat hoc versu Sotades εἰς οὐκ ὁσιὴν τρυμαλιὴν τὸ κέντρον ὠθεῖν. Apuleius de Psyche gravida, *crescentes dies et menses exeuntes anxia numerat et sarcinae nescia rudimenta miratur de brevi punctulo tantum incrementulum locupletis uteri. Dac.* Gloss. *Nocticula*, male, cum legendum sit *Noctiluca*, ex Graeca interpretatione, quae inibi est: Ἑκάτη νυκτοφαίνουσα. *Goth.*

Noverca. Repone ex veteribus editionibus *arcendae familiae.* Arcendi verbo primigenio utitur Festus pro derivato *arcesso* alibi, cum ait: *Sagmina vocantur verbenae, id est, herbae purae, quia ex loco sancto arcebantur a consule.* Quod consensu receptum videtur, cum lex et proportio sermonis latini posceret, ut diceretur *arcire* non *arcere*, quod postea dictum *accire* ut *arcedo, accedo; arvenio, advenio. Arcio*

ergo *arcesso*, ut *capio*, *capesso*. Hic vero *arcere* ipse Festus usurpat pro coercere, ut ipse interpretatur; quod olim non animadvertit Turnebus. *Dac.* Infra deest prima linea: *Noverca dicitur quam quis liberis sublatis novam uxorem ducit arcendae familiae gratia*, id est coercendae. Reliqua sunt fragmentum novendialium feriarum. Et in illo, *ecterrania*, agnosco vestigia nominis *lectisternia*, quod verbum accommodum est novendialibus feriis. In fine haec desiderantur: *Novalem agrum Aelius a nova semente.* Alii aiunt esse Graecum, *νειόν*, ad quod teste Homero quoque utuntur: ἱέμενοι νειοῖο βαθείης τέλσον ἱκέσθαι. Locus est Ἰλιάδ. σ΄. (XVIII, 547.). Superius quoque de novali agro disseruit, nisi mavis coniungere cum his. Tamen non est novum Festo iterum, aut ter de eadem re loqui, ut de Supparo ter, de Sucula bis. *Scal.* Pro illo *Vecterannia* quod corruptum est, repono *apud Verrium Annia*, vel *apud veteres Annia*; nam Annia est nomen illius quae prima noverca memoratur. Immane quantum hic erravit Scaliger. *Dac.* Adde quae dixi de *Noverca* ad l. 4. §. 6. ff. de Gradibus. *Augendae.* Arcendae, vel accersendae. V. Alii arcessendae, ut in l. 39. §. 1. de leg. 3. vel arcendae i. e. petendae, quaerendae, ut supra in *Abarcet. Goth.*

Navibus regnante. (Ad p. 183.) Vide Aventinus. *Dac.*

Novalis. Duo versiculi dimidiati pertinent ad ea, quae Paulus refert. Cetera aliena esse videntur, neque adhuc reperi, quid significent. Apud Dionys. lib. VIII. (p. 535. c. 67.) T. Sicinius cos. de Volscis triumphavit. Referuntur autem in fine nomina quorundam illustrium virorum qui intra superiores XV. annos consules fuerunt. Opiter Verginius Tricostus, Postumus Cominius Aruncus, P. Veturius Geminus, A. Sempronius Atratinus, Sex. Fusius Fusus; inter hos Laevinus nominatur, quod cognomen est Valeriorum, item . . . . . *llius Tolerinus*, quem arbitror fuisse Manium Tullium, qui tunc etiam cos. fuit. At *Scaevolam et Ver* . . . . . non agnosco. Credidi aliquando fuisse haec nomina eorum virorum, qui intra urbem sepulti, vel combusti sunt, quod in XII. tab. id reperitur prohibitum; et hi ante XII. fuere. Cicero lib. II. (c. 23.) de legg. cum recitasset legis verba: *Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito: Quid*, inquit, *qui post duodecim in urbe sepulti sunt? Claros viros credo T. fuisse aut eos, quibus hoc ante hanc legem virtutis causa tributum est, ut Publicolae, ut Tuberto, quod eorum posteri iure tenuerunt; aut eos, si qui hoc, ut C. Fabricius, virtutis causa consecuti sunt.* Plutarch. in Problem. (quaest. 77.) Publicolae, et Fabricii meminit; sed affirmat triumphalibus concessum, ut ossa eorum intra urbem deferri possent. Sed quid certi sit, iudicent doctiores, illumque locum quaerant, proxime circum, qui sit lapide albo constratus. *Ant. Aug.* Deest prima linea. *Novalem agrum Quintus Mucius eum esse volt, qui ad novam sementem sit relictus.* Quae sequuntur, fragmenta sunt, quale quod supra positum est post Nautiorum. Est autem ferme ita: *Consulatu T. Sicini, Volsci cum praelium inissent adversum, victique essent, combusti feruntur in crepidine, quae est proxime circum, qui locus lapide albo constratus est* etc. Quod fragmentum forsitan distractum est a novendialibus feriis. *Scal. Novalem agrum.* Prior pars huius lacunae adhaeserat post novercae in edit. Scaligeri et aliis. Novalis ager qui et *novale* Graecis *νέωμα, νέατος, νέος, νειός*, et dicitur ager qui aratione novatus necdum satus est, sed per annum cessat. *Dac. Novalis ager.* Vide l. 3. §. 2. ff. de verborum significat. *T. Sicini.* Hic locus restitutus ab Ursino loco, cuius initium est: *Nauti consulatu et T. Sicini Volsci. Goth.*

Nauti consulatu. (Ad p. 183.) Quod ait Festus *Nauti consulatu et T. Sicini*, cave credas Nautium et Sicinum eodem anno coss. fuisse, nam falsum est. Annos duos hic Festus amplectitur. Priori, hoc est, anno ab U. C. 266. Spurius Nautius Rutilus consul fuit cum Sexto Furio Medullino. Et eo anno adversus Volscos pugnatum est. Verum anno sequenti T. Sicinius Sabinus cum C. Aquilio Tusco consulatum obtinuit, et Sicinius Volscos devicit deque iis triumphavit. Vide Liv. lib. II. (c. 39.) et Dionys. lib. VIII. (p. 491. c. 16). In sequentibus notandum est eos, qui pro repub. occubuerant, intra urbem sepultos quod et alibi notavimus. Et sepultos etiam alibi quam ubi combusti. *Dac.* Die Farnesinische Handschrift (Cod. Festi.) ist auf breiten in zwei Columnen getheilten Blättern geschrieben, und etwa ein Drittheil der Breite verbrannt; von jedem Blatt sind die erste und vierte Columne unversehrt, etwas mehr oder weniger als die Hälfte ist vom Anfang der zweiten, dem Ausgang der dritten erhalten. Die Grenze des verlorenen ist keine absolut gerade Linie, sondern wie das Feuer genagt hat: hier an dieser Stelle (Blatt VI, Col. 3.) beträgt der zerstörte Theil im Durchschnitt ungefähr die Hälfte der Zeile und hielt 16 — 19 Buchstaben; am Anfang fehlen aber nur 15, indem in die erste vom vorhergehenden Artikel noch zwei gehören. Nach dieser Darstellung lege ich die Stelle mit meiner Ergänzung vor:

— *Novem adversarii* T. Sicini Volsci
Cos. cum coniurationem inissent adversus
eum a pop. R. vivi in Circo combusti feruntur

> *et sepulti in ea regione*, quae est proxime Circum *ubi locus est lapide* albo constratus. *Eorum nomina fuerunt:* Opiter Verginius *Tricostus*, . . *Valerius* Laevinus, Postumus Cominius *Auruncus*, ... llius Tolerinus, P. Vetusius *Geminus*, . . *Sempronius* Atratinus, Verginius *Tricostus*, *Mutius* Scaevola, Sex. Fusius *Fusus*.

Mit *No* musste der Artikel anfangen, wie die 15, in deren Mitte er als der neunte steht; die Verschworenen waren Widersacher, nicht etwa *necessarii*, sonst würde auch dieser *T. Sicinus* hingerichtet sein; in der achten Zeile ist wahrscheinlich zu ergänzen *Aquillius;* der Verginius, dessen Eigennahme fehlt, ist für Titus, Consular von 258 zu halten, da Aulus unter den zehn ersten steht. Sextus Furius ist der Consul vom Jahre 266; also *Fusus*, nicht *Medullinus*, wie Ursinus gerathen. *T. Sicinius* hat nur in den sogenannten Fastis Siculis den Beinahmen *Sabinus*, statt Volscus. Die Capitolinischen fehlen für diese Zeit. *Niebuhr. in Histor. Rom. Tom. II. pag.* 143.

Noxia. Glossarium: *Noxatio*, εὐθύνα. *Noxum dedit*, εἰς κόλασιν δέδωκεν, εἰς εὐθύνας. Porro Caecilius citatur in *Hypobolimaeo Chaerestrato;* ut distinguatur ab altera fabula quam idem poëta docuit, *Hypobolimaeo Aeschino* Gellius libro XV, cap. 4. Cave confundas cum alia fabula eiusdem, cui titulus erat *Hypobolimaea Rastraria.* Nonius eius saepe meminit. Sed in omnibus illius grammatici etiam in recentioribus codicibus corrupte citatur. Igitur ita emendabis quotiescunque citatam reperies hanc fabulam in his vocibus, aut verbis quae subiungam: *Lactare* (pag. 16. Merc.), *obsordere* (pag. 147.), *singulatim* (pag. 176.), *mantare* (pag. 505.), *coepiam* (pag. 89.). In omnibus enim his verbis, ubi Nonius producit testimonia ex Caecilio, semper corrigendum: *Caecilius Hypobolimaea Rastraria. Scal.* Bene inter noxam et noxiam discrimen statuit hic Servius ad illud Virgil. (Aen. I, 45.): *unius ob noxam. Noxam*, inquit, *pro noxiam*, quod noxia *culpa est*, *id est peccatum. Noxa autem poena.* Sed quod non vidit Servius, vera et propria horum vocabulorum differentia est, quod *noxa generale* est, quo omne id quod nocet intelligitur, tam culpa quam laesio, vel poena et homo qui nocet. *Noxia* vero adiectivum subintelligitur *culpa*, et simpliciter maleficium, culpam vel peccatum significat. Terent. Plaut. Inde illae formulae loquendi *noxam sarcire* pro *damnum sarcire; noxae* vel *in noxam dedere,* id est animal mancipiumve vivum tradere poenae pro damno dato. In XII. tab.: *Sei servus sciente domino furtum faxit*, *aliamve noxam nocuverit*, *dominus noxae dedito*. Item: *Si quadrupes pauperiem faxit dominus sarcito*, *noxaeve dedito.* Sic noxis solvi et solutum esse pro carere delicto ob quod possit noxali iudicio agi. *Attius in Menalippo.* Attii Menalippum vocat Cicero (veluti Tusc. Disp. III, 9. ubi vide interpp.), Nonius etiam aliquando, sed saepius *Menalippam*, et ita malim. *Dac. Noxa.* Glossis αἰτία. Dicitur et iisdem *Noxatio;* adde Theophil. §. 1. Inst. de Noxalibus. *Lex iubet noxae dedere.* L. 7. §. 1. ff. quod vi. l. 1. §. noxae. ff. Si quadrupes. Glossis: *Noxam* (legendum *Noxae*) *dedit*, εἰς κόλασιν δέδωκεν, εἰς εὐθύνας. *Noxia* Glossis ἁμαρτία. Adde infra *Obnoxius. Poenam.* Poena. *Melanippo.* Menalippo. *Mulieris est.* Muliebrem et; vel muliebris. *Goth.* De Caecilii loco cf. Spengel Fragg. Caec. Stat. pag. 27. et pag. 29. Bothius recte videtur emendasse:

> *Nam ista quidem noxa muliebre est magis quam viri;*

nisi quod is *mage* scripsit.

Novae curiae. (Ad pag. 183.) Triginta curiarum nomina non extant; sed et hoc loco septem nominantur, et quatuor tantum nomina redduntur. Sunt etiam duarum curiarum nomina sub litera *T.* Curia enim Titia atque Tifata explicantur, et apud Livium Faucia curia lib. IX. (c. 38.). Ceterarum nomina non accepi. *Ant. Aug.* Mirum, cum septem curiarum mentionem fecerit, quatuor tantum nomina apposuisse, et cum dubium non sit, perperam septem pro quatuor legi, proxime verum est, ut ex notis numerorum error ille manaverit, ut VII. pro IV. legerit librarius, quod facile fuit, ut duae primae notae inferiori parte inter se cohaeserint. Porro *Forensis*, non Foriensis scribendum esse vel unus Ovid. convicerit Fast. lib. III. (v. 93. seq.):

> *Quintum Laurentes*, *bis quintum Aequicolus acer.*
> *A tribus hunc primum turba Forensis habet.*

Forenses sunt, quos Strabo *Forulas*, Plinius *Foretios* vocat. Nam a populis finitimis curias vocavit Romulus; sic Tifatam, Veliensem etc. Velitia, cuius hic mentio, dicta a Velitiensibus, quorum meminit idem Plinius; li-

cet perperam in vulgatis libris *Vellicenses* pro *Velitienses* hodie legatur. Cum ex his Festi verbis pateat veteres curias praeter quatuor exauguratas fuisse: et in locum earum novas consecratas; iure quis dubitaverit, quare M. Varro (pag. 155. Sp.) suo tempore veteres vocet, non novas, cum ait: *Curiae duorum generum, nam et ubi curarent sacerdotes res divinas, et curiae veteres, et ubi senatus humanas ut curia Hostilia.* Frustra enim vocasset veteres, nisi et novae quoque iam tum essent. Sed non dubium potius veterea dixisse, quia illae vocatae primum curiae, nam novae adhuc non erant. *Scal.* Sacra autem evocare solebant e locis, quos religione solverent. Ulpian. Digg. leg. I. tit. 8.: *Sacrarium etiam in aedificio privato esse potest, et solent qui eum locum liberare religione volunt, sacra inde evocare.* *Dac.*

Nothum. Illud, *spurio patre natus*, falsum est; malim: *spurius incerto patre natus*, ut Iulius Paris notat in epitome. Sed videtur spurium pro incerto accipere, et Servium facit Spurii filium. Vide Quintil. lib. III. Plutarch. in problem. Iustinian. lib. I. institutionum, tit. de nuptiis. De matre Ser. Tullii in Lugdunensi T. Claudii imp. oratione dicitur: *Servius Tullius si nostros sequimur captiva natus Ocresia; si Tuscos, Coeli quondam Vivennae sodalis.* Livius serva natum non credidit, sed Servio Tullio, qui princeps Corniculano, et Ocresia natum; Servii praenomen nato filio matrem imposuisse, quod in servitute natus esset. Plinius sive quis alius, in libro de viris illust. Servius Tullius P. Corniculani et Ocresiae captivae filius; cuius verba facile mutari possunt in Sp. et Oclesiam. *Ant. Aug.* Spurius est, cuius pater ignoratur, atque ut Lucretius loquitur, *volgivaga venere conceptus*; cuius vocabulum Graeci non habent. Nam *νόθους*, quos vocant, ii naturales apud Romanos, et patrem certum habent; *σκότιοι* autem furto concepti sunt. Spurio patre natos ioculari dicto vocant Romani, quia cum pater eorum ignoretur, matris esse dicuntur. Sed quia nunquam matris dicebantur liberi iure Romano, neque enim dicebatur L. Titius Gaiae filius, sed L. Titius Marci filius, propterea eos vocabant Spurii filios, ut Titius Spurii filius, a parte scilicet matris, unde procreati in lucem prodierunt, quae honeste nominari non potest. Nam *Spurium* eam partem vocabant veteres. Auctores Plutarchus, Apuleius, Isidorus. Omnes enim *spurium ἀπὸ τῆς σπορᾶς* vocatam dicunt eam partem. Hoc ita esse praeter ea, quae superius a nobis dicta sunt, fidem fecerit, quos etiam *Favonios* vocabant. Nam *favonia ova*, quae Graece *ὑπηνέμια* dicuntur, ea sunt, quae sine initu maris concepta sunt. *Favonii* igitur quasi sine patre. Quin et Plutarchus cum SP. quo spurius notabatur, interpretetur sine patre, significat eos filios sine patre vocatos. Recte igitur hic apud Festum nostrum Nothum dici illum, quem vulgo spurio patre natum vocabant. Quod quam imprudenter doctissimi viri mutare conati sint, nemo non videt: tum quia iisdem verbis legitur apud abbreviatorem, tum etiam propter eam causam, quae a nobis in medium producta est. Sed et Plutarchus aperte (quaest. 103.): *Διὰ τί τοὺς ἀπάτορας σπουρίου υἱοὺς καλοῦσι*; nam falsa est lectio vulgata, *σποριοὺς υἱούς*; nunquam enim hominem vulgo conceptum *spurium filium*, sed *spurium* simpliciter, et *spurii filium* vocabant. Delenda ergo menda de codice Plutarchi. *Scal.* Et illud de Spuriis quidem verum est. De nothis probari non potest, neque enim ignoratur eorum pater. Nunc aliud quaerendum est, et hoc ipsum continue Festus subiunxerat, sed quia librariorum incuria corruptum fuit, interpretes adhuc latuit. Lege modo: *Quod Ser. Tullius qui Romae regnavit, natus ex concubina Spurii Tulli Tiburtis.* Hanc enim ille rationem reddit, cur nothi spurio patre nati dicerentur. Sensus est: *quem Graeci nothum dicunt, hoc est, ex matre non legitima natum, is apud Romanos spurio patre natus dicitur, quia Servius Tullius ex concubina et spurio Tullo Tiburte natus est.* Nil verius. Quae sequuntur sic legito: *Nisi forte malumus credere Ocrisia Corniculana captiva eum susceptum matre serviente.* De Servio Tullio alii alia afferunt. Vide Liv. lib. I. et Dionys. lib. IV. *Dac.* Vide Novellam *περὶ νόθων*. *Spurius patre natus.* Spurius incerto patre natus. A. nisi *Spurium patrem* pro incerto accipias. Vide Quinctilian. III. Instt. de nuptiis. *Ex concubina.* Ex Onesia captiva Servium Tullium natum ferunt. Dionys. IV. (pag. 207. c. 1.) ideo Servii praenomen illi impositum credit, quia serva natus. Adde Plin. in libro de viris illustribus. *Goth.* *Tribulis.* Tiburtis. *Maluimus.* Malumus. *Oclifiae Corniculanae.* Oclifiam Corniculam. *Idem.*

Nobilem. Lege in fine: *Livius in Virgine: Ornamento incedunt gnobili;* nam ultima vox abundat. *Scal.* *Nobilis a nosco, novi, notum nobilis*, ut a *motum mobilis.* Antiqui *gnobilis* addito *g*, ut *gnarus, gnatus, gnavus.* Locus Plauti e Pseudol. act. IV. sc. 2, (11.). Sed ibi *ignobilis* hodie recte legitur, id est ignorabilis, ignotus. Ista *et oculis meis*, id est et idem Plautus, *oculis meis* etc. E Pseudol. II, 1, (18.):

Qui oculis meis obviam ignorabilis obiicitur?

Attius in Diomede. Attii verba sic alibi (apud Non. pag. 351.):

Ergo me Argos conferam, nam hic fuam gnobilis
Ne cui cognoscar noto.

Ultima vox *ignobilis* abundat. *Dac.* Adde Nonium in *Nobile* (p. 351. Merc.). *Per g pro c. Gnobilis.* Ignobilis. *Gnobilis* pro *nobilis.* Glossis *Gnor*, legendum *gnovit*, *οἶδεν*, *ἐπιγινώσκει*. *Gnotum*, legendum *gnorunt*, *γνῶσιν*, *διάγνωσιν*. [Legitur ibi *Gnot* (i. e. gnovit, contracte) et *Gnotu* (ablat. sive supin.) utrumque rectissime]. *Gnarurat*, *γνωρίζει*. *Gnarurem*, *γνώριμον*. *Gnaritur*, *γνωρίζεται*. *Goth.* *Gnobilis.* Ignobilis. *Hic suum.* Hic suam. *Gnobilis.* Nobilis. *In Virgo.* In virgina. *Incendunt.* Incedunt. *Gnobili.* Nobili. *Idem.*

Noegeum. *Noegeum* recte exponit amiculi genus, praetextum purpura. Est enim versum ex Homerico *φᾶρος πορφύρεον*. *Simulac lacrimas de ore noegeo detersit:*

Δακρὺ ὀμορξάμενος κεφαλῆς ἀπὸ φᾶρος ἕλεσκε.

Ὀδυσσ. θ'. (v. 88.) Nam paulo ante *πορφύρεον* vocavit. Quare vero putet hic esse adiectivum Festus interpreteturque *candido*, causam comminisci non queo. *Scal.* Mirum quam graviter hic errarunt et Festus et alii, qui cum eo *noegeum* candidum interpretantur. Nam in versu Livii vox *noegeo* non refertur ad *ore*, sed ad *detersit*. *Simulac de ore suo lacrimas detersit noegeo.* Neque aliud est *noegeum* quam amiculum praetextum purpura. Versum enim est, ut optime Scaliger, ex Homerico *φᾶρος πορφύρεον*, in Odyssea quam Livius convertit:

Simulac lacrymas de ore noegeo detersit.
Δακρὺ ὀμορξάμενος κεφαλῆς ἀπὸ φᾶρος ἕλεσκε.

Ad verbum:

Lacrymas detergens, e capite noegeum demebat.

Odyss. θ'. v. 88. nam v. 84. vocavit *πορφύρεον μέγα φᾶρος*. *Dac.* *Quasi a nauco.* Vide supra *Naucum.* *Goth.* Vid. Hermann. Elem. doctr. metr. pag. 623. ubi legendum suadet: *dacrimas.* Ad vocabulum quod attinet, recte videtur statuisse Dacerius. Nam *noegeum*, sive *naegeum* haud dubie cohaeret cum vv. *νάκος*, *νάκη*, *naccae*, *nacca* (i. q. fullo), *naucum* (i. q. putamen nucis), *nux* et aliis, ex quibus intelligitur, *noegeum* nihil aliud esse posse nisi *φᾶρος*. Habes autem solemnem illam vocalium demutationem *a*, *o*, *au*, *u*, *oe*, de qua saepe nos alibi.

Nixi. *Nixii.* Glossarium: *Nixae*, *ὠδῖνες*. In fine, *quae ibi subiecta fuerint mensae*, hoc est, oppignerata argentariis Corinthiensibus. Deinde ex vetusto libro: *Etiam qui capta Corintho*, hoc est, sunt etiam qui dicant capta Corintho etc. *Scal.* *Nixi* vel *nixii* a nitendo, quod nixibus parientium praesideant. *Niti* enim proprie de parientibus, et *nixus* partus. Virg. IV. Georg. (199.):

— — — *aut foetus nixibus edunt.*

Ubi Servius: *Nixibus*, *partubus a nitendo, unde et enixa dicimus.* Nixos autem Deos legas apud Ovid. IX. Metamorph. (293.):

Fessa malis, tendensque ad coelum brachia, magno
Lucinam nixosque pares, clamore vocaram.

Quae signa sunt qui. Lego: *Quae signa sunt qui memoriae prodiderint, Antiocho rege Syriae superato, M. Attilium subtracto populo Romano adportasse, atque ubi sunt, posuisse. Etiam qui dicant capta Corintho advecta huc, quae ibi subiecta fuerint mensae.* Hoc est, *sunt etiam qui* etc. *Subiecta mensae*, hoc est, quae ibi oppignerata argentariis Corinthiensibus. *Dac.* Vid. Non. in *Enixae* (pag. 57. Merc.) *Signa.* Sua. *M.* Manius. *Quae.* Qui. *Goth.*

Nictare. Proprie quod Graeci *πτερυγίζειν*. Versus Caecilii et reliqua ita bene habebunt: *Garruli sine dentes iactent; sine nictentur perticis.* Novius in Maccho copone: *actutum scibis, cum in nervo nictabere.* De versibus Ennii vide in coniectaneis (pag. 154. St.). *Scal.* *Nictare* a *nitor*, nempe a supino *nictum* pro *nixum*. Est autem nictare et nictari proprie quod Graeci *πτερυγίζειν*, cum aves volaturientes alis latera verberant. Et eo sensu usus Lucret., cuius integrum locum vide lib. VI. *Caecilius in hymnide.* Verba Caecilii sic Scaliger:

Garruli sine dentes iactent, sine nictentur perticis.

Sed non placet; tentabam olim:

Grallis sedentes iactent, sine nictentur perticis.

Locus Novii in Maccho Copone:

Actutum scibis cum in nervo nictabere.

Id est: mox scies cum vinculo cervicem impeditus, omnium membrorum nisu frustra te expedire conaberis. *Caecilius in pugile.* Eius verba corrupta suspicor et forsan ita legenda: *Tum inter laudandum hic timidus tremulas palpebras percutere nictio, hic gaudere*, supple *videas.* *Dac.*

Nictit canis. Ennii carmen lib. X. mendosum est. *Ant. Aug.* *Nictit canis.* Ob odorem ferarum naribus obiectum oculorum et membrorum nisu gestit. Versus Ennii sic legit Scalig. in coniectaneis ad Varron. (pag. 154. ed. St.):

— — Animusque in pectore latrat
Sicuti siquando vinclo venatica aeno
Apta solet canī, forte feram si ex nare sagaci
Sensit, voce sua nictat ululatque ibi acute.

Apta vinclo aeno est iuncta, connexa vinclo. *Canī* pro *canis.* At Gifanius legebat:

Veluti si quando vinclis venatica venox
Apta solet, si forte feram ex nare sagaci.

Quem non sequor, neque enim illa *venatica venox* probari posse arbitror. *Unde ipsa gannitio.* Lege: *unde nictatio ipsa gannitio. Dac.* *Nexari.* Nictari. *Scribet.* Scribes. *Nictabere.* Nectabere. *Pugilem.* Pugile. *Nictit canis.* Inde *Nicticulus* apud Varron. de L. L. IV. (pag. 102. Sp. ubi nunc *noctulucus* legitur.). *Venenox.* Venox. *Apta solet; si forte feras ex nare sagaci Sensit* cet. *Nictit.* Nictu. *Unde.* Et unde vel et inde. *Gannitio.* Vide supra *Gannitio. Goth.* Locus Lucretii est lib. VI, 836. De Caecilii loco cf. Spengel. Fragg. Caec. Stat. pag. 24.

Niquis scivit. (Ad pag. 185.) Hanc centuriam a Servio Tullio institutam dicit Festus, in qua liceret ei suffragium ferre, qui non tulisset in sua, ne quis civis suffragii iure privaretur. *Dac.*

Ningulus. Ennii versus mendosus est, et quia video Paulum referre verba Marcii vatis, quod a Festo praetermittitur; arbitror deesse aliquot verba, in quibus Ennii versus finis, et Marcii orationis initium sit. *Ant. Aug.* *Ningulus* dictum pro *nec ullus*, nam non geminabant literas, et *n* interpositum. Confusa sunt testimonia Ennii et Martii. *Scal.* Male Paulus Marcio vati tribuit, quae sunt Ennii, cuius verba sic olim restituit Merula:

Qui ferro minitaris ut in te ningulu' modo
Ire queat.

Vel propius ad scripturam Marsilius:

Qui ferro minitere, atque in te ningulus met
Ire queat.

De Horatio, qni solus adversus tres Albanos dimicans singulos, prout sequi poterant, adortus superavit. *Ningulus* autem pro *nec ullus*, *neculus*, *nigulus*, *ningulus. Dac.* *Ningulus* est *ne singulus.* Antiquos enim credibile est *ingulus* vel *hinculus* dixisse pro *singulus*, unde ortum *ningulus*, ut ex *hilum* nihilum et *nilum.* Fons est Sanscrit. *éka* unum, *ekaika*(s) singulus. Nam ab *eka* haud dubie factum *enka*, *enga*, unde descendit *uncia*; atque ab hoc demum *ingulus*, *singulus.*

Niger. (Ad pag. 185.) Historia nobis ignota. *Ant. Aug.* Nigrum lapidem morti Romnli destinatum primo ait; deinde Faustulum nutricium Romuli ibidem sepultum. Reliqua non assequimur. Lapidem hunc *λίθινον λέοντα* vocat Dionysius Halicarnasseus (pag. 74. cap. 87.), cuius verba, quia mentem Festi nobis aperiunt, et lacunas explere possunt, adducam. Loquitur autem de pugna, quae inter Romulum et Remum fuit, in qua etiam Remus interiit: *ἐν ταύτῃ φασί τινες τῇ μάχῃ τὸν Φαυστύλον ὃς ἐξεθρέψατο τοὺς νεανίσκους, διαλῦσαι τὴν ἔριν τῶν ἀδελφῶν βουλόμενον, ὡς οὐδὲν οἷός τ' ἦν ἀνύσαι, εἰς μέσους ὤσασθαι τοὺς μαχομένους ἄνοπλον θανάτου τοῦ ταχίστου τυχεῖν προθυμούμενον, ὅπερ ἐγένετο. τινὲς δὲ καὶ τὸν λέοντα τὸν λίθινον, ὃς ἔκειτο τῆς ἀγορᾶς τῆς τῶν Ῥωμαίων ἐν τῷ κρατίστῳ χωρίῳ παρὰ τοῖς ἐμβόλοις ἐπὶ τῷ σώματι τοῦ Φαυστύλου τεθῆναί φασιν, ἔνθα ἔπεσεν ὑπὸ τῆς εὑρόντων ταφέντος.* Acro interpres vetus Horatii in Epodos Horatii: *Varro pro rostris sepulcrum Romuli dixit: ubi etiam in huius rei memoriam duos leones erectos fuisse constat, unde factum est ut pro rostris mortui laudarentur. Scal.* De Quintilio, qui Romuli partes sequebatur et a quo dicti Quintilii, vide *Fabiam* et *Quintia.* Aiebat forsan Festus Faustulum a Quintilio sepultum. *Dac.*

Nequam. Ex *ne* et *quidquam.* Varr. lib. IX. de L. L.: *Ut ex non et volo, nolo: sic ex ne et quidquam item media extrita syllaba, coactum est nequam* etc. *Dac.*

Nanum. De hoc quid iudicii nostri sit, vide in coniectaneis. In glossario: *Bardatus, νάννος, τὸ σκεῦος*, scribe *barbatus.* Pumilio Graecum quoque est *πυγμαλίων*; idem enim a *πυγμαῖος*, ut a simo, *σιμαλίων*, et similia. Porro superest tantum de verbis Festi, ad imitationem eiusmodi hominum, aqualem humilem et concavum, quem vulgo situlum barbatum vocant, dictum fuisse. Reliqua supplebis ex Gellio lib. XIX.

cap. 13. Quasi quod hic in Festo desideratur, ita explendum sit. *Nani, humili et brevi statura homines; unde ad imitationem* etc. *Scal. Nanum* a graeco νᾶνος. Meminit Varro lib. VI. de L. L. (pag. 124. Sp.): *Vas aquarium vocant futum quo in triclinio allatam aquam infundebant, quo postea accessit nanus cum graeco nomine, et cum latino nomine graeca figura barbatus.* Ab eo pumiliones *nani* dicti, ut ait Paulus. Sed contra est, nam a nanis, id est pumilionibus, vas aquarium nani nomen accepit. Id indicat infra Festus. Pumilio graecum quoque est πυγμαλίων, idem enim ac πυγμαῖος, ut a simo σιμαλίων et similia. *Dac.* . . . . . *tionem.* Deest spatium ad integra Festi verba capienda quae etiam in schedis confusa. Lege: *Nani pumiliones appellantur; ad imitationem eiusmodi hominum, nanum Graeci vas aquarium dicunt humile et concavum, quod vulgo vocant situlum barbatum.* Gloss.: *Barbatus*, νάννος, τὸ σκεῦος. *Dac.* Glossis: *Atnanulus*, ἅγιον ἱερέως, σκεῦος, κειμήλιον. *Pomiliones.* Pumiliones. *Goth.*

Necem suspicatur. Necem suspicatur Verrius a graeco ductum, nam illi νέκυν, mortuum dicunt, unde nos neci datum, id est morti. Nihil amplius deest. *Dac.*

Nivem. Nivem Verrius interpretatur novum ex Graeco qui id νέον dicunt N . . . . . significat da . . . . Ita schedae. Sed ista *N . . . . . significat da* . . . . tam huc non pertinere certum est, quam quo pertineant incertum. Puto tamen divulsa ab eo capite ubi de *noctiluca.* Sed cur a *νέον nivis, nix?* An quia tum tantum nix est dum nova est, neque in liquorem resoluta? Nugae. Nix est ab obsoleto *νίψ, νιφός*; vel a *ninxi*, ut a *duxi, dux.* Iul. Scaliger volebat esse per syncopen ex *nivis.* Nivis autem a *ninguis* quo utitur Lucret. (VI, 736. 964.). *Dac.*

Nequinates. Ait Nequinates prius vocatos, qui postea Narnienses dicti sunt, expulsis colonis veteribus. Plinius (III, 14.): *Narnienses: quod oppidum antea Nequinum vocatum est. Scal.* Nequini, quod postea Nannia, meminit Plin. (l. c.): *Narnienses: oppidum antea Nequinum vocatum est;* et Liv. lib. X. cap. 9.: *Alter consul Apuleius in Umbria Nequinum oppidum circumsedit. Locus erat arduus atque in parte una praeceps, ubi nunc Narnia sita est.* Et paulo post: *Ita Nequinum in ditionem populi Romani venit. Colonia eo adversus Umbras missa a flumine Narnia appellata. Dac.*

Novendiales. Livius (I, 31.) scribit devictis Sabinis a Tullo Hostilio rege, *nuntiatum esse in monte Albano lapidibus pluisse; missis, qui id viderent renuntiarunt audisse vocem ex luco, ut patrio ritu sacra Albani facerent. Romanis novendiale sacrum publice susceptum, seu voce coelesti ex Albano monte missa, seu aruspicum monitu; mansisse solemne, ut quandocunque idem prodigium nuntiaretur, feriae per novem dies agerentur.* Ex his verbis maxima pars verborum Festi intelligi potest; postremi versiculi interpretem desiderant. Adde Livium lib. XXXVIII. (XXX, 38.). *Ant. Aug.* Glossarium: *Novendialia*, ἔννατα ἐπὶ νεκροῦ ἀγόμενα. *Scal.* Novendiales feriae et novendialia sacra dupliciter a Romanis acta fuere. Uno modo cum defunctis nono die quam mortui fuerant, parentabant: altero cum prodigium aliquod accidisset, quod per novem continuos dies, sacro, quod inde novendiale dicebatur, solebant expiare. De quo hic Festi locus accipiendus; cuius verba lucem accipient ex verbis Livii, qui fuse historiam narrat. Illud vide lib. I, sect. 31. In illis, *missa cratea pene funditus*, rescribe: *amissa civitate ac pene funditus deleta. Dac.* Quid velit, non obscurum est, usque ad illa verba, *quae missa crate.* Videtur illis novendiale sacrum factum, quos Tarquinius sub crate necavisset, de quo vide Livium. *Scal. N . . . . dicuntur.* Supplendum existimo: *novae dicuntur* etc. Dicit quasdam machinas inventas a Marcello, ut Syracusae facilius expugnarentur. *Dac.* Adde quae dixi de Novendiali sacro ad Novell. 115. c. 5. et ad Novell. 133. *More.* Monte. *Goth.*

Navalis. Navalis porta regionis decimae quartae a navalium vicinia appellata. *Scal.* In regione XIV. trans Tiberim, eadem *portuensis.* Nunc *porta ripae* vel *vinaria*, quod extra eam vina externa, maxime tamen Campana et Tusca vendantur. *Dac.*

Nonarum. Haec erant ex libro IV. Verrii de verborum significatione, ut Gellius scribit lib. V. cap. 13. Videndus etiam Livius lib. VI, (c. 1.) Ovid. I. Fastor. (v. 57. seq.), Plutarch. in problem. (quaest. 25.), Macrob. lib. I. Saturn. *Ant. Aug.* L. m. habet *nuptis* pro *nuptiis.* Vide Macrob. lib. I. cap. 15. *Fulv. Urs.* Deest prima linea et spatia angustiora relicta sunt, quam quantum satis sit, ad ea capienda, quae desiderantur. Ita igitur suppleto: *Nonarum, Iduum, Kalendarum postridie, item ante IV. Kalendas, Nonas, Idus novae nuptae tempus atrum inluciscere observatum est, quoniam atri hi dies esse iudicati sunt, decreto pontificum; quod quotiescunque Romani duces belli gerendi gratia his diebus supplicaverunt male remp. gessere.* Vide Gellium lib. V. cap. 13. et Macrob. lib. I. Saturnal. *Scal.* Macrob. lib. I. Saturnal.: *Ne hoc praetermiserim, quod nuptiis copulandis Kalendas, Nonas, et Idus religiosas, id est evitandas censuerunt. Hi enim dies praeter Nonas feriati sunt; feriis autem vim cuiquam fieri piaculare est, ideo tunc vitantur nuptiae, in quibus*

vis fieri virginibus videtur, etc. *Nonis prohibetur celebritas nuptiarum, quia primus dies verecundiae datur, postridie autem nuptam in domo viri dominium incipere oportet, adipisci et rem divinam facere. Omnes autem postridiani dies seu post Calendas, seu post Nonas Idusve ex aequo atri sunt. Ideo et nonas inhabiles nuptiis esse dixerunt, ne nupta aut postero die auspicaretur libertatem uxoriam, aut atro immolaret, quo nefas est sacra celebrari.* Vide praeterea Liv. lib. VI, (1.) Ovid. Fast. (57. seq.) et Plutarch. in problem. (quaest. 25.) *Nonarum postridie.* Vide Gellium lib. V. cap. 13. qui ipsamet Verrii Flacci verba, unde haec Festi petita sunt. *Nonas*, vel a *nova luna*, vel a *novem*. Quod a nonis ad idus sint novem dies, unde addit per *u* scribi debere *nounas*, a *novem*, *novenus*, *nounus*, *nonus*. Utrumque etymon refert Varro lib. V. Vide Macrob. lib. I. Saturnal. cap. 15. et Scaligerum de emendatione temporum lib. II. *Dac.*

AD LIBRUM XIII.

Ob. A Graeco ἐπὶ, cuius ea vis est: *circum*, *propter*, *ad* etc. Obsides autem non quasi *obfides*; sed quia obsidentur et custodiuntur, vel quia obsidionis solvendae gratia dati sunt. Versus Ennii est ex VIII. Annal. De Annibale, qui a Tarentino agro noctu urbem petiit. *Dac.* *Ob.* De hac particula vide Gellium IV, 17. Glossis *obses*, ὅμηρος, ἀντέχυρον vel ἀντενέχυρον. *Alias pro ad.* Vide supra *Mortem*. Vide infra *oboritur*. *Goth.* Duae sunt in lingua Indica praepositiones, quae huc spectant. Altera est *ăpi*, ex qua ortum Graecorum ἐπί, super; altera *abhi*, ad, ex qua ortum Romanorum *ob*, qua de caussa cur *ad* etiam significare possit, facile intelligitur. Utriusque Indicae praepositionis notio coniunctim reperitur et in Graeca ἐπί et in Latina *ob* praepositione. Cf. Bopp. Gramm. Sanscr. crit. §. 111. pag. 68. seq.

Oculissimum. Plaut. in Curcul. *Ant. Aug.* Uterque locus Plauti est ex Curcul. Prior I, 1, (15.):

Huic proximum illud ostium oculissimum.
Salve, voluistin' usque ostium oculissimum.

Ubi male hodie *occlusissimum*. Posterior act. I. sc. 2. (v. 28.): *Salve oculissime homo*, ubi *oculissime* Festus interpretatur, *qui clare aspicit.* Pessime; nam hic etiam *oculissime* est *carissime*, quod et Muretus vidit. *Dac.* Priori loco *occlusissimum* et libri omnes apud Plautum exhibent, et metrum requirit. Altero loco *oculissime* satis testatum videtur; sed omnis locus ita scribendus:

Ph. *At iám bibes.* Le. *Diú fit hoc.* Ph. *En tibi anus lepida, sálve.*
Le. *Oculíssime.* Pa. *Age éffunde hóc cito in baráthrum, prólue própere*
Cloácam. Ph. *Tácĕ, nolo huic maledici.* Pa. *Fáciam iam ígitur pótius.*

Vulgo: *Diu fit. PH. Hem.* Facile excidit *hoc*, ante notam Personae. *Salve* a codd. tribuitur lenae, cuius verbo additur ab iisdem et vulgo *homo*, quod a metro secluditur et friget. Tum vulgo *propere prolue.* Denique vulgo *Faciam igitur male potius. Iam* excidit, ut saepe propter similem terminationem in *faciam*; et *male* insulse repetitum ex superioribus.

Oculatum. Plaut. in Pseudol. (I, 3, 66.): *Eme die caeca Hercle olivum, id vendito oculata die.* Idem in Truculent. (II, 6, 8.): *Pluris est oculatus testis unus* etc. *Ant. Aug.* *Idem in Pseudolo oculatum.* Prima linea suo loco mota fuit; lege modo: *Oculatum pro praesenti dixit Plautus in Pseudolo. Emito die caeca* etc. Sic omnia constant. Emere die caeca est, in incertum diem prolata solutione, contra oculata die, id est praesenti pecunia. Cum ait Plautum oculatum Argum dixisse, locum respicit Aulul. III, 6, (19.):

Quos si Argus servet qui oculeus totus fuit.

Ubi ex Festo rescribendum *oculatus totus fuit.* Illa, *pluris est oculatus* etc., sunt e Trucul. II, 6, (8.). *Dac.* (In Aulularia *oculeus* metrum efflagitat.)

Oculitus. Ideo oculorum in exprimenda vi amoris crebra fit mentio quod oculorum sensus nobis omnium carissimus. Sic Catull.: *Ni te plus oculis meis amarem.* Item: *Ambobus mihi quae carior est oculis.* *Dac.* Adde Nonium in *Oculitus* (pag. 147. Merc.). *Goth.*

Odefacit. Falsum est *odefacit* esse pro *olefacit*, cum contra hoc pro illo dicatur, nempe a Dorico ὄσδω, obiecto σ ὄδω, *odeo*, *odor*, *odefacit*, *D* in *L* mutato, *olefacit*, *olfacit*. *Dac.* Saepe commutari *d* et *l*, exempla docent haec: *dacrima* lacrima, *dingua* lingua, alia. Vide quae supra diximus s. v. *lingula*.

Octaviae porticus duae. (Ad pag. 186.) Altera Octaviae sororis Augusti, de qua Ovid. de arte (I, 69.):

Aut ubi muneribus nati sua munera mater
Addidit, externo marmore dives opus.

Muneribus nati, id est, theatro Marcelli, cui fuit Octaviae porticus contigua, unde eam *porticum Marcelli* nominat Festus. Vestigia eius inter S. Nicolaum in carcere et S. Mariam in porticu, ubi locus ex ruinis eminentior. Altera autem Cn. Octavii, duobus nominibus aliis appellata a structura, *Corinthia*, a pictura, *Persei*. Nam Cn. Octavius de Perse Macedoniae rege triumphum agens, ex manubiis eam condidit, et res suas gestas in ea depingendas curavit, unde merito *amoenissima* a Velleio habetur, qui addit cam in Circo fuisse. Circum Flaminium intellige ex Plinio, et ex Victore in regione IX. Extant vestigia intra aedem S. Nicolai de Calcaria, et turrim argentinam, columnae semi obrutae cum capitellis Corinthiis. Duplex columnarum ordo fuit, auctoribus et Plinio et Victore. Quare *duplex* etiam dicta: cum esset incendio deformata, in meliorem formam ab Augusto reducta est. *Dac. Decemvir.* Decemvirum. *Goth.*

Ogygia moenia. Thebae, ab Ogyge antiquissimo rege ante Cadmum, unde *Ogygii* dicti antiqui. Hesych.: Ὠγυγίου παλαιοῦ etc. Item: Ὠγύγια ἀρχαῖα τείχη; inde *Ogygia mula*, *Ogygia Tyrus* Dionysio; *Ogygii montes* Pindaro. Vide Erasmi adagia. *Dac.*

Occasus. Glossarium: *Occasus*, σύμπτωσις. Putarem Ennium scripsisse: *Ut datus est occasus, Horatius inclutu' saltu.* Describebat Ennius Horatiorum et Curiatiorum certamen. *Scal.* Supple ex epitome: *occasus interitus, vel solis mersio cum* etc. Verba Ennii:

Hic occasu' datu' est; at Horatius inclutu' saltu'.

Vel forte:

Hic occasu' datu' est; at Horatius inclutus astu.

De Horatio qui astu Curiatios superavit. *Dac. Inclutus saltu* ad imitationem illius Homerici πόδας ὠκύς dictum videtur.

Occisum. Occisus. Ex Festo scribe *a caedendo et ictu. Fulv. Urs.* *OCCISUM. SEI. HOMINEM. FULMEN. IOBIS. OCCISIT. EM. SUPRA. GENUA. TOLLITO. HOMO. SEI. FULMINE. OCCISUS. ESIT. EI. IUSTA. NULLA. FIERI. OPORTETO.* Scriptum ἀρχαϊκῶς Iobis pro Iovis, quod potius librariorum supinitati, et depravatae pronunciationi ad scribendum, ubicumque fulgur hominem occiderat, ibi sepeliebatur. Artemidorus: οὐ γὰρ οἱ κεραυνωθέντες μετατίθενται, ἀλλ' ὅπου ἂν ὑπὸ τοῦ πυρὸς καταληφθῶσιν, ἐνιαῦθα θάπτονται. Plinius in catholicis fulgurum (II, 55.): *Hominem ita exanimatum cremari fas non est, condi terra religio tradit.* Sepeliebantur autem ab aruspicibus. Seneca de Clementia lib. I.: *Ecquis regum erit tutus, cuius non membra aruspices colligant? Quodsi Dii placabiles, et aequi delicta potentium non statim fulminibus persequuntur*, etc. *Scal. Necatus.* Adde supra *Neci datus. A caedendo dictus.* A caedendo et ictu. *Nec supra ianua.* Nec supra gamma tollenda est. *Homo si occisus est fulmine.* Cf. Plin. II, 54. *Goth.*

October. October. Menzana quae sit apud Sallentinos, quaerendum est. *Ant. Aug.* Suspicor legendum *Meni zana* pro *Menzanae*, hoc est, μηνὶ ζανᾶ. ἀπὸ τοῦ ζηνός. Ut mense Iovis cognomine Iovi hostia immolaretur. Vel potius ζανᾶς apud illos, quem alii Dores ζανᾶ. Mirum autem Plutarchum in Romanicis quaestionibus (quaest. 97.), Idibus Decembribus, non Octobrib. immolari solitum illum equum dixisse. *Scal. October equus*, quia mense Octobri per equum Troia capta. Alii non quotannis, sed quinto quoque anno immolari solitum dicunt. Propert. lib. IV, (1, 20.):

Qualia nunc curto lustra novantur equo.

Neque idibus Octobribus, sed idibus Decembribus auctore Plutarcho. *Dac. Suburanenses et Sacravienses.* Qui Suburanam et sacram viam incolunt. *Dac. Eiusdemque cauda*, quae *Caviar* proprie dicebatur. Vide *Caviares hostiae*, ubi quinto quoque anno in sacrificio positam dicit Festus. *Ita effigie in equi*, pro *ita in effigie equi*; nam veteres saepe transponebant voces. *Dac. Qui quotannis quadrigas.* Sic in Illyrico quaternos equos Neptuno consecratos in mare nono quoquo anno iaciebant. Vide *Hippius. Dac. Qui in campo Martio.* Vide infra Panibus. Ad *turrem Mamiliam.* Adde supra *Mamilia turris. Cauda. Quoda* vel *coda. Ab Ilio sunt oriundi.* Vide supra *Equus. Deseratur.* Differatur. *Menzanae Iovi.* Qui sit, quaerendum. *Meni zana* i. e. mense Iovis. *Goth.*

Occidamus Plautus posuit. Plauti locum, opinor, intelligit Pseudol. I, 3, (20.) ubi male hodie:

I, puere, accedamus hac obviam.

Rescribendum *occidamus, haec obviam*, non vero apud Festum *occedamus*, ut Gulielmo visum est. *Dac.* Scribendum tam apud Festum quam apud Plautum *occedamus.*

Occentare. Verba *qui illum* videntur mutanda in *querellam*, ut antiqui scribebant. *Fulv. Urs.* *Occentassint.* Reperitur hoc verbum in XII. tabulis, ut referebat Cicero lib. IV. de republ. teste Aug. lib. II.

cap. 9. de civitate Dei (cf. Fragm. de Rep. ed. Ang. Mai. pag. 291.). Ultima verba mendosa sunt; in veteri libro, una littera tantum diversa. *Candus* enim illic pro *cantus* scriptum est. Gabrieli Faerno, optimo emendatori omnium librorum, videtur esse scribendum: *inde cantilenam dici querellam non cantus iucunditatem puto*. *Ant. Aug.* *Si quis carmen occentassit, quod alteri flagitium facit, capital esto*. *Flagitium* apud veteres significabat infamiam. Itaque Plautus (Epid. III, 4, 79.): *maiore cum flagitio reddes postea*, hoc est, *cum infamia*, et Cato, *intercutibus stupris flagitatus*, hoc est, *intestinis probris infamatus*, unde *flagitatores* dicti postea foeneratores, quod convicio repetant foenus. Nam odio foeneratorum haec in illos appellatio obtinuit, cum alioquin lege XII. flagitare, hoc est, conviciis alicuius existimationem laedere, capital esset. Itaque recte Festus ait id turpe haberi, quia non sine causa fieri putetur; vix enim quisquam eo audaciae proveheretur, ut alicuius famam peteret, nisi iustissima causa subesset; quare *occentare* non licebat, cum aliquis rem suam repetebat; hoc enim proprie dicebatur *flagitare*, quod idem, ut puto, lex vocabat pipulo poscere. Plautus Aulularia (III, 2, 32.):

Ita me bene amet Laverna, iam nisi reddi
Mihi vasa iubes, pipulo hic differam te ante aedis.

Cn. Mattius in Mimiambis:

Dein cocenti vasa cuncta deiectat.
Nequamve scitamenta pipulo poscit.

Quod Plautus dicit pipulo differre ante aedes, idem in Persa dixit *occentare ostium*. Isidorus in glossis: *pipulo, convicio, ploratu*. Postrema quae hic leguntur, sunt addita ex corollariis abbreviatoris; neque est, quod docti viri in illis emendandis aestuent, nisi Paulum latine loqui putant. Non est autem omittendum illud apud Plinium (XXVIII, 2.), ex XII.: *Si quis malum carmen incantassit*, non esse idem cum hoc capite, quod tractamus, sed longe aliud; loquitur enim de incantatoribus, de quibus suspicor Festum tractasse in reliquiis illis, quae ultimae sunt in litera P. *Scal.* *Inde cantilenam dici.* Ista reiicit Scaliger quasi ab abbreviatore addita. Non male tamen Antonius Augustinus, qui legebat: *inde cantilenam dici querelam, non cantus iucunditatem puto*. *Dac.* *Cantus.* Candus. Male. *Qui illam.* Querelam. Faern. A. *Goth.*

Ocrem. Graecum ὄκριν, unde oppida Interocrea et Ocriculum, ut Graecis τράχων, τραχίνιοι. *Scal.* Non solum montem, sed omnia eminentia et aspera *ocrim* dicebant a Graeco ὀκρίς, unde ὀκρίδα φάραγγα, apud Aeschylum in Prometh. non longe a fine. Versum Livii: *celsosque ocris* etc. Sic legebat Scaliger in coniectaneis (pag. 51. ed. Steph.):

Celsosque ocris arvaque petrita et mare magnum.

Ex Homer. in Odyss. ε', (v. 411. seq.):

Ἔκτοσθεν μὲν γὰρ πάγοι ὀξέες, ἀμφὶ δὲ κῦμα,
Βέβρυχεν ῥόθιον, λίσση δ' ἀναδέδρομε πέτρη.

Unde fortasse ocreae; a crure tamen Varro lib. IV. (pag. 121. Sp.): *Ocrea quod opponebatur ob crus.* Sed verius Festi etymon. Ab ocri dictae sunt Italiae civitates *Ocriculum* et *Interocrea*, ut Graecis τράχων, τραχίνιοι, a τραχὺς, *petricosus, asper. Dac.* *Ocris* et Graec. ὄκρις a Latinorum *acris*, Graecorum ἀκρός dialectice tantum differunt.

Occare. Locus Ciceronis relatus a Festo est in libro de Senectute (c. 15.) iuxta editionem Petri Victorii, et ut citatur a Nonio Marcello (pag. 42.), non ut vulgo circumfertur. *Ant. Aug.* Isidorus in glossis: *occa, rastrum.* M. Suilii etymon transtulit in dimetrum iambicum Serenus in opusculis (apud Non. p. 61.):

Occatio, occaecatio est.

Est iambicus dimeter. Sed nos derivamus ab ocra. *Scal.* *Occare*, crate vel rastro glebas caedere, βωλοκοπεῖν Graeci exponunt. Locus Ciceronis est in libro de Senectute; et ibi fallitur Cicero, neque enim *occare* est ab *occaecando*, sed ab *occaedendo*, vel ut quidam volunt ab Hebraeo *dakak* comminuere. Vide omnino Salmas. in Solin. *Dac.* Glossis *occat*, βωλοκοπεῖ. *Goth.* Cf. Voss. Etymol. s. v. Ceterum nihil agunt, qui *Occam* et *occandi* verbum aliunde derivant, quum sermones Indogermanici simplex etymon exhibeant omnes: *ege, egge, egde, ekka*, quod cognatum est, sed tamen differt, cum *ecka, ecke*, i. e. acies, acus. Ut igitur paullo ante in *ocris* et *acris*, ὄκρις et ἀκρός, et saepe antea, vocalium demutationem deprehendimus, sic eandem in *occa, egge, acus, acies* invenimus.

Ocius. Lego: *alii dictitant nostras, alii tractum ex Graeco;* ex vetere scriptura *dictas nostras.* In fine citabatur Coelius in historiarum libris, qui dixerit, *concitantur ocissime*, et Aelium Lamiam *opportune*

venisse, aut tale quid. *Scal.* Lege infra: *alii dicta a nostris alii tracta a Graecis*, vel ut Scaliger: *alii dictitant nostras, alii tractum ex Graeco.* Item infra, *cuius maiora exempla* legendum *rariora.* In fine citabatur Coelius in hist. libris qui dixit *concitantur ocissime.* Et Aelius Lamia apud . . . . . . *ocissime atque Aelium Lamiam opportune venisse. Dac. Dicta a nostris.* Dictitant nostras. Dictas nostras. Ὠκύς. Ὠκέως. *Collationis.* Consolationis. *Goth.* Subest etymon Sanscritum *âçu*, celer.

Ocimum. Herba, quae vulgo dicitur *basilic.* Hesych. ὤκυμον, βοτάνη εὐώδης τὸ λεγόμενον βασιλικόν. Est autem a Graeco ὠκύς *celer. Dac. Ocimum.* Ocymum. Vide Nonium in *Ocimum* (p. 550. seq. Merc.).

Occupaticius. Verba Festi ex historia mihi ignota essent sarcienda. Videtur autem post devastatos agros ab Hannibale benemeritis non fuisse restitutos suos, si erant ab aliis occupati; sed alios occupaticios traditos. Vide *Possessiones. Ant. Aug.* Ait Festus post devastatos Campanos agros, bene meritis suos non fuisse ab Annibale restitutos, sed occupaticios. Vide scriptores de limitibus agrorum. *Dac.* Caeterum putandum est, occupaticium agrum, de quo hic, differre ab occupatorio, seu *arcifinio*, id est, occupato pulsis hostibus, cuius meminit Aggenus Urbicus. Adde Nonium in *Occupare* (pag. 354. Merc.). *Qui desertus a cultoribus.* Glossis *Occupativa*, κοταλημπτικά (lege καταληπτικά.). *Goth.*

Orchitis. Ateius philologus huius opinionis auctor citatur. Cetera Festi verba ex epitome intelliges. De orchite: Virg. lib. II. Georg. (v. 86.) Plin. lib. XV. cap. 1. et 3. *Ant. Aug. Orchitim.* Deest tantum in fine: *Itaque vocari ex eo orchitim oleam solito grandiorem.* De orchiti Virgil. II. Georg. (86.):

Orchites et radii et amara pausia bacca.

Unde Plin. lib. XV. cap. 1.: *Genera olearum tria dixit Virgilius, orchites, radios et pausias.* Notandum autem et apud Festum et apud Plinium pro oliva oleam poni, cuius rei exempla se desiderare fassus est doctiss. Vossius. *Dac.* Apud Virgil. l. c. legitur nunc *Orchades.* Sed cf. Varro de R. R. I, 60.

Orchestra. Explicatur a Vitruvio melius lib. V. cap. 6. et 7. *Ant. Aug.* Scripserat Festus histriones eos, qui suo tempore *planipedes* vocabantur, non solere in Orchestram admitti, quod cognoscimus ex Seneca, et aliis. Propterea enim *planipedes* dicebantur, quod non in podio sed de plano agerent. Stulte enim optimae notae Grammatici ab eo, quod planis pedibus id est, excalciatis, agebant; quamvis enim verum est pedibus nudis fuisse; tamen falsum, pedem planum, pedem nudum esse. Sed quemadmodum pedaneus opponitur curuli, ita planipes mimo. Ausonius: *nec de mimo planipedem nec de Comoedis histrionem.* Ut planipes nil aliud sit, quam mimus pedaneus; prodibant autem planipedes riciniati ad agendum; quid sit *ricinium* habes et hic apud Festum et apud Varronem. *Scal.* Postrema illa, *atque ut inde nomen ducerent*, hinc avulsa post orcae adhaeserunt, ut ibi notamus. Si quid autem amplius desit, ita supplendum post *ducerent: et riciniati dicerentur.* Orchestra locus in medio theatro, ubi chorus saltaret, nempe ab ὀρχεῖσθαι sic dicta. *Dac.* De *orchestra* vide Vitruv. V, 6. 7. *Goth.*

Orca. Ego pro *ficaria* non dubito legere *faecaria.* Sunt autem vasa ad defaecandum mustum; cum scilicet mustum fervendo defaecatur; neque temere; sunt enim *orcae* vasa teretia, ventrosa cum angusto ore, ut mustum possit magis fervere. Cuiusmodi erant quas Vitruvius vocatas αἰόλον πύλας ait. Varro (De R. R. I, 13.): *saepe ubi conditum vinum novum, orcae in Hispania fervore musti ruptae. Scal.* A Graeco ὄρυξ, nempe ab obliquo ὄρυγα, ab eius belluae similitudine dictae *orcae* vasa ficaria, si fides Festo. Sed magis placet esse a Graeco ὕρχη, quod est vasis fictilis genus. Non solum autem orcae vasa ficaria, sed et vinaria, salsamentaria etiam. De vinariis Varro lib. I. de R. R. (c. 13.). De salsamentariis Pers. sat. 3, (76.):

Maenaque quod prima nondum defecerit orca.

De vasis ficariis, ubi ficus reponebatur, vide locum Columel. lib. XII. cap. 15. et Plin. lib. XV. cap. 19.: *At ubi (ficorum) copia abundat, implentur orcae in Asia, cadi autem in Ruspina Africa urbe.* Unde apertum est, quam frustra sint et Scaliger, qui pro *ficaria* legebat *faecaria*, et alii qui *vinaria* vel *fictilia* reponebant . . . . *nomen duceret* . . . . . Haec non sunt huius loci et male huc irrepserunt quae ad caput *orchestra* pertinent. *Dac.* Adde Nonium in *Orcas* (pag. 546. Merc.). Glossis: *Orchae*, ἐλαῖαι ἐπιμηκεῖς. *Ficaria.* Vivaria vel fictilia. Alii *faecaria*, ut vasa sint ad defaecandum mustum. *Goth.*

Orba. (Ad pag. 188.) Orbam glossarium exponit ἐπίκληρον. Eleganter est enim ἐπίκληρος, quae patrem et matrem amisit, nullosque fratres habet superstites, et sic in totam hereditatem vocatur. Orbi autem tam parentes, qui filios, tam filii, qui parentes amiserunt, dicti sunt. *Orbus* a graeco ὀρφός, vel ὀρφνός, *tenebrosus*, quare caeci proprie orbi dicti sunt . . . . . . *tris est ante.* Haec omnia plane deposita sunt, neque ad idem caput attinent. In fine pro illis *Onygiarum* schedae habent: *Onyginus*, ut videatur hic laudari Hyginus in libris astronomicon. *Dac.*

Ortygia. Ortygia, antiquitus ita, non Delos, dicebatur; sequentia alio pertinent. Historia de Tullia, Ser. Tullii regis filia, mihi ignota est, neque quis sit vicus, aut nescio quid, quod ab orbibus dictum sit, comminisci potui. *Scal.* *Ortygia Delos.* Varia eius nomina tradit Plin. (IV, 22.). Pyrpile, Asteria, Pelasgia, Lagia, Ortygia. Sed prima eius appellatio *Asteria* si Callimacho fides, hymno in Delum (v. 37.). Monuit Fulvius Ursinus in exemplari pro *non* legi *nunc.* Sed cum a librario duabus literis superimposita linea sic $\overline{nc}$ scriptum fuisset, error inde fluxit ut pro *nunc*, *non* editum sit, atque unius literulae lapsu tota sententia immutata. Scripserat igitur Festus, *Ortygia antiquitus ita, nunc Delos dicitur.* Antiquum tamen nomen ipsum *Delos*, quippe a Phoenicibus ortum. Phoenices enim insulam *Daal* vel ἀρχαϊκῶς *Deel* dixerunt, id est *insulam Dei* nempe Apollinis, vel plurali numero insulam *Daalan* aut *Deelan*, insulam *Deorum*, nempe Apollinis et Dianae. Vide Bochart. Chan. lib. I. cap. 14.: *Orty* . . . . . Supple: *Ortygia antiquitus ita, non Delos dicebatur. Orbius clivus.* Hunc *Urbium* vocat Livius lib. I. (c. 48.) mutato *o* in *u*. *Tullia cum se domum reciperet, pervenissetque ad summum Cyprium vicum, ubi Dianium nuper fuit, flectente carpentum dextra in clivum Urbium ut in collem Exquiliarium veheretur.* Solin. cap. 1.: *Ser. Tullius Exquiliis supra clivum Urbium.* Alii MS. Fulvii Ursini habent *Orbium.* *Dac.*

Oratores. Multa deplorata sunt. Terent. in prologo Hecyrae (prol. alt. ab init.): *Orator ad vos venio ornatu prologi; sinite exorator sim. Ant. Aug. Eos nostri alii pro legatis appellant.* Legendum: *Eos nostri alias P. Ro. legatos appellant.* Verba Catonis: *M. Fulvio consuli legatus missus sum in Aetoliam, propterea quod ex Aetolia complures venerant: Aetolas pacem velle: de ea re oratores Romam profectos* etc. *Propter id bellum coepit Caelius PR. Albanus. Oratores missi Romam.* Et: *pro deprecatoribus.* Et Afranii: *si quid orator . . . . . . Item . . . . . . et pro disertis elocutoribus; ab eo quod antiqui orare dicebant pro agere; ob quam causam orationes edissertationes quoque eorum vocantur. Scal.* In postremis illis, *qui sit acte* enodandis frustra me torqueo. Quae sequuntur, *eos nostri* sic optime Scaliger, *eos nostri alias Po. Rom. legatos appellant. Fulvio consuli.* Haec Catonis verba non egent emendatione. Legebat tamen Scaliger: *M. Fulvio consuli legatus missus sum in Aetoliam* etc. M. Porcius Cato Censorius postquam optime Acilio Glabrioni ad Thermopylas navasset operam, M. Fulvio Nobiliori, cui Aetolicum bellum, quod Syriacum excepit, demandatum fuerat, legatus est missus. *Propter id.* Scal. *Propter id bellum coepit Caelius PR. Albanus oratores missi Romam.* Sed non intelligo illud PR. nisi sic in sedem suam retrahatur: *bellum coepit Caelius Albanus, PR. oratores missi Romam*, id est populo Romano oratores missi; vel sic: *bellum coepit Coelius P. R. Albanus oratores misit Romam*, pro Albani oratores miserunt populo Romano. *Eum . . . . . . pro decretoribus.* Leg.: *Item oratores pro deprecatoribus.* Nam ex primo errore labem contraxit. *Dac.*

Orata. M. Varro lib. III. (c. 3.) de re rust. propter pisces ait esse appellatos Sergium Oratam, et Licinium Muraenam. Idem ait Macrob. lib. III. Saturn. Hic C. Sergius Orata fuit, de quo Cicero lib. II. (c. 22.) de fin. et lib. I. (c. 39.) de oratore, et lib. III. (c. 16.) de offic. Val. Max. lib. IX. cap. 1. Plin. lib. IX. cap. 54. *Ant. Aug.* Oriculam quod ait pro auricula dictum, et Catullus (XXV, 2.) usurpavit:

Vel anseris medullula, vel imula oricilla.

Alibi explicabimus. *Scal.* *Orata* pro *aurata* ut *olla* pro *aula.* Graecis chrysophrys dicitur a χρυσός, *aurum*, et ὀφρύς, *supercilium*; graeca voce usus Ovid. in Halieut. (111.):

— — — *et auri*
Chrysophrys imitata decus.

Dac.

Orae. (Ad pag. 189.) Proprie partes terrarum litorales a Graeco ὅρος, ora, terminus, unde pro cuiuslibet rei extremitate, ut aulaeorum, vestium etc. Virg. IV. Aeneid. (IX, 528.):

Et mecum ingentes oras evolvite belli.

In verbis Caecilii legendum, *qua me expediam.* Et ibi etiam oram potius pro extremitate accipio quam pro initio, ut sentit Festus. Etsi *initium*, idem aliquando extremitas ut Graecis ἀρχή. *Dac.* Vide Nonium in *Ora* (pag. 440. Merc.). *Quam exp.* Qua me expediam. *Goth.*

Oreae. Ausonius (Ecl. Solst. 7.):

Inde floridum reflexis ver revisit oreis.

Versus est Naevii:

Deprandi autem leonis obdas oreas.

Proverbialiter id dictum de re valde periculosa. Nam esurientis leonis et famelicosi labias velle comprimere, periculosum. *Deprandius* est impransus. *Oreae*, labiae Graecanice. Nam et ipsi poetae Graeci frequentissime

labra χαλινοὺς vocant. Eandem sententiam promittit illud Lucillianum: *Esuriente leoni ex ore exculpere praedam*, item Graecorum λέοντα ξυρεῖν. At illud Catonis omnino praetereundum non censeo: *Equos respondit; oreas mihi inde, tibi cape flagellum.* Est enim notissimus apologus, qui est apud Horatium: *Cervus equum pugna melior* etc. In testimonio Caelii: *equus qui. Scal.* *Oreae.* Ab ore, oreae, nisi forte *oreae* pro *aurea*, quae etiam frenum significat. *Deprandi autem leonis.* Male Scaliger quidem oreas labias interpretatur contra Festi sententiam, neque *deprandi* est a *deprandius* ut ipse putat, sed a deprandis, et est in dandi casu, itaque versus Naevii sic legendus:

Deprandi autem leoni subdas oreas.

Plano et optimo sensu prima litera vocis *subdas* adhaeserat voci *leoni* et ex *ubdas* postea factum *obdas.* Praetereundum non est illud Catonis: *Equos respondit* etc. est enim notissimus apologus qui est apud Horatium (Ep. I, 10, 34.):

Cervus equom pugna melior.

In testimonio Caelii lege *equus, qui. Dac.* Titinii et Naevii verba mendosa sunt. *Ant. Aug.* Vide *Aureas* et *Aureax. Permitti.* Promitti. *Deprandi autem leonis.* i. e. famelici. *Oreae.* Oreas. *Equos.* Equus. *Goth.*

Oreus et Oreades. Ὄρειος, ὀρειάδες ἀπὸ τοῦ ὄρεος *a monte.* Inde Horat. Od. XIX. lib. 2.:

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem.

Ubi plura notabimus. In schedis legitur etiam, *Orestiades nymphae montium cultrices.* Vide Hesych. ὀρεστιάδες. *Dac.*

Ordinarius. Ordinarium. Infra deest tantum nomen Catonis. *Cato in ea oratione*, etc. Sed verba Catonis male accepit Festus, facile enim ex iis colligi posse videtur ordinarium hominem dici qui per omnes ordines stipendia meruit. Gall.: *Qui est allé de degré en degré, qui a esté simple soldat, et a passé par degrez dans toutes les charges*, vel potius, *in ordine meruissem*, pro miles in legione tantum fuissem. Id enim est *in ordine merere*, Frontin. lib. IV. Stratag. cap. 1.: *Q. Metellus cos. quamvis nulla lege impediretur quin filium contubernalem perpetuum haberet, maluit tamen eum in ordine merere.* Nam idem paulo post eum qui in ordine merebat, vocat *militem in legione. L. Rutilius cos. cum secundum leges in contubernio filium posset habere, in legione militem fecit.* Vulgo dicimus: *ille fit simple soldat.* Etsi non negem alias ordinarium dici potuisse hominem scurram et improbum, qui saepe in ordinem redactus sit, nam in ordinem redigere, idem est aliquando ac notare, vilipendere, contemptui habere. *Sunt quidam qui manipularem.* Si pro gregali milite hic manipularem Festus accepit, non video quid esse possit discriminis inter ordinarium istum et eum, qui in ordine meret, de quo supra in verbis Catonis; quare cum doctiss. Salmasio manipularem hic interpretor manipuli ductorem, qui proprie dicebatur *ordinarius, manipularius.* Gloss. vett. ταξίαρχος, *manipularius, ordinarius*; est enim ταξίαρχος *ordinis ductor*; et ordo nihil aliud quam *manipulus.* Igitur apud Festum *manipularis infimi ordinis* eodem modo dictum, quo apud Tacit. (Annal. I, 29.): *Iustus Catonius primi ordinis centurio. Dac. Credant.* Tradant. *Goth. Cum ait.* Pertinent haec ad explicationem v. *Perimere. Perimere est cum ait. Idem.*

Ornatus. Aut gladiator. Vide Senec. Natur. IV, 1. *Goth.*

Ordo sacerdotum. (Ad pag. 189.) Supplendum forte: *Ordo sacerdotum aestimatur deorum ordinem referre, ut maximus quisque* etc. At Fulv. Ursin. putabat: *Aestimatur deorum maiestate ut maximus quisque.* Per regem sacrificulum intellige, qui sacrificia faciebat, quae reges facere solebant. *Dialis quia.* Inepte Festus. Dialis, quia Iovis sacerdos, ἀπὸ τοῦ Διός. *Quirinalis socio imperii.* A Quirino, id est Romulo, qui Quirinus vocatus fuit, post socium imperii Romani Tatium a Curibus oppido Sabinorum, ubi ipse regnabat, ascitum, et sic Festi verba intelligenda. *Dac.* Vid. Gell. X, 5. *Rex.* Vid. infra *Sacrificulus rex. Dialis.* Vid. supra *Maximae dignationis. Supra.* Super. *Omnes.* Is. *Dium. Dius* vel *Dium. Goth.*

Ordiri. (Ad pag. 190.) Ὄρδημα ἡ τολύπη τῶν ἐρίων, et ὀρδικὸν χιτωνίσκος. Inde *ordiri* propria vox textorum cum texere incipiunt, unde in gloss. *ordior*, ἄρχομαι; sed ad alia transfertur, unde:

Ordimur telas, ordimur verba loquendo.

Sic Virg. in Cul. (v. 2.):

Atque ut araneoli tenuem formavimus orsum.

Dac.

Opaco. Opacum opponitur *aprico*, et est dictum ab *ope*, id est terra, quod umbrae et frigoris captandi causa se in subterraneos specus abdebant. *Dac.* De etymo v. *Opacus* cf. Döderlin. Syn. Lat. III, p. 169.

Opalia. Varro lib. I. de L. L. (p. 204. Sp.) et Macrob. lib. I, (10.) Saturn.: *unum tantum diem tribuunt Opalibus;* is erat XIV. Kal. Ian. quod etiam in fastis notatum est. *Ant. Aug.* Feriae Opis quae XIV. Kal. Ian. celebrabantur die tertio post Saturnalia. Varr. lib. V. (pag. 204. Sp.): *Saturnalia dicta ab Saturno, quod eo die feriae eius, ut post diem tertium Opalia, Opis.* Quae apud Festum desunt, sic fortasse supplenda sunt: *quorum altera pars nefasta, altera fasta est.* Et revera in Calendario legitur *Opal. N. P.* hoc est: Opalia nefasta prima vel priori parte. *Dac.* Vide praeter Varron. etiam Macrob. Sat. I, 10. Is autem erat XIV. Kalend. Ian. *Goth.*

Obnubit. Gloss. *obnubit*, σκεπάζει. Liv. lib. I. (c. 26.): *I lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infelici suspendito.* Virg. XI. Aeneid.: *arsurasque comas obnubit amictu.* Ubi vide Servium. *Dac.* Vide *Nuptias. Operitione.* Opertione. *Goth.*

Oppidum. *Maximum aedificium est oppidum ab ope dictum, quod munitur opis causa, ubi sint.* Varr. lib. IV. (pag. 143. Sp.). Sed oppidum minus est quam urbs, etsi saepissime confunduntur. Cicer. lib. I. (c. 25.) de Divin. *Pheras venisse, quae erat urbs in Thessalia admodum nobilis, in eo igitur oppido.* Varro lib. IV. (pag. 153. Sp.): *In Circo primo unde mittuntur equi, nunc dicuntur carceres, Naevius oppidum appellat. Carceres dicti, quod coercentur equi, ne inde exeant antequam magistratus misit. Oppidum quod a muri parte pinnis turribusque carceres olim fuerunt. Scripsit poeta: dictator ubi currum insidit, pervehitur usque ad oppidum. Dac.* Adde l. 239. §. 7. ff. de verb. signif. *Goth. Oppidum* locus firmus, munitus, ab antiquo adiectivo *oppidus, a, um,* quod *firmum* denotat. Unde *oppido* i. q. firmiter, valde, satis.

Oppido. Ait infra Festus, eos errare qui dicant oppido didici, spectavi, ambulavi. Ita tamen Plautus, Terentius, Cicero, Catullus. *Dac.* Adde Nonium in *Oppido* (pag. 361. Merc.). *Vel quod.* Vel quod oppido. *Goth.* Cognatum esse videtur adiectivum *oppidus* cum vv. *opus, opera,* a quibus descendit, quemadmodum a *sapore sapidus.*

Oppidorum. Vid. Varro lib. IV. de L. L. (pag. 143. Sp.). *Ant. Aug.* Schedae: *oppidorum originem optime refert Cato. Cicer. lib. I.* etc. Catonis nomen adiectum opinatur Fulv. Ursinus ab eo, qui putarit indicari lib. originum M. Catonis, cum tamen agatur de etymo oppidorum. Ciceronis libri de gloria periere; secundum laudat Gell. lib. XIII. cap. 6. Charisius (pag. 61. pag. 108. Putsch.) etiam. Infra *eamque appellationem usurpationem appellatam esse.* Ita schedae. Lego: *eamque appellationem usurpatam esse. Dac.*

Opiter. Placidus in glossis: *Opiter est, qui obito patre, et avo vivente natus est. Fulv. Urs.* Vel forte *obiter. Goth. Obitu patris.* Obito patre. *Idem.*

Obturare. Alii a *ture,* ut sit vox profecta a more sacerdotum, qui aures ture opplebant, ne audientes alia turbarentur, ac rursum perfecto sacro negotio tus eximebant, ut aures paterent illis quae dicerentur. *Dac.*

Optio. Ultimus versus Plauti non eo ordine, quo hic, habetur in vulgatis Plauti codicibus. *Scal.* Uragus, tergiductor, ab optando, hoc est eligendo, quia illum sibi assumebat centurio. Et videtur hic dicere Festus optionem antea dictum accensum, cum scilicet a tribuno daretur centurioni, sed postquam centurio optare eum coepit et eligere, tunc optionem etiam dici coeptum esse. Et ita hunc locum interpretatus est Lipsius, qui optime monuit pro *ex eo tempore* legi debere *ex quo tempore.* Sed mihi scrupulum movet, quod ex Varrone didici, optiones a centurionibus ab initio fuisse electos, sed postea tribunos munus illud invasisse, ut ipsi optiones eligerent. Mihi nodus insolubilis. Sed illum solvisse video doctiss Cupertum Observat. lib. IV. cap. 9., qui postquam ex Varrone et Polybio asseruit, optiones primitus a centurionibus electos fuisse, ita Festum ingeniose interpretatur: *Optio qui nunc dicitur, antea vocatus accensus, datus centurioni a tribuno, et illud nomen optionis sortitus est ex eo tempore, quo centuriones ipsi eos eligebant, sive optabant.* Sed in verbis Festi pro *dabatur* rescribendum *datur,* nisi dicas hic a Paulo omnia turbata et corrupta, quod et sentit Cupertus. *Plaut. in Asinar.* Act. I. sc. 1. (v. 83.) sed locus aliter hodie distinctus est; eum adi. *Optio* est *optatio,* i. e. *electio,* Casin. II, 4, (13.):

Optio hoc tua est.

Dac. Sed in re militari. Adde l. VI. ff. de bonis damnat. Taruntium Paternum lib. 1. Militarium in l. 6. in pr. ff. de iure immunitatis. Adde Nonium in *Optiones* (pag. 67. Merc.). *Goth. Optio* ab optando descendit, ut *postulio* a postulando, *religio* a religando (non a *relegendo*), *opinio* ab opinando, *suspicio* a suspicando, atque id genus alia. Quemadmodum autem *postulio* personam, sive hominem in victimam postulatum significat, sic *optio* etiam *optatum, electum.*

Obsidionem potius. (Ad pag. 194.) Tamen obsidium usurpavit idem Ennius: *quum salvo obsidio magnum Titana premebat.* Vide infra, ubi in verbis Sallustii legendum *magnis operibus perfectis. Dac.* Adde Nonium in *Obsidio* (pag. 216. Merc.). *Quid haud.* Quidem haud. *Goth.*

Obsidium. (Ad pag. 192.) Lege ita Sallustii verba: *Magnis operibus perfectis. Scal.* Adde supra *Ob. Apud.* Ad. *Ut in.* Uti. *Goth.*

Obices. Ἀντηρίδες, ἀντιθέσεις. *Scal.* Nam serae sunt μοχλοί; vectes, quibus in transversum obductis fores claudebantur et firmabantur. *Dac.*

Obrutuit. L. m. *obbrutuit*, et ita Nonius. *Fulv. Urs. Obrutuit*, sic Lucret. III, (544.): *An contraria suis e partibus obbrutescat.* Obbrutesco, bruti instar sum; *brutus* autem proprie gravis, ut *bruta tellus*, Horat. (Carm. I, 34, 9.) unde stupidis et sensu carentibus accommodatur. Sic *obstipui* vel *obstupui*, stipitis vel trunci instar factus sum, a *stipite. Stipes* enim de stupidis etiam dici consuevit. *Dac. Obrutuit.* Ita Nonius in *Brutum* (pag 77. Merc.). *Goth.*

Obrogare. Obrogatur legi, cum caput aliquod prioris legis irritum fit. Ulpian institut. cap. I. *Lex obrogatur*, inquit, *id est mutatur aliquid ex prima lege. Dac.*

Obacerare. Vide *acus* et *aceratum. Ant. Aug.* Mira vocis huius significatio. Mirum tamen nisi hic pro *obacerare*, *obacerbare* scriptum fuerit, quod postea Paulus in *obacerare* commutavit, et super eo inepte ariolatus est; vett. libb. habent *obacorare* recte forsan, ab acore scilicet factum *obacorare*, ut nos vulgo dicimus *aigrir*, *fâcher.* Erit igitur *obacorare*, quod similiter Graeci dicunt ὀξύνειν, incitare, acuere et in acrimoniam sive acorem vertere. *Dac.* Vide supra *Acus. Aceratus.* Vide supra *Aceratum* et Nonium in *Acerosum* (pag. 445.). *Goth.*

Obliteratum. A supino *oblitum*, quod oblinendo deletum est. Gloss. *Obliterata*, ἐξηλιμμένα; *Deleta.* Accius in Agamemnonidis: *inimicitias Pelopidarum extinctas iam atque obliteratas memoria renovare. Dac.* Alii *Obliteratur.* Adde Nonium in *oblitterare* (pag. 146. Merc.). Glossis *Oblitterat*, λήθῃ περιτρέπει. *Oblitterata*, ἐξηλιμμένα. Sic Gellio XIX, 7. *Oblitera gens* pro *obliterata. Goth.*

Oblucuviasse. Oblucinasse. Manifesto ostendit et *allucinasse* compositum esse, et ita est. Nam Lucini inter eos numerati, qui aliquo oculorum vitio laborant. Plinius: *Ocellae et Lucini cognomen iniuriae habuere.* Fuerunt tamen, qui cum *s* scriberent, Luscini. *Scal.* A *luce* non a *luco*; vide *alucinatio.* Alii a *Lucinis* dictum volunt, nam Lucini inter eos numerati, qui aliquo oculorum vitio laborant. Plin.: *Ocellae et Lucini cognomen iniuriae habuere. Dac. Oblucinasse.* Oblucuviasse. Adde Nonium in *Hallucinari* (p. 121. M.). *Goth. Oblucuviasse* scribendum esse, satis docet etymologia adiecta, ex qua apparet, scriptorem h. v. voluisse ex *ob-lucuviare* compositum.

Oboedire. Obedire, ut Graecis ἐπακούειν. Gloss. ἐπακούω, *obaudio, exaudio. Dac.*

Obtrectat. Gloss. *obtrectat*, ἀντιπράττει. *Dac.*

Opis Ab opere dictum vult Varro lib. IV. (pag. 69. Sp.): *Terra ops, quod hic omne opus et hac opus ad vivendum; et ideo dicitur Ops mater, quod terra nutriat.* Sed magis placet ut terra *Ops* dicta quasi opulenta ac dives; nam *ops* antiqui dicebant, quem nunc opulentum dicimus. Vide *ops. Dac.*

Opima. (Ad pag. 190.) Carolus Sigonius, a quo multa in hoc libro emendata sunt, quod deest post illa verba *intra annos*, ita posse sarciri existimat: *ut intra annos paulo minus DXXX. tantum trina contigerint* etc. Sumitur autem id ex Fastis Capitolinis, in quibus anno DXXXI. Kal. Mart. M. Claudius Marcellus cos. de Gallis Insubribus triumphavit, et idem spolia opima retulit duce hostium Virdumaro ad Clastidium interfecto. Quod vero post illa verba *duci hostium* desideratur: ita idem doctissimus vir scribendum esse arbitratur: *duci hostium detraxerit; quod autem omnia solita non sint ad aedem Iovis* etc. Hanc emendationem iuvat, quod postea dicitur secunda spolia in Martis aram, tertia Iano Quirino ferenda. Sed mihi hoc non satis probatur, cum non in libris pontificum, sed in lege Numae de secundis et tertiis spoliis, quod retulimus, sit. Eidem placet quod ad extremum de opima, vel optima lege dicitur, coniungendum esse cum iis, quae ab illis verbis, *optima lex*, inchoantur. Mihi vero id quidem ita probatur, si ex hoc uterque locus restitui posset; quod vero ad interpretationis rationem attinet, vehementer probo eius opinionem. Sunt tamen satis mendosa et mutila et haec et illa. *Ant. Aug.* Pompelli, vel Pompilii Numae regis legem opimorum spoliorum corruptissimam nobis relictam esse nemo non videt. Nam non solum verba depravata, sed et traiectione loco mota sunt ac luxata. Nos ea, ut olim reliquerat Festus, infra ponemus:

QUOIUS. AUSPICIO. CLASSE. PROCINCTA. OPEIMA. SPOLIA. CAPIUNTUR. IOVEI. FERETRIO. BOVEM. CAEDITO. QUEI. CEPIT. AERIS. DUCENTA. DARIER. OPORTETO.

SECUNDA. SPOLIA. IN. MARTIS. ASAM. IN. CAMPO. SOLITAURILIA. UTRA. VOLUERIT. CAEDITO.

TERTIA. SPOLIA. IANO. QUIRINO. AGNUM. MAREM. CAEDITO. CENTUM. QUEI. CEPERIT. EX. AERE. DATO.

Ianum Quirinum etiam *Ianum Quirini* vocasse veteres antiquitatis Romanae mediocriter docto non difficile erit persuadere. In secundo capite *Utra solitaurilia* dixit, pro vel maiora, vel lactentia. Cato, Livius. Sed ad ultima capita huius hydrae, quae nondum plane confecta est, pergendum erit. Lego igitur sequentia: *huius aedis lex nulla extat, neque templum habeat, necne, scitur.* Olim leges aedium in ipsis aedibus, in postico earum ponebantur. Varro (de L. L. V, pag. 48. Sp.): *Eius vestigia etiam nunc manent tria, quod Saturni fanum in faucibus, quod Saturnia porta, quam Iunius scribit ibi, quam nunc vocant Pandanam; quod post aedem Saturni in aedificiorum legibus parietes postici muri sunt scripti.* Continebant autem leges aedium inter alia, utrum aedes illa esset templum, necne, et hoc est, quod ait Festus. Nam non omnes aedes erant templa; auctor Varro de latino sermone lib. VI. (VII, pag. 293. seq. Sp.) et Gellius libro XIV. cap. 7. Apponebantur et leges dedicationis, quibus aedes ipsae sacrae fiebant, neque sine exauguratione transferri poterant. Plinius ad Traianum: *Dispice ergo, domine, an putes aedem, cui lex nulla dicta est, salva religione posse transferri.* Postrema, mirum quid hic posuerit Festus: UT. QUEI. OPEIMA. LEGE. FUERINT. Nam non memini opima lege, sed optima scribi. In lege Vestalis capiundae: *SACERDOTEM. VESTALEM. QUAE. SACRA. FACIAT. QUAE. IOUS. SIET. SACERDOTEM. VESTALEM. FACERE. PRO. POPULO. ROMANO. QUIRITIUM. UTI. QUAE. OPTUMA. LEGE. FUAT. ITA. TE. AMATA. CAPIO.* Male apud Gellium (I, 12.): *uti quod optima lege fiat.* Dicebatur et OPTIMA. MAXIMA. LEGE. UTI. QUEI. OPTIMA. MAXIMA. LEGE. SIT. *Scal.* Quae infra desunt, sic supplevit Brissonius: *Ut intra annos paulo minus IↃXXX. tantum trina contigerint.* Item: *dummodo duci hostium detraxerit, quod autem omnia solita non sint ad aedem Iovis Feretrii poni testimonio esse* etc Idem Carolus Sigonius. *Cuius auspicio.* Hanc Pompelli, sic enim veteres scribebant pro *Pompilii*, ut *Duelli* pro *Duilii*, legem corruptissimam omnium optime sic emendavit Ursinus:

QUOIUS AUSPICIO CLASSE PROCINCTA OPEIMA SPOLIA CAPIUNTUR IOVEI FERETRIO BOVEM CAEDITO: QUEI CEPIT AERIS CCC. DARIER OPORTETO.

SECUNDA SPOLIA IN MARTIS ASAM IN CAMPO SOLITAURILIA UTRA VOLET CAEDITO. QUEI CEPIT AERIS CC. DARIER OPORTETO.

TERTIA SPOLIA IANO QUIRINO AGNUM MAREM CAEDITO. QUEI CEPIT AERIS CENTUM DARIER OPORTETO.

QUOIUS AUSPICIO CAPTA DIS PIACULUM DATO.

Ex Plutarcho, qui ait Numam praescripsisse in hac lege, ut prima spolia capta Iovi Feretrio consecrentur, secunda Marti, tertia Quirino; praemiumque sit primis asses CCC. secundis CC. tertiis C. *Solitaurilia utra volet*, id est vel maiora, vel lactentia. *Ut qui opima lege.* Mirum ista quid hic posuerit Festus. Suspicor verba esse ex epitome Pauli, quae ipse post *optima lex* infra posuerat; nam ibi etiam non *opima* sed *optima* legendum. Erant autem in magistratibus creandis verba solennia *ut qui optima lege fuerint*; quibus eorum qui ita creati fuerant, quam plenissimum ius esse significabatur. Cicero orat. de lege agraria ad populum ex lege Rulli hoc caput citat (orat. II. de L. Agr. c. 11.): *Tum ii decemviri eodem iure sint, quo qui optima lege.* Item: *Ut sine lege curiata idem iuris habeant, quod haberent si optima lege a populo essent creati.* Sic virginis Vestalis capiendae formula apud Gell. (I, 12.): *uti quae optuma lege fuat, ita te amata capio*; dicebatur etiam *optima, maxima lege*, ut *fundas uti quei optima maxima lege sit. Dac. Tenensque falcem.* Adde infra *Saturno. Quae.* Quod. *Consiva.* Adde infra *Praefericulum. Terra.* Natura. *Paulo — trina.* Paulo minus IↃXXX. tantum trina. Id ita esse, evincunt Fasti Consulares. *Viridomaro.* Virdumaro. *Bovem.* Bove. *Legem opimorum spoliorum.* Initium esse puto dictionis explicatae a Festo; nisi sequenti coniungas: *Ut qui opima lege.* Vel infra *Optima lex. Aedis.* Aeris. *Habeat.* Habeant. *Neque scitur.* Neque quod scitur. *Ut qui opima.* Ut qui optima. *Goth.* Cf. Niebuhr. Histor. Rom. Tom. II, pag. 498. Der dreifache Sold des Römischen Fussknechtes war ursprünglich der Sold der Befehlshaber. Denn in diesem Verhältnisse wurden die drei Classen der *spolia opima* belohnt. Der Befehlshaber erhielt 300 Asse; die beiden anderen Stufen 200 und 100 sind gewiss für Reiter und Fussknechte bestimmt gewesen. His addit Niebuhrius in nota marginali: Diese Erklärung habe ich selbst zu vertreten; die Nachricht aber, worauf sie sich gründet, befindet sich bei Festus cet.

Optima lex. De primo dictatore omnes historici varia scribunt. Fuisse qui M. Valerium M. F.

Valusi. N. prodiderint, affirmat Livius lib. II, (c. 18.). Huius opinionis fuisse Festum vel Verrium apparet, nisi quod Manium eum appellat, non Marcum. Hunc magistratum solum sine provocatione fuisse omnes affirmant; datam postea esse provocationem, solus Festus, ut arbitror, auctor est; quamquam id elici possit ex verbis legis Horatiae et Duiliae apud Liv. lib. III, (c. 55.) et Dionys. lib. XIII. *Ant. Aug.* Supplendum et corrigendum puto, *optima lege cum dicebatur*, *in magistro* etc.; nihil tamen affirmo; vide supra post *opima*. Nunc video ita sensisse Fulv. Urs. qui margini adscripsit *fortasse cum dicebatur.* Infra pro *magister a populo* legendum *magister populi*, et pro *magistratuum* legendum *magistrorum*, ut in sched. *Ut fuit Manii Valerii M. Fabii Volusi.* Legendum ex Livio: *M. Valerii M. filii Volusi nepotis.* Adi illum lib. XI. sect. 18. Ibi enim hunc primum dictatorem creatum fuisse negat, sed T. Lartium. *Postquam vero provocatio.* Ab eo magistratu ad populum dari coepit provocatio coss. L. Valerio et M. Horatio, qui lege nova sanxere, *ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet, qui creasset eum ius fasque esset occidi, neve ea caedes capitalis noxae haberetur.* Liv. lib. III. sect. 55. *Dac. Ius.* Eius. *Propter.* Post. *Dici.* Addici. *Goth.*

Obscum. Oscum. Supinitas veterum. Leges *oscitae* manifesto dictae pro *adscitae*, veteri idiomate, ut *obesse* pro *adesse*; *obstare*, *adstare*, unde *obstetrix.* Vide exempla de praepositione *Ob. Oscitae* ergo *obscitae*, *b* interlisa est, ut *ostendit*, pro *obstendit*, ut dicebant veteres. *Oscus* prius erat *obscus*; *obscitae* leges, adscitae; sciscere legem quid sit, et pueri norunt. Deinde de oscis et opicis: *Opicus*, *ἀῤῥητοποιός.* Ausonius: *opicus magister*, id est *ἀῤῥητοποιός*; inde convicium *spurco ore*, de quovis impuro. Lucillius:

Praetor noster adhuc, quam spurco est ore, quod omnis
Extra castra, ut stercu' foras eiecit ad unum.

Spurco ore est *μισητός*, odio dignus; sic opicus accipiendum apud Iuvenalem (3, 207.):

Et divina opici rodebant carmina mures.

Quanquam glossarium legit *apici*, *apicus*, *ὀππικιστής*, *ὡς Ἰουβενάλιος.* Sed videndum num hic apud Festum legendum *opscum*, non *opicum*; et verum est. Ita igitur leges: *scribitur opscum*, *pro osco*, et in versu Titinii: *qui Opsce, et Volsce; Opscos* vero pro *Oscos* dicere solitos veteres supra docui. Lege praeterea: *in fabula Quinto* non Quinta. Ita apud Nonium (multis in locis, veluti pag. 98.). Corrigendus Martialis lib. III, (75, 5.): *Coepisti puras opibus corrumpere baccas.* Legendum enim *Opicus*, non *opibus*, i. e. *Opicus magister.* *Scal. Scribitur opicum pro osco.* Legit Scaliger obscum pro osco, et in versu Titinii, *qui Obsce et Volsce.* Obsce fabulari, sordidius, Latine vero, castius. Sed frustra est vir doctiss. Nam verum est, quod ait Festus, *Opicum* in antiquis commentariis pro *oscum* inveniri et *opice* pro *osce* Titinium dixisse. Certum est enim ex verbis Festi in versu Titinii legi debere *qui opice et Volsce* etc. Opici et Osci iidem sunt, ut iam supra probavimus in voce *Maesius*, et hic etiam novo argumento probamus ex Fulv. Urs. Livius dicit Fregellas Sidicinorum agrum, deinde Volscorum fuisse. Hoc idem est ac si pro *Sidicinorum* dixisset *Oscorum*, nam Sidicini Osci. Sed Strabo *Σιδικινῶν, οὗτοι δ' Ὄσκοι.* Cum itaque Livii locum imitatus Stephanus pro *Sidicinorum*, id est *Oscorum*, posuerit *Ὀπικῶν*, manifestum est Opicos et Oscos eosdem esse. *Φρέγελλα*, inquit, *πόλις Ἰταλίας, ἣ τὸ μὲν ἀρχαῖον Ὀπικῶν ἦν, ἔπειτα δὲ Οὐαλούσκων ἐγίνετο.* *Appellantur obscena.* Nempe ab *opicus*, *opicenus*, *obscenus* sive *obscaenus*, et ita Guyetus ad oram Festi sui. Sed infra negat Festus; obscenum enim proprie dicitur quod est mali ominis, unde recte cum Varrone ab *ob* et *scaeva*, ut obscenum sit quod bonae scaevae, hoc est, bono augurio contrarium est. Alii dicunt esse a *scaenum*, ut antiqui dicebant pro *coenum*, ut *scaena* pro *coena*. *Locus in agro Veienti.* Nomine *oscum* vel *oscus*. A Geographis ponitur in agro Aurelio, qui Veientium fuit non longe a Maesia Sylva. Infra legendum cum Fulv. Urs.: *Quo frui soliti produntur augures publici populi Romani.* Vide *Publicus ager. Dac.* De *Oscis* cf. Müller. die Etrusker. tom. I. Einl. I, 6. pag. 24. seqq.

Obinunt. Ut *nequinunt*, nequeunt. *Dac.* Vide supra *Nequinunt.* *Goth.*

Obigitat. Ut *subigitat.* Gloss. *adegitat*, *συνάγει, συνελαύνει.* Leg. *adigitat. Dac. Ambulare.* Vide *Obambulare. Goth.*

Obiurare. In Pentesilea. *Scal.* Haec sunt Pauli. Festi vero sched.: *Obiurare antiqui pro aditu . . . . ponebant ut est in . . . . . Pentesilea; formidabant obiurare.* Lege: *Obiurare antiqui pro adiurare* etc. Deest tantum nomen poetae, cuius citatur Pentesilea, sive Ennius, sive Accius, sive Pacuvius. *Dac. Obstringere.* Adstringere. *Pantasilea.* Pentesilea. *Goth.*

Obitu. Vide *Abiisse. Dac. Aditu.* Adde Nonium in *Obitus* (pag. 357. Merc.). *Goth.*

Obescet. Escit, erit, quod et *esit* dicebant. *Scal. Escet* pro *escit*, id est *erit*, quod etiam *esit* dicebant. Vide *Escit* et *Superescit.* *Dac.*

Offerumenta. Offrandes. Donaria quae Diis offeruntur. Olim a *fero* dicebant *feritum*, *offero offeritum.* Unde offerumentum, offerimentum *u* pro *i. Ut optumus optimus* etc. Hinc facete Plautus *offerumentas* vocat *plagas*, quae tergo offerrentur. Rudent. III, 4, (48.):

Ni offerumentas habebis plures in tergo tuo.

Dac.

Obsecrare. Obsecro plus est quam *oro*, nempe quasi ob sacra postulo. Terent. Adelph. III, 4, (26.):

Venit ipsus ultro, lacrymans, orans, obsecrans.

Dac. Adde infra *Ob vos sacro. Goth. Ob* in eiusmodi compositis nihil est aliud, nisi Graecorum ἐπὶ in ἐπεύχομαι et similibus.

Obesus. Quasi *ob esum* factus, nisi malis cum Guicharto esse ab Hebraeo *abas*, *saginare*, *pinguescere;* unde *obesare*, Columell. l. VIII. c. 7. *Dac.* Gloss. παχύς, *bassus* (legendum *obesus*) *grossus*, *crassus.* Iisdem παχύς, ὑποκοριστικῶς, bassulus, ubi legendum *obesulus.* Sic Nonius (pag. 361.) *Obesum* pro uberi et crasso, gracili et exili. Adde Gell XIX, 7. *Goth.*

Obnoxius. In iure proprie qui ob noxiam alicui subditus est. Inde ad alia transfertur, et *obnoxius* dicitur qui obligatus, subiectus, expositus est. Vide Gell. lib. VII. cap. 17. *Dac.*

Opunculo. MSS. *Opuncula*, vel *opiniculo;* sed rectum est opunculo. Nam ab *opilio*, *opiliunculo*, *opunculo.* Sed aliquid in verbis Festi desiderari suspicor et legendum, *opunculo genus avis quod opilionis causa cantus imitatur.* Vide *opilio. Dac. Opunculo.* Opiniculo. V. Opuncato. *Opilionis genus cantus.* Vide *Opilio. Goth.*

Obpuviat. Lege: *Obpuvit*, *verberat*, etc. Et: *unde pueri*, *quod puviendo coercentur.* Puviendo autem passive, ut *videndo* apud Virgil. Sed melius Duza apud Lucilium, qui emendat: *unde pueri quod obpuviis coercentur*, *id est plagis.* Nam locum illum Afranii: *Opuviis pueri coercentur*, aut in mente habuit, aut etiam in testimonium adduxit, qui postea a Longobardo mutilatore pessime depravatus; neque tamen *puer* est a *puviis*, sed a Dorico πὸρ ut dicebant pro παῖς. De *puvere* et *obpuvere* vide *depuvere. Dac. Unde et pavimenta.* Isidor. lib. X. Origin.: *Vocata autem pavimenta eo*, *quod paviantur*, *id est caedantur.* Inde Cato de R. R. cap. 18.: *Ibi de testa arida pavimentum struito*, *ubi structum erit*, *pavito fricatoque uti pavimentum bonum fiat. Idem. Obpuviat a paviendo.* Vide *Puls. Goth.*

Obdere. Leg. *opponere*, *vel operire.* Terent. *Anus obdit foribus pessulum.* Horatius: *malo latus obdit apertum.* Glossae: *obde*, βύσον. Aliae Gloss. *Obdo*, ἐπιτίθημι. *Dac.* Glossis *Obdit.* Obicit. *Opperire.* Operire. *Goth.*

Ob vos sacro. Sub vos placo; pro *suplico vos.* Ex antiquis precationum formulis, in iis enim de industria verba veteres traiiciebant. *Dac.* Adde supra *Obsecrare.* Et vide infra *Sub vos placo. Goth.*

Obherbescere. Simile in glossis Isidori: *Ingraminat ager*, *in gramen irrumpit. Scal.* Lego *in herbam*, vel *ad herbam increscere. Dac.* Alii *obhebescere*, alii *obescere. Goth.*

Oboritur. Adoritur. Plaut in Curcul. *Tenebrae oboriuntur. Dac. Ob* pro *ad.* Vide in *Ob. Goth.*

Obnectere. Lege: *obnectere*, *obligare nexis mancupiis frequens est.* Vel *nexi*, *mancupii;* quae sane lectio vera est. *Scal.* Ego vero legendum existimo: — *maxime in nexis frequens est*, et haec vera est lectio. *Dac.*

Observasse. (Ad pag. 191.) *Observare*, αἰδεῖσθαι, *observabilis*, αἰδέσιμος, *observantia*, αἰδώς. Gloss. Inde Homero Iliad. α'. (v. 23.) αἰδεῖσθαι ἱερῆα, *sacerdotem observare*, eum verecunde habere, eius precibus cedere. *Dac.* Adde Nonium in *Observare* (pag. 359. Merc.). *Observat.* Observasse id est. *Goth.*

Ommentans. (Ad pag. 191.) Deest Livii nomen, qui Odysseam Latinam fecit, de qua Cicero in Bruto: *Odyssea Latina est*, *tanquam opus aliquod Daedali; et Livianae fabulae non satis dignae*, *quae iterum legantur.* Reperitur autem hic versus lib. I. Homeri Odyss. *Ant. Aug.* Verba ex Odyssea vetere Lucii Livii Andronici ita legenda: *in Pylum adveniens*, *aut ibi ommentans*, ex illo Odyss. β'. (v. 316. seq.):

Πειρήσω, ὥς κ' ὔμμι κακὰς ἐπὶ κῆρας ἰήλω,
Ἠὲ Πύλονδ' ἐλθών, ἢ αὐτοῦ τῷδ' ἐνὶ δήμῳ.

Potuerunt et dicere veteres *advenies* pro *adveniens*, ut *praegnas*, *infas*, *animas.* Ennius:

Qua parire solet genu' pennis condecoratum,
Non animas. — —

Hoc est animans. *Scal.* Glossae: *Ommentat*, *expectat*, *dictum a mantando*, *id est diu manendo. Dac.* De Livii Odyssea Cicero in Bruto (c. 18.). *Advenies.* Devenies. *Goth.* Cf. Hermann. in Elem. doctr. metric. p. 620.

Ops. Fortasse: *Ops antiqui dicebant, quem nunc opulentum dicimus, ut testimonio non solum ei contrarius inops, sed etiam cops: ut, is cops edit, ego egens exortus sum.* Nam re vera *cops* est compositum ab *ops*, coops. *Scal.* Supple infra: *ei contrarius inops sed etiam cops, ut is cops edit* etc. *Scal.* et ita schedae. Et revera *cops* est compositum ab *ops*, *coops*. Ops etiam opem ferens quidam interpretantur ex illo Accii: *quorum genitor fertur esse ops gentibus. Dac.* Alias pro dea sumitur. Vid. supra *Opis. Inops — concedit.* Inops, sed etiam cops, ut is cops edit. *Goth.*

Obsidionalis. Vid. Plin. lib. XXII. cap. 3. 4. 5. et 6. item lib. VII. cap. 28. Dionys. lib. X. et XI. Val. Max. lib. III. cap. 2. Gell. lib. II. cap. 11. et lib. V. cap. 6. Fulgent. Planciad. de antiquis verbis. Hic est L. Sicinius Dentatus, quem aliqui ex suprascriptis L. Siccium appellant, de cuius tantum caede Livius scribit lib. III. (c. 43.). *Ant. Aug.* Fuse Plin. lib. XXII. cap. 3. et 4. De herba victoriae signo vide *herbam do.* Lege infra: *coronae donatae viginti sex*, vel: *et L. Sicinius Dentatus*, etc. *coronis donatus*, etc. Hunc Dentatum cum Festo *Sicinium* appellant Val. Max. Gell. Ammianus Marcellinus. Sed Siccium vocant Dionysius, Plin. Fulgentius (p. 559. seq. in v. *Nefrendes.*) ex Varrone *Sitium* pro *Sicium.* Sane gens Romae fuit et *Sicia* et *Sicinia*, sed ex Sicinia fuisse Dentatum, ex veterum monimentis demonstrari posse arbitror. *Dac. Herbam.* Vide supra *Herbam. Aliisque.* Aliquot. *Romae.* Romanus. *Vicies.* Vicesies. *Singularis.* Singulis. *Goth.*

Obstitum. Ab obsistendo; *obstita* dicuntur loca fulgurita, de coelo tacta, quasi Diis obstiterint, ut illo Virg. (Aen. VI, 64.):

Dique Deaeque omnes quibus obstitit Ilium.

Inde *obstitus* homo quasi de coelo tactus, lymphatus, cerritus. *Dac. Obstitum, violatum.* Obscitum. Adde infra *Pura vestimenta. Obstitum Cloatius.* Obscitum Cloat. *Attactumque.* Vide *Fulguritum. Qui.* Cum quid. *Videri.* Videre. *Goth.*

Obstinat. Obstinato. Verba Catonis non mediocriter depravata sunt, quae ita emendato: *Rumorem, famam flocci facit, intercutibus stupris obstinatus, insignibus probris flagitatus.* De quo alibi. *Scal. Obstinat*, a praepositione *ob* et *stino*, quod a *sto*, ut a *nego*, *negino. Obstinat* igitur, fortiter stat. Quamvis infra Festus deducit ab *obs* et *teneo.* Verba Catonis infra, non mediocriter depravata emendavit Scaliger. Vide *intercutitus. Dac. Perseveranti.* Pro iusiurandum. *De decem hom.* Adde infra *Sacramento. Captus stupris.* Cutitus. Alii *intercutitus stupris. Flagitiis.* Flagitatus. *Goth.* De v. *Obstinare* cf. Doederlin. Syn. Lat. I, pag. 36.

Obstrudant. Lege in Titinio:

Obstrude lentis aliquid, quoad pectam sedens,
Aut hic laetaster, aut formaster frigidus.

Laetaster, χαριεντιζόμενος; *formaster*, ὡραϊζόμενος. *Lenti* masculino ἀρχαϊκῶς. Titinius: *Lenti calido, elvella, rapula, rumices. Scal. Obstrudant, obsatulient, obsatullent, obtrudant.* Inserto *s obstrudant.* Plaut. Curcul. II, 3, (87.):

Atque aliquid prius obtrudamus, pernam, sumen, glandium.

Unde obstrudulentum. Titinii verba sic legebat Scaliger: *Obstrude lentis* etc. *Obstrudulenti* tamen in omnibus codd. et ita omnino legendum:

Obstrudulenti aliquid quod adpectam sedens.

Adpectere dixit Titinius, quod Plautus *oppectere* (Pers. I, 3, 31.):

Nam nimio melius oppectuntur frigida.

Obstrundant; repone *obstrudant*, ut supra, etsi aliter visum Lambino. *Dac.* De addito *s* praepositionibus *ab*, *ob*, *sup*, cf. *Fr. Bopp.* in Zergliederung cet. in Abhandl. der philolog. Classe der Berliner Acad. 1826. p. 82.

Obstitum, obliquum. Paulus Merula in notis suis ad Ennium legendum contendit *obstipum.* Frustra: nam aliud *obstitum*, aliud *obstipum.* Obstitum obliquum ab obsistendo, unde *obstitus* lunae cursus dicitur. Obstipum vero σκληρόν, durum, immotum et rigidum, a Graeco στυφός. Hesych. στυφόν, στρέμνιον, βαρύ, *firmum, sive durum, grave.* Inde στυφελός et latinum *stipus*, obstipa cervix, rigida, et obstipo capite σκληραύχην. Infra citatur Ennii liber octavus, qui tamen est septimus. Nempe pro VII. positum VIII. Ipsa verba Ennii sic legenda:

Amplius exangere obstito lumine solis.

De Attilio Regulo, quem Poeni resectis palpebris ita soli expositum locavere, ut lumen solis haberet obstitum, id est obliquum, quo valde fuerunt eius oculi exancti et discruciati. *C. Licinius Imbrex.* Eius verba sic emendabat idem Merula: *Resupina obstitum caput, culo si vis ventum facere genicula.* Alii: *Resupinae ob-*

stito capitulo sibi ventum fecere caniculae. Sed omnino melius: *Resupinae obstito capitulo sibi ventum facere tunicula.* Ventum facere, *ῥιπίζειν.* Plaut. (Curcul. II, 3, 35.):

Facite ventum ut gaudeam.

quod saepius dicebant, *ventulum facere.* Terent. Eunuch. (III, 5, 47.):

Cape hoc flabellum, et ventulum huic sic facito.

Dac. Ex augure. Exaugere. *Obstipolumve.* Obstitumve, obstipo lumine. *Licinius Imbrex.* Caecilius in Imbres. *Imbres.* Vid. supra *Imbrex. Goth.*

Obsalutare. Potius ut videtur, *coram salutare,* sed legendum *obsalutare salutandi gratia se offerre. Dac.*

Oleagineis coronis. Hinc intelligendum illud Virgil. lib. III. Georg. (v. 21.):

Ipse caput tonsae foliis ornatus olivae
Dona feram.

Ibi enim triumphorum Caesaris quasi minister prodit Virgilius, quod non viderunt interpretes. *Dac.* Vide Gell. V, 6. *Goth.*

Olentica. MSS. *oblentica;* bene Voss. *olentia. Dac.*

Olivetam. Illa verba mendosa sunt: *quam nullam eius significationis causam haberemus.* In alio libro est: *quam nullam eius significationis.* Cetera duo verba desunt, pro quibus fortasse substitui posset *cum haberemus. Ant. Aug.* Legendum infra: *Cum uvae; quod vocabulum potius frequentari debebat quam nullum. Quum eius significationis causam haberemus.* Inter olivetam et olivitatem hoc interest, *quod oliveta* sit olivarum collectio, *olivitas* vero fructus oleae. Varro inglorio: *Denique omnis cum lucerna consumta est in lucubrando, olivitasque consumta est.* Alii tamen *olivitatem* aeque sumunt pro tempestivitate legendae oleae. Columell. olivationem dixit olivarum collectionem, *ἐλαίωσιν*, olivare, *ἐλαιοῦν*, olivas colligere; sic *vindemiare, frondare,* unde *frondator,* qui frondes putat. *Dac. Olivetam.* Olivitam. Vide Non. in *Olivitatem* (pag. 148.). *Nullam.* Nullum. *Goth.*

Officiosus. Ab officiendo potius; nam veteres officere dicebant pro *efficere. Dac.* Male. *Officium* esse, quod fit ob aliquem, i. e. alicuius gratia, iam dudum intellectum est.

Offudas. Placidus in glossis *offucias. Fulv. Urs.* Lege *offucias. Scal.* Plaut. Captiv. (III, 4, 123.):

Ita mihi stolido sursum versum os sublevero offuciis.

Dac. Offricias vel officias, vel offucetas. Alii offucias. *Goth.*

Offucare. Quasi *ob fauces* dare aquam. Olim putabam legendum *offutare* a futo vase aquario. Sed nil temere mutandum. Ab *offucare* quidam apud Plaut. Cistell. I, 1, (21.): *Atque id merum infucabat.* Frustra, nam *infuscabat* vera est lectio. *Dac.*

Oenigenas. L. m. *unigenitos,* nam *oe* pro *u* antiqui utebantur. *Fulv. Urs.* Quid Festus intelligat per *vino genitos* ignorare me fateor. Puto legendum *unigenitos,* ita ut *oenigena* sit pro unigena; nam *oe* veteres ponebant pro *u,* et ita forte scripserat Catull. de Coma Beren. (LXVI, 53.):

— — *quum se Memnonis Aethiopis,*
Oenigena impellens nutantibus aera pennis.

Et hanc meam emendationem mihi postea confirmavit liber Ursini, ubi *unigenitos. Dac.* Apud Catullum vulgo legitur *Unigena.*

Oestrum. *Οἶστρον* et *οἶστρος* proprie vesparum genus ita armentis infestum, ut aculeis suis ea ad insaniam adigat, unde oestrum pro furore. Et oestro perciti, *οἰστροπλῆγοι,* furore correpti, concitati. Est autem oestrum vox Aegyptiaca teste Aeschylo in Supplicibus (v. 310.):

Οἶστρον καλοῦσιν αὐτὸν οἱ Νείλου πέλας.

Dac.

Omen. Vox est fortuita ab alio profecta quam ipse ad rem tuam detorques, quasi *crimen,* id est effatum. Vide Cicer. de Divinat. lib. I, (c. 46.). *Dac.* Adde Nonium in *omen* (pag. 357. pag. 430.). De ominibus bonis vide *Beneventum. Gaia. Lacus Lucrinus. Romani. Segesta. Goth. Oremen.* Ormen. *Quod avibus.* Quod non avibus. *Idem.*

Ovem. Vide Gell. lib. XI. cap. 1. et Festum verbo *Ovibus. Ant. Aug.* Varro rerum humanarum lib. XXIII. (ap. Gell. l. c.): *Terentio, quando citatus neque respondit, neque excusatus est, ei ego unum ovem multam dico. Dac. Ovem masculino.* Vid. infra *Recto fronte.* Nonium in *Oves* (pag. 216.). *Goth.*

Ovibus. (Ad pag. 195.) Vide *multam*, et *aestimata*. *Ant. Aug.* Lege *duobus*, non *duabus*. Sed profecto in his requiro Festi diligentiam, qui in minoribus criminibus ovium duorum, in maioribus triginta boum multam fuisse dixit; cum duo oves nunquam separarentur a triginta bubus, neque contra boves ab ovibus; tantum abest, ut in multa dicenda boves ante oves nominare religio esset. Quare in maioribus delictis multa erat ovium duorum, bovum triginta; et dicebatur maxima, vel suprema; in minoribus delictis ovis unius, et eam minimam vocabant; vel postquam aestimari coepit, maxima ac suprema multa trium millium, ac vicessis; minima, aeris deni. Quomodo igitur Festus hic oblitus sui, contra sententiam suam, hoc scripserit, qui aliter in verbo *multa* pronunciasset, mirari potius, quam rationem reddere possum. Deest autem numerus in bubus; in maioribus autem XXX. boum. *Scal.* *Ovibus duabus.* Ovibus duobus. *Autem.* Triginta. *Peculatus crimen.* Vid. infra *Peculatus*, et supra *Aestimata*. *Boves centenis.* Vid. supra *Multam*. *Suprema.* Vid. supra *Multam*. *Goth.*

Ovantes. Plutarch. in Marcello ab *ove* ducit nomen. Dionys. lib. V. (c. 47. pag. 313.): ἀπὸ τοῦ εὐάστης. *Ant. Aug.* *Ovantes ab eo clamore.* Hanc opinionem refellit Plutarch. in Marcello (c. 22.), aitque *ovationem* dici ab *ove*, quam ovantes immolabant, cui potius assentior quam Becmano, qui *ovo* dictum putat, quasi *evo* ab εὐάζω, *evan* clamo. A festivitate Bacchi. *Dac.* *Ovare* interposito digamma dictum pro *oare*, idque nihil nisi ὠάζειν, i. q. εὐάζειν.

Ovalis. Vid. Plin. lib. XV. cap. 29. Gell. lib. V. cap. 6. Vide etiam *myrtea*. *Ant. Aug.* *Ovalis corona;* ex myrto Veneris fronde, quod non Martius, sed quasi Venerius quidam triumphus esset ovatio, quae decernebatur cum aut bella non recte indicta, neque cum iusto hoste gesta fuerant, aut cum hostium nomen humile aut non idoneum, ut servorum piratarumque, aut deditione repente facta sine pulvere, ut dici solet, incruentaque victoria obvenit. *Dac.* *Myrtea.* Cf. supra *Myrtea*. *Goth.*

Obvaricator. A *varus*, *varare* et *varicare*, *obvaricare* et *obvarare*, impedire. Ennius Achille (apud Non. in *Obvarare* pag. 147.): *nam consiliis obvarant, quibus tamen concedit hic ordo.* Obvaricare de itinerario auspicio dicitur. Horat. (Carm. III, 27, 5.):

Rumpat aut serpens iter institutum.

Dac.

Oufentina. *Oufentinae.* Perperam *Lucretius* pro *Lucillius*, ut apud Varronem (p. 370. et p. 27. Sp.). *Scal.* Verum est quod ait alios eidem tribui adscriptos fuisse, nam crescente ob novos cives frequentia tribus Oufentina cum Falerina fuit addita a censoribus L. Papirio Crasso et C. Moenio. Liv. (lib. IX, 20.). *Dac.* *Oufentina.* Ufentina. *Oufente.* Ofente. *Lucretius.* Lucillius. *Goth.*

Oscillum. (Ad p. 193.) Quod in fine deest, poterit addi ex iis, quae scribit Hyginus fabula CXXX. et lib. XI. de signor. caelest. historia, verbo *arctophylax;* et interpres Arati Latinus verbo *canis*. Hi oscillum ita fieri ab Atheniensibus scribunt, ut tabula interposita pendentes funibus se iactarent, et vento moverentur. Nonnihil hac de re Macrob. lib. I. Saturn. et Serv. I. Georg. *Ant. Aug.* Lege: *ab eo quod os cillere.* Notum *cillere* esse movere; de personis Virgilius (Georg. II, 389.):

Oscilla ex alta suspendunt mollia quercu.
Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis.

Meminit et Maurus Terentianus. De oscillis satis in Ausonium anno superiore. Quare τὸ Cunarum in funium docti viri mutare voluerint, non video. *Scal.* *Oscilla*, festa in honorem Icari et Erigones ab Atheniensibus instituta. Aliis in honorem Bacchi Virg. XI. Georg. (II, 389.):

Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis
Et te Bacche vocant per carmina laeta tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia quercu.

Graecis αἰῶραι dicta. Vid. Hesych. in αἰῶρα, in iis fune de tigno vel arbore religato, vel etiam transverso tigno, de arbore suspenso, in aere librati sursum et deorsum ferebantur; dicta oscilla ab *ore* et *cilleo*, moveo. *Nec desunt qui exemplum Graecorum.* Nempe Atheniensium; quae infra desunt, sic supplenda arbitror: *per simulationem suspendii diem festum oscillationis instituerunt;* totam hanc historiam fuse Hyginus fabula CXXX. Vide et Servium ad Virg. Georg. II. loco supra laudato. *Dac.*

Ostentum. Attii versus mendosus est. *Ant. Aug.* De Attii versu vide secundum coniectaneum (pag. 88. Steph.). C. Gracchi verba: *quod unum nobis inostentum, ipsis inusum asportatur.* *Inusum* eleganter, *inusitatum*. *Scal.* Ait ostentum pro prodigio substantive dici, item adiective pro ostentato. Supple igitur in-

fra *sed etiam participialiter pro ostentato testimonio est* etc. Servius I. Georg. (p. 84. ed. Dan.): *Obtenta sicut ostenta, ab eo quod est enim ostendor veteres participium ostentus, non ostensus dicebant. Ipse alibi: praetentaque Syrtibus arva. Terent. in Eunuch.* (III, 5, 56.): *an ego occasionem mihi ostentatam tam brevem. Similiter est illud in Phormione: Neque me nunc domum reciperem, ni mihi esset spes ostentata huiusce habendae.* Non dubium est, quin Servius in utroque loco Terent. legerit *ostentam. Attius in Bacchis.* Eius propemodum deplorata sunt verba. Lege, ut optime Scaliger in coniectaneis (pag. 88. Steph.):

— — — *Pentheus*
Praesto cerritus nobis se stupens ultro ostentum obtulit.

Quod ex Bacchis Euripidis vertit Attius (211.):

Πενθεὺς πρὸς οἴκους ὅδε διὰ σπουδῆς περᾷ.

Dac. Irridetis. Irrides. *Asportatur.* Adoptatur. *Goth.* Accii locum sic legam:

Praesens se praesto cerritus nobis stupens
Pentheus ultro ostentum obtulit . . . .

Ostinet. Obstinet. Legendum in carmine *de caelo*, non *se caelo. Scal.* Puto legendum *obstenit*, nam ita recte pro *ostendit*, deperdita litera *d.* Ita *dispenere* dicebant pro *dispendere*; in vet. carmine legendum:

Sed iam se coelo cedens aurora obstenit.

Se coelo cedens pro *secedens coelo*, ut saepe veteres. *Dac. Si caelo.* De coelo. *Goth. Obstenit*, quod Dacerius volebat, nihil est, nam apud Plautum Mil. gl. 5, 14. *distennite ac dipennite* legitur, unde colligi potest, penultimam verbi *distenno* non corripi. Quare sic legendum coniicias:

Sed iam se caelo candens aurora obstinet.

ita ut verba *suum patrem* in sequenti versu posita fuerint et novum enunciatum inceperint. *Se obstinet* est *se ostendit.*

Oscines. Picus Feronius dictus a Feronia, ut Martius a Marte. Feronia, dea libertorum, in cuius templo raso capite pileum accipiebant; in eodemque templo Tarracinae sedile lapideum fuit, in quo hic versus incisus erat:

Bene meriti servi sedeant, surgant liberi.

quam Varro libertatum deam dicit, quasi Fidoniam. Haec primi ex schedis veteribus in Virgilium vulgamus. *Scal.* Varro lib. V. (pag. 252. Sp.): *Oscines dicuntur apud Augures quod ore faciunt auspicium.* Alitum autem aliae *oscines*, aliae *alites.* Plin. lib. X. cap. 19.: *Nunc de secundo ordine dicamus, qui in duas dividitur species, oscines et alites. Illarum generi cantus oris, his magnitudo differentiam dedit. Picus Martius, Feroniusque.* Feronius a Feronia, ut Martius a Marte. Servius ad illud VIII. Aeneid. (VIII, 564.):

Nascenti cui tres animas Feronia mater.

Feronia mater, nympha Campaniae. Haec etiam libertorum dea est, in cuius templo raso capite pileum accipiebant; cuius rei etiam Plautus fecit mentionem in Amphitruone:

Quod utinam ille faxit Iupiter ut raso capite portem pileum.

Dac. Alites. Vide supra *Alites. Aut.* Alites. *Ac.* Aut. *Immissulus.* Miluus. Alii Immussulus. Adde supra *Immusulus. Pica autem.* Picus autem. *Cecinit.* Crocivit. *Goth.*

Ostia. Scribe ex Festo *ad exitum Tiberis*, pro *ab exitu Tiberis. Fulv. Urs.* Flor. lib. I. cap. 4. de Anco Martio: *Ostiamque in ipso maris fluminisque confinio coloniam posuit.* Ait Festus *ostiam* adiective dici, subintellecta urbe sive colonia. *Dac. Ab exitu Tiberis.* Ad exitum Tiberis. *Goth.*

Osculana. (Ad pag. 193.) Pro *Ausculana.* Quae desunt, ita plus minus expleri posse videntur. *Sulpitius: Pyrrhum victorem vicit item imperator noster.* Titinii versus non tam divulsi sunt, quam lacunae praeferunt:

Haec quidem quasi Osculana pugna est, non secus.
Quia, hinc qui fugere impulsi, spolia colligunt.

Plauti versus haud scio an recte ex Nervolaria producantur. Constat enim eosdem legi in Sticho (I, 2, 34.):

Pi. *Osculum.* An. *Sat est mihi osculi vestri.*
Pi. *Qui amabo mi pater?*
An. *Quia ita meae animae salsura evenit.* — —

Scal. Quae infra desunt, sic expleo: *Brevi eundem regem devicerat Sulpicius Saverio item imperator noster.* Et verum est; nam a. U. C. 473. Valerius Laevinus a Pyrrho victus, qui Pyrrhus anno sequenti a P. Sulpi-

cio Saverione superatus, ut narrat Livius. Quamquam Plutarch. hanc secundam pugnam in consulatum Fabricii Luscini et Aemilii Papi reiicit, qui post Sulpicium consules fuere. Titinii versus sic legendi:

Haec quidem quasi osculana pugna est, non secus.
Quia hinc qui fugere impulsi spolia colligunt.

Scal. in schedis: *quia in fugere pulsi hinc spolia colligunt.* Forte:

Quia hinc fugere impolsi, hinc spolia colligunt.

Plautus in Nervol. Schedae: *Plautus in Nervolaria osculum sat est mihi . . . . qui amabo mi pater* etc. Deest tantum *osculi vestri. Quod inter cognatos.* Ait antiquis institutum, ut se cognati et propinqui maxime feminae se basio salutarent, de quo more apud Plautum et alios et in sacris literis abunde. *Dac. Ausculana pugna.* Alii *Asculana.* Depugnata fuit adversus Pyrrhum, teste Plutarcho. Proverbium de iis, qui victi vincunt. *Ambo.* Amabo. *Goth.*

Osorem. Plaut. in Prolog. (v. 14.) Poenul.: *Cupienti liberorum, osori mulierum.* Gloss. osor, μισητής, ἀρχαι; lege ἀρχαίως. *Dac.*

Obmanens. Sic *obtineo*, diu et fortiter teneo. Vide *ommentans. Dac.*

Offringi. Varr. I. de R. R. cap. 29.: *Quod prima aratione glebae grandes solent excitari, cum iteratur offringere vocant.* Virgilius vocat *prorumpere* (Georg. I, 98.):

Et qui proscisso quae suscitat aequore terga
Rursus in obliquum verso prorumpit aratro.

Dac. Ibi rectius legitur *perrumpit.*

Orare. In versu Ennii deest initio syllaba, puta: *Tu face vero* etc. *Ant. Aug. Orare*, dicere, causas agere. Varro lib. IV. (lib. VI, pag. 252. Sp.): *Oro ab ore, et perorat, et exorat, et oratio, et orator.* Inde oratores legati, quod reip. causam agerent. Ennius:

Orator sine pace redit regique refert rem.

Alii ab ἀρῶ, sive ἀρῶμαι, *precor.* Vid. *Oratores. Face vero.* Praemissa vocula sic versum integrum faciunt Scaliger et Columna:

Tu face vero quod te cum precibus pater oro.

Verba sunt Romuli Iovem precantis ut foedam suorum fugam sisteret, unde frustra est Festus, qui hic *oro, dico* interpretatur. In schedis legitur *tecum*, unica voce. Eleganter *precibus cum aliquo orare;* sic saepe veteres. *Dac.* Adde Nonium in *Orare* (pag. 360. Merc.) et eundem in *Orator* (ead. pag.). *Goth. Oratores dicti.* Aliud etymon vid. supra in *Adorare. Alii pro legatis appellant.* Alias Romani legatos appellant. *Legatus sum.* Legatus missus sum. *Coelius.* Caelius. *Misit.* Missi. *Pro decretoribus.* Pro deprecatoribus. *Exorator sim.* Exoratur. *Si quid oritur.* Si qui oratur. *Sertis et loci veteribus.* Et pro disertis elocutoribus. *Causam quoque eorum.* Causam, orationes, dissertationes quoque eorum. *Goth.*

Omnes occisi. (Ad p. 195.) De militibus et praefectis regis Antiochi loquitur Ennius, qui a L. Aemilio Regillo praetore inter Ephesum, Samum et Chium superati fuere. *Ubi mortis thesauri.* Vide in voce *favissae. Ait*, nempe Verrius, et sic saepe. *Mihi non satis persuadet.* Nam revera *obferre* potius anteferre, *obcurrit*, ante vel adversum currit; obiectus, ante iactus. Tamen *obferre* pro adferre a veteribus usurpatum ut *obferre vitium virgini, obferre iniuriam alicui.* Terent. (Hecyr. III, 3, 23.). *Dac. Ob. Accensi.* Incensi. *Obculit.* Obtulit. *Obiacent.* Vide *Obiacuisse. Goth.* Cf. supra *Ob praepositio alias.*

Occisitantur. Ut a *trudo, trusito*, sic ab *occiso, occisito. Dac.*

Osi sunt. Ab obsoleto *odio*, quod ab antiquo ὀδύω, unde ὀδύσσω, unde ὀδύσσομαι. Orae codicis sui adscripserat doctiss. Guyetus, odio, ἔχθω, ἔχθος, ὄνθω, ὄθω, *odo*, odi, osus, exosus, perosus etc. ἔχθω, ἔχθρω, ἔχθρος etc. *Dac.*

Ob os. Supple: *ob os ad os significare ait Verrius, item ut* etc. *Dac. Testatus.* Testatum. *Goth.*

Obsonitavere. In verbis Catonis mendum esse opinor, et post verbum *antea* scriberem *denis*, vel aliquid huiusmodi. *Ant. Aug.* Puto Catonem scripsisse: *Qui antea per se coenitavere, postea centeni obsonitavere*, unde *obsonitare* Festus recte exponit convivari. Vide Macrob. de legibus sumtuariis. Ita enim omnino legendum: *quia lex cavebat de numero convivarum.* Oratorie igitur Cato opponit *per se τῷ centeni*, item *coenare τῷ obsonitare. Scal.* Sed vix puto latine opponi posse *per se τῷ centeni.* Quare coniiciebam legi posse: *Qui antea singuli coenitavere postea* etc. vel etiam, *qui antea pro se coenitavere postea centenis obsonitavere*, vel quod unice placet, puto deesse numerum impensae quae *centenis* respondeat, quasi, *qui antea*

denis coenitavere, postea centenis obsonitavere. *Dac.* *De lege Orchia.* Ne legi Orchiae. *Goth.* *Postea centenis.* Postea denis. *Idem.*

Ostentas. Ait etiam dici feminino genere ut *salute ostenta*, Varro lib. III. rerum divinarum; et supra *Ostentum senem.* *Dac.*

Opigenam. Iunonem enim utero laborantes invocabant. Apud Terent. (Andria III, 1, 15.):

Iuno Lucina fer opem.

Dac. *Quae laborantes utero puellas Ter vocata audis.* Horat. Carm. III, 22, (2. seq.). *Goth.*

Oletum. Male hic Festus *oletum* stercus humanum interpretatur, nam locum olentem significat. Sic post Veranium dixit Persius Sat. 1, (112.):

— — *Hic inquis, veto quisquam faxit oletum.*

Hic Veranius scripserat de rebus pontificalibus. *Dac.*

Orcus. *Orcum.* Lege cum Lipsio: *Ab antiquis dictum urgum*, ait enim Verrius ab urgendo *urgum* dictum, postea *g* mutato in *c*, *urcum* et *u* in *o orcum*, quod ad mortem urgeat. Sed hic merito veterum testimonia Festus desiderat, verisimilius igitur *orcum* esse a Graeco ὅρκος, *iuramentum*, quod iuramenti Deus sit *orcus*, Pluto. *Dac.* *Orcus.* Vide Varronem (V, p. 73. Sp.) *Exemplorum.* Exempti. *Uragum.* Urgum. Lips. III, quaest. 20. *Goth.*

Offendices. Addo ex latinis glossis: *offendices, nodi quibus libri signantur.* *Scal.* Amenta infra mentum pertinentia, quibus apex, sacerdotum pileus retinebatur. Item alia quaevis gloss. Isidor.: *Offendices, nodi quibus libri signantur.* Lege infra: *Veranius Coriola existimat*, etc. *Coriola*, diminutivum a *corium.* *Dac.* *Choriola.* Coriola. *Goth.*

Olvatium. (Ad pag. 196.) Fortasse corrupte legerunt, pro Olus atrum, unde coniectura coacti sint interpretari id, quod in rerum natura non est. *Scal.* Negat Scaliger id unquam fuisse in rerum natura, atque adeo suspicatur corruptum esse pro *olusatrum* herbae genus quae *serpentaria minor* officinis et pes vituli dicitur. Sed optime Meursius *olvatium* asserit, et Festi interpretationem tantum reprehendit. Olvatium enim nihil aliud esse quam quod in ollis coctum est, ut *testuatium* quod in testa. Varr. lib. IV. de L. L. (V, p. 110. Sp.): *testuatium quod in testu caldo coquebatur, ut etiam nunc matralibus id faciunt.* Ab *ola* igitur pro *olla olvatium*, ut a *testa*, *testuatium.* *Dac.* *Olvatium.* Olus atrum. *Goth.*

Obiacuisse. Lege, *ante iacuisse.* *Dac.* Adde quae notata sunt in *Ob praepositione.* *Goth.*

Occultum offerre. Lege: *occultum efferre significat sub terram ferre, ponere.* *Dac.*

AD LIBRUM XIV.

Praeceptat. *Saepe praecipit.* Sunt enim verba in to frequentativa, ut saepius, a supinis derivata, u in o mutato, ut scripto, edicto, domito etc., de quibus vide Priscianum VIII. c. de speciebus verborum (c. 14. §. 74. tom. I, pag. 412. seqq. Kr.). *Goth.*

Pa pro parte. (Ad p. 196.) Lege *par*, quia semper integram priorem syllabam usurparunt. Hoc autem a Doriensibus translatum, qui extremas vocum partes abscindebant, vel dimidiatas tantum voces pro totis usurpabant. Sic δῶ pro δῶμα· κρῖ pro κριθή· ἔρι pro ἔριον, et similia. Sic Osci *coil* dicebant pro *coilum*, id est *coelum.* Ennius:

— — *Divum domus altisonum coil.*

Nisi potius dicamus, ista *par*, κρῖ, δῶ, χρῖ etc. primigenias esse voces utpote simpliciores, quibus postea sequens aetas litteras addidit. Sic Salmas. in Hellen. χρῖ et δῶ antiquiora putat, quam χρῖμνον et δῶμα, idque mihi eo probabilius videtur, quod Osci, quorum lingua antiquior Latina, *coil* dixerunt, quod postea Latini *coilum.* In schedis scriptum *po pro potissimum.* *Dac.*

Promenervat. (Ad p. 196.) A *Menerva* menervare et promenervare. Vide *Minerva.* Illud *item* non mutandum est, ut viris doctis visum fuit. Nam hocce caput continuo post *praeceptat* et *pa pro parte* legebatur, ubi de Saliari carmine. *Dac.* Alii *promenerat*, alii *promoverat.* *Goth.*

Praedotiont. Puto scriptum fuisse *praeoptinunt* vel potius *praeoptinant.* *Opto*, *optino: praeopto*, *praeoptino*, ut *nego*, *negino.* Doctiss. Meursius legebat *praedopiunt*, ab obsoleto *opio*, unde *opto*, ut ab *apio apto* etc. *Praeopiunt d* inserto *praedopiunt.* *Dac.*

Prospices. Lege *Prospica.* Naevius: *Tibi prospica ac dispice*, id est *prospice*, *dispice.* *Dac.*

Poesnis. Sched. *pesnis pro pennis* etc. Sed priorem lectionem retineo. Vide *Scensas. Dac.* Vide supra *Pennas. Goth. Casmenas.* Vide supra *Dusmoso. Idem.*

Polteio. Forsan e Saliorum carminibus. *Dac.*

Polet. Sic *oli* pro *olli*, ut iam alibi dictum est. *Dac.*

Plusima. Vide supra in *Pignosa. Dac. Plisima.* Plurima. *Goth.*

Pretet. Erravi supra ad v. *Expretus*, ubi, quum *pretus* antiquis pro *pletus* dictum esse ostendissem, verbum *interpretari* indidem trahendum esse autumavi. Descendit enim *interpretari* et *interpres* haud dubie a Graeco φράζω, cuius antiqua forma fuit φράδω, quae in aoristo πέφραδον adhuc superest. Ei respondet Gothicum *Frathja*, *froth*, dico; omnibus autem subest radix Indica *pratshh*, interrogare, dicere, appellare, ex quo Latinum *pretor* et *pres*, *pretis* explicatur. Locus autem Festi corruptus sic erit restituendus: *Pretes*, *-tem*, *interpretes*, *-em*, *prisce.* Credibile enim est, apud Priscos in usu fuisse *pres*, vel potius *pretes*, simplex, licet Priscianus se invenisse neget lib. XIV, 3. tom. 1, pag. 599. Kr. *Interpres, cuius simplex, id est pres, in usu non inveni.* Monet Vossius, *pretis* fortasse nominativum dixisse veteres; mihi potius *pretes*, verbali forma, ut *vates*, initio dictum esse videtur.

Perfines. Sched. *perfines*, *perfringas*, sed malo *perstringas*, nam proprie de aratoribus, qui aratro finitima arva perstringunt; *perfines* pro *perfinias* duplici coniugatione, ut multa. *Dac.*

Promerion. Corruptissimus locus, si quis alius. Legendum ita haud dubie: *Promerito, praecipuum, praeter ceteros meritum, ut pro medio, hoc est participem et pro indiviso dicimus.* Quae verba quantum Latini sermonis intererat salva atque incolumia mansisse, nemo non videt. *Scal. Promedio* dicebant pro participe, quia pars est dimidium. Vide quae notamus Od. I. Horat. *Dac.* Alii *promorium.* Fortasse *Promerium. Goth. Promedium.* Promedio. *Idem.* Legendum videtur: *Promeritom, praecipuum, praeter ceteros meritum. Ut promeret, hoc est, participat. Aut pro indiviso accipimus.* Haec enim postrema docent, Festum non attulisse verbum quod plane esset antiquatum atque abolitum, qua de caussa omnia ista interpretum somnia *promorion, promedium*, alia, plane reiicienda sunt. Rectissime autem Festus. *Promeritum* enim est *meritum* aut pro aliquo, aut quod prostat et facile agnoscitur; igitur *promeritus* praeter ceteros meritus. Tum *merere* et *mereri* propria ac nativa significatione nihil est nisi Graecum μείρω, μείρομαι, μερίζω, μερίζομαι, intransitive si accipitur, i. e. partem capere, participare. Igitur *stipendia merere* est partem capere stipendiorum; *bene de aliquo mereri* est an iemandem antheil, viel antheil nehmen, quasi in partem alicuius mali venire, h. e. εὖ ποιεῖν. Quare Festus *promeret*, participat interpretatur. Denique *promeritum* pro indiviso esse acceptum cum ait, respicit haud talem verbi usum, ex quo *promeritum* vel plenam atque integram portionem, vel hominem, qui plane in partem venit, denotat. Sed nunc quidem huiusmodi notionis apud Scriptores Romanos nec vola nec vestigium.

Privivio es. Lege: Privoes, privis, singulis. Privoes, privis, ut oloes ollis; Pilumnoe, Pilumni; poploe, populi etc. *Scal.* Schedae: *Privivio es privis, id est singulis. Dac.* Legendum, ut Ursinus vidit, *Privicloes*, vel potius *privoloes* deminutiva forma, eadem quae est in v. *singulus.*

Petilam suram. Non video, cur petilam suram Scaevola albam equi ungulam interpretetur. Nam petilus est siccus, tenuis, exilis, strigosus, macer, a Graeco πέταλον, folium, et quia folia exilia sunt, inde omnia tenuia et strigosa *petala*, *petila* dicta. Lucilius:

Insignis varis et cruribus atque petilis.

Est igitur apud Naevium petila sura, sicca sura et substricta, cuiusmodi qui habent, equos κακοσκελεῖς vocat Xenophon. *Dac. Sustrictam.* Inde Nonio (pag. 149. Merc.) *Petilum* tenue et exile. *Goth. Interpretatur.* Interpretantur. *Idem.*

Pilumnoe poploe. Hoc est Pilumni populi. *Scal.* I. e. Romani pilumni, id est Romuli nepotes, quia Romulus a Pilo Pilumnus dictus est a Saliis, ut Mars a Pico Picumnus, et ita intelligendus hic locus, qui Festum fefellit, neque enim *Pilumnoe* est rectus pluralis, ut ille existimavit, sed secundus casus numeri singularis, populus Pilumni, quod Meursio animadversum. *Dac. Hostes.* Hosteis. *Goth.* Non potest esse genitivus *Pilumnoe;* genitivus enim in *i* ex locativo Indico ortus est, qui in *i* exit.

Praepetes. Praepetes aves dictas quidam putant, quia volantes se offerunt. Nam praepetere est, avem auspicanti se offerre, unde praepetes aves dicuntur, quae se ante auspicantem ferunt. Nam antiqui *praepetere* dicebant pro anteire. Servius in fragmentis (pag. 414. ed. Dan.): *Praepetes sunt, quae secundo auspicio ante eum volant, qui auspicatur. Aves autem aut oscines sunt, aut praepetes. Oscines, quae ore futura praedicunt. Praepetes, quae volatu augurium significant, cum sunt prospera. Sed praepetes aut superiora tenent*

et praepetes vocantur, aut inferiora et dicuntur inferae. Praepetes autem ideo, quia omnes aves priora petunt volantes. Vide etiam Gellium lib. VI. cap. 6. *Scal.* Servius in lib. III. Aeneid. (Serv. pag. 287. Dan.) ubi, ut vides, ille *praepetes* a *prae* et *petere*, quod et Festus sensit. Sed en tibi eiusdem Servii locum alterum non minus illustrem ad illud VI. Aeneid. (15.): *Praepetibus pennis. Praepetes autem*, inquit, *dictae, vel quod priora petant, vel summi volatus, vel quae praepetit volatum, vel quae secundum auspicium facit. Et quidam praepetes tradunt non tantum aves dici, quae prosperius praevolant, sed etiam locos, quos capiunt, quod idonei felicesque sunt. Unde bene Daedali pennas praepetes, quia de locis, in quibus periculum metuebat, in loca tutiora pervenit.* Quem Servii locum illustrat Gellius lib. VI. cap. 6., ubi etiam docet praepetes aves L. Claro dictas videri, quas Homerus τανυπτέρυγας appellat Iliad. τ', (XIX, 350.) quod porrectis et patulis alis praetervolarent. Inde Gloss. praepetes τανυπτέρυγες, alis patulae. Ceterum etymon Festi et Servii a *prae* et *peto* mihi caeteris praestat. Neque minus sic locis, quam avibus possit accommodari. At Turnebus ait a προπετές, quod est pronum ad labendum, et *praepetere* a προπετέσθαι, quod censet etiam Scaliger in Aetnam. *Dac. Quam petamus*, quae praepetamus, alii *quae petamus. Goth.*

Pilare. Φιλήτης Hesiodo, et πιλήτης Aeolice. *Scal.* Sunt qui Graecae originis putant. *Pilare* prima syllaba producta *furari*, Graecis enim φιλήτης fur dicitur. Hesiod. (Op. 373.):

Ὅς δὲ γυναικὶ πέποιθε, πέποιθ' ὅγε φιλήτῃσι.

Φιλήτης, Aeolice *πιλήτης*, ab obsoleto φιλάω, φιλῶ, unde pilo, compilo, nisi potius pilare sit a πιλεῖν, stipare, densare et postea pilare, furari, quia fures stipant ea, quae furantur. *Dac.* Vide supra *Compilare. Goth. Plures*, fures. *Idem. Fures piletas* fures πειράτας, alii *plures*, alii *fores*, alii fures φιλήτας. *Idem.* Apud Hesiodum l. c. nunc editur φηλήτῃσι. Spohnius tamen φιλήτῃσι praetulit. Vid. Gaisf. ad Hes. l. c.

Pilat. Prima correpta. Accius: *Tunc primum pilabant genae*, id est pilis vestiri incipiebant. Inde Gloss. *pilo, as*, τριχόω. *Dac.* Pilare ut plumare dicitur Nonio (pag. 39. Merc.). *Goth.*

Pila. Structura ex lapidibus, caementis aut lateribus ad aliquid sustinendum. Sed quomodo *ab opponendo pila?* Unice placet doctiss. Vossii coniectura *ab oppilando*. Pilare enim est stipare, densare, firmare. *Dac.* Glossis κρηπίδωμα. *Goth.* Quam nihil agant, qui hodie in etymologia linguae Latinae nullam nisi Graecam et Latinam linguam respiciunt, hic locus satis ostendit. *Pilam* Döderlinus Etym. Lat. tom. IV, pag. 437. a *pago, pepigi*, per deminutionem dictum putat a *pilare;* quum sermo Indicus omnium istorum verborum, quae huius sunt similia fontem et originem satis ostendat. Tres enim inveniuntur verborum radices, quae huc pertinent, *pĭl*, emittere, proiicere, unde descendit *pĭla*, (Ball); *pīl*, reniti, arcere, unde descendit *pīla*, structura ex lapidibus (Pfeiler), et *pīlum*, iaculum (Pfeil); *pŭl*, eminere, magnum fieri, unde orta *pĭlus*, ἡ θρίξ, et *pĭleus*, tegmen capitis, e pilo factus. Iam his intellectis quis est, qui in mentem inducat, aliam praeter istam originationem ex sermone Sanscrito circumspicere? Desinant igitur tandem aliquando hariolari viri docti, et ad sobriam certamque originandi viam redeant, qua semel patefacta, nihil magnopere auxilii aliunde exspectari posse, satis superque intelligitur.

Pilentis. Vide *Matronis. Ant. Aug.* Vide Liv. lib. V. cap. 25. *Dac.*

Pilani. Proprie Triarii, totusque eorum ordo pilus dictus. *Dac.*

Pellicum. Galerum. Lege *pellitum*. Galeri enim ex pellibus fiebant. Sueton. (apud Servium ad Virg. Aen. II. pag. 263. ed. Dan.): *Galerus pileus ex pelle hostiae caesae. Dac.* Apud Servium l. c. haec leguntur: *Sytonius tria genera pileorum dixit, quibus sacerdotes utuntur: apicem, tutulum, galerum. Sed apicem pileum subtile, circa medium virga eminente; tutulum pileum lanatum metae figura; galerum pileum ex pelle hostiae caesae.* Eundem citat Servius alio loco sic (pag. 492. Dan.): *Sitonius in libro de genere vestium dicit tria esse genera trabearum* cet. Qua de caussa delendum videtur in fragmentis Suetonii opusculum eius, quod inscribitur: *De re vestiaria liber.* Non enim Suetonius, sed *Sitonium*, vel *Sithonium* librum eiusmodi scripsisse testatur Servius.

Pellexit. Vide *Adlicit* et *Lacit.* Pellicere etiam in XII. tab. pro carminibus elicere: Neu alienam segetem pellexeris, hoc est, ut Virgil. et Tibull. dicerent, *traduxeris. Dac.*

Pelluviae. Vide *Malluviae. Dac.* Adde infra *Polubrum.* Glossis ποδονίπτης *pelluvium. Goth.*

Pellem habere. Pellibus ferarum, praecipue leonum, tegi solebant primis temporibus. Virgil. II. Aen. (722.):

— — *Fulvique insternor pelle leonis.*

Dac.

Pilea. Ideo pileatos eos vocat Catull. (XXXII, 2.): *A pileatis non a fratribus pila.* Et Philo περὶ ἀρετῶν· ποτὲ δὲ πίλους ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, ὁπότε ἀσκοῖτο εἰς Διοσκούρους. Celebres autem pili Laconici. Pollux lib. I. cap. 10. *Dac.* *Pilea* in neutro. Est etiam femininum. Vide Nonium (pag. 220. Merc.) in *Pileus.* *Goth.* *Pugnare.* Militare. *Idem.*

Pelta. Scutum breve loreum, formam lunae semiplenae referens, unde *lunatam* dixit Virgil. I. Aen. (490.):

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.

Suidas: πάλτον ἀσπὶς οἴτην μὴ ἔχουσα. Passim etiam *pelta* pro *cetra.* Unde Liv. lib. XXVIII. (c. 5.): *Pelta cetrae haud dissimilis est.* Et lib. XXXI. (c. 36.): *Cetratos, quos peltastas vocant* etc. Peltis utebantur Macedones, Cretenses, Afri, Hispani. *Dac.*

Picati. (Ad p. 196.) Apud Hesychium φίκα, φίγα et σφίγγα. Hesiodus in Theogonia (326.): φῖκ᾽ ὀλοήν. Lycophron in fine Alexandrae: φίκειον τέρας. *Picas* vero pro *phicas* dici, ut *Poenos et Alpes* et *Pilippum* et *triumpum*, manifestum est. Haec etiam Fulvius noster. *Ant. Aug.* Sphingem a Doribus *phicam* vocari, certum est. Hesych. φίγα, φίκα, σφίγγα. Et etiam mons, quem illa insedebat, phicius dictus. Hesiodi Schol. in Aspidi et in Theogon. et Schol. Euripid. in Phoenissis, qui addit Sphingem habere faciem puellae, pectus et pedes leonis. Cui consentit Schol. Aristoph. in Ranis. Porro hanc vocem *phica* Boeoti a Phoenicibus accepere, quibus Picceha vel phiccaa sapiens, oculatus, auritus. Et ita sphingem dixere propter sagacitatem, quia mulier fuit acutissima, quae per gryphos et aenigmata solertissimorum sui aevi ingenia exercebat. Plura vide apud Bochartum in Chanaan lib. I. cap. 16. *Dac.* Vide Graev. Lect. Hes. c. 22. p. 109. Cf. etiam Creuzer. Symbolik u. Myth. tom. I. pag. 496. et qui ibi sunt citati.

Petulantes. (Ad p. 196.) Illa verba *et cornigeras norunt matres agnique petulci* ita scribenda sunt, ut post *Et* relinquatur spatium aptum huic nomini *Lucretius:* deinde carmen scribatur, quod etiam refertur a Macrob. lib. VI. Saturn. ex Lucret. lib. II. (367.). Afranii quoque videtur esse in fine mendosum. *Ant. Aug.* Lego in fine: *pedibus convibravit.* Nam *vibrare* neutra significatione novum non est, sed veteribus usitatissimum. *Scal.* *Petulans* et *Petulcus* a petendo, ut ab hiando hiulcus. Cicero de Republ. lib. IV. Itaque a petendo petulantia, a procando, id est poscendo, procacitas nominata est. *Dac.* Nugatur Scaliger, cum ait *vibrare* et *convibrare* neutra significatione veteribus usurpari. Nam semper activum est et subintelligitur *se*, ut hic. Porro fallitur etiam Festus, cum *petulcus* interpretatur velocem. Nam pedibus convibravit quasi petulcus, hoc est sese foras proripuit, pedibus in altum elatis, quasi solent petulci, qui pedibus petunt. Tamen ex hac Festi interpretatione Isidorus *petulcum equum* appellasse videtur velocem, cum scribit: *petulus equus, qui habet albos pedes.* Scribo *petulcus.* Qui habet albos, id est velox, ἀργός. Nisi potius scribendum sit *Petulcus equus, qui habet elatos pedes.* *Idem.* Vide Nonium (pag. 23. Merc.) in *Petulantia.* Glossis *Petulantia* προπετεία. *Goth.* *Exilivit.* Exiluit. *Idem.* Locus Virgil. est Georg. IV, 10. Locus Lucret. II, 367. Cf. Döderlin. Syn. et Etym. Lat. tom. III. pag. 39. seqq.

Petrarum. (Ad p. 196.) Ennii versum ita lego:

Alte elata specus, petrisque ingentibu' tecta.

Item Livii ita: *ubi echo septa petris.* Deinde: *petra est, quae domus dextra.* *Scal.* *Quae Iovis.* Qui locus. Alii *quae domus.* *Goth.*

Petissere. (Ad p. 196.) Pro *petessere*, saepius petere. Quo usus est Cicero II. Tuscul. (26, 62.): *Apud quos autem venandi et equitandi laus viget, qui haec petessunt, nullum fugiunt dolorem.* *Dac.* *Ut petissant, saepius petant.* Haec viris doctis suspecta sunt, qui legunt: *ut Pitissant, saepius potant.* Frustra. Neque enim *pitissare* est saepius *potare*, sed saepius expuere. Terent. de fastidiosa meretrice (Heaut. III, 1, 49.):

— — — *pitissando modo mihi*
Quid vini absumpsit, sic hoc dicens, asperum,
Pater, hoc est, aliud lenius sodes, vide?

Non dubito, quin hic *petissant* alicunde adducat Festus, ubi *saepius petant* interpretatur. In Sched. *ut retissant saepius petant*, corrupte *re* pro *pe*, nisi malis *retissant saepius retant.* *Dac.* Et tamen Priscianus lib. VIII. (c. 14. pag. 414. tom. I. Kr.) ubi de speciebus verborum tractat, negat huiusmodi verba facesso, capesso, lacesso, arcesso frequentativa esse, sed desiderativa. *Goth.*

Petrones. Supple infra: *Deterrima quaeque ac praerupta etiam agri petrae vocantur, ut rupices iidem a rupis duritie dicti sunt.* Rustici, inquit, et petrones ab asperitate petrarum et rupices a rupe. Ter-

tull. (de pall. c. 5.): *Apud rupicem et silvicolam et monstrorum cruditorem scrupea schola eruditus.* Et non solum *petrones* et *rupices*, sed et *varrones* a varris, qui stipites sunt, non dolati, praeduri ac enodes. *Dac. Petrones.* Petronesi. *Goth. Rupices.* Adde infra in *Squarrosi.* Tertull. (l. c.) post: *passivitas offert libertinos in equestribus, subverbustos in liberalibus, dediticios in ingenuis, rupices in urbanis, scurras in forensibus, paganos in militaribus.* Idem in Apologetico c. 21.: *rupices et adhuc feri homines*, et lib. de anima c. 6.: *Animae rupicum et barbarorum. Idem.*

Petauristae. (Ad p. 197.) Mechanici dicti sunt *petauristae*, quia in machina vel rota traiiciebant sese desperata audacia. Martialis (XI, 22.):

Quam rota transmisso toties impacta petauro.

Aristophanes ἐν Δαιδάλῳ apud Grammaticos:

Ὁ μηχανοποιός, ὁπότε βούλῃ τὸν τροχὸν
Ἐᾶν ἀνεκάς, λέγε, χαῖρε φέγγος ἡλίου.

Tanquam periculosissimum esse traiicere se per rotam, propterea dixit: O petaurista, quotiescunque vertes rotam mechanicam, potes supremam dicere vitae tuae. Nam et hic quoque μηχανοποιός, qui Lucillio Mechanicus. Dictus petaurista ἀπὸ τοῦ πετεύρου. Est autem πέτευρον seu πέταυρον tabella parieti affixa, ad quam vespere gallinae se volatu recipiunt, ut pernoctent. Quia mechanici isti ad rotam illam se saltu subiiciunt, propterea πεταυρισταί dicti. De quo multa aliquando dicemus in Manilium, poetam eruditissimum. Sumitur et pro saltatore tantum et eo, qui flexu corporis multa schemata edit. Varro Epistola ad Caesarem: *Cum vocat Ptolemaeum κίναιδον, ἰαονικόν, πεταυριστήν, διονῆν, αὐλοποιόν.* Quae manifesto dicta sunt de Ptolemaeo Aulete rege Aegypti. Locus Varronis in Nonii (pag. 56. Merc. s. v. *Petauristae.*) codicibus depravatus est. Nos, ut legendum putamus, posuimus. *Scal.* Πρὸς ἀέρα. Πρὸς αὔρας. *Goth.* Mercerius sic edidit apud Nonium: *Cum vocat Ptolomaeum cinaedologon, Nicora petauristen, Diona* αὐλοποιόν. Ceterum cf. Passow. in Lex. Gr., qui πέταυρος a πέδαυρος dictum putat, quod Aeolicam formam existimat pro eo quod est μετέωρος.

Petoritum. Recte Aeolice dictum ait πίτορες, quatuor. *Scal.* Gallicum vocabulum faciunt Varro (ubi Varro dixerit, non reperio) Quintilianus (I, 5.) Gellius (XV, 30.). perperam. Est enim Aeolice dictum. Nam Aeolicum πέτορες quatuor, et ab Aeolis Osci *petora* accepere. Et Massiliensium, a quibus Galli didicere, dialectus erat Aeolica, quippe qui venerant ex Phocea Aeolidis urbe. Etsi nonnulli eam Ioniae vindicent. Cambri hodie dicunt *pedvuar* et Britanni Galliae *penar. Dac.* Verum est, Gallicum vocabulum esse *petoritum*, licet dubium, utrum Romani a Gallis acceperint. Quod enim Latini *quatuor*, Graeci et Osci πέτορα petora (τέσσαρα), id Galli *pedvar, pedvodar*, Gothi *fidvor*; quae omnia nituntur Indico vocabulo *tschatur*, quatuor.

Petimen. Glossarium: *Petumen* κτήνους ἕλκος. Servius Danielis paulo aliter: *Pleiades signum est ante genua Tauri, quod Graeci ὕβον dicunt, id est petimen.* Mirum autem Festum, ut probaret in suilla esse nescio quid, niti testimonio Naevii, qui dixerit *petimine piscino*, cum manifesto intelligere videatur, quod κλειδίον in thunno vocatur. *Scal.* Dalecampius ad Plin. lib. II. c. 37. non *petimine piscino*, sed *petimine porcino* legit, hunc Festi locum laudans. *Dac.* Est et apud Nonium (p. 160. Merc.) *Petigo genus morbi. Goth.*

Pennas. (Ad p. 197.) Vide *Poesnis. Ant. Aug.* Verba Festi paulo aliter Schedae: *Pennas antiquos fertur appellasse pecnas ex Graeco, quod illi* πετηνά *ea, quae sunt volucria dicant. Item easdem pesnas, ut coesnas.* Optime, πτηνά, πετηνά, Aeolice πτέννα, eliso τ *penna.* Sed unde *pecna?* Ex Graeco *πετηνά?* An πετηνά eliso η πετνά, τ mutato in κ, πεκνά, pecna, pedna, penna? *Dac.* Sic *dusmosus*, dumosus, *posno*, pono, *poesna*, poena, *caesna*, caena cet. Sic *immo* particulam pro *ismo* dictam, quod a stirpe pronominali *i* et syllaba *sma, smo*, quae saepe in pronominibus tertiae personae Indicis apponitur, ortum esse ostendit Bopp. über einige Demonstrativstämme cett. pag. 21. qui praeterea conferri iubet haec: *tasmai* Sanscr. *huic, tamma* Goth.; *asmi* Sanscr. ἐμμί et εἰμί Graec.; ἄσμες, ἄμμες, ὔσμες, ὔμμες cet.

Pictor. (Ad p. 197.) Sunt hic nonnulla mendosa, quae non facile emendari possunt. *Ant. Aug.* Legendum *pictam a se γραῦν*, et *cum versiculos ad id retulit et ineptia pari et nullius praetexto nomine.* Nam τὸ *praetoris* frustra emendare conantur, cum conflatum sit ex sequenti voce. Itaque delendum. *Scal.* Ut illud *pretii*, quod in schedis, *nullius pretii* praetexto nomine. Versiculi a Verrio adducti ita legendi et distinguendi. Sunt enim senarii:

Nam quid modi facturus risu denique
Ni pictor fieri volt, qui risu mortuu 'st.

Dac. *Γραῦν* alii *γράνην*. *Goth.* *Praetoris* auctoris, alii *poetae*. *Idem.* Verba: *et nullius praetoris* haud dubie legenda sunt: *et nullius poetae*. Et in superioribus pro *risui mortuus* lege *risu emortuus*.

Picta. Livius lib. XXX.: *Masinissa toga picta et palmata tunica donatus.* At lib. XXXI.: *Masinissae dona missa, vasa aurea, toga purpurea, et palmata tunica.* Ergo picta et purpurea idem. Addit Livius et *togam praetextam datam*. Sic purpurea est ὁλοπόρφυρος, praetexta περιπόρφυρος, palmata erat tantum triumphalis. *Scal.* Lege infra: *eius rei argumentum est duplex pictura.* Putat hic Festus, togas pictas olim ex pura et ab omni Phrygionio pigmento nuda purpura constitisse, illiusque purpurae nitorem et splendorem picturae locum obtinuisse, eo fretus argumento, quod in aede Vertumni et Consi purpureas duas togas spectarit nullo alterius materiae pigmento affectas. Sed hoc exemplo nihil probat Festus, nam picta purpura erat triumphalis illa quidem, sed quam tamen omitterent quicumque vellent, uti omiserunt plerique, Fulvius Flaccus, Papirius Cursor et alii, purpurea tantum toga contenti. Cui aliunde, quam ex Phrygioniae acus pictura, facile splendor accersebatur, laticlavio scilicet limbo et textilis auri plagulis ei circumiecto, aliquoties tamen et picta toga et purpurea pro eadem sumebantur. Sic Livius togam Masinissae datam nunc lib. XXX. cap. 15. *pictam togam*, nunc lib. XXXI. cap. 11. *togam purpuream* vocat, hic splendidioris tantum purpurae, illic Phrygionii pigmenti habita ratione. Vide Manut. de rebus per epistolam quaesitis lib. II. Ep. 1. *Dac.* *T. Papirius.* L. Papirius. *Goth.* *Tunica autem palmata.* Quomodo palmata a latitudine clavorum? An putat Festus palmatam tunicam a laticlavia tunica non differre? Ridiculum, quasi vero triumphantes magnificentiori veste usi non fuissent, quam vulgari lato clavo. Scilicet non meminerat Festus, palmea folia et palmeas coronas germana fuisse Victoriae symbola, triumphum exornantia, iisque ex auro tunicas elegantissime descriptas palmatas semper fuisse vocatas. Tamen Manut. lib. II. de reb. per epist. quaes. ep. 4. conatur ostendere, latum clavum a palmata tunica non differre, sed frustra. *Dac.*

Pietati. Eam aedem vovit Manius Acilius Glabrio, qui proconsule de rege Antiocho triumphavit, dedicavit filius in foro olitorio et illic statuam auratam patris, quae prima omnium in Italia statua aurata fuit, posuit. Liv. lib. XL. (c. 34.) de filia, quae matrem, et de altera, quae patrem in carcere aluit. Val. Max. lib. V. cap. 4. Hyg. fab. 254. *Ant. Aug.* Liv. lib. XL. cap. 34. Pub. Victor in 11. regione. Mulierem Xantippen vocat Hyginus et patrem Myconem; alii Cimonem patrem dicunt. Solinus de matre et filia hanc historiam narrat cap. 7. *Dac.* Adde Aelianum (non invenio locum.). *Goth.* *Impunitas.* Impunitus. *Idem.* *Concessa.* Concessus. *Idem.*

Pendere. Vide *Dispensatores*. *Ant. Aug.* . . *oe.* *Pendere poenas de eo proprie dicebant, qui ob delictum pecuniam solvit, quia penso aere olim utebantur.* Et ita postea Schedae. Glossar.: *Pendo poenas δίκας τιννύω.* *Dac.* Gloss.: *Τίνειν τιμωρίας.* *Goth.* Nimirum post v. *Pendere*, eiusque explicationem sequitur alius articulus in Scal. Aug. Dac. editionibus, qui in nostra infra legitur post v. *Portunus*, qui in schedis mutilus est, cuiusque fragmenta exstant haec: *oe . . . ob . . . ntur . . . .*

Penetrale sacrificium. Larium Deorum sacrificium, ut opinor, nam et ipsi *penetrales* dicti. *Dac.* Adde supra *Herceus Iupiter.* Glossis: *Penetralia ἐνδότατα.* *Goth.*

Peniculi. Gloss.: *Peniculus, penicillus, σπόγγος.* Aliae Gloss.: *Peniculum, σπογγεῖον, σπογγάριον.* *Dac.* *Caudae.* Codae. Vide *Penem.* *Goth.* Cf. Döderlin. Syn. Lat. tom. IV. pag. 149.

Penetrare, penitus intrare. Ac per vim. Vide Festum in *Penetrare.* Glossis: *Penetrat, διαπερᾷ.* *Goth.*

Pennatas. Theophrastus alicubi in περὶ ἱστορίας φυτῶν ait a rusticis teneriores spicas ἄρνας vocari. *Scal.* Spicis pennae tribuuntur. Agna autem minores spicae in Saliari carmine vocabantur imitatione Graecorum, qui ἄρνας dicunt. Theophrast. lib. VIII. cap. 7.: *Καὶ οἱ στάχυες μικροὶ καὶ τούτους, οὓς καλοῦσιν ἄρνας.* At Ioannes Auratus, referente Fruterio lib. II. cap. 8. *agnas* dictas putavit a Graeco ἄχνη, *acus*, et paleae minutissimum illud, quod excutitur in tritura, ἄχνη, χ mutato in γ, ἄγνη, *agna*. Pennatae autem agnae, quod *pennum* acutum veteres dicebant. Isidor. in gloss.: *Pennum bis acutum.* *Dac.*

Penora. In fine lege *penarium*. *Scal.* *Τὰ πρὸς τὸν βίον ἐπιτήδεια.* Gloss. et Scaevola iurisconsultus: *Penus, quod poculentum et esculentum penarium.* Ita enim legendum, non *penarius*. Cella penaria promptuaria. Varr. (pag. 162. Sp.): *Penarium, ubi penora custodiuntur. Penarium* idem quod *cellarium*. *Dac.* Gloss.: *Poenaria cella et Promontorium* (legendum *Promptuarium*) *ταμεῖον.* Ceterum penus et penum dici authorem est Nonius (pag. 219. Merc.). Glossae: *Penum ὅσα εἰς πόσιν καὶ βρῶσιν συναθροίζεται.* Vide tit. ff. de pen. legat. Gell. IV., 1. *Goth.*

Pentathlum. Graece πένταθλος et ipsi ludiones pentathli. Nam quamvis essent veteribus octo genera certaminum, nempe *Stadium*, 125. pass., *Diaulus* duplex stadium, *Dolichus* 12. stad., vel, ut alii, 24. *Oplites* sive *Oplitodromus*, cursus cum armis, *Cestus*, *Pancratium*, quod reliqua complectebatur, *lucta* et *saltus* ea vulgo ad quinque referebantur, nempe ad *Pentathlum* sive *Quinquertium*, quae in unum versum coniecit Simonides:

Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Vide *Quinquertium*. *Dac.* *Quinquartium.* Quinquertium. *Goth.*

Pescia. (Ad p. 197.) Pellis agnina a Graeco πέσκος, quod a πέκος. Hesych.: πεσκέων, δερμάτων. Item: πέσκον ἢ κώδιον ἢ δέρμα. Dicitur etiam et πέσκα. *Dac.* Ab Indico nomine *paçu*, quod *pecus* significat, etiam πέσκος et *pescia* et πέκος descendere, credibile est.

Pisatiles. Pisatiles sunt οἱ Πισᾶται. Memoria lapsus sum olim, qui destitutus codice Festi annotavi, Picenos olim a Naevio *Pisatiles* dictos, unde etiam hodie fluvium Pisatellum dici. Ego plane hallucinatus sum, cum haec memoriter scribebam. Petoque a candidis Lectoribus, ut et hoc, et si quae similia dicta sunt, quae mihi cum omnibus communia sunt, qui meminerunt et se homines et a se nihil humani alienum putant, omnium mihi veniam facere. Porro Pantaleon iste Omphalionis filius fuit, ut ait Strabo, καὶ Πισατῶν ἡγεμών. *Scal.* Pisa autem Peloponnesi urbs, et regio *Pisates*, de quibus vide Strab. Pausan. Pindari Schol. et Servium ad illud Aeneid.: *Alpheae ab origine Pisae* (Ge. III, 180.). Schedae *pisalitem* pro *pisatilem*, et ita legendum videtur *Fulv. Urs.* *Dac.* Puto scribendum esse *Pisatem*, quod ut saepe factum invenimus, compendium subodoratus librarius *Pisalitem*, editores *Pisatilem* fecerunt. Utrumque nihili.

Pedibus. Plaut. in Curcul. (IV, 2, 14.):

Item genus est lenonum inter homines meo quidem animo;
Ut muscae, culices, pedesque, pulicesque cimices.

Ant. Aug. *Pedicosus.* Alibi ostendo, Festum in vitiatos codices Titinnii incidisse, ut legerit *pedicosus* pro *pedidosus*. Cuius sententiae adhuc me non poenitet. Nam si nihil aliud, certe lex versus aperte docet. Feminino genere extulit Plautus Vidularia:

Ubi quamque pedem videbat, suffurabatur omnis.

Pedidosus autem a pedido. Lucilius:

Quod deformi senex, quod pedidus ac podagrosus.

Ita enim legendum. *Scal.* In aliis quidem scriptoribus fieri potuit, ut Festi tempore *pedicosus* pro pedibus obsito legeretur. Recte enim a *pede pedicosus*, ut a *tenebrae tenebricosus*. De loco Lucilii vide in *Palpatur*. *Dac.* Adde *Paedidos*. *Goth.* *Livius.* Naevius, Novius. *Idem.* Adde Voss. Etym. v. *Pediculus*.

Pesestas. Lege: *quae inter precationes*. *Scal.* *Pestis* pro *perestas*, quasi *perestis* a peredendo. Nisi cum Meursio legas: *Pestetas*, quomodo *tempestas*, *tempus* etc. Pro *interpretatores* lege *inter precationem*, ut in edit. Romana. Precationem intelligit, quae fiebat, dum agri lustrarentur, cuius formula apud Caton. de re rust. cap. 141. et apud Tibull. Eleg. 1. Lib. II. *Dac.* *Persestas.* Pestitas. Dicitur etiam Nonio *Pestilitas* et Glossis Pestimus λοιμοφόρος et Gell. XIX. cap. 7. *Pestilenta loca* et in lege 4. Cod. de aedilitiis actionibus *pestilis fundus* vel *pestibilis fundus*. *Goth.* Cf. Voss. Etym. s. v. *Pestis*. Doederlin. Syn. Lat. tom. II. pag. 60., qui non a *per* et *edere* compositum existimat, sed a *per* praepositione derivatum ostendit, quemadmodum *egestas*, *maiestas*, *tempestas*, a radicibus *eg*, *maj*, *temp*, deducta esse appareat. *Per* autem mali notionem aliquam habuisse, ostenditur in verbis *perire*, *pernicies*, *peior* (*perior*) *pessimus*, quare *pestis* quoque a *per*, assimilatione quadam litterarum ortum esse intelligitur. Nollem tamen, ut Doederlinus radicem *per*, *pes* confundisset cum praepositione *per*, quae mihi alia plane et ab radice illa *per pes* aliena videtur. Nimirum *per* et *pes*, unde *peior*, *pessimus*, *pestis*, *pestilentia*, *pesestas*, alia, fontem habent pronomen Sanscritum *para(s)*, alius, remotior, unde *pâr* verbum, finire, et *pâra*, finis, ripa; ut communis notio *exitus* et *interitus* illis omnibus subsit. Nisi forte ipsa praep. *per* (Sanscr. *pari*, Graec. περί) indidem sit derivanda. Ceterum pro *possunt* lege *potest*. Alii maluerunt *possit*.

Pedum. Vide Coniectanea (pag. 40. Ed. St.). *Scal.* Idem Servius (pag. 29. ed. Dan.): *Pedum virga incurva, unde retinentur pecudum pedes.* Sed potius *pedum* a fulciendis pedibus. In verbis Ennii optime Verrium arguit Festus. Nam quis non videt *pedum* hic esse secundi casus a pes, pedis. Neque tamen ipse recte verborum ordinem tradit, neque enim τὸ *cessas* cum *proferre gradum* coniungendum est. Sic igitur distin-

gue: *Procede: gradum proferre pedum nitere: cessas?* Id est cessas procedere et niti gradum proferre? cessas imperata facere? quae sunt ex Iphigenia Euripidis ab Ennio translata (Iphig. in Aulid. v. 138. seq.):

Ἀλλ' ἴθ' ἐρέσσαν σὸν πόδα, γήρᾳ
Μηδὲν ὑπείκων.

Infra pro *id ipsum iaculum:* lege *id ipsum baculum.* Pedum enim *baculum*, non *iaculum* interpretatus est Verrius. *Dac.* Locus Virgilii est Eclog. V, 89.

Pedem struit. Glossarium recte φεύγει interpretatur. *Scal.* In lege XII. tab.: *Si in ius vocat, nei it antistator, igitur im capito: si calvitur pedemve struit, manum endoiacito.* Vide *Struere. Dac.*

Pistum. (Ad p. 198.) Locus mendosus et mancus. *Ant. Aug.* Scribe: *pro molitum.* Varro de vita populi Romani libro primo: *Nec pistoris nomen erat, nisi eius, qui ruri far pinsebat; nominati ab eo, quod pinseret.* Idem ταφῇ Μενίππου: *Nec pistorem ullum nossent, nisi eum, qui in pistrino pinseret farinam.* At temporibus ultimis reip. et deinceps pistores, ut notum vulgo, οἱ ἀρτοποιοί vocabantur. Et Plautus fuit pistor, cum trusatiles molas versando operam locasset. Minucius Felix (XIV, 1.): *Octavius homo Plautinae prosapiae, ut pistorum praecipuus, ita postremus philosophorum.* Frustra hunc locum Festi suspectum habent docti viri, tanquam integer parum sit ac mancus. Porro veteres dicebant *Piso*, non *Pinso*, quia a Graeco πτίσσω, ut alibi notavimus, unde *Pisare* calcare. Seneca epist. 87.: *In terram non aggessit tantum, sed et calcavit et pressit. Negat quicquam esse hac, ut ait, pisatione melius.* Ita liber doctissimi N. Fabri, quem cum veteribus diligentissime contulit. *Scal.* Vide *Coquus. Dac.* Alii legunt *a pisando.* Est enim *pisare* Nonio (p. 163. Merc.) frangere, tundere, ab eo glossis uno loco Pisaculum, alio Pistaculum, quod ὕπερον Pilum. *Goth. Politum.* Molitum. *Idem.*

Pedarium. (Ad p. 198.) Vide Gell. lib. III. cap. 18. *Ant. Aug.* Χαμαιδικαστής. Constitutiones Graecae, Theophilus, Glossae. *Scal.* Qui sententiam in senatu non verbis diceret, sed in aliorum sententiam pedibus iret. Vide *Acupedius. Dac.* Alius est a Pedaneo iudice, qui Glossis χαμαιδικαστής. *Goth.*

Piscatorii. Varro lib. V. de L. L. (Lib. VI. p. 202. Sp.) scribit Volcanalibus populum animalia pro se in ignem mittere solitum. Ea autem non mense Iunio, sed X. Kal. Sept. fiebant. Ovid. tamen lib. VI. Fast. ludos Tiberinos et piscatorum refert hoc mense fieri. Sunt qui scribant, non a Pr. urbano, sed a populo Ro. urbano ludos fieri, quod mendum ab indocto librario ad doctos quosdam viros penetravit. In veteri quidem libro, unde ceteri orti sunt, ita est, ut hic scripsimus. Piscem vivum pro anima hominis in sacrificio oblatum, testis est Ovid. lib. III. Fastor. *Ant. Aug.* 8. Idus Iunii. Ovid. Fast. lib. VI, (235.):

Tertia post novas removere Lycaona Phoebe
Fertur, et a tergo non habet ursa metum.
Tunc ego me memini ludos in gramine campi
Adspicere, et didici, lubrice Tibri, tuos,
Festa dies illis, qui lina madentia ducunt,
Quique tegunt parvis aera recurva cibis.

Volcanalibus populum pro se in ignem animalia misisse scribit Varro lib. V. (VI, pag. 202.): *Volcanalia a Volcano, quod ei tum feriae et quod eo die populus pro se in ignem animalia mittit. Dac.* Adde infra *Pollucere merçes.* Arnob. V. *Goth.*

Piscinae. (Ad p. 198.) Lege: *unde Lucilius ait:*

Obtuso ore, pugil, pisciniensis, reses.

Pugiles sunt obtuso ore propter pugnos, quos in os recipiunt. Unde illud: *os nullum, vel potius pugilis.* Proverbium est apud Plautum in Casina (V, 1, 8.) *obtuso ore* vel *obtunso*, cum quis spe vel instituto deiectus pudore suffunditur; ab iis, qui nihil praeterquam in os messem pugnorum, ut loquitur Plautus, reportarunt. *Scal.* Martial. (III, 44, 13.):

Piscinam peto, non licet natare.

Turnebus lib. XVI. cap. 22. emendat:

Obtuso ore pugil piscinensisque resesque.

Dac.

Pectinatum. Quod in duas partes devexum est et ad similitudinem pectinis tectum, ut *testudinatum* Vitruvio, quod ex quatuor, ad similitudinem testudinis. *Dac. Pectenatum.* Pectinatum. *Goth.*

Piari. (Ad p. 198.) Gloss.: *Piare* ἁγνίζειν, καθαίρειν, ἐξιλάσκεσθαι. *Dac.* Nonio (p. 370. Merc.) Piare est expiare, purefacere, condere, consecrare, eidem in dictione *Piem* (p. 151. Merc.) procolere et custodire, et

Pium (pag. 371. Merc.) religiosum. Glossis Piacula ἀποτροπιάσματα, ἁγνιάσματα; Piatur ἁγνίζεται, καθαίρεται; iisdem ἁγνίζω Piago, Purifico; ἀποτροπιάζω Propiaculo expio; ἀποτροπαστήριον piaculum. Quin apud Nonium *piare* idem plerumque, quod impiare et contaminare. Hinc glossis piacula μολύσματα. Est autem iisdem glossis μολυσμός contagium, inquinamentum a μολύνω, quod est attamino, contamino, inquino, polluo, incesto. Id ipsum etiam confirmant eaedem glossae, quibus piacula λύματα, quod est inluvies et καθάρσια. *Goth.*

Pignosa. (Ad p. 198.) Optime viri docti pro *Pinosi*, *Pilesi* restituunt: *Pinasi*, *Papisi*. Pinariorum et Papiriorum familia satis nota. *Dac.* *Pilesi.* Palisi, alii *Plualii*, alii *Pinasii.* *Goth.*

Pectuscum. (Ad p. 198.) Legendum *pecuscum palatii. Pecuscum* a pecore, quod ea parte pecora pascerentur. *Dac. Pectuscum.* Petuscum. *Goth. Quia.* Qua. *Idem. Aliquos.* Aliquot. *Idem.*

Peculatus. Quod Paulus ait aliquando Romanos praeter pecudes nihil habuisse, falsum est. Verum tamen est, a pecoribus pecuniam appellatam et eisdem esse primum aes a Servio Tullio signatum ovium boumque effigie, ut Varro ait lib. II. (I, pag. 60. Steph.) de re rust. et lib. IV. de L. L. (V, pag. 95. Sp.) Plin. lib. XVIII. cap. 3. Festus v. *Pecuniam.* Neque enim verum est, Menenio et Sestio consulibus, aut etiam ante legem Tarpeiam aes non fuisse signatum. Argentum tamen signatum plures ferunt paucis annis ante bellum Punicum primum. Nonnulli ad Servium referunt tam argentum quam aes signatum. Lege autem Tarpeia constitutum est, ut duas oves 30. boves multa non excederet. Lege Menenia oves decussi, boves centussi aestimatae sunt. Festi autem verba ostendere videntur, Meneninm consulem ante Tarpeiam legem fuisse: medioque tempore aes argentumque fuisse signatum. Vide *Multam* et *Ovibus* et *Aestimata.* Quae omnia inter se et cum his minime conveniunt. Vide etiam Gell. lib. II. cap. 1. Peculatus autem nihil habet cum multa commune. Ideo totum hoc caput et Verrio et Festo indignum est. *Ant. Aug.* Veteribus proprie dicebatur, cum multa, quae pecore dicta erat, per fraudem avertebatur, sed postea de quolibet furto dici coepit. Vide *Depeculatus. Dac.* Quod ait Paulus antiquos Romanos nil praeter pecora habuisse, id manifesto falsum est vel ex superioribus Festi verbis, quae in fine τοῦ *patres* leguntur: Quin solebant iam inde a Romulo nummis argenti signati ultramarinis uti. *Idem. Peculatus furtum publicum dici.* Hic certe Festus sui oblitus est. Nam falsum Menenio et Sestio Coss. aut ante legem Tarpeiam aes non fuisse signatum. Falsum est etiam Menenium et Sestium ante Tarpeiam legem consules fuisse. Nam Tarpeius Montanus Capitolinus et A. Aterius Fontilanis Coss. fuerunt anno urbis 300. Hi legem sanxerunt, ut duas oves et 30. boves multa ne excederet, quae lex et Tarpeia et Ateria dicta est. At P. Sestius Capitolinus et L. Menenius Lanatus consulatum gessere anno 302. His lata lex Menenia, qua oves singulae decussi, boves centussi aestimati. Tamen ex Dionysio (lib. X. *Goth.* cap. 50. pag. 674.) et Gellio illud etiam in lege Tarpeia videtur expressum fuisse, ut ne multa duas oves et triginta boves excederet et cum ea multa diceretur, bos centussi, ovis decussi aestimaretur, quam legem postea sanxerunt Sextius et Menenius. Ita cum Hotomanno Festi verba sic invertenda: *Poena gravissima erat duarum ovium et triginta boum, quae pecudes, postquam aere signato uti coepit populus R. Tarpeia lege cautum est, ut bos centussibus, ovis decussibus aestimaretur. Eam legem sanxerunt T. Menenius Lanatus et Sestius Capitolinus Consules. Idem. Peculatus est.* Adde supra *Depeculatus. Goth. Ut pecunia.* Vide supra *Abgregare. Idem. Noxii.* Noxiae. *Idem. Ea lege.* Eam legem. *Idem.* Lege: *duarum boum et triginta ovium.* Cf. Dionys. l. c. qui δύο βόας καὶ τριάκοντα πρόβατα exhibet. Ceterum res aliunde nota.

Piatrix. Quam infra *Simulatricem* vocat, eam eodem sensu *fictricem* vocavit Tertullianus de carn. resurrect. Sic autem dicebatur, quod ea, quae in sacris suis repraesentari non poterant, ficta et simulata adhiberet. Virgil. (Aen. IV, 512.):

Sparserat et latices simulatos fontis Averni.

De quo plura apud Theocritum nostrum. *Dac. Simulatricem* alii *simpulatricem:* alii *similatricem. Goth. Alii sagam.* Vide infra *Praesagitio* et Non. (p. 22. M.) in *Sagae. Idem. Expiatricem.* Iuvenal. (Persius Sat. II, 31.):

Ecce avia ac metuens divum matertera cunis
Exemi puerum frontemque atque uda labella
Infami digito ac spumantibus ore salivis
Expiat.

Glossis *expiare*, ἀποτροπιάζειν. *Idem.*

Piacularis porta Romae. Quod ad eam purgationes et sacrificia fierent, quae *piacula* dicebantur. Cloatii sive Cluentii verba corrupta sunt. Tentabam: *Cum ea facto per aliquem piaculo solvitur, vel ad eam piandi propitiandique caussa immolatur. Dac. Ut aliqua.* Ut alicuius. *Goth.*

Pigere. Interdum pro tardari. Inde *piger.* Sic Glossis: *Piget, ὀκνῶ; Piger, ὀκνηρός.* Adde Festum in *Pigrare. Goth.*

Pangere. Vide *Impages.* Quae desunt supplebis ex epitome. *Dac. Vel figi.* Id est figi. *Goth.*

Pegasides. Fulvio Ursino nostro magis placet: *appellatus est Hippocrene*, ut ad fontem referatur. *Ant. Aug.* A fonte Pegasi. Pegasus dicitur ungula fontem aperuisse, qui ideo Graecis dicitur Hippocrene. Neque enim unquam invenias a veteribus musas dictas fuisse Hippocrenas. *Dac. Pegasides.* Pegides. *Goth.*

Pipatio. Pipare Osci dicebant eiulabunde conqueri, voce a cantu Gallorum efficta, quomodo et Graeci *περικωκύειν* Aristoph. Inde *pipulus* et *pipulum* ploratus. *Dac.* Hinc *pipiare* apud Tertull. I. advers. Valentin. sumitur pro plorando vocem emittere. Apud Nonium (p. 152. Merc.) vero pipulum convitium. *Goth.*

Pimpleides. A fonte Pimpleo, qui a Pimplia, quae civitas et mons est circa Heliconem. Alii in Macedonia ponunt. Thraciae ascribunt Schol. Callimachi et Apollonii. Idque etiam verum est, si primam eorum locorum originem, non vero situm respicias. Pieres enim Thracica gens occupata Macedoniae quadam parte, inde in Boeotiam irrupere, ibique Heliconem Musis et antrum Libethridum nympharum dedicarunt. Id obiter innuit Strabo lib. IX, (pag. 410.), cuius locum describam, quia et insignis est et omnino ab interpretibus male acceptus: *Ἐνταῦθα δ' ἐστὶ τό τε τῶν μουσῶν ἱερὸν καὶ ἡ ἵππου κρήνη καὶ τὸ τῶν Λειβηθρίδων νυμφῶν ἄντρον, ἐξ οὗ τεκμαίροιτο ἄν τις, Θρᾷκας εἶναι τοὺς τὸν Ἑλικῶνα ταῖς μουσαῖς καθιερώσαντας, οἵ καὶ τὴν Πιερίαν καὶ τὸ Λείβηθρον καὶ τὴν Πίμπλειαν ταῖς αὐταῖς θεαῖς ἀνέδειξαν, ἐκαλοῦντο δὲ Πίερες· ἐκλιπόντων δὲ ἐκείνων Μακέδονες νῦν ἔχουσι τὰ χωρία ταῦτα· εἴρηται δ' ὅτι τὴν Βοιωτίαν ταύτην ἐπῴκησάν ποτε Θρᾷκες βιασάμενοι τοὺς Βοιωτοὺς καὶ Πέλασγοι καὶ ἄλλοι βάρβαροι.* Sed dicet aliquis, quomodo ex eo, quod in Helicone sint fanum Musarum et Libethrum, coniicere quis possit, Thracas Heliconem Musis consecrasse? Respondeo solos Thracas Musicas artes olim tractavisse iisque inclaruisse, ut Orpheum, Museum, Thamyrin, eosque primos Musas coluisse, adeoque cum ex historiis certum esset Thracas loca illa insedisse, prona erat coniectura, eos etiam, non alios, Heliconem consecrasse. Sed et ex sola locorum appellatione ita ratiocinatus est Strabo. Nam cum in Helicone esset Libethrum, ex eo collegit Thracas illud consecrasse. Nam Libethrum, Pimpla, ut Olympus et Pieria, Thraciae fuere loca et montes, ut et ipse Strabo docet alibi. A Pimpleo igitur Pimpleides, Pimpliades, et Pipleides. Varro lib. VI. (VII, pag. 307. Sp.). Ita enim ab terrestribus locis cognominatae Libethrides, Pipleides, Pimpliades, Thespiades, Heliconiades. Hinc et musa Pimplea apud Horat. Od. 26. lib. I.: *Pimplea dulcis. Dac. Pimpleides.* Pipleides vel Pepleides vel Pecteides. *Goth. Subtilitatem*, alii *foelicitatem*, alii *facilitatem. Idem.*

Petissere. Vide supra pag. 561.

Pippit. Pirpit. Osci pro *quid* dicebant *pir* sive *pit*, unde *pirpit*, *quicquid.* Sic iidem *piam* dicebant pro *quam*, unde *quispiam*, *nuspiam.* Vide *quispiam. Dac.* Nimirum *pis*, *pit* apud Oscos dicebatur pro *quis*, *quid*, ex Sanscrito *kis*, *kit.* Mutatio gutturalis in labialem frequens fuit apud Oscos, quemadmodum ostendit *quatuor*, *petora.* Cf. Müller die Etrusker tom. I. pag. 30. *Nuspiam* utrum in Latinum sermonem transierit, dubium est; *uspiam* certum est, quare vix dubitari poterit, etiam *nuspiam* fuisse in usu.

Picena regio. A Sabinis ortos Picenos et a Pico duce itineris dictos refert Strab. lib. V. (p. 240.) Picena regio hodie *Marche d'Ancone.* A Picenis sive Picentibus orti Picentini ad mare Tyrrhenum. *Dac.* Adde supra *Peligni. Goth.*

Perditum. Interit. Interiit. *Goth.*

Perbitere. Plaut. in Pseud. (III, 1, 12.): *Eum oras cruciatu maximo se perbitere.* Et in Poenulo (V, 3, 43. seq.): *At ne inter vias Perbiteramus eas mutuo.* Illic perire, hic praeterire significat. *Ant. Aug.* Locus Plaut. est e Pseudol. III, 1, (12.). Vide Nonium (pag. 153. Merc.). In quibusdam legitur: *Praebitere. Plautus pro praeire.* Sed eo usum fuisse Plautum nusquam invenies, sed *τῷ praeterbitere* praeterire. Vulgatam igitur lectionem retineo. *Dac.*

Peregere. Lego *Pergere*, unde *Pergiscor* et compositum *expergiscor. Scal.* Sed nihil mutandum. *Peregere* enim dicebant, a quo *pergere*, *pergisci*, *expergisci. Dac. Peregere.* Peregre. *Goth.* Haud dubie propterea *Pergere* enotavit Festus, ut transitivam eius potestatem ostenderet.

Pergite. Verg. Eclog. 6. *Ant. Aug.* (v. 13.).

Pergraecari. Intemperantius bibere Graecorum more, qui remotis epulis maioribus poculis pocebant. Cic. in III. Verr. (I. Verr. 26, 67.): *Fit sermo inter eos et invitatio, ut Graeco more biberetur. Hortatur hospes: poscunt maioribus poculis.* Glossae *pergraecari* exponunt *ἑλληνίζειν* alio sensu. *Dac.*

Permissus. Vide *Promissus* et *Pro. Ant. Aug.* Suspicor: *Permissus idem quod promissus appellant, a quo etiam permissus agnus dicitur, qui annis compluribus non est tonsus.* Nihil aliud video. Ait Festus, permissum agnum dici pro *promissum*, id est cui lana promissa sit, sed mihi non persuadet, cum vix ita dici putem promissum agnum. Certe scio, permissum agnum eum esse, quem Graeci ἀνειμένον dicunt, i. e. relaxatum, solutum, dimissum, adeoque Deo consecratum et intonsum. *Dac. Aries.* Agnus. *Goth.*

Pierides. Cur Musae dictae *Pierides* mire veteres dissentiunt, aliis a Pierio monte, aliis a Pierio quodam et aliis aliunde nomen ducentibus. Ego quae ex assidua lectione discere potui vel coniectura etiam assequi, breviter exponam. Pieres Thraciae olim populi fuere, qui propriis sedibus relictis Macedoniae partem aliquam, deinde etiam Boeotiam occupavere et in Boeotia Heliconem et antrum Libethridum Nympharum, et in Macedonia *Pieriam* et *Pimpleam* fontes musis dedicaverunt, unde Musae *Heliconiades*, *Libethrides*, *Pierides* et *Pimpleides.* Vide infra *Pimpleides. Dac. Quo.* Quod. *Goth.*

Percunctatio. Scribitur *percontatio* a *conto* et *percunctatio* a *cunctis.* Donat. apud Terent. Mihi prior scriptura magis placet, etsi aliter Festus, neque enim per cuncta interrogat, qui vel unicam rem percontatur. Infra pro *per cuncta visit* vett. lib. *percunctari sit*, unde optime viri docti *per cunctas res it. Dac. Per o solere scribi.* Et ita quoque apud Nonium (pag. 44. pag. 474. Merc.) in *Percontari* et *Percontat.* Gloss. *Percontatio* πύσμα; *Percontatur* πυνθάνεται. *Goth.* Cfr. Kritz. ad Sall. Catil. 40, 2. pag. 187. Dronke ad Tacit. dial. de Orat. pag. 59. et Addenda pag. 243.

Perfugam. Glossae Perfugam et transfugam αὐτόμολον interpretantur ex mente Aelii. At aliae glossae *transfuga* ἀποστάτης. Nam proprie *perfuga* dicitur, qui ab hostibus ad nos, *transfuga*, qui a nobis ad hostes discessit, etsi non observatur illud discrimen. *Dac.* V. l. 3. in fin. ff. de sicariis; l. 8. §. 2. 38. §. 1. ff. de poenis. l. 19. §. 8. ff. de captivis. l. 7. ff. de re militari. *Goth.*

Perfacul. Lege *Perfacul et per se, Facul*, hoc est, tam compositum *Perfacul*, quam simplex, *Facul.* Levis menda, sed quae errandi ansam doctis praebuit. *Scal.* Sed errat ipse Scaliger. Legendum enim unica voce *persefacul.* Antiqui enim *perse* dicebant pro *per*, sicut et *prose* ἀντὶ τοῦ *pro.* Inde prosemurium, quod postea *prosimurium. Dac.* Sic *perse moerens* et *permoerens.* Arnob. V. *Goth.* Vide supra *Facul. Idem.* De formis praepositionum *perse* et *prose* sive *prosi* tametsi nemo veterum prodiderit; tamen probabiliter coniecit Dacerius. Crediderim tamen *pers* et *pros* primitus dictum esse, quae forma deinde in *perse* et *prose* producta. Simili modo Indicae praepositiones *pari*, *prati* et *sam* in compositis vv. ante quasdam litteras, maxime ante *k*, assumunt *s*. De qua re cf. Bopp. Gramm. Crit. Sanscrit. reg. 111. pag. 70. Adde tamen eundem Bopp. in Vergleichende Zergliederung cet. in Scriptis Academiae Berolin. anni 1826. pag. 82.

Peremptalia. (Ad p. 199.) Vide *Postularia* et *Manubiae. Ant. Aug.* Vide *Peremere.* Lege infra *nam ut omina superantur. Dac. Gracchus.* Granius. *Goth. Ut.* Aut. *Idem.*

Perediam. Plaut. in Curcul. *Ant. Aug.* Eas venustate parasitus quasi provinciarum nomina commentus est. Curcul. act. III, (74.):

Rhodiam atque Lyciam, Perediam et Perbibesiam etc.
Subegit solus intra viginti dies.

Dac.

Peremere. Vel perimere non tam *prohibere* vel *vitiare*, quam omnino tollere ab *emo*, tollo. Vide *surrem sit. Per* autem intensivum est et infra in verbis Catonis *perimat* est tollat. A verbo *peremere* sunt *perempta* interfecta, quae omnino sublata sunt, item *peremptalia* fulgura, quae priora vi sua perimunt, i. e. tollunt, et *peremptorium edictum*, quod litem perimat, tollat. *Dac.* Cf. Doederlin. Syn. Lat. tom. III. p. 186. not.

Perihodos. (Ad p. 199.) Περίοδος circuitus. Unde in soluta oratione periodus dicitur longiori verborum circuitu circumscripta et circumducta sententia, quae constat membris et incisis, unde a Cicerone *ambitus*, *circuitus*, *comprehensio*, *continuatio*, *circumscriptio* dicitur. Vide Quintil. lib. IX. c. 4. In carminibus, non tantum lyricis, periodus cum sententia et spiritu certo versuum numero terminatur. *Dac. In Gymnicis.* Qui Nemea, Isthmia et Olympia vicerant periodo victores dicebantur et periodum vicisse. Νικᾶν τὴν περίοδον Graeci dixerunt. Athen. de Herodoto Megarensi: ἐνίκησε τὴν περίοδον δεκάκις. *Dac.*

Perempta. (Ad p. 199.) Vide *Peremere. Dac.* Locus Lucretii est IV, 44.

Persillum. Quod Paulus ait, apertum est, sed an idem Festum sensisse credendum sit, vehementer dubito. Rudiculum picatum esse vas, in quo sit unguentum, quaerendum arbitror. Flaminis quoque nomen suspectum est. Rudiculum a rudere fortasse dictum, et globum piceum vel picatum significat. *Ant. Aug.*

Legendum puto *Rudusculum picatum*, hoc est vas ex cavo informi saxo, quod rudus saxum impolitum sit. Legendum vero *ex quo*, *unguine* etc. Quidam, qui nobis veterum numismatum et aliorum monimentorum libros ediderunt, in iis libris Cantharum Persilli titulo proscripserunt et persillum pro perirrhanterio accipiunt. Risi, cum illa legi, non tantum quod Cantharum nulla ratione moti Persillum vocant, sed etiam quod, cum sententiam suam confirmare vellent, testimonio Festi id facere conati sunt. Lector vero eruditus iudicet, quid intersit inter persillum et περιῤῥαντήριον, tam profecto, quam inter unguen vel axungiam et aquam lustralem. *Scal.*

Persicum portum. Plaut. in Amph. Caenavin' ego in navi in portu Persico? et alibi. *Ant. Aug.* In Amphitruone I, 1. (v. 253.). *Dac.* Ibi vide quae a nobis annotata sunt.

Personata. (Ad p. 199.) Videndus Livius initio lib. VII. *Ant. Aug.* Quod ait histriones cogi solitos deponere personam, hoc fiebat, quando exsibilabantur, neque placebant. Macrobius (lib. II. c. 7.) loquens de Pylade histrione: *Cum in Herculem furentem prodiisset et nonnullis incessum histrioni convenientem non servare videretur, deposita persona ridentes increpuit: μωροί, μαινόμενον ὀρχούμεθα. Scal.* Atellani vero id ius habebant, ut nunquam personam ponerent. Neque etiam histrionum numero adscribebantur, neque tribu movebantur, stipendiaque tanquam expertes artis ludicrae faciebant. Liv. lib. VII. cap. 2. *Dac.*

Persicus. (Ad p. 199.) Omnino legendum *Persibus.* Vide tertium Coniectaneum (pag. 160. St.) atque adeo Varronem ipsum in fine libri VI. (VII, pag. 385.). Versum Plauti ita lege:

Nihil deconciliares illi, nisi quid persibus sapis.

Scal. Sibus est callidus et dicitur pro *sopus* vel *sophus*, ut *sispes* pro *sospes.* Vide *Sibus.* Sic apud Varronem *Persibe* lib. VI. (VII, pag. 385. Sp.): *Persibe, perite; itaque sub hoc glossema Callide subscribunt.* Versus Naevii corruptissimus est, sed ita proxime ad scripturam recte restitui possit:

Et qui fuerit, persibus captanda est ratio.

Callide, inquit, ineunda est ratio, quis iste fuerit. *Dac. Est.* Adst vel adest. *Goth.* Commode comparavit Dacerius *sospes* et *sispes.* Videmus enim frequentissimam illam in sermonibus Indogermanicis vocalium demutationem, de qua sagacissime exposuit Wackernagel in Jahnii Annal. Phil. 1831. Tom. supplem. I, 1. p. 17. seqq. Igitur Graecorum σοφός, σαφής, Latinorum *sibus*, unde compositum *persibus*, Sanscr. *çubhas* (*a*, *am*), splendidus, nitidus, prudens, satis ostendunt, qua ratione eadem verborum radix, per varias vocales *a*, *i*, *o*, *u* demutata, varias progenuerit significationes, sed cognatione tamen et similitudine quadam servata. Dubium tamen est, *sibus* et *persibus* utrum adiectiva sint, an adverbia. Scaliger ad Varronem pag. 160. St. *persibe* scribi iubet, ubi adverbii vim sententia requirit, quare etiam apud Varronem VII. pag. 385. Sp. *persibe* rescribit, ubi tamen libri omnes *persibus* et *persicus* praebent. Contra Festus infra v. *Sibus* reddit *callidus*, *acutus*, adiective.

Perpetrat. (Ad p. 200.) Mendosus locus et in ipso veteri libro R. litera notatus, ut error scriptoris significaretur. Pacuvii verba sunt valde mendosa. *Ant. Aug.* Non leviter haec contaminata sunt, quae, si veterem lectionem proponamus, nullo negotio in integrum restituerimus. Vetus lectio, ut admonemur ex notis marginis: *Neque perpetrare precibus imperia qui detinui patris spartam reponare instat.* Quae non parum adiumenti nobis ad veritatem indagandam contulerunt. Legimus ergo: *Pacuvius in Teucro:*

Neque perpetrare precibus, imperio, quiti.

et in Niptris:

Spartam repedare instat, id si perpetrat.

Neque quiti, hoc est *neque potuerunt.* Neque prece, inquit, neque imperio hoc peragere potuerunt. *Repedandi* verbo alibi utitur. Vide *Repedare.* Videtur tamen Pacuvius *Reponere* scripsisse propter versum. Quae dicta sunt de Menelao. Sed finem horum explere quidem verbis Festi non pollicemur. Sententiam autem Festi hanc esse putamus: Quomodo etiam sine praepositione usi sunt, quod conversum iam in turpem significatum. Nam *Patrare* turpe verbum est. Catullus, Persius, Glossarium: *Patrat*, μασᾶται, κακεμφάτως, ὡς εἰτ' αἰσχρῶς. Lege: ὡς ἐπ' αἰσχρῶν. *Scal. Quod conversum iam in consuetudinem.* Verbo *patrare*, inquit, sine praepositione pro perficere veteres usi sunt, quod nunc in consuetudinem abiit, eo enim frequenter nostri utuntur. Sic *patrare incepta*, *patratis consiliis* Sallust. Sic Lucret. Cicer. Tacit. Liv. Sed postea verbum illud inter obscena, quare Quintil. lib. VIII. cap. 3.: *Sive mala consuetudine in obscenum intellectum sermo detortus est, ut ductare exercitus et patrare bellum apud Sallust. dicta sancte et antique ridentur a nobis, si Diis placet* etc. *Dac. Perpetrat.* Perpetat. Glossis: *Perpetrat*, κατορθοῖ. *Perpetratio*, κατόρθωσις. *Goth. Quiti*, idem quod

potuerunt. Sic Glossis: *Quivit*, ἠδυνήθη. *Idem.* In altero Pacuvii versu rescribe: *Spartam reportari instat*, cet.

Pertisum. Vide *Redarguisse. Ant. Aug.* Infra: *Pertisum aliquando media i non e dixerunt, licet irrideatur a Lucillio, quod pertisum diceret, Scipio Africanus, qui Pauli filius fuit.* Vide *Redarguesse.* Idem Lucilius lib. IX. contra hanc cacozeliam ita legem orthographiae praescribit:

Iam puerei venere: e postremum facito atque i,
Ut plureis puereis fiant, i si faci' solum
Pupilli, pueri, Lucilli: hoc uniu' fiet.
Hoc illi factum est uni: tenue hoc facies i.
Haec illei fecere: addes e ut pinguiu' fiat.

Et ita semper in eodem libro nono Lucilii. Unde Isidorus: *Orthographiam, id est scripturam, contra imperitiam librariorum Lucilius poeta primum scripsit. Dac.*

Puteum antiqui. (Ad p. 200.) Media Festi verba findit interiecta Pauli epitome, quod et alibi factum ostendimus. Coniunge igitur et lege: *Puteum antiqui dixerunt, unde sumi potest. Inde puticulos antiquissimum genus sepulturae appellatos, quod ibi in puteis sepelirentur homines* etc. Putei idem etymon affert Varro lib. IV. (V, p. 41. Sp.): *Unde sumi potest, puteus.* Sed ineptissimum esse nemo non videt. Addit idem Varro, ut optime eius locum emendavit Scaliger, *nisi potius quod Aeoles dicebant* ποτῆρα ἀπὸ τοῦ πότου, *non ut nunc* φρέαρ. Ait Varro Aeoles dixisse ποτῆρα a potu, quae postea φρέατα. Et inde dicta *putea* et *putei.* Alii a Latino *potu* cum Isidoro *puteum* deducunt. *Puteus,* inquit ille lib. XIII. cap. 21. *est locus defossus ex quo hauritur aqua a potatione dictus.* Quod tamen idem est. Sed omnino *puteus* a profunditate dictus, nempe a Graeco βυθός, quod et alicubi monuit vir magni nominis Aegid. Menagius. A *puteus* diminutive *puticulus* locus ubi pauperum cadavera sepelibant, non vero ut Aelius putabat, quod ibi cadavera putescerent. Acro Horatii interpr. *a puteis fossis ad sepelienda cadavera pauperum locus dictus est puticuli.* Antiquissimum autem sepulturae genus in puteis, id est fossis, cavernis: auctor Etymologici τὸ παλαιόν, inquit, ἐν τοῖς κοιλώμασι τῆς γῆς ἔθαπτον, μήτε σιδήρῳ μήτε χαλκῷ κεχρημένοι. Sic cavernam in usum sepulcri ab Ephron emit Abrahamus: Genes. 23, 9. Καὶ δότω μοι τὸ σπήλαιον τὸ διπλοῦν, ὅ ἐστιν αὐτῷ, τὸ ὂν ἐν μέρει τοῦ ἀγροῦ αὐτοῦ, ἀργυρίου τοῦ ἀξίου. δότω μοι αὐτὸ ἐν ὑμῖν εἰς κτῆσιν μνημείου. *Dac.* Fere ex Varrone emendari potest Acro: *A puteis fossis ad sepelienda cadavera pauperum, locus dictus est puticuli. Scal. Puteum* in neutro. Est et masculini generis. Vide Nonium (p. 216. Merc.) in *Putei. Goth. In puteis.* Ut puteus. *Idem.* Cf. Doederlin. Syn. Lat. tom. II. pag. 155. qui Graecorum πόω, Lat. *poto*, cognatas esse voces censet. Fontes sunt radices Sanscritae *pâ* et *pî*, bibere, potare.

Putus. Putum ait dixisse antiquos pro *puro.* Unde *putatae vites*, quod, cum id, quod impedimento erat, decisum est, remaneant purae, ut Cornificius ait. Haec Festus; et ad id utebatur auctoritate Ennii in Alexandro, qui dixerit, *dimidio purus putus.* Item Plauti ex Pseudolo (IV, 7, 103.): *Purus putus sycophanta est.* Reliqua fere sunt in epitome. *Scal.* Pauca desunt, sed quae vix quisquam supplere possit. *Puto* id est *puro*, a πεύθω, ut *putus* a πυστός. Πεύθω autem proprie aurum sive argentum exploro. Inde putare, purgare, putare vites, κλαδεύειν, putamina κλαδεύματα. *Dac.* Vide supra *Amputare* et *Imputare.* Vide Nonium (pag. 27. Merc.) in *Putus. Goth. Putate.* Putare. *Idem. Putus* descendit a Sanscrita radice *pû*, quae purificare denotat; unde *pûta(s)* i. q. purificatus, participium. Sed differunt Sanscr. *pûtas* et Latinum *putus* syllabae quantitate; unde fortasse colligitur, fuisse etiam Sanscritam radicem *pŭ*, quae idem significaret. Sed exempla eiusmodi demutatae vocalis haud rara sunt et alibi a me cumulate proferentur. Ceterum cf. Doederlin. Syn. Lat. tom. III. pag. 203.

Putitium. Ita ego olim has lacunas expleveram ex iis, quae leguntur supra in *Potitii.* Nunc ita ad verbum schedae, nisi quod in iis *ritum sacrificandi accepisset* praeterita voce *cum*, quae necessario supplenda. *Dac. Putitum.* Putitium, alii *Politum*, alii *Putidum*, ut apud Nonium quatuor locis. *Goth. Plautus* in Bacchidibus (1, 2, 15.). *At.* Ab. *Idem. Millibus aeris.* Vide supra *Potitium. Idem. Publicus.* Publicos. *Idem.*

Pubes. Addit Festus verbis a Paulo in compendium redactis impuberem esse puberi contrarium. De pluribus vero dici solere, cum pube praesente, id est testibus puberibus praesentibus quid actum esse dicitur. Vide *Pabe. Ant. Aug.* Vide Inst. de nuptiis. Ulpian. fragm. tit. 11. §. 28. *Goth.* Vox *Pubes* respondet voci Sanscritae *pumas* i. e. mas, vir, ex quo *pubes* mutata labiali ortum.

Puteolos. Varro lib. IV. de L. L. (pag. 42. Sp.). A puteis oppidum Puteoli; quod sint circa eum locum aquae frigidae et calidae multae. Nisi a putore potius, quod putidus sit odoribus saepe ex sulphure et alumine. Strab. lib. V. (pag. 245.): *Καὶ μετωνόμασαν Ποτιόλους ἀπὸ τῶν φρεάτων, οἱ δὲ ἀπὸ τῆς δυσωδίας τῶν ὑδάτων, ἅπαν τὸ χωρίον ἐκεῖ μέχρι Βαΐων καὶ τῆς Κυμαίας, ὅτι θείου πλῆρές ἐστι καὶ πυρὸς καὶ θερμῶν ὑδάτων.* Stephanus ab utroque dici censet a *puteo* et *olere* voce composita: *Δικαιαρχία,* inquit, *πόλις Ἰταλίας, ταύτην δέ φασι κεκλῆσθαι Ποτιόλους. πότεα δὲ τὰ φρέατα καλοῦσι Ῥωμαῖοι, ὄληρε δὲ τὸ ὄζειν. Dac.* Ista omnia, quae sequuntur, ad idem caput pertinere, non puto. De iis igitur amplius quaerendum. *Idem. Multitudine.* Similitudine. *Goth.*

Pugnus a punctione. Potius *pugnus* a *πυγμή* vel a *πυκνός*, densus, quae fuit Iulii Scaligeri sententia. *Dac.*

Pegasum. (Ad p. 200.) In schedis post *formosa.* Nihil amplius apparet. Certum est igitur, quae sequuntur, aliunde huc esse translata. Duae quidem postremae lineae pertinent ad pedestria auspicia, quod et vidit Scaliger. De Pegaso nota fabula. *ἵππον πτερόεντα* vocat Pindar. Et alatum eum propter eius velocitatem fabulati sunt, quare Homerus etiam semper equos *πετέσθαι* dicit. *Dac.* Incompertum mihi, quid voluerit Festus usque ad illud . . . . *formon.* Duae lineae, quae sequuntur, pertinent ad pedestria auspicia (*Pedestria auspicia arbitrabantur a vulpe, lupo, equo ceterisque animalibus quadrupedibus.* Vide suo loco. *Dac.*) et supinitate nescio qua huc translata sunt, cum iam supra suo loco relata sint. Vide post *Pedestria.* Quod sequitur, manifesto ita fuit: *Parilia sibi observanda iudicant privatim ipsae quoque puerperae domi in stratis, uti pariendo stabiliantur Parilia festa.* Non solum, inquit, rure universorum Parilia sunt, sed et privatorum domi, puta puerperarum. Vide *Superstitionem.* Qui dicebant *Palilia*, a Pale Dea deducebant, qui *Parilia*, a pariendo. Porro in stratis, hoc est in lectis, foetae cubabant dicis caussa. Eos lectos in atrio sternebant, quos adversos vocabant. Asconius in Miloniana: *Deinde omni vi ianua expugnata et imagines maiorum deiecerunt et lectulum adversum uxoris eius Corneliae, cuius castitas pro exemplo habita est, fregerunt: itemque telas, quae ex vetere more in atrio texebantur, diruerunt.* Ex quibus apparet in atrio ante ianuam lectum adversum fuisse. Propertius (IV, 11, 85. seq):

Si tamen adversum mutarit ianua lectum,
Sederit et nostro cauta noverca toro.

Hoc est: si alia uxor superinducatur, quae adversum lectum nostrum mutet, hoc est sibi, non mihi sternat. Nam unaquaeque matrona domi sibi adversum lectum sternebat. Laberius in Compitalibus:

Nunc lentus es tu, nunc tu susque deque fers.
Materfamilias tua in lecto adverso sedet.
Servis sextantis, vernulis nefariis.

Hoc est, uxor tua foeta de more in adverso lecto sedet adstantibus improbissimis servulis, neque suspicaris de stupro. Sternebatur etiam lectus Diis coniugalibus Pilumno et Picumno. Servius in Schedis (ad Aen. X. pag. 598 Ed. Dan.): *Varro Pilumnum et Picumnum infantium Deos esse ait: eisque pro puerpera lectum in atrio sterni, dum exploretur, an vitalis sit, qui natus est.* Intelligit autem locum Varronis hunc ex lib. II. de vita Po. Rom.: *Natus si erat vitalis, ac sublatus ab obstetrice, statuebatur in terra, ut auspicaretur rectus esse; diis coniugalibus Pilumno et Picumno in aedibus lectus sternebatur.* Ex quibus apparet, alium lectum adversum esse, alium eum, qui Pilumno et Picumno sternebatur. Nemo est antiquitatis paulo studiosior, qui non his redivivis Festi reliquiis laetetur, praesertim de adverso lecto apud Propertium, quod hactenus a nemine indicatum fuerat. *Scal.*

Prospera. (Ad p. 200.) Interpretem desiderat. *Ant. Aug.* Fortasse dicebat prospera quaedam nos usurpare solere nomina praefiscinae, quod declinatum sit extrema producta syllaba, ut occurramus fascino, ut ait L. Cincius, quod fieret etiam in familiae purgandae sacro. His non absimilia scripsisse mihi videtur Plinius: *cur publicis lustris etiam nomina victimas ducentium prospera legimus? cur et fascinationibus adoratione peculiari occurrimus?* Titinius Setina:

Paula mea, amabo, pollulam laudem addito
Praefiscini.

Charisius subdit interpretationem: *ne puella fascinetur.* Praefiscini ergo aliquid fieri aut dici erat, cum facto aut dicto aliquo fascino occurrebatur. Ait declinatum in e producta, quia nonnulli, ut puto, existimabant esse vocativi casus, ut supra *Numere* dictum est a quibusdam corripi in ultima syllaba et vocandi casu di-

ctum. Gellius ex veteri codice lib. X. cap. 24. loquens de Diequinti: *Extremam istius vocis syllabam tum per e, tum per i scriptam legi.* Nam sanequam consuetum veteribus fuerat, literis iis plerumque uti indifferenter: sicut praefiscini et praefiscine, proclivi et proclive, atque alia item multa hoc genus varie dixerunt. Idem habet vetus Macrobii codex, at in vulgatis pristini et pristine, pro praefiscini praefiscine editum est. *Scal.* Plaut Asinar. (II, 4, 84.):

Praefiscin' hoc nunc dixerim, nemo etiam me accusavit
Merito meo.

Ait Festus *extrema producta* grammaticorum more, qui cum syllabam vel corripi dicunt, vel produci, saepe eius tantum vocalem vel ita esse innuunt, id est *e* longum, vel epsilon, id est e tenue. Sic supra Festus in *ergo*, *lustra*, *muscedra*, *pone*, *quando* etc. *Dac.*

Praecidanea dicitur. Praecidanea dicitur, quod ante sacrum caederetur id genus hostiae, quod sacrum praecidarium appellabatur. Praecidarium et Praecidaneum idem est. Sic extrarium extraneum, pedarium pedaneum. Si Gellius (IV, 6, 7.) considerasset praecidaneum sacrum dici, nunquam miratus esset praecidaneas etiam ferias dictas fuisse. *Scal.* Hoc principium (porcam praecidaneam) male haesit post *popularia sacra.* Sacrificii huius porcae praecidaneae formulam fuse tradit Cato de R. R. cap. 134. *Dac.* Vide supra *Popularia sacra. Goth.*

Placenta. (Ad p. 201.) Ex farina siliginea, caseo et melle. *Placenta* a Graeco πλακόεις, πλακοῦς. Servius 7. Aen.: *Liba sunt placentae de farre et melle et oleo sacris aptae. Dac.*

Porriciam. (Ad p. 201.) Hunc Festi locum nemo homo intelligat, qui tamen unius literulae immutatione planus fiet. Lego: *contra id consumitur in sacro, quod est profanatum. At Verrius eodem libro de significatione verborum* (sint dicta libere, si quae contra dixero) *arbitrabatur*, etc. Illud *nam*, quod in schedis ita apparet *na*, a voce *arbitrabatur* natum puto reduplicata priori syllaba *ar arbitrabatur.* Primo quid sit *porricere* exponit Festus. Idem quid intelligendum sit cum dicitur id consumi in sacro, quod est profanatum. Deinde Verrium reprehendit, quod arbitrabatur ob eam causam porrici exta aris et foculo, quia profana ea quoque, id est, ut ipse Verrius interpretabatur, deo dicta consumere erat necesse. Et optime quidem Festus. Neque enim, ut Verrius putavit, quae deo porriciebantur, ea *profana* sive *profanata* dicta, neque ea aris et foculo porrecta, quod ea consumere erat necesse. Verum id, quod deo offerebatur, *porrectum* dictum, reliquum omne, unde illud *porrectum* detractum, *porrectum* et *profanatum* dicebatur, quia cum deo sacrum et fanatum fuisset, porrecta tantum eorum parte, populo, spectatoribus apponebatur et ab iis consumebatur, unde quod e sacro et religioso in hominum usum cedebat *profanum* et *profanatum* dictum. Idque ut clarius fiat, iterum inculcandum et infigendum: *Pollucere* apud veteres Romanos erat dapem apparare ac dedicare, sacrificale convivium in Deorum honorem, puta Iovis, Herculis, instruere. Ex eo, quod in Dei aram sive foculum ex sacrificii ritu coniectum erat, id *porrici* proprie dicebatur. Macrob. lib. III. cap. 2. Ex disciplina aruspicum porriciendi verbum sacrificantibus est solenne, sicut Veranius ex primo libro Fabii Pictoris, ita dissertationem huius verbi exsecutus est: *Exta porriciunto, Diis danto in altaria aramve, focumve, eave, quo exta dari debebunt.* Postquam illud porrectum fuerat, reliquum omne sacrum esse desinebat et proprie *polluctum et profanatum* dicebatur, quia a populo et spectatoribus consumebatur. Plaut. Rudent. sc. ult. (62.):

— — spectatores vos quoque ad coenam vocem
Ni daturus nihil sim, neque sit quidquam pollucti domi,
Neve adeo vocatos credam vos esse ad coenam foras.

Et Stich. V. 4. (V, 4, 6.):

Hodie pollunctura praeter nos iam dabitur nemini.

Pollucturam vocat, quod supra *polluctum.* Varro, etsi minus, quid *profanum* esset, intellexit, tamen ita rem declarat, ut omnem dubitandi locum tollat. Verba eius, quia nemini hactenus intellecta, sive adeo declarata, non piget adscribere: *Hinc profanum est*, inquit, *quod ante fanum est, id est coniunctum fano: hinc profanatum, quod in sacrario polluctum atque inde Herculi Decuma data ab eo est, quod sacrificio quodam fanatur, id est ut fani lege sit. Id dicitur polluctum, quod a porriciendo est fictum. Cum enim ex mercibus libamenta porrecta sunt Herculi in ara, tum polluctum est, ut cum profanum dicitur, id est proinde ut sit fani factum. Itaque ubi olim fano consumebatur omne, quod profanum erat, ut etiam fit, quod Praetor urbanus quotannis facit, cum Herculi immolat publice iuvencam.* Haec Varro, cuius postrema verba, quia per librariorum negligentiam unius et alterius literulae immutatione et corruptione non leviter sunt deformata, ita

emendari debere certum est: *Cum enim ex mercibus libamenta porrecta sunt Herculi in ara, tum pollutum est, et tum profanum dicitur, id est proinde ut sit fani factum. Itaque ibi olim in fano consumebatur* etc. Sed quia emendationum omnium tum demum ratio vera est et aperta, cum, quae antea indissolubilia erant, ea nullo negotio dissolvuntur et enodantur, videamus virisne doctis haec nostra emendatio probanda sit an exigenda. Ait Varro: *Quod in sacrario pollucetur et sacrificio quodam fanatur, ut adinstar fani sit, postquam inde Herculi decuma est data, omne id profanatum et polluctum dicitur.* Huc usque verbis Varronis satis insistimus: pergit: *Id omne autem dicitur polluctum a porriciendo voce effictа. Nam cum ex dapibus libamenta porrecta sunt Herculi in ara, tum polluctum est, id est tum pollucta reliqua daps dicitur et tum etiam dicitur profana, id est etc. Itaque ibi in fano consumebatur omne id, quod profanum erat* etc. Nunc Varronis verba luce ipsa clariora, unde sat scio, nemo aliter se satis expediat. Et certe maxime Reipublicae literariae intererat, ut ne hic locus Varronis et alter Festi diutius in tenebris laterent. Varro quidem, ut superius diximus, non satis intellexit, quid proprie esset *profanum*, cum ait dici *profanum proinde ut sit fani factum.* Et eo graviter lapsus est, quod *fanatum* inter et *profanatum* nullum discrimen statuit, quod maximum esse facile evincunt quae hic a nobis posita sunt et ex veterum fere omnium autoritate comprobatur. Meminerint igitur Latinitatis et rituum Romanorum studiosi minime viris doctis credendum esse, cum audacter affirmant, quae porriciebantur ea *pollucta* et *profanata* dicta, cum contra *profana* sive *profanata* et *pollucta* tum demum dicta sint omnia sacrificalia illa convivia, postquam eorum proiecta erat pars aliqua, quae proprie *porrici* dicebatur. Nam *polluctum* id dicebatur, quod populo exponebatur, quod non fiebat nisi post eius partem aliquam porrectam. Inde apud Plaut. Rudent. (II, 4, 11.):

— — — *non sum pollucta pago*
Potiri ut me abstineas manum.

Pollucta pago, id est *pago exposita.* Et in Curculione (I, 3, 37.):

Quod quidem mihi polluctus virgis servus etc.

Servus polluctus virgis facete dicitur *virgis subiectus*, expositus, non vero, ut interpretatur Camerarius, virgis cumulatus; neque enim ara Herculis omni esculentorum et poculentorum genere erat referta, ut ipse putavit, sed eorum parte aliqua, quae *porrici* proprie dicebatur. *Dac. Scripta in his libris meis.* Lege: *Inscripta in his libris meis invenientur, qui inscribuntur* etc. Vide ante Scaligerum (ad v. *Profanum.*). *Idem.* Adde Augustin. ad v. *Profanum.* Cf. quae supra diximus ad v. *Licitati.* Adde Doederlin. Syn. Lat. tom. III. p. 109. seqq. *Lindem.* Ex disciplina haruspicum *porriciendi* verbum sacrificantibus solemne erat, qui proprie *porricere* dicebantur, cum caesa ex victimis et inspecta diligentius, num quid vitii haberent exta, vel accensam in aram vel in alteram rem ex proprio sacrificii ritu coniicerent. Plaut. Pseudol. (I, 3, 31.):

— — — *nam si sacrificem summo Iovi*
Atque in manibus exta teneam, ut porriciam interea loci
Si lucri quid detur, potius rem divinam deseram.

Et Virgil. V. Aeneid. (776.):

— — — *extaque salsos*
Porricit in fluctus et vina liquentia fundit.

Porricere autem a *porrigere* est, *c* in *g* mutato, ut *acitare* pro *agitare*, *leciones* pro *legiones* dicebant veteres. Vide post *Profanum. Dac.*

Porigam. (Ad p. 201.) Lege: *cum aperte e proregam tractum sit. Scal.* Pro *porrigam* simplici *r*. Est autem porrigere non a porro regere, ut hic putat Fest., sed a *per* et *rego:* nam *e* vocis *per* mutatur in *o*, imo et ipse Festus infra id innuit. Nam pro his aperte e rivo regam legendum, ut docet Scaliger, aperte e pro regam tractum sit. Pro *porrigere porgere* dicebant veteres. Virgil. (Aen. VIII, 274.):

— — *Porgite pocula dextris.*

Dac. E rivo regam. E civo regit. Alii *e protegam tractum sit. Goth.*

Porcae appellantur. Sic porcas et sulcos pro eodem sumit Festus, contra quod in voce *imporcitor*, ubi legitur: *porca est inter duos sulcos terra eminens.* Ibi enim porcam aperte a sulco distinguit et revera diversa res est. *Porcae* alio nomine *lirae* dicebantur. Columella lib. I. cap. 4.: *Liras rustici vocant easdem porcas, cum sic aratum est, ut inter duos latius distantes sulcos medius cumulus siccam sedem frumentis praebeat.* Inde Glossar.: *porca τὸ μεταξὺ τῶν αὐλάκων ὕψος.* Tamen cum liras dixerint sulcos illos, qui in agris fiebant, ut inde in maiores sulcos sive fossas aqua decurreret, fieri etiam potuit, ut sulci illi *porcae*

etiam dicerentur, quod aquam frumentis nocere prohiberent, sed huius rei exempla desidero. *Dac.* Aliud etymon v. apud Varronem lib. IV. de L. L. nr. 4. (V, pag. 39. Sp.). Accursium l. 24. ff. de aqua plu. Adde Nonium (pag. 61. Merc.) 1. n. 304. et 2. (pag. 152. Merc.) n. 696. *Goth.*

Postliminium. Glossae: *Postilimen ἐπάνοδος.* Falsum est, quod vetustissimi Iurisconsulti prodidere, in nomine Postliminium spectari tantum praepositionem post, reliquum productionis esse caudam, liminium. Nam postliminium recte ex Latini sermonis proportione dicitur ἡ ἐπάνοδος, ut contra Eliminium ἡ ἔξοδος. Postliminii ius et religio ex Atheniensium fontibus derivatur, ut pleraque Romanorum alia; eodem iure apud Romanos erant, qui postliminio ab hostibus revertebantur, quo apud Athenienses ii, qui δευτερόποτμοι καὶ ὑστερόποτμοι dicebantur. Romani nolebant eum, cui tanquam mortuo iusta funerum facta erant, reducem limen insistere, quia funestari eo putabant tam limen utrumque et superum et inferum, si a mortuo calcaretur, quam et hominem ipsum. Nam et mortui in limine collocabantur, quod Graecis dicitur πρόθεσις νεκροῦ. Iccirco tecto perforato in aedes admittebatur, ne ominosum esset illi per ianuam ingredi, per quam tanquam elatus erat. Quod enim illi iusta facta erant, ob id tanquam elatus fingebatur. Athenienses eos, quibus absentibus funus factum erat, non prius aedes ingredi patiebantur, quam per sinum laxae stolae mulier eum demitteret, tanquam denuo renasci videretur. Unde δευτερόποτμοι hoc est δευτερογενεῖς, πότμος enim fatum nascentis. Qui enim semel ex aedibus elati sunt, nunquam postea eas ingrediuntur. Inde factum, ut quos mortuos putaverant, aut quos nunquam redituros sperabant, cum reverterentur, ex orco eos rediisse dicerent. Artemidorus: τὸν παρὰ προσδοκίαν σωθέντα φαμὲν ἐξ ᾅδου ἀναβεβηκέναι. Apuleius lib. XI. (p. 265, 30.): *Confestim denique familiares ac vernulae, quique mihi proximo nexu sanguinis cohaerebant, luctu deposito, quem de meae mortis falso nuntio susceperant, repentino laetati gaudio, varie quisque munerabundi, ad meum festinant illico diutinum, reducemque ab inferis conspectum.* Qui locus plane ad hunc morem allusit. *Scal.* *Postliminium est a limine et post; unde eum, qui ab hostibus captus in fines nostros postea pervenit, postliminio reversum recte dicimus. Nam limina sicut in domibus finem quendam faciunt, sic et imperii finem limen esse veteres voluerunt. Hinc et limen dictus est quasi finis quidam et terminus. Ab eo postliminium dictum, quia eodem limine revertebatur, quo amissus fuerat.* Haec Iustinian. *Dac.* *Postliminium receptum iis.* Facile crederem haec verba male huc irrepsisse e glossemate scilicet. Sed occupavit doctissimus Cuiacius Observat. lib. II. cap. 23. *Idem.* *Quae nationes in opinione.* Quae desunt in fine non possumus assequi. Forsan dixerat Festus ceteras nationes in hac opinione fuisse, cum iis eadem utilitas perveniret. Putabat Fulvius Ursinus pro *opinione* scribi debere *ditione.* In fragmento Serviliae legis sic est: *QUIVE IN ARBITRATU. DITIONE. POTESTATE. AMICITIA* etc. Scripserit igitur Festus: *Quae nationes in ditione nostra sunt, cum his etiam postliminium constitutum. Idem.* *Postliminium.* Postliminio. Glossis Postlimen quoque dicitur ἐπάνοδος ἀπὸ τοῦ πολέμου, quod quid sit v. in l. Postliminium 19. ff. de captivis et postliminio reversis §. 5. Inst. quibus modis ius patriae potestatis. *Goth.* *Dicitur.* Est. *Idem.* *Postliminium.* Postliminio. *Idem.* *Item qui servus.* Itemque servus. Etiam servus postliminio redit l. 1. ff. de captivis. l. 2. l. 20. Cod. de Postliminio: 34. Eclog. 1. *Idem.* *Muli* et equi l. 2. ff. de captivis. Muli inquam clitellarii, Tull. huius enim bellitante v. l. 9. *Idem.* *Navis.* Vide tamen l. 2. ff. de captivis. *Idem.* *Cum populis liberis.* V. l. 5. §. l. 19. ff. de captivis. *Idem.* *Cum foederatis et cum regibus postliminium nobis est ita, ut cum hostibus.* Imo non est l. non dubito 7. ff. de captivis. *Idem.* *Cum hic.* Lege: *cum sic postliminium non est.* *Idem.*

Posticum. Liv. lib. I. (c. 18.): *Regiones ab oriente od occasum determinavit, dexteras ad meridiem partes, laevasque ad sinistram esse dixit.* At Varro lib. VI. (VII, pag. 289. Sp.): *Eius templi partes quatuor, sinistra ab oriente, dextra ab occasu, antica ad meridiem, postica ad septentrionem.* Plin. lib. II. cap. 54. *Fulv. Urs.* Grammatici Graeci παράθυρα καὶ παραθύριον· καὶ παράθυρα κατόπιν τοῦ οἴκου. *Scal.* Distinguo, *posticum*, *ostium* etc. dicitur posticum et postica, illud subintelligendo *ostium:* hoc subintelligendo *ianua* sive *porta.* Quare falsus est Servius, qui putavit semper in neutro *anticum* et *posticum* dici, nisi cum sunt voces augurum, qui *posticam* septentrionalem mundi partem, *anticam* vero meridionalem dicunt. In Glossis enim *postica* παράθυρα κατόπιν τοῦ οἴκου, vulgo *porte de derriere.* *Dac.* *Et dextram anticam, sinistram posticam.* Dextra et sinistra mundi pars varie accipitur. Nam auguribus et astrologis sinistra est oriens, dextra occidens, unde factum est, ut iis sinistra auspicia dextris meliora semper habita sint. Geographis sinistra est occidens, dextra oriens. Poetis ortum astrorum observantibus sinistra est septentrio, dextra meridies, eisdem occasus siderum spectantibus sinistra est Auster, dextra Boreas. *Idem.* *Sic etiam ea coeli pars.* Auguribus meridies antica, postica septentrio dicitur, quia ii meridiem spectant, ita ut ad sinistram orientem, ad dex-

tram occidentem habeant. Vide *sinistra. Idem.* Adde Nonium (pag. 217. Merc.) in *Posticam.* Ulpianus posticas vocat in l. 13. §. 7. ff. de usufructu. *Goth. Antica.* Vide supra *Anticum. Idem.*

Palatium. Vid. Varro lib. IV. de L. L. (V, pag. 59. Sp.). *Ant. Aug.* Palanto est Graece Παλλαντώ, sed eam Palatiam et non Latini matrem, sed uxorem dicit Varro IV. de Latino sermone. *Sed hoc,* inquit, *alii a Palatia uxore Latini putarunt.* Loquitur de Palatio. *Scal.* Solinus: *a Palanto Hyperborei filia.* Palanto Graece Παλλαντώ ait Scal. Sed contra Salmas. *Palantho* Graecum est, ἡ παλανθώ, non ἡ παλλαντώ, φαλάνθη est ἐριουργός, φαλανθός *canus* vel *calvus.* Unde στιλπνὸν et φαλαιτὸν κάρα Silenorum in Graeco scriptore, ubi perperam legitur φίλανθον et inde vir doctus in libro de Satyra florum amantes Silenos sibi fingit, quasi φίλανθόν Graecum esse possit pro φιλανθός, φαλανθός *calvus.* Unde ἀναφαλαντίας recalvus. Φαλανθός nomen urbis et montis Arcadiae a Phalanto quodam. Phalantus ab Hercule octavus cum Partheniis Laconibus Tarentum auxit et habitavit. Vide Servium IV. Georg. (Pag. 153. Ed. Dan.). Φαλανθώ igitur nomen proprium mulieris, ut Φαλανθός viri. Notat hic Anton. Augustinus in veteribus libris legi *Palante.* Nos *Palanta* in veterrimo codice scriptum reperimus, quod esset ἡ Φαλανθή. Sed quis ille Hyperboreus, cuius filia *Palantho* vel *Palanthe?* An nomen proprium? an gentile? Dionysius (lib. I. pag. 34.) Ὑπερβορίδα κόρην appellat, hoc est ex Hyperboreorum regione: Λάτινον δὲ ἐκ τινὸς Ὑπερβορίδος κόρης, ἣν, πατρὸς εἰς ὁμήρειαν δόντος, ἐπήγετο. Hyperboreus igitur ille homo fuit ex Hyperboreorum regione. Ita tamen loquuntur Festus et Solinus, quasi nomen esset proprium, quum scribere debuissent: *cuiusdam Hyperborei filia.* Apollo *Hyperboreus* colebatur a Scythis. Servius: *secundum Varronem et alios a filia Evandri Palantia, ab Hercule vitiata et postea illic sepulta.* Alia caussa et aliud nomen. *Pallantia* ἀπὸ τοῦ πάλλας. Varro Pallantiam hanc uxorem Latini facit, nisi quis dicat *Pälantham* tam apud Varronem, quam apud Servium esse legendum, τὴν φαλάνθην. Nam Varro uxorem Latini esse vult et filiam Evandri, quam Festus Latini matrem et Hyperborei filiam. *Palanthia* pro *Palantha* vitiose scriptum. Haec Salmas. in Exercit. Plin. Sed apud Festum et apud Solinum *Hyperboreus* absolute nomen proprium non est, sed gentile, *Hyperborei filia,* subintelligitur hominis. *Dac. Vel quod palare, id est errare.* Secundum etymon a *palare* Propertius et Ovidius amplexi sunt. Ultimum Virgil. VII. Aeneid. (VIII, 54.). Sed eorum nullum verum est. Nam *palatium* prius dictum *palantium* a φαλάντιον, ut Graeci vocant summa montium iuga. Nam φάλαι *falae,* arces, altitudines, unde et *falantum* Hetruscis coelum. Vide *falae. Idem. Alii.* Vel. *Goth. Palanto.* Palante. *Idem. Ex Hercule.* Et Herculem. *Idem. Palatium* sive Etrusca est vox, sive Latina, descendit a Sanscrita rad. *pâl,* tueri, regere. Est igitur *palatium* proprie i. q. *castellum, arx,* ἀκρόπολις.

Palmes. Non immediate a *palma,* sed a *palmavitis, palmitis, palmetis, palmes.* Et male Varro lib. I. de re rust. (c. 8.) *palmam.* Sic enim dicitur et *palmes,* quasi *parilemam* dictam vult, quod uvas pariat; palma enim a similitudine palmae hominis dicta est, quod ut ex ista digiti, sic ex illa uvae nascuntur. *Dac.*

Pallas. Sive a πάλλειν, ab agitatione, ut ait Plato in Cratylo, sive a Pallante Gigante, quem interfecit, sive a Pallante palude, ut Tritonia a Tritone, nam Triton et Pallas paludes ad Syrtim minorem. Sed vide *Minerva* et *Tritonia. Dac.*

Pappi. Pappus antiqua lingua senex est. Atellanorum propria vox. Pomponius in pictoribus:

Pappus hac in aede habitat scenica, non sesquiscenica.

Ad cuius canitiei similitudinem lanugo carduorum *pappus* dicitur. Graecis Πάππος. Sophocl. *Dac.* Locus Lucretii est l. III, 387. Vide notam 32. ad Probum II, 1, 22. Corp. Grammat. T. I. pag. 109.

Papillae. Melius alii a *papa* puerorum cibo, quod a papare, comedere. Isidor. lib. XI. cap. 2.: *Papillae capita mammarum sunt, quas infantes sugentes comprehendunt, et dictae papillae, quod eas infantes quasi pappant, dum lac sugunt.*

Pauperies damnum. E leg. XII. tab.: *Si quadrupes pauperiem faxit, domino noxaeve dedito. Dac.*

Palpari. Pro *palpare* molliter tractare, palpo percutere. Lucil. Sat. lib. 29.: *Hic ubi me videt subblanditur, palpatur, caput scabit, pedes legit. Dac.*

Pauciens. Titinnius in Gemina apud Nonium (pag. 157. Merc.): *Postquam factus maritus hanc domum abhorres; Tuam etiam uxorem pauciens videbo. Ant. Aug.*

Panus. Nonius (pag. 149. Merc. in v. *Panus.*): *Panullam. Ant. Aug.* De Panicula et Panuellium

nos satis multa olim in Varronem. Glossarium: *Pannucellium*, πήνειον. *Scal.* Glomus lanae carptae et ad nendum paratae, unde *panicula* lanosa coma milii arundinis. Plaut. Mil. Gl. I, 1, (18.):

Quoius tu legiones difflavisti spiritu
Quasi ventus folia aut paniculam testoriam.

Dac. Vide Nonium (pag. 149. Merc.) in *Panus*.

Pandana. Varro lib. IV. (V, pag. 48. Merc.): *Quod Saturnia porta, quam Iunius scribit, quam nunc vocant Pandanam.* Dicebatur etiam *Romanula* et *Libera*. *Dac.*

Pandicularis dies. An quod is dies in Deos omnes pariter extendi videretur, cum in eo iis omnibus communiter sacra fierent? *Dac.*

Pancarpiae coronae. Quicquid miscellum esset et ex variis rebus contextum consarcinatumque *pancarpum* Graeci dixere. Sic *pancarpum* apud Iustinianum novella CV. spectaculum ab omnigenis bestiis, quae depugnabantur et occidebantur ab hominibus, qui operam suam ad eas conficiendas locabant. Vide Cassianum Collat. cap. 14. Cassiodor. lib. V. Epist. 42. D. Augustinum adversus Secundinum. Sic παγκάρπους στεφάνους Graeci dixere non solum ex omni florum, sed etiam ex omni genere fructuum compositas corollas, quales eae sunt, quibus columnarum frontes ornabantur, quas ἐγκάρπους vocat Vitruvius lib. IV. cap. 1. Vide Salmasium in Iulio Capitolino. *Dac.* Dixi ad Novellam 105. c. 1. *Goth.*

Panibus. Equus *October* dicebatur. Vide *October*. *Dac.*

Patalem. Locus Plauti est in Truculento, quam comoediam nos maiore ex parte a mendis vindicavimus:

Ut ego me ruri hamaxari mavelim patalem bovem,
Cumque eo ita noctem in stramentis pernoctare perpetem,
Quam tuas centum caenatas noctes mihi dono dari.

Scal. Verba Plauti e Trucul. II, 2, (22.). Ab eadem mente Graeci πεταλεῖς sive πετάλους vocant patales boves. Athen. lib. IX. (pag. 376. A. vol. II. pag. 825. ed. Dind.) Πετηνοὺς vocat Hesych. Sed vett. Plauti codd., ut et Festi, non *patalem* habent, sed *patulum*. Quae vera lectio videri possit, sive potius *patulem*, ut *patulus* et *patulis* promiscue dictum sit. Non pugnabo tamen, si quis *patalem* retineat. *Patalis* enim recte dici potuit a *patare*, unde compositum *expatare*. *Dac.* *Patalem.* Patulum. Adde infra *Propatulum*. In sacrificiis id requirebatur in tauro, ut diversa cornua haberet et late paterent, quemadmodum in ove, ut duos dentes haberet caeteris longiores. Supra *Bidental*. Ab eo patales boves. *Goth.*

Patagium. Patagium assuebatur vestimentis mulierum, ut clavus virorum. Livius lib. IV. (c. 25. fin.): *Placet tollendae ambitionis causa tribunos legem promulgare, ne cui album investimentum addere petitionis caussa liceret.* Lege: *ne cui clavum in vestimentum.* Nam ex corrupta scriptura *clabum* manavit error. *Scal.* Unde *patagiatae vestes* Plauto Epidic. II, 2, (47.) et *patagiarii* in Aulul. (III, 5, 3.). Patagium autem sic dictum vult Scal., quod quibusdam maculis et naevis inspersum erat, a patago morbo pestilenti, quo qui moriuntur, nullum indicium morbi relinquunt aliud, quam naevulos in parte corporis. Patagi meminit Plautus (cf. Fragmm. ex amissis Com. 50.):

Mecum habet patagus morbus. Ais.

Patagus a πατάσσω ferio. Turnebus putavit patagum esse morbum vitis, cum sauciatur ligone in ablaqueatione. Legitur enim apud Theophrast. πάταγον εὐλαβούμενοι, ubi Theodorus legisse videtur πάσσαλον. *Dac.* Adde Nonium (pag. 540. Merc.) in *Patagium*. *Goth.*

Patricius vicus. In Exquiliarum parte fuisse certum est. Vide *Septimontio*. *Dac.*

Pagi. A Dorico παγά pro πηγή fons. Servius II. Georg. (pag. 116. ed. Dan.): *Villas, quae pagi ἀπὸ τῶν παγῶν appellantur, hoc est a fontibus, circa quos villae consueverunt condi. Unde et pagani dicti sunt quasi ex uno fonte potantes.* Pagus constat e pluribus vicis, ut vicus e pluribus casis, nullo moenium ambitu, accolis dispersis in plano circa flumina vel fontes, qui ad unum locum consilii causa coeunt. Itaque distinguuntur pagani a montanis. Cicero pro Domo (c. 28.): *Nulli pagani aut montani, qui non amplissime de meo reditu decreverunt.* Vide *Publica sacra*, adi et Manut. de quaesitis per epistolam lib. III. quaest. 7. Pagus etiam Latinis idem quod ἔθνος vel gens, et quemvis amplum regionis tractum totamque aliquam praefecturam gentemque quamlibet populosam significat. Glossae: *Pagus* τοπαρχία, χώρα τις, νόμος. Hinc Helvetiorum tota gens in quatuor pagos divisa apud Caesarem. Hinc vox nostra Gallica *pays*. *Dac.* *Aquae.* Fontes. *Goth.*

Paginae. A pagendo, id est pangendo. Graecis σελίδεις. Paginae antiquis de libris chartarum proprie dicebantur et ex una tantum parte scriptae erant. Tabellae vero de membranis et ex utraque parte scribi solitae. *Dac. Figuntur.* Figantur. *Goth.*

Parens. Parentum et patrum nomine avi et proavi continentur, ut filiorum voce nepotes, nepotum vero omnes posteri. *Dac.*

Parret. Cicero in Verrin. Divin. (17, 56.): *Si paret eam se et sua Veneris esse dixisse.* Et lib. IV. (Act. II, 2, 12.): *Si paret fundum Capenatem, quo de agitur, ex iure eum P. Servilii esse.* Et lib. V. (Act. in Verr. II, 3, 22.): *Si paret, iugera fundi esse plura.* Et (Ibid. II, 3, 28.): *Si paret adversus edictum fecisse.* Et pr. Q. Rosc. (c. 4.): *Si paret H.S. DCCC. dari.* Iustin. lib. V. Inst.: *Si apparet eum dare oportere.* Cui formulae addit Theophilus: *Condemna eum iudex. Ant. Aug.* In fine lege: *ut fieret paret, quod et inveniatur in Comparet, Apparet. Scal.* In formulis iudiciorum dandorum primas tenebat *paret.* Petron. (pag. 175. ed. Lips.):

Iurisconsultus paret, non paret, habeto
Atque esto quicquid Servius et Labeo.

Apud veteres enim multa verba duplici coniugatione inflexa leguntur, *caveo, cavo* Horat. *Ferveo, fervo* Virg. *Fulgeo, fulgo* Lucret. *Indulgeo, indulgo* Terent. *Oleo, olo* Plaut. *Dac.* Adde quae de hoc genere exposui in Ed. Opp. min. Prisciani, quae prodiit L. B. 1818., pag. 344. seqq.

Paribus equis. Pares dicebant binos et fratres. Propert. lib. III. Eleg. 7.:

Electosque pares sylvestri exubere reges.

Sic contra *fratres* dicebant pro binis et paribus, inde *fratrare* puerorum mammae dicuntur, quod velut fratres pares oriuntur. *Dac.* Adde supra *Pararium aes. Goth.*

Pararium. Quod pro paribus, hoc est binis equis equitibus dabatur. Vide *Paribus equis. Dac. Quod pro binis equis.* Quod pro paribus, id est binis equis dabatur. Ita Festum scripsisse puto; facit vox *Paribus* infra. *Goth.*

Parici. Persuaserunt sibi viri docti *Paricos* quaestores dictos, qui rerum capitalium caussa creati essent. Nos contra omni opere contendimus non *Parici quaestores,* sed *Paricidi quaestores* legendum esse. Vide vocem *Quaestores.* Ita igitur vocabantur Quaestores rerum capitalium. Clausula vero *Paricida esto* in omni re capitali ponebatur. Cicero II. de Legib. (9.): *Sacrum sacrove commendatum, qui cleperit rapsitve, paricida esto,* id est *capital esto. Scal. Id autem.* Indemnatum. *Goth.*

Parumper. A Graeco potius παῦρόνπερ. *Dac.* Sane credibile est, Latinorum encliticam *per* et potestate sua et origine eandem esse atque Graecorum enclit. πέρ, quae ut satis notum est, orta est ex περί. Alius sententiae videtur esse Doederlin. Syn. Lat. tom. I. pag. 13. quem vide.

Parasangae. Ex Herodoto et Hesychio 30. stadia continent. Sunt tamen, qui usque ad 60. tribuant. *Dac.*

Penuria. Optime Voss. (Etym. sub. v. *penuria*): *Quod penui minus sit.* Nam a *penu* deducit *penuria. Dac.*

Pellices. A Graeco πάλλακες. Gellius lib. IV. cap. 3. Sed cum pellex sit eius, qui habeat uxorem, παλλακή vero coelibis, magis placet Iano Gulielmo, ut *pellex* sit a *pelliciendo,* ut ab *illiciendo illex.* Contra tamen Voss. in Etymol. Quis nescit, inquit, cum voces ex una lingua in aliam transfunduntur, quemadmodum in vinis fit, ita et haec quoque nonnihil abire a priori natura? Quare mihi quidem dubium non fit, quin pellex sit a παλλακίς, extrito *i* et converso *a* in *e.* Hoc Vossius (Etym. sub v. *pellex*). Sed cum Graeci πάλλαξ et πάλληξ dixerint, inde facilius *pellex. Dac. Sed etiam mares.* Ait mares etiam pellices dici, quod verum est. Hesych: παλλάκιον, μειράκιον. Gloss. vett.: *παλλακή concubina, succuba, pellex.* Item: *πάλληξ pupa, pupula, catulaster.* Item: *παλλάκιον concubinatus.* Ubi manifeste legendum *concubinus.* Neque enim unquam *pallacion* de scortatione dici potest, sed de scortillo. *Idem. Pellex aram Iunonis ne tangito.* Hoc est ut interpretatur Granius Flaccus in libro de iure Papiriano, pellex nulli viro uxorem habenti ne nubito, si nupserit, crinibus demissis. Demissis crinibus in tristitiae signum. Ovid. (Her. X, 137.):

Aspice demissos, lugentis more, capillos.

Idem. Vide l. 144. de v. sign. *Goth. Pellicum.* Pellitum. *Idem.*

Paedidos. A *paedore,* quod ἀπὸ τοῦ παιδός, alii *pedor* a *pede,* ut sit pedum illuvies. Gloss.: *paedor ῥύπος, αὐχμός. Dac.* Forte a pedibus seu pediculis v. infra *Pedibus obsitum.* Is autem videtur esse, qui Nonio (pag. 163. Merc.) paeminosus ac mali odoris a pedore, ubi vereor ne legendum sit pedidosum, non

peminosum. *Goth.* Falsissime a Graeco παῖδες derivat Festus. Cohaeret potius cum v. *pudere* et dialecto tantum differt a *foetor*, *f* in *p*, *d* in *t* mutatis.

Paeana. *Quod remedians morbis* etc. Mendosa verba vel maxime inepta. *Ant. Aug.* Vide Servium ad illud X. Aen. (738.): *Laetum paeana secuti.* Mihi maxime placet *paean* dici a παίω *medeor*, quia malorum avertendorum potens est Apollo, quare et ei in carminibus secularibus supplicabatur. Unde et preces illae *paeanes* dictae. Postea tamen Paeanes dicta quaevis alia carmina, quae diis canebantur. Imo et ipse Iupiter apud insulam Rhodon cultus sub Paeanis nomine. Notandum praeterea Paeanem etiam dici de funebri carmine, ut alibi monuimus. Hesych. Aesch. in Choephor. (149.). *Dac.*

Peligni. Pacinus, a quo Pacinates: alii Pecinus, a quo Pecinates; nos Picinus, a quo Picentes. Sed vide *Picena.* Dionys. lib. I. (pag. 9. et 11.) Peucetius Oenotrii frater Peucetiam condidit. *Ant. Aug.* E Sabinis tamen ortos dicit Ovid. III. Fast. (96.):

Et tibi cum proavis, miles Peligne, Sabinis
Convenit.

Dac. *Ducta Volsini.* Scribitur *Volsini*, *Volsuri*, et *Volsei.* Sed in re adeo obscura iudicare difficile. *Idem.*

Pales. Vide *Parilibus.* *Ant. Aug.* Eadem, quae Vesta. Eius festa *Palilia* et *Parilia*, quamvis Mario Victorino *Palilia* displiceant, et placeat Parilia tantum dici. Celebrabantur XI. Kalendas Maii sive 12., ut Ovidio placet lib. IV. Fast. (820.). *Dac.* Adde *popularia sacra.* Dies natalis urbis Romae; dixi l. 7. Cod. de Fer. *Goth.*

Partus. *Pro nascendo ponitur et pro parato.* Ut partus, ita partitudo et partio dicitur. Vide Nonium (pag. 217. Merc.) in *Partus.* *Goth.* *Naevius.* Ennius. *Idem.* *Male parta male dilabuntur.* Proverbii species. *Idem.*

Parones. Vide *Myoparo.* *Dac.*

Passer. Plautus Persa (II, 2, 17.):

Vola curriculo. P. *istuc marinus passer per circum solet.*

Notavimus ad Ausonium in illud ad Accium Paulum Rhetorem Begerritanum (epist. XI.):

Ovum tu coque passeris marini.

Scal. In fine lege *struthiocamelum.* Passerem autem vocarunt veteres, quod avis esset, imitatione Graecorum, qui στρουθίον vocant et *marinum*, διαπόντιον, quod peregrinus et ultra marinus, et *struthiocamelum*, quod colli et crurum longitudine camelo similis esset. *Dac.*

Pascito linguam. Vide *Comperce*, *pascito* pro *parcito.* Salmasius tamen legebat *parcito.* Perperam legitur, inquit, *pascito linguam*, quod ineptum est. *Compescere* quidem dicitur coercere, quod proprie sit in idem pascuum cogere animalia, et compellere, cui contrarium dispescere, sed pascere simpliciter pro coercere inauditum est. *Parcere linguam* φείδεσθαι τῆς γλώσσης tacere, abstinere linguam. *Dac.* Pescito linguam Ambrosius III. de virginibus velandis: *Gentiles idolis suis reverentiam tacendo referunt.* Adde l. 5. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt, vel ibi exclamant. *Goth.*

Pastillum. Pastillum et pastillus a pane, *paniculus*, *panicillus*, *pastillus* genus libi rotundi, quare in glossis *pastillus*, τροχισκός, τροχοειδὴς ἄρτος. *Dac.*

Passales. Vide supra *Pascales.* *Dac.*

Phascola. *Quas vulgus peras vocat.* Optime, nam Graecum est φάσκωλον, quod Hesychius interpretatur *Marsupium.* *Dac.* *Phascola.* Pascola, alii *Pastola*, alii *Phacella.* *Goth.* *Pernas.* Penas vel peras. *Idem.*

Praetoria cohors. Initio Praetores erant, qui deinde consules. Ii bella administrabant et ab iis *Praetoria cohors*, quae ad praetorum tutelam: *porta Praetoria* in castris, quae Praetorium spectabat, et ipsum *Praetorium* Praetoris tabernaculum dictum, quae nomina post deletum ipsum Praetorum nomen usurpata, sub consulibus scilicet et Imperatoribus. Ad exemplum praetoriae cohortis, quae in exercitu ad tutelam imperatoris, Augustus novem Praetorianorum cohortes fecit, quae et postea auctae sunt. *Dac.* *Initio praetores erant, qui nunc consules.* Adde Novell. 24. et 25. Varro IV. de L. L. (pag. 86. pag. 90. Sp.). *Goth.* *Quorum tabernaculum Praetorium* l. 31. Cod. de Episcop. l. penult. Cod. de off. rect. provinc. l. 3. Cod. de operibus publicis. l. 3. Cod. de Metatis. l. ult. Cod. Theodos. de officio omnium iudicum. Vopiscus in Aureliano. *Idem.*

Prorsum. Vide *Prorsus.* *Dac.*

Prandium. A Graeco πρωὴν ex Plutarcho. *Scal.* Vocem Graecam, quae hic desideratur ἔνδιον esse putavit Canterus Varr. lect. lib. IV. cap. 28. ex Plutarcho lib. VIII. Sympos. Probl. 6. Sed frustra. Nam

ἔνδιον Plutarchus non πρωινόν matutinum, ut hic Festus de prandio, sed δειλινόν id est *vespertinum.* Melius igitur Scaliger, qui ex eodem Plutarcho supplet πρωΐ id est mane. Nam pro πρωΐ Dores dicebant πράν et inde prandium, nisi dicas cum Voss. prandium esse a πράν et ἔδω, quod mane edatur. Et hoc magis placet, quam quod olim Caesar Scaliger, qui prandium dici putavit a *paratum*, quia iterum ad opus parati essent illico, vel quod olim Kekermannus, qui a *perendinis reliquiis* prandium deduxit, quas veteres mane comederent, lautius vesperi unaque cum aliis coenaturi. *Dac.*

Praetextae. Comoediarum nomen est ab argumento vestibusque sumptum. Graecae enim fabulae a Latinis conversae, quales omnes sunt Plauti atque Terentii, *palliatae* dicuntur, *togatae* vero et *praetextae,* quae argumento ab urbanis rebus sumpto vel de togatis viris, vel de praetextatis pueris et puellis compositae fuerunt. De his Horatius in Arte (v. 286. seqq.):

— — — *vestigia Graeca*
Ausi deserere et celebrare domestica facta,
Vel qui praetextas vel qui docuere togatas.

Vide *Togatarum. Ant. Aug. Praetextae* pro *Praetextatae.* Horatius:

Vel qui praetextas vel qui docuere togatas.

Id est praetextatas. Fabulae argumento Romano aut Togatae aut Praetextatae. Comoediae quidem Togatae: Tragoediae autem Praetextatae. Afranius et Titinnius Togatarum poetae dicuntur. Ennius, Pacuvius, Attius Praetextatarum. Nam Ennius Scipionem, Pacuvius Paulum, Attius Brutum et Aeneadas seu Decium Tragoedias docuerunt. Ergo non mediocriter errant, qui ad hunc Festi locum, item ad locum Togatarum Togatas de togatis viris: Praetextatas de pueris ac puellis praetextatis compositas fuisse annotarunt. Ipsi viderint, an Scipio, Brutus, Decius, qui se devotavit, pueri habendi sint, et an Lucretiam, cum se interficeret, puellam putandum sit. Haec sunt viris et gravissimis et magni in literis nominis indigna. Ratio in promptu est. Toga populi est et populare argumentum Comoediis. Praetextae magistratuum, quae sunt gravissimae personae et cothurno, non socco aptae, vel quod, ut ait Asconius in praetura Urbana, praetexta honestorum erat; toga viliorum. *Dac. Scriptas.* Scriptae. *Goth.*

Praetoria porta. Vide *Praetoria cohors.*

Praes. Festus ait praedem dictum esse, quod interrogatus a populo, si praes esset, respondebat, Praes. Supple *Sum.* Praesesse antiquitus significat praesentem esse, παρεῖναι, unde superest participium *praesens.* Ausonius auctor valde bonus, dignus qui meliore saeculo natus esset, ait in ludicro dramate septem sapientum:

Thalis autem, ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα protulit.
Spondere qui nos, noxa quia praes est vetat.

Praesest, πάρεστι. Graecus interrogatus, εἰ πάρεστι respondet potius πάρα, quam πάρειμι. Sic Romanus interrogatus, an praeses? respondebat, praes, non praessum. Varro (pag. 250. Sp.): *Itaque praes, qui a magistratu interrogatus in publicum, an praesest; a quo et cum respondet, dicit, praes.* Ita enim legendum apud Varronem. Alioqui scio antea non satis perspicuum neque Varronis neque Festi locum fuisse. Multorum scriptorum Latini nominis codices calamo exarati habent *praesest*, pro quo vulgati *praesto est. Scal.* Sed verisimilius videtur, ut *praes* dicatur a prae, ut ita dicatur qui praesto est, ut fideiussor, quomodo et idem dicitur ἔγγυος ab ἐγγύς prope, iuxta. Inde *compraes. Dac.* Vide supra *Compraedes* et *Manceps.* Glossis ἔγγυος, ἀνάδοχος, iisdem ἐγγυητής fideiussor, sponsor; ἐγγυηταί vades; ἐγγύη vadimonium, fideiussio. *Goth.*

Praesiderare. Graeci προχειμάζειν, προχείμασις, praesideratio. Quidni et Postsideratio ἡ ἐπιχείμασις dici poterit? Vide Vegetium. Hoc autem ita dicebant veteres Romani, quia anni tempestates sidera vocabant, et confectum sidus vel peractum hiemis aestatis sidus dicebant. *Scal.* Sed frustra Scaliger. Notum est ortum et occasum siderum faedas tempestates ciere. Cum autem sideris effectus, nempe tempestas causam anteveniebat, praeveniebat, id est sideris ortum vel occasum anticipabat, hoc Graeci προχειμάζειν dicebant, Latini *praesiderare*, quod ante sidus veniret, id est *immaturius.* Inde et desiderare dictum, quod proprie finem tempestatis significat, quasi quod desinit *siderare*, id est χειμάζειν, ut defervere dicitur, quod fervere desinit et *detonare*, quod desiit *tonare*, sic *deludere* ludi finem facere. Hinc desiderari res dicitur, quae abiit, nec amplius extat. Ita ergo et desiderare de sidere confecto, quod Graecis ἀποχειμάζειν, postea traductum ad alia. *Sidus Vergiliarum et Arcturi confectum* legere est apud Hirtium, quod de anni tempestate non potest accipi. Nempe confectum sidus dicitur, quod prorsus est ἐν τῷ φανερῷ vel ἐν τῷ ἀφανεῖ, totum

scilicet exortum vel absconsum, sedata iam tempestate, quam ortus vel occasus sideris excitaverat. Hinc illae locutiones: *Moto sidere nondum confecto.* Plin. lib. XVIII. cap. 26.: *Accedit confusa rerum obscuritas, nunc praecurrente, nec paucis diebus tempestatum significatione, quod προχειμάζειν Graeci vocant, nunc postveniente, quod ἐπιχειμάζειν. Et plerumque alias citius, alias tardius coeli effectu ad terram deciduo, vulgo serenitate reddita confectum sidus audimus.* Non aliter confectum sidus dici solebat, quam ubi tempestas, quae sideris erat *effectus*, *deciderat* ac saevierat. Ita Magnus Salmasius in exercit. Plin. Sed notandum est, quod ἐπιχειμάζειν dixit Plin. illud μεταχειμάζειν Vegetium dixisse. Ἐπιχειμάζειν autem, cum die legitimo et solenni nascitur tempestas. Ita enim lib. IV. cap. 20.: *Aut enim circa diem statutum aut ante vel postea tempestates fieri compertum est, unde praecedentes, προχείμασιν. Nascentes die solenni, ἐπιχείμασιν: subsequentes μεταχείμασιν Graeco vocabulo nuncupaverunt. Dac.* Adde supra *Considerare. Goth.* Siderosus Glossis ἀστροπλήξ, ἐπιληπτικός, qui alibi *Caducus. Idem.* Vocabulis *sidus, siderare, considerare, desiderare, praesiderare*, et quae ex his sunt derivata, subest omnibus radix Sanscrita *tschit, tschint*, quae significat *animadvertere, reputare, considerare.* Etenim quemadmodum ex Indico *tschihnam* ortum est Latinorum *signum*, ita ex *tschit, tschint* facta esse videtur radix *sid*, unde *sidus* (tschitas) i. q. nota, signum. Inde derivatum *siderare* significabit ex signis quibusdam animadvertere, vel signa animo concipere, i. e. cogitare, quare *considerare* erit συμβάλλεσθαι, συλλαμβάνειν; *praesiderare*, praenotare, signum ante tempus animadvertere; *desiderare* in cogitatione defixum esse; *desiderium* defixa in aliqua re cogitatio. Haec nativae illorum verborum videntur esse notiones.

Praesidium. Ut a *sub* et *sedendo* subsidium, ita a *prae* et *sedendo* praesidium. Unde in Gloss. exponitur: παραφυλακή, προστασία. Item *praesidia* φυλακή, φρουρά. *Dac.* Πρόνοια, φυλακαί, φρουρά, ὀχύρημα. *Goth.*

Praestinare. Plaut. in Capt. (IV, 2, 68.): *Alium piscem praestinatum abire* et in Pseud. (I, 2, 36.): *Ut piscium quicquid est, pretio praestinem. Ant. Aug.* MS. codex: *apud Plautum praeemere est*, ut testatur Voss. Cfr. Plaut. Epidic. (II, 2, 93.):

Ut enim praestines argento, priusquam veniat filius.

Praestinare et *destinare* a *prae* sive *de* et obsoleto *stano* vel *stino*. In Glossis *praestino* exponitur προορίζω, definio, constituo, praedestino. *Dac.*

Praestitem. Praestites προστατήριοι. Praestites Lares iidem, qui προστατήριοι θεοί apud Graecos. *Scal.* A *praesto*, *praestes*, ut ab *antisto*, *antistes*. *Dac.* *Qua.* Quem. *Goth.*

Praestolari. Praestum a veteribus erat in usu, a quo remansit *praesto* adverbiale, ὑποκοριστικόν *praestulus*, vel ut antiqui scribebant *praestolus*, inde *praestolari.* Praestus seu praestulus ἐπίμονος, προςκαρτερῶν, προςλιπαρής, pro quo praesens usitatum, ut praesens animus. Glossarium: Praesens ἐπιφανὴς καὶ παρὼν καὶ εὔχαλκος. Lege: καὶ εὔαλκος, εὔαλκος est fortis, quod et εὐαλκής quoque dicebatur. *Scal.* Alii tamen a *praesto* immediate *praestolari.* Beda de orthographia: *Praesto per o scribendum, non per u, unde praestolari, non praestulari.* In Gloss. praestulari et praestolari προςκαρτερεῖν, παραμένειν, περισκοπεῖν, ἐπιτερεῖν. *Dac.* Adde Nonium (pag. 161. Merc.) in *Praestolari* et (pag. 475. Merc.) *Praestolat. Goth.*

Praeficae. Varro lib. VI. de L. L. (pag. 351. Sp.) versum Naevii in Freto ita refert:

Haec quidem Hercle opinor praefica est: nam mortuos conlaudat.

Et id magis placet Gab. Faerno optimo numerorum censori. *Ant. Aug.* Glossae: *Praefica*, ἡ πρὸ τῆς κλίνης ἐν τῇ ἐκφορᾷ κοπτομένη, θρηνῳδὸς ἐπ' ἐκφοράν. *Scal.* Lamentatrix. In Barbaricis institutis et legibus praeficarum Aristoteles meminerat, quia Phryges proprie dicuntur *barbari*, eorum autem inventum *praeficae* et *Naeniae.* Papin. in Epicedio patris (v. 244. seq.):

Ut Pharios aliae ficta pietate dolores
Mygdoniosque colunt et non sua funera plorant.

Praeficae autem dictae, quia praeficerentur ancillis, quemadmodum lamentarentur. Varro lib. VI. de L. L. (pag. 350. Sp.) ubi hunc Plauti locum laudat ex Trucul. Act. II. sc. 6. (14.):

Sine virtute argutum civem mihi habeam pro praefica
Quae alios collaudat, eapse se vero non potest.

Ubi apte quidem Plautus verbo *collaudat* usus est, et ut Naevius supra, quod viris doctis notatum oportuit; illud enim rem non minimi momenti nos docet, nempe praeficas laudes mortuorum cecinisse, unde recte Paeana canere dictae sunt. Aeschylus in Choephoris (v. 149.):

Παιᾶνα τοῦ θανόντος ἐξανδωμένας.

Quod male reprehendit Scholiastes, cum et alii quoque paeana in re funerea usurparint, unde et doctissimus Hesychius *παιᾶνι στυγνῷ*, inquit, *θρηνητικῷ ὕμνῳ*. Et sane ut *Paean*, qui primo in rebus tantum laetis canebatur, rebus etiam tristibus accommodari passus est, sic *Naenia*, cuius prima origo in re funerea, rebus laetis venire etiam aliquando consuevit, ambo quasi mutatis partibus. Vide *Naenia*. *Dac.* Adde Nonium (pag. 66.) in *Praeficae* et in *Naenia* (pag. 145.). *Goth.* *Praefica* non descendit a *praeficiendo*. Hoc enim si verum esset, *praefica* non quae esset praefecta significaret, sed quae praeficeret alios. Praefica posteriore compositionis parte cohaeret cum radice eadem, quae est in vv. *facundus*, *Fecialis*, *vates*, *vox*, *convicium*, quibus omnibus subest radix Sanscrita *vatsch*, dicere, loqui; ipsumque vocabulum Lat. *vox* nihil est aliud nisi Indicum *vatsch*. Cui rationi magnopere favet, quod Aper de verb. dub. pag. 2250. ap. Putsch. testatum reliquit: *Vates*, *quos olim vacios appellabant.* Ergo intelligitur, in his vocibus procudendis eandem normam demutatorum vocalium valuisse, quam saepe animadvertimus, *a*, *e*, *i*, *o*, in: *vatsch*, *vates*, *Fecialis*, *convicium*, *vox* cet. Est igitur *Praefica*, praeloqua, praecantatrix.

Praesagire. Glossis *προμαντεύειν*. Iisdem Praesaga *πρόμαντις*. Dicitur etiam *praesagitur* pro *praesagit* teste Nonio (pag. 476. Merc.). Adde infra *Praesagitio*. *Goth.* *Sagax*. Vide infra *Sagaces*. *Idem.*

Praecidanea. Barbarus mutilator putat a *praecidendis frugibus*, non advertit, quid sit *praecidanea*, quid item *succidanea*, praecidanea hostia imitabatur Graecorum *προτέλειαν*; quae sunt Atteio Capitoni *feriae praecidaneae*, Graecis eae *προτέλειος ἡμέρα*, *succidanea τὰ δεύτερα ἀμείνω*, et non a caedendo, sed a cedendo per *e*, unde succedaneum etiam apud Iurisconsultos. Gellius aliter. *Scal.* (Vide *Praecidanea dicitur.*) *Praecidanea agna.* Praecidaneae et succidaneae hostiae non a praecidendo et succidendo dictae sunt, ut infra putat Festus, sed a praecedendo et succedendo. Unde et praecidaneae feriae, praecidaneum sacrum etc. Pro praecidaneo dicebant etiam praecidarium, ut *pedaneum* et *pedarium* et similia. *Dac.* *Item porca*, *quae Cereri mactabatur ab eo.* Marius Victorin. lib. I. artis Grammat.: *Qui iusta defuncto non fecerunt*, *aut in faciendo peccarunt*, *his porca contrahitur*, *quam omnibus annis immolari oportet*, *antequam novam quasi dapem mereat de se capere.* Gellius paulo latius lib. IV. cap. 6.: *Porca etiam praecidanea appellata*, *quam piaculi gratia ante fruges novas fieri coeptas immolari Cereri mos fuit*, *si qui familiam funestam aut non purgaverant*, *aut aliter eam rem*, *quam oportuerat*, *procuraverant. Idem.* *Id est glebam non obiecisset.* Gleba illa in os solebat inici. Cicero II. de Legg. (22, 58. vide ibi Goerenz. Excurs. I.): *Priusquam in os iniecta gleba est*, *locus ille*, *ubi crematum est corpus*, *nihil habet religionis.* Valer. Max. lib. V. cap. 3.: *Post obitum nullam Atticae regionis*, *quae ossibus eius iniiceretur*, *glebam invenit.* Inde Horat. Od. 28. lib. I. (v. 23. seq.):

At tu nauta vagae ne parce malignus arenae
Ossibus et capiti inhumato
Particulam dare.

Et hunc morem in Graecis fuisse testatur Aelian. in Var. hist. cap. 4.: *Νόμος καὶ ἦν Ἀττικός*, inquit, *ὃς ἂν ἀτάφῳ περιτύχῃ σώματι ἀνθρώπου, πάντως ἐπιβάλλειν γῆν.* Et haec fuit veterum Romanorum superstitio, ut, si vel minimum os terra tegerent, cadaver integrum pro sepulto haberetur. Quare iis, qui peregre mortui erant, vel os vel digitum, vel etiam crinem servabant, cui pro toto corpore iusta fierent. Vide *Membrum abscindi. Idem.* Praecidaneum idem quod praecidendum Nonio (pag. 163. Merc.) a praecidendo, id est immolando. Vide infra *Praecidere. Goth.* *Vocabatur.* Dicebatur. *Idem.*

Praecias. Ut a *praeclamitare praeclamitatores*, sic *praeciae* a *praecire*, illi praecones dicebantur, nam *praecire* praeclamare, *cire* clamare. *Dac.*

Praeiurationes. Livius lib. II. (c. 45. fin.): *Centurio erat M. Flavoleius. Victor*, *inquit*, *M. Fabius revertar ex acie: si fallat*, *Iovem patrem Gradivumque Martem aliosque iratos invocat deos. Idem deinceps omnis exercitus in se quisque facit.* Vide Polyb. lib. VI. (c. 21, 3.). *Fulv. Urs.* Cum publice iusiurandum praestandum erat, adhibebantur qui praeiurationes facerent, id est conceptis verbis ante alios iurarent. Post quos iurantes dicebant tantum *idem in me. Dac.*

Pronurus. Glossae Cyrilli: *ἐγγόνου γαμεταί*, *pronurus.* Oenone erat pronurus Laomedontis. *Dac.*

Praeneste. Idem (Praecedit enim apud Dacer. *Praemiosam*, ubi Festus Catonis meminit.) Cato apud Servium (pag. 496. ed. Dan.): *Quia is locus*, inquit, *montibus praestet*, *Praeneste oppido nomen dedit.* In montibus autem locatum Praeneste ex Strabone et aliis notum est. Unde Virgil. (Aen. VII, 682.) *Altum* vocat: *Quique altum Praeneste viri.* Sed de etymo dissentit Servius (pag. 495. ed. Dan.): *Praeneste*, inquit, *locus est haud longe ab urbe*, *dictus ἀπὸ τῶν πρίνων*, *id est ab ilicibus*, *quae illic abundant.* Alii a Praeneste quodam Ulyssis nepote dictum volunt. *Dac.*

Promissus. Gloss. Cyrill.: προβάλλω, *promitto*; item: προπέμπω, *promitto*; item: καθειμένος ἐπὶ γενείου, *promissus*, *promissaque barba.* Virgil. in Bucol. (VIII, 36.). *Dac.* Vide *Pro* et *Praemissus. Goth.*

Promiscam. A *misceo* dixere *miscus* et *miscuus*, *promiscus* et *promiscuus*. A *promiscus promiscam.* Plaut. Pseud. 4. v. (IV, 5, 11.):

Ut mea laetitia laetus promiscam siet.

Varro:

Cetera promiscam voluit communia haberi.

Dicebant et *promisce.* Plaut. Persa vers. ult. (V, 2, 62.):

Promisce hunc volo ludificari.

Dac. Promiscue pro promissione. *Goth.* Intelligitur ex sermone Sanscrito, qui fieri potuerit, ut et *promiscuus* et *promiscus* diceretur. *Miçr* est miscere, et *miçras, a, am*, mixtus, adiectivum. Igitur ex syllaba *çras* factum est *scvus*, et semivocali plane abiecta, *scus*, quare et *promiscus* et *promiscuus* dictum esse credibile est. Sic *r* in *i* transiit in vv. *baro*, *baiulus*, *baiulo*, quae descendunt a radice Sanscrita *bhri*, fero, unde *bharas*, onus. Adverbia in *am*, ut *promiscam*, *protinam*, alia, proxime respondent Sanscritis in *am*, de quibus vide Bopp. in Lehrgeb. der Sanscrita-Sprache Reg. 603. 2).

Promonstra. A pro, id est *prae* et *moneo. Dac.*

Primordia. Glossis: ἀπαρχὴ γένους. *Goth.*

Promulgari. Addendum esset *antequam accipiantur, vel ferantur.* Neque enim de legibus acceptis iam a populo id recte dicitur. Sed cum trinundino die propositae sunt, totoque illo tempore, antequam suffragatum sit. *Ant. Aug.* Quasi *provulgari.* Becmannus a Graeco προμολογέω a πρὸ ἐμοῦ et λόγος. Alii a μύλλειν, quod est ore indicare, teste Eustathio. Sed Festum sequor. *Dac.* Glossis: *Promulgat*, νομοθετεῖ, προχειρίζει, θεσπίζει. Inde promulgatio in l. 13. §. 2. ff. de excus. tutorum. Ceterum proprie promulgari dicebantur leges, cum primum in vulgus edebantur, ut hic, et cum trinis nundinis scriptae proponebantur publice, ut legi possent ab iis, qui in urbem e rusticis tribubus ac municipiis veniebant; postea ferebantur et in aes incidebantur. Cicero 1. et 5. Anton. (Phil. I, 10. V, c. 3, 7.) pro Flacco et III. de Legib. (c. 4. et 19.). *Goth.* Recte videtur statuere Doederlin. Syn. Lat. tom. IV. pag. 149. qui *promulgare* et *provulgare* eiusdem originis verba esse censet. Eodem enim modo ex v. μέρος *pars*, ex v. *tremere*, *trepidus*, ex v. Μοῖρα *Parca*, ex Sanscrito *bahnlas*, Graeco πολύς, *multus*, ex v. *bellus* (unde βελτίων βέλτερος) *meltom* (cf. Fest. sub h. v.) ex Sanscrito *bhuvanas humanus*; sic *globus* et *glomus* affinia, ὕπνος et somnus, Sanscr. *swapnas*, σεμνός pro σεβνός, a σέβεσθαι, et multa alia.

Promulco. Mihi mirum videtur, promulco trahi navem, cum id Graeco verbo remulco agi dicatur παρὰ τὸ ῥυμουλκεῖν. *Scal.* In verbis Festi pro *scophae* quidam substituunt *scapha*. Pessime. Vide *Remulco. Dac.* Glossis: χαμουλκός, *trahae. Goth.*

Principalis. Portae in castris quatuor, ad unumquodque latus una. Inter eas prima *praetoria*, quae vicina et a tergo praetoris. Duae laterales et proximae portae *principales*, ita dictae, quod ibi tendant principes ordines, capita et apices castrorum, ut tribuni, praefecti, primique centurionum; quarta *decumana*, a cohortibus decimis ibi tendentibus. Ea opposita est praetoriae et aversa ab hoste. Eadem *quaestoria* olim dicta. *Dac. Principalis castrorum porta*, quae et *principia* in l. 12. in f. ff. de re militari: l. ult. Cod. quae sit longa consuetudo l. 1. Cod. de veteranis. *Goth.*

Praenominibus. Vide A. Gellium lib. VI. cap. 7. Plutarch. Probl. (Quaestt. Rom. 30.) et supra in *Praebia. Fulv. Urs.* Valerius: *Antiquarum mulierum frequenti in usu praenomina fuerunt, Rutilia, Caeselia, Rodacilla, Murcula, Burra a colore dicta; ista praenomina a virilibus tracta sunt, Caia, Lucia, Publia, Numeria.* Sed vide Sigonium lib. II. Emendat. cap. 35. *Dac.*

Prymnesium. Ita forte legendus hic locus. Prymnesium funis nauticus, quo navis ad palum religatur, quem alii tonsillam dicunt. *Fulv. Urs. Prymnesius palus*, πρυμνήσιος a πρύμνα, puppis, quod funis per puppim ad eum deligaretur. Funis ipse etiam πρυμνήσιον, prymnesium dicebatur. Fulvius Ursinus, cum nollet palum illum prymnesium dici, sed tantum funem, locum integrum sic mutabat: *Prymnesium funis nauticus, quo navis ad palum religatur, quem alii tonsillam dicunt.* Sed frustra. *Dac.* Alii *Primesius*, alii *Prymnesius*, aliis *Primnesium.* Vide infra *Tonsilla. Goth.*

Procari. A προίξ, dos, donum, stipes, προΐσσω peto, manum extendo, inde *procor*, uxorem peto, inde et *precari*, ut pro *Apollo*, *Apello* etc. A *procari* meretrices dictae *procaces.* Servius I. Aen. (pag. 214.

ed. Dan.) procax proprie petax est. Nam procare est poscere, unde et proci petitores dicuntur. Procax Graecis *προίκτης*. Vide Nonium (pag. 23.). Alii tamen a *prociendo*, provocando, lacessendo. *Dac.* Idem infra in *Reciprocare*, Nonius (pag. 23.) in *Procacitas* et *Procacitatem* (pag. 465. Merc.). *Goth. Procaces meretrices.* Vide infra *Procum. Idem. Proci.* Vide infra *Procum* et Nonium in *Procacitas. Idem. Procas.* Vide *Procat.* Ex hoc verbo lux inferenda l. 4. Cod. de act. empt. *Idem.*

Procellunt. Puto Festum ante oculos habuisse locum Plauti, qui est in Milit. III, 1, (166.):

Procellunt se et procumbunt dimidiati; diem appetunt.

Procellunt i. e. movent. A *cello*, quod a *κέλλω, κινῶ*, moveo. *Dac.* Gloss.: *Procello, προφθάνω, ὑπερέχω, προέχω. Goth.* Ostendi ego, Plauti loco legendum esse: *Sed procellunt, sed procumbunt, dimidiatim appetunt;* ubi vulgata illa: *procellunt se et*, hoc etiam Festi loco redarguitur.

Proculum. Proprie qui poetis *τηλυγέτης*. *Scal.* A *procul proculus*, ut Graecis a *τῆλε* procul, *τηλύγετος*, cuius etiam duplicem notionem tradit Eustath. *τηλύγετος, παῖς ὁ ὕστατος καὶ πόῤῥω τῆς ἡλικίας γενηθεὶς τοῖς τοκεῦσιν, ἢ τῆλε ὄντι τῷ πατρὶ γενηθείς. Dac.*

Procapis. Glossarium: *Captam τὴν ἀπὸ προγόνων οἰκίαν.* Lege: *Capem.* Isidorus: *Procapibus, proximis; procapis, proximus. Scal.*

Procincta classis. Quis fuerit cinctus Gabinus vix demonstrari posse arbitror. Ita super eo variant scriptores. Servius 7. Aen.: *Incincti ritu Gabino, id est toga purpura caput velati, parte succincti.* Idem lib. 7. (pag. 492. Dan.): *Gabinus cinctus est toga sic in humerum reiecta, ut una eius lacinia a tergo revocata hominem cingat.* Isidor. lib. XIX. cap. 24.: *Cinctus Gabinus est, cum ita imponitur toga, ut lacinia, quae postrinsecus reiicitur, attrahatur ad pectus, ita ut ex utroque latere picturae pendeant, ut sacerdotes gentilium faciebant. Dac.* Adde supra *Endoprocinctu*, ubi dixi: Glossis *in Procinctu, ἐν παρατάξει. Goth. Gabino cinctu.* Vide Livium lib. V. cap. 19. *Idem.*

Procitant. Glossarius: *Procitat προεκκαλεῖται. Scal.* Lego infra: *Procitet prociet*, etsi falsum est, quod ait Paulus. Nam a *cieo*, voco est *cito*, unde *procito*. Gloss.: *Procitat προςκαλεῖται. Dac. Citare.* Vide infra *Solicitare.* Si citatus non respondit in l. 7. ff. de integrum restit. *Goth. Procet.* Vide supra *Procat. Idem.*

Procalare. Vide *Calatores.* Vide etiam *Cacula* et *calones*, et Festi inconstantiam ride, si illa Festi sunt. Sed frustra est etiam Festus, cum ait *calumnia* a *calare.* Est enim a *calvor*, id est frustror, decipio. A supino *calutum.* Vide Charisium (pag. 54. Fabr.) et Priscianum (pag. 482. tom. I. lib. X, 2. Kr.). *Dac.* Glossis *προκαλῶ* provoco. *Goth. Kalendae καλαίδαι* Glo. Singulare non habet. *Idem. Calumnia.* Adde Nonium (pag. 263. Merc.) in *Calumnia. Calones.* Vide supra *Calones. Caculae.* Vide supra *Caculae. Calatores.* Vide supra *Calatores. Idem.*

Procera. A *pro* et *cera*, quod ineptum est. *Procerus* est a *procer*, quod a *procus*, vel potius a *pro* et *cerus*, sanctus, id est magnus. Sive a *pro* et *cerno*, vel a *προεχής*, eminens. Aeolice *προεχήρ, procer.* Vide *procum. Dac.* Vide infra *Procum. Goth. Procerus* est a *pro* et *cero* i. e. *creo, cresco*, unde *procerus* nihil aliud apparet esse, nisi *alte enatus*, lang gewachsen.

Procitum. Verba ex veteri Odyssea:

Matrem procitum plurimi venerunt.

Sunt ex illo (Odyss. I, 248.):

Τόσσοι μητέρ' ἐμὴν μνῶνται.

Scal. A *procieo* et infra *Procitum* petitum pro *procatum. Dac.* Cf. Herm. Elem. Doctr. Metr. pag. 620.

Procestria. Glossarium: *Procastria, οἰκήματα πρὸ παρεμβολῆς. Scal.* In MS. *Procastria* et ita Gloss. Procastria, *οἱ πρὸ παρεμβολῶν τόποι. Dac.* Iisdem *παρεμβολή* Castrum et *παρεμβολικός* castrensis. *Goth. Aedificant.* Aedificiave. Lipsius V. de Militia (Dialog. I, pag. 214.). *Idem.*

Prosapia. Prosapia et prosapies a sipando, id est iaciendo. Sed vix invenias *i* mutatum in *a*, nimirum pro *sipare* dicebant *supare* et a *prosupare prosapia*, frequenter enim *u* abit in *a*. Et hoc magis placet, quam *prosapiam* dici quasi *προςπαππίαν*, ut Henr. Stephano placebat. In fine vox excidit. Lego: *qui sipare significat iacere et dissipare disiicere. Dac.* Ita apud Varronem lib. VI. (VII, pag. 352. Sp.) Nonio vero Prosapies (pag. 67. Merc.). Utrumque Glossis dicitur. *Goth. Sipare*, alii *sutare* legunt, nullo, quod sciam, iudicio. *Idem.* In vv. *Supare, dissipare, prosapia* eadem subest radix, quae in v. *semen* Germ. *Samen*, et in *sevisse.* Cf. Doederlin. Syn. Lat. tom. III. pag. 85.

Prosicium. Scribendum *porricitur* pro *proiicitur.* Nonius (pag. 220. Merc. v. *Prosecta.*) in *Prosices. Fulv. Urs.* Glossarium: *Proscle, ἀκροθίνια;* lege *Prosiciae.* Item: *Prosiciae, αἱ τῶν θυμάτων ἀπαρχαί.*

Scal. Ut insicium, insecta caro, inquit Turnebus, sic prosicium etc. Tamen nusquam legi puto *prosicium* in neutro genere, sed prosicia et prosicies. Varro undecimo rerum divinar.: *Prosiciem extorum vel in mensam porricere.* A prosecando autem *prosiciae*, ut ab *insecando insiciae*. Varro lib. IV. (pag. 114. Sp.): *Insicia ab eo, quod insecta caro, ut in carmine Saliorum est: quod in extis dicitur nunc prosectum.* Per *prosectum* prosicias Varro intelligit, quae etiam *prosecta* dicebantur. In fine legendum puto *porricitur.* Deo enim offerebantur *prosiciae.* Arnobius lib. VII. adv. Gentes: *Quodsi omnes has partes, quas prosicias dicitis, accipere dii amant, suntque illis gratae vel voluptatis alicuius vel dulcedinis sensu, quid intercedit, quid prohibet, ut non semel haec omnia totis cum animantibus inferatis?* Inferatis id est *porriciatis*, *in aram indatis.* *Dac.*

Prosedas. Plaut. in Poenulo. *Ant. Aug.* I, 2, (55.):

— — an te ibi vis interistas vorsarier
Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias?

Dac. *Prostibulae.* Vide supra *Alicariae.* *Goth.*

Pro sententia. *Pro rostris.* Vide supra *Pro.* *Goth.*

Prosumia. Antiqui *protumia* pro *portumia*, a Graeco *πορθμεῖον.* *Scal.* Caecilius meretrice (apud Non. pag. 536. Cf. Spengel Fragmm. Caecilii pag. 32.):

Cui gubernator propere vertit prosumiam.

Idem Aethrione (apud Non. ibid. Adde Spengel Fragmm. Caecilii pag. 10.):

De nocte ad portum sum profectus prosumia.

Putat Scaliger antiquos *protumiam* dixisse pro *portumia* a Graeco *πορθμεῖον.* Sed egregie fallitur. Nam a *prosumendo prosumia*, quod eam prosumerent speculandi caussa. Unde et in Gloss. *prosumia κατασκοπῆς*, speculatoria navis. *Dac.* Vide Nonium (pag. 536. Merc.) in *Prosumia.* Gell. X, 25. in fin. Alii legunt *Protumia,* alii *Portumnia.* *Goth.*

Prosita. Nihil hic video. Puto scriptum fuisse *posita.* *Ponere* pro *proponere.* Et ita est. *Dac.* *Prositus* compositum est ex *pro* et *situs* i. e. positus, unde *pro-situs*, propositus. *Situs* autem descendit a Sanscrita radice *çi*, iacere.

Privos. Verba *et privatus* vel mendosa sunt, vel a Paulo detruncata. Nam si addidisset: *cum distinguitur ab eo, qui cum potestate est*, tum recte cetera cohaererent. *Ant. Aug.* Offendit me, quod apud Ciceronem pro hac voce *privatum* substituerint, ut in ea pro domo (c. 17.): *Vetant leges sacratae, vetant XII. tabulae leges privis hominibus irrogari.* At hodie (non amplius) legunt *privatis.* Item III. de Legibus (c. 19.): *tantum maiores in posterum providisse: In privatos homines leges ferri noluerunt*, cum Cicero scripserit *in privos homines.* Subiicit enim: *id est enim privilegium.* Postea interpretatur: *Ferri de singulis nisi centuriatis comitiis noluerunt.* Vide Gellium lib. X. cap. 20. *Scal.* Vide Cuiacii observat. lib. XV. cap. 18. *Privus* autem est cuiusque proprius, suus. Horat. lib. I. Ep. 1, (93.):

Nauseat et locuples, quem ducit priva triremis.

Livius lib. VII, (37.): *Milites singulis bobus in praesentia: duplici frumento in perpetuum, binisque privis tunicis donati.* Est autem a *πρίω*, *emo*, quia quod quis emit, is sibi illud proprium fecit, et inde pro singulo, unico, solitario *privus* dictus. Liv. lib. XXX. (c. 43.): *Fecialibus postulantibus Senatusconsultum factum est in haec verba: ut privos lapides silices privasque verbenas secum ferrent.* Et Lucil.:

Culcitulae accedunt privae centonibu' binis.

A *privus* est *privatus* et *privare.* De *Privilegio* infra. *Dac.* Vide Nonium (pag. 159. et pag. 35. Merc.) in *Priva* et *Privum.* Gell. X, 21. *Goth.*

Privignus. V. l. 4. in fin. ff. de ritu: l. 4. §. et quidem 6. ff. de gradibus. Glossis *πρόγονος.* *Goth.*

Praevaricatores. Optime Festus *a praetergrediendo.* *Varicare* enim est ingredi, ambulare. Gloss. Isidori: *Varicat* divertit, ambulat. *Praevaricari* est praetergredi, quod proprie de araturibus dicitur, qui a recto sulco divertunt et inde translatum in forum. Plin. lib. XVIII. cap. 19.: *Arator, nisi incurvus praevaricatur. Inde translatum hoc crimen in forum. Ibi itaque caveatur, ubi inventum est.* Praevaricator igitur in foro opponitur vero accusatori et is dicitur, qui dum fingit se accusare, id agit potius ut reus absolvatur. Gloss.: *Praevaricor, καταφίημι τοῦ ὑπευθύνου.* Item: *Praevaricor tibi, νοσφίζομαί σε.* Et hoc fiebat vel transeundo dicenda vel leviter attingendo, quae sunt saepius inculcanda, infigenda. Plinius Iunior Epist. 20. lib. I.: *Alioqui praevaricatio est transire dicenda; praevaricatio etiam cursim et breviter attingere, quae sunt inculcanda, infigenda, repetenda.* *Dac.* Quid praevaricari et praevaricator, vide ff. de praevaricatoribus l. 1.

§. 1. §. 6. ff. ad Turpil. *Goth.* *A praetergrediendo* alii *a gradiendo.* Ita lego: *A praevaricando, id est praetergradiendo.* Gloss.: *Praevaricat* διασκελίζει. *Idem.*

Prisci Latini. Coloniae deductae a Latino Silvio Albanorum Rege. Prisci Latini appellati sunt, ut Livius scribit libro I. (c. 3.). *Ant. Aug.* Vide notam superiorem (i. e. *Priscae Latinae coloniae.*). Iidem dicti Casci Ennio:

Quam primum Casci populi genuere Latini.

Dac.

Priscus Tarquinius. Cum Festo consentit Dionysius, qui ait Priscum dictum, quia maior natu erat, quam Tarquinius Superbus. Falsum est igitur, quod tradit Liv. lib. I. sect. 34. parentes eius urbem ingressos Lucium Tarquinium Priscum nomen edidisse, ut et optime Sigonio animadversum. Sed quid si eum a Priscis Latinis, quo Colonias deduxit, Priscum dictum fuisse putemus? Neque enim Prisci post colonias eo a Prisco deductas dicti, ut quidam videntur existimare. Nam Priscos ante Romam conditam fuisse supra et Festus et Livius satis ostendunt. Dicti autem Prisci, quod prius fuerunt. *Dac.*

Pristinum. Glossis: *Pristina* ἀρχαῖα. *Goth.*

Proletarium. Vide Gell. lib. XVI. cap. 10. *Ant. Aug.* *Proletarii* et *Proletanei*, ut *extrarii* et *extranei.* Proletarii autem dicti in plebe Rom. tenuissimi, qui non amplius quam quingentium aeris in censum deferebant et prole tantum iuvabant rempublicam. Sed diversi tamen a capite censis, qui nullo aut perquam parvo aere censebantur, sed capite tantum. Unde et *capite censi.* Utrique quidem in unam et imam classem a Tullio rege coniecti, maioris tamen honoris erant et re et nomine proletarii, quam capite censi, quorum extremus census fuit asses trecenti septuaginta quinque. Vide Gellium lib. XVI. cap. 10. *Dac.* Vide Nonium (pag. 67. et pag. 155. Merc.) in *Proletarii dicti* et in *Proletarii cives. Goth. Idem.* Item. *Idem. Proletarii.* Proletanei, alii *prolectanei. Idem.*

Procitare. *Prolicere*, id est *provocare, producere. Dac.* *Prolicere.* Pollicere. *Goth.*

Prologium. Πρόλογος, προλόγιον, *prologus*, *prologium*, ut ἔξοδος, ἐξόδιον, *exodus*, *exodium.* Vide *Exodium.* *Prologus* autem proprie praefatio quaedam fabulae, in qua vel poeta excusatur, vel fabula commendatur: *Prologium* vero, cum argumentum fabulae tantum describitur. *Dac.*

Prolugere. *Pro* id est porro, in longum. Tamen huius significationis exempla desidero. *Dac.*

Praeliares dies. Vide in voce *iusti dies. Dac.* Vide supra *Mundus*: *Mundum* et infra *Religiosus. Goth.*

Provinciae. Adde l. 99. 1. ff. de verb. signif. Earum aliae consulares, aliae praetoriae, aliae urbanae. Cicero Philipp. I. (c. 8. init.), unde *provinciales* l. 190. ff. eodem titulo; *res provinciales* l. 35. ff. de haeredib. instit. *Goth.*

Protinam. Terent. Phorm.: *Aliquid convasassem atque hinc me coniicerem protinam in pedes.* Sic Nigidius et Donatus, non *protinus. Ant. Aug.* Varro lib. VI. (VII, pag. 385. Merc.): *In Lampadione* (Naevius) *protinam a protinus continuitatem significans.* Vide Nonium (pag. 375. Merc.). Locus Terent., quem laudat Festus, est Phorm. I, 4, (13.), ibi tamen vulgo *protinus*, sed rectum esse *protinam* ostendit hic Festi locus, et docet vetus interpres, qui Donatus dicitur. *Protinam fuit*, inquit, *et sic Nigidius legit. Dac.* *Protinis* etiam veteres dixere. Vide Nonium in *Protinus* (pag. 375. Merc.). *Goth.*

Pruina. Ros concretus, secundum Aristotelem, quasi *pyrina*, ἀπὸ τοῦ πυρός, vel secundum Festum quasi *perurina*, quomodo et Graecis dicitur αἶθρος ab αἴθω, *uro. Dac.*

Prugnum. *Privignus, pruignus, prugnus*, vel potius *prigenus, prignus, prugnus. Dac.* *Pro privignum.* Pro prunum. Alii *pro pronum. Goth.*

Propages. Sic *Compages, Impages. Dac.* Adde Nonium (p. 64. M. v. *Propages.*) in *Propago. Goth.*

Propetrare. Quasi *ante patrare*, providere, ut aliquid agatur, perficiatur. *Dac.*

Propudium. Non dubium, quae Graecis καθάρματα, ea Latinis propudia dicta. Inde homines sceleratos, ut Graeci καθάρματα, sic Romani eosdem *propudia* vocarunt. *Scal.* Plaut. Curcul. (I, 3, 34.):

— — — *Quid ais propudium?*

Dac. *r . . . procul sint.* Hic verba Festi coaluerunt cum Pauli epitome. Repetendum igitur: *Propudium dicebant* etc. Nihil certius. *Dac.* Vide supra *pro*, ibi: alias pro privandi facultate. Gell. II. cap. 7.: *Si pater imperet, uxorem ducere infamem non parendum* facit l. 12. ff. de sponsalib. 13. §. 5. ff. de bonorum possess. contra tab. *Goth.* *Cum.* Quum cum. *Idem.* *Maledicto.* Maledicti. *Idem.* *Sint.* Fuit. *Idem.*

Provorsum fulgur. (Ad p. 201.) Non sat video, cur incertum fulgur provorsum dicatur, cum *provorsum* sive *prorsus* nihil aliud sit, quam ἀντώπιον. Unice amplector Meursii coniecturam, qui putat Festum depravatis codicibus usum, vel adeo ipsum Paulum male suam epitomem instituisse. Quippe contracte scriptum fuerat *controvorsum fulgur* i. e. *controversum*, quod male in provorsum postea commutatum. Neque dubium est, quin controversa fulgura recte dicta sint, de quibus controversia esset, quo tempore cecidissent, sive diluculo, sive crepusculo, quae tempora dieine an nocti annumerari debeant, in incerto est. Lege infra *itaque Iovi fulguritori*, et ideo autem Iovi et Summano sacrificabant, ne scilicet per ignorantiam peccarent et ita religionem contraherent, sic cum Deos Deasne alloquebantur et ignorabant, ne eorum numen imprudentes laederent, primo dubitabant, deinde addebant *quicunque* vel *quaecunque*. Virg. I. Aen. (329.):

O quam te memorem virgo? namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat. O Dea, certe:
An Phoebi soror, an Nympharum sanguinis una?
Sis felix, nostrumque leves, quaecunque, dolorem.

Imo etiam et cum illis numen notum erat, ex eius πολυωνυμία nomen illud captabant, quod ei gratissimum foret. Hinc intelligendus Horat. in Carmine seculari (v. 13. seqq.):

Rite maturos operire partus
Lenis Ilithya, tuere matres:
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu genitalis,
Diva producas sobolem.

Idem et Graeci veteres, qui etiam, ne quem deum honore debito defraudarent, Athenis aram ignoto Deo consecrarunt, de qua D. Paulus in Act. Apost. Multa ad hanc veterum superstitionem possent referri. Sed ea per se satis monitus lector adnotabit, morem tantum indicasse sufficiat. *Dac.* *Nocturna summani.* Eadem videntur dici a Seneca II. Natural. 49. Glossae: Κεραυνοβόλιον ἀπὸ πρωῒ νυκτερινόν, fulgur submanum, κεραυνοβόλιον fulgurium. *Goth.* *Summani.* Vide infra *Summanalia liba.* *Idem.*

Propatulum. Vide supra *Patales. Goth. Supra.* Super. *Idem.*

Properus. *Adverbium propere.* Adde alia duo ex Nonio (pag. 153. 154. Merc.) *Properatim* et *properiter.* Adde Gell. XII. cap. ult. *Goth.* Cf. Doederlin. Syn. Lat. tom. II. pag. 133.

Prophetas. Colloca versus Iulii Caesaris suo ordine:

Cum capita viridi lauro velare imperant
Prophetae, sancta caste qui purant sacra.

Purare a purus, ut piare a pius. De hoc C. Iulio Asconius in Scauriana: *Idem inter primos temporis sui oratores et tragicus poeta bonus admodum habitus est. Huius enim sunt tragoediae, quae inscribuntur Iulii.* De eodem C. Iulio Cicero in Bruto (c. 48.): *Sunt eius aliquot orationes, ex quibus, sicut ex eiusdem tragoediis, lenitas eius sine nervis perspici potest. Scal.* *Prophetas* a πρόφημι, id est profari, praedicere, προφήτης, propheta. Et sic apud Gentiles dicti antistites fanorum et oraculorum interpretes et praecipue sacerdotes Aegyptii. Macrob. lib. VII. Sat. cap. 13.: *Adeo verum ita ut dicis Aegyptios opinari, ut ego sacerdotes eorum, quos prophetas vocant, cum in templo vidissem.* Unde et Antinoum in Antinopoli Aegypti urbe prophetas habuisse legimus, ubi prophetae nihil aliud sunt quam sacerdotes, ut vice versa in illo Virgilii VI. Aeneid. (645.):

Nec non Threicius longa cum veste sacerdos.

Sacerdos id est propheta, qui et ipse nihil aliud est, quam poeta. *Dac.* Glossis προφήτης propheta. *Goth.* *Purant*, alii *purgant*, alii *parant.* *Idem.*

Propter viam. (Ad p. 202.) Videndus locus Catonis apud Macrobium lib. III. Saturn. de eo, qui bona sua comedisset, et domum, quae sibi reliqua erat, incendio amisisset: *eum enim propter viam fecisse dicebat.* In eo enim sacrificio mos fuit, ut si quid ex epulis superfuisset, igne consumeretur. Sed illic a Macrobio protervia appellatur. Sic Laberius apud Nonium (pag. 53. sub. v. *Bidentes*):

Visus ac (hac) nocte bidentis propter viam facere.

Ant. Aug. De hoc satis alibi. Fiebat autem Herculi, apud cuius aram omnia, quae profanabantur, absumi necesse erat, ut supra in *Porricere* vidimus. Nam ridiculum putare in sacrificio propter viam tantum id fieri, cum epulum propter viam profanetur Herculi et omnia quaecunque Herculi profanabantur, consumi necesse

erat. Vide Varronis verba, quae supra in *Porricere* adduximus. *Scal.* Peregre profecturi Herculi sacrificabant in culina, quae eius aedi iuncta erat. Cuius mentio in hac inscriptione:

HERCULI SANCO SACRUM SER. SULPITIUS TROPHINUS AEDEM, ZOTHECAM, CULINAM PECUNIA SUA A SOLO RESTITUIT, IDEMQUE DEDICAVIT K. DECEM L. TURPILIO DEXTRO, MAECIO RUFO COSS. EUTUCHIUS SER. PEREGRINANTIB. CURAVIT.

In eo sacrificio si quid ex pollucta dape reliquum erat, id omne igni absumebatur, unde iocus Catonis apud Macrob. Sic apud Plautum Rud. I, 2, (62.) Sceparnio ut aliquos naufragium omnium bonorum fecisse significet, ait eos propter viam ad prandium vocatos:

— — — *ut mea est opinio*
Propter viam illi sunt vocati ad prandium.

Propter viam sacrificare Graecis ἐξιτήρια θύειν. Inde autem sacrificium illud ortum notavit nobilissimus Huetius in demonstratione Evangelica, nempe e sacrificio Paschae facto a Iudaeis ex Aegypto profecturis, propter viam nimirum, quam in Chanaan capessebant. *Dac.* *Herculi aut Sanco.* Hercules idem Sancus a Sabinis dictus. Varro lib. IV. (pag. 72. Sp.): *Aelius Gallus diusfidius, Diiovis filius, ut Graeci Διόσκουρον Castorem, et putabant hunc esse Sancum a Sabina lingua et Herculem ab Graeca.* Inde Lactantius lib. I. cap. 15.: *Sabini Sancum, Romani Quirinum* etc. Hercules *Sancus, Fidius,* et *Semo* dictus. Ovid. lib. V. Fast. (213.):

Quaerebam nonas Sanco Fidiove referrem
An tibi, Semo pater? cum mihi Sancus ait?
Cuicunque ex istis dederis, ego nomen habebo
Nomina terna fero, sic voluere Cures.

Livius *Semonem Sancum* vocat lib. I. sect. 20. Bona Semoni Sanco censuerunt consecranda. Idem et *Sanctus* dictus Propert. lib. IV. Eleg. 10. (IV, 9, 71. seq.):

Sancte pater salve, cui iam favet aspera Iuno,
Sancte velis libro dexter adesse meo.

Idem. Adde Nonium (pag. 53. Merc.) in *Bidentes. Goth. Filia.* Filius. *Idem. Sanco.* Sango. Vide *Sangualis porta. Idem. Profecturi. Sanco,* sanio, alii *Fauno,* alii *Sango,* alii *Sancto. Idem.*

Prodigia. (Ad p. 202.) Minime crediderim *C* appellari ab antiquis, quae postea *G* dicta est, licet maxima fuerit utriusque literae affinitas, uti apud Graecos media esse dicitur r inter k et x. Sed fortasse Festus significat, quae nunc G litera prodigia dicuntur, ab antiquis C litera dicta esse prodicia. Sed si dicta sunt a praedico, non una litera, sed plures mutantur. Quare puto esse dicta a prodico et forte ita scribendum esset apud Festum. *Ant. Aug.* Lege infra ex Vossio: *Nam quae nunc g appellatur, ab antiquis c vocabatur.* Ait *prodigium* esse quasi *prodicium,* a praedicendo, quia quae nunc *g* antiquis erat c. Et huic Festi etymo adsentit etiam Tullius. Vide supra in *Monstrum.* Sed dissentit Nonius (pag. 430. Merc.): *Prodigium autem,* inquit, *semper pessimum est, dictum quasi porro adigendum.* Ergo *prodigium* quod porro agatur quasi *prodagium.* Favet quod secunda in *prodigium* corripitur, quae produceretur, si a *praedicendo.* Sed fallitur Nonius cum ait *prodigium* semper esse pessimum. Nam esse de bono Virgil. V. Aen. (639.):

— — *Nunc tempus agi res,*
Nec tantis mora prodigiis.

Ubi Servius: *Ecce,* inquit, *prodigium de bonis. Dac.* Adde l. 3. Cod. de lib. et postli. Hinc prodigiosum in l. 14. ff. de stat. l. 38. ff. de verb. signif. *Goth.*

Produit. (Ad p. 202.) Haec verba mendosa videntur: *Habeto, prodito, alias prodiderit.* Fortasse significat, *Produit* significare aut porro dederit, aut prodiderit. Prioris significationis exemplum esse in lege Censoria: ubi *prodito* significat *porro dato. Ant. Aug.* Verba legis Censoriae ita sententia postulante legerim: *PORTICUM. SARTAM. TECTAMQUE. PRODUIT. Scal.* Mihi omnia legis verba, quae Festus prodit, sana videntur, sed eius tantum membrum deesse. Suppleo: *Porticum sartam tectamque habeto prodito neu produit.* Iubet lex conductorem porticum sartam tectamque a Censoribus accipere et absoluto locutionis tempore eandem sartam tectam prodere, ni *produit,* id est prodiderit, multa ei dicatur. Vel quid simile. Poterat etiam et scriptum fuisse *cum produit,* id est cum prodiderit, ut censores cognoscant, iudicent, probent. Et ita hanc legem censoriam, quae ad hoc viros doctos torsit, sartam tectamque a nobis proditam, doctis spero gratum fore. *Dac. Prodito* produito, nisi loco *produit* quis legat *prodit,* alias hic aut illic mutari verbum necesse est. *Goth. Ut in lege censoria.* Vide l. 203. ff. de verb. signific. *Idem.*

Prodegeris. (Ad p. 202.) Lego versum Plauti:

Pollucte prodigum esse amatorem addecet.

Scal. Lege: *Prodegeris, consumpseris, perdideris. Prodigere* est porro agere, id est consumere, perdere, inde *prodigus*, ut infra *Prodiguae hostiae*, quae totae consumuntur. Plaut. Aulul. II, 8, (10.):

— — *Festo die si quid prodegeris,*
Profesto egere liceat, nisi peperceris.

A *prodigus prodigitas* Lucil. et *prodigentia* Tacit. Infra in versu Caecilii legendum *inridier. Dac.* Adde l. 18. ff. de off. praesid. Hinc prodigus in iure in l. 1. ff. de cur. fur. Gloss. ἀνάλωτος et *prodigitas* Nonio (p. 159. Merc.) profusio. *Goth. Hymni.* Hymnide. *Idem. In.* Me. *Idem.* De loco Caecilii cf. Spengel in Fragmm. Caecilii pag. 24. ubi recte tuetur *inriderier.* In Plauti loco verum videtur vidisse Ursinus, qui legit: *producte prodigum esse me amatorem decet.*

Prodinunt. Prodeo, prodino, ut *redeo redino.* Vide *redinunt. Dac.* Sic supra *Nequinunt* pro nequeunt. *Goth.*

Probrum. Versus Attii plane Stoicum decretum est: οὐδὲν κακόν, εἰ μὴ αἰσχρόν. *Scal.* Quasi *prohibrum*, quod prohibere a nobis debemus. Et non tantum de stupris et flagitiis, ut Plaut. I, 2. (Amph. v. 15.):

Atque insimulabit eam probri.

Et Sueton. Caes. 43.: *Diremit nuptias praetorii viri, qui digressam a marito post biduum statim duxerat, quamvis sine probri suspicione*, sed etiam de qualibet alia turpitudine. P. Africanus de multa: *Omnia mala, probra, flagitia, quae homines faciunt, in duabus rebus sunt, malitia atque nequitia. Dac.* Adde l. 41. ff. de ritu. l. 42. ff. de verb. signif. *Goth.*

Probi. Velut *prohibi.* Nam et *probere* dicebant pro *prohibere.* Lucret. lib. I. (v. 976.):

Nam sive est aliquid, quod probeat officiatque.

Prodigiatores. Vide supra *Prodigia. Goth.*

Prodit. Prodit memoriae, posteris, porro dat, item fallit, deserit, perdit, a *prodo.* Vide supra *prodidisse. Prodit* procedit a *prodeo. Dac.*

Punicum. Cum ait *punicum* esse nomen vestis, tunicam intelligere eum puto. Nam ea Poenorum fuit. Unde *Tunicata iuventus* Ennius de Poenis. Et Plaut. in Poenul. (V, 3, 2.): *Homo tunicatus*, de Hannone Carthaginiensi. *Dac.*

Progenerum. Socer magnus dicitur uxoris meae avus, ego illius sum progener. Modestinus lib. IV. D. de grad. et ad fin. *Dac.* §. 5. ff. l. 3. §. 2. ff. de postulando. *Goth.*

Profanum. (Haec nota pertinet ad ea, quae pag. 201. sub v. *Porriciam* leguntur, quae in vulgatis exemplis, alphabetico ordine dispositis, statim post articulum *Profanum* sequebantur.) Hic locus totius libri argumentum est. Sed miror, cur tantum numerum librorum Verrii dixerit, seque libros paucos fecisse, cum libro quinto Verrii initium P. literae fuerit. At Festi quintus decimus. Inscriptio quoque non convenit libris Verrii, neque etiam libris Festi, qui de verborum significatione in antiquo libro inscribuntur. *Ant. Aug.* Infra: verbum alieno loco positum. Nam de verbo *porricere* disputabat. Ad quod locum ex Plautina Pseudolo profert (I, 3, 31.):

Atque in manibus exta teneam, ut porriciam; interea loci
Si lucri quid detur, potius rem divinam deseram.

Deinde disserebat de profanatione eorum, quae porriciebantur; ea videlicet, quae porriciuntur, profanari docens et profanata consumi. Varro (VI, pag. 231. Sp.): *Itaque ob id in fano consumebatur omne, quod profanum erat, ut etiamnum fit, quod Praetor urbanus quotannis facit, cum Herculi immolat publice iuvencam.* In fine ita lego: ea autem, de quibus dissentio et aperte et breviter, ut sciero, scripta in his libris meis invenientur, qui inscribuntur: *Priscorum verborum cum exemplis.* Neque dubium est, quin ita scripserit Festus. Sed libri ii interciderunt. Nam quod docti viri putant Festum de his, quos in manu habemus, loqui, et peccant ipsi et alios in errorem inducunt. Nam neque Festus hos libros, qui extant, vocasset suos, cum sint Verrii, neque in istis libris instituit reprehensionem Verrii, praeterquam in locis admodum paucis, idque obiter. Neque paucos hos libros vocasset, cum supra 19. scripserit, neque haec est horum librorum inscriptio, cum a Macrobio vetere auctore de verborum significatione citentur. His et pluribus rationibus atque adeo tenore verborum Festi inductus quilibet potest advertere libros *Priscorum verborum cum exemplis* non esse

eosdem cum his nostris *De verborum significatione.* *Scal.* *Profanum.* Hic locus pessime distractus. Hiatus enim, qui post *progenerum* apparent, huc pertinebant. Locum adi. *Profanum* proprie est, quod ex religioso et sacro in hominum usum conversum est. Servius ad illud XII. Aen. (779.):

Quos contra Aeneadae bello fecere profanos.

Profanum, inquit, *proprie dicitur, quod ex religiosa re in hominum usum convertitur.* Et *at postea dicendo bello fecere profanos, docuit profanum esse, quod a religione in usum hominum transiit, sacro profanum contrarium, ut festo, profestum, fano, nefastum. Ergo non omne, quod sacrum non sit, profanum, sed quod sacrum fuerit et desierit.* Verum illud non semper a veteribus observatum, qui saepe profanum dixere de eo, quod nunquam sacrum fuerat. *Dac.* *Quod non est fanum.* Quod non est fandum. Varro IV. de L. L. (VI, pag. 230. Sp.) Macrob. III. cap. 3.: *Quod extra fanaticam causam, quasi porro a fano, id est religione.* Adde l. 6. s. *sacrne.* ff. de rerum divis. l. 83. §. sacram. ff. de verbor. oblig. l. 9. Cod. de religiosis. Glossis profani ἀμύητοι, βέβηλοι, ἀνιεροί. *Goth.* *Pro.* Corruptissima sunt: *alias aliud alio, ut pro pecunia, pro praedio, pro consule.* Lego: *alias apud, ab, ob: ut pro pecunia, pro praede, pro consilio.* *Dac.* Infra: Fere omnia ex epitome divinare potes. Hoc tamen praeterea habebat Festus, quod Attium in Menalippo vel Ennium in Melanippa, item Plautum in Condalio citabat. *Scal.* *In compositione ponitur.* Male hic Pauli et Festi verba cohaeserunt. Superiora sunt Pauli, Festi quae sequuntur, sed ita supplenda. Pro significat in, ut pro rostris, pro aede, pro tribunali. In compositione ponitur etc. In illis *pro aede* fallitur Festus, neque enim ibi *pro* significat *in*, sed *ante*, ut infra *pro ostio.* Sed vide Gellium lib. II. cap. 3. *Dac.* Cfr. Gell. II. cap. 17. *Goth.* *Pro rostris* v. l. 2. §. 4. ff. de origine iuris. *Idem.* *Pro amplificando*, ut *profugi* in l. 9. ff. quod metus causa. *Idem.*

Profundum. Diomedes (pag. 408. P.) capite de praepositione: *Pro praepositio significat porro, ut cum profundum dicimus pelagus, ut cui porro fundus sit.* Vide *Altum.* Servius ad illud I. Aeneid. (Ge. IV, 222.): *Caelumque profundum. Profundum autem,* inquit, *et sublime dicitur.* Item: Et sicut hic profundum in altitudinem, sic alibi fastigia in infima parte (Virg. Ge. II, 282.):

Forsitan et scrobibus quae sint fastigia quaeras.

Dac. Adde Nonium (pag. 460. Merc.) in *Profundum.*

Profesti dies. Afranii exemplum, quod citabat Festus ex Privigno, extat integrius apud Nonium (pag. 434. Merc. v. *Profesti.*):

Quae nos solemus facere festivo die,
Quotidiano opere promisces omnia.
At quae profesto, contra; cum celebras focum.

Ita enim legendum apud Nonium. *Scal.* Opponuntur diebus festis, et dicti *profesti*, quod *pro*, id est *procul* a festis sunt. Ait Afranius: Quae nos facimus diebus festis, tu diebus profestis omnia permisces. At quae nos profestis facimus, tu id omne diebus festis, cum celebras focum. Nam diebus festis Deorum focus celebrabatur. *Dac.* Vide Macrob. I. Sat. 16. *Goth.*

Profusus. Versus Terentii, ut a Paulo refertur in Adelphis, quod Festi dimidiati dies significant. Pacuvii autem nimis mendosus est. *Ant. Aug.* *Profundo* est largiter fundo, unde *profusus* δαπανηρός, sumptuosus. Gloss. Profusa ἡ δαψιλής. Item profundo, humi fundo, unde profusus humi fusus, abiectus. In versu Pacuvii legendum puto:

Profusus gemitu murmure occentans ruat.

Dac. Locus Terentii est Adelph. I, 2, 54.

Plauti. A Graeco πλατύς, et prius dictum fuit plotus, postea plautus. Plauti autem dicebantur homines pedibus planis. Vide *Ploti.* *Dac.* *Plaudi.* Plauti. Alii *Planti*, alii *Plati* a Graeco πλατύς, quod latum significat, idque vero propius est, cum Plaudi hic dicantur, quorum aures latius pateant. *Goth.*

Plantae. Planta pedis a *plano*, nempe a Dorico πλάτα pro πλάτη, inserto *n planta.* At *planta* pro stirpe, a *palanta*, quod a *palus*, ut olim *planta* fuerit stirps, quae pangeretur, vel potius *planta* ab Aeolico βλάττη, inserto *n.* *Voss.* Sed verum esse possit, quod ait Festus, stirpes plantas vocatas a similitudine plantarum nostrarum, quum et ipsae *pedes* etiam dicantur. Nam *betae pedes* dicit Varro de r. r. (I, 2.), *betacei pedes* Apicius (III, 2.). Et in Glossis legitur *pastinaceus, betaceus*, nempe subintelligitur *pes.* *Dac.* *Olerum.* Olearum. *Goth.*

Plancae. *Palancae* prius dictae, a Graeco φάλαγγες, vel potius *plancas* a Graeco πλάκας inserto

n. Gloss. *plancus* πλατύπους. *Dac. Plancae.* Palancae. Ob quam causam Planci appellantur. *Goth. Qui supra modum pedibus plani sunt.* Iidem *ploti* infra in *Ploti. Idem.*

Plaustrum perculi. (Ad p. 203.) Agebatur manifesto de proverbio *Plaustrum perculi.* Ad idque citabatur versus ex Epidico Plauti (IV, 2, 22.):

Epidicus mihi magister fuit. Pe. *perii, plaustrum perculi.*

Ut male hodie legatur, *austrum perculi*, quod maximus vir Adrianus Turnebus *haustrum* interpretabatur, idque optime, si ita proverbium efferebant veteres. Sed cum agnoscatur hic a Festo, item a Donato, ita retinebimus. Male vero proverbium illud interpretatur Erasmus, ut cuivis facile, qui eius interpretationem legerit, patere potest. Sed illi condonandum, quia ad eam opinionem Donatus male intellectus eum impulit ac ipsum Erasmum potius, quam plaustrum perculit, cum alia mente apud Plautum accipiendum sit. Porro non longe ab his verbis scripsisse videtur Festus: *Plaustrum perculi antiqui dicebant ab iis, qui pedibus onusta plaustra percellebant, hoc est evertebant . . . . id, quod apud Plautum dicitur Epidicus mihi magister fuit. Perii: plaustrum perculi.* Videtur Erasmus sentire, ut non dicatur de eo, qui imprudens negotium evertit, sed de eo, qui prius rem praeparat, quam eam alioqui aggrediatur, ut de rusticis, qui prius quam plaustrum exonerent, plaustrum ipsum percellunt; propterea proverbium efferebatur: *Bene plaustrum perculi*, bene rem conficiam, cum eam prius mihi subegerim. At quomodo apud Plautum legitur, non potes ita accipere. Ridiculum enim si dicas: *Perii: bene plaustrum perculi.* Neque sane quomodo Servus apud Terentium loquitur. Accipiendum enim semper de eo, qui evertit et perturbat rem. Quare non *bene perculi*, sed *pene perculi* legendum. Quod indicatur verbo *perculeris.* Est enim, ut grammatici loquuntur, potentiale: hoc est *Pene perculisti*, ἤδη τραχηλίσειας, ἤδη πρηνίξειας ἄν με. Vide unius voculae ignoratio vel potius unius literulae menda magnum virum quam absurde pronuntiare coegit. Nam quis putaret plaustra prius everti, ut facilius exonerentur? Sed homines sumus, neque propterea magni viri manibus iuveniliter insultandum. *Scal.*

Plebeium. Infra: *Plebeium magistratum neminem licet capere, nisi qui ex plebe est. Cuius generis est omnis magistratus, qui isto nomine appellatur.* Intelligit tribunatum plebis et aedilitatem plebis. *Scal.*

Plutei. Glossarium: *Pluteus* παράθεμα, ἀνάκλιτον, θυμέλη πλοίου, ἐγγώνιον τρικλίνου. Etiam Martialis τὸ ἀνάκλιτον τῆς κλίνης ita vocat (III, 49.):

Namque puer pluteo vindice tutus erat.

Aliae Glossae: *Pluteum* γυψοπλασία. *Scal.* Fuere olim e tabulis et asseribus, postea vero pluteos fecere e cratibus corio intentis. Formam describit Veget. lib. IV. cap. 15.: *Plutei dicuntur, qui ad similitudinem apsidis contexuntur e vimine et ciliciis vel coriis proteguntur ternisque rotulis, quarum una in medio, duae in capitibus apponuntur, in quamcunque partem admoventur, more carpenti.* Plutei item tabulae omnes, quibus aliquid praesepitur. Et haec forsan prima notio. Nempe a πλάξ tabula. Utramque significationem glossae amplecti videntur, cum pluteum exponunt παράθεμα. Inde etiam *pluteus* fulcrum tori, lecti latus interius. *Dac. Dicuntur.* Significantur. *Goth.* Dicendum h. l. paucis de stirpe vocabulorum illorum, quae huc pertinent. Sanscrita radix est *prithu*, cui respondet Germanorum *breit*, Batav. *breed.* Solenni mutatione semivocalis apud Graecos fit πλατύς, omissa labiali apud Latinos *latus*, quae labialis redit in *plautus*, *plotus*, *planta*, *planca.* Cui si addas *pluteus*, usitatam istam et saepe a nobis ostensam habebis vocalium demutationem *a*, *e*, *i*, *o*, *au*, *u* per integram verborum familiam transtinentem et continuatam. Cf. quae paulo ante dicta sunt ab interpp. ad v. *Plauti canes. Pluteus* tabula lata, sive id quod ex tabulis latis fit, praesepimentum, tum armentarium, et eiusmodi alia.

Plebeii aediles. Quod Paulus in Epitome scribit, verum esse constat ex Dionysio lib. VI. (V, 18. pag. 292.). Nam quum primum seditio inter plebem et patres sedata est; et Tribunos plebis et Aediles tum primum a plebe creatos confirmarunt. Nomina tum aedilium non accepi, neque arbitror ea esse, quae Festus refert. Haec enim scribit eorum fuisse, qui septem quasdam res faciendas curaverunt. Quaenam vero hae septem res fuerint, nondum divinare potuimus; arbitramur autem septem tabernas fuisse, quae in foro fuerunt, postea quinque appellatae. De quibus Livius lib. XXVI. (c. 27. init.): *Interrupit hos sermones nocte, quae pridie quinquatrus fuit, pluribus simul locis circa forum incendium ortum. Eodem tempore septem tabernae, quae postea quinque, et argentariae, quae nunc novae appellantur, arsere.* De eisdem in libro de regionibus urbis Sexti Rufi mentio fit. *Ant. Aug.* Infra: *Plebei aediles, qui plebei scito, quae de eo magistratu suffragium tulit, ab illa sunt constituti . . . . unt, qui una cum Tribunis plebei creati sunt dissidente plebe a patribus. Ji fecerunt tabernas, quas novas vocant, nos autem quinque dicimus eas et septem feruntur, et ple-*

beias vocamus a genere magistratus. *Scal.* Constat aediles plebis una cum ipsis tribunis plebis institutos fuisse anno urbis conditae CCLXXI. Plebs enim tribunos suos nacta hoc amplius petiit (inquit Dionysius lib. VI.), ut duos e plebe sibi creare liceret, qui tribunis velut administri et adiutores essent, quique eas caussas cognoscerent, quas illi commisissent. Itaque hi primi aediles plebis appellati. *Dac.* *Et septem ferunt.* Vide l. 2. §. 20. ff. de origine iuris. *Goth.*

Plexa. A *plecto*, quod a Graeco πλέκω, *connecto*, *colligo.* *Dac.*

Plentur. Ab obsoleto *pleo*, unde *compleo*, *depleo*, *impleo.* *Dac.* Adde infra *Spicit.* *Goth.*

Plera. (Ad p. 203.) Pacuvius in Teucro apud Priscian. lib. V. (c. 12. tom. I. pag. 208. Kr.):

Periere Danai, plera pars pessundata est.

Ant. Aug. Ab obsoleto *plerus.* *Dac.*

Ploxinum. *Ploxemum* (Scal.). Catullus *ploxenum circa Padum invenit*, inquit Quintilian. lib. I. cap. 10. Capsum autem in cisio capsave quid sit, ignoro. Cisium vehiculi genus esse duarum rotarum scribit Nonius (pag. 86. Merc.), quo verbo Cicero usus est in Orat. pro Sex. Roscio (c. 7.) et Philipp. II. (c. 31.). Si quis cantum pro capsum scribat, existimans id esse ferrum, quo rotae vinciuntur (ita enim Quintilianus verbum id a Persio usurpatum interpretatur), is quidem aliquid dixerit, me tamen subscriptorem non habebit. Id enim si Quintilianus sensisset, non usus fuisset verbo inveniendi, sed appellandi, et addidisset pro eadem re aut aliquid huiusmodi. *Ant. Aug.* De hoc satis alibi. Capsum in cisio vulgo in Gallia *Tumberellum* vocamus, quod capsae specie sit. Utitur et Vitruvius. Πείρινθα (Odyss. XV, 131.) καὶ ὑπερτερίην (Od. VI, 70.) Homerus vocat. *Sirpiculum* etiam veteres Latini, si ex vitili materia. *Scal.* Vossius ait forsan esse a πλόξιμον, πλόκιμον a πλέκω, *necto*, quod vimine plecti soleret. Cisium autem vehiculi biroti genus, proprium Galliae Cisalpinae. *Dac.* Inde cisiarius carucharius in l. 13. ff. locati. *Goth.* Locus Catulli, quem citat Festus, est carm. 96, 6. *Ploximus* sive *Ploximum* non dubium est, quin sit a *plecto*, *plexus*; uti enim apud Graecos πλέκω et πλόκαμος, πλόκος, πλοκή, ita demutatis vocalibus etiam apud Latinos *plexus*, *ploximus*, *plix*, *plica* facta esse, credibile est. Ubi vocalium *e*, *i*, *o* demutatio illa reperitur frequentissima, de qua saepe.

Plorare. (Ad p. 203.) Verba legis Romuli mendosa sunt, *si nurus sacra divis parentum esto.* Et deesse arbitror aliquid huiusmodi: *Si nurus incestum passa non plorassit, sacra divis parentum esto.* *Ant. Aug.* Longum est toties indicare errores, cum et tempus et chartam lucri facere possimus et in continenti emendationem apponere. Traiectiones igitur et alia errata ita restituimus: In Regis Romuli et Tatii et Servii Tullii legibus haec est: *Sei parentem puer verberit, ast oloe plorassint* (parentes) *puer diveis parentum sacer esto*, *sei nurus, sacra diveis parentum esto.* Ecce, quae in citandis regum nominibus traiecta erant, ea suo loco reddimus: *Verberit* pro *verberet.* Ita semper in XII. Nam et eo modo *vindicit* pro *vindicet.* Sed et *edim* pro *edam* dicebant; *oloe* pro *oli*, una L, qui non geminabant, ut postea, cum dixerunt *olli.* Sed plurali *oloe* dictum, ut *Pilumnoe poploe:* hoc est *Pilumni populi.* Supra idem Festus monuit *ab oloes* pro *ab illis* dictum. Altera luxatio in altero legis membro facta erat. Importune enim ultima clausula loco mota erat. Vocem *parentes* circulo inclusimus, neque maiusculis literis perscripsimus. Est enim Glossema pertinens ad *oloe*, ne forte scilicet perperam illud *oloe* acciperetur, quod veteres, cum citarent leges antiquiss. propter obscuritatem aut verborum insolentiam factitabant, ut in illa lege: *rem ubei pagunt, oranto, nei pagunt ante meridiem, in foro aut in comitio caussam coniciunto* (cum perorant ambo praesentes), *post meridiem praesente ambobus leitem addicito* (si ambo praesentes), *sol occasus suprema tempestas esto.* Et in Actionib. apud Varronem: *Extra surdam luscam minam* (id est ventre glabro). Sed de his alias fusius. Nos haec produxisse contenti sumus. *Scal.* Scaliger vix dimidium negotii confecit: Verba enim Festi ita traiecta sunt, ut ex iis nullus, nisi perobscurus sensus eliciatur. Lego itaque: *Plorare flere nunc significat, at apud antiquos plane inclamare, et cum praepositione implorare inclamare, id est invocare in regis Romuli* etc. Nunc omnia plana. Sed non praetereundum in lege Numae pro *esto* schedas habere *estod*, quomodo antiquos scripsisse tradit Quintil. lib. I. cap. 7.: *Ut Latinis veteribus d plurimis in verbis ultimam adiectam, quod manifestum est etiam in columna rostrata, quae est C. Duilio in foro posita: in ea columna legitur: altod, marid, pugnandod.* *Dac.* Adde supra *Endoplorato: Explorare: Implorare.* *Goth.* *Latii.* Tatii. *Idem.* De littera *d* paragogica cf. Bopp. in Vergleichende Zergliederung cet. in Abhandlungen der Berliner Akademie 1826. pag. 94. seqq.

Pedulla. (Ad p. 203.) Neque Graecum verbum extat, neque Latinum quid significet constat. *Ant. Aug.* Eadem et *Pedalia.* Glossarium: *Pedale*, ποδεῖον. *Scal.* Optime Voss.: *Pedulia quae dicunt πέδιλα Graece* etc. Non enim *pedullum*, sed pedule dicitur. Pedule socculus pedum. *Dac.*

Penem. Codam pro cauda usos veteres notat Marcellus Nonius (pag. 86. Merc.). Vide *October.* Et de hoc verbo Cicero epistol. 22. lib. IX. Vide *Peniculi* et *Penitam.* *Ant. Aug.* Versus Naevii leviuscule contaminati ita legi debent:

Theodotum compella, qui aris compitalibus
Sedens in cella circumtecta tegetibus
Lares ludentes peni pinxit bubulo.

Quid sit penis bubulus vide in Coniectaneis. Nam male interpretatur Festus. *Coena pura*, quam vocat, est, qua fungebantur, cum in casto essent. Glossarium: *Coena pura προσάββατον imitatione Gentilium παρασκευὴν Iudaeorum ita vocat. Scal.* *Penis* cauda, quod ab animali dependet, inde propter similitudinem *peniculus*, nam caudis ad extergendas mensas et excutiendum pulverem veteres utebantur, ut nos hodieque utimur. In Moreto Virgilii (23.):

Perverrit cauda silices gremiumque molarum.

Pessime Festus penem bubulum grandem peniculum interpretatur. Penis bubulus est cauda bubula, qua et ad peniculorum et ad muscariorum usum veteres utebantur. Ad peniculorum usum supra Naevius: ad muscariorum Aelian. (H. A. pag. 344. ed. *Jacobs.*): *ἐκ τούτων δὲ τῶν βοῶν καὶ τὰς μυιοσόβας ποιοῦνται.* *Dac.* Vide infra *Peniculi.* *Goth.* *Tunicularia.* Cunicularia. *Idem.* *Compellas.* Compellat. *Idem.* *Offa penita.* Vide infra *Offam penitam.* Arnob. VI. *Idem.* *Penem.* Adde *Penitam.* *Idem.* Cf. Doederlin. Syn. Lat. tom. IV. p. 149. *Penis* a *pendere*, cuius deminutivum *mentula*, quasi *pendula*, a qua forma non magis differt illa, quam a *μέρος pars*, a *μόρος fors*, ab *ὕπνος somnus* (supnus) et multa id genus alia.

Propius sobrino. Frequentior usus iurisconsultorum patris vel matris consobrinum ita appellat. Vide Caium et Paulum lib. XXXVIII. Digest. tit. de gradibus. *Ant. Aug.* Caius lib. I. Dig. grad. et ad fin.: *Propior sobrino, propior sobrina sunt patrui magni, amitae magnae, avunculi magni, materterae magnae filius filia.* Paulus lib. X. §. 9. D. de grad.: *Personae, quas enumeravimus a patrui magni filio, ei, de cuius cognatione quaeritur, propius sobrinis vocantur. Nam, ut Massurius ait, quem quis appellat propiorem sobrino, qui est patris matrisve consobrinus aut consobrina, ab eo consobrini consobrinaeve filius, filia nominatur.* Item paulo post: *His omnibus, quod a patrum nepote proposuimus, is, de cuius cognatione quaeritur, propius sobrino est: nam patris vel matris eorum consabrinus est.* *Dac.* Ita in tit. Cod. unde legitimi: nostris propior sobrino l. 1. in fin. l. 10. §. quinto gradu. ff. de gradib. *Goth.* *Filia.* Filius. *Idem.*

Possessio. Aliqua sunt mendosa et manca. Ea nos ita scriberemus: Non enim possessio est, nisi in iis rebus, quae tangi possunt. Auctore praetore, qui dicit: se possidere, is vere potest dicere etc. Q. D. A. significat quo de agitur. Illud *nemo ex his, qui* deesse videtur verbum *litigant* aut *pro his, qui* scribe *reis.* *Ant. Aug.* Ait in legitimis actionibus nullam fuisse his verbis conceptam: *Hanc possessionem meam esse aio.* *Possidere* autem, ut illud obiter addam, est a *pos* pro *potis* et *sedere.* Hoc intellexit Paul. lib. I. de adquirenda vel omittenda possessione: *Possessio appellata est, ut et Labeo ait, a sedibus quasi positio, quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei insistit, quam Graeci κατοχὴν dicunt.* Grot.: *Possidere est alicubi sedere, uti loco pos, id est potens sit, itaque primum de rebus soli dici coepit, deinde et ad res mobiles transferri.* *Dac.* *Sed ad interdictum venit.* Id est ad ius, ad praetorem. Petron.: *Ut si nollet aliam rem domino reddere, ad interdictum veniret.* *Idem.* *Uti nunc possidetis.* Solemnis formula interdicti: *uti possidetis.* Aliter tamen paulo apud Ulpian.: *Ut eas aedes, q. d. a., nec vi, nec clam, nec precario a. a. a. possidetis, quominus ita possideatis, vim fieri veto.* Literae *a. a. a.* significant *alter ab altero.* *Idem.* *Nec vi, nec clam, nec precario.* His tribus mala fide aliquid possidetur. Sic Chaerea apud Terent. Eunuch. Act. II. sc. 3. (28.) tria haec lepide coniunxit: *Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario Fac tradas.* *Idem.* *Possessio.* Vide l. 3. ff. de acquir. possess. Theophil. Inst. de interd. *Goth.* *Usus quidam agri* dixi l. 115. ff. de v. signif. *Idem.* *Uti nunc possidetis* v. l. 1. ff. et Cod. uti possidetis. *Idem.*

Praefecturae. (Ad p. 204.) Illa verba mendosa sunt: *Praefecti quatuor viginti sex virum num pro populi suffragio.* Fortasse scribendum est: *Praefecti quatuorviri et sexviri annui, qui populi suffragio* etc. *Ant. Aug.* Quae egregiam antiquitatis cognitionem continent, ea non levibus mendis inquinata sunt. Sunt autem haec ex prisca scriptura: *In quas solebant ire praefecti quatuor viginti sex virum num pro populi* etc. Lego: *In quas solebant ire praefecti, qui, autore viginti sex virum numero, populi suffragio creati.* Recte sane. Neque enim quicquam populus sciscebat sine auctore. Itaque et leges auctore quodam semper sciscebat. Ex vocibus, *qui auctore*, factum erat *quattuor*, mendo satis proclivi ac propenso. *Scal.* *Praefecturae.* In quas praefecti mittebantur ut praetores in provincias. Civitates autem, quae iniquae ingrataeve erga populum R. fuerant ac

fidem datam semel atque iterum fefellerant, ubi primum in potestatem ditionemque erant redactae, in praefecturae formulam referebantur. Unde liquet, praefecturarum conditionem omnium fuisse durissimam et a coloniarum et municipiorum fortuna diversam. Aliquando tamen idem oppidum et praefectura et municipium fuit, ut Fundi, Formiae, Cumae, Acerrae, Anagnia etc. Quae praefecturae erant, quatenus in eas praefectus iurisdictionis causa mittebatur, nec in iis magistratus ad ius dicendum creabantur: municipia vero, quatenus iure civitatis vel cum suffragio vel sine suffragio utebantur. *Dac.* *In quas solebant ire.* At Cuiacius lib. XII. observat. cap. 24.: *In quas solebant ire praefecti quatuor ex* 16. *viris, qui populi suffragio creati erant. Idem. Calatiam Calatium. — Allifns Allicas. Goth.* Vide Casaubon. ad Suet. Aug. c. 36.

Parret. (Ad p. 204.) Vide *Parct.*

Portum. (Ad p. 204.) Male alicubi haec lex scripta est: *Qui testimonium defugerit.* De voce *obvagulatum* vide *invogulatio.* Ibi etiam hanc legem reperies. *Dac.*

Patrocinia. De his Dionys. lib. II. (c. 9. pag. 84.). Vide *Patres. Ant. Aug.* A *patrono* potius per syncopen *patrocinium. Dac.*

Posticam lineam. Quae ab oriente ad occidentem, ut *antica*, quae a meridie ad septentrionem. Gloss. *antica linea διάμετρος*, nempe quae posticam lineam mediam secat. Quae sequuntur divinare non possum, videntur tantum esse verba Servii Sulpicii. In fine *frumentum danto. Dac.*

Pontina. Infra: *Pontina tribus a Pontia urbe dicta est, a qua et Pontina palus. Scal.* Sigonius legendum putabat: *Pomptina tribus a Pometia urbe, a qua et Pomptina tribus.* Sed frustra. Pontina enim a Pontia urbe Volscorum prope Terracinas. *Dac.*

Papiria. Interpretem desiderat. *Ant. Aug.* Papiriae tribus meminit Liv. et Dionys. Ab agro Papirio circa Tusculum sic dicta. De *Papinia* vide suo loco. *Dac.* Cfr. Val. Max. IX, 10, 1.

Pupinia. Quae infra desunt, divinare non possum. Agri Pupinii sive Pupiniensis meminit Cicero contra Rull. (c. 2, 96) et Liv. lib. IX. (c. 41.) et lib. XXVI. (c. 9.). *Papiniam* vocat Varro lib. I. (I, 9.) de Agricultura: *In Papinia neque arbores prolixas, neque vites feraces, neque stramenta crassa videre poteris. Pupinam* Val. Max. (IV, 4.) eiusque solum sterile ac aestuosissimum dicit. In eo fuere prata Quintia, trans Tiberim. Vide *Quintia. Dac.* Apud Varronem l. c. pariter atque apud Val. Maxim. nunc editur recte *Pupinia.*

Popillia. Si extaret Varronis liber de tribubus, non desideraremus Festi interpretationem. Nunc quid reliquum est? *A progenitrice*, inquit Paulus, *traxit vocabulum;* an tota tribus progenita est ab aliqua Popillia? Hoc mihi non fit verisimile. Libentius a familia dixerim appellatam tribum, vel familiam potius a tribu. Ex Festi vestigiis quid assequimur? Popilliam unam fuisse ex 35. (tot enim fuere) foederis publici nomine, vel quid simile. De Pinaria sorore cur addatur, ignoro. Fuit quidem Pinaria familia antiquissima, quae ab ipso Hercule dicitur sacerdotium accepisse, ut Cicero pro Domo, Dionys. lib. V. (pag. 32.) Vergil. lib. VIII. (v. 270.) Liv. lib. I. (c. 7.) et alii referunt. Sed Pinariae tribus nomen nusquam reperi, neque quid habeat cum Popillia commune. Popillii cognomento Laenates satis nobiles fuerunt Consulares et triumphales viri, licet plebeii. Pinarii patricii maiorum, ut credendum est, gentium. Vide *Potitium. Ant. Aug. Popillia tribus una triginta quinque tribuum, tot enim fuerunt. Dicta a Popilliae felici nomine, a quo et tribus Pinaria a sororis eius nomine.* Non dubium est, ita scripsisse. Nam quid manifestius, quam a Popillia femina dictam tribum, cuius nomen auspicatissimum habebatur ac bonae scaevae, ut tunc loquebantur. *Scal.* Ait a Popillia femina dictam tribum, cuius nomen auspicatissimum habebatur ac bonae scaevae, ut tunc loquebantur. Verum Sigonius dubitat a locone, an a viro dicatur, ut et Onuphrius, qui mavult a nescio quo loco dictam, qui in Volscis prope Pontinam fuerit. Sed vide post *Pugio. Dac.* Adde infra *Potitium. Goth.* Lege apud Festum: *Popillia tribus una quinque et triginta tribuum, tot enim fuerunt, a Popilliae gentis felici nomine appellata*, cet. Apud Paullum vero legas ita: *Popillia tribus a Popillia gente traxit vocabulum.* Accidit enim quod in his Festi commentariis saepe accidisse Paullo epitomatori videmus, ut ipse exemplum, ex quo sua conscribillaret, propter compendia scripturae non intelligeret. Quapropter quum apud Festum sic scriptum esset: *Popillia tribus una triginta quinque tribuum, tot enim fuerunt, a Pop. ge. felici nomine* cet.; fecit ille: *a progenitrice traxit vocabulum.* Nisi forte statuas, librarios Paulli demum ex non intellectis compendiis: *a Pop. ge.* fecisse *a progenitrice.* Cetera vero quae apud Festum manca et lacerata sequuntur, vereor, ut recte expleta sint. Quis enim unquam de *tribu Pinaria* audivit? Ne Pinariae quidem gentis mentionem h. l. factam esse puto; sed fortasse subiecerat Festus aliud exemplum fausti nominis cuiusdam, cuius reliquiae tantum comparent in litteris: *pinaria a sorori.*

Populi. (Ad p. 205.) *Populi commune est in legibus ferendis cum plebe suffragium. Nam comitia centuriata ex patribus et plebe constant in centurias divisis. Sed cum plebes sine patribus tributis comitiis convenit, quod plebes scivit plebeiscitum vel plebiscitum ea de causa appellatur.* Haec Pompeius Festus fortasse scripsit, quod tamen affirmare non audeo. Vid. Gell. lib. X. cap. 20. et lib. XV. cap. 27. Caius cap. 237. de verbor. signif. Iustin. lib. I. Instit. titulo de iure nat. Boeth. in topic. Isidor. lib. V. Etymol. *Ant. Aug.* Hos hiatus olim felicissime expleverat Antonius Augustinus. Vide *Patrum commune.* *Dac.*

Prorsi. De hoc verbo ad Ausonium diximus. Significat rectum et prolixum, unde tunica prolixis villis, prosa tunica. Glossarium: Prosa, pexa tunica, *πεξὸν ἱμάτιον.* Prorsus ergo *εὐθύς* et prorsum *εὐθύ,* ut in exemplo Catonis: *prorsus devertebantur pro hospitibus ad amicos suos.* Prorsus *εὐθύ.* *Scal.* Prorsi limites secundum agri longitudinem ab aequinoctiali occasu ad ortum aequinoctialem directi, ideoque *ortivi* dicti et *antici.* Vide *prorsus.* *Dac.* Ita apud Hyginum de limitibus et apud varios auctores de limitibus, quibus opponuntur transversi. *Goth.*

Pugio. Vel a *pungo,* vel a *pugnus,* quod pugno facilius comprehendatur. Prius etymon Festus sequitur. *Dac.* . . . . . *no* . . . . . . Haec non sunt huius loci. Nam ut ex vestigiis odoratus sum, verba sunt Festi de Popilia tribu, unde epitomen suam hanc Paulus confecit: *Popilia tribus a progenitrice traxit vocabulum.* Lege modo: *Popilia tribus a nomine progenitricis traxit vocabulum. Nam consueverunt non solum a viris, sed a feminis quoque tribus nominare. Idem.* Adde Nonium (pag. 553. Merc.) in *Pugio.* Glossis *παραξιφίδιον, παραζώνιον,* quod alibi *παραζώνιος μάχαιρα,* et sica: alio item loco *ξιφίδιον.* *Goth.*

Praebia dicuntur. Praebia a praebendo, inquit Festus. Idem tamen infra a prohibendo, quod verum etymon. Sed legendum *Proebia* per *oe,* vel quod magis placet *proebra;* ut ab inhibendo *inebrae,* sic *proebra* a prohibendo. Sunt autem *proebia* seu *proebra τὰ ἀλεξίφθονα,* amuleta. Varro lib. VI. de L. L. (VII, pag. 386. Sp.). *Procbia,* vel ut Scal. *proëbra, a prohibendo usitatum, quod sint remedia in collo puereis.* Eandem vim habebant apud Graecos annuli, qui dicebantur *φυσικοί* vel *φαρμακῖται δακτύλιοι.* Meminit Aristoph. in Plut. (v. 883. seq.):

> *Οὐδὲν προτιμῶ σου. φορῶ γὰρ πριάμενος*
> *Τὸν δακτύλιον τόνδε παρ' Εὐδάμου δραχμῆς.*

Dac. Vide infra *Praedia.* *Goth.* Cf. Scalig. in Coniect. ad Varron. pag. 161. et pag. 167. ed. Steph.

Parare inter se munus. (Ad p. 205.) Posterior pars huius capitis adhaesit post *Pappi.* Locum adi. *Dac.* Ibi haec dixit Ant. Aug. „Post v. *Pappi:* Fragmentum Festi pertinere arbitror ad verbum *parare,* pro quo saepius Livius *comparare* scribit. *Consules aut sortiantur, aut inter se comparent,* quibus significatur, ut conveniat inter eos de provinciis, quam quisque habiturus sit, aut sortito eas assequantur. Livius init. lib. XXX.: *Consules cum de rep. belloque ad senatum retulissent, censuerunt patres, ut Consules inter se compararent sortirenturve, uter Bruttios adversus Hannibalem, uter Etruriam ac Ligures provinciam haberet.* Et lib. XXXII. (c. 8. init.): *Decreverunt patres, ut provincias Macedoniam atque Italiam Consules compararent inter se sortirenturve.* Et lib. XXXVII.: *Cum senatus aut sortiri aut comparare inter se provincias Consules iussissent. Ant. Aug.* . . . *et in comitio quoque.* Hic agebat Festus de eo, quod dicitur consules inter se parare provincias, quod aliter comparare provincias dictum fuit: *Consules aut sortiantur, aut inter se comparent.* Quibus significatur, ut conveniat inter eos de provinciis, quam quisque habiturus sit, aut sortito eas assequantur. Sed verba Festi male divulsa sunt, nam prior pars capitis adhaesit post *praebia.* Huc igitur retrahenda et sic concipiendus locus integer ex sched.: *Parare inter se munus dicebatur, cum sortitio fiebat a magistratibus P. R., uter magistratus utramque rem acere deberet, aut inter se compararent de rebus lege mandatis, itaque in senatu et in comitio quoque* etc. *Acere* pro *agere,* ut supra *acitare* pro *agitare.* Non solum autem magistratus sortiebantur, utrum exire, utrum domi manere oporteret, sed etiam praetores, qui in urbe ius dicturi erant, sortiebantur, antequam magistratum inirent, quis de ambitu, quis de veneficiis etc. ius dicturus esset. *Dac.* Vide Sallust. in Iug. Cic. I. ad Att. *Goth.* Cf. Ernesti in Clavi Cic. s. v. *Praetor.*

Peregrinos inter. (Ad p. 205.) Ista *Pr. dr.* interpretor *praetor datur.* Verum est, quod ait, primum creatum fuisse unum praetorem urbanum, nempe ann. 388. et deinde propter magnam peregrinorum turbam alterum praetorem, nempe peregrinum adiectum ann. 501., illum inter cives, hunc inter cives et peregrinos ius dicentem, sed crevit postea praetorum numerus. Creati enim usque ad 18. Vide Lips. Antiquit. Rom. lib. I. cap. 10. *Dac.* V. l. 2. §. post aliquot ff. de orig. iur. *Goth.*

Praemetium. Vide *Sacrima. Ant. Aug.* *Προλόγιον.* Vide Coniectanea (p. 75. ed. Steph.). Glossarium: *Praemetivum ἡ πρὸ θερισμοῦ Δημήτρας θυσία.* *Scal.* Praemetium frugum primitiae, quod sacrificii

causa ante praemetebatur. Lacones vocant προλογίαν; quod Cereri offerebant post messem factam *florifertum* vocabant. Vide in v. *Sacrificium;* quod ante messem *praemetium. Dac.* Alii *Praemessum.* Dixi etiam ad Varronem. *Goth.*

Protelare. Protelo ducere, id est uno tenore ac ductu aratrum sive alia ducere, trahere, cui contrarium *strigare.* Lucil. lib. VI.:

Quem neque Lucanis oriundi montibu' tardi
Ducere protelo validis cervicibu' possent.

Et lib. XII.:

Hunc iuga mulorum protelo ducere centum
Non possunt.

Protelo ducere Graeci dicunt ἀμπρεύειν et ἐξαμπρεύειν a voce ἀμπρόν, qui vice timonis inter medios boves tendebatur, ut hodie etiam aliquando, quare scriptor Glossarii protelum interpretatur ἔξαμπρον. Unde falso sibi persuaserunt viri docti *protelum* esse lorum, quod alio nomine *cossum* dicitur. *Protelum* et *protelo* nihil aliud notat quam continuationem, tenorem et est a τῆλε *longe,* sive potius a *telo* et *telum* a τῆλε. Quod etymon ex aliorum sententia refert Donatus. Notat igitur proprie, ut optime Voss., continuatam teli e balista impulsionem, sive cum prorsus aliquid longe traditur, velut telum balista emissum. Unde protelare, longe propellere, eiicere, fugare. Turpilius Lemniis:

Propter peccatum pauxillum indignissime
Patria protelatum esse saevitia patris.

Et Terent. Phorm. I, 4, (35.). *Dac.* Vide Nonium (pag. 362. Merc.) in *Protelare.* Sic Nonio (pag. 159. Merc.) *Protollere. Goth.* Τῆλε. *Thae. Idem.*

Privato. Liv. lib. IV. (c. 59.) scribit 17. anno ante captam urbem: Decrevit senatus, ut stipendium miles de publico acciperet, cum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset. *Ant. Aug.* Privato sumptu se alebant milites antequam stipendia mererentur, quod in id duravit tempus, quod fuit paullo ante quam urbs capta est a Gallis, a quo sine publico stipendio milites non fiebant. *Scal.* Liv. lib. IV. sect. 59.: *Additum deinde* (ann. U. C. 349. ante captam urbem a Gallis ann. 17.) *omnium maxime tempestivo principum in multitudinem munere, ut ante mentionem ullam plebis tribunorumve decerneret senatus, ut stipendium miles de publico acciperet, quum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset. Dac.*

Porci effigies. Ut et *Minotauri.* Vide supra *Minotauri.* De aquila vide Plin. X. c. 4. *Goth. Porca foedus firmari solet.* Vide supra *Foedus* et *Foeciales.* Livium I. (c. 24.) Varro II. de r. r. 4. Virg. VIII. (v. 641.) Quintil. VIII, 3. De porcis adde *Depubem, Dissulcus, Faustulum, Propudianus. Idem.* Cf. Creuzer. Antiqq. Rom. §. 237. pag. 292. et qui sunt ibi citati.

Polimenta. In verbis Festi initio duo verba desiderantur. Alterum est (*Polimenta,*) alterum esse poterit (*veteres.*). *Ant. Aug.* Arnobius lib. VII.: *Polimenta sunt ea, quae verecundius proles dicimus.* Idem de prolibus lib. V.: *Parte altera proles cum ipsis genitalibus occupat.* Idem: *Circumiectas prolibus diripientem membranulas. Scal.* Plaut. Menaechm. Act. I. sc. 3. (28.):

— — *aut polimenta porcina aut aliquid ad eum modum.*

Inepte Festus a *politione.* Sunt enim a *polis* seu *polulis.* Erant autem *polae* seu *polulae* pilae ex aluta, molli tomento farctae, quibus datatim ludebant in foro, unde *polire* pila ludere dicebant veteres et id tractum a Graeco. Nam φαλὸς Graece significat *veretrum,* quod gestabatur in pompa Liberi. Primum ita vocabatur, quamdiu fieret ex ficu; postquam ex aluta rubra fieri coeptus dictus πολίων, ab eo *polae* Latinae, quae ex aluta fiebant. Et polimenta testiculi porcorum dicti, postquam ex illo folliculo evaginati erant in castratione. Scal. in Coniectaneis (pag. 66. ed. Steph.) ad Varronem. Sed mere fallitur Scaliger: *Polla* a Graeco πάλλα, id est *pila.* Hesych. πάλλα, σφαῖρα ἐκ ποικίλων πεμμάτων πεποιημένη. Pro πάλλα Aeolice πόλλα, unde *polla* et *pollire,* pila ludere, et *pollio* ὁ παλλοράψος; polimina autem a *pola* pro *polla* etc. *Dac.* Huc pertinet l. 9. §. 5. l. 13. §. si fullo vestimenta polienda 6. ff. locati. Adde supra *Depolitum.* Hinc Gloss. Polit κνάπτει, κνάπτω polio, unde κναφεύς fullo, et politor σμήκτης, qui et alio loco pumicator. *Goth. A politione segetum* l. 52. §. 2. ibi aut agrum politori damus ff. pro socio. Adde supra *Depolitum.* Adde Nonium (pag. 66. Merc.) in Politiones agrorum. *Idem.*

Pater patrimus. Vide *Matrimi ac patrimi. Dac.* Vide infra *Patrimi. Goth.*

Portisculus. Utitur hoc verbo Plautus in Asinaria. *Ant. Aug.* Glossae: *Porticulus* κελευστής. Qui est praeco alias, is in nave portisculus. Praeco audientiam faciebat in Comitiis, in sacris et spectaculis

faventiam: portisculus modum remigibus dabat. In verbis Catonis dicitur Viros Romanos, qui remiges scripti erant, per portisculum sub flagro veniisse. In quo est duplex antiquitatis notio: una cives Romanos ob capital admissum prius verberibus caedi, deinde numero sestertio, si Romae essent trans Tiberim venire solitos: altera, qui flagris caedebantur, ii sub praecone, aut si remiges essent, sub portisculo caedebantur. Horatius (Epod. IV, 12.):

Sectus flagellis hic triumviralibus
Praeconis ad fastidium.

Scal. *Portisculus* et hominem et perticam, qua is utebatur, significat. Nonius (pag. 151. Merc.): *Portisculus proprie est hortator remigum, hoc est, qui eandem perticam tenet, quae portisculus dicitur, qua excursum et exhortamenta moderatur.* De pertica Plaut. Asin. Act. III. sc. I. (15.):

Ad loquendum atque ad tacendum tute habes portisculum.

Dac. Mesonauta videtur appellari in l. 1. §. 2. ff. Nautae, caupones, cuius munus χειρέμβολον, id est manus immissionem facere D. l. 3. §. 3., quod Livius lib. XL. (c. 4.) hortationem remigum, Graeci κέλευσμα vocant, unde Glossis porticulus κελευστής. *Goth.* *Veniere passim.* Dixi ad l. 4. §. 10. ff. de re militari. l. 5. §. 1. l. 19. ff. de captivis. *Idem.* *Porticulus* verius scribatur, an *portisculus*, dubium videri potest. Certissimum enim est, non aliunde descendere, nisi a *portitor*, qui est πορθμεύς. Si videtur *porticulus*, sine *s*, rectius scribi, longa censenda est syllaba penultima. Sic enim Laberius: *Nec pármularum púlsus, nec portículi.* Cf. Voss. Etym. s. v. De etymo sic existimo. Quemadmodum *Procul*, *Proculus*, a *procellendo* (cf. Doederlin. Syn. Lat. tom. II. p. 98.); sic *porticulus* a *portando* et *cellendo*, sive a *portu* et *cellendo* dictum videri possit, longa antepenultima, quemadmodum eadem producitur in v. *periculum.* At in v. *periculum* producitur antepenultima, quia descendit ab antiquo *pario* sive *perio* (cf. *comperio*, *experior*, *aperio*); qua de caussa fortasse *s* illud antepenultimae in *portisculus* euphoniae caussa insertum statuamus. De quo *s* euphonico cf. Bopp. in Zergliederung cett. pag. 82. Ceterum *Porticulus* etiam in Glossis.

Pro scapulis. Lege in exemplo Catonis: *hostem percussi.* *Scal.* Ratio huius corruptelae est, quod cum priores duae literae *ho* in exemplari non apparerent, ex reliquis *stem* disiunctis fecere *siem.* Pro *profuit* lege *profui.* *Dac.* *Pro tergo* Livius dixit lib. X. (c. 9.) *Ius virgarum* Plin. X. *Goth.* *Complures leges erant in cives rogatae, quibus sanciebatur poena verberum.* Dixi ad l. 8. §. 3. ibi: ut verberibus necetur. ff. de poenis l. 8. ff. ad l. Iul. de vi publ. Vide Apostolorum acta cap. 22. Gell. (VI, 14.). *Idem.*

Primanus. Emendatiore, ut opinor, libro usus est Paulus. Nam nos in veteri neque Catonis verba, neque significationem habemus, cum tamen nihil in hac parte lacerum existat. Sed et interpretatio Pauli est consideranda. Nam si de stipendio attributo primae legioni intelligamus, hic erit non tribunus militum, neque tribunus aerarii, sed scribarum vel notariorum tribunus. Varro lib. IV. de L. L. (pag. 180. Sp.): *Quibus attributa erat pecunia, ut militi reddant, tribuni aerarii dicti.* Vide *Aerarii.* *Ant. Aug.* Quae hic desunt, reiecta videntur post caput sequens. Nihil tamen hic video, neque satis coniicio, unde explicatio, quam in sua Epitome Paulus addidit. Eius enim nulla vestigia in reliquiis Festi. Primanorum mentio apud Tacit. lib. XVIII. (Histor. II, 43.): *Primani stratis una et vicesimanorum principibus aquilam abstulere.* *Dac.*

Properare. Vide Verrium in Incertis ex Gell. lib. XIII. cap. 14. *Ant. Aug.* Verba, quae hic posita sunt, non sunt Festi, sed Catonis, quae integriora ab Isidoro cum sui auctoris nomine citantur ita: Marcus Cato: *Qui unumquodque mature transigit properat, qui multa simul incipit, nec perficit, is festinat. Ego unumquodque, quod adortus eram, transigebam.* *Scal.* Vide et Nonium (pag. 441. Merc.). *Festinare* igitur est temeraria et praecipiti celeritate aliquo contendere: *properare* cito et strenue progredi, ut mature perficias quod intendis, idem quod *maturare.* Virgil. IV. Georg. (I, 260.):

Multa forent quae mox coelo properanda sereno
Maturare datur.

Sallust. Iugurth. (LXIV. fin. Cort.): *Animo cupienti nihil satis festinatur.* Nonius ita distinguit, ut *properare* sit animi ad res aliquas contendentis, *festinare* corporis necessitatibus obsequentis. Sed haec veterum auctoritate refelluntur, apud quos *properare* et *festinare* promiscue accelerare significant. Virgil. IV. Aen. (310.):

Et mediis properas aquilonibus ire per altum.

Et lib. II. (373):

Festinate viri, nam quae tam sera moratur
Segnities.

Plautus (Menaechm. IV, 2, 64.): *Properate prandium.* Ennius: *Festivum festinant diem.* Virgil. XII. Aen. (425.): *Arma citi properate viro.*
Sallust.: *solas festinate.* Lego: *soleas festinate.* *Dac.* De discrimine, quod intercedit verbis *properare* et *festinare*, cf. Doederlin. Syn. Lat. tom. II. pag. 134. seqq.

Prorsus. Quasi *proversus*, id est *ante versus* et prorsus, id est recta. Unde adiectivum *prorsus, a, um* pro recto. Inde prorsi limites, *prorsa* supple *oratio*, et *Prorsa Dea*, quae rectos partus educeret. Ex prorsus postea fecere *prosus*, ut a *rursus rusus*, a *sursum susum* etc. Et inde *prosa*, *prose.* Quam vocem Latinam esse perperam negant viri docti. *Dac.* *Πρό. Πρός.* *Goth.*

Prohibere. (Ad p. 206.) Comitia multis ex causis aut ineunda vetabantur, aut inita solvebantur, aut habita vitiabantur et fiebant irrita. Veluti ex comitiali ritu vel omisso, vel perperam obito: ex magistratus de coelo servantis spectione sive inspectione: ex nuntiatione sive obnuntiatione magistratus, qui de coelo servarat, ex omine infausto, ex fulgure, fulmine, tonitru; ex morbo sacro, caduco, qui et ideo comitialis dictus est, et ex aliis, quae in historiis diligens lector annotabit. *Dac.* *Domi cum auspicamus.* Ait Cato quae auspicantium et sacrificantium religionem et omina turbare solent et impedire, ea, nisi a sacrificante vel auspicante fuerint intellecta, nullum vitium facere, veluti siquis servus aut ancilla sub centone crepuit, id est sub stragulis, vel si quis servus vel ancilla dormiens morbo comitiali correptus fuerit. In fine legitur etiam: *ne id quidem mihi vitium facit.* Quod magis placet. Supra pro *Dium* quidam *Deum.* Sed nihil necesse. *Idem.* *Morbo, qui vulgo quidem maior.* Vide quae scripsi ad l. 4. §. 5. et l. 53. ff. de aedilit. *Goth.* *Comitialis.* Vide D. l. 53. *Idem.*

Penatores. (Ad p. 206.) Mendosum esse opinor. *Ant. Aug.* Suspicor Festum in corruptos Catonis codices incidisse, ubi male *penatores* pro *venatores* legebatur. Id innuit vox *piscatores.* Lege modo. Pro *ficisedarum*, quod monstrum est, legebat Fulv. Urs. *Feci sed cibum dedi.* Ego propius ad scripturam *sed aurum dedi.* Ait Cato: *postquam nautas ex navibus eduxi, non ex militibus atque nautis feci piscatores et venatores*, hoc est, non eis dixi, ut si edere vellent, vel piscarentur vel venarentur, *sed eis* cibum *dedi*, vel *aurum*, quo cibum pararent; quare certa est coniectura mea. *Dac.* *Nautas.* Nativitas vel navitas. Vide supra *Navia.* *Goth.* *Ficiscedarum.* Ficedularum. *Idem.*

Pilates. De pilate lapide nihil habeo, quod dicam, ita super eo alii omnes scriptores tacent. *Dac.* *Pilates.* Pelastes. *Goth.*

Peculatus. Vide supra.

Peregrina. Vide Verrium ex Plinio lib. XXVIII. cap. 2. de diis evocatis, de quibus plura Macrob. lib. III. (c. 5. *Dac.*) Sat. *Ant. Aug.* In oppugnationibus ante omnia Sacerdotes Romani Deum, cuius in tutela esset oppidum, quod obsidebatur, verbis conceptis evocabant, promittebantque illi eundem aut ampliorem locum cultumque. *Dac.* Servius II. Aen. ad illa verba: *Excessere omnes aditis arisque relictis.* Adde l. 9. §. illud notandum. 2. in fin. ff. de rerum divis. *Goth.* *Conlata* conata vel *coacta.* *Idem.*

Potitium. (Ad p. 207.) Verbum *profanasset* est apud Catonem de re rustica (c. 50. et 132.). Item quod ait, *ex familia numero duodecim*, suspectum est. Nam Livius lib. IX. (c. 29.) scribit ex duodecim familiis triginta puberes fuisse, et Valer. Max. lib. I. cap. 11. Ideo deleto *ex* scriberem: *cum essent familiae numero duodecim.* Vide *Putitum.* *Ant. Aug.* Scribe: *cum essent eae familiae numero duodecim.* *Scal.* Potitiorum et Pinariorum familiam Herculis ministram fuisse vel pueris notum est. Vide Virgil. lib. VIII. (269.) et ibid. Serv. Vide et Dionys. Halicarn. lib. I. De ara, quae proprie maxima dicebatur, vide Serv. ad illud Virgil. (Aen. VIII, 271.):

Hanc aram luco statuit, quae maxima semper
Dicetur nobis et erit quae maxima semper.

Et Ovid. (Fast. I, 581.):

Constituitque sibi, quae maxima dicitur, aram.

Dac. *Profanasset.* *Profanatum est, quod in sacrario polluctum.* Varro lib. V. de L. L. (lib. VI. pag. 230. Sp.). *Idem.* *Usque ad Appium Claudium.* Idem Livius lib. IX. cap. 29.: *Eodem Appio auctore Potitia gens, cuius ad aram maximam Herculis familiare sacerdotium fuerat, servos publicos ministerii delegandi caussa solennia eius sacri docuerat. Traditur inde dictu mirabile et quod dimovendis statu suo sacris religionem facere possit, quum duodecim familiae ea tempestate Potitiorum essent; puberes ad triginta, omnes intra annum cum stirpe extinctos: nec nomen tantum Potitiorum interiisse, sed Censorem etiam Appium, memori Deum ira post aliquot annos luminibus captum.* Haec Liv. Vide *Putitium* infra. Id autem accidit ann. ab U. C. CDLXI. *Dac.* *Pinarius, quod non adfuit.* Pinariis et Potitiis ostenderat Hercules, ut sibi mane et vesperi sacra facerent. Perfecto

itaque matutino sacrificio, cum circa solis occasum essent sacra repetenda, Potitius prior advenit, Pinarius postea, extis iam redditis. Unde iratus Hercules statuit, ut Pinariorum familia tantum ministra esset epulantibus Potitiis et complentibus sacra. Unde etiam Pinarii dicti sunt ἀπὸ τῆς πείνης, *a fame*, nam senem illum Pinarium constat alio nomine esse nuncupatum. *Idem. Pinarium.* Vide supra *Popillium.* Macrob. I. Sat. 12. et III. cap. 6. *Goth. Ara, quae maxima.* In ea lectisternium non fiebat. Custodiebatur in eodem loco, ut omnes aperto capite sacra facerent. Macrob. III, 6. *Idem.*

Plebeiae. Pompeii verbis addi potest, quod Livius scribit lib. X.: *Insignem supplicationem fecit certamen in sacello pudicitiae patriciae, quae in foro Boario est ad aedem rotundam Herculis inter matronas ortum. Virginiam A. F. patriciam plebeio nuptam L. Volumnio Cos. matronae, quod e patribus enupsisset, sacris arcuerant.* Et postea: *In vico Longo, ubi habitabat, ex parte aedium, quod satis esset loci modico sacello exclusit, aramque ibi posuit, et convocatis plebeiis matronis conquesta iniuriam patriciarum: hanc ego aram, inquit, Pudicitiae Plebeiae dedico* etc. *Eodem ferme ritu et haec ara, quo illa antiquior, culta est, ut nulla nisi spectatae pudicitiae matrona et quae uni viro nupta fuisset, ius sacrificandi haberet. Vulgata dein religio a pollutis, nec matronis solum, sed omnis ordinis feminis, postremo in oblivionem venit.* A Festo historia aliter paulo narrari videtur. *Ant. Aug.* Quae infra desunt, integra praestari difficile. Videtur tamen Festus haec vel his similia scripsisse: *Plebeiae pudicitiae sacellum in vico Longo est, quod cum Virginia Patricii generis femina connubio facto inter patres et plebem, nam patricia plebeio homini Lucio Volumnio consuli nupserat, dedicasset, eodem ritu, quo sacellum patriciae pudicitiae cultum est, ut matrona, quae uni viro tantum nupserat, sacrificandi in eo ius haberet.* Haec ita odoratus sum ex Livio lib. X. cap. 23.: *Insignem,* inquit, *supplicationem fecit certamen in sacello pudicitiae patriciae, quae in foro Boario est ad aedem rotundam Herculis inter matronas ortum. Virginiam Auli filiam patriciam plebeio nuptam Volumnio consuli matronae, quod e patribus enupsisset, sacris arcuerant. Brevis altercatio inde ex iracundia muliebri in contentionem animorum exarsit, quum se Virginia et patriciam et pudicam in patriciae pudicitiae templum ingressam et uni nuptam, ad quem virgo deducta sit, nec se viri honorumve eius ac rerum gestarum poenitere vero gloriaretur. Facto deinde egregio magnifica verba adauxit. In vico Longo, ubi habitabat, ex parte aedium quod satis esset loci sacello exclusit, aramque ibi posuit, et convocatis plebeiis matronis, conquesta iniuriam patriciarum, hanc ego aram, inquit, pudicitiae plebeiae dedico, vosque hortor, ut quod certamen virtutis viros in hac civitate tenet, hoc pudicitiae inter matronas sit, detisque operam, ut haec ara, quam illa, si quid potest, sanctius et a castioribus coli dicatur. Eodem ferme ritu et haec ara, quo illa antiquior, culta est, ut nulla nisi spectatae pudicitiae matrona et quae uni viro nupta fuisset, ius sacrificandi haberet.* Unde et pro *convivio*, quod supra legitur et in sched. non male restituas *convicio. Dac. Quod quum Virginia.* Vide l. 2. §. 20. ff. de orig. iur. *Goth. Convivio.* Connubio. *Idem.*

Prim .... (Ad p. 207.) Omnia mutila sunt et ultima linea ad aliud, quam ad Primigenium sulcum pertinet. Quo enim *tutelare iudicium? Scal.* Quae sequuntur, videntur fuisse verba Catonis, quae a superiori capite divulsa sunt. Porro de more sulco moenia designandi Varro lib. IV. (lib. V. pag. 144. Sp.): *Oppida condebant in Latio Etrusco ritu multa, id est iunctis bobus, tauro et vacca, interiore aratro circumagebant sulcum. Hoc faciebant religionis caussa die auspicato, ut fossa et muro essent munita; terram, unde excalpserant, fossam vocabant, et introrsum factum murum, postea quod fiebat orbis urbs.* M. Cato: *Captato augurio, qui urbem novam condebat, tauro et vacca arabat, ubi arasset, murum faciebat, ubi portam volebat esse, aratrum tollebat et portam vocabat.* Et alibi passim. Primigenius autem is sulcus dictus, quod per eum opus inciperent. *Dac.* Vide infra *Sulci. Goth.*

Parilibus. Ita scriptum in Fastis II. Kal. Maias. Alii Palilia appellant a Pale. Vid. Varro lib. V. (lib. VI. pag. 198. Sp.) Ovid. lib. IV. Fast. (830.). Vide *Pales. Ant. Aug.* Propert. Eleg. 1. lib. IV.:

Urbi festus erat, dixere Palilia patres
Hic coepit primus moenibus esse dies.

Idem Plin. lib. XVIII. cap. 26. Varro de r. r. lib. II. cap. 1. et alii multi. *Dac.* Vide infra *Popularia sacra. Goth.* Cf. Victorinus de Orthographia pag. 2470. Putsch. ubi sic legitur: *Parilia dicuntur, non Palilia; non a Pale Dea, sed quod eo tempore omnia sata arboresque et herbae parturiant pariantque.*

Praetexta. Verba Festi interpretem desiderant. *Ant. Aug.* Infra: *Praetexta nulli alii licebat uti, quam ei, qui iure alicuius magistratus haberet et in loco publico ludos faceret. Is enim ea utitur et scribam habet ob eos, quos facit ludos.* Huc usque videor tuto vestigiis Festi insistere. In reliquis lubricum est iter. Ait nulli alii licuisse praetexta uti praeterquam ei, qui eam haberet iure magistratus et in loco pu-

blico ludos faceret. Quod verum est. Nam magistri collegiorum et magistri vicorum, qui magistratus non erant, ludos faciebant praetextati, ut notum est ex ea in Pisonem (c. 4.) et ex Asconio (pag. 159. ed. Lugd.), item ex Livio libro XXXIV. (c. 7.). Tribuni plebis, auctore Plutarcho, praetexta non utebantur, puto, quia ludos non faciebant. Sequentia plus minus ita habuerunt: *Item praetexta consulibus et praetoribus vota quaedam ob ignorantiam sacrorum novorum nuncupantibus datum est uti, item votum solventibus aliquod. Item Valerius Vicanus utens pura ex S. Senatus improbatus est.* Videtur velle Festus usum purpurae sacrum fuisse, ideo magistratibus concessum non tam iure magistratus, nam et tribunis concessus fuisset, quam ludorum et votorum caussa. Res enim sacrae ludi et vota. Ideo ob ludos utebantur Aediles et magistri collegiorum, ob vota Consules et Praetores. Vota illa, quae nuncupabantur ob sacrorum novorum ignorantiam, videntur esse quae Consul aut Praetor vovebat, si quid minus rite et per ignorantiam committens novam religionem contraxisset. Vicanum videtur vocare vici magistrum. Ex sententia Senatus improbatum ait, quod in pura toga, non in praetexta ludos Compitalitios faceret. Ita enim puto Festum scripsisse ex S. Senatus, quod interpretor ex Sententia Senatus. *Scal.* Ait Festus nulli alii licuisse praetexta uti, quam ei, qui funus faceret, magistratibus item et iis, qui ludos faciebant. Et verum est. Liv. lib. XXXIV. sect. 7.: Purpura viri utemur, praetextati in Magistratibus, in Sacerdotiis: liberi nostri praetextis purpura togis utentur, magistratibus in coloniis municipiisque, hic Romae infimo generi magistris vicorum togae praetextae habendae ius permittemus, nec id ut vivi solum habeant tantum insigne, sed etiam ut cum eo crementur mortui. Vides praetextatos magistratus tam Romae, quam in municipiis et coloniis, sacerdotes etiam et magistros vicorum, qui ludos compitalitios faciebant. Vide *Sardi venales.* Magistros etiam collegiorum praetexta usos apud Pedianum (pag. 159. ed. Lugd.) ex Cicerone legere est, quia scilicet ii etiam ludos faciebant. Praeterea senatores praetextati ludorum Romanorum diebus apud Ciceronem II. (c. 18.) Philipp., ut et praetextatae mulieres nonis caprotinis apud Varronem lib. V. (lib. VI. pag. 200. Sp.): *Nonae Caprotinae, quod eo die in Latio Iunoni Caprotinae mulieres sacrificant et sub caprifico faciunt et e caprifico adhibent virgam. Ob hoc toga praetexta data eis.* In verbis Festi in fine pro *isdem datum est uti emit* rescribo: *Idem datum est uti ea* etc. etc. vel cum Ursino *uti item.* Lego etiam infra: *Valerius Vicanus tum uteretur* etc. *tum* id est cum vota solveret. *Dac. Praetexta.* Glossis περιπόρφυρα et alio loco ὑπερπόρφυρος συγκλητική, praetexta toga. Adde Nonium (pag. 541. Merc.) in *Praetexta.* Ab eo Praetextata ἔντιμος. *Goth.*

Pilates. Vide supra.

Pilae. Illa verba (*hunc diem festum*) in plerisque libris non sunt. De Compitalibus et his pilis vide Macrob. lib. I. (c. 7. sub fin.) Satur. *Ant. Aug. Manias* vocatas ait Macrobius. Ad earum instar stramentitiae effigies, quibus obiectis tauri irritarentur, vocatae sunt pilae. Martialis (de spect. ep. 22.):

Iactat ut impositas taurus in astra pilas.

Glossarium: *Pilae* ταυριάριοι, ταυροκαθάπται. Unde proverbialiter *foeneos* homines dixit Cicero in principio Cornelianae, alludens ad has effigies foeneas. Postulatur, inquit, apud me praetorem primum de pecuniis repetundis. Prospectat videlicet Cominius, quid agatur, videlicet homines foeneos in medium ad tentandum periculum proiectos. Huc etiam alludebat Varro, cum unam de Menippeis suis proscripsit titulo *Aiacis stramentitii.* Quae sequuntur, videntur de alia re, quam de pilis tractasse. *Scal.* Vide in *Laneae effigies. Pilae* autem capita tantum dicebantur a Graeco πόλος, quomodo omne rotundum πόλον Graeci dicunt, caput etiam humanum, ut e Polluce certum est. *Dac.* Vide Macrob. Sat. I, 7. Nonius (pag. 538. Merc.) in *Strophium:* Varro Sesquiulysse: suspendit laribus marinas molles pilas reticula an strophia. Idem in voce *Reticulum* (pag. 221. Merc.). *Goth. Inferorum* alii *inferiorum. Idem.*

Punicae. (Ad p. 207.) Nescio cur in editione illa, quae suppletas lacunas promittit, rudera ista relicta sunt. Nam sic totum aedificium ex Schedis sartum tectum praestari posse arbitror: Punicae fortunae aedem vovisse dicitur Cornelius Scipio, cum Carthaginem obsideret. Idem quoque vovit aedem Veneris, quae cognomentum habuisse dicitur Genitricis, quam dedicavit, ubi primum aemulam Romanae civitatis Carthaginem urbem expugnavit. Quamvis alii dicant aliquot post annis dedicavisse . . . . Cos. quum Punicae fortunae aedem, quam ex voto debebat primam dedicare, locandam non curasset. *Dac.*

Pueri im . . . . . (Ad p. 208.) *Puer impubes tantum dicitur. Atta in . . . . id pluribus versibus docet.* Quae sequuntur, pertinent ad historiam penitus nobis incognitam. Quorum initium plus minus ita conceptum fuisse videtur: *Pueri aeneum signum ad Salinas positum est; quod signum allatum e . . . est.* Quod sunt conati quidam evellere. Nemo unquam potuit. Quaerant igitur docti viri. *Scal.* Verum est pueros proprie impuberes dictos. Idem Varro, Gellius. Sed poetae interdum et oratores *pueros* vocant, qui puberes sunt, ut

alibi notavimus. *Dac.* *Pueri impuberis aeneum.* Haec historia mihi plane ignota. Pro *sub signo* lego *sine signo* et ita Fulv. Urs. *Idem.*

Plena sue. (Ad p. 208.) Telluri gravida sue sacrificari docet Ovid. lib. I. Fastor. (672.):

Placentur frugum matres Tellusque Ceresque
Farre suo gravidae visceribusque suis.

Item forda bove, Fordicidiis. Idem lib. IV. (633.):

Nunc gravidum pecus est gravidae quoque semine terrae
Telluri plenae victima plena datur.

Arnob. lib. VII. Ita emendandus: Telluri matri scropha ingens immolatur forda, non feta. Cur sus immolaretur videtur Festus reddere rationem, quia cum sereretur, rostro suo sata corrumperet. Quod Ovidius etiam explicat lib. XV. Metam. et lib. I. Fast. *Ant. Aug.* Plena sue Telluri sacrificabatur, quia pecudis id genus cum seritur, rostro tamen fodiendo corrumpere solet. *Scal.* Hunc morem fuse Ovid. I. et IV. Fast. et lib. XIII. Met. Sic Libero caper immolabatur, quia vites ab eo comestae sunt. Servius II. Georg.: *Per contrarietatem victimae numinibus immolantur, ut porca, quae obest frugibus, Cereri: et caper, qui obest vitibus, Libero.* *Dac.* Vide supra *Fordicidiis.* *Goth.*

Ploti. Quantum ex his colligere possumus, *Plotum* esse Umbricam vocem apparet. *Scal.* Sic supra *Plauti* canes, quorum aures latius patent. Nam *Ploti* et *Plauti* sunt eiusdem originis. Quod autem infra putat Festus *semiplotia* a *semi* et *ploto* appellata fuisse, id vero falsum est. *Plotia* enim et *semiplotia* calcei sunt, qui Graecis *βλαύτια* et *ἡμιβλαύτια* dicuntur. *Dac.* Vide supra *Plancae.* *Goth.* Vide quae supra diximus ad v. *Plauti canes.*

Postumus. (Ad p. 208.) Sunt qui scribant *posthumus* quasi post humatum patrem natus. Sed ubique scribendum *postumus.* Est autem *postumus* seu *postimus* a *posterus*, ut ab *inferus infimus.* Et non tantum *postumus* dicitur qui post mortem patris, sed etiam qui post factum testamentum vivo patre natus est, et qui post alios liberos ultimus gignitur. Versus Plauti sunt Aulul. Act. II. sc. 1. (41.). *Dac.* *Postumus* ita Glossis et passim in Pandectis Florentinis. Alii legunt *Posthumus.* *Goth.* *Post mortem patris natus.* Glossis *ὁ ζῶντος μὲν τοῦ πατρὸς συλλαμβανόμενος, ἀποθανόντος δὲ γενόμενος.* Adde l. 3. §. 1. ff. de Iniusto. l. 164. ff. de verb. sign. II. Gell. 16. *Idem.* Cf. Voss. Etym. s. v. *Posthumus.* Scribendum haud dubie *Postumus.*

Porcas. Varro lib. I. cap. 29. de re rust. *Ant. Aug.* Graeculus auctor Glossarii optimis quidem auctoribus in compilandis glossis suis usus est, saepe tamen fallitur, ut cum *Porta* pro *porca* ponit. Porta *τὸ μεταξὺ τῶν αὐλάκων ὕψος.* Porta *τὸ μεταξὺ τῶν κυμάτων.* *Scal.* Locus Varronis est lib. I. de R. R. c. 29.: *Qua aratrum vomere lacunam striam fecit, sulcus vocatur. Quod est inter duos sulcos elata terra, dicitur porca, quod ea seges frumentum porricit, sic quoque exta Deis cum dabant, porricere dicebant.* Nonius (p. 61. Merc.) vocat porcas: *signa sulcorum, quae ultra se iaci semina prohibeant. Porcere enim est prohibere.* Sed melius Festus, quod *aquam porceant.* *Dac.* Adde supra *Imperator.* *Goth.* *Duos* alii *duci.* Adde Nonium in *Porcas* et *Porcae* l. 24. ff. de aqua et aquae pluviae. *Idem.*

Parmulis. (Ad p. 208.) Vide *Bruttianae.* *Ant. Aug.* Parmae equitum et militum fuere, sed magnitudine differebant, velitares enim breviores erant quam equestres. Neque cum ait Festus pro parmis datas esse Bruttianas a Mario, sublatum esse parmarum usum intelligit, sed pro Romanis Bruttianas esse inductas, non mutata forma, rotundas enim aetate sua Varro, Mario iunior, ostendit, sed magnitudine vel aucta vel imminuta. Auctam tamen verisimilius est, quia *Romanas* Festus vocat parmulas, *Bruttianas* vero parmas. Vide *Brutianae.* Vide et Manut. de quaesitis per epistol. lib. III. quaest. 6., ubi Carthaginienses parma usos ex Suida observat. *Dac.*

Porcam auream et argenteam. (Ad p. 208.) Nemo quod sciam huiusce moris praeter Festum meminit. Sacrificium Cereris, de quo hic sermo est, fiebat die Aprilis 19. *Dac.*

Propudianus porcus. (Ad p. 208.) Quia in eum propudia, id est *καθάρματα* coniiciebant. Sic apud Athenienses porcillus, qui ad expiationem immolabatur *κάθαρμα* dictus. Schol. Aristoph. in Acharn. *τὸ δὲ θυόμενον χοιρίδιον ἐπὶ καθάρσει τῶν τόπων κάθαρμα ἐκαλεῖτο.* Vide Hesych. in voce *Κάθαρμα.* De sacro Claudiae familiae vide infra in *Saturno.* Macrob. lib. I. cap. 16.: *Sunt praeterea feriae propriae familiarum ut Claudiae familiae et si quas ferias proprias quaeque familia ex usu domesticae celebritatis observat.* *Dac.*

Parum cavisse. (Ad p. 208.) Non placet, quod substituunt docti: *Patravisse.* Ea modestia fuit veterum, ut non fecisse, sed fecisse videri: et ne fecisse quidem, sed parum cautum fuisse dicerent. *Scal.*

Cic. in Verr. VI. (Act. II, V, 6, 14.): *Fecisse videri pronuntiasti.* *Dac.* Alii *patravisse videri*, de quo plenius dicam aliquando ad l. 3. in verbis *non videtur* ff. de his, quae in testam. delentur. *Goth.*

Piscatorii ludi. (Ad p. 208.) Vide supra. Nam bis haec glossa apud Festum reperitur.

Publicius. (Ad p. 208.) In fine *vehicula venire possint.* *Scal.* Varro lib. IV. (lib. V. p. 158. seq. Sp.): *Clivus publicius ab aedilibus plebei Publiciis, qui eum publice aedificarunt.* Ubi Publicios Aediles plebis vocat Varro, et verum est. Nam et Plebei ipsi fuerunt. Idem etiam Ovid. lib. V. Fast. (283. seqq.):

Venerat in morem populi depascere saltus:
Idque diu licuit, poenaque nulla fuit.
Vindice servabant nullo sua publica vulgus,
Iamque in privato pascere inertis erat.
Plebis ad aediles perducta licentia talis
Publicios: animus defuit ante viris.
Rem populus recipit: multam subiere nocentes:
Vindicibus laudi publica cura fuit.
Multa data est ex parte mihi, magnoque favore
Victores ludos instituere novos.
Parte locant clivi, qui tunc erat ardua rupes,
Utile nunc iter est, Publiciumque vocant.

Ait Flora ex multatitia pecunia clivum Publicium munitum et sibi Florales ludos institutos. In verbis Festi in fine legebat Scal. *Vehicula venire possint.* Legendum: *Ut in Aventinum vehiculis Velia venire possint*, id est ut e Velia in Aventinum vehiculis venirent. *Dac.*

Praedia. (Ad p. 208.) In tertio Coniectaneo monuimus dicendum *proebra*, ut enebra. *Scal.* Vide supra *praebia.* Item infra: *Quae Caia Caecilia* etc. et *immiscuisse zonae suae.* *Dac.* *In aede sancti.* Hoc est Herculis, qui proprie *sanctus* et *sancus* vel *sangus* dicebatur. Vide in v. *Propter viam.* *Idem.*

Priscae Latinae coloniae. (Ad p. 208.) A Latino Silvio Albanorum rege deductae. Liv. lib. I. sect. 3. Is Aeneam Silvium creat, is deinde Latinum Silvium, ab eo coloniae aliquot deductae, Prisci Latini appellati. Eodem postea colonias Priscus deduxit. Vide *Sanates.* Infra pro *dabantur* tentabat Merula *deducebantur.* Sed nihil necesse. *Dac.* Coloniarum aliae priscae, aliae novae. *Goth.*

Praetor. (Ad p. 208. sq.) Totus hic locus in ceteris libris deerat, in quo illud ad caput Oetentinae quid sit, ignoro. Sed ex Dionysio lib. IV. et V. constat Latinos populos conventus habuisse Ferentini, et Livius lib. I. (c. 50. 52.) ad lucum Ferentinae convenisse Latinos scribit et paulo post ad caput aquae Ferentinae Turnum deiectum fuisse, vel ad caput aquae Ferentinae. *Ant. Aug.* Quae porta ab eo Salutaris dicta. Vide *Salutaris.* Infra legendum, ut in vet. cod.: *Albanos rerum potitos usque ad Tullum regem, Alba deinde diruta usque ad P. Decium Murem, Coss. populos Latinos ad caput Ferentinae, quod est sub monte Albano.* Ait diruta Alba usque ad Decium Murem populos Latinos Consules consulere fuisse solitos ad caput Ferentinae et imperium communi consilio administrare. Ferentini autem conventus Latinos populos habuisse ex Livio lib. I. notum est. *Ad caput* autem *Ferentinae* supple *aquae.* Sic Livius lib. I. sect. 51. de Turno: *Deiectus ad caput aquae Ferentinae.* *Caput* aquae, id est fons. Horat. Od. 1. lib. I. (1, 22.): *Nunc ad aquae lene caput sacrae.* *Dac.*

Patricios. (Ad p. 209.) Cincii opinio vera fortasse fuit tum, quum primum patricii a plebeiis in ipso initio urbis Romae fuere distincti. *Ant. Aug.* Hanc Cincii opinionem non cuivis passim notam confirmant verba P. Decii Muris apud Livium lib. X. (c. 8. fin.): *An (En) unquam fando audistis patricios primo esse factos, non de coelo demissos, sed qui patrem ciere avumque possent, id est nihil ultra quam ingenuos.* *Scal.* Glossis *Patricius εὐπατρίδης, αὐτόχθων, εὐγενής; Patricii, πρόγονοι.* *Goth.*

Possessiones. (Ad p. 209.) Videtur contradicere supra scriptis (v. *Possessio est*): Possessio est usus agri, non ipse ager. Sed illic ius significat, quod ex possidendo oritur, quod in usu consistit. Hic usurpationem nominis refert, ut minus proprie ad agros extendatur. *Ant. Aug.* Idem ad verbum Isidor. lib. XV. cap. 13. Possessiones sunt agri late patentes publici privatique, quos initio non mancipatione, sed quisque ut potuit, occupavit atque possedit. Unde apud Festum forsan pro *collidebat* legendum *possidebat*, ut et Fulv. Urs. vidit. Nisi cum Augustino malis *colebat.* *Dac.* Vide supra *Occupatitius ager.* *Goth.* Niebuhr. Histor. Roman. T. II. pag. 162. not. 300. legendum censet *qui* pro *quia* et *colebantur* pro *collidebat.*

Potestur. (Ad p. 209.) Lucret. lib. III. (1023.):

Quod tamen expleri nulla ratione potestur.

Et Virg. (Aen. VIII, 402., ubi nunc aliter legitur.):

Quod fieri ferro liquidoque potestur electro.

Dac. *Poteratur.* Adde Nonium (pag. 508. Merc.) in v. *Poteratur.* *Goth.*

Probrum. (Ad p. 209.) Quae Festo desunt, addi poterunt ex iis, quae ab historicis dicuntur de poena Vestalium corruptarum. Vide *Sceleratus campus.* *Ant. Aug.* Optime ait sacerdotio exauguratas postea damnatas vivas defodi. Nam insimulatae virgines primo decreto pontificum sacris abstinere iubebantur, deinde facto iudicio vivae defossae. *Dac.* Dixi ad leges XII. Tab. *Goth.*

Privilegium sunt qui. (Ad p. 209.) Schedae: *Privilegium sunt qui dicant privatam legem. Cicero in oratione quam scripsit pro Domo sua ad Pontifices . . . . viri . . . . cons. . . . . . in eo . . . . lictores . . . . . istimate . . . . consu . . . . eos autem . . . . nemo . . . iudicant feneratores equites, tribuni aerarii condemnant tribus 35. quo iure, quo more, quo exemplo, nominatim legem de capite civis indemnati tulisti? vetant leges sacratae, vetant XII. tabularum leges privatis hominibus irrogari. Veneficos quinque et triginta tribus omnino non condemnant, quia ipsi indicta caussa occiduntur.* Quae desunt excitare difficile, neque enim in oratione Ciceronis leguntur illa usque ad *quo iure.* Quae sequuntur ita hodie apud Ciceronem extant: *Quo iure, quo more, quo exemplo legem nominatim de capite civis indemnati tulisti? Vetant leges sacratae, vetant XII. tabulae, lege privatis hominibus irrogari, id est enim privilegium.* Reliqua *veneficos quinque et triginta tribus* etc. nescio an a Cicerone. Porro de privilegio monendus est lector, vocem eam aliter a Cicerone et aliis eiusdem fere aevi scriptoribus usurpatam ac ab Iurisconsultis et aliis, qui Augusti aetatem secuti sunt. Tullii enim et Sallustii aevo privilegium semper fuit lex in privati alicuius perniciem perrogata. Cicero III. de Legib. (c. 19.): *Id mirandum, maiores adeo in posterum providisse, in privatos homines leges ferri noluerunt, id est enim privilegium.* Idem Paradoxo quarto (c. 2, 32.): *Familiarissimus tuus de te privilegium tulit, ut si tu in opertum Bonae Deae accessisses, exsulares.* Et alibi saepe. Ab Augusto posteriores Iurisconsulti privilegium in bonam partem pro lege in privati alicuius gratiam perlata semper usurparunt. Paulus lib. V. sentent. tit. 12.: *Privilegium fisci est inter omnes creditores primum locum tenere.* Unde et *privilegia eius*, qui iure singulari fruitur. Quo sensu Galli dicunt *privilege* et *privilegié.* Sed nolim imitentur eos tirones, qui Latini sermonis castitatem ambiunt, imo potius Ciceronem et alios Latinitatis principes secuti privilegium semper in malam partem ponant et pro *privilegio*, quomodo eo perperam utuntur Iurisconsulti, perpetuo voces *ius*, *gratiam*, *praerogativam* usurpent. *Dac.* Locus Ciceronis, qui a Festo citatur, est in orat. pro Dom. c. 17.

Punici. *Punici dicuntur*, non Poenici, quamvis a *Phoenicibus oriantur.* Et Punicum bel*lum*, *quamquam Poeni appel*lantur. Nam quae soleb*ant efferre per Pu* longam, Ennius in Poe extulit *Poenos dicens*, *sed corruptum est incuria li*brariorum, qui ea quae *femino genere dicuntur*, *scripsit masculino.* Etiam ipsi *Graeci ita loquuntur*, *qui Philolo*gos, philargyros *feminas dicunt. Poenos apud Ennium viros putans libra*rius appellari, mutav*it*, *quod per adiectionem ea* vox explanata non *sit*, *cum tamen eiusmodi* nomina tam in *virili*, *quam in femineo sexu accipiantur*, *nam* dicimus tam hic lupus, qu*am haec lupus*, *quin ea*, *quae par*ticipia appellantur, quae *aliquem ordinem* rerum significant, *et casus*, tempora, personas recip*iunt*, *utroque genere enunciantur.* Distinximus quae Festi sunt ab iis, quae nostra, ut lectori fidem faciamus, neque nos credere, neque persuadere aliis velle, quae Festi non sunt, ea esse Festi. Sed imitatus sum homines veterum signorum ac statuarum studiosos atque admiratores, qui ubi signum marmoreum elegantissime scalptum habent atque id forte propter vetustatem aliqua parte sui, ut saepe fit, mutilatum sit, conquirunt peritos artifices, qui a se partem mancam suppleant. Omnes, qui illud signum vident, norunt et quid de veteri artificio deperierit et quid de novo additum sit. Tamen id, quod additum est, tanti momenti est saepenumero, ut absque illo foret, totius signi reliqua proportio ac commensus lateret atque obscurus esset. Sic in hoc Festi loco fecimus. Nam sine illis membris quae addidimus, quid ille truncus esset, facile discerni non poterat. Non mediocriter autem studiosos iuvimus, quantum iudicamus, qui solo prope aequatum aedificium diligentia nostra a fundamentis usque redivivum excitavimus ac sartum tectum praestitimus. Novum autem non est Ennius Poenos dixisse, cum de feminis loqueretur, cum et Virgilius quoque dixerit ducente deo, quum de Ve-

nere intelligeret (Aen. II, 632.). Quod Graecorum imitatione fecit, apud quos ὁ θεὸς καὶ ἡ θεός, imo potius Homeri, qui de Helena ita scribit Ἰλ. γ'. (v. 421.):

Βῆ δὲ κατασχομένη ἑανῷ ἀργῆτι φαεινῷ
Σιγῇ. πάσας δὲ Τρῳὰς λάθεν. ἦρχε δὲ δαίμων.

Δαίμων hoc est ἡ Ἀφροδίτη. Vellem haec potius considerasset Macrobius. Hoc enim Virgilius illo loco expressit. Calvus:

Pollentemque Deum Venerem.

Participia istis annumerat. Nam *amans ἐπίκοινον.* Sed melius Graecorum, quam si Latinorum exempla adduxisset. Nam Graeci, quamvis distincta participiorum genera per voces habeant, tamen et masculinum attribuunt feminino, ut Sophocles non semel in Electra. Quod Festus quaerit, Poenicum bellum non dici, sed Punicum, sciendum est et veteres Poenicium dixisse in vetustiss. lege, quae proxime tempora Punica scripta fuit: *POPULEIS. LIBEREIS. QUEI. IN. AFRICA. SUNT. QUEI. EORUM. IN. AMEICITIAM. POPULEI. ROMANEI. BELLO. POENICIO. PROXUMO. MANSERUNT. Dac. Poeni.* Poenini. *Goth.*

Portumnus. Qui portibus praeerat. Melicerta fuit Athamantii filius, qui, ut patrem fugeret, se praecipitavit in mare et voluntate numinum in Deum conversus Latinis Portumnus, Graecis Palaemon dictus est. Fuse Ovid. IV. (v. 521.) Metamorphos. Vide *Claudere. Dac.* Vide Glossas. *Goth. Portumnus* an *Portunus* scribendum otiosa erit quaestio, quum utrumque in usu fuisse credibile sit. *Portunus*, omissa *m*, etiam Glossae.

Poenas pendere. Vide *Dispensatores. Ant. Aug.* . . . . . . *oe. Pendere poenas de eo proprie dicebant, qui ob delictum pecuniam solvit, quia penso aere olim utebantur.* Et ita postea Sched. Glossar.: *Pendo poenas, δίκας τιννύω. Dac.* Gloss.: *Τίνειν τιμωρίας. Goth.*

Pullariam. Haec sunt Pauli. Verba Festi ita in schedis: *Pullariam manum dextram dixisse videtur Plautus in* . . . . Pullariam manum dextram Plautus dixit a palpandis tentandisque pullis, id est pueris, qualis erat paediconum protervorum manus, qui pullariam facere dicebantur. Turneb. lib. III. cap. 2. *Dac.* Locus Plauti in superstitibus fabulis non est.

Procedere. In fine legendum, ut in epitome *porro cedere*, id est progredi. *Dac.*

Pertusum. In edit. Rom. pro *ventrem* legitur *venenum.* Male. Suspicabar legendum: *Pertusum dolium cum dicitur, ventrem lenonis significat.* Vel: *lenonem significat.* Nam dubio procul alludit locum Plauti Pseudol. I, 3, (134.), ubi quum Pseudolus et Callidorus lenonem probris onerassent, neque iis ipse commoveretur, sed ea etiam laete ferret, Pseudolus ait:

In pertusum ingerimus dicta dolium; operam ludimus.

Dac. Cum ventrem. Cum dicitur. *Goth.*

Pertu . . . . (Ad p. 210.) Notas L. I. habes in *Manes.* Quid sit quaeratur. *Scal.* . . . . . *pes dicitur* . . . . Sched.: *Pes dicitur* . . . . *pede ruit* . . . . Ennius lib. I. Annalium . . . . forsan notabat hic Festus pedem de fluvio dici, ut apud Horatium (Epod. 16, 48.):

Mollis crepante lympha desilit pede.

Et Lucret. lib. V. (v. 273.):

Qua via secta semel, liquido pede detulit undas.

Dac.

Pollit. Vide *Polimenta.*

Pelliculationem. Vide Fulv. Urs. notam ad Sched. pag. 210. Locus Velii Longi, qui apud Ursinum citatur (pag. 2227. P.), sic est legendus: *Nec aliter Lucilius in praepositione per:*

Pelliciendo, quod est inducendo, geminat L;
Pellicere et malunt, quam perlicere.

Praemiosam. Praemiosum pro *pecunioso* veteres dicebant, quia commoda omnia et utilitates omnes *praemia* nuncupabant. Praemiosam igitur impudentiam dixerit Cato, quasi nos diceremus *une impudence lucrative, une impudence bien recompensée.* Sed puto Festum, quod pace eius dictum sit, minus percepisse mentem Catonis, qui dixit praemiosam impudentiam pro praemiatoria, id est magna et qualem praemiatores praeferre solent. Sunt enim praemiatores nocturni praedones. Novius in Agrypnantibus: *Nam in scaena nos no-*

cturnos cepit praemiatores tollere. Vide Nonium (pag. 151. Merc.) in *Praemiatores.* Et praemia e rebus furto ablatis confecta pecunia, lucrum. (Tibull.) Eleg. I, 2, (25.):

Nec sinit occurrat quisquam qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta praemia veste petat.

Dac.

Pascales. Postrema verba Festi videntur pertinere ad ludos seculares, qui in Terentino agro centesimo quoque anno fiebant. Vide Terentum. *Ant. Aug. Pascales oves* νομαίους καὶ ἀγελαίους alibi interpretati sumus. Propterea eaedem *Passales* quoque dicebantur, quod passim pascerentur et nos ibidem εἰκαίους interpretabamur. Opponi pellitis, quae in agro Tarentino pascebantur, admonuimus. De quibus pellitis hic in fine scribebatur. Propterea pro illis verbis, *ignaro Terentino*, scribo, *in agro Tarentino.* Non igitur de ludis Terenti in campo Martio hic agebatur, ut volunt viri docti. Vide Coniectaneum tertium (pag. 129. ed. St.). *Scal.* Ait Catonem inscienter dixisse *pascales,* cum *pascuales* dicendum esset a pascuis. In verbis Catonis infra aliquid turbatum fuisse suspicor, forsan supplendum *plus C. sestertiis pellitam ovem, quam pascalem, in agro Tar.* etc. De Tarentinis ovibus, quae pellitae, Varro de r. rust. cap. 2. Pleraque similiter faciendum in ovibus pellitis, quae propter lanae bonitatem, ut sunt Tarentinae et Atticae, pellibus integuntur, ne lana inquinetur, quominus vel infici recte possit, vel lavari ac parari. Inde Horat. (Od. II, 6, 10.): *Pellitis ovibus Galesi.* Ὑποδιφθέρας ποίμνας eleganter vocat Strabo lib. IV. Porro *pascales* oves hirtae erant et soloces. Lucil.:

Pascali pecore ac montano hirto atque soloce.

Unde Columell. (VII, 4.): *Dissimilem,* inquit, *rationem postulat hirtum atque Tarentinum. Dac.* Vide in *Solox lana. Goth.* Adde infra *Passales. Idem.*

Petreia. Vide *Manducus* et *Citeria. Dac.*

Parsi. In eadem oratione, nempe in oratione ad lites Censorias. Neque tamen illa in textum recipienda, nam *in eadem oratione* Festus scripsit, quia scilicet haec continuo sequebantur post *Periculatus sum,* ubi orationem ad lites Censorias laudavit. *Dac.*

Praedonulos. Lege: *praedonculos.* Si quis Latine scit, is non ignorat, *praedonulos* Latinum non esse. Hoc ἐκ τοῦ ἀνὰ λόγον Latinae linguae satis patet. *Scal.* Ut a *latro latrunculus*, sic a *praedo praeduneulus.* Sed Scaligerum falli puto. Recte enim a *praedo, praedonus, praedonulus. Praedonus* autem recte, ut *centurio centurionus, decurio decurionus, epulo epulonus* etc. *Dac.*

Precem. Et Terent. Andr. III, 4, (22.):

Nihil est preci loci relictum, iam perturbavi omnia.

Horat. Od. 2. lib. I. (26.):

— — *prece, qua fatigent*
Virgines sanctae.

Et Od. 35, (5.):

Te pauper ambit sollicita prece.

Et alibi plus semel. *Dac. Precem* al. *Praecem. Goth.*

Pulchralibus. Lego: *Pulchralibus atque cupediis. Pulchralia* sunt *bellaria. Idem,* nempe Cato, quia haec statim sequebantur post aliud caput, ubi Cato laudabatur, et ita saepe apud Festum τὸ *idem* ad superiora pertinet. *Dac. Cupidiis.* Cupidus. *Goth.*

Punctatoriolas. Melius ut in MS. *Punctariolas,* a *pungo.* Punctum etc. *Dac. Punitariolas. Goth. Ipse.* Cato. *Idem.*

Proaedificatum. Idem opinor esse, quod *proiectum, provolans,* Graecis πρόφορον. Vide *Maeniana. Dac.*

Prodidisse. Prodita res et prodicta pro eodem dicitur. Livius lib. XXXVIII. (c. 52.): *Cum invidiam et certamina cum tribunis prospiceret, die longiore prodicta in Liternum* [*Literninum*] *concessit, certo consilio, ne ad caussam dicendam adesset.* Male vulgo *producta.* Libro III. (c. 7.): *in carcerem est coniectus, eique tribunus diem prodixit.* Et: *adeoque constantia sua et tribunos obstupefecit et plebem, ut diem ipsi sua voluntate producerent.* Lege: *prodicerent.* Paulo post: *antequam producta dies veniret, moritur.* Lege: *prodicta.* Sed et apud Gellium corruptum invenies, porro apud Livium et *prodita die* legitur. Lege ita verba Catonis: *Te C. Caecili diem prodidisse militibus legionis tertiae, cum proditionem non haberes.* Proditionem magistratus dicitur habere, quomodo et vocationem et prehensionem, hoc est prodendi, vocandi, prehendendi ius. In

vetustissima lege fracta extant vestigia productae diei his verbis: . . . . *Ex hace lege tribuendei caussa prodeixerit is, ut ei quod recte factum esse volet, facito.* *Scal.* Prodere porro dare, et non solum decipere, deserere, sed et in lucem edere, posteris tradere. Item *prodere* est proferre, producere. Terent. And. II, 1, (13.):

— — *Ut aliquot saltem nuptiis prodat dies.*

Est *prodita dies* dies producta. Sed falsus est Scaliger, qui tradit *prodita dies* idem esse quod *prodicta.* Nam *prodita* est prolata, at *prodicta* est praedicta, praenuntiata. In verbis Catonis optime Scal.: *cum proditionem non haberes.* Sic spectionem et nuntiationem in auguralibus, ius spiciendi et nuntiandi. Vide *Spectio.* *Dac.*

Pavimenta Poenica. Quia Numidia generosi marmoris ferax. *Dac.* Vide supra *Obpuviat* et infra *Puls.* *Goth.*

Prolatum. Achilles Aristarchi dictus ad differentiam Achillis Aeschyli. Huius Aristarchi Tragici meminere Athenaeus, Suidas, Stobaeus secundo Physicorum. Achillis Aristarchi tragoediae habes mentionem apud Plautum. Isidorus: *Tragoedias fere omnes ex Graecis transtulit Ennius, plurimas Euripidis, nonnullas Aristarchi.* *Scal.* *Aere* id est clypeo, quia ex aere fiebant. Virg. I. Aen. (III, 286.):

Aere cavo clypeum magni gestamen Abantis.

Prolato, id est protenso, proiecto. Sic apud Macrob. *proiecta scuta* protensa, prolata, ictibus obiecta. *Dac.* Glossis: *Prolata*, ἡ ἐξενεχθεῖσα. *Goth.* Post *Prolatum* non dubium est, quin haec, quae subiiciam, hic desiderentur. Parret dicendum existimant, quam consuetudinem ostendit formula, quae est *parret.* Ab eo parra avis sinistra. Et eius significatio eadem. De verbo *parret* gemino *rr* vide supra. Parram ait dictam, quia parreat, hoc est appareat, et sese obiiciat obviam praetereuntibus. Inauspicatam autem fuisse et ἐνόδιον adversum auspicium facere solitam vel unus Horatius testis erit (Od. III, 27, 1.):

Impios parrae recinentis omen Ducat.

Jos. Scal.

Penitam. (Ad p. 211.) Vide *Penem.* *Ant. Aug.* Arnobius libro VI.: *nenias offasque penitas*, ubi lego *taenias.* Sicut in eodem: *quid tuceta, quid naeniae, quid offae?* Idem mendum. Legendum enim *taeniae.* Quid essent *taeniae* vel *taeniacae* vide quae superiori anno in Varronem de re rustica notavimus. *Scal.* Sed mire fallitur Scaliger. Taeniacae Varronis non sunt naeniae Arnobii. Audi modo ut naenias suas interpretetur Arnobius: *Quod in secundo situm est,* inquit, respicit enim ad illa, *quid taenioe.* *Intestini est porrectio, per quam proluvies editur succis per exsiccata vitalibus.* *Offa autem penita est, cum particula visceris cauda pecoris amputata.* Neque illud de taeniacis unquam Arnobius dicere potuisset, quod de naeniis iure dixit, quas etiam intestina iam interpretatus est Festus. De penita offa Plaut. Mil. Glor. III, 1, (164.): *Aufer illam offam penitam.* Penita penultima producta, ut differat a *penita*, id est intima, penultima correpta. *Dac.* Vide *Offa penita.* *Goth.*

Privatae. Macrob. lib. I. (c. 16.) Saturn.: *Sunt praeterea feriae propriae familiarum. Sunt singulorum, ut natalium fulgurumque susceptiones, item funerum atque expiationum.* Denecales feriae quae sint, vide in litera D. *Ant. Aug.* Infra *Operationes Denecales* coniunctim legit Ursinus. Quod mihi non placet. *Operari* enim et *facere* pro sacrificandi verbo veteres usurpabant. Virg. (Ge. I, 339.): *Laetis operatus in herbis.* Horat. (Od. III, 14, 6.): *Prodeat iustis operata Divis.* Vide *Sacer mons.* *Dac.* Vide Macrob. I. Saturn. 16. Adde infra *Sine sacris haereditas* et *Propudianus porcus.* *Goth.*

Pudicitiae. Monstrum verbi est in hac periodo. Sed puto ita conficiendum: *Pudicitiae signum in foro Boario est, ubi Aimiliana aedis est Herculis.* Deinde: *ad milliarium IIII.*, ex quo factum illi. *Aimiliana aedes* Herculis dictum, ut apud hunc ipsum aedes Iovis Metellina. Vide in *Tarpeiae.* *Scal.* Lego propius ad scripturam: *Pudicitiae signum in foro Boario est, ubi Fulviana est aedes Herculis.* Patriciae pudicitiae sacellum Festus intelligit, quod fuit ad aedem rotundam Herculis. Vide supra *Plebeiae pudicitiae.* P. Victor in 8. urbis regione: *Forum Boarium, Sacellum pudicitiae patriciae, Aedes Herculis victoris duae, altera ad portam trigeminam, altera in foro Boario cognomine rotunda et parva.* Lege infra: *Item via Latina ad milliarium 4. fortunae muliebris.* Ut optime viris doctis animadversum, ex IIII factum *illi.* De fortunae muliebris simulacro et aede via Latina ad quartum milliarium in memoriam liberatae urbis ab obsidione C. Marcii Coriolani, intercessione Veturiae et Volumniae, consecratis vide Dionys. lib. VIII. (c. 55. pag. 525.) Plutarch. in Coriolano (c. 37.). Valer. Max. lib. I. cap. 8. Eius simulacrum a semel nuptis tantum coronari fas erat. Servius ad illud IV. Aen. (19.):

Huic uni forsan potui succumbere culpae.

Bene culpae, inquit, *potius, quam amori, et hoc propter antiquum ritum, quo repellebantur a sacerdotio, id est Fortunam Muliebrem non coronabant bis nuptae.* Dac.

Patrimi et matrimi. Catull. in Epithal. (LXI, 183.):

Mitte brachiolum teres,
Praetextate, puellae.

Idem in Graecia fiebat. Callimach.:

Αὐτίκα τὰν τᾶλιν παιδὶ σὺν ἀμφιθαλεῖ.

Nam τᾶλις est *nova nupta:* παῖς ἀμφιθαλὴς puer patrimus, matrimus. *Dac. Facem praefert ex spina alba.* Male quidam: *ex pinu alba.* Ex spina alba etiam faces novis nuptis praeferebantur. Varro de vita populi Rom. lib. II.: *Cum a nova nupta ignis in face afferretur foco eius sumptus, cum fax ex spina alba esset, ut eam puer ingenuus afferret.* Causam affert Plinius, cur spina alba uterentur. Sic enim lib. XVI. cap. 18.: *Et spina nuptiarum facibus auspicatissima, quoniam inde fecerunt pastores, qui rapuerunt Sabinas, ut auctor est Masurius.* Sed illud verius, adhibitam albam spinam, quia esset auspicatissima et malas noxas averruncare crederetur. Ovid. (Fast. VI, 129. seq.):

Sic fatus virgam [spinam], qua tristes pellere posset
A foribus noxas, haec erat alba, dedit.

Quare et ex ea virga lanalis fiebat. Ovid. (Fast. VI, 165.):

Virgaque lanalis de spina sumitur alba.

Fruticem etiam illum, quem vulgo vocamus *aubépine* felicissimum putant aniculae nostrae rusticae. Sed redeamus ad faces. Praeferebantur quoque ex pinu. Quare Catulli optimi codd.: *Pineam quate taedam*, ubi alii *spineam.* Sic pinum pronubam vocat Virgil. in Ciri (439.):

Pronuba nec castos accendet pinus honores.

Neque pinea tantum fuit, sed et *Cornea. Dac.* Vide supra *Matrimes et Patrimes*, et *Pater patrimus*, et infra *Rica. Goth. Qui facem praeferret.* Vide supra *Facem.* Vide infra *Rapi solet. Idem.*

Pilentis. (Ad p. 211.) Vide *Matronis. Ant. Aug.* Vide Liv. lib. V. cap. 25. *Dac.*

Prima aut secunda. Lege ex Epitome: *Prima et secunda hora diei dicata sponsalibus.* Ideo autem prima et secunda hora sponsalibus dicata, quod illud tempus veteres auspicatissimum putabant. *Dac. Ducant.* Dicatae. *Goth.*

Pronubae. Tertullianus in libro exhortatorio ad castitatem: *Monogamia apud ethnicos in summo honore est, ut et virginibus legitime nubentibus univira pronuba adhibeatur et sic auspicii initium est.* Servius in schedis: *Varro pronubam dicit, quae ante nupserit, et quae uni tantum nupserit.* Catull. (LXI, 186.):

Vos unis senibus bonae
Cognitae bene feminae
Collocate puellulam.

Scal. Lege infra, ut viri docti: *Matrimonii perpetuitatem auspicantes. Dac.* Glossis: *Pronuba* ἡ παράνυμφος. *Goth. Nuptis.* Nuptiis. *Idem.*

Praetextatum. Ita malo, quam *praetextum*, quod ait depositis praetextis, quas scilicet Fortunae Virginali deponebant, ut supra monuimus. *Scal.* Priorem Festi sententiam ineptus mutilator amplexus, quia scilicet falsa est. Praetexti sive praetextati sermones, praetextata verba, verba obscoena, qualia erant ea, quae puellis nubentibus depositis praetextis a multitudine puerorum canebantur. Vide *Fescennini.* Suet. Vespas. 22.: *Erat enim dicacitatis plurimae et sic scurrilis ac sordidae, ut ne praetextatis quidem verbis abstineret.* Vide Macrob. lib. II. Sat. cap. 1. Eadem verba *nupta* ab eadem ratione supra vocavit Festus. Et *Veneris vocabula* Varro in Agath.: *Virgo de convivio abducatur, ideo quod maiores nostri virginis acerbae aures Veneris vocabulis imbui noluerunt.* De praetextis depositis quas Fortunae Virginali deponebant, iam supra. *Dac. Praetextatum* alii praetextum. Glossis: *Praetextatum* ἔντιμον. Ceterum supra in *Pictor Zeusis* praetextum nomen alicuius dicitur pro advocato laudato ac citato. De praetexta et praetextatus dixi ad §. 1. Inst. de iniuriis et l. 3. in fin. ff. de lib. exhib. *Goth.*

Palatualis. Palatea dea apud Varronem lib. VI. de Ling. Lat. (lib. VII. pag. 332. Sp. ubi nunc legitur: *Diva Palatua*). Eadem fortasse Palatia Latini uxor, de qua idem lib. IV. (lib. V. pag. 59. Sp. ubi nunc editur *a Palantio, uxore Latini*). *Ant. Aug.* Flamen Palatuae Deae Varro lib. VI.: *Sunt in quibus Flaminum cognominibus latent origines, ut qui sunt in versibus plerique Volturnalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Pomonalis. Obscura est eorum origo, Volturnus, Palatua, Furina, Flora, Falacer, Pomona pomorum*

patrona. Dac. Haec omnia nunc paullo aliter leguntur. Varro de L. L. VII. pag. 331. *Sunt in quibus Flaminum cognominibus latent origines, ut in his qui sunt versibus plerique, Volturnales, Palatuales, Furinales, Florales; Qui Falacres et Pomonales, fecit hic idem, quae obscura sunt. Eorum origo Volturnus, Diva Palatua, Furina, Flora, Falacer, Pater pomorum.*

Portenta. Passim apud classicos scriptores *portenta, ostenta, monstra* pro eodem sumuntur, quod portendant, ostendant, moneant. Vide *Monstrum* et *Ostentum.* Supple infra *monstra, quae monstrent et praecipiant.* Dac. Adde Nonium (pag. 375. 430. 435. Merc.) in *Portenta.* Glossis: *Portendit, σημαίνει διὰ τέρας.* Goth. *Ostenta* v. l. 38. ff. de verb. sign. *Idem.*

Postularia. (Ad p. 211.) Eadem et *postulatoria*, votorum aut sacrificiorum spretam religionem designabant, eorum emendationem exigentia. Dac. *Aut.* Ut. Goth. *Designant.* Desiderant. *Idem. Pestifera.* Vide supra *Pestifera. Idem. Peremptalia.* Vide supra *Peremptalia. Idem. Aut.* Ut. *Idem. Peremunt.* Vide supra *Peremere. Idem. Tollunt* alii *olunt. Idem.*

Pullus. Placidus in Glossis: *Pullum puerum in amoribus, unde Q. Fabius Eburnus, quod natibus fulguratus erat, pullus Iovis dictus est.* Arnob. lib. IV.: *Catamitus rapitur, deliciarum futurus et poculorum custos et ut Iovis dicatur pullus in partibus Fabius aduritur mollibus obsignaturque posticis.* Fabium autem illum intellige, qui cognominatus Ambustus, toti porro familiae illud cognomen dedit. Ambusti enim proprie, quos Iupiter *Fulminis afflavit ventis et contigit igni* (Virg. Aen. II, 649.). A *puer* puerus puerulus, *Pullus.* Nisi malis Pullus esse a *πῶλος*, quod mihi etiam magis placet. Nam *πῶλος* Graecis Catamitus et meretrix. Hesych.: *Πῶλος ἑταίρα, πώλους γὰρ αὐτὰς ἔλεγον, οἷον Ἀφροδίτης πώλους ἢ τοὺς νέους καὶ τὰς νέας καὶ παρθένους.* Dac. Vide infra *Puer.* Goth. *Pullus* a Sanscrito *bâlas*, quod parvum, infantem significat.

Peregrinus ager. (Ad p. 211.) Nam agrorum quinque genera: Romanus, Gabinus, Peregrinus, Hosticus et Incertus. Varro lib. IV. de L. L. (lib. V. pag. 34. Sp.). Dac.

Publica sacra. Vide *Privatae feriae.* Dac. Adde *Propudianus porcus.* Goth.

Prodit. Vide supra in v. *Prodidisse.*

Portenta rerum. Pro *solita* diversa lectio apparet *solida.* Male. *Cum solita corpora raro se ostendunt*, hoc est, *cum corpora se ostendunt, quae raro se ostendere solita sunt.* Dac.

Peremne. (Ad p. 211.) Vide *Petronia. Ant. Aug.* Peremne auspicium duplex: universum populi, cum Idibus Martiis amnem auspicato transiret et Annae Perannae rem divinam faceret, ut annare perannareque commode liceret: alterum magistratus, cum scilicet magistratus amnem auspicato transirent, quotienscunque quid in campo agere vellent. Cicero libro secundo de Divinat. (II, 36.): *Bellicam rem administrari maiores nostri nisi auspicato noluerunt. Quam multi anni sunt, cum bella a propraetoribus et proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent? Itaque nec amnes transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur.* Scal. Ab hoc autem peremni urbano mos invaluit, uti exercituum duces quovis deinde loco amnes auspicato cum exercitu traiicerent. Dac. Puto legendum *Peremnere*, vel *Peramnare*, nisi *τὸ peremne* adverbii loco sit positum. Goth. *Peremne* an *Perenne* rectius dicatur, *solemnis* an *solennis*, diu dubitatum est. Ego utrumque recte; posteriorem autem per *nn* rationem propriam fuisse vulgatae consuetudinis persuasum habeo. Nam etiam *amnis* et *annus* ab eadem stirpe, quae est praep. *am*, descendere credo.

Puls potissimum datur. Tullius in Divinat. (II, 34.): *Quia cum pulli pascuntur, necesse est aliquid ex ore cadere et terram pavire, terripavium primo, post terripudium dictum est: hoc quidem iam tripudium dicitur, cum offa cecidit ex ore pulli; tum auspicanti tripudium solistimum nuntiant.* Vide *Solistimum.* Dac. Vide Varronem IV. de L. L. (lib. V. pag. 108. Sp.). Vide supra *Puls Miliaria.* Goth. *Terripavium.* Terripuvium. *Idem. Pavire.* Puvire. Vide supra *Obpuviat. Idem.* Vide infra in *Tripudium. Idem.*

Pedestria auspicia. Varia fuere auspiciorum genera: auspicia ex cantu et volatu; ex tripudio, ex extis, ex anguibus et piscibus, ex fulgure, ex fulmine, tonitru, ex acuminibus, ex telorum superis ac inferis cuspidibus, auspicia ex perennibus, ex quadrupedibus, auspicium iuge. Vide *quinque genera signorum.* Dac. *Nominabantur.* Appellabantur vel arbitrabantur vel nominabantur. Goth.

Piacularia. Infra: *Piacularia appellantur veteri loquendi consuetudine, cum hostia fugit, aut in aliam corporis, quam oportuit, partem cecidit.* Manifesto ita scripsit Festus. Pauli tamen Epitome uberius haec tractat, ut integriore codice usus videatur. Piaculare est plane illud Virgilianum (Aen. II, 224.):

— — *qualis fugit cum saucius aram*
Taurus, et incertam excussit cervice securim.

Scal. Hostia vero, quae effugerat, *effugia* dicta. Servius ad illud II. Aeneid. (140.):

— ad poenas ob nostra reposcunt
Effugia.

Verbo sacrorum, inquit, *et ad causam apto usus est. Nam hostia, quae ad aras adducta est immolanda, si casu effugeret, effugia vocari veteri more solet.* *Dac.* *Decidisset.* Cecidisset. *Goth.*

Pestifera auspicia. Sic passim de tristibus auspiciis exta sine corde et iecur sine capite. *Dac.*

Pullarium. (Ad p. 212.) De Pullario Cicero II. Divinat. (34.): *Attulit in cavea pullos is, qui ex eo nominatur pullarius.* Et ad Plancum (Ep. Fam. X, 12.): *Recitatis literis oblata religio Cornuto est, pullariorum admonitu, non satis diligenter eum auspiciis operam dedisse.* Pullarius in Gloss. exponitur πωλοκόμος. *Dac.* Hoc verbo utitur Livius lib. X. (c. 40.) Val. Max. I. c. 4. *Goth.*

Praepetes. Praepetes aves dictas quidam putant, quia volantes se offerunt. Nam praepetere est avem auspicanti se offerre. Unde praepetes aves dicuntur, quae se ante auspicantem ferunt. Nam antiqui *praepetere* dicebant pro anteire. Servius in fragmentis: *Praepetes sunt, quae secundo auspicio ante eum volant, qui auspicatur. Aves autem aut oscines sunt aut praepetes. Oscines, quae ore futura praedicunt; praepetes, quae volatu augurium significant, cum sunt prospera. Sed praepetes aut superiora tenent, et praepetes vocantur, aut inferiora, et dicuntur inferae. Praepetes autem ideo, quia omnes aves priora petunt volantes.* Vide etiam Gellium lib. VI. cap. 6. *Scal.* Ubi, ut vides, ille *praepetes* a *prae* et *petere*, quod et Festus sensit. Sed en tibi eiusdem Servii locum alterum non minus illustrem ad illud VI. Aen. (15.): *Praepetibus pennis: Praepetes autem*, inquit, *dictae, vel quod priora petant, vel summi volatus, vel quae praepetit volatum, vel quae secundum auspicium facit. Et quidam praepetes tradunt non tantum aves dici, quae prosperius praevolant, sed etiam locos, quos capiunt, quod idonei felicesque sunt. Unde bene Daedali pennas praepetes, quia de locis, in quibus periculum metuebat, in loca tutiora pervenit.* Quem Servii locum illustrat Gellius lib. VI. cap. 6., ubi etiam docet praepetes aves L. Claro dictas videri, quas Homerus τανυπτέρυγας appellat Iliad. τ. (XIX, 350.), quod porrectis et patulis alis praetervolarent. Inde Gloss.: *Praepetes* τανυπτέρυγες. Ceterum etymon Festi et Servii a *prae* et *peto* mihi ceteris praestat. Neque minus sic locis, quam avibus possit accommodari. At Turnebus ait a προπετές, quod est pronum ad labendum, et *praepetere* a προπέτεσθαι. Quod censet etiam Scal. in Aetnam. *Dac.* *Sint.* Sunt. *Goth.* *Titia.* Tertia. *Idem.* *Quam petamus.* Quae praepetamus. Al. *quae petamus.* *Idem.*

Pecunia. Pecunia sacrificium fieri dicebatur, cum frugum fructuumque caussa mola pura offerebatur in sacrificio, quia omnis res familiaris, quam pecuniam dicimus, ex his rebus constaret. Reliqua huc non pertinent, sed de alia re longe diversa intelligenda sunt, nempe scio quae ad depelienda mala fulgurante coelo et bonorum caussa parata. A *pecu* adiectivum *pecuinus* et *pecunius*. A quo cum dicimus *pecuniam*, subintelligendum *rem*. Pecunia res ergo pro patrisfamilias bonis, quia praecipua in foetu pecoris consisterent, accepta fuit. Glossarium: *Pecunia* χρήματα, ἀπὸ τιμῆς κτηνῶν. *Scal.* Adde supra *Abgregare*. *Goth.*

Proiecta sacra. (Ad p. 212.) De proiectis sacrificiis, quae fulgurante coelo depellendorum malorum fulminum et procurandorum bonorum caussa fiebant, nihil usquam legi. Suspicor proiecta inde dicta fuisse, quod in scrobe ea sacra fierent, ubi postea fulmen conderetur. *Dac.*

Pu . . . . . Plane ignoro, quid sit. *Scal.*

Publici augures. (Ad p. 212.) Ita in schedis locum istum se resarcivisse ait Fulvius Ursinus. Quae desunt in fine puto verba esse ex libris augurum. Augures primum a Romulo instituti numero tres, ex singulari tribu singulus. Iique quatuor omnes patricii, his quinque alteri ex plebe additi Q. et Cn. Ogulnii tribuni plebis rogatione: hic numerus mansit usque ad dictaturam Sullae Felicis, qui sex addidit, et ita quindecim augures facti, neque postea crevit numerus. Eorum autem alii *maiores*, alii *minores*, sive alii *privati*, alii *publici*. Publici dicebantur *augures publici populi Romani Quiritium*. In vetusto marmore: *Q. Marcio Memmio, Furio Balbutio, Caeciliano Placido C. V. Pontifici Maiori, Auguri publico P. R. Quiritium.* Et ita distinguebantur a privatis sive Imperatoris. Nam imperatores domesticos habebant augures, qui pro eorum salute excubarent et auspicia captarent. Augures primum a collegio creabantur. Deinde a collegio ad populi partem quandam selectam ius illud translatum lege, quam tulit Cn. Domitius Aenobarbus, cuius meminit Cic. II. Agrar. Vellem vero veterum auctoritate illud Festus confirmasset, quod ait manifestum esse sorte deligi solitos, qui augures publici P. R. Quiritium dicerentur. Nullum enim huius moris vestigium. Imo etiam et observo vel ab Imperatore vel a populo illud honoris gratia concessum, ut augur haberet sacerdotium publicum. Liv. lib. I. sect. 38.: *Inde ab augure, cui deinde honoris ergo publicum id perpetuumque sacerdotium fuit,*

deductus in arcem etc. De templis auguralibus alibi dictum est. In fine *extra urbem* reposuit Fulvius Ursinus, sed omnino Festus scripserat *intra urbem*. Vide supra *Prosimurium*. *Dac.* Vide in *Publicus ager*. Vid. in *Quinque genera signorum*. Ciceronem II. de Legibus. *Goth.* *Templo coeli regionibus designato.* Templum dicitur hic locus manu designatus in aere, post quem factum illico captatur augurium, teste Servio I. et VI. Aeneid. *Idem.* *Lituo.* Vide Serv. Ecl. 9. *Idem.*

Picus rex Pico ave. (Ad p. 212.) De Pico ave et rege vide suo loco *Picus*. Picus Aboriginum rex Faunum procreavit et Faunam sive Fatuum et Fatuam. Nam et ita dicebantur. Servius VII. Aen. (47.): *Quidam Deus est Fatuellus. Huius uxor est Fatua; iidem sunt Faunus et Fauna* etc. Faunus e sorore Fauna Latinum suscepit, cuius postea gener Aeneas. Etsi cum Faunus idem Pan Arcas fuerit, cuius ab Evandro cultus Latium fuit inlatus, cum in Latio regnasse merae nugae ab iis confictae, qui hoc ignorarunt. *Dac.* Vide Lactant. lib. I. (22, 9.):

Pollubrum. In Odyssea veteri: *Argenteo polubro et aureo gutto.* (Hom. Odyss. I, 136.):

Χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα
Καλῇ, χρυσείῃ, ὑπὲρ ἀργυρέοιο λέβητος,
Νίψασθαι.

Προχόῳ χρυσείῃ aureo gutto, ἀργυρέοιο λέβητος argenteo pollubro. Aquam vero ipsam *χέρνιβα* vocabant. *Scal.* Haec sunt e Pauli Epitome. Verba Festi reiecta fuere in fine huius libri post caput *promptum*. Locum adi. Fabius Pictor lib. XVI.: *Aquam manibus pedibusque dato, pollubrum sinistra manu teneto, dextra vasum cum aqua. Dac.* Lege: *Eius eadem formula, quae est polubri.* Vide supra *Pollubrum*; a *polluo*, *pollubrum* vas excipiendae aquae manibus abluendis pollutae. Tenebatur manu sinistra, dextra vero guttus, unde aqua effundebatur. *Idem.* Vide Nonium (pag. 554. Merc.). *Goth.* *Pelluvium.* Vide supra *Pelluviae*. *Idem.* Cf. Herm. Elem. Doctr. Metr. pag. 619.

Patres. Infra: *Patres appellantur, ex quibus Senatus est. Quos initio Urbis conditae Romulus C. delegit, quorum consilio atque prudentia Resp. administraretur atque tenuioribus agrorum partes attribuerentur perinde ac liberis propriis ac nummi distribuerentur, quia solebant iam inde a Romulo nummis argenti signati ultramarinis uti, quad publicae et privatae rationes docent.* Ex his cognoscimus, quare velit Festus patres dictos, quod tanquam filiis plebi et agros attribuerent et nummos largirentur. Nam de ultramarinis nummis argenteis certum est. Plinius lib. XXXIII. cap. 3.: *Qui nunc victoriatus appellatur, lege Clodia percussus est. Antea enim hic nummus ex Illyrico advectus mercis loco habebatur. Scal.* Idem Sallust. in Catil.: *Hi vel aetate vel curae similitudine patres appellabantur. Dac.* Adde infra *Patrocinia*. *Goth.*

Publica pondera. (Ad p. 213.) Hic locus nunquam antea editus est, cum rerum conscriptarum esset utilis cognitio. Sunt tamen quaedam obscuriora, quaedam etiam mendosa. Ex plebiscito Siliano hic relato constat vini *quadrantal* octoginta pondo statui; *congium* octavam partem eius esse, ita decem pondo, et *sextarium*, quod sexta congii pars sit, duodequinquagesimam partem esse *quadrantalis*. Haec pondera sunt liquidorum. Aridorum vero sexdecim *sextarii* in modio sunt. Sextarius autem hic aequalis est sextario vini, id est eiusdem ponderis. Verba legis ita scripsimus, ut in antiquo libro reperimus cum his coniecturis, quas in margine posuimus: D. M. significat *dolo malo*. *Quadrantal* sive amphoram vini esse octoginta pondo apparet ex Plin. lib. XIV. cap. 4., quo loco interpres Hermolaus Festi auctoritate utitur, *Sextarium esse congii partem sextam et sextarium vini uncias viginti pendere Fannius scribit.* Idem ait sextarium esse modii partem sextam decimam. Volusianus Maecian. in libro de asse: *Quadrantal, quod nunc plerique amphoram vocant, habet urnas duas, modios tres, semodios sex, congios octo, sextarios* 48. *heminas* 96. *quartarios* 192. *cyathos* 576. Adde Festum verbo *quadrantal* et *hemina*. Illa verba: *uti coaequatur sedulum* nescio an significent: *uti coaequentur sedulo ita ut quadrantal* etc. Illa etiam: *dum minore patrisfamilias taxat, liceto* aut mendosa sunt, aut hoc significant: *minore multa et patremfamilias tantum licere multari. Ant. Aug.* Egregium ac luculentum hoc antiquitatis monumentum ita et emendandum et distinguendum censeo:

EX PONDERIBUS POBLICEIS, QUIBUS HAC TEMPESTATE POPOLUS OITIER SOLET, UT EI COAEQUETUR SEDOLO M. QUADRANTAL VINEI OCTOGINTA PONDO, SIET CONGIUS VINEI DECEM P. SIET, SEX. SEXTARI; CONGIUS SIET VINEI DUODEQUINQUAGINTA SEXTARI; QUADRANTAL SIET VINEI SEXTARIUS AEQUUS CUM LIBRARIO SIET SEXDECIMQUE LIBRAE IN MODIO SIENT.

SI QUIS MAGISTRATUS ADVERSUS HAEC D. M. PONDERA MODIOSQUE VASAQUE POBLICA MODICA MINORA MAIORAVE FAXIT IUSSITVE FIERI DOLUMVE ADDUIT, QUO EA FIANT,

EUM QUIS VOLET MAGISTRATUS MULTARET, UT EI DUM MINORE PATRISFAMILIAS TAXAT, LICETO, SIVE QUIS IM SACRUM IUDICARE VOLUERIT, LICETO.

In hoc plebiscito *oitier* est *uti*, ut in veteri lege: *Nec quis facito, quominus ei oetantur, fruantur, habeant, possideant;* illud *sexdequimque* sexdecimque. Addit circa finem, eum, quicumque volet magistratus multare, liceto: dum modo maiore patremfamilias multa, minore eum, qui in potestate est, quam patremfamilias coerceat. *Sacrum iudicare.* Filii peculium patrisfamilias pecuniam familiamque Cereri sacrare. Pro *sedulum* manifesto *se dolo m.* legendum, sine dolo malo. *Scal.* *Oitier* pro *utier*, ut *coerator* pro *curator*, *oesus* pro *usus.* Quidam habent *oetier.* Et utroque modo veteres scripserunt. Sic *Oinonem* pro *Oenonem* apud Martianum, *oitile* pro *utile* in vetustissima tabella Fulvii Ursini. *Dac.* Illa: *quo ea fiant*, aperte schedae: *quod ea fiant.* Nempe *quod* pro *quo*, addito *d.* Ista *uti dum minore* etc. sic interpretatur Scaliger: *eum, quicunque volet magistratus multare, liceto: dum modo maiore patremfamilias multa, minore eum, qui in potestate est, quam patremfamilias coerceat.* Verum in schedis erat *patrifamilias.* Unde Fulvius Ursinus emendavit *parte familias* adductus loco simili ex oratione Catonis pro Rhodiensibus, in qua scriptum est apud Gellium lib. VII. cap. 3.: *Si quis illud facere voluerit, dimidium familiae multa esto.* Nam verba *mille nummis* sunt adiecta. Et infra in *Sacratae leges: sacer alicui deorum sit cum familia.* Error autem, ut *patri* pro *parte* scriptum fuerit, inde fluxit, quod antiqui *parti* dicebant pro *parte*, unde facta literarum transpositione, *patri* scriptum. *Dac.*

Pecuum. Pecuda et pecua veteres dixere. Attius in Diomed.: *Passim quae praeda, pecua balabant agris.* Idem in Medea: *Vagant pavore pecuda in tumulis, deserunt, quis nos pascet postea?* et Plaut. Mercat. III, 1, (11.):

Nec pecua ruri pascere.

Locus autem Catonis, quem Festus intelligit, ex oratione pro Rhodiensibus extat apud Gellium lib. VII. cap. 3.: *Si quis maiorem pecuum numerum habere voluerit, tantum damnas esto.* Sic enim legitur in vetustissimo libro pro eo, quod est in vulgatis *pecudum* et *damni. Fulv. Urs.* *Nunc quia dicimus.* Lege: *Nunc quia dicimus pecus ut pectus* etc. Male sched.: *Non quia* etc. *Dac.*

Praeteriti. (Ad p. 213.) Tribuni militum consulari potestate et Censores eodem anno creati sunt, ut Livius scribit lib. IV. (c. 25.). Ita nunquam lustrum Tribuni fecerunt, neque quemquam senatorem potuerunt praeterire, neque crediderim Festo dicenti Consules in consilio publico habuisse sibi tantum coniunctissimos, ut Reges. Illud credam, cum lustrum facerent, supplere senatum potuisse ex iis, qui ipsis forent coniunctissimi. Item illud, tunc praeteritos nulla adiecta notae causa ignominia caruisse. Censores quoque idem initio fecisse, mihi fit verisimile. At postquam causas enumerare coeperunt, minus honesta causa notam attulit gravem. Vide Ascon. in Divinat. et in Pison. Valer. Max. lib. II. c. 4. Gellius lib. IV. c. 20. et lib. VII. cap. ult. et lib. XVI. c. 13. *Ant. Aug.* Unde unde haec expiscatus sit Verrius aut Festus, sane omnia contra rationem vetustissimorum Po. Ro. institutorum sunt; eaque plane toti antiquitati Reip. Ro. adversantur. Et miror, unde haec exscripserit. *Scal.* Fallitur vir doctissimus (Augustinus), cum putat, praeteritos senatores ante subscriptas caussas cur praeterirentur, ignominia caruisse. Nam ex animadversionibus Censoriis, quibus caussae semper subscriptae, sola senatorum praeteritio excipienda, cui rationem adscribi haud ita veteris instituti fuisse ex Livio notum est et antea ignominia deformatos senatores, qui praeteriti fuerant, in historiis legas. Porro praeteriti senatores dicebantur, quorum nomen Censores initio censurae senatum legentes praeteribant, in recitando non appellabant, subticebant et eo velut tacito indicio censebantur loco moti, nec nomen eorum ultra in albo senatorum. *Dac.* Vide l. 31. Cod. de fideicommiss. *Goth.*

Procensa classis iuniorum. (Ad p. 213.) Id est *in censu.* Et haec Tullii regis verba intelligenda de distributione centuriarum in qualibet classe. Nam sex populi Romani classes in centum et nonaginta tres centurias divisit Tullius. Vide Dionysium lib. IV. (c. 17. pag. 222.) et Liv. lib. I. (c. 43.). Tullii verborum sensus: *In censu classis iuniorum centuriae sint totidem* etc. *Dac.* *Pro tribunali.* Sic in l. 2. ff. de re iudicata, cui opponitur *de plano.* l. 1. §. 8. ff. ad Senatusconsult. Turpill. *Goth.*

Procum. (Ad p. 213. sq.) Plautus Poenulo (III, 1, 7.):

Nequiquam hos procos mihi elegi.

Hoc est *proceres* εἰρωνικῶς. *Scal.* Lege, ut viri docti: *in descriptione classium, quam fecit Ser. Tullius, significat procerum*, ut *fabrum* pro *fabrorum; procorum* autem pro *procerum.* Hinc intelligendus locus ille Ciceronis de Oratore ad Brutum (Orator. c. 46.): *Iam, ut Censoriae tabulae loquuntur, fabrum et procum audeo dicere, non fabrorum et procorum.* Vide *Procari. Dac.* *In iudice collocando.* Hinc intelligendus S. Grego-

rius: *Possumus rei inexpertae arbitrum collocare. Idem.* Id est in adeundo vel eligendo. *Goth.* Adde supra *Procitant* et *Procaci. Idem.*

Praerogativae. (Ad p. 214.) Explicat Festus, cur introductae fuerint, non quae fuerint hae centuriae, neque cur ita appellatae. Mendum autem est in illis verbis: *quae rus ....* nos *quod rustici* scriberemus et utraque opinio Varronis et Verrii vera est. Fuere autem eae centuriae, quae primae suffragium ferebant centuriatis comitiis. Ab eadem re ita appellatae, quod prius rogarentur ab eo, qui comitia haberet, Velitis iubeatis hoc aut illud. Erat autem maximum praerogativarum beneficium, quod nunquam ab eis dicatur ceteros discrepasse. Ut vero essent praerogativae sortito eveniebat. Ceterae appellabantur *iure vocatae.* Vid. Ascon. lib. II. in Verrem (pag. 54. ed. Lugd.). Cicero pro Muren. et Philipp. II. et lib. I. et II. de Divin. Livius saepius. *Ant. Aug.* De iis, item illis, quae iure vocatae dicebantur, Asconius et Livius. Ausonius in Panegyrico ad Gratianum Augustum: Valete modo classes populi et urbanarum tribuum praerogativae et centuriae iure vocatae. Livius libro IX. (c. 46.) de Flavio scriba: *fierique se pro tribu aedilem videret.* Ego interpretor *pro tribu*, praerogativa tribu. Piso de eodem: Eundem primae tribus Aedilem curulem renuntiaverunt. Eaedem ergo praerogativae tribus et primae tribus. Nam ita in legibus ferendis loquebantur. Sic initio legis cuiusdam in tabula aenea: *Principium fuit pro tribu.* Item apud Frontinum T. Quinctius Crispinus Cos. populum iure rogavit, populusque iure scivit in foro pro rostris a. d. IIIII Eidus Iulias. Tribus Sergia. principium fuit pro tribu Sex. L. F. Varro. Qui locus vulgo mendosissimus editus est. *Scal.* Centuriarum ac tribuum comitialium aliae sunt iure vocatae, praerogativae aliae. Praerogativa una erat singulis comitiis sortitione electa, quae iure vocatis, id est ceteris omnibus praerogabatur, princepsque omnium, tametsi loco postrema vel media in suffragium mittebatur. *Iure vocatae* sunt reliquae omnes, quae suo gradu vocantur et suffragium ferunt. Praerogativa tribus seu centuria omen aliquod in se continebat. Tullius I. de Divinat. (II, 45.): *Praerogativam maiores nostri omen iustorum comitiorum esse voluerunt.* Ideoque eius in sequentibus suffragiis ratio habebatur, non quod esset prima, ut falso quidam existimarunt. Tullius II. de Divin. (c. 35, 74.) Haruspices cum Tib. Gracchus in Senatum introduxisset, propter repentinam mortem eius, *qui in praerogativa deferenda subito concidisset, non iustum rogatorem conciliorum fuisse dixerunt.* Quod Festus refert ex Varrone et Verrio, id quidem verum est, sed sic tantum explicat, cur introductae fuerint praerogativae, non vero quae fuerint, neque cur ita appellatae. *Dac.*

Puelli. Puer, puerus, puerulus, puellus, puera, puellula, puella. Versus Ennii:

Poeni sunt soliti sos sacrificare puellos.

Vide Nonium (p. 158. M.). In fine versus Plauti ex fabula, cui nomen *Lenones gemini.* Pro *olim* Priscianus (lib. VI. c. 8, 42. tom. I. pag. 247. Kr.) habet *solent.* In quibusdam edit. est:

Dolet hic puellus sese venum ducier.

Dac. Glossis: *Puellus παῖς ἀρχαῖος. Goth.*

Praeciamitatores. Macrob. lib. I. Sat. (c. 16.): *Regem sacror. Flaminesque non licebat videre feriis opus fieri, et ideo per praeconem denuntiabant, ne quid tale ogeretur, et praecepti negligens multabatur. Ant. Aug.* Servius in schedis: *Pontifices sacrificaturi praemittere calatores suos solent, ut, sicubi viderint opifices adsidentes, opus suum prohibeant, ne pro negotio suo et ipsorum oculos et cerimonias Deum attaminent.* Legendum autem hic: *antecedentes clamant.* Caeterum suspicor *praeclamitatores*, quod viri docti substituunt, veram lectionem non esse. Hoc enim ut facerent, inducti sunt verbo clamandi, quo Festus utitur in ipsa vocis expositione. At nos contra *Praeciamitatores* verae lectionis vestigium, non veram lectionem esse putamus, et legendum: *Praeciae metatores* dicuntur, qui Flaminibus, Diali, Quirinali, Martiali antecedentes clamabant. Metatores sunt προπαρασκευασταί, de quibus abunde in Ausonium. Praeterea vox satis nota vel mediocriter docto. At *Praecias* ipsos vocatos esse infra post dicitur, ut dubium non sit, quin legendum sit ita, uti emendamus. *Praecire* est praeclamare, *cire* clamare, unde id explicans clamandi verbo utitur Festus. *Praeciae, procalatores, qui praemittuntur a Flamine.* Propterea recte metatores exponit Festus, quia et metatores praemittebantur ad locum castris capiendum et ad hospitia militibus paranda. *Scal.* Sed frustra est Scaliger. Quamvis enim verum sit metatores ad locum castris capiendum praemitti solitos fuisse, non inde sequitur, praecias illos, qui flamines praecedebant, ut opifices prohiberent, metatores dici. Nihil enim praeciis illis cum metatoribus commune. Quare praeclamitatores iidem, qui praeciae. *Dac.* Alii *Praeciannunciatores. Goth. Ut homines.* Vide Macrob. I. Sat. 16. adde quaedam alia, quae scripsi supra in v. *Maximus Pontifex. Idem.*

Pedum. Vide supra. Bis enim apud Paulum haec glossa legitur.

Pone. Pone cum gravi. Virg. II. Aen. (208.):

— — *pars cetera pontum*
Pone legit.

Pone, inquit Servius, *post, semper in loco, nunquam in tempore.* Idem ad illud eiusdem libri (725.):

Pone subit coniux.

Pone, inquit, *post, sed loco tantum, non et tempori adiungitur, et est adverbium atque adeo ultima syllaba habet accentum.* Quae sequebantur apud Festum divinare non possum. Aiebat forsan, pone cum vocabulo cuidam postponebatur, fuisse adverbium temporis. *Dac.*

Pure lautum. Pure lautum antiqui dicebant aqua pura lavatum . . . rite . . . . in . . . . . . Ita schedae et forsan haec vel his similia Festus addiderat: nam sacerdotes sacra celebraturi rite lavabant vel in mari vel in fluvio. Notum est illud sacerdotis Romani ad Sabinum bovem Dianae immolaturum: *Quisnam tu hospes, paras,* inquit, *Inceste sacrificium Dianae facere? Quin tu ante vivo perfunderis flumine. Infima valle praefluit Tiberis. Religione tactus hospes, qui omnia, ut prodigio responderet eventus, cuperet rite facta, extemplo descendit ad Tiberim. Interea Romanus immolat Dianae bovem.* Vide Liv. lib. I. sect. 45. *Dac.*

Pura vestimenta. Lege: *id est non obstita. Obstitum* est fulguritum, ab eo quod obliquum obstitum dicebant. Fulgura autem duplicia, caelestia, terrestria. Caelestium ictus semper obliquus, ut casus semper obliquus. Auctor Plinius lib. II. (c. 52.). Porro de puris vestimentis Servius in fragmentis (pag. 371. fin. ed. Dan.): *Sane,* inquit, *in sacris pura vestis appellatur, quae neque funesta sit, neque maculam habeat ex homine mortuo. Scal.* Verum *obsita* in schedis infra, et ita legendum. Nam quod addit *fulgurita,* idem est quod obstita. Nisi scripserit Festus: *Non obstita, id est non fulgurita.* Purae vestis alibi meminit idem Servius, nempe ad illud XII. Aen.: *Puraque in veste sacerdos* (169.). *Impolluta et pura dicitur vestis,* inquit, *qua festis diebus uti consueverant sacra celebraturi, ut neque funesta sit, neque fulgurita, neque maculam habeat ex homine mortuo. Est autem linea et purpurea. Purpura maris vicem ad piandum praebet, linum vero fluminis, quia cum vere primum in oriente flumen inundasset, sponte sua linum natum esse Plinius secundus dicit. Dac.* Quae infra desunt, sic forte supplenda: *Ex hac caussa, quod impura ea vocabant, quae iis modis erant vitiata,* vel *quibus sacra erant vitiata. Idem.* Vide supra *Obstitum. Goth.*

Procalato. Vide *Procitant. Dac.*

Praefericulum. In sacrario Opis Consivae, ut opinor, scripsit Festus. De ea Varro et Macrobius videndi. Vide *Opima. Ant. Aug.* Praefericulum vas aeneum sine ansa, patens summum, velut pelvis, quo utuntur in sacrario Opis Consivae. *Scal.* In sacrificiis tantum Opis Consivae eo utebantur, non vero in quibusvis aliis sacrificiis, ut male Paulus. A *praeferendo praefericulum,* quod in eo res sacrae praeferentur. *Dac.*

Patellae. Velut capidulae, inquit Festus. Vide *Capis.* Cicero Parad. I.: *Quid Numa Pompilius? minusne gratas diis immortalibus capides ac fictiles urnas fuisse, quam felicatas aliorum pateras arbitramur?* et lib. III. de Nat. Deor. (c. 17.): *Capidunculis his, quas Numa nobis reliquit.* Varro lib. IV. (lib. V. p. 127. Sp.) et VIII. (Varro de vit. P. R. lib. I. apud Non. pag. 547. Merc.) de Ling. Lat. *Ant. Aug.* Diminut. a *patina,* quod a Graeco πατάνη a mutato in *i.* Sacrificiis aptas innuit Varro Manio apud Nonium (pag. 543. Merc.): *Quocirca oportet bonum civem legibus parere et Deos colere, in patellam dare μικρὸν κρέας.* Nam de cibis etiam in patella in focum Laribus deferebant, qui et inde patellarii dicti. In patellis etiam sive pateris Deo vinum libabant. Varro lib. IV. Patinas a patulo dixerunt, ut pusillus, quod his libarent coenis, patellas. Ita enim distinguendus hic locus. De *capidulis* vide in voce *capis. Dac.*

Pantices. Plautus in Pseudolo (1, 2, 51.): *Vino modo cupidae estis; eo vos vostros panticesque adeo madefacitis, quom sim ego hic siccus.* Martial. lib. VI. (ep. 64.):

Quid cum panticibus laxis et compede grandi.

Ant. Aug. Quid sit frus nescio. *Scal.* Quid sit frus ignotum est. Legunt quidam fluxus, quod probari non potest. Melius, qui *viscus ventris.* Quid si *frus* sit pro *frux,* quomodo antiqui dicebant pro fructu, ut fructum ventris Festus vocet pantices intestina? Pantex vulgo *panse.* In Phallicis: *et aestuantes solvi pantices Obesam ad uxorem redis. Dac.*

Procinctam. Praeter Pauli epitomen Pompeius scripserat, cur procincta diceretur, quod procincti ad pugnam ire soliti fuerint, unde testamenta in procinctu fieri dicta sunt, quae a militibus fierent. Vide Gell. lib. I. cap. 11. et lib. XV. cap. 17. Cic. lib. I. de Or. (58.) Plutarch. in Coriolan. Iustin. lib. II. Inst. tit. de testamentis. Vide proximum superius caput (*Procincta classis.*). *Ant. Aug.* Glossarium: *Procinctum ὅταν*

εἰς πόλεμον συγκαλέσονται. Porro ita videtur scripsisse Festus: *Procinctam classem Flamini Diali, hoc est milites ad proelium instructos et paratos videre non licet. Antiqui enim procinctum dixerunt, ut nunc quoque, cum exercitus instructus est. Procincta autem acie ad pugnam ire soliti erant, unde dicuntur testamenta in procinctu fieri, quae instructa acie nuncupabantur*, vel, *quae ad pugnam ituri nuncupabant.* *Scal.* Vide *Classis* et *In procinctu. Dac.* Potius *Endo procinctu.*

Prosemurium. Tacit. lib. XII. (23. 24.): *Pomerium urbis auxit Caesar* (de Tib. Claudio intelligitur) *more prisco, quo iis, qui protulere imperium, etiam terminos urbis propagare datur. Nec tamen duces Romani, quamquam magnis nationibus subactis usurpaverant, nisi L. Sylla et Divus Augustus.* Et postea: *Quod pomoerium Romulus posuerit, noscere haud absurdum reor.* Huius rei extat memoria Romae in marmoreo cippo. *Pomerium* autem in eo scriptum est, non *pomoerium*, neque *pomaerium.* Vid. Varro lib. IV. de Ling. Lat. et Gell. lib. XIII. cap. 14. Ex his Festi verba intelligere et sarcire poteris aliqua ex parte. *Ant. Aug.* Infra: *Prosimurium esse ait Antistius in Commentario iuris Pontificalis pomoerium, id est post murum, ut ait Cato. Olim quidem omne post murum intimum, nunc etiam intra aedificia pomerium, quasi promerium solet dici.* Reliqua ne Sibylla quidem divinaverit. Quod ait Paulus de Pontificali pomoerio, id tractabatur in linea, quae est harum reliquiarum decima septima. *Scal.* Promoerium, *prosmurium, prosimurium.* Ita enim literas *s* et *i* addebant aliquando. Sed omnino pomoerium est a *post* et *moerus*, ut a *post* et *meridie pomeridianus*, et ita Festus in fine. Varro lib. IV. (V. pag. 145. Sp.): *Postea quod fiebat orbis, urbs. Principium, quod erat post murum pomerium dictum, eiusque ambitu auspicia urbana finiuntur* (Hodie ita legitur: *Postea qui fiebat orbis, Urbis principium; qui quod erat post murum Postmoerium dictum* cet.). Verum quia inter viros eruditos magna olim quaestio fuit et adhuc quotidie est, intrane vel extra urbem, an etiam ubique pomerium fuerit, de eo mihi paucis agendum existimavi. Intra urbem pomerium fuisse hic aperte tradit Festus, idem et Varro loco supra laudato. Pollux etiam lib. IX. ait urbem ingressis omne illud spatium intra muros, intra moenia pomoerium dictum. Idem Plutarchus in Romulo, idem et Gellius lib. XIII. cap. 14., qui ex augurum libris Festi verba fere omnia ad verbum adducit. Sed aperte dissentit Livius lib. I. sect. 44.: *Inde deinceps*, inquit, *auget Esquilias* (Ser. Tullius): *Ibique ipse, ut loco dignitas fieret, habitat. Aggere et fossis et muro circumdat urbem, ita pomerium profert. Pomoerium verbi vim solam intuentes postmoerium interpretantur esse. Est autem magis circa murum locus, quem in condendis urbibus quondam Etrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis, inaugurato consecrabant, ut neque interiore parte aedificia moenibus continuarentur, quae nunc vulgo etiam coniungunt, et extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli. Hoc spatium, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quod post murum esset, quam quod murum post id, pomerium Romani appellarunt, et in urbis incremento semper, quantum moenia processura erant, tantum termini hi consecrati proferebantur.* Haec Livius. Quae omnia facile perculsa ruent, si Festi et aliorum eiusdem partium rationes enucleemus et perpendamus. Primum quidem ex Festo, Varrone et augurum libris Pomerium est locus intra agrum effatum, per totius urbis circuitum pone muros regionibus certis determinatus, qui facit finem urbani auspicii. Agrum effatum intra moenia fuisse notum est, at intra eum fuit pomerium, imo etiam et pomerium finem urbani auspicii faciebat. Ait Festus ex Catone antiquos extra Aventinum auspicari solitos fuisse, postea intra aedificia. Extra Aventinum auspicabantur ante Romam scilicet conditam et pomerium consecratum, effatum. Sed postea consecrato pomerio, intra aedificia, id est intra urbem, pomerium. Atque ita Catonis locum intelligendum nemo non videt. Addit Festus, antiquum pomerium Palatini montis radicibus terminatum, cui adsentiens Tacitus ait *certis spaciis a Romulo interiectos fuisse lapides per ima montis Palatini*, scilicet lapidibus istis Romulus vice murorum usus, ut intra eos terminaretur pomoerium, et ita etiam olim fiebat; designato muro statuebantur cippi vel lapides, qui pomerio et auspiciis facerent finem. Subiicit tandem Festus, iis tantum proferendi pomerii ius datum, qui populum Romanum agro de hostibus capto ditaverant. Atqui nihil tale unquam de muris cautum fuisse certum est et cuivis muros ampliandi fuisse semper potestatem datam. Ampliari igitur poterant muri non ampliato pomerio. Ita est: audi Flavium Vopiscum de Aureliano (c. 21.): *His actis*, inquit, *quum videret posse fieri, ut aliquid tale iterum, quale sub Gallieno evenerat, proveniret, adhibito consilio Senatus muros urbis Romae dilatavit. Nec tamen pomerio addidit eo tempore, sed postea. Pomerio autem nemini principum licet addere nisi ei, qui agri Barbarici aliqua parte Romanam remp. locupletaverit. Addidit autem Augustus, addidit Traianus, addidit Nero, sub quo Pontus Polemoniacus et Alpes Cottiae Romano nomini tributae.* Vides Aurelianum muros ampliasse, non promotis pomerii terminis, idque satis evincit, intra moenia, pone muros pomerium fuisse. Nam alioqui si ante muros pomerium fuisset, qui potuisset Aurelianus muros dilatando pomerii terminos suo loco relin-

quere? His addo ex Laelio Felice apud Gell. lib. XV. cap. 27. Centuriata comitia intra pomerium fieri nefas esse, quia exercitum extra urbem imperari oporteat, intra urbem imperare ius non sit: propterea centuriata in campo Martio haberi. Atque haec de Romano pomerio quod viris doctis satis hactenus ignoratum, inter quos fuere, qui audacter affirmarent, antiquum illud pomerium extra urbem fuisse. Qui, si iis Augurum, Varronis, Pollucis et Plutarchi verba a me superius allata et explicata minus perspecta sunt, vellem equidem vel solam vim vocis pomerii sedulo perpendissent, atque ita nunc si cum Livio adessent, responderent de exercitu obsidione urbem cingente, numquid ille post murum sedere videretur. Certo suo aliter pronuntiarent ac ab iis factum est. Neque enim spacium illud, quod ante muros fuit, magis *pomerium* dici possit, quam exercitus post muros sedere, qui ante moenia castra metatus est. *Dac.* *Prosemurium* et *Promurium*, ut *persefacul* idem quod *perfacul*. *Goth.* Cf. supra in v. *Persefacul.*

Promptum. (Ad p. 215.) Promptum significat paratum. Deinde utitur testimonio veteris scriptoris, qui dixerit: de cuius aere tute promptum triticum in commentario tuo retulisti. Quidam prolatum significare aiunt promptum. Sed promptum ait id, *quod in futurum factum sit, cui . . re, cum praesertim aliud penus, aliud promptuarium panis, olei, vini appelletur.* In hanc sententiam Festum scripsisse putamus. Nam monstrum verbi erat, *pantoleium* pro *panis, olei, vini.* Haec *Scalig.* post v. *Putus.* Revera *promptum* est a *promo*, quod a *pro* et *emo*, sumo, capio. Et promere est, quod inclusum erat et reconditum, proferre. Inde *promptuarium*, quod et promtuaria cella, ubi res ad victum quotidianum necessariae reconduntur, ut inde mox promantur. Et ita differt a penu, ubi res penitus et quasi in penetralibus custoditae servantur. Non satis capio, quid Festus velit, cum ait *promptum id dici proprie*, ita enim legendum, non *proprium*, *quod in futurum factum sit.* Et non possum quin suspicer aliter Festum scripsisse, nempe: *quod in usuram tractum sit*, ut dicat id proprie promtum dictum, quod ita depromptum est, ut eo mox utantur. Cui contra opponitur *penus*, quod diutius servetur. Et *penus* etiam, id est penarium, penaria cella τῷ promptuarium contrarium est, ut supra demonstratum. In fine *pantolcium*, quod corruptissimum est, Scaliger emendavit *panis, olei, vini.* Optime, ut et Fulvius Ursinus. *Dac.*

Potitus. (Ad p. 215.) Interpretatio esse videtur horum verborum *potitus servitute*, ut significet servire. Item *potitus hostium* apud Plautum et iurisconsultos captivum significat. Plaut. in Capt. et in Epidico. Iuriscons. sub titulo de captivis et de testamento militis. *Ant. Aug.* Graecorum imitatione id dictum vult, qui dicunt ἐπαυρεῖν κακοῦ. Hesiodus. *Scal.* Plaut. Amph. (I, 1, 23.):

— — *eum nunc potivit pater*
Servitutis.

Potitus hostium idem Capt. (I, 1, 24.):

Nam postquam meus rex est potitus hostium.

Item (35.):

Ergo postquam gnatus tuus potitus est hostium.

Sic *potitus est hostium* idem non semel. Neque id mirum, *potiri* enim media vox est, et tam de malis, quam de bonis usurpatur, ut *sperare* etc. *Dac.* Vide l. 15. ff. de captivis. *Goth.* Locus Plauti Epid. est IV, 1, 35.

Penus. Festus ait: *Penus vocatur locus intimus* etc. Vestalia sunt V. Id. Iun. ex Fastis et Ovidio ac Varrone. *Ant. Aug.* Corruptus locus. Lege: *Penus vocatur locus intimus in aede Vestae tegetibus septus. Scal.* Proprie *penus* penarium et per similitudinem locus intimus in aede Vestae, quem tegetibus septum fuisse innuit Ovid. lib. IV. (VI. v. 262.) Fast: *Et paries lento vimine textus erat. Dac.*

Pomonal. (Ad p. 215.) Inter Ostiam et Romam Solonium praedium collocat Plutarch. in Mario. Livius etiam lib. VIII. (c. 12. init.). *Dac.*

Pubes. Lege: *Pubes et Puber, qui generare potest.* Catullus in Galliambo: *Ego puber, ego adolescens, ego ephebus, ego adulescens. Scal.* Vide Instit. de Nuptiis. Ulpiani frag. tit. 11. §. 28.

Prandicula. Prandium et prandiculum pro ientaculo, ut et olim apud Graecos δεῖπνον. Vide *Coena. Dac.* Glossis: *Prandicularius* ἡ μετὰ μνηστείαν ἡμέρα. *Goth.*

Prodiguae. Vide *Prodegeris. Dac.*

Petronia amnis. Vide *Cati fons*, *Manalis fons* et *peremne. Dac.* *Profluens.* Perfluens. *Goth.*

Penetrale sacrificium. Larium Deorum sacrificium, ut opinor. Nam et ipsi *penetrales* dicti. *Dac.* Adde supra *Herceus Iupiter.* Glossis Penetralia ἐνδότατα. *Goth.*

Puri. *Manumissio* hic dictum est pro liberatione, ut dicitur liberatio nexi. Est autem manumissio seu liberatio sacrorum causa unus ex illis modis, quibus liberabatur heres, qui accepta hereditate tenetur

sacris familiae. Notum enim est veteri iure Pontificio contineri, ut sacra privata conserventur ac deinceps familiis prodantur. Ex quo institutum, ut ne morte patrisfamilias sacrorum memoria occideret, sed iis essent adiuncta, ad quos eiusdem morte pecunia venisset. Igitur praestigiae excogitatae, quibus fucus, ut ita dicam, legi fieret. Introducti sunt enim modi, quibus sacra perimerentur. Id autem fiebat aut emancipatione per aes et libram, adhibito libripende, quae hic dicitur manumissio sacrorum caussa. Cicero II. Legg. (c. 20. fin.): *Quin etiam cavent, ut cui plus legatum sit, quam sine religione capere liceat, is per aes et libram heredes testamenti solvat, propterea quod eo loco res est ita soluta hereditate, quasi ea pecunia legata non esset.* Aut fiebat alio genere imaginariae venditionis, quae vocabatur coemptio, adhibitis senibus coemptionalibus, qui asse Caiano, hoc est nummo sestertio dicis caussa ter accepto et rursus reddito heredem absolverent. In ea pro Murena (c. 12.): *Sacra illi* (veteres) *interire noluerunt. Horum ingenio senes ad coemptiones faciendas interimendorum sacrorum caussa reperti sunt.* Aut denique detestatione, quae solennibus verbis Calatis comitiis celebrabatur. Gellius lib. XV. (c. 27, 2.): *Iisdem comitiis, quae Calata appellari diximus et sacrorum detestatio et testamenta fieri solebant.* Quare et Servius Iurisconsultus scripsit librum de sacris detestandis, ubi de iure testamentorum disputabat. Gellius lib. VI. c. 12.: *Servius Sulpicius Iurisconsultus, vir aetatis suae doctissimus, in libro de sacris detestandis, qua ratione adductus Testamentum verbum esse duplex scripserit, non reperio.* Corrupte enim in Gellio vulgo editur: *in libro de testamentis secundo.* At ea, quam reposui, est veterum excusorum et calamo exaratorum lectio. Alii erant etiam modi perimendorum sacrorum, ut caput partitionis in deducendis centum nummis. De quo vide secundo de legibus. Tantum ea ego apposui, quae declararent, quid manumissio sacrorum causa hic apud Festum, quid item detestatio sacrorum. Neque est quod quisquam putet, manumissionem sacrorum caussa dici, quod Vestalis et Flamen Dialis exibat patris sui potestate. Nam ii statim sine emancipatione ac capitis deminutione de patris potestate exibant. Neque libet intelligere de eo, quem pater in alienam familiam daret, ut cum eum ex potestate emisisset, postea sacrorum causa manumissio celebraretur. Qui enim in tertia mancipatione in iure cessi erant a parente, in cuius potestate erant, eodem momento in patris adoptivi sacra transibant, quo e patris naturalis sacris exibant. Apparet autem, qui sacris exsolvebatur auri puri, probi, puti, sui nescio quantum arcae Pontificum inferre solere. *Scal.* Quae, quia praeclaram solutionis sacrorum et detestationis, neque cuivis obviam cognitionem continent, prudens praeterire nolui, etsi ea minus ad hanc manumissionem, qua de Festus loquitur. Nam proprie et vere dictam manumissionem Festus intelligit, cum scilicet sacrorum caussa servus manumittebatur a domino. Idque satis superque ostendunt, quae supra idem Festus posuit: *Manumitti dicebatur servus sacrorum caussa* etc. Locum adi. Coniicio autem sacrorum caussa manumissum servum dici, cum a domino manumittebatur, ut in familiae sacra transiret. Neque enim id nobis a veteribus explicatum. Pro eo autem *puri probi profani sui auri* 20. Dominus solvebat. *Dac.*

Pacionem. Vide supra in *Nuptiae: quod nova pacio fiat:* a Graeco πήγω, Doricum *pago*, unde antiquum *paco:* ita enim infra legendum pro *paceo: paco, pacio, pactum, pacisci. Dac.* Vide Nonium (pag. 474.) in *Paciscunt. Goth. Paceo* pacto, paco. Glossis: *Paco* εἰρηνεύω. *Idem.*

Presan. (Ad p. 216.) Non dubito, quin *praecidanea* scribendum sit ex iis, quae idem Festus et Paulus de praecidanea scribunt. Vid. Cato de re rust. Gell. lib. IV. cap. 6. *Ant. Aug.* Vide Doctissimi Turnebi Adversaria, qui legit *Praesentaneam. Scal.* Optime supplevere viri docti *Praesentanea porca dicitur* etc. ex Victorini libro de Orthographia (pag. 2470. Putsch.), qui Praesentaneam appellat porcam illam, quae praesente mortuo immolabatur. *Dac.*

Pateram perplovere. Diis vinum offerebatur in pateris, unde usitata in sacrificiis formula *patera perplovit*, id est hac et illac *perpluit. Dac.*

Pastillum. Pastillum et pastillus a pane, *paniculus, panicillus, pastillus* genus libi rotundi, quare in glossis pastillus τροχισκός, τροχοειδὴς ἄρτος. *Dac.*

Puilia saxa. (Ad p. 216.) Haec mihi ignota sunt. Ficana Latii urbs Ficulnea vetus. Liv. lib. I. *Dac. Pictor.* Lictor. *Goth.*

Paveri. (Ad p. 216.) *Pavera.* Alibi olim explicavimus. *Scal.* Legit Scal. *pavera frumenta*, id est paviendo multum trita, ut granum deglubatur. Sed et stare potest altera lectio. *Dac.*

Paludati. Inde *paludatum* pro quovis milite invenias, ut apud Lucil. *Paludatus rorarius* Satir. lib. X. Proprie autem *paludae* et *paludamenta* Imperatorum erant insignia, quae thoraci superimponebantur. *Dac.*

Purimenstrio. (Ad p. 216.) Malim *menstruo*, etsi *i* et *u* facillime commutantur. Vide *cerimoniarum. Dac.* Vide supra *Denicariae* et *Tricenariae. Goth.* Suidae μητρωακαί. *Idem.*

Prox. Proba vox. *Pro vox* etc.

Penates. Singulari numero dixit Liv. lib. XXVIII. (c. 18.): *Quoniam fors eos sub eodem tecto esse atque in eodem penate voluisset. Dac. Proportio.* Portio. *Goth.*

Proculinat. (Ad p. 216.) MS. *Proculinant.* A proculio. Quod infra in Epitome Pauli. Nisi ex illo hic etiam malis *proculiunt.* Suspicatur Vossius, ut *promittere*, quod est προβάλλειν, sumitur pro *polliceri*, quia qui spondet, verbis aliquid in longum movet, ita *proculio* dici, quia quis *procelsit* sive *procellit*, hoc est verbis longe dimovet, mutato *e* in *u.* Meursius vero legebat *proculinunt promunt*, pro *proculiunt*, sicut *obinunt*, *ferinunt*, *solinunt. Dac.*

Popularia. (Ad p. 216.) Notabis *Lararia* pro Compitalibus dicta. Quod haud temere alibi reperias. *Popularia* opponuntur *privatis*, ut *popularia iudicia privatis iudiciis.* Nam ita hic videntur Popularia opposita privatis, familiaritiis et gentiliciis sacris. Alias popularia sacra opponuntur montanalibus et paganalibus. Varro: *Dies Septimontium nominatus ab his septem montibus, in queis sita urbs est; feriae non populi, sed montanorum modo*, ut paganalia, qui sunt alicuius pagi. *Scal. Porca praecidanea.* Quid hoc porca praecidanea inter popularia sacra? Nugae. Haec non sunt huius loci, quare hinc ableganda. Videntur autem huc adhaesisse e capite *porca praecidanea*, quod male post *praecidaneam porcam* retractum est. *Dac.*

Pollucere. (Ad p. 216.) Utitur hoc verbo Cato in libro de re rustica (c. 132.). Plautus in Sticho (II, 1, 80.) Cassius Hemina apud Plin. lib. XXXII. c. 11. Est autem locus Festi lacer ita sarciendus, ut dicatur, *non licere omnia pollucere olicui deo, deaeve, sed Herculi licere omnia esculenta et poculenta. Cato Iovi Dapali dapem polluceri scribit; Cassius, Numam prohibuisse, ne non squamosi pisces pollucerentur.* Nos igitur ita scriberemus: *Pollucere Mercurio, quae liceat, sunt: far* etc. *Ant. Aug.* Regis Numae lex fuit de polluctu, quae videlicet liceret polluceri, quae non liceret. De piscibus, qui squamosi essent, omnes, praeter scarum, idque propter raritatem. Rarissimus enim in Laurenti litore, atque adeo in ora Tyrrhenica erat piscis ipse. Quique eum capiebant, in mare dimittebant. Non igitur per religionis causam hoc sancitum est, sed ut parsimonia convivia, epulaeque publicae facilius ad pulvinaria compararentur. Cuius rei auctor Cassius Hemina apud Plinium his verbis: *Numa constituit, ut piscis, qui squamosi non essent, ni pollucerent, parsimonia commentus, uti convivia publica et privata coenaeque ad polvinaria facilius compararentur: ni qui ad polluctum emerent, precio minus parcerent eaque praemercarentur.* Neque in hoc pisce, sed in multis aliis modus est impositus etiam sacrificiis. Quare Servius ait, in libris veterum legi, a maioribus sacrificando parsimoniam observatam. Puto legem his verbis conceptam fuisse: *Pisceis, quei squamosei non sunt nei polluceto squamosos omneis praeter scarum polluceto.* Sine dubio autem lacer iste locus ita sarciendus est: Pollucere merces diis, quas liceat, sunt, far etc. At docti viri: Pollucere Mercurio quae liceat, sunt etc. Quid? an Mercurio tantum pollucebatur? non et Iovi Dapali apud Catonem? non aliis? Sed pollucere merces hoc facessit illis negotium. Frustra. Praeter alios audiant Varronem: *Hinc profanatum, quod in sacrario polluctum. Atque Herculi decuma data ab eo est, quod sacrificio quodam fanatur, id est ut fani lege sit, id dicitur. Polluctum, quod a porriciendo est fictum. Cum enim ex mercibus libamenta porrecta sunt Herculi in ara, tum polluctum est, ut cum profanum dicitur, id est proinde, ut sit fani factum.* Haec Varro. Pollucere merces dicebantur mercatores, quando de mercibus ἀπαρχὰς et libamenta diis offerebant. *Scal. Alica.* Vide supra *Alica. Goth. Pisces.* Adde supra *Piscatorii ludi. Idem. Squarum.* Scarum. *Idem.* De pollucendis mercibus vide Varronem lib. V. de L. L. (lib. VI. pag 230. Sp.). Tertullianum Apolog. c. 39. *Idem.*

Profestum facere. (Ad p. 216.) Deest *facere licet* vel quid simile. Sensus est: *Profestum facere est tanquam profanum facere, id est facere, quod eo die, qui dies feriarum non est, facere licet.* Hic intelligere videtur Festus *profestum facere eos dictos, qui festos vitiabant, id est qui diebus festis illud agebant, quod quotidiano opere tantum licebat. Dac.*

Profanum. Vide supra.

Procubitores. (Ad pag. 216.) Qui procubant custodiae caussa. Gloss.: *Procubitor* φρουρός. *Dac.*

Prop . . . (Ad p. 216.) Amplius schedae. *Prop.* . . . . . . *sta dolia ait dici Labeo quod* . . . . *r.* . . . . *tur.* . . . . *do.* . . . , quos hiatus ne Sibylla quidem expleverit. *Dac.*

Pube praesente. Doctissimus Romanorum Virgilius inter alia reconditae antiquitatis arcana et hoc posuit, cum ait (Aen. I, 393.):

— *puppesque tuae pubesque tuorum.*

Ex ea enim consuetudine dixit, cum exprimeret Homericum:

Σὺν νηΐ τε σῇ καὶ σοῖς ἑτάροισι.

Scal. Plaut. Pseud. I, 1, (123. seqq.):

Nunc ne quis dictum sibi neget dico omnibus,
Pube praesenti, in concione, omni populo,
Omnibus amicis notisque edico meis,
In hunc diem a me ut caveant, ne credant mihi.

Dac. Galli *la ieunesse.* *Goth.*

Priveras. Privus priverus, ut *Iovis Ioveris* etc. *Scal. Apollinis*, *Apollineris* et alia. *Dac.* Vide infra *Privos. Goth.* . . . . . *tur de* . . . Schedae . . . . tur pro . . . . videtur Festus de privigno: forsan *Privignus dicitur pro praegenitus.* Forsan etiam Graecam vocem adduxerat Latinis literis scriptam: *Privignus dicitur progonos quasi praegenitus.* Gloss.: *Privignus πρόγονος.* Neque tamen placet *privignum* esse a *πρόγονος*, ut putavit Caninius, sed a *pri* pro *prae* et antiquo *geno*, nisi malis cum Beda esse a *privus* et *geno*, quasi *prive genitus* i. e. seorsum ex alio scilicet, vel alia coniuge genitus, quo sensu et Graecis dicitur *ἄμφος* ab *ἀμφίς*, quod est seorsum. *Dac.* Vide l. 4. in fine ff. de ritu. l. 4. §. et quidem. 6. ff. de gradibus. *Goth.*

Pecunia, quae erogatur. (Ad p. 217.) Repetitum est hoc fragmentum in fine huiusce libri. Legendum autem: *Pecunia, quae erogatur in ludos et spectacula, appellatur lucar, inde dicta, quod e lucis capte-tur.* Compendiose scilicet scriptum fuit *lucar ie* pro *lucar inde.* Potest etiam et scriptum fuisse: *appellatur lucaris.* Infra laudabatur Cato, sive alius, qui aliud etymon *τοῦ lucar* adduxit. Quare fortasse supplendum: *Idem in eodem libro lucor a luce dici existimat*, *cuius opinionis* etc. Vide *Lucar. Dac.* Huc pertinet fragmentum vetus Senatusconsulti, in quo inter cetera leguntur *V. F. De Lucari ludorum Secularium. Goth.*

Pipulum. (Ad p. 217.) Vide *Pipatio*, *Occentassint* et *Vagulatio. Dac. P. . . . qu.* De Pio ac Piaculo et expiationibus fulgurum egisse Festum puto. Item pecuniam, quae erogaretur piaculorum caussa, piacularem dictam, edictaque, quae quid in religiones ob ignorantiam commissum expiari iuberent, piacularia dicta, idque referri a Messala in explanatione sacrorum, an auguriorum. Sequebatur deinde *Pipulum*, ploratus a pipatu pullorum sumptum. Varro: In Aulularia (III, 2, 32.): *Pipulo te differam ante aedes*: id est *convicio*, declinatum a pipatu pullorum. Isidorus in Glossis: *Pipulo, ploratu, convicio.* Reliqua alio pertinebant, de consulibus eorumque lictoribus. Puto iis tractatum fuisse de legibus Consularibus in cives rogatis, quae sanciebant poenam verberum. Nam in fine manifesto haec scripta fuerunt: *tribus* XXXV. *aut privilegia irrogare, aut de capite civis statuere, nisi maximo comitiatu vetant XII. Tabularum leges, praeterquam in veneficos, quique malum carmen incantant, quia ipsi indemnati iure occiduntur.* Notum est, quod posui, de capite civis et de privilegiis ex Ciceronis non paucis locis, pro Sextio, pro Domo et III. de legib. libro. De veneficis et incantatoribus notissimus est Plinii locus lib. XXVIII. cap. 2. Indemnatos ait occidi. Quia passim unicuique interficere licebat, ut apparet. *Scal.* (De *pipulo* cf. Hauboldi dissertationem de *Obvagulatione. L.*). *P . . . . q.* De fulgurum expiationibus hic agebat Festus. Atque ita forsan scripserat: *Piacularia quaedam sacra Aruspices solent suscipere, cum in locum quendam fulgur decidit.* In sequentibus lubricum iter. Addebat forsan Festus: *Qui locus postea fulguribus ibi conditis sacer habitus est, ut et omnis ager, quem calcari nefas est, eadem ratione, ut et cetera loca omnia, quae fulgure sacra facta sunt.* Parum me, praefiscine dixero, vel a verbis vel a mente Festi discessisse arbitror, sed de eo, ut de aliis omnibus, quae mea sunt, penes viros doctos iudicium esto. Vide *Bidental. Dac.*

Promellere. Mellere seu *Melere* antiquum verbum a Graeco *μέλλειν*, cuius vestigia supersunt in voce *Remeligines. Scal.* Pro *lituum provere* lego *litem promovere. Provere* compendiose pro *promovere. Promellere* autem est *procrastinare*, *producere*, a mello, moror, quod a Graeco *μέλλω.* Inde *remellere* sive *remelere* unico l, *remorari*, a quo et *remeligines* dictae, quae a remorando remorae. *Dac.*

Purime. Infra. Duo membra sunt in his reliquiis. In primo quid sit ager publicus disserebatur, nempe quo et augures publici fruebantur, qualis erat, qui in agro Veienti erat, nomine Oscus. Videtur autem velle Festus Publicum agrum dictum esse ab auguribus publicis. De quibus Varro (lib. V. pag. 34. Sp.): *Ut nostri augures publici disserunt.* Cicero (de Legg. II, 8, 20.): *Publici augures signis et auspiciis postea vidento. Scal.* Pro *teneo* dicebant *teno*, unde praeteritum *tetini.* Vide infra: *Tetini tenui. Dac. Publicus ager.* Vide *Oscum. Idem. Postea.* Ita paene scripserat: *Prodicere diem est prodere.* Prodictio namque proditio est, quae in praesens valet. Prodicere diem et prodere diem idem esse supra notavimus. Gellius lib. XII. cap. 13.: *Kalendasque mihi prodictas, uti intra eum diem pronunciarem.* Male hodie *productas. Scal.* Sed vel scribendum

est *prodicere diem est praedicere, prodictio namque est praedictio*, vel mirum in modum Festus fallitur et cum eo Scaliger. Neque enim *prodicere diem* idem quod *prodere*. *Prodere* est *producere*, *prodicere* vero est praedicere, praenuntiare. *Dies prodita* potest esse *prodicta*, et contra *prodicta* potest esse non *prodita*. Vide *prodidisse*. *Idem*. *Purime*. Alii *Puriter*, ut apud Nonium (pag. 516. Merc.). *Goth*. *Purime* superlativus esse videtur, ut *maturrime* pro maturissime. Estque in his suffixum superlativi non *simus* sed *rimus*, quod ad ipsam vocis radicem adiicitur.

Patronus. (Ad p. 217.) Ait a patre patronos dici, quia clientium veluti patres sunt. Hinc Varro in ea oratione, quam dixit apud Consules in Lentulum: *Patrem primum: postea patronum primum nomen habere*. *Dac*.

Pristina. Legendum uti ex Epitome quivis videt, *pristina velut priustina*. Quamvis *pristinus* non a prius, ut putat Festus, sed a *pris*, quod a Graeco *πρίν*. A *Pris pristinus*, ut a *cras crastinus*. *Prius* etiam a *pris*. *Dac*. Glossis: *Pristina ἀρχαῖα*. *Goth*.

Praesagitio. Cicero I. de Divin. (31.):

Praesagibat animus frustra me ire, cum exirem domo.

Sagire enim sentire acute est: ex quo sagae anus, quia multa scire volunt, et sagaces dicti canes. Is igitur, qui ante sagit, quam oblata res est, dicitur praesagire, id est futura ante sentire. *Dac*. Adde supra *Praesagire*. *Goth*.

AD LIBRUM XV.

Quirinus. Vide *Curis*. *Dac*.

Quirinalis porta. Verum est, portam Collinam et Quirinalem esse unam et eandem a colle Quirinali dictam. Eadem et agonia sive agonensis ab eodem colle. Hodie *salaria* dicta. In schedis ultima linea *qui . . . . dere fertur* nescio an sit huius loci. *Dac*.

Quirites dicti. (Ad. p. 217.) Lege infra: *quos tamen quidam a curiis*. Item in fine *in funeribus indictivis*. Et *ollus Quiris leto* etc. Vide *indictivum*. Quirites autem non a *Curi*, neque a *curis*, sed a *Curibus* dicti *Curites Quirites*, et inde etiam Dea *Curis* sive *Quiris*, et curis hasta ut iam supra. *Dac*. *Qui . . . . Quirites*, ut opinor, scribendum est, *a Quirino, cui aqua et vino in curiis sacra fiebant*. Vel: *Quirinus Romulus ab hasta, quod armis erat potens. Singulare et usurpatur Quiris. exemplo est praeco, qui in funeris indictione dicit: Ollus Quiris leto datus* etc. Haec ad lectoris acumen potius excitandum dicta sunt, quam ut vera esse fateamur. Varro lib. VI. de Lingua Lat. (VII, 328. Sp.): *Olli valet dictum illi, ab olla, et ollus, quod alterum comitiis cum recitatur a praecone dicitur Olla centuria, non illa: alterum apparet in funeribus indictivis, cum dicitur: Ollus leto datus est*; et lib. V. (VI, 244. Sp.): *Quirites a Curiensibus et ab iis qui cum Tatio rege in societatem venerunt, donati civitate sunt*. Ovid. lib. II. Fastor. (477. seqq.):

Sive quod hasta viris priscis est dicta Sabinis;
Bellicus a telo venit in astra Deus;
Sive suo regi nomen posuere Quirites;
Seu quia Romanis iunxerat ille Cures.

Idem. Vide supra *Indictivum funus* et *Simpludiarea*. *Goth*.

Quirinalia. Semicirculis inclusa sunt in veteri libro repetita ex eo capite, cuius initium est *Quirinalis collis*: quae vero de fornacalibus dicuntur, videntur esse mendosa. Ovidius ait, Fornacalia non esse stata sacra, sed tamen eo die curiarum nomina in foro certis locis notavi, in quibus cum saepe stulte quidam nomina suarum curiarum ignorantes, in alienis curiis sacra facerent, ideo stultorum ferias dictas esse. Varro lib. V. (VI. p. 195. Sp.): *Quirinalia a Quirino, quod ei deo feriae, et eorum hominum, qui fornacalibus suis non fuerunt feriati*. Adde Plutarch. in problem. Emendandum igitur erit sic: *Quod quidam suorum fornacalium sacrorum ignari eo potissimum die rem divinam faciunt*. Vide *Stultorum*. *Ant. Aug.* Confusus ac corruptus locus ita suo ordini ac nitori restituetur: *Quirinalia mense Februario dies, quo Quirinio fiunt sacra. idem stultorum feriae appellantur, quod quidam qui suorum Fornacalium sacra Romae ignoraverant, eo potissimum rem divinam faciunt*. Addit *Romae*, quia curiarum festa erant et a Curione Maximo indicebantur. *Scal.* Quirinalia erant XIII. Calendas Martias; eadem stultorum festa. Ovid. II. Fast. (513.):

Lux quoque cur eadem stultorum festa vocetur
Accipe; parva quidem caussa, sed apta subest.

Deinde caussam exponit et in fine:

Stultaque pars populi quae sit sua curia nescit,
Sed facit extrema sacra relata die.

Sed iuvabit locum ipsum adire. Vide et infra *stultorum feriae. Dac. Idem.* Eaedem. *Goth. Stultorum feriae;* vide infra *Stultorum feriae. Idem.*

Quirinalis collis. Vide *Agonium.* Varro lib. IV. (pag. 57. ed. Sp.): *Collis Quirinalis, ubi Quirini fanum, qui a Curetibus, qui cum T. Tatio Curibus venerunt Romam, quod ibi habuerunt castra. quod vocabulum coniunctarum regionum nomina obliteravit. Ant. Aug.* Prius dicebatur *Agonus;* vide *Agonium.* Sed post receptos Quirites i. e. Sabinos, *Quirinalis* dictus, sive a templo Quirini quod plebs ei in coelum relato in eo colle dedicavit. Ovid. II. Fast. (511.):

Templa deo faciunt, collis quoque dictus ab illo est.

Dac. Aegonus. Agonus. *Goth.*

Quirina tribus. (Ad p. 218.) Cuius meminit Cicero pro Quinctio. *Dac.*

Quiritium fossac. Ait Festus, Quiritium fossas dictas, quibus eam urbem Ancus Martius circumdedit, quam ad Tiberis ostium posuit, ex quo etiam Ostiam vocavit. Verum auctor de viris illustribus non circa Ostiam sed in ipsa urbe Roma factas esse dicit; et non a Martio, sed a Tarquinio Superbo: *Locos,* inquit, *in Circo et Cloacam maximam fecit, ubi totius populi viribus usus est, inde illae fossae Quiritium sunt dictae.* Sed a Festo facit Liv. lib. I. sect. 33.: *Quiritium quoque fossa, haud parvum munimentum a planioribus aditu locis, Anci regis opus est. Dac.*

Quincentum. (Ad p. 218.) Ut *ducenta, trecenta, sexcenta.* Sed postea quia post *n* male sonat *c,* εὐφωνίας caussa *c* in *g* mutatum et quingentum dici coeptum est. *Dac.*

Qui patres. (Ad p. 218.) Haec sub littera P. scribi debuerunt. Vide *Adlecti. Ant. Aug.* Vide *Adiecti* et *Adscripti. Dac.*

Quispiam. Ait Festus: Quispiam significat aliquis, sed inveniri non potest, unde ultima pars eius vocis, i. e. *piam,* facta sit. Nimirum non meminerat Festus, Oscos dixisse *piam* pro *quam,* ut *pirpit* (potius *pitpit*) pro *quicquid.* Et inde *quispiam,* quisquam, *nuspiam,* nusquam, *uspiam,* usquam. *Dac. Aliquae.* Aliqua. *Goth.* Quae; qui. *Idem.* Sic *pe* Osci pro *que, petora* pro *quatuor, pis* pro *quis, pot* pro *quod.* Cf. Müller die Etrusker. I, 31. et tab. Bant.

Quinquatrus. Pro *qui fere his* scribe: *quibus feriae,* vel *qui feriis.* Vid. Varro lib. V. (VI. p. 196. Sp.). Ovid. lib. III. (Fast. 809. seqq.). Macrobius lib. I. *Ant. Aug.* Cave sentias cum iis, qui mutandum censent *qui fere his* in *quibus feriae.* Nihil enim facilius hac lectione. *Scal.* Unicus tantum dies Minervae sacer, sic dictus quod esset post quintum idus mensis Martii. Ut *triatrus* post tertium, post sextum *sexatrus.* Varro lib. V. (VI. pag. 196.): *Quinquatrus hic dies unus a nominis errore observatur, proinde ut sint quinque, dictus ab Tusculanis. Post diem sextum eidus similiter vocatur sexatrus, et post diem septimum septimatrus. Sed hic quod erat post diem quintum eidus, quinquatrus.* Aliter tamen Ovid. III. Fast. (809. seqq.):

Una dies media est et fiunt sacra Minervae
Nominaque a iunctis quinque diebus habet.
Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro,
Caussa quod est illa nata Minerva die.
Altera tresque super strata celebrantur arena,
Ensibus exsertis bellica laeta dea est.

Quare, ut discrimen illud componatur, dicendum puto, primis temporibus unicum tantum diem festum fuisse et dictum *Quinquatrus:* postea vero in plures prolatum eosque dictos *quinquatres* et *quinquatria.* Sic *panathenaea* quae sunt Romanorum quinquatria, initio uno tantum die celebrata, deinde pluribus. Fuere et aliae quinquatrus idibus Iuniis dictae *Minusculae quinquatrus.* Vide *Minusculae.* In verbis Festi, pro *qui fere his celebrantur* legebat vir doctissimus: *quibus feriae celebrantur.* Sed nihil mutandum, ut optime monuit Scaliger. Ait Festus, quosdam existimare Quinquatrus dictas a numero dierum, qui in his quinquatribus celebrabantur, i. e. exigebantur, frequentabantur, cett. *Dac. Qui fere his;* quibus ferit. Alii: qui feriis. Vide Varronem V. (l. c.), Ovid. III. (l. c.) Macrob. I. (non rep. locus). *Goth.* Adde A. Gell. II, 21.

Quinquertium. A quinque artibus, quibus exercebantur. Vide Pentathlum. *Dac.* Vide l. 2. ff. de aleatoribus. Glossis πένταθλος, *Quinquertius. Goth.*

Quisquiliae. Caecilii versum trochaicum ita lege:

Quisquilias volantis venti spolia memoras; i modo.

Ita solet in comoediis. Cum sermonem alicuius non curat quis, dicit: logos, quisquilias, floccos loqueris: abi. In Truculento (V, 1, 44.):

Campas dicis: abi, abi; consultavi istuc.

De quo apud Plautum plura (Cf. Palmer. Spicil. pag. 622.). Item versum Naevii:

Abi, abi deturbate saxo, homo non quisquiliae.

Quisquiliae singulariter; *homo non quisquiliae*, ut homo non nauci. *Scal.* Isidorus in Gloss.: *Quisquiliae surculi minuti, quisquiliae frumentorum purgamenta, vel palea eventata.* Festus ait vocem factam a *quidquid.* Iulius Scaliger a *quisque* et proprie sic dici τὸ τυχὸν quidquid obvium. Alii per transpositionem a σκύβαλα, quod idem notat, unde Gloss. *Quisquiliae*, σκύβαλα. In versu Naevii nihil mutandum, separandae tantum sunt voces:

Abi deturba te saxo homo non quisquiliae, quid est?

Deturba te saxo idem est quod *abi in malam rem, male pereas*, et similia, quae in comoediis usurpantur. *Dac.* *Quisquilium* et *cusculium*, in plurali usitate *quisquiliae*, descendunt a Graeco κόσκυλμα, pro quo in usu deminutivum est κοσκυλμάτιον. Forma vocabuli est reduplicativa, quales in multis vocabulis Latini sermonis deprehendimus. Veluti *cuculus*, κόκκυξ, *papaver*, *upupa*, ἔποψ, *ulula*, *bubo*, *turtur*, *populus*, *cucumis*, *cicur*, *carcer*, *cicer*, *cicindela*, *purpura*, *furfur*, alia multa. Descendit autem *cusculium* et κόσκυλμα, a σκύλλω, σκύλμα, quod segmen capilli, corii, cet. proprie significat, nam σκύλλω est *decerpo*, *vello.* — In versu Naevii legerim: *'Abi, deturbató te saxo, hómo non, quisquilíae; quid est?*

Quintipor. Pro παῖς, puer, Dores dicebant πόρ. Unde *Quinctipor*, *Marcipor*, *Caipor*, *Lucipor.* Hoc est, Quincti, Marci, Caii, Lucii puer i. e. servus. Nam Graeci παῖδας, ut Latini *pueros* servos dicebant, quomodo etiam Galli dicunt *garçon. Dac.* *Caipor.* Gripor. Calpor. *Goth.* De origine vocabuli *puer* disserit *Car. Theod. Johannsen* in libello utilissimo: Die Lehre der Lat. Wortbildung cet. pag. 39. ubi derivat a *pubes*, *pubeo.* Radicem enim *pub* mutari ait in *puv*, unde *pŭŭ*, ex quo *pū* productum, unde *pūsus*, *pūsio*, *pŭer*, ubi vocalis ante vocalem corripiatur. Longe tamen videtur esse probabilius, *por*, *puer* nihil esse nisi demutationes vocalium a Graeco παῖς, quod ipsum cohaeret cum Germanico *baurs*, filius, *born*, *barn*, natus, *bären*, *gebären*, *pario.* Et credibile est, apud ipsos veteres Graecos πάϊς quoque vel πάϜις (cum digamma Aeolico) pronunciatum esse, quapropter etiam apud Homerum πάϊς ubique fere legendum videtur. Saltem vix alia medicina afferri potest epigrammati, quod inter Sapphus fragmenta legitur; ubi nunc est:

Παῖδες ἄφωνος ἐοῖσα τάδ' ἐννέπω.

Lege: *Πάϊς ἄφωνος ἐοῖσα κ. τ. λ.* (Cf. *Neue* Sapphon. Mytil. fragm. pag. 102. sq.) Ceterum cf. etiam Creuzer. Antt. Romm. §. 37. et qui ibi citati sunt.

Quippe. Tamen in verbis Ennii, quae Festus ad exemplum adducit, *quippe* non *quidni* sed *quoniam* ut saepe. Neque unquam *quippe* pro *quidni* scriptum reperias, sed *quippe ni.* In ultimo versu Ennii pro *moveri* Merula legit *movere. Dac.* Lege pro *quidni* vel *quoniam*, vel *quia*, *nam.* Est autem *quippe* nihil nisi Graecorum ἅτε, hoc est *quia scilicet.* Nam *pe* est Osca forma quae Latino *que*, Graeco τέ, Sanscrito *tschă* respondet, ut igitur *quippe* ad formam quod attinet idem sit, ac *quidque*, notione vero respondeat Graecorum particulae ἅτε, quae eodem modo est composita.

Quianam. In versu Ennii deest monosyllabum verbum, quale est *heu*, vel *o.* Sic Virg. Aen. lib. III. (V, 13.):

Heu, quianam tanti cinxerunt aequora nimbi.

Ant. Aug. Lege ita Naevianum Saturnium:

Summe Deum regnator, quianam genuisti?

(Cf. Herm. Elem. doctr. metr. pag. 636.) Enniano versui deest syllaba *heu:*

Heu, quianam dictis nostris sententia flexa est.

Scal.

Quid nisi. (Ad p. 219.) Pro quid ni. *Ni* enim decurtatum ex *nisi*, quod est pro *si non. Dac.*

Quietalis. *Quietalus.* A quiete, quod ibi mortui quiescant. MSS. habent *Quietalis. Dac.*

Quintia prata. Liv. lib. III. (c. 26.): *Spes unica imperii populi Ro. L. Quintius trans Tiberim contra eum ipsum locum, ubi nunc Navalia sunt, quattuor iugerum colebat agrum, quae Prata Quintia vocantur* cett. Quae de Lupercis Romuli tempore dicuntur, ad Quinctilianos et Fabianos, ut arbitror, pertinent. De

quibus idem Festus verbo *Fabiani.* Et Ovid. lib. II. Fastor. (377.), qui eos Fabios et Quinctilios Lupercos appellat:

Risit et indoluit Fabios potuisse Remumque
Vincere; Quinctilios non potuisse suos.

Ant. Aug. Viatorem hic vocat Festus praeconem, legatum. Vide *viatores.* Quae in fine desunt, non sat possum coniicere. *Dac.* Vide supra *Fabiani* et locos Livii et Ovidii citatos. *Goth.*

Quintiliani Luperci. (Ad p. 219.) Vide *Fabiani. Dac.*

Quintana porta. Atqui Quintana porta nulla fuit. Sed pars fori ipsius, quod post Praetorium et Quaestorio fuit adsitum, Quintana dicebatur, sive adeo forum ipsum subaudita voce *via.* Quare legendum cum Lipsio: *Quintana appellabatur pars in castris;* vel simpliciter: *appellabatur in castris.* Potest etiam et: *Quintana via appellabatur in castris* cett. Nam *porta* nomen additum a Paulo. Liv. lib. XLI. (c. 2.): *Praetorio deiecto, direptis quae ibi fuerant, ad Quaestorium Quintanamque hostes pervenerunt* etc. Isidorus lib. XV. cap. 2.: *Quintana pars plateae quinta est, qua carpentum progredi potest.* Ad huius similitudinem Quintanam Nero instituisse dicitur. Sueton. c. 26.: *Tabernulas etiam effringere et expilare, Quintana domi constituta, ubi partae et ad licitationem dividendae praedae pretium assumeretur.* Non aliud igitur Quintana quam via latior in usum fori a metatione agrorum invento nomine, ut in porta Decumana etiam factum. *Dac.* *Quintanam classem* esse eam, in qua Serv. Tullius distribuit ultimae classis viros; quinque enim fecit, cum eas ordinavit. Causam, cur capite censi dicantur, esse eam, quod nihil praeter se haberent, suumque caput quo censerentur. Refertur postea Lucillii vel Caecilii carmen nobis ignotum. Haec vel his similia Pompeius. Vide Gell. lib. XVI. cap. 10. praeter Dionys. et Livium. *Ant. Aug.* Quod ait hic Festus, Quintanam classem dictam in qua capite censorum multitudo a Servio rege distributa, id ego alibi me legere non memini; nam proletarii et capite censi in ultimam classem, quae sexta fuit, coniecti. Vide *Proletarii.* Versus Lucilii, quem Festus laudabat, mihi ignotus neque extat hodie. *Dac.* De *quintana* in castris cf. etiam Creuzer. Antt. Rom. §. 248.

Quercus. Querquera febris, dura ac gravis, quam quidam a quercu dictam putant, quod id genus arboris cum grave sit ac durum, tum in ingentem evadat amplitudinem. Aurelius Opilius frigidam atque trementem. Santra eam ex Graeco deducit, quia tremorem eiusmodi κάρκαρον vocant, unde dici etiam Carcerem. Plautus in Frivolaria:

— *is mihi erat bilis querquera, tussis.*

Lucilius:

— *iactans me, ut febris querquera.*

Et alibi:

Querquera consequitur febris, capitisque dolores.

Haec Festus. Adde ad eius sententiam confirmandam Homericum (Iliad. XX, 157.):

— — — κάρκαιρε δὲ γαῖα πόδεσσι.

Vide Grammaticos. *Scal.* A καρχαλέος, ut volunt, exasperatus. Sed mihi non persuadent, qui sciam potius quercus dici a Graeco κάχρυς, glans, pilula; nam inter Cachryphora quercus numeratur a Theophrast. lib. III.; κάχρυς ergo transpositis literis et mutato α in ε, κέρχυς, et χ in κ, χέρκυς, *quercus. Dac. Querque...* Haec videntur pertinere ad utrumque verbum Quercus et Querqueram. *Idem. Querqueram.* Priscian. lib. VI. (16, 87. tom. I. pag. 279.) refert Plautum in Frivolaria scripsisse:

Is mihi erat bilis, aqua intercus, tussis, febris querquera.

Ant. Aug. Querqueram. Addenda vox *febrem.* L. m. habet κάρκαρα. *Urs.* Arnob. lib. I.: *Vitiligines querqueras, atque intercutes morbos.* Minutius Felix habet *quequerum*, ut et Gellius, Apuleius. Videlicet *querquerus* adiective dici certum est. Ergo cum dicitur *querqueram*, subintelligitur *febrem*; et cum *querquerum*, subintelligitur *morbum. Querquerus* autem a *quercu.* Vel ut Santra a κάρκαρος, horror, tremor. Ad cuius sententiam confirmandam facit illud Homeri Iliad. V. (XX, 157.):

— — — κάρκαιρε δὲ γαῖα πόδεσσι
Ὀρνυμένων ἄμυδις.

Sed haec omnia merae nugae. Cur et unde febris dicatur *querquera*, nemo adhuc docuit. Querquerus est a κερχαλέος, quod a κέρχω. Nam κερχαλέον Hesych. exponit σκληρόν, ξηρόν, διψαλέον, grave, aridum, siticulosum, quae omnia febri mere congruunt, quae prae siccitate ravim et tussim creat. Id enim vere est κερχαλέον. Quare Plaut. tussim iungit cum querquera (l. c.). Ergo: *cerchaleos, cerchelos, cercheros, cercherus,*

querquerus. Dac. *Etiam carcerem.* A Graeco κάρκαρος carcerem etiam Santra dici existimavit. An quia horrorem carcer incutit? Sed forsan erit a κάρκαρος, non qua *tremorem*, sed qua δεσμούς, vincula significat. Κάρκαροι enim δεσμοί Hesych. Scaliger deducit a κάρκαρα, μάνδραι, speluncae. Dac. Apud Paulum in loco Plautino scribendum esse *querquera tussis*, pro *querqueratus*, nemo non videt. Apud Priscianum hodie non legitur *querquera*. Locus ille Plautinus sic videtur legendus:

'Is mi erat bilis, aqua intercutis, tússis querquera ét febris;

si quidem *febris*, quod probabile est, penultimam habet ancipitem, quod fortasse ex loco Plautino alio coniici licet, Pseud. II, 2, 48.:

Hóc febrim tibi ésse, quia non lícet hoc iniicere úngulas.

Clarius apparet ex Catull. VI, 4.: *Verum nescio quid febriculosi*, qui versus est Phalaecius hendecasyllabus. Ceterum originatio difficilis. Illud apparet, formam vocabuli esse reduplicativam, de qua vide quae paullo ante diximus ad v. *Quisquiliae*. Si eiusdem est stirpis *querquerus*, atque *carcer*, *quercus*, κάρκαρον, communis notio *roboris*, *duritiei*, *siccitatis* subest omnibus; ut *querquera tussis* sit sicca, arida tussis; *querquera febris*, febris prae nimio fervore siccitatem siticulosam atque aridam faciens; *carcer*, repagulum durum, vincula insuperabilia; *quercus* ipsa propter duritiem robustam *robur* dicitur.

Quadruplatores. Vid. Ascon. in divin. et lib. IV. Verrin. *Ant. Aug.* Ascon. Pedianus in divinat. (pag. 26. ed. Lugd.): *Quadruplatores delatores erant criminum publicorum, in qua re quartam partem de proscriptorum bonis quos detulerant, assequebantur. Alii dicunt quadruplatores esse eorum reorum accusatores, qui convicti quadrupli damnari soleant: ut aleae aut pecuniae gravioribus usuris foeneratae quam pro consuetudine aut eiusmodi aliorum criminum.* Item Verrina III. (pag. 116. ed. Lugd.): *Quadruplatores accusatores sive delatores publicorum criminum sub poena quadrupli. Sive quod ipsi ex damnatorum bonis quos accusaverant quartam partem consequebantur.* Igitur ab illa quarta quae accusatori pro praemio cedebat dicti *quadruplatores*. Tacit. lib. IV. Annal. (20.): *contra M. Lepidus quartam accusatoribus secundum necessitudinem legis.* Inde Gloss. *quadruplatores*, συκασταί, delatores; *quadruplor*, ἐνδείκνυμι, defero. Dac. . . . . . . *populo.* De quadruplatoribus hic agebat Festus, sed eius verba non possumus assequi, neque ex iis videtur Paulus suam epitomam confecisse. Ampliorem lacunam repraesentant schedae (quas vide). Et hic certe locus dignus est, in quo se exerceant sagaciores. *Idem.*

Quando rex. Bis notatur hic dies in fastis: IX. Kal. Apr. et IX. Kal. Iun., licet Ovidius mense Martio illum ponere fuerit oblitus; de hoc vero lib. V. Fastorum ita scripserit (v. 727.):

Quattuor inde notis locus est, quibus ordine lectis
Vel mos sacrorum vel fuga Regis inest.

Ex quibus verbis ignorasse videtur quid quattuor hae notae Q. R. C. F. significarent. Cum tamen Varro lib. V. de Ling. Lat. (VI. pag. 212. Sp.) haec et alia omnia, quae in fastis erant, fuerit interpretatus. Nos vero quid Festi dimidiati versiculi significent, ignoramus. *Ant. Aug.* Puto totum hoc notis scribi debere, quibus in Fastis: Q. REX. C. F. et quod sequitur: Q. ST. D. F. *Fulv. Urs.* In his deploratis ruderibus tantum deprehendere possumus, huius diei, qui in fastis notatur Q. REX. C. FAS, anteriorem partem nefas esse, posteriorem fas. Quod recte Varro dixit: *ad id tempus, nefas;* significans anteriorem, et *ab eo fas*, notans posteriorem. Dies nefastus priore vel anteriore parte notabatur NP. vel NEP. vide supra Nefasti. Notabatur et NF. PR., quod quidam interpretantur *Nefas praetori;* quod ego non sequar. Additur in fine: *Si quis alius pro Rege dicat ad comitia, puta Pontifex, tam is dies . . . .* utrum intelligat Fas an Nefas, nescio. Porro in Fastis marmoreis, qui extant Romae, invenio bis notatum hunc diem IX. Kal. April. item IX. Kal. Iunii. Nemo quod sciam explicavit, quis esset mos huius diei, qui ritus, quae antiquitas. Sciendum Regi sacrorum neque magistratum gerere, neque verba ad populum habere fas fuisse; propterea in comitium ire illi non licebat, nisi hoc die, qui notatus est in fastis; ibat enim in comitium sacrificii causa, quo properanter patrato protinus fuga se e comitio eripiebat. Plutarchus: ἔστι γοῦν τις ἐν ἀγορᾷ θυσία πρὸς τῷ λεγομένῳ κομιτίῳ πάτριος, ἣν θύσας ὁ βασιλεὺς κατὰ τάχος ἄπεισι φεύγων ἐξ ἀγορᾶς. Varro (VI. pag. 212. Sp.): *Dies qui vocatur sic, Quando Rex comitiavit, fas: dictus ab eo, quod eo die Rex sacrificulus dicat ad comitium.* Si a docto viro quaeram, quid sit *dicere ad comitium*, sane non agnoscet Latinum hoc genus loquendi, et profecto ineptum est. Legendum enim: *itat ad comitium.* Ita loquitur alibi: *milites appellant latrones, quod itent, uti milites, cum ferro.* Quare ob id alii aliter notas, quae legebantur in fastis, interpretabantur: Q. R. C. F. *Quando Rex comitio fugit.* Quod Ovidius manifesto nos docet (l. supra c.) Utrumque enim complexus est. Quando Rex comitiavit; hic enim est mos sacri, quod faciebat in comitio; et Quando Rex comitio fugit.

Tangit enim fugam Regis e comitio. Plutarchus: ἄπεισι φεύγων ἐξ ἀγορᾶς. Quid certius hoc testimonio? At Paulus: *Quando rex sacrificulus divinis rebus perfectis in comitium venit.* Imo, quando rebus divinis perfectis abit e comitio; quare eius commentitiae caussae in ruderibus Festi ne vestigium quidem apparet. At quid aiunt docti viri? Ovidium ignorasse, quid sibi vellent illae literae singulares. Quasi fas sit, doctissimum poetam ignorare, quod formularios, leguleios, litigantes ac minimos quosque de faece Numae scire oportuit. Nam de Regifugio ipsum non intellexisse testis erit ipsemet, qui de eo in mense Februario ante tractaverat. *Scal.* In verbis Festi legendum *comitiasit* i. e. comitiaverit. Quod et Fulvio Ursino etiam placet. Item *feriis menstruis*, quia *s* littera τοῦ *menstruis* periit propter initialem illam *s* τοῦ *scripserat.* Item *edicuntur* pro *dicuntur*, quia *e* cum praecedente *e* τοῦ *rege* cohaesit. Et ita semper Varro (VI. pag. 195. Sp.): *Rex cum ferias menstruas nonis Februariis edicit.* Item (VI. pag. 209. Sp.): *Harum rerum vestigia apparent in sacris nonalibus in arce quod tunc ferias primas menstruas, quae futurae sunt eo mense, Rex edicit. Dac. Quod si quis alius pro rege.* Ait Festus: si quis alius, puta pontifex, pro rege in comitio sacrificaverit, tunc totum diem fastum esse. Sed cum illius diei pars anterior nefasta fuerit, qui fieri potest, ut alio, pro rege, in comitio sacrificante, pars illa diei, quae iam nefasta elapsa est, eadem iterum fasta sit? Vel hoc certe necessario evincit rescribendum esse: *Hic dies totus nefastus.* Nihil certius. Diei illius pars posterior fasta erat in gratiam Regis sacrificuli, qui in comitio fecerat. Sed si alius in comitio fecisset, dies solidus nefastus, quia nulli alii praeterquam Regi sacrorum ius illud concessum erat, ut e nefasto fastum facere posset. *Idem. Divinis rebus perfectis in comitium venit.* Dicendum potius fuit: *divinis rebus perfectis e comitio fugit.* Nam cum Rex in comitio sacra faceret, sacris perfectis in comitium ire qui potuisset? Festum non intellexit barbarus mutilator. *Idem. Quando Rex.* Alii: *Quando herus;* male. Adde infra Regifugium; Varronem V. de lingua (VI. pag. 208. seqq. Sp.), ubi de diebus hominum causa constitutis agitur. *Goth.*

Quando stercus. Infra (in schedis): *Quando stercus delatum, fas: eodem modo in fastis notatur dies: qui talis est ut aedis Vestae purgetur stercusque in clivum Capitolinum deferatur. cum id factum sit, tum est Praetori fas. Scal.* Varro lib. V. de L. L. (VI. pag. 213. Sp.): *Dies qui vocatur Quando stercus delatum fas, ab eo appellatus quod eo die ex aede Vestae stercus everritur et per Capitolinum clivum in locum defertur certum.* Huius diei meminit Ovidius, qui illum XVII. Kal. Iul. esse dicit lib. VI. Fastor. (711.):

Tertia nox veniet qua tu Dodoni Thyene
Stabis Agenorei fronte videnda bovis.
Haec est illa dies, qua tu purgamina Vestae,
Tibri, per Etruscas in mare mittis aquas.

Vide infra *stercus. Dac.* XVII. Kal. Iul. in Fastis; habes eandem interpretationem apud Varronem et Ovid. Vide *Stercus. Ant. Aug.* Recte opinatur Fulv. Ursinus hic desiderari quatuor illas notas Q. S. D. F. et Festum scripsisse: *Q. S. D. F. Id est quando stercus delatum fas.* Vel potius: *Quando stercus delatum fas, Q. S. D. F. eodem modo in fastis* etc. Idem etiam pro *alvum* optime *clivum;* quod probatur ex loco Varronis, quem supra afferimus. *Dac.*

Quaestores. (Ad p. 220.) De Quaestoribus paricis sive parricidii vide *Parici.* Horum mentionem fieri in duodecim tabulis scribit Pomponius sub titulo de origine iuris. *Ant. Aug.* Quaestores creabantur, qui cognoscerent de rebus capitalibus, unde et Quaestores paricidi appellantur. *Scal.* Ulpianus: *et a genere quaerendi quaestores initio dictos, et Iunius et Trebatius et Fenestella scribunt.* Initio autem proprie dicti *quaestores* qui aerario praeessent, dicti quod inquirendae et conservandae pecuniae caussa creati erant, ut ait Pompon. leg. 2. §. 22. de origine iuris. Inde postea quaestores quos vulgo, *des Lieutenants Criminels.* Vide *Parici. Dac. Parricidii appellantur.* Adde supra *Pari.* l. 2. §. et quia. 23. ff. de origine iuris. *Goth.*

Quando. Verbis Festi pauca desunt; sed omnia exempla videntur ad tempus pertinere. Ideo miror, unde Paulus epitomen confecerit, nisi meliorem librum, quod ex aliis cognosco, habuerit. Plauti versus refertur ex Menaechmis: *Ideo, quia mensam, quando edo, detergeo. Ant. Aug.* Exempla Plauti quae Festus adducit, plane contrarium probant, quare omnino aliter legendum est, nempe: *Quando, cum gravi voce pronunciatur, significat quoniam. Acuta vero est temporis adverbium, ut Plautus in Menaechmis,* etc. Neque enim in verbis Plauti τὸ *quando* significat *quoniam*, sed *quum* etc. Nihil certius. Quod ait autem ultima acuta vel gravi, vide notata in *lustrum, ergo, modo. Dac. In duodecimo quidem.* Quod ait Festus Ennium in XII. Annal. *quande* ultima littera *e* posuisse pro *quando*, id in incerto est, cum perierit locus ille, unde hoc Festus adduxit. Ubi tantum legitur *quande . . . . . .* quamde pro quam fortasse. Certum tamen est dixisse veteres *quande* pro *quando*, ut *numere* pro *numero. Dac.* Plaut. Men. I, 1, 2. Pseud. I, 3, 25. *Quande* et

quando olim promiscue protulisse Romanos, ex hoc Festi testimonio satis liquet. Nec dubium est, quum ex Sanscrito sermone constet, suffixum *dâ* procudendis adverbiis temporalibus inservire, veluti *sarvadâ*, semper, *sadâ*, semper, *êkadâ*, aliquando, *kadâ*, quando? *tadâ* tum, *jadâ* cum, ὅτε, ὁπότε. Latinae formae eo tantum differunt ab Indicis, quod apud Latinos syllaba finalis, sive suffixum, cum adverbio coniungitur *quamdo* i. e. quando; apud Indos vero suffixum stirpi pronominali proxime apponitur. Quomodo igitur in aliis Latinorum adverbiis *e* et *o* suffixa variant, ut *manifeste*, *manifesto*, *certe* et *certo*; sic *quando* et *quande* eadem fere notione protulisse Romani inveniuntur. Aliud est *quam de* i. q. *quam*, de cuius adverbii usu vide quae infra notata sunt ad v. *Quamde.*

Quadrata Roma. (Ad p. 220.) Dionys. lib. I. (c. 88. p. 75.) Plutarch. in Romulo (c. 9) Solin. c. 2. Romam a Romulo quadratam conditam fuisse et inde cognomen ductum fuisse, scribunt; ut Quadrata Roma diceretur, urbs prima in Palatini montis radicibus pomerio ducto condita. Vide Tacit. lib. XII. (cap. 24.). Ita Ennii carmen intelligerem, si per Pompeium liceret. Quod vero ait ante Apollinis locum quendam ita appellari: id translaticio nomine dictum fuisse crediderim. *Ant. Aug.* Hic omnino intelligendus locus ille quem Romulus sibi munivit in summo palatio antequam urbem conderet. Solinus tamen urbem ipsam Romam quadratam dicit: *Romam*, inquit, *condidit Romulus etc. dictaque est primum Roma quadrata, quod ad aequilibrium foret posita.* Sed illum abunde refellit locus iste Festi, cuius aetate Romam illam quadratam in summo palatio extitisse manifestum est. Illud tamen vulgo creditum ansam dedit errori eorum, qui veteris Romae typum quadrata figura nobis obtrudunt. Sed operae pretium erit hic ponere doctiss. Salmasii commentationem ad verba Solini. Dicit hic Solinus Romam a Romulo conditam quadratamque dictam fuisse, quod ad aequilibrium foret posita: quibus verbis patet eum intelligere totam urbem Romae, qualem Romulus condidit, appellatam esse quadratam, qua in re manifestarie falsus deprehenditur et ex antiquariis nostris plerique qui ita senserunt. Nam locus Romae ita dictus in Palatino colle a Romulo aedificatus in quadratam speciem munitus, unde et *Roma quadrata*, h. e. τετράγωνος est appellatus. Longe igitur errant viri docti, qui scribunt Romam a Romulo quadratam conditam fuisse et inde cognomen ductum, ut *quadrata Roma* diceretur urbs prima in Palatini montis radicibus pomoerio ducto condita. Sed Solinum, a quo in errorem inducti videntur, corrigere potius et insectari quam sequi debuerunt. Primum locus ille, qui Romae quadratae nomen habuit, non in radicibus Palatini montis, sed in ipso monte constitutus et munitus. Deinde structus fuit a Romulo priusquam urbi condendae duceret sulcum, quum adhuc inter fratres de loco, ubi urbs poneretur, dividia ac certamen esset. Plutarch. in vita Romuli (c. 9.): Ῥώμυλος μὲν οὖν τὴν καλουμένην Ῥώμην κουαδράτην, ὅπερ ἐστὶ τετράγωνον, ἔκτισε καὶ ἐκεῖνον ἐβούλετο κτίζειν τὸν τόπον. Ῥῶμος δὲ χωρίον τι τοῦ Ἀβεντίνου καρτερὸν ὃ δι' ἐκεῖνον μὲν ὠνομάσθη Ῥεμορία, νῦν δὲ Πιγνάριον καλεῖται. Uterque locus etiam Romae extabat tempore Victoris, qui in decima regione urbis, hoc est in Palatio *Romam quadratam* ponit; in decima tertia in Aventino *Remuriam.* Vide Festum in *Remurinus ager.* Sic et locus in Palatino monte a Romulo in quadratam speciem structus, unde et ipse de condenda urbe auspicatus est, *Roma quadrata* a Romuli nomine et forma structurae. Quare non magis urbs fuit *Roma* illa *quadrata*, quam *Remuria.* Etenim adhuc de urbe condenda et de loco urbis contendebant fratres, quum loca illa alter in Palatino, alter in Aventino monte condiderunt. Post illa cum contentionem suam avium iudicio remisissent, addicentibus et faventibus Romulo avibus coepit ille sulcum ducere urbi constituendae. Plutarch. (c. 10.): Καὶ τοῦ Ῥωμύλου τάφρον ὀρύττοντος, ᾗ τὸ τεῖχος ἔμελλε κυκλοῦσθαι, ὁ Ῥῶμος τὰ μὲν ἐχλεύαζε τῶν ἔργων. Scio Livium scribere lib. I. (c. 7.): *Palatinum a Romulo primum, in quo ipse educatus erat, munitum fuisse.* Sed intelligere illum puto de Roma quadrata, quam in illo monte aedificavit, non de urbe nova Roma, quam auspicato postea condidit, et cui pomoerium postea addidit. Roma quadrata locus fuit in Palatino monte munitus, non urbs Roma ea figura primum a Romulo posita. Vehementer etiam erravit doctiss. Onuphrius scribens Romulum urbi novae a se figura quadrata cum tribus portis positae pomoerium more Etrusco addidisse, *ut auctores sunt*, inquit, *Dionysius*, *Solinus*, *Plinius et Plutarchus.* Ut supra vidimus, Plutarchus aperte distinguit Romam quadratam ab urbe, cuius figuram non quadratam fuisse, sed rotundam verba illa satis ostendunt: *qua murum in orbem erat ducturus.* Plinius Romae quadratae non meminit, sed lib. III. cap. 5. scribit urbem Romam a Romulo cum tribus portis aut quatuor relictam. Verum illa Roma longe diversa a Roma quadrata in Palatino monte. Dionysius porro initio lib. XI. ait Romulum Palatium et Capitolium muris et fossa moenisse. Sed urbem illam eandem fuisse cum Roma quadrata, nusquam dicit Dionysius, imo contrarium ex eius scriptis elucescit. Gellius lib. XIII. cap. 14.: *Scribit antiquissimum pomoerium, quod a Romulo institutum est Palatini montis radicibus terminabatur.* Nam ille dicit non aliam constitutam a Romulo Romam praeter eam, quae quadrata dicta est, nec aliud ab eo institu-

tum pomoerium, quae sententia huius Solini est, etc. Deinde: At quod vult Solinus novam urbem a Romulo conditam, quod figura quadrata esset, dictam fuisse quadratam, nec aliam urbem esse constitutam, id contra omnium auctorum consensum scripsisse illum iudico. Quin et Solini temporibus extabat adhuc in monte Palatino locus ille, cui nomen Romae quadratae Romulus imposuerat. Ut ex hoc loco Festi apparet. Etc. *Dac.* *Et quis extiterat.* Varie emendant viri docti; alii:

Et quis nunc curat Romae regnare quadratae.

Scaliger:

Et quibus lex steterat Romae regnare quadratae.

Sed sic etiam non plane mihi satisfactum est. Melius, ut videtur, in edit. Merulae:

Et quis exter erat Romae regnare quadratae.

Ita, ut de Romanis sermo sit, qui rapto Romulo, quum neminem Romae invenirent, quem in Romuli locum sufficerent, despiciunt, ecquis exter esset qui urbi praeesse quadratae posset, etc. Sed omnium optime Salmasius:

Et quis se sperat Romae regnare quadratae;

ex vestigiis veteris scripturae quam sic liber Fulvii repraesentat: *et quis est erat Romae* ctt. Nam in membranis scriptis saepe *t* et *p* confundi satis sciunt, qui eas aliquando tractant. Et de Tatio, inquit, fortasse loquebatur, qui cum Capitolium, quod ab initio ceperat, teneret, et Quirinalem collem, etiam Palatini montis, in quo Roma quadrata et regia Romuli, armis se potiturum sperabat. A parte igitur totum montem intellexit poetarum more. *Idem.* *Extiterat.* Exterat. *Goth.* Legerim apud Ennium: *Et qui certus erat Romae regnare quadratae*; ita ut *qui* sit relativum pronomen.

Quatrurbem. *Quadrurbem.* Quod ex quatuor vicis, quos alii Piraeum, Phalereum, Xypeteum, Thymaetam. Male: Quadrurbem enim τετράπολιν dixerunt Oenoen, Probalynthum, Tricorytum et Marathonem, quatuor Atticae populos. Vide Meurs. de fortuna Attica. Neque quatuor tantum, sed omnino duodecim urbes in unas Athenas Theseum contraxisse tradit Strabo. Ubi per urbes vicos intelligit. *Dac.* Vide Plutarchum in Theseo (c. 24.). Sic Glossis *Quadriiugem τέτρωρον.* *Goth.* Scribendum haud dubie *Quadrurbem.*

Quaeso. Versus Ennii de Anco Martio accipiendi sunt, qui Ostiam munivit et portum Tiberis:

Ostia munita est, idem loca navibu' polchreis
Munda facit, nauteisque mari quaesentibu' vitam.

Versus ex Cresphonte ita legendus:

Ducit me uxorem sibi liberum quaesendum gratia.

Scal. *Quaeso* et *quaero* idem apud veteres. Plaut. (apud Non. pag. 44. Merc.):

Quaese adveniente morbo nunc medicum tibi,
Enim tu certe aut larvatus aut cerritus es.
Edepol hominem te miserum! medicum quaerita.

Ubi *quaese* pro *quaere* (editur nunc *quasi.*). *Quaesere* etiam pro *orare*, *poscere*, dixit idem Plaut. Bacchid. II, 2. (init.):

Mirum est me, ut redeam, te opere tanto quaesere.

Dac. *Ostia munita est.* Vide in voce *Mundus.* *Idem.* *Munda.* Mundo. *Goth.* *Liberorum sibi quaesendorum.* Sibi liberorum quaesendorum. Dixi ad l. 220. §. 3. ff. de verb. signif. Vide IV. Gell. 3. *Idem.* Ennii versus ex Cresphonte iambicus esse videtur tetrameter acatalectus, nihil mutandus: *Ducit me uxorem liberorum sibi quaesendum gratia.* Cf. Herm. Elem. doctrin. metr. pag. 158.

Quadrantal. Vide *publica pondera.* *Ant. Aug.* Vas quod capiebat urnas duas, quadraginta et octo sextarios, hoc est congios 8, heminas 116. Vide Maecianum de asse. Quadrantal octoginta pondo, nempe octoginta pendebat aquae libras. Congius decem. Vide *publica pondera.* Quadrantal amphora etiam dictum, sed amphora Romana intelligenda est, alia enim erat amphora, nempe Attica, quae urnas tres, congios duodecim, sextarios septuaginta duos capiebat. Sextarius autem continet libram cum dimidia, hoc est, uncias octodecim: *Quadrantale* autem vel *quadrantal* a quadrata figura nomen traxit. Sed verba Festi sic legenda ex vet. lib. notavit doctiss. Salmasius: *Quadrantal vocabant antiqui amphoram. Quod vas pedis quadrati octo et quadraginta capiat sextarios.* *Dac.* Quod et *Quadrantale* Glossis. *Goth.* *Ex Graeco ἀμφορέα.* Glossis ἄμφορα, κεραμεῖον, orcium. *Idem.* *Vas pedis quadrati.* Unde *Quadrantal.* Gell. I. cap. 20. *Idem.* *In publicum.* In pulli. *Idem.* Locus Plauti est Curcul. I, 2, 16.

Quaxare. Glossae: *Quassat*, ὅταν φωνεῖ βάτραχος. *Scal.* Contracte pro *coaxare*, a *coax coax*, Aristoph. in Ranis. Et apud Hesych.: *coax*, *Rana.* *Dac.*

Quartarios. Lege ita versum Lucillianum:

Porro homines nequam, malus ut quartariu', cippos.
Collisere omnes.

Notum est, cippos sepulcrorum olim secundum vias publicas fuisse. Itaque facile collidebantur a mulis sagmariis, cum ea praeterirent. *Scal.* Fortasse Galli inde suos *Chartiers.* *Goth.*

Quatenus. Qua fine, ut hactenus, hac fine. Chilo apud Gellium lib. I. cap. 3.: *Hac fine ames tanquam forte fortuna osurus, hac itidem tenus oderis, tanquam fortasse post amaturus.* Addit Festus veteres *quatenus* inter et *quatinus* illud discrimen posuisse, ut *quatenus* qua fine, *quatinus* vero quoniam significaret. Sed illud observatum non fuisse e veteribus libris colligere est, imo et cum litterarum *e* et *i* tritissima fuerit commutatio, antiquos utraque significatione indistincte scripsisse certum est; sic *protenus* et *protinus.* *Dac.* *Sed antiqui quatenos.* Nam o et *u* veteres confundebant; sic *consol* scribebant pro *consul;* fontes, funtes; frondes, frundes; sic Hecoba, Notrix, Culchides, Pulyxena. Vide Quintilian. lib. I. cap. 4. *Idem.* *Quatenos.* Et ita quoque alio loco infra legitur. *Goth.*

Quamde. Corruptissima quae hic sunt, ex vestigiis priscae scripturae ita emendato: *cum multi veteres testimonio sunt, tum Ennius in primo: Iuppiter ut muro fretus magi' quamde manus vi. Et secundo:* etc. In versu Ennii Iuppiter est θαυμαστικόν, ut in illo:

Iuppiter, ut tristi lumina saepe manu.

Et:

Doctis, Iuppiter, et laboriosis.

Porro et *quamde* in illis Saturniis versibus legitur:

Namque nehilum peius macerat humanum,
Quamde mare saevum. Vires quoi sunt magnae,
Topper confringent inportunae undae.

Scal. In schedis: *Quamde pro quam usos esse antiquos, cum multi veteres testimonio sunt, tamen huius in primo* etc. quae propius ad veram scripturam accedunt; legendum enim, ut viris doctis iam diu animadversum: *Cum multi veteres testimonio sunt, tum Ennius in primo* etc. Si qui tamen hic Livium pro Ennio legi malint, non admodum pugnabo, inquit Merula, cum Livius etiam gesta populi Rom. libris decem et octo conscripserit, qui Annales Liviani vocantur. Sed de Annalibus Livianis abunde infra. Interim hic *Ennium* legi debere certum est. Et in versu:

Iuppiter haud muro fretus magi' quamde manus vi,

verba Romuli forsan optantis, ut pop. Rom. se non muro magis quam viribus et audacià tueatur. *Dac.* *Clarus ob obscuram.* Lege ut in editt. (Lucret. I, 640. seq.):

Clarus ob obscuram linguam magis inter inanes,
Quamde gravis inter Graios qui vera requirunt.

Quamde autem, quia in illis *tam*, *quam*, *iam* et aliis addebant *e* et *d* postea insertum. *Dac.* *Imp . . . . secundo.* Ut et in secundo. *Goth.* *Gravis tergaios.* Graius inter Graios. *Idem.* *Pro quam.* Pro quando. *Idem.*

Quatere. Innuit quatere de repetito saepius motu potius dici. Ferire de solo ictu. *Dac.* Adde Nonium (pag. 272. Merc.) in *Quatere.* *Goth.* *Quassare est saepe quatere.* Adde Nonium (pag. 254. Merc.) in *Quassum.* Gell. II, 6. *Idem.*

Querquetulanae. Lege: *sed feminas antiqui quas nunc dicimus, viras appellabant.* Quae, inquit, nunc feminae a nobis dicuntur, eae virae dicebantur, neque immerito, cum masculinum sit vir. Ita enim et utrumque formant sexum Hebraei: *Iss*, vir; *issa*, vira, hoc est femina. *Scal.* A querceto querquetulanae nymphae, quae non aliae sunt, quam quae Graecis Hamadryades, quod simul cum *drusi*, (δρυσί) i. e. quercubus, et vivant et intereant. De iis vide insignem locum Callimach. hymn. in Delum. Earum sacellum Romae querquetulanum dictum. Varro lib. IV. (V. p. 54. Sp.). *Dac.* *Sed feminas antiqui.* Vide *Scal.* not. Quare in versione Graeca Geneseos de Eva κληθήσεται γυνή etc. melius scriptum fuisset κληθήσεται ἀνδρίς sive potius ἀνείρα. Analogiam servavit Gallicus interpres: *on la nommera homesse.* *Idem.* Graecis χλωρίδες καὶ ἁμαδρυάδες dicuntur. *Goth.* *Sciens.* Sagas. Vide supra *Praesagire.* *Idem.*

Ques. (Ad p. 221.) Pluralis pro *qui.* Ennius:

— *Decem coclites ques montibus summis*
Ripeis fodere.

Dac. *Queis.* Qui vel quis. *Goth.*

Qui hoc censetis. (Ad p. 221.) Haec verba dicebantur in Senatu ab eo magistratu, qui retulerat aliqua de re ad Senatum, ut per discessionem Senatusconsultum faceret. Cic. lib. I. ep. 2. *de tribus legatis frequentes ierunt in alia omnia.* Vide Gell. lib. XIV. c. 7. *Ant. Aug.* In Senatus consulto per discessionem faciendo moris erat, ut consul aut is qui cum insignibus imperii vel lictoribus erat, cum qua de caussa Senatum convocaret, retulisset, his verbis sententias rogaret: *QUI HOC CENSETIS, ILLUC TRANSITE: QUI ALIA OMNIA IN HANC PARTEM.* Ominis autem caussa ita loquebatur: *qui alia omnia*, ne diceret *qui contrarium.* Vel qui aliter censetis, quod tamen ipsum significat, sed *contrarium* vel *aliter* ut mali ominis verbum fugiebat. Hinc illud Hirtii lib. VIII. de bello Gallico: *Discessionem faciente Marcello, Senatus frequens in alia omnia transiit.* Fuse hunc morem explicat Plin. ep. 14. lib. VIII.: *Quid? lex non aperte docet dirimi debere sententias, quum ita discessionem fieri iubet: QUI HAEC CENSETIS, IN HANC PARTEM: QUI ALIA OMNIA, IN ILLAM PARTEM ITE QUA SENTITIS? Dac.*

Quot servi. (Ad p. 221.) Quid Festus addiderit sententiae relatae Capitonis nobis non constat; tamen probabilius videtur id esse dictum, ut caveremus a servis, quos certum est hostes nobis fuisse. Hoc proverbium arrogantissimum appellat Macrob. lib. I. Saturn. (c. 11.) et addit: *non habemus illos hostes, sed facimus, cum in illos superbissimi, contumeliosissimi et crudelissimi sumus. Ant. Aug.* Hos hiatus nemo opinor expleat nisi qui meliorem codicem nanciscatur. Nihil iuvant Schedae. Proverbium istud agnoscit Macrob. lib. I. Saturn. (c. 11.). Cur autem existimaverit Sinnius Capito illud praepostere a multis enunciatum fuisse et initio dictum *quot hostes tot servi* satis mirari non possum. Nam *quot servi tot hostes* rectum esse et antiquissimum nullus opinor dubitabit, qui meminerit antiquissimis illud temporibus usurpatum. Audi Prophetam Oz. cap. 7.: ἐχθροὶ πάντες ἀνδρός, οἱ ἐν αὐτῷ οἴκῳ αὐτοῦ. Idem usurpavit postea Servator noster Matth. 10, 36.: Καὶ ἐχθροὶ ἀνθρώπου οἱ οἰκιακοὶ αὐτοῦ. *Dac.* Idem Seneca VI. Epist. 47. Vide Theophilum, §. sed maior Instit. de his qui sunt sui. Et Arist. I. Polit. *Goth.*

Querquetularia porta. Eadem querquetulana dicta. Prope viminalem fuisse videtur indicare Plin. lib. XVI. Nunc in vinetis iacet clausa, et ad eam per viginti gradus ascendimus. *Dac.* *Querquetum.* Quercetum. *Goth.* *Viragines.* Virago Glossis ἀνδρεῖα, γυναῖα. *Idem.* Cf. Nardini Rom. Vet. I, 3. Plin. III, 5, 9. Creuzer. Antt. Rom. §. 28.

Quoniam. Ait Festus Latinis quoniam significare *quia* et *postquam*, ut Graecis ἐπεί et verum est. Prioris significationis exempla cuilibet obvia, posterioris minus nota. Quare apponam unum et alterum. Plaut. Asin. (III, 3, 121.):

Quid nunc? quoniam ambo, ut est lubitum, nos delusistis, datisne argentum?

Idem in Prolog. Aulul. (9.):

Is quoniam moritur, ita avido ingenio fuit,
Numquam indicare id filio voluit suo.

Quoniam autem a *quom* et *iam.* *Dac.* Ἐπεί. Ὅτι. *Goth.* Cf. *Johannsen* die Lehre von der Lat. Wortbildung pag. 105.

Quod. Lege *quid*, ut in al. *Quid*, aliquid, ut *quod*, aliquod. Attius:

Ita dum interruptum credas nimbum volvier,
Dum quod sublime ventis expulsum rapi
Saxum, aut procellis —.

Dum, i. e. interdum. *Quod*, aliquod. *Quis* autem et *quid* a τίς et τί. Mutato τ in q more Dorum, qui pro πότε dicunt πόκα. *Dac.* Τί. Ὅτι. *Goth.*

Quinquennales. Quinquennales censores appellabantur, qui lustrum condebant quinto quoque anno, a quo ita appellari coeptos. *Scal.* Vide Livium IV, 8. Quinto quoque anno creati quia singulo quinquennio populus censebatur et lustrabatur. Nam proprie condere lustrum dicebantur censores, cum post censionem populum suovetaurilibus lustrabant. Vide Liv. IV, 8. In quinque annos creati, quia singulis lustris populus censebatur. *Dac.*

Quinque genera. *Observant* puto mutandum in *observabant. Fulv. Urs.* *Ex caelo* servare dicebantur augures cum aeris statum contemplabantur, an aliquid fausti oboriretur. *Ex avibus* cum earum can-

tum sive volatum observabant. *Ex tripudiis*, cum offa ex ore pullorum sive alicui quid, quod sonitum faceret, cadebat. *Ex quadrupedibus*, cum se quadrupedes ostendebant, quae auspicia dicebantur *pedestria*. *Ex diris*, cum diri aliquid apparebat, veluti strepitus cum fremitu: ut apud Cicer. Orat. de haruspicum respons.: *Quod in agro Latiniensi auditus est strepitus cum fremitu, exauditus in agro propinquo et suburbano strepitus quidam reconditus et horribilis fremitus armorum, de ea re scriptum est, postulationes esse Iovi, Saturno, Neptuno, Telluri, Diis Coelestibus* etc. Item cum victimae ex aris fugiebant, cum in extis cor aut caput in iecinore non fuisset, quae *pestifera auspicia* dicebantur. Vide *pestifera*. Fuere et alia auspiciorum genera, veluti auspicium ex anguibus et piscibus. Auspicium ex fulgure, fulmine, tonitru. Auspicium ex acuminibus, id est ex telorum superis ac inferis cuspidibus. Auspicium ex peremnibus, cum Duces sive magistratus amnes auspicato transeunt. Auspicium iuge, quod ex iuncto iumento. De quibus omnibus singulatim alibi. *Dac.*

AD LIBRUM XVI.

Rufuli. Liv. lib. VII. (5.): *Cum eo anno placuisset Tribunos militum ad legiones suffragio fieri; nam et antea sicut nunc, quos Rufulos vocant, Imperatores ipsi faciebant; secundum in sex locis tenuit T. Manlius L. F.* Fuit annus CCCXCI. ab V. C. si sequimur fastos Capitolinos. Idem lib. IX. (30.): *Duo imperia eo anno dari coepta per populum, utraque pertinentia ad rem militarem; unum ut Tribuni militum seni deni in quattuor legiones a populo crearentur, quae antea perquam paucis suffragio populi relictis locis, Dictatorum et Consulum ferme fuerant beneficia. tulere eam rogationem Trib. pleb. L. Atilius, C. Marcius.* Haec illo anno CDXLII. Vid. Polyb. lib. VI. (19.). *Ant. Aug.* Asconius Pedian. in divin. (Pag. 56. Lugd.): *Tribunorum militarium duo sunt genera, primum eorum, qui Rufuli dicuntur: hi in exercitu creari solent; alii sunt comitiati, qui Romae comitiis designantur. Dac.*

Runa. (Cf. p. 228.) *Runam* interpretatur pilum, et *runatam*, pilatam. Isidorus tamen et Papias *runam* pugnam, et *runatam* proeliatam interpretantur. In MSS. etiam Pauli codd. Voss. scriptum testatur *proeliata* pro *pilata*. *Runa* vel a *ruo* sterno, vel a *ῥύω*, *tueor*. Martinius. Quae sequuntur plane deplorata sunt; videtur dixisse Festus, runam etiam fuisse genus sagittae sive teli, quod veneno ungebant. *Dac.* (Ad pag. 222.) *....nas.* Duo capita hic cohaeserunt. Prius etiam mutilum, lego: *Runa genus teli: Ennius, Runata recedit, id est proeliata.* Quae sequebantur, adhaeserunt post *Rodusculana*. At quae sequuntur eadem videntur esse quae supra (infra) in *rumitant*; in iis enim manifeste apparet locus Naevii: lector tamen monendus est, in editione Romana rudera ista continuo sequi post caput *Rufuli*. *Dac.*

Ructare. Videndum est an Cic. Philipp. II. (c. 25.) *ructaretur* scripserit, quo loco *cui ructare turpe esset* habemus. Posset enim ita legi: *cui si ructaretur turpe esset. Ant. Aug.* Usitatius *ructare* quam *ructari*. Gloss. utrumque ponunt: *Ructat*, *ἐρεύγει*. *Ructatur*, *ὀρίνεται*. *Ructo* ab *ἐρεύγω*. Doctiss. Duza filius putabat in hiatu latere Lucilii versum:

Ructantur iuvenes et sputis omnia foedant.

Nulla tamen eius vestigia. *Dac.* Vide Nonium (pag. 164. Merc.) in *Ructus*. *Goth.* *Videres alios.* Videtis alias. *Idem.*

Respersum. L. m. *resparsum*. *Fulv. Urs.* Respersum vinum significat, quia in sacris Novendialibus vino sepulcrum spargebatur. *Scal.* Mortuorum libationes intelligit, quas Graeci vocant *χοάς*. Et bene *respersum* vinum, quia eo sepulcrum spargebatur. In fine deest tantum *quae sacra fiebant die nono*. *Dac.*

Romani. (Ad p. 222.) Ad hunc locum pertinere arbitror, quod Dionysius scribit, Romanus cives agriculturam et rem militarem tantum exercuisse: sedentarias vero artes servos et advenas, qui intra urbem permulti erant. Haec lib. II. et IX. *Ant. Aug.* Non obscurum est, cuius aedificii olim fuerint haec rudera, idque aedificium magis possum describere, quam a fundamentis redivivum instaurare. Haec igitur fuit sententia Festi: Romani nullum ab initio exercebant artificium, neque prius exercere coeperunt, quam artes didicerunt ab exteris civitatibus. Sero etiam ludi omnes, qui nunc in urbe celebrantur, sunt instituti. Quidam ponunt primos ludos Romanos, alii aiunt Megalenses Matris Magnae ac populares Cereris. Alii in conferendis equis Troiam lusitasse pueros Romanos, alii solitos exerceri eos equitando, iactu, saltu, festis Parilibus. Parilibusque etiam institutum, ut a ludentibus fierent. Populares ludos manifesto dixit pro plebeiis: ut saepe populus pro plebe dicitur. *Scal.* Optime ait Festus Romanos cum ludos facere coeperunt, artifices ascivisse ex Etruria. Liv. lib. I. sect. 35.: *Ludicrum fuit equi, pugilesque ex Etruria maxime acciti.* De ludis Romanis loquitur, quos primos facit, et verum est, cum Megalenses et Cereales post multos annos in Rep. instituti

fuerint. Consualia enim et Troia et si qui alii ludi sive certationes ludicrae sine artifice peragebantur. De Troiae ludo vide Virg. lib. V. (545. seqq). *Dac. Megalenses, id est matris magnae ac populares Cereris.* Hinc refelli potest, quod quibusdam visum est, ludos Megalenses non matri magnae, sed magnis diis sacros esse. *Megalesia* vero tantum matri magnae. Infra aliquid deesse videtur. Lego et distinguo: *Id est matris magnae, ac populares. Alii Cereris.* Neque enim Cereales ludi populares dici poterant, sed Megalenses, id est, matris magnae, qui pro populo fiebant, unde sacrificium dictum *damium*, i. *Populare*, et ipsa dea *Damia*, popularis, et eius sacerdos *Damiatrix.* Vide *Damium. Idem.*

Rubidus. Plaut. in Casina (II, 5. init.): *Una aedepol opera in furnum calidum condito, Atque ibi torreto me pro pane rubido hera. Ant. Aug.* Infra: *Rubidus panis appellatur parum coctus cum rubro colore.* Plautus in Casina (l. c.). Apud eundem scorteae ampullae etc. Intelligit autem locum ex Sticho (I, 3, 77.):

Rubiginosam strigilem, ampullam rubidam.

Scal. Versus Plauti e Casina act. II. scen. 5. Sed laceri, sunt enim:

Una Edepol opera in furnum calidum condito
Atque ibi torreto me pro pane rubido hera.

Eosdem laudat Festus in voce *torrens.* In fine cum ait, *Item scorteae ampullae* etc. eiusdem Plauti versus respicit ex Stich. I, 3, (77.). Porro in verbis Festi Fulv. Ursinus pro *parum coctus* legebat *percoctus.* Sed parum coctum Festus dixit panem cito coctum. Panis enim nimium properatus rubet et torretur. *Dac.*

Romana porta. Romanam portam. (Vide p. 225.) Locus ubi fuere statuae Cinciae, Cincia dicebatur. Vide *Cincia.* Quam vero Romanam portam in infimo clivo victoriae a Romulo positam dicit Festus, eandem esse puto quam Romanulam vocat Varro lib. IV. (V. pag. 164. Sp.): *Praeterea intra muros video portas dici, in palacio Mucionis a mugitu, quod ea pecus in bucitatum antiquum oppidum exigebant, alteram Romanulam, quae est dicta ab Roma, quae habet gradus in navalia ad Volupiae sacellum. Dac. Cinciae,* et post *familiae.* De Cinciorum familia quaedam scripsi ad l. 3. ff. si pars haereditat. *Goth.*

Rutabulum. Verbum *utuntur* non est in veteri libro. Sed nos ut necessarium recipimus. *Ant. Aug.* Glossae: *Rotabulum, ἐνσκάλης. Scal.* Martinius rescribit ἐγσκαλίς. Est enim sarculum, quo ignis σκαλεύεται, foditur, excitatur. Gallice *fourgon. Dac. Naevius.* In verbis Naevii legendum *nuptum iri.* Nisi legas cum aliis: *Nupturam viro adulescentulo* etc. Puellam desribit Naevius, quae seni viro coniuncta taedium suum oblectat, sperans se nuptum iri adolescentulo. *Idem. Rutabulum.* Alii Rotabulum. *Otiose.* Otiosus. *Naevius.* Navius; alii Novius. *Iri.* Viri; alii viro. *Goth.* In Glossis Labbaei legitur *Rotabulum*, εὐσκάδης, lege ἐνσκαλίς, quod haud dubie voluit Martinius. Apud Naevium legendum censeo: *nupturam vix viro adolescentulo.*

Ruta caesa. (Ad p. 222.) Nimis concisa sunt verba Festi et mendum esse videtur in verbo *contraxit.* Cum vendebatur possessio sive fundus, venditor excipiebat *ruta caesa*, hoc est quidquid caesum erat aut erutum (veluti arenam, lapides, arbores etc. *Dac.*). Cic. lib. II. de Oratore (55.): *Te cum aedes venderes ne in rutis quidem et caesis, solium tibi paternum recepisse.* Et in fine Topic. (26.): *Fecique quod saepe liberales venditores solent, ut cum aedes fundumve vendiderint, rutis caesis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi causa apte et loco positum esse videatur. Ant. Aug.* Ea saepius venditor excipiebat seu recipiebat. Plerumque disiunctim efferebant ruta et caesa. Vide Ciceronem (l. citt.), Nonium (pag. 164. Merc.) in *Ruta.* Adde l. 5. §. 7. ff. ad exhib. l. 66. in fin. ff. de contract. empt. l. 17. §. 6. l. 38. in fin. ff. de act. empt. l. 241. ff. de verborum significat. l. 2. Cod. de contract. empt. *Goth.*

Rutilium. Rutilum. Cato: *Mulieres nostrae cinere capillum ungitabant, ut rutilus esset crinis. Scal. Rufus* et *Rutilus* idem erat, vel certe parum intererat. Varro lib. VI. de L. L. (VII. p. 361. Sp.): *Aurei enim rutili. Et inde etiam mulieres valde rufae, rutilae.* Et Cato (l. c.). Unde Serenus:

Ad rutilam speciem nigros flavescere crines
Unguento cineris praedixit Tullius auctor.

Dac. Alii Rutilius, alii Rutilus. *Goth. Rufum significat.* Vide Gell. II, 26. Adde infra *rutilae canes. Idem. Rutilias.* Alii Rutiliae vel Rutilae. Adde *Rufum* et Varronem VI. de L. *Idem.*

Rutrum. Sic Varro lib. IV. de L. L. (V. p. 137. Sp.): *Rutrum, ut ruitum a ruendo.* Et male viri docti *rutrum* cum *rastro* confundunt. Illud a *ruendo*, istud a *radendo. Dac. Rutrum tenentis.* Graeci pueri ἐφηβεύοντες hoc exercitio utebantur. *Scal.* Theocr. de athleta (IV, 10.): ᾤχετ' ἔχων σκαπάνην. Ubi Schol.: σκαπάναν ἤγουν δίκελλαν ἢ λισγάριον ἢ σκαφίον, ὃ οἱ Ἀττικοὶ ἄμην λέγουσιν· οἱ γὰρ γυμνασταὶ τούτοις ἐχρῶντο ὑπὲρ

γυμνασίας τῇ σκαπάνῃ σκάπτοντες καὶ τὰ ἄνω μέρη ἀναῤῥωννῦντες. *Dac.* Vide Nonium in *Rutrum* (pag. 18. Merc.). *Goth.*

Rotundam aedem Vestae. In veteribus nummis Vestae templum ea forma hodieque cernitur. Huius rei aliam caussam tradit Plutarch. (c. 11.): *Traditur*, inquit, *Numam custodiae caussa perenni igne Vestae templum circumdedisse, quod rotundum ab eo exstructum est, non ut terrae, quasi ea Vestae esset, sed ut universi figuram exprimeret, in cuius medio ignem collocatum Pythagorei censent, eumque Vestam et unitatem appellant.* Sed haec merae nugae, nam alia etiam templa saepe ea forma fuisse notum est. *Dac. Rotundam.* Rutundam. *Goth.* Male vertit Plutarchi locum Dac. *perenni igne circumdedisse*, quod insulsum est. Scripsit Plutarchus τῷ ἀσβέστῳ πυρὶ φρουρᾶν, h. e. ad custodiam aeterni ignis.

Ruscum. (Ad p. 223.) Alibi monemus verba Catonis ita legenda: *Mulieres opertas auro purpuraque: arsinea, rete, diadema, coronas aureas, russeas fascias, galbeos, lineas, pelles, redimicula.* De russea fascia et linea veste Apuleius lib. II. Metamorph. (pag. 117. Elmenh.): *Ipsa linea tunica mundule amicta et russea fasciola praenitente altiuscule sub ipsas papillas succinctula. Scal.* Gloss.: *Ruscum*, χαμαιδαίφνη, κυνόσβατον, εἶδος βοτάνης. Myrtum sylvestrem vocat Dioscorides (4, 146.). Ex eo plerisque Italiae locis et scopae fiunt et vites ligantur. Virgil. Georg. II, (413.):

— — — *Nec non aspera rusci*
Vimina per sylvam et ripis fluvialis arundo
Caeditur.

Dac. Cato Originum. Vide notam Scal., qui tamen in Coniectaneis suis (pag. 146. St.) de quibus hic loquitur, non *russeas fascias* legit, sed *russeâ facie.* Mulieres russea facie, quae sibi colorem illum conciliabant rusco, θάψῳ, unde tapsinae dictae. *Idem. Amplius paulo herba et exilius virgultis.* Alii *et exiruis*, nullo sensu; ita lego: *herba et exilius virgulto*, vel: *herba exilior virgulto.* Hinc glossis Ruscum χαμαιδάφνη, κυνόσβατον, εἶδος βοτάνης. *Goth. Fruticibus.* Fructibus; male. Sed et a fecibus vini foeculam vocant; dixi ad Varronem VI. de lingua (pag. 1658. ad col. 56.). *Idem. Solitae.* Solitas. *Ars* etc. Auri; alii ita: auri, arsinea, rete, diadema, coronas aureas, fascias galbeos. *Facie galbeas.* Facie galbeos; alii fascias galbeas. *Galbeas.* Vide supra Galbeum. *Idem.*

Rupitias. Inepte sane. Lege: *Rupsit, damnum dederit.* Nam et in veteri scriptura annotatum est in margine fuisse *dederit*, non *dederis.* Quid sit *rupit*, vide Ulpian. tit. ad l. Aquiliam. *Scal.* Legendum: *Rupit, id in duodecim* etc. Ait *rupit* in leg. XII. tab. significare *damnum dederit.* Vide *talionis.* Sed nihil fortasse mutandum. In lege XII. tab. scriptum: . . . . . *rupitias* . . . *sarcito;* forte: *Si rupitias fecerit, Dominus sarcito.* Vide *sarcito. Dac. In XII.* Dixi ad leges XII. Tabul. *Goth. Dederis.* Dederit. *Idem.* Cf. Zell. Legg. XII. Fragm. pag. 42. et qui ibi citati sunt.

Rudus. Radus. Attii verba in Chrysippo mendosa Faerno nostro videntur. *Ant. Aug.* A Graeco ῥάβδος, et proprie virgam impolitam significat, qua olim certabant gladiatores. Sed ab alia raudi vox extensa est. Nam rude saxum et grande rodus vocavit Attius. Sic aes rude et impolitum vocavere. Unde contractum solennis formula, *rodusculo libram ferito*, hoc est *parvo aere.* Quam concipiebat qui mancipio dabat. Qui vero accipiebat, dicebat: *Hoc ab aere aeneaque libra.* Puta *meum est* aut simile ex Varrone. *Dac. Hinc manibus.* Lege: *hinc manibus rapere rodus saxeum grande et grave;* subaudi *coepit.* De Menalippo ut puto sermo est, qui lapide Tydeo ventrem vulneravit. *Idem. Neque quisquam.* Verba Accii mutila sunt. Lego: Neque quisquam a telis vacuus, sed uti cuique obvium fuerat, ferrum alius, alius saxum rodum. *Idem.* Integrius carmen Lucillii adfert Isidorus (XIX, 4. fin.):

Huc cataproratem puer eodem deferat, uncum
Plumbi paxillum rodi, linique metaxam.

Interpretatur *Cataproratem, uncum paxillum plumbi.* Quin etiam eundem Latino verbo Syrus vetustissimus Novi Testamenti Paraphrastes Uncinum vocat, in navigatione Pauli. Videlicet quod uncus esset. Metaxa est σειρά, linea serici tracta. Hodie et nos Aquitani fili tractam vocamus ita. Verba illa: *RODUSCULO. LIBRAM. FERITO.* concipiebat qui mancipio dabat, qui vero accipiebat, dicebat: *HOC. AB. AERE. AENEAQUE. LIBRA.* puta *meum est* aut simile ex Varrone. *Scal. Ut Lucilius cum ait.* Catapròratem dictum intellige quod de prora κατὰ πρώρας demitteretur ad tentanda vada. Neque tamen tacendum est in al. codd. legi *catapciratem*, voce Graeca καταπειράω, pertento. Quod mihi magis placet. Est igitur catapirates

funiculus cum plumbo deligato qui *καταπειρατήρ*, Graece dicitur *βολίς*, a quo et Lucilius fabulam suam unde versus istos attulit Isidorus, *Bolidem* inscripserat. Salmasius tamen legebat:

An catapirateris eodem deferet uncum
Plumbi pauxillum raudus linique metaxam.

Catapirater plumbus, ὁ καταπειρατὴρ μόλιβδος. *Dac. Si aes infectum rudusculum apud.* Haec tantum distinctione iuvanda sunt. *Si aes infectum rudusculum. Apud aedem* etc. Neque te hinc aliter expedias. *Idem. Rodus.* Alii Rudus. Adde infra Rodusculana porta. *Constituit.* Constitit. *Sensit.* Sensim. *Obviam.* Obvium. *Saxum rudum.* Saxio rudem. *Paxillum.* Pauxillum. *Matexam.* Metaxam. *Goth. Rudusculo libram ferito.* Adde Boetium in Topica Ciceronis. Dixi ad leges XII. tabularum Titul. de contract. empt. ubi de mancipatione. Adde Ciceronem ad Atticum IV, 8. et VI. Epistol. penult. et Epistol. VII, 2. 5. Valer. 6. *Idem.* In Menalippo lege: *Hinc manibus rapere saxeum grande et grave.* In Chrysippo legendum:

— Neque quisquam a télis vacuus, séd uti quid cuique óbvium
Fúerat, ferrum, sáxum rodum.

Ruspari. In ultimis verbis mendum esse notatum est R. littera adiecta in veteri libro. Vid. Nonius Marcellus (pag. 166. Merc.). *Ant. Aug.* Glossarium: *Ruspinat*, χειροτριβεῖ; pro eodem etiam Rostrare. Idem: *Rastrat*, ἐπιζητεῖ. Puto versum ita legendum:

Et ego ibo, ut latebras ruspans rimer maritimas.

In eodem Glossario: *Rutilat*, ἐρευνᾷ, σκυβαλίζει. Lege ut hic, *Ruspat. Scal. Quaerere crebro.* Imo potius diligenter et studiose quaerere. Et proprie de animalibus, quae vel rostro vel unguibus terram ruunt. Unde et pro eodem *Rostrare* dicitur. Vide *corruspari. Dac.* Vide Nonium (pag. 166. Merc.) in *Ruspari. Amaptimas.* Maritimas. *Goth.* Cf. Voss. Etym. v. *Ruspari.*

Rustica Vinalia. Aliquid amplius Paulus notat, quam apud Festum reperiatur. Vid. Varro lib. V. de Ling. Lat. (VI. p. 201. Sp.) et Festus *Roscii. Ant. Aug. Quia Latini.* Hanc historiam ex Pisone sic refert auctor de origine gentis Romanae, qui Victoris titulo circumfertur. *Igitur*, inquit, *summam imperii Latinorum adeptus Ascanius, cum continuis proeliis Mezentium persequi instituisset, filius eius Lausus collem Laviniae arcis occupavit, cumque id oppidum circumfusis omnibus copiis regis teneretur, Latini legatos ad Mezentium miserunt, sciscitatum, qua conditione in deditionem eos accipere vellet, cumque ille inter alia onerosa illud quoque adiiceret, ut omne vinum agri Latini aliquot annis sibi inferretur, consilio atque auctoritate Ascanii placuit ob libertatem mori potius quam illo modo servitutem subire. Itaque vino ex omni vindemia Iovi publice voto consecratoque, Latini urbe eruperunt, fusoque praesidio interfectoque Lauso Mezentium fugam facere coegerunt.* Vide Plutarch. Quaest. Rom. quaest. XLV. *Dac. Quia in ipsius Deae.* Haec aliena sunt et male huc irrepserunt e fine capitis quod post *Roscii. Idem. Rustica vinalia.* (Vid. pag. 237.) Idem Varro lib. V. (VI. pag. 201. Sp.): *Rustica vinalia dicuntur ante diem duodecimum Kalendas Septembris, quod tum Veneri dedicata aedis et horti eius tutelae assignantur, ac tam sunt feriati olitores.* Porro duplicia fuere vinalia, altera vel XII. vel XIV. Kal. Septemb. altera IX. Kal. Maias celebrata, Veneris alia, alia Iovis sacra. Sed de utrisque ita dissentiunt veteres, ut nihil certi unquam ex iis statuatur, nam vel ipse Festus, qui hic vinalia mensis Augusti Veneri sacra dicit, idem ea supra Iovis sacra facit; tamen multo verisimilius est, vinalia mensis Aprilis Veneri dicata fuisse eique hortos dedicatos, nam et ea ἀφροδίσια vocat Plutarch. Vinalia vero mensis Sextilis ad Iovem pertinuisse. Quamvis contrarium plane apud scriptores reperias. Vide *Calpar. Dac.* Vide Roscii. Varr. V. de Lingua (l. c.). *In luco libitinensi.* Antea legebatur, in luci libiti a densi. *Goth. Ipsius.* Antea pius. *Idem.*

Rustum. (Vide pag. 223.) *Rustum ex rubus . . .* Quid sit *Rustum*, nescio. Forsan a *rubus* est *rubusetum*, *rubustum*, *rustum*. Ita ut *rustum* dicatur locus rubis consitus. A rusto etiam dictae *falces rustariae*, quibus resecantur rusti. *Dac.*

(Ad p. 223.). . . . . *ubi incubare posset.* Verba Festi ad aliud verbum pertinent; et ut arbitror scribenda sunt loco incertorum post *R. Ant. Aug.* Non sat coniicio quo istaec referenda sint. In Schedis post *Rustum* spacium duarum paginarum relictum est et in fine: *Ubi incubare posset auspicii repetendi caussa.* Omina. Virg. (Aen. II, 178.): *Omina ni repetant Argis.* Quod si longius ministerium administraretur, ne dux ab exercitu diutius abesset, si Romam ad repetenda auspicia de longinquo revertisset, constitutum, ut unus locus de captivo agro Romanus fieret in ea provincia in qua bellabatur, ad quem si renovari opus esset auspicia, dux rediret. Et incubandi verbo Festus usus est, quod interdum cubantes auspicia ca-

ptarent, interdum in solida sella sedentes. Vide *silentium*. *Dac.* De auspiciis repetendis cf. Serv. ad Virg. Aen. II, 178., quem exscripsit Dac.

R pro S. De huius litterae mutatione in S saepe alibi dictum est. *Dac.* S pro R. *Goth.* *Lasibus.* Vide Varronem IV. de lingua (VII. pag. 312. Sp.). *Idem.*

Rorarios. Glossarium: *Rogarii*, ἀκροβολισταί. Male legit *Rogarii* pro *Rorarii*. *Scal.* Idem Varro lib. VI. (VII. pag. 341. Sp.): *Rorarii dicti a rore, qui bellum committebant ante, ideo quod ante rorat quam pluit.* Plaut. in Frivolaria:

— — — sequimini hac
Sultis legiones omnes Lavernae. Ubi rorarii
Estis? En sunt. Ubi sunt accensi? Ecce.

Gloss. *rorarii*, ἀκροβολισταί. Ita enim legendum, non *rogarii*, monuerunt Scaliger, Vulcanius etc. *Rorarii* iidem *velites* et *Ferentarii*. *Dac.* Cf. Creuzer. Antt. Rom. pag. 283. et qui ibi sunt excitati.

Robum. Graeci ξανθόν. Vet. inscript.: *Omnibus annis vitulo robeo et verre.* Et hunc esse Deorum colorem refert Servius ad illud Virg. Eclog. VI, (22.):

Sanguineis frontem moris et tempora pingit.

Multi, inquit, *ob hoc dictum putant, quod rubeus color Deorum sit. Unde et triumphantes face miniata, et in Capitolio Iupiter in quadriga miniata.* Inde quercus *robur* dicta, quia eius venae eum colorem referunt. Robur etiam, hoc est fortitudo, ab eo colore nomen sumpsit, si Festum audimus. Sed potius est ab Aeolio ῥῶβορ, ῥῶμορ, ῥώμη, fortitudo. *Dac.* *Robus quoque in carcere.* Ex robore olim fiebant arcae, quibus includebantur malefici, unde postea roboris nomen carcer retinuit. *Robustum carcerem* dixit Plaut. (Curc. V, 3, 14.). *Idem.* *Robur.* Hinc Glossis *Robur*, μελάνδρυς. *Goth.* *Robus quoque* etc. Lucret. III, (1029.): *Carcer et horribilis de saxo iactu' deorsum, Verbera, carnifices, robur, pix lamina, tedae.* Plaut. in Poenulo (V, 3, 53.): *Ut ego detrudam ad molas, inde porro ad puteum, atque robustum codicem.* Et in Captiveis (V, 2, 9.): *At ego faciam ut pendeas, nam in robur te totum dabo* (sed legitur: *At ego faciam ut pudeat; nam in ruborem te totum dabo.*). Valerius VI. cap. 3. *de robore praecipitati sunt.* Tacit. Annalium VI, (29.): *Robur et saxum minitantium.* Quo loco robur et saxum recte coniunguntur propter affinitatem poenae cum praecipitatione e saxo, de qua vide l. 25. in fin. ff. de poenis. Quibusdam *Robur* aut *robus* videtur idem esse ac eculeus aut equuleus. Ac ne quid (quod ad hunc locum pertinet,) omittam, sciendum est duas carceris partes praecipuas, Robur, de quo nunc dictum est: et Tullianum, de quo vide Sallustium (Cat. c. 55.). *Idem.*

Robigalia. Interpres Arati Latinus testatur hunc diem a Numa rege anno undecimo regni sui constitutum fuisse. *Ant. Aug.* Varro lib. V. (VI. pag. 199. Sp.): *Robigalia dicta a Robigo. Secundum segetes huic Deo sacrificatur, ne robigo occupet segetes.* Plin. lib. XVIII. cap. 19.: *Robigalia Numa instituit anno regni sui undecimo, quae nunc aguntur ante diem septimum Kalendas Maias, quoniam tunc fere segetes robigo occupat. Hoc tempus Varro determinat sole Tauri partem decimam obtinente, sicut tunc ferebat ratio. Sed vera caussa est, post dies undeviginti ab aequinoctio verno per id quatriduum, varia gentium observatione in quartum Kal. Maias canis occidit, sidus et per se vehemens et cui praeoccidere caniculam necesse sit.* Hoc sacrum sue et cane peragebatur, quorum exta cum thure et vino Deo offerebantur. Ovid. Fast. IV, (907. seqq.); de robigine autem sic Plin.: *Plerique dixere rorem inustum sole acri frugibus rubiginis caussam esse.* Quae sententia est Ovidii (Fast. IV, 920.): *Si culmos Titan incalfacit udos Tunc locus est irae, Diva timenda tuae.* Nempe Divam Robiginem hic dicit Ovidius, Festus Robigum Deum. *Dac.* De rubigine adde quae scripsi ad l. 15. §. 2. in verbo aut satis fervore non assueto. ff. locati. *Goth.*

Rogatio. Rogationem appellat Sext. Pompeius, quod privilegium Cicero; eam legem, qua de uno pluribusve hominibus, aut de una pluribusve rebus constitutum est. Legis itaque genus esse, id est, speciem quandam, intelligimus; et ut Gallus Aelius dicebat, non omnis lex rogatio est; omnis tamen rogatio iustis comitiis rogata, lex est. Haec est Festi sententia. In verbis autem est nonnihil mendosum. Namque ante illa verba (*non potest non esse*) deest, ut arbitror, verbum (*Rogatio*). Sed quamquam haec sit Festi opinio, mihi rogationis verbum latius patere videtur; et omnes leges, de quibus ad populum feratur, comprehendere. Leges vero latae sunt, cum eas populus accepit; antea promulgatae dicuntur, cum trinundino die sunt propositae; rogatio vero fit, cum rogantur tribus: *Velitis iubeatis ita fieri;* si *uti rogas* responderint, tum lex est. Ex verbis tamen Capitonis a Gellio relatis lib. X. cap. 20. et ex Gelliana interpretatione suspicor aliquos fuisse, quibus huiusmodi privilegia leges non viderentur; ideo credendum esse eis nomen generalis illius rogationis

deesse, conservato legis nomine generalibus legibus, quae ad omnes homines omnesque res pertinerent. *Ant. Aug.* Vide Gell. lib. X. cap. 10. Sed quod hic ab Aelio Gallo discrimen inter legem et rogationem ponitur, veteribus non observatum fuisse multis argumentis evinci potest. Omnes enim leges, de quibus apud populum ferebatur, rogationes dicebantur, leges vero cum eas populus acceperat. Antea promulgatae cum trinundino die propositae fuerant. Haec trita sunt. Porro quod scripsere viri docti hic rogationem ex Galli Aelii et Festi sententia idem esse, quod apud Ciceronem privilegium dicitur, id omnino falsum est. Nam rogatio tam in bonam quam in malam partem sumebatur, privilegium non item, quippe quod in caput tantum et perniciem privati hominis semper apud vetustiores Romanos latum est. Ut superius annotatum. *Dac.* Id ius singulare nostris auctoribus l. 8. l. 14. l. 15. l. 16. ff. de legibus. Privilegium Ciceroni (de quo dixi ad leges XII. Tabul.) quod a lege ideo Festus hic ait differre. Ceterum leges *promulgatae* dicebantur, si erant trinundino propositae; *rogatae*, cum Tribus rogarentur vellent iuberentne; *latae*, cum receptae et approbatae. *Goth.* *Quod in omnes homines resve populus scivit, lex appellatur.* Vide l. 8. ff. de legibus. *Idem.*

Romulum quidam. (Ad p. 224.) *Quem credibile est a virium.* Ῥώμη Graece proprie est *Valentia* Latine, nam ἐῤῥῶσθαι est *valere.* Gloss. Ῥώμη, *valentia.* Ita vocarunt *robur* corporis, quod et ipsum ex eadem origine venit, nam ῥῶμος et ῥώμη ἀπὸ τοῦ ῥώεσθαι, Aeolicum ῥῶμορ et ῥῶβορ ut βύρμαξ, μύρμαξ, inde Latinorum *robur.* Inde etiam dicti Ῥῶμος, Ῥώμυλος. Ῥῶμος enim est *vir fortis.* Ut μῶμος *irrisio* dicitur et *qui irridet;* μῖμος *imitatio* et *qui imitatur:* sic ῥῶμος *fortitudo* et *vir fortis.* Latinis *Remus*, ut *Apello, Apollo.* A ῥῶμος ῥώμυλος, ut a ψεῦδος ψεύδυλος, unde *Pseudolus* Plautinus. A φεῖδος φείδυλος, ab ἦδος ἥδυλος et similia, inde Latinis priscis Romulus, quare infra Paulus: *Romulus et Remus a virtute.* Nam virtus proprie de viribus corporis, ut apud Phaed. (1, 13, 14):

Virtuti semper praevalet sapientia.

Salmas. in Solin. Inde intelligenda quae dixit Festus in fine τοῦ *Romam.* Romulum urbem nominasse Romam potius quam Romulam, *ut ampliore vocabuli significatione prosperiora patriae suae ominaretur. Roma* enim et *Remus* multo significantiora sunt, quam *Romula* et *Romulus*, quae sint deminuta ex illis. *Dac. A ficu ruminali.* Vide infra *Ruminalis. Goth. Ruma.* Adde infra *Rumen*, Nonium (pag. 167. Merc.) in *Rumam. Idem.* *A virium magnitudine.* Est enim Graecis ῥώμη idem ac *robur. Idem.*

Romam. (Ad p. 224.) *Caeximparum viri* mendosa verba sunt. Vid. Dionys. lib. I. (I, 71.) qui aliqua ex his refert, et alia aliter. *Ant. Aug.* In exemplo Cephalonis Gergithii discedit a sententia ipsius historici. Dionysius (I, 71. pag. 58.): *Κεφάλων ὁ Γεργίθιος, συγγραφεὺς παλαιὸς πάνυ, δευτέρᾳ γενεᾷ μετὰ τὸν Ἰλιακὸν πόλεμον ἐκτίσθαι λέγει τὴν πόλιν ὑπὸ τῶν ἐξ Ἰλίου διασωθέντων σὺν Αἰνείᾳ· οἰκιστὴν δ' αὐτῆς ἀποφαίνει τὸν ἡγησάμενον τῆς ἀποικίας Ῥῶμον· τοῦτον δ' εἶναι τοῦ Αἰνείου παίδων ἕνα· τέτταρας δέ φησιν Αἰνείᾳ γενέσθαι παῖδας, Ἀσκάνιον, Εὐρυλέοντα, Ῥώμυλον, Ῥῶμον.* De Apollodori Euxenide nihil memini me legere. Alcimus scripsit ἱστορίαν Ἰταλικήν. Eoque nomine citatur ab Athenaeo. Antigoni praeter alios meminit Dionysius. *Caeximparum* et reliqua monstra verborum haec scripturae vestigia praeferunt: *Eosque a multo errore nominatos Aberrigines; quorum subiecti qui fuerint Cae* Xinidarum iuri vicinarumque urbium imperio* etc. Quae vera est lectio, si illud *Cae* nidarum* prorsus integrum esset, ut aliqua parte contaminatum est. Erat enim tale quid Cacoxenidarum; aut nescio quid simile. Nam ut etiam ex aliis scriptoribus novimus, qui dicti sunt Aborigines, eorum alii Cumas, alii alias urbes condiderunt in Italia, proinde ut non omnes simul sub uno duce ibant, sed unaquaeque pars suum ducem habuit, cum in multas partes distracti essent. Cuius simile de Gotthis proditum est. Agathoclis, qui τὰ Κυζικηνά scripsit, Athenaeus, Stephanus, alii meminere. Legendum postea: *visam esse iustam vocabuli Romani nominis causam eam, quae prior eundem locum dedicavisset Fidei.* Visa, inquit, iusta est caussa nominis Romae in oppido novo appellando, utpote cum ea Roma prima locum dedicasset Fidei. De fluvio Nolo quaerendum censeo. Calliae verba, quae huc pertinent, extant apud Dionysium (I, 72. pag. 58.): *Καλλίας δ' ὁ τὰς Ἀγαθοκλέους πράξεις ἀναγράψας, Ῥώμην τινὰ Τρωάδα τῶν ἀφικνουμένων ἅμα τοῖς ἄλλοις Τρωσὶν εἰς Ἰταλίαν, γήμασθαι Λατίνῳ τῷ βασιλεῖ τῶν Ἀβοριγίνων καὶ γεννῆσαι δύο παῖδας Ῥῶμον καὶ Ῥωμύλον, οἰκίσαντας δὲ πόλιν, ἀπὸ τῆς μητρὸς αὐτῶν θέσθαι τοὔνομα.* Heraclidae Lembi Athenaeus non semel meminit. Non solum autem de eo intelligitur in illis verbis, quae ex Dionysio infra ponam; sed et historiam eandem, quam tangit Festus, ex eodem proponam (l. c.): *ὁ δὲ τὰς ἱερείας τὰς ἐν Ἄργει καὶ τὰ καθ' ἑκάστην πραχθέντα συναγαγών, Αἰνείαν φησὶν ἐκ Μολοττῶν εἰς Ἰταλίαν ἐλθόντα μετ' Ὀδυσσέως οἰκιστὴν γενέσθαι τῆς πόλεως, ὀνομάσαι δ' αὐτὴν ἀπὸ μιᾶς τῶν Ἰλιάδων Ῥώμης. ταύτην δὲ λέγει ταῖς ἄλλαις Τρωάσι παρακελευσάμενον κοινῇ μετ' αὐτῶν ἐμπρῆσαι τὰ σκάφη βαρυνομένην τῇ πλάνῃ.* Lembum Heraclidem, *τὰ καθ' ἑκάστην (χώραν) πραχθέντα συναγαγεῖν*, cognoscet qui propius ea verba, quae ex eo producit

Athenaeus, considerarit. Porro cum haec ex auctore Graeco desumeret Festus, in illis verbis reddendis graecissat. Nam ὡραίαν παρθένον vertit tempestivam. De Galata scriptore amplius quaeramus. *Scal.* *Urbem condidisse.* Distingue: *urbem condidisse in palatio, Romae eique dedisse nomen. Dac.* *Historiae Cumanae compositor.* Huius nomen reperire non potui. *Idem.* *Quorum subiecti qui fuerint.* Haec Scaliger. Sed nescio unde ille τὸ *Cacoxenidarum*, monstrum enim verbi *Cacoxenidae* omnibusque opinor ignotum, quare aliud quaerendum est. *Idem.* *Montem palatium in quo frequentissimi consederint, appellavisse a viribus regentis Valentiam.* Hanc historiam tangit Solinus statim initio cap. 1.: *Sunt qui videri velint Romae vocabulum ab Evandro primum datum, cum oppidum ibi offendisset, quod exstructum antea Valentiam dixerat iuventus Latina; servataque significatione impositi prius nominis* Ῥώμην *Graece, Valentiam nominatam; quam Arcades quoniam in excelsa parte montis habitassent, derivatum deinceps, ut tutissima urbium arces vocarentur. Idem.* *Agathocles Cyzicenarum rerum conscriptor.* Solin. loco supra citato: *Agathocles scribit, Romam non captivam fuisse, ut supra dictum est, sed Ascanio natam, Aeneae neptem, appellationis istius caussam fuisse. Idem.* *Proxime flumen Nolon.* De flumine Nolo nihil usquam me legisse memini. Molon vocat Pomp. Sabinus V. Aeneid.: *Aiunt quidam Aeneam sepultum in urbe Berezynthia prope flumen Molon.* Sed hoc mihi aeque ignotum est. *Idem.* *Callias Agathoclis Siculi qui res gestas conscripsit.* Calliae verba, quae huc pertinent, extant apud Dionysium: *Καλλίας δ' ὁ τὰς Ἀγαθοκλέους πράξεις ἀναγράψας* cett. (Vide supra Scal. notam). Huius Romae mulieris meminit Lycophron.:

Τοίους δ' ἐμός τις σύγγονος λείψει διπλοῦς
Σκύμνους λέοντας, ἔξοχον Ῥώμης γένος.

Idem. *Lembus qui appellatur Heraclides.* Idem Solin. cap. 1.: *Heraclidi placet Troia capta, quosdam ex Achivis in ea loca ubi nunc Roma est, devenisse per Tiberim; deinde suadente Rome, nobilissima captivarum, quae his comes erat, incensis navibus, posuisse sedes, struxisse moenia et oppidum ab ea Romen vocavisse.* Lembum Heraclidem intelligit Servius cum scribit: *Heraclides ait Romen nobilem captivam Troianam huc appulisse et taedio maris suasisse sedem, ex cuius nomine urbem vocatam. Idem.* *Galatas scribit.* Vett. libb. habent *Gallitas.* Fortasse rescribendum *Clinias.* Servius: *Clinias refert Telemachi filiam Romen nomine Aeneae nuptam fuisse, ex cuius vocabulo Romam appellatam **** dicit Latinum ex Ulysse et Circe editum de nomine sororis suae mortuae Romen civitatem appellasse.* Suppleo: *idemque dicit*, vel *idem enim dicit.* Haec enim de eodem scriptore intelligenda sunt. Quare ex hoc loco apertum est, Festi locum hunc male digestum esse atque etiam mutilum, qui alterius ope sic facile sanari potest: *Cum post obitum Aeneae imperium Italiae pervenisset ad Latinum Ulyssis Circesque filium, isque ex Rome Telemachi suscepisset filios Romum Romulumque, urbi conditae in palatio caussam fuisse appellandae potissimum Romae.* Quae plane gemina sunt cum superioribus, nisi quod hic Festus ex Rome sublatos liberos refert, quos eundem locum citans praetermisit Servius. Ait Servius ex Clinia Telemachi filiam Romen Aeneae nuptam fuisse, mortuisque Aenea et Rome Latinum Romae fratrem imperio potitum de nomine sororis suae urbem Romam dixisse. Et idem plane hic Festus ex eodem Clinia, nisi quod addit Aeneam ex Rome liberos suscepisse, nam τὸ *isque* de Aenea intelligi debere certum est. Iudicent tamen eruditi. Porro hic praetermisit Festus eorum sententiam, qui a Roma Aesculapii filia urbi nomen impositum tradiderunt, ut Marinus sive Marianus Lupercaliorum poeta, cuius versus, qui apud Servium (pag. 4. ed. Dan.) leguntur, sic dirigendos et concipiendos monuit doctiss. Salmasius:

Roma ante Romulum fuit,
Et ab ea nomen Romulus
Adquisivit . . . .
Sed Diva flava et candida
Roma Aesculapi filia
Novum nomen Latio fecit.
Hanc conditricis nomine
Ab ipsa omnes Romam vocant.

Optime, sunt enim dimetri iambici. Praetermisit etiam Festus fuisse qui traderent, Romam dictam a fatidica quae praedixisset Evandro his eum locis oportere considere. Item ei nomen impositum a Romulo Ascanii filio ut refert Eratosthenes apud Servium. *Idem.* (Post vv. *appellandae potissimum.*) In istis laciniis imo fimbriis tantum odorari potuimus de compressu Iliae, expositos infantes Remum et Romulum; quod a Faustulo sunt educati; quod a ruma sint nominati; quod ex Faustulo cognoverunt, quo patre essent procreati; restituisse regnum avo Numitori; per auguria decrevisse, uter nomen urbi imponeret; extrema verba ex Epitoma

plane sarcire potes. In nona linea Numitoris nomen agnoscimus. Reliqua nisi qui egregie se insanire postulet, alius resarciet nemo, certo scio. *Scal.* *Romae. Diocles.* Certum est, ista continuari cum superioribus: *appellandae potissimum Romae. Diocles Peparethius.* *Dac.* *Diocles Peparethius.* Sic dictus a Peparetho Insula maris Aegei. Eius meminit Plutarch. in Romulo, quem vide; nam totam hanc historiam fuse narrat. *Idem.* (*Iliam*). *Italiam.* Italiam nove dicit quam alii Rheam Sylviam. Sed Schedae aperte *Iliam*, vere. *Idem.* *Et picum Martium nutrisse.* Auctor de origine urbis Romanae: *Addunt quidam, Faustulo inspectante picum quoque advolasse et ore pleno cibum pueris ingessisse, inde videlicet lupum picumque Martis tutelae esse.* *Idem.* *Omni denique liberali disciplina Gabiis institutos.* Idem auctor de orig. urb. Rom.: *Cum vero pueri liberalis disciplinae capaces facti essent, Gabiis Graecarum Latinarumque litterarum ediscendarum gratia commoratos, Numitore avo clam omnia subministrante.* *Idem.* *Romam antea Romulam.* Quod ex Varrone ait Festus Romam antea dictam Romulam, illud apud Varronem hodie frustra quaeras. Quin etiam Varro in libris qui supersunt, non semel ait, a Romulo Romam esse dictam, non Romulam. Praecipue lib. VIII. (VIIII. pag. 491. Sp.): *Qui dicunt quod sit a Romulo Roma et non Romula; neque ut ab ove ovilia, sic a bove bovilia, esse analogias, errant.* Quod ait Verrius se invenisse caussam eius appellationis vetitam publicari, idem de ipso Romae nomine tradit Solinus cap. 1. Traditur etiam proprium Romae nomen, et verum magis, sed vetitum publicari, quando quidem quominus enuntiaretur, ceremoniarum arcana sanxerunt, ut hoc pacto notitiam eius aboleret fides placitae taciturnitatis. Valerium denique Soranum, quod contra interdictum id eloqui ausus foret, ob meritum profanae vocis neci datum. Servius ad illud Aeneid. I, (281.):

— *Romanosque suo de nomine dicet.*

Perite, inquit, *non ait Romam, sed Romanos. Urbis enim illius verum nomen nemo vel in sacris enunciat. Denique tribunus plebis quidam Valerius Soranus, ut ait Varro, et multi alii, quia hoc nomen ausus enunciare, ut quidam dicunt, raptus a Senatu et in crucem levatus est: Ut alii, metu supplicii fugit et in Sicilia comprehensus a Praetore praecepto Senatus occisus est. Hoc autem urbis nomen ne Hyginus quoque, quum de situ urbis loqueretur, expressit* *Dac.* *Romam.* Vide Dionysium Halicarnasseum, Livium. *Palatinus.* Vel Palatium. *Romus.* Alii Rodius. *Primum omnium.* Prima, alii primam. *Callias Agathoclis.* Callinus Agathocles. *Quosdam.* Quendam. *Galatas.* Galitas. *Goth.* (Ad Pauli glossam:) *Romam.* Romanos. *Non Romulam.* Vide Varronem lib. VIII. de lingua (IX. pag. 491.). *Goth.*

Romulia. Quid Terentius, quid Verrius scripserint incertum est. Sed Varro lib. IV. de Ling. Lat. (V. pag. 62. Sp.): *Quinta,* inquit, *tribus, quod sub Roma Romilia.* Haec est fortasse Terentii opinio a Festo relata; illa Verrii, quam Paulus secutus est. *Ant. Aug.* Infra: *Romuliam tribum appellatam Terentius quidem Varro ait a Romulo,* deinde detortam vocalem *u* in *e*, credibile. Ceterum caussam se invenisse ait Verrius, cur a Romulo dicta sit: nempe quod ex eo agro censebatur, quem Romulus ceperat ex Veientibus. Iam agnoscis spatium desiderari in extremis reliquiis Festi ad capienda ea, quae de epitoma supplevimus: vides etiam inconstantiam Varronis, qui nunc a Romulo dictam ait, quam in libris de Latino sermone ab eo appellatam vult, quod sub Roma fuerit. *Scal.* *Romulia tribus dicta.* Haec sunt Pauli. Praetermissum autem Festi exemplar, quod ita in Schedis apparet (vid. pag. 225. *Rom. trib.*): *Romuliam tribum appellatam esse ait Dionysius ab Romulo, quod in agro ab eo capto de Veientibus populis ea tribus censebatur. Terentius Varro dictam ait, quod proxima Romae esset* . . . quae . . . . *cuidam* . . . . ep. Ita Schedae. Locus Dionysii, quem Festus intelligit vix inveniri possit, at alter Varronis est e lib. IV. de L. L. (pag. 62. Sp.): *Quinta tribus,* inquit, *quod sub Roma, Romilia.* Nisi Festus locum alium ex libris, quos de Tribubus Varro scripserat, ob oculos habuerit. Nam quae in fine desunt, eiusdem fortean (forsitan) Varronis verba sunt. *Romilia tribus trans Tiberim in agro Veienti quem Romulus primum cepit.* *Dac.*

Rumex. Versus Lucilii refertur verbo *Spara.* *Tum spara, tum rumices portantur tragula porro,* licet illic murices scriptum sit. *Ant. Aug.* Suspicantur viri docti Festum male legisse apud Lucilium *rumices* pro *murices.* Nam murices proprie sunt conchae, conchylia, quae quia in acutum desinunt, inde quaevis aliae res acutae dictae *murices.* Ut cacumina saxorum. Virgil. (Aen. V, 205.): *Acuto in murice remi Concussi sonuere.* (Legitur: *Obnixi crepuere.*) Ubi Servius muricem exponit *Saxi cacumen eminens per tranquillitatem.* Isidor. lib. XVI. cap. 3.: *Murices petrae in litore similes muricibus vivis, acutissimae et navibus perniciosae.* Sic *triboli* dicti murices, quia multos simul aculeos ostendunt. Vid. Casaub. ap. Athen. lib. VIII. IX. Verum huic coniecturae obstat, quod prima in *murex* producitur, quae corripitur in *rumex.* Sane Gellius lib. X. cap. 25. *Rumigestrum* dicit esse telum; *inter telorum,* inquit, *iaculorum, gladiorum vocabula lancea, spari, rumigestri, falces.* Unde Scaliger apud Varronem (pag. 58. ed. St.) forsan apud Gellium pro *rumigestri*

reponendum *runcastri*, vel *rumicestri*. Rumices Lucilio: *Tum spara tum rumices* etc. Atque ideo videtur Gellius illa duo iunxisse, tanquam apud eundem Lucilium lecta. Antequam hinc abeo monendus est lector, ante caput *Rumex*, in Schedis (pag. 225.) extare quasdam reliquias, quae in omnibus Festi editt. praetermissae. In iis apparet de *Ruma* id est mamma Festum egisse, item de ficu Ruminali et lupa, quae Remo et Romulo praebuit rumam, sunt enim ad hunc modum: *Ruma id est mamma . . . . capitolio . . . . . nium . . . . . . de . . . . . . quae . . . . . . requisi . . . . . . appellatam . . . . . . est quae Rumex teli genus*, etc. Quibus etsi eas instaurare non possum, diutius carere te nolui, ut quod fieri possit, et quantum in me est, Festi quae supersunt, ea tibi omnia in promptu sint, et habeas etiam quicum vires tuas experiaris. *Dac.* Ex hoc loco Gellius X. c. 25. emendandus, apud quem pro *rumigestri*, *falces* legendum *rumices*, *trifaces*. Glossis alio significatu Rumex λάπαθον ac Lapathium. *Goth.* Glossis: *Sparus*, εἶδος ἀκοντίου. *Idem.*

Rumitant. A *rumo* frequentativum *rumito*, ut a *fero*, *ferito*. Versus Naevii, qui Saturnius est (cf. Herm. Elem. doctr. metr. pag. 636.):

Simitu alius aliunde rumitant inter se.

Vide *adrumavit*. *Dac.* *Rumigerantur.* Inde *rumigerulus*, Glossis θρυλήτης. Dicebant autem veteres non tantum Rumigerare, ut hic, sed et *Rumiferare*, de quo vide Nonium (pag. 166. Merc.). *Goth.* *Se.* Sere. *Idem.*

Ruminalis. Infra: *Ficum ruminalem appellatam ait Varro a veteribus, quod sub ea arbore lupa mammam Remo et Romulo dederit. Mamma autem Rumis dicitur. Unde agnos veteres subrumos vocabant, qui sub mammis essent; alii autem sunt, qui putent, quod sub ea pecus ruminari solitum esset.* *Scal.* *Ruminalem ficum.* Duas Ruminales ficus fuisse certum est, alteram in Germalo, sub qua Remus et Romulus a lupa nutriti, alteram in comitio, quae proprie Navia dicebatur. Utramque in octava urbis regione ponit Victor: *Ficus Ruminalis et Lupercal virginis. Columna cum statua M. Ludii.* Haec est vera Ruminalis. Pergit Victor: *Ficus Ruminalis in comitio, ubi et Lupercal Aedes Veiovis inter arcem et Capitolium prope asylum* Haec est ficus Navia. At de Navia ficu iam supra egit Festus. Hic igitur de vera ficu Ruminali eius verba intelligenda sunt, quod et olim animadvertit magnus Salmasius in exercitationibus Plinianis, ubi multa docte et accurate de utraque ficu annotavit, sed queis nondum mihi uti contigerat cum horum librorum decimus quartus typis mandabatur. Haec enim fere sine libris scribimus, quos patria longe *dulci distinet in domo*. Quare est certe quod gaudeam, me in Navia ficu contra mentem Scaligeri illustranda et putanda, iuxta virum doctissimum fere per omnia sic sensisse. Eius verba in fine addentur, ut ea cum illis quae in *Navia* dicta sunt, lector conferre possit. Redeamus ad Festum. Ait ficum Ruminalem prope curiam fuisse, at curia in comitio. Non potest igitur haec esse vera ficus Ruminalis, quae in Germalo; hoc non potuit scrupulum creare doctissimo Salmasio, qui supplementum Festi numquam vidit, adeoque ex sola tantum epitome iudicavit hic de vera ficu Ruminali a Festo actum fuisse. In epitome vero nihil est quod non utrique ficui aeque conveniat. De Navia enim ficu idem dicebant quod de Ruminali. Tacit. Annal. XIII. (c. 58.): *Eodem anno Ruminalem arborem in comitio, quae super octingentos et triginta ante annos, Remi Romulique infantiam texerat* etc. De Navia enim loquitur. Sed Festus *Curiam* simpliciter dixit, quam alii *Curiam Hostiliam*, quae diversa est ab altera Curia quam βουλευτήριον Graeci vocant; *Curia Hostiliae sub veteribus*, ita notatur in descriptione urbis, ubi haec et illa. Sic enim in VIII. regione:

Curia.

Curia Hostilia sub veteribus.

Dac. *Ruminalis dicta est ficus.* De qua vide supra in *Romulum*. *Rumis.* Rumus. Alii *Ruma* ut apud Nonium (pag. 167. Merc.). *Haedos subrumos.* Vide infra: *Subrumari dicuntur haedi.* *Goth.*

Rumen. Isidor. (lib. XI. cap. 1. s. v.): *Rumen proximum curculioni, quo cibus et potus devoratur.* Et Serv. ad illud (Virg.) Eclog. VI, (54.): *Pallentes ruminat herbas. Ruminatio*, inquit, *dicta est a ruma eminente gutturis parte, per quam demissus cibus a certis revocatur animalibus. Ruma* autem et *rumen* a ῥύμη, *tractus*, via. *Dac.* Vide Nonium (pag. 18. Merc.) in *Rumen*. *Rumare.* Vide supra *Adrumavit*. Et infra *Subrumari*. Glossis *Rumat* ἐμβρωματίζει. *Ruminare.* Vide Nonium in *Ruminare*, *Ruminat*, *Ruminatur* (p. 471. 480. Merc.). *Goth.*

Rumentum. Eget interprete. *Ant. Aug.* Rumentum in Auguralibus significare videri ait *abruptionem*, dum verba Anci exponit: si posterime avis canerit, ut auspicio augurio rumentum sit. *Posterime* vel *posterrime* est postreme. *Canerit*, cecinerit. Etiam Sallustius (*Occanuere.* Fragmm. ex Hist. lib. I. no. 38. ubi cf. Gerlach.) dixit *canuere* pro *cecinere*. Suspectum est nomen Anci, et potius ita putem legendum: *Rumentum in Auguralibus significare videtur abruptionem: Dum verberat Anciliorum acrimen, avis canerit interea,*

id eo augurio rumentum esto. Et aperte id ex libris auguralibus carmen est. *Aerimen* est aes, ut supra cognovimus ex lib. III. Morem hunc aera in Saliaribus quatiendi tangebat Nigidius libro XVIII. *Itaque ex aere in Saliaribus Altanus tintinat.* *Scal.* A *rumpo* sive *rupo*, *rupi*, *rupimen*, *rupimentum*, *rumentum*, ut a *moveo*, *movi*, *movimen*, *movimentum*, *momentum.* Ista: *dum verba ancilibus*, ex auguralibus libris desumpta. Dum movebantur ancilia, si avis vocem emiserit, non minus augurio illi rumentum fiebat, quam auspicio cuivis alii, si quod factum esset. Hos hiatus olim suppleverat Scaliger ita, ut suppleta, nisi alia schedae exhiberent, pro veris facile recepta fuissent. *Dac.*

Rhegium. Festi verbis pauca haec aut his similia desiderantur: *Rhegium appellare* (*significare* ex sched. *Dac.*) *oportere* etc. *Ant. Aug.* Scribe ῥαγῆναι. Aeschylus (Prom. sol. 189.):

— — — ἀπεῤῥάγη
Ἡ γαῖ' ἀφ' οὗ δὴ Ῥήγιον κικλήσκεται.

Quae verba odorati sumus ex Strabonis libro VI. *Scal.* Strabo lib. XI. (VI. pag. 258.): Ὠνομάσθη δὲ Ῥήγιον εἴθ', ὥς φησιν Αἰσχύλος, διὰ τὸ συμβὰν πάθος τῇ χώρᾳ ταύτῃ· ἀπεῤῥαγῆναι γὰρ ἀπὸ τῆς ἠπείρου τὴν Σικελίαν ἀπὸ σεισμῶν ἄλλοι τε κἀκεῖνος εἴρηκεν ἀφ' οὗ δὴ Ῥήγιον κικλήσκεται. Qui locus Strabonis pessime ab interpretibus acceptus est. Subiungit idem Strabo forsan a voce Latina *rege* nomen urbi inditum propter loci splendorem et utramque eius sententiam affert Eustath. in Dionysium pag. 48. Sed et Strabonem et Eustathium movere debebat, quod perpetuo Latini *Rhegium* cum aspiratione scripserunt, quod non fecissent si a rege dictum opinarentur. Iustin. lib. III. (IV, 1, 7.): *Rhegium dicitur ideo quia Graece abrupta hoc nomine pronuntiantur.* Utrumque etiam etymon respexit Verrius cum scripsit Rhegium significare oportere id municipium, quod a regione Siciliae, a voce Graeca ῥαγῆναι eo magis, quia in Gallia Cisalpina forum Lepidi Regium vocatur a voce Latina *rege* scilicet. Nam his verbis eos refellit qui *Rhegium* a rege dici rati sunt, et haec fuit sententia Verrii quam parum videntur interpretes animadvertisse. Nunc de Sicilia an continenti abrupta fuerit multa addi possent, sed vide si libet Cluverium et Valgarneram tract. de primis Siciliae incolis. *Dac.* *Regione.* Regno. Ῥαταῖαι. Ῥῆξαι, alii ῥαγῆναι. *Goth.*

Rhondesicadionque. (Ad p. 226.) *Rhondes, Icadionque;* et *nomina piratarum;* et *quam illi essent saluti navigantium.* *Scal.* *Rhonde, Sicadionque.* Lege: *Rhondes, Icadionque cum dixit Lucilius, nomina piratarum posuit, tam infestum sibi corpus et valitudinem referens, quam illi essent saluti navigantium.* Viderunt Scaliger, Turnebus et alii. Versus Lucilii sunt:

Querquera consequitur febris, capitisque dolores,
Tamde mihi infesti, quam Rhondes Icadionque.

Dac. Vide supra *Icadion.* *Quam levis sed.* Quam illa essent. *Goth.*

Rhinocerotem. (Ad p. 226.) Vid. Plin. lib. VIII. cap. 20. *Ant. Aug.* Non Aegyptium, sed Aethiopicum vocat Pausan. ῥινοκέρως; a ῥίν, ῥινός et κέρας, quia ex eius nare cornu prominet. *Dac.*

Redemptores. Proprie qui certo pretio opus aliquod faciendum conducunt. Vulgo vocamus *des entrepreneurs.* Optime exponunt Glossae ἐργολάβοι. Sed postea redemtores dicti quicumque aliquid utendum locant. *Dac.* Glossis Redemptor ἐργολάβος. *Conduxerant.* Condixerant. *Goth.*

Redhibetur. *Redhibitur dum id.* Lege: *Redhibitum id proprie dicitur* etc. Redhibere rem venditam venditor dicitur, cum reddendo pretium eam recipit, cuius vitia in venditione non prodidit. Plaut. Mercatore (II, 3, 83. seq.):

C. *Quid si reddatur illi unde empta est?*
D. *Minime gentium.* C. *Dixit se redhibere si non placeat.*

Hinc *redhibitoria actio*, quae emptori adversus venditorem datur, ut mancipium redhibeat, i. e. recipiat pretiumque acceptum restituat. *Redhibere* igitur a *re*, id est iterum, et *habere*, quia venditor iterum habeat etc. Inde Gloss. *redibitio*, ἀνταπόδοσις. *Redigit* ἀναλαμβάνει, lege *redhibit.* *Dac.* *Redibitur tum.* Redhibitum. *Et.* Ei. *Goth.*

Redivia. *Rediviam.* Verba Titinii mendis non carent. *Ant. Aug.* *Laevius*, non *Livius* legendum. Saepe citatur *Livius* et *Naevius*, cum sit *Laevius*, qui scripsit Erotopaegnia, item poema Io, ex quo est iste Scazon:

Scabra in legendo rediviosave offendens.

Nam ex eodem poemate de Io scribit:

Seseque in alta maria praecipem misit
Inops, et aegra sanitatis Herois.

De hoc Laevio multa diximus ad Ausonium. *Scal.* Turnebus legebat *reluvia.* Sed meminisse eum oportuit, *l* mutari in *d*, quare sic optime Redivia vel Reduvia pro *reluvia* a *reluendo*, quia cutis se circa ungues reluit. Gloss. *reduvia* *παρονυχίς*. Plin. (XXIX, 2.): *Lana succida redivias sanat.* De pelle etiam dicitur cum se flagris resolvit, ut in illo Titinii veteris Comici: *Lassitudo conservûm, reduviae flagri.* Inde *Reduviosus* pro aspero et hiante. Ut in Scazonte isto:

Scabra in legendo rediviosave offendens.

Cuius auctor male apud nostrum citatur. Legendum enim ut optime monuit Scal. Inde etiam *reduvias escarum* dixit Solinus pro cibi reliquiis sive minutiis escarum. *Dac.* *Luere.* Alii perperam *tuere* vel *duere.* Caeterum luere idem esse quod solvere, constat etiam ex verbo *Reluere;* et in l. 8. in f. ff. de re militari, et Cod. de luitione pignoris. *Goth.* *Redivia.* Glossis *Reduvia* *παρονυχίς*; iisdem *παρονυχία*, *Redubia.* *Reluvium.* Redivium. *Idem.*

Redhostire. Attii versus mendosus est; et a Nonio Marcello (pag. 165. Merc.) corruptissime is quoque refertur. *Quid hic redhostit viam cometet obiet facilius. Ant. Aug.* *Naevius in Ludo:*

Ubi Veiens regem salutat: iubeo Albanum Amulium
Comiter senem sapientem: contra redhostit Menalus.

Et Attius Amphitruone:

— Cedo ecquid te redhostit, cum ea seni
Obiectet facilius?

Ennius in Cresphonte:

Audi atque auditis hostimentum adiungito.

Et in Hectoris Lytris:

Quem mea cominus machaera atque hasta hostivit emanu.

Emanu pro *eminus.* Atque ita haec deplorata in integrum fortassis restituta sunt. In versu Naevii idem est ac in Andria: *Iubeo Chremetem. Scal.* *Redhostire.* Par pari referre, nam *hostire* est aequare. Plaut. Asin. Act. II. sc. 2. (109.):

— Quin promitto inquam hostire contra, ut merueris.

Inde *hostimentum*, quod vide suo loco. *Dac.* *Cedo ecquid te redhostitum.* Contaminatissima sunt ista. Neque saniora apud Nonium (pag. 165. Merc.), ubi sic leguntur: *Quid hic redhostit viam? comitem obiet facilius.* Vel: *comitet optet facilius.* Propius ad veterem scripturam, quam legebat Scaliger, si legas:

Cedo ecquid hic redhostit viam? Quo me temptet facilius.

Nam plane gemina sunt Plautinis istis in Amphit. (II, 2, 28. seq.):

— — — Nam quid revortitur
Qui dudum properare aiebat; an ille me tentat sciens?

Eleganter Accius *redhostire viam* dixit *viam iterare.* Nam *redhostire* nihil aliud est quam iterare quod hostitum fuerat. *Idem.* *Nisi coerceo protervitatem.* Hunc Pacuvii versum laudat etiam Nonius (pag. 121. Merc.) in *hostire*, quod interpretatur *comprimere, retundere.* Sed apud illum legitur: *Nisi coercuero protervitatem.* Melius ex utrisque:

Nisi coerceo protervitatem atque hostio ferociam.

Idem. Adde Nonium in Redhostire. *Naevius in lupo.* Naevius vel Novius in Ludo. *Salutat iube.* Salutant iubae. *Milium.* Mulium. *Meassem.* Eassem. V. *Obiectet.* Cum ea se oblectet. *Hostire.* Vide infra Satus dies. *Et in Hectoris lytris quae.* Et in Nectoris lyrisque. *Hospius.* Hostiris. *Goth.* Vide quae supra diximus ad v. *Hostimentum.*

Redantruare. (Ad p. 226.) Pacuvii versus ex Nonio sunt, ex fabula Chryse. *Ant. Aug.* Lege: *Redamptruare dicitur in Saliorum exultationibus, cum praesul amptruavit, quod est motus edidit et referuntur invicem iidem motus. Lucilius:*

Praesul ut amptruat inde et volgu' redamptruat olli.

Pacuvius:

— — promerendae gratia
Simul cum videam Graios nihil mediocriter
Redamptruare opibusque summis persequi.

Sequuti sumus veterem scripturam *amptruare* pro *antruare* ut *temptare* pro *tentare*, *sumptus* pro *sumtus* et similia. Quaedam de *amburvare* olim diximus; sed quae non sint praeferenda huic coniecturae. Nam verum

est a trua dictum *amtruare*, hoc est circumvolvere, ut cum trua, olla, circummovetur. *Scal.* Pro *antruare* dicebant *andruare* et *redandruare.* Nonius (pag. 165. Merc.): *redandruare*, redire: Lucil. lib. IX.: *ut vulgu' redandruet inde.* Pacuvius in Chryse: *Graecos nihil mediocriter Redandruare.* Ubi verba Lucilii paulo aliter quam apud nostrum concepta sunt, ita ut P. Merula propius ad veterem scripturam videatur accedere, qui legit:

Praesul ut amptruet hinc, et vulgu' redamptruet inde.

Praesultorem intellige ut apud Nonium (pag. 503. Merc.) in voce *Ludius: Quod ludis pueri praesules essent, glabri ac depiles propter aetatem quos antiqui Romani Ludios appellabant. Dac. Redantruare.* Ita Nonius, alii *Redampiruare;* alii *Redamptruare. Ut ampiruet.* Ut amburuet; sic vulgu' redandruat idem; vel ita: ut Amptruat; inde et volgu redamptruat olli. *Goth. Redamplavit.* Redandravit. *Pacuvius.* In Chryse. Ita apud Nonium. *Promerenda.* Proaerenda; alii promerendae. *Redantruare.* Redamptruare, alii Redampiruare. *Idem.* Vide quae diximus supra ad v. *Antroare.*

Redivivum. (Ad p. 226.) Cicero in Praetura urbana, qui liber est tertius Verrin. sed primus eorum, quos conscripsit, non vero egit. *Ant. Aug.* De iis proprie dicitur quae post interitum redeunt, sed per metaphoram de aedificiis etiam usurpatur. Ut in illo Ciceronis: *Utrum existimatis* etc. Qui locus est ex lib. III. Verrin. (Act. II, 1, 56.). *Dac.* Glossis *παλίνζωον. Primo.* Tertio Verrinarum, qui primus est de Praetura urbana. *Goth.*

Redarguisse. (Ad p. 227.) Ipsa verba Festi indicant legendum *Redarguesse* (vel *Rederguisse. Dac.*). Lucilii vero Trochaici ita gradiuntur:

Quo facetior videare et scire plus quam caeteri,
Pertisum hominem, non pertesum dicere fortunam, genus.

Quo, inquit, *facetior videare, P. Scipio, dicis, homo pertisus est fortunam, pertisus est genus, non pertesus. Scal. Pertisum.* Vide supra Pertisum. *Ferunt.* Ferum. *Goth.*

Redimiculum. Καθετήρ, ἀνάδεσμος. Gloss. *Scal.* Gloss. *redimicula, ἀναδέσματα, καθετῆρες.* Ovid. (Met. X, 265.):

Aure leves baccae, redimicula pectore pendent.

Dac. Unde Glossis *Redimiculat ἀναλύει δέσματα* corrupte pro *Redimicula, ἀναδέσματα*, vel ut infra exponit, *ἀναδέματα*, quemadmodum in l. 26. in f. ff. de auro. Anademata dicuntur, quibus vinciuntur mitrae; unde et vittae in l. 25. §. 10. ff. de auro; ac proinde *Catellam* hic vocari a mulieribus refert Festus. Est enim Catella deminutivum a catena, teste Nonio (pag. 199. Merc.) in *Catellae. Goth.*

Reus. Sed exemplo adiuvat interpretationem Numa in secunda tabula, secunda lege, in qua scriptum: SEI. QUID. HORUM. FUAT. UNUM. IUDICEI. ARBITROVE. REOVE. DIES. DIFFUNSUS. ESTO. Nunc uterque actor reusque in iudicium evocatur: itemque accusator de via citur more vetere, et consuetudine antiqua. Scal. Reus nunc dicitur qui causam dicit. Reus nunc dicitur is, qui rem promisit ac debet, hoc est, unde quid iudicio petitur, inde reus stipulando et stipulandi dicitur qui stipulatus est. Reus promittendo et promittendi, qui promisit. Reus debendi, qui debet, etc. *Dac. Reus est, qui cum altero l. con.* Hoc est omnis litigator. Cic. 11. de Orat. (c. 79.): *Reos appello non eos modo qui arguuntur, sed omnes quorum de re disceptatur. Sic enim olim loquebantur. Idem. Quippe suo nomine* etc. Legerem: *Quippe suo nomine ab altero quid stipulatus est. Idem. Sed exemplo adiuvat.* Verba legis *si quid horum* ad exceptiones, quae reo vel iudici dabantur, pertinent, ut est *morbus sonticus, funus familiare*, etc. Si iudex vel alteruter ex litigatoribus morbo sontico impediebatur, lex iubebat diem iudicii esse diffisum, hoc est prolatum et in diem alterum reiectum. *Idem. Reus.* Id verbum passim in iure. Et specialiter Titul. de duobus reis; adde Ciceronem lib. de Oratore (l. c.). *Goth. Reus stipulando.* Qui et reus stipulandi in l. 1. ff. de duobus reis. *Idem. Reus promittendo.* Qui et reus promittendi in l. 1. ff. de duobus reis. *Idem. Quid horum* etc. Quid horum fuit vitium arbitrove reove dies distensus; vel diffunsus esto; vel diffusus est. Vide l. 2. §. 3. ff. si quis cautionibus. *Idem. Actor reusque.* Actorum reique. *Me.* Reus. *Idem.*

Rivus. (Ad p. 227.) Correxit olim doctissimus Turnebus: *specu inciliove. Scal.* Id sequentia probant. *Rivus* autem a *ῥέω*, fluo. *Dac.* Vide l. 1. §. 2. ff. de rivis. *Sive super terram fossa, sive subter specu.* Specus et fossa hic opponuntur, ut et per specum ducere et per apertum in l. 3. ff. de rivis. *Super.* Subter. *Goth.*

Repanda. Retanda. Gell. lib. XI. c. 17. refert in edicto veteri cuiusdam Praetoris scriptum fuisse: *Qui flumina retanda publice redempta habent: si quis eorum ad me eductus fuerit, qui dicatur, quod eum ex lege locationis facere oportuerit, non fecisse.* Et apud Csium lib. VII. de origine vocabulorum: *retas vocari arbores, quae aut ex ripis fluminum eminerent, aut in alveis eorum extarent, appellatasque esse a retibus, quod*

praetereuntes naves impedirent et quasi irretirent. Idcirco sese arbitrari retanda flumina locari solita esse; id est, purganda, ne quid aut morae aut periculi navibus in ea virgulta incidentibus fieret. *Ant. Aug.* Ita hunc locum et ego olim suppleveram ex Gellio lib. XI. c. 17. Inde Isidorus (in Glossis): *Retanda, purganda.* *Dac.* *Repanda.* Retanda. Hinc *flumina Retanda, arbores Retae*, Gell. XI, 17. *Pompina.* Pomptina. *Goth.*

Ritus. Vide *mos.* *Dac.* *Ritus est mos.* Quae sequuntur plane deplorata sunt, neque ad idem caput pertinere videntur. *Idem.* *In sacrificiis.* Facit Nonius (pag. 494. Merc.) in *Rituis.* *Goth.*

Retractare. Horat. (Od. II, 1, 37.): *Sed ne relictis Musa procax Iocis Ceae retractes munera neniae.* *Dac.* . . . . . *re.* Forsan: *Retractare est rursus tractare, iterum commemorare.* *Idem.*

Rabidus. Catullus in Atti: *Abit in quiete molli rabidi furor animi.* Credo Festum legisse: rabidus furor animi. *Ant. Aug.* *A rabie.* Ut et *Rabere* apud Nonium (pag. 40. Merc.). *Goth.*

Ravi. Plautus in Epidico (V, 1, 14.): *Sed quis est haec muliercula et ille ravistellus qui venit?* Vide *Gravastellus*, et inconstantiam Festi nota. *Ant. Aug.* Nota hic homines ravi coloris pessimos omnium esse existimatos. Sic enim et apud nos vulgo audiunt. *Dac.* Adde Nonium (pag. 164. Merc.) in *Ravum*, fulvum. *Goth.* Vide quae diximus supra ad v. *Gravastellus.* Videtur apud Festum h. l. legendum esse in loco Plautino *ravastellus*, quare evanescit suspicio inconstantiae.

Rates. Rates vocant tigna colligata, quae per aquam aguntur; quo vocabulo interdum etiam naves significantur. Afranius in Epistula: Vento perculsam ratem. Item eo nomine significarunt etiam remos. Attius in Neoptolemo: Atque ego repercutio ratibus mare; et alio loco: Sed iam propellunt rates salum. Recte remos rates ait appellatos propter similitudinem. Nam remi super aquam sublati a remigibus eam speciem referunt. Propterea et *ταρσοί* a Graecis non solum rates seu *σχεδίαι*, sed et remi ipsi dicuntur. Glossae: *Ratis, ταρσός.* Idem proprie innuere videtur Varro libro sexto (lib. VII. pag. 309. Sp.) ad Ciceronem de Latino sermone; sed cum locus non solum corruptus sed mancus sit, ut olim indicavimus, ita et restituemus et supplebimus ex fragmentis Servianis (pag. 175. Dan.), quae sunt penes Danielem nostrum. *Ratis dicta navis longa propter remos; quod hi supra aquam sublati dextra et sinistra duas rates efficere videntur. Rates enim ubi plures mali vel trabes sunt iuncti, aqua ducuntur; hinc naviculae cum remis ratianiae dicuntur.* Ita Servius, quae lectio prope manu nos ducit ad verba Festi interpretanda. Suspicor in verbis Varronis *Ratianias* accipiendum esse pro illis, quas Gellius *Ratiarias* vocat. Sic enim pedarium et pedaneum; extrarium et extraneum: et similia utroque modo dicebant, ut alibi docuimus. Ita ut idem quoque sit Ratianiae et Ratiariae. *Scal.* Rates proprie quas vulgo dicimus *des traineaux*, sed recte remos rates ait appellatos propter similitudinem. Idem prope innuere videtur Varro lib. IV. de L. L. (VII. pag. 309. Sp.), prout eius locum sic refert Servius I. Aeneid. (pag. 175. Dan.): *Varro ad Ciceronem ratis dicta navis longa propter remos.* Cett. Rates autem et naves dictas pueris notum est. Ponam tamen locum Martialis, quia eget emendatione; is est ex Ep. 66. lib. IV.:

Nec mersa est pelago nec fluit ulla ratis.

Lege certissima emendatione:

Nec mersa est pelago nec fluvio ulla ratis.

Dac. *Vocant ligna.* Fortasse idem quod Ratariae Gellii X. cap. 25. in fin. *Goth.*

Radere. Cicero lib. II. (25, 59.) de Legibus refert in duodecim tabulis scriptum fuisse: *Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento.* Idem lib. II. (23, 55.) Tuscul.: *Eiulatus ne mulieri quidem concessus est; et hic nimirum est fletus, quem duodecim tabulae in funeribus adhiberi vetuerunt.* Ex his verbis apparet Festum hic interpretari, quid sit radere genas in lege XII. tab. id est, unguibus genas ferire et cruentare. *Ant. Aug.* Quamvis vetitum esset lege XII. Tab., tamen fiebat etiam temporibus Varronis. Servius in schedis: *Varro dicit mulieres in exequiis et luctu ideo solitas ora lacerare, ut sanguine ostenso inferis satisfaciant.* *Scal.* Tibull. Eleg. I, 1, (81.):

Tu manes ne laede meos, sed parce solutis
Crinibus et teneris, Delia, parce genis.

Plin. cap. 37. lib. XI. (§. 57.): *Infra oculos malae homini tantum, quas prisci genas vocabant XII. tabularum interdicto radi a foeminis eas vetante.* Genas Graeci *παρειάς*. Quas in luctu lacerabant. Artemidor. cap. 30. lib. I.: *Καὶ γὰρ ἐν τοῖς πένθεσι λωβῶνται τὰς παρειὰς οἱ ἄνθρωποι.* *Dac.* Dixi ad leges XII. Tab. *Goth.*

Rabula. Invenio in Glossis *Rabicula δημαγωγός*; nescio an bene. *Scal.* Vel a *radendo* quasi *radula*, vel a *rabie.* Infra tamen a *rava voce*, hoc est *rauca*, Festus deduxit, sed multo melius a *rabie.* Quod et apud Nonium legas duobus locis (pag. 26. Merc.): *Rabulae, litigosi, a rabie dicti.* Item (pag. 60. Merc.):

Rabula a rabie dictus est, quem nunc advocatum vel caussarum patronum dicimus. Nisi dicas cum Vossio esse a ῥάζω, *latro.* Ut a φάω vel φάζω *fabula*, sic a ῥάζω *rabula.* Nam verius rabulam latrare dixeris quam loqui, quare et eorum facundia canina etiam dicta. *Dac.* Vide Nonium in *Rabula* et in *Rabulae* et infra in *Rava.* Sunt qui legant Rabicula. *Intus.* Inventus. *Goth.*

Rodusculana. Vid. Varro lib. IV. Lat. (V. pag. 163. seq. Sp.) qui *Raudusculam* appellat a *raudo*, id est *aere.* Vide *Rodus.* Rudusculana scriptum est in marmore quodam Capitolino. *Ant. Aug.* Varro lib. VI. de L. L. (l. c.): *Sequitur porta Naevia quod in nemoribus Naeviis; Naevius enim loca ubi ea sic dicta, coluit. Deinde porta rauduscula, quod aerata fuit, aes raudus dictum. Ex eo in veteribus mancupiis scriptum, rauduscula libram ferito.* Qui Varronis locus satis eos refellit, qui portam raudusculam eandem et Naeviam dictam fuisse scriptum reliquere. Sic aperte distinguit P. Victor in descriptione urbis in II. reg. vicus portae rodusculanae, vicus portae Naeviae. Porro Raudusculanam portam aeratam fuisse testatur Val. Maximus lib. V. cap. 6. *Dac.* Alii *Raudusculana.* Vide Varronem IV. de lingua (l. c.). *Raudo.* Vide supra *Rodus.* *Goth.*

Rasores. Huc referri potest verbum *Rasitavisse*, quod apud Gellium est III. c. 4. et *Rasorius* Glossis ξυστήρ, qui et alibi *Ralla*, *Rallum*, *Rallus.* *Goth.*

Ratitum. In Festi verbis multa egent interpretatione. De Tarquinio et Oppio nihil habeo quod scribam. De Antonio possum referre, quod Plinius ait lib. XXXIII. cap. 9.: *Miscuit Antonius Triumvir ferrum argenteo denario, miscuit aeri falsae monetae.* Vid. idem Plin. cap. 3. eiusdem libri. *Ant. Aug.* Infra (pag. 228.): *Ratitum quadrantem signavit Tarquinius Rex. quem . . . . . . et Opilius Aurelius dictum putant, quod in eo et triente ratis fuerit effigies, ut navis in asse, unde Lucilius quadrantem quoque ratitum vocat, cum ait: — quadranti' ratiti. Antonius ratitos dici trientes putat, quod ratis appellatio tertiae partis assis sit, quinae aut alius partis nulla sit, sed secundum numerum, ut Sextans. nec hac re ratem dici nisi de terna. ac legibus Numae unam ratem trientem significat, quod hi penderentur, cum ratio cum his putaretur, quibus solvendi essent.* Plinius ait signatum aes primum a Servio rege, hoc est assem; unde classes ex censu assium ab eodem definitae. Post illum videtur Tarquinius Superbus aeris portiones signavisse, trientes et quadrantes, quantum ex hoc loco coniicere possumus. Nam antea eadem aeris non signati aestimatio, ut post signati idem pondus; unde in legibus Numae ratem id valuisse nondum signato aere idem quod postea signato, hoc est tertiam partem aeris. Locum Lucilii, quem non dubium est hic citari a Festo, supplevimus ex Varrone. Antonius est nobilis Grammaticus praeceptor Ciceronis, cognomine Cnipho, quod Graecum est κνίπων, non enim intelligitur de illo Antonio, qui miscuit ferrum argenteo denario, quod video placuisse doctissimis viris; nisi pro Antonius malimus Artorius, quod valde placet. Praeclara est et docta illius viri opinio, apud veteres etiam nondum signato aere ratem significasse tertiam portionem aeris; unde in legibus Numae quod scriptum erat *UNAM PARTEM*, id significabat unum trientem: quod scilicet trientibus ratio putaretur et trientes solverentur, quibus solvenda res erat. Insignis sane hic est locus, quem si, ut alios, non iisdem Festi verbis reddidimus, at id sensisse auctorem nemo est qui, si paullo mentis oculos adiiciat, clare ac perspicue id cernere non possit. *Scal.* Optime Scaliger pro *Oppius Aurelius* legebat Opilius Aurelius. Sed male idem pro *Tarquitius* Tarquinium regem substituebat; nam hic aperte *Tarquitium grammaticum* nominari fidem faciunt schedae. Quod autem de quadrante ratito ex Tarquitio et Aurelio Festus refert, id omnino firmatur ex Plin. lib. XXXIII. cap. 3.: *Nota aeris, hoc est, assis, fuit ex altera parte Ianus geminus: ex altera rostrum navis, in triente vero et quadrante rates.* Quamquam Varro lib. IV. de L. L. (V. pag. 15. Sp.) quadrantem ratitum dictum tradidit, quod iis solveretur qui ratibus transibant. *Dac.* Dixi ad Varr. IV. de lingua (l. c.). *Goth.*

Ravim. Plaut. in Aulul. (II, 5, 10.):

Ubi si quid poscamus, ad ravim poscamus prius,
Quam quidquam detur.

Ille etiam versus refertur, de quo verbo *Rava.* Citatur idem in Artemone et Caecilius in Hypobolimaeo. *Ant. Aug.* Glossae: *Ravis*, κόρυζα. Isidorus: *Ravit*, rauce loquitur. Lucillius:

Rausuro Tragicus qui carmine perdit Oreste.

Scal. Lege infra: *Item: expurgabo hercle omnia ad raucam ravim.* Est enim idem locus Plauti, quem in *Ravam vocem.* In versu Caecilii:

Prius ad ravim procaris quam me placentem feceris.

Dac. *Ravim dicebant. Ravis*, raucitas, *ravio*, rauce loquor. Plautus (Poen. III, 5, 33.):

Nego et negando, si quid refert, ravio.

Ubi male alii *annuo*. *Idem*. *Experiuravi*. Expurgavi. Adde Nonium (pag. 164. Merc.) in *Ravis*. *Ravis*. Ravius; alii *Ravit*, Rauce loquitur et *Rausurus*. *Goth*.

Ratus sum. A *reor*, puto, existimo. Item *ratus*, certus, unde *ratissima*, quod vide. *Dac*. *Occiduntur ubi*. Legebat Scalig.:

Occiduntur ibei, potitur ratu' Romulus praedam.

Sed melius in fragmentis, quae ab Gul. Fornerio:

Occiduntur ibus potitur ratu' Romulu' praedam.

Sequebatur: *Dispertit* . . . . *Dac*. Glossis λογιζάμενος. *Goth*.

R duobus. (Ad p. 228.) *R. R.* actuum solennis apud veteres nota qua *rationes relatas* significabant. Infra pro *de actis disseritur etiam* vetus cod. *de actis disserti cuius etiam*. Unde viri docti: *de actis disseritur cuiuspiam*. Forte legendum: *de actis queispiam*. *Dac*. *Disseritur etiam*. Dissecti cuius etiam; alii disseritur cuiuspiam. *Goth*.

Raviliae. *Ravillae*. Turnebus legit: *quemadmodum a colore fusco Sullae*. Si nobis liceret, quotiescunque libet, omnia mutare, delere, pervertere, nemo esset, qui doctus eo nomine dici non posset. Quam enim haec diversa sunt a vulgata scriptura? Et tamen cur offenditur, quae planissima est? Deinde vide quantum periclitaturus erat de existimatione sua, nisi aequiores lectores nactus esset, qui verba Plutarchi omnino contra se adduxit. Plutarchus (vit. Sullae, c. 2.) ait dictum διὰ τὸ ἐρύθημα τραχὺ καὶ σποράδην ἀναμεμιγμένον τῇ λευκότητι. At in Festo ipse legit Sullas a fusco colore dictos. Quid? fuscus color idem est cum eo, qui ex rubro et albo mistus est? Dolet mihi magno viro imprudenti hoc excidisse. Praeterea, non primo Sullae cognomen hoc datum, erat enim eius familiae. At nos vulgatam lectionem, quia nihil mendi in se habet, sartam tectam in suo loco tueamur. Ravillae autem, non Raviliae legendum, quod cognomen fuit L. Cassio Longino, qui cum Cn. Servilio Caepione Censor fuit anno V. C. DXXVII. *Scal*. *Ravallae;* alii Ravillae. *Goth*.

Ratumena. Lege: *in conspectum quadrigarum*. Festo non convenit cum Plutarcho (c. 13.) in Poblicola. Plutarchus postea redditas quadrigas fictiles ait. Festus antequam haec acciderent, bello repetitas. *Scal*. Ratumenna auriga fuit, qui cum in ludis Circensibus excussus fuisset, equi eius cum corona et palma in Capitolium pervenerunt, sedemque ter lustrarunt. Ex quo factum est, ut porta per quam intraverant, Ratumena diceretur. Solin. cap. 45.: *Excusso quoque auriga quem Ratumenam nominabant, relicto certamine ad Capitolium quadriga prosiluit nec ante substitit, quamlibet obviis excursionibus impedita, quam Tarpeium Iovem terna dextratione lustraret*. Sed non video cur Solinus praetermiserit, quod in miraculo praecipuum, nempe ludicrum illud certamen Veiis actum fuisse, unde excusso auriga, qui postea Romae periit, recta ad Capitolium quadriga pervenit. Sane illud non praetermisit Plinius: *Maius augurium apud priscos*, inquit, *plebis Circensibus excusso auriga in Capitolium cucurrisse equos aedemque ter lustrasse*. Deinde addit: *Maximum vero eodem pervenisse a Veiis cum palma et corona effuso Ratumenna qui ibi vicerat*. Ratumena porta eadem aliis nominibus *Carmentalis*, *Torpeia*, *Scelerata* et *Veientana* dicta. *Dac*. *Conspectamque fictilium quadrigarum*. Lege *conspectumque fictilium quadrigarum*. Harum quadrigarum fictilium meminit Plin. lib. XXVIII. c. 11. *Idem*. *Quia in fornace adeo creverant*. Idem narrat Plin. ibidem. In ostentis autem et somniis omnia maiora et auctiora videre laetum ac prosperum iudicant aruspices et oneirocritae. E contra triste ostentum est, si qua res solito minor et tenuatior defectiorque apparet. Sic Perdiccae uni ex Temenidis quum apud regem Macedoniae ovibus pascendis operam suam locasset, panis qui eius nomine coquebatur, in furno duplo maior factus, regnum Macedoniae attulit. E contra, *Praenestinae sortes extenuatae* apud Liv. pro malo ostento habitae sunt, Liv. lib. XXII, 1. et lib. XXI, 62. Idem de somniis iudicium apud veteres interpretes. Membrum aliquod aut aliud quodcumque per quietem solito maius et auctius visum laeta significat: contractum et emaciatum contraria. Eodem pertinent septem opimae vaccae et septem macie defectae, quas e flumine ascendentes vidit rex Aegyptius. Vide Artemidorum et alios scriptores oneirocriticon. Salmasius in exercitt. Plin. *Dac*. *Etrusci*. Clarusci. *Veiis consternatis*. Vebis consternatis. *Veienti*. Vegenti. *Goth*.

Reciperatio. Reciperatores, vel ut dixere postea, recuperatores primum dicti sunt, qui inter pop. Romanum et civitates peregrinas de rebus privatis reddendis recipiendisque cognoscebant. Et inde recuperatores dicti sunt iudices qui a Praetore in privatis controversiis, quacumque de re ageretur, dari consueverant. Plaut. Bacchid. Act. II. sc. 3, (96.):

Postquam praetor recuperatores dedit.

Nunc vero ii recuperatores *iudices delegati* dicti sunt. *Dac.* Ea plerumque fiebat post res solenniter repetitas a fetialibus. *Goth.*

Reciprocare. Verba Pacuvii sunt mendosa. *Ant. Aug.* Ex l. m. post verbum *poscere* addendum: *usi sunt antiqui, quia procare est poscere. Urs.* Contaminatissima sunt ista, neque χθὲς καὶ πρώην labes istae huic loco insederunt. Video enim et Paulum illas adbreviatorem in suam epitomen contulisse; monstrum hominis, qui quod non intelligebat, reliquerit: quod facile ac vulgo notum erat, id omne, tanquam inutiles ramos reciderit. Igitur videamus, an ita scripserit Festus: *Pacuvius Teucro: Rapio, reciproco — pedem cito aut ultro citro restem. Reciprocare, sursum deque gremiis subiectare, ac adfligere.* Nam sane in versu Plauti reciprocare nihil aliud quam susque deque, gremio erecto aut depresso, gestum ita componere, ut tolleno, aut pilum Graecum videatur. Igitur illud Pacuvii *Reciproco* Festus exponit: *ultro citroque restitans pedem cito.* Fortasse continuandus versus Pacuvii: — *Rapio, reciproco, pedem cito, ut ultro citro restem.* Vide Varronem, qui citat versus Accii: *Tendens nervo Tela reciproca condita equino.* Sunt autem ex Philoctete Attii, auctore Servio in fragmentis. *Scal.* *Reprocare* inserta syllaba *ci*, *reciprocare*, ut *incitega* pro iutega. Varr. lib. VI. de L. L. (VII. p. 358. Sp.): *Reciproca est, cum unde quid profectum, redit eo. Quod ab recipere Reciprocare fictum, aut quod poscere procare dictum. Dac. Pro ultro citroque poscere;* et apud Nonium (pag. 165. Merc.) pro Recipere. *Goth.*

Recellere. Cello, quod a Graeco κέλλω, κινῶ, moveo; unde *recello*, retro moveo vel moveor. Reclino. Lucret. lib. VI, (572.):

— *Inclinatur enim retroque recellit*
Et recipit prolapsa suas se in pondere sedes.

Apuleius (pag. 249. ed. Elmenh.): *Nates recellere;* eodem usus et Livius. *Excellere* autem in altum extollere. Cato: *Plerisque solet animus in rebus secundis excellere.* Subaudi *se.* A *recellere* deductum nostrum *reculer. Dac.*

Recinium. Omne vestimentum quadratum, inquit Festus. Hoc est: vestimentum commune viris feminisque, quod firmatur ex Servio lib. I, (286. pag. 195. ed. Dan.) Aeneid.: *Togas*, inquit, *etiam feminas habuisse Cycladum et recinii usus ostendit.* At in leg. XII. Tabul. *Recinium* est virilis toga, qua mulieres utebantur, in luctu scilicet, contra quam Lycii, qui in luctu vestem muliebrem induebant. Verba legis XII. Tabul. haec sunt, ubi de sumtibus funerum: *SUMTUM MINUITO. TRIA SI VOLET REICINIA, ET VINCULA PURPURAE ET DECEM TIBICINES ADHIBETO*, Hoc *PLUS NE FACITO.* Ubi *REICINIA ET VINCULA PURPURAE* nil aliud sunt, quam *reicinia praetexta clavis purpureis*, quod recte apud Festum: *Togam virilem praetextam clavo purpureo.* Ideo autem recinia virilia in luctu mulieres induebant, ut ea viris mortuis, ut mos erat, iniicerent. Sic apud Virg. in Miseno (Aen. VI, 221.):

Purpureasque super vestes, velamina nota
Iniiciunt.

Sic itaque hic Pompeii locus sanus est. Extitere tamen, qui eum ita legendo corrumperent: *Recinium omne vestimentum quadratum ii qui duodecim interpretati sunt, esse dixerunt. Ver.* (hoc est *Verrius*) *togam, qua mulieres*, etc. Vel sic: — *esse dixerunt vel virilem togam.* A rica autem *ricinium*; et *i* in *e*: *recinium*; non vero a *reiciendo*, ut Varro et Servius rati sunt. Vide *Rica. Dac.* Alii Ricinium. Glossis *Ricinus*, κρότων. Nonio (pag. 542. Merc.) *Ricinium* (quod postea Masurtium dictum esse ait) et *Ricinum. Qui XII. interpretati sunt.* Dixi ad leges XII. Tabul. *Virilem togam, qua.* Alii V, irtogam; alii Vertogam qua, ut Ver Verrium significet. *Praetextam.* Praetextum. *Clavo purpureo.* Fiebant etiam clavi ex purpura. L. 19. §. simili modo 5. ff. de auro, argento. *Goth.*

Reconductae. (Ad p. 229.) Malim *reconderit, refecerit. Ant. Aug.* Lego: *Reconduit, refecerit;* et certum est, ita esse. Reconduit, aut reconduat, ut creduit et creduat. *Scal.*

Ricae. Ricae et *Riculae.* Turpilius apud Nonium (pag. 542. Merc.) in Ricinum: Interea adspexit virginem gestantem in capite riculam. *Ut.* Vel. *Goth.*

Rectae. Vide *Regillis. Ant. Aug.* Vide *Regillis.* Plinius de Caia Caecilia: *Ea primum texuit rectam tunicam; quales cum toga pura induuntur, novaeque nuptae.* Recta tunica describitur in Evangelio: χιτὼν ἄῤῥαφος ἐκ τοῦ ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου. Graeci scriptores ὀρθοστάδιον χιτῶνα vocant. *Scal.* Diminutivum *Regillae;* his indutae virgines, illis viri pridie nuptiarum diem cubitum ibant ominis caussa. Rectae autem, quod a stantibus et in altitudinem texantur, ut ait Festus. Isidorus, quod sursum versum texantur. Nam *sursum versum texere* et *in altitudinem texere*, idem est; Graeci dicunt ἄνω ὑφαίνειν. Et haec vetus fuit texturae ratio, qua stantes texebant, et omnibus gentibus usitata praeterquam Aegyptiis qui deorsum versum

texebant. Herodot. lib. II. (c. 35.): ὑφαίνουσιν οἱ μὲν ἄλλοι ἄνω τὴν Κρόκην ὠθέοντες, Αἰγύπτιοι δὲ κάτω. Apud ceteras gentes cum trama vel fila infra essent, in superioribus texebatur vestimentum, et sic trama semper pectine ad superiorem partem ducebatur et trudebatur, atque id sursum versus texere vel in altitudinem vocabant. Contrario modo Aegyptii, ex superioribus, ubi erant fila, vel licia ad inferiora procedebant, ubi vestimentum vel tela, quae texebatur, inerat. Sed de arte textoria vide doctissimi Salmasii librum de re vestiaria, et eius notas ad Vopiscum. Nam ita rem omnem explicuit, ut nihil supra addi possit. *Dac.* Vide *Regillum.* *Goth.*

Remancipatum. (Ad p. 229.) Remancipare dicitur is, qui rem sibi mancipatam iterum mancipat, ita, ut prior eam redhibeat. Inde eleganter Gloss.: *Emancipat*, ἀντιπαραχωρεῖ, ἀντιπαραγράφει, *Remancipo*, ἀποκαθιστῶ. *Dac.*

Rienes. Vide *Nefrendes.* *Ant. Aug.* Glossae: *Rienosus*, νεφριτικός. *Scal.* Inde Renitrosus et Rienosus. *Nefrundines.* Vide supra Nefrundines. *Goth.*

Refriva. Locus male mendosus (*ut domum datantes tevirtico*), cui quid substituam non habeo. *Ant. Aug.* *Refriva faba dicitur, ut ait Cincius, quae ad sacrificium referri solet domum ex segete, auspicii caussa, quasi revocet fruges domum; data enim est et tritico ad rem divinam faciendam.* Non solum, inquit, data est faba refriva suo generi, sed et reliquis frugibus, et tritico. Plinius: *Fabam utique e frugibus referre mos est auspicii caussa, quae ideo Refriva appellatur.* Pliniani libri habent *refrinam* male per *n*, non per *u*. *Referivus*, *referititius; conditivus*, *condititius*, et similia. Haec autem res divina fiebat Kalendis Iuniis, unde dictae sunt Kalendae fabariae, quia hoc mense adultae fabae divinis rebus adhiberentur. Auctor Macrobius (lib. I, 12.). Eodemque die pulte fabaria, et larido Carneae deae res divina fiebat. Neque aliud intelligitur in fine horum Festi verborum, cum *puls fabata diis datur*, etc. *Scal.* Refriva fabra. *Ut ait.* Via. *Revocent.* Revocant. *Refriva.* Refrivam. *Quae.* Quam. *Goth.*

Remeare. Afranii Octonarius, ut ait Faernus noster, non patitur verbum *ludum*, ideo scribendum esse *locum*, vel tale aliquod verbum. *Ant. Aug.* Versus Afranii indiget emendatione:

Vetuit me sine mercede prosum Paccius
Remeare in ludum.

Scal. Virg. (Aen.) II, (95.):

Si patrios unquam remeassem victor ad Argos.

Commeare, ire et redire. Unde Commeatus dicitur spatium quod commeandi, id est eundi et redeundi militibus, privati negotii gerendi caussa conceditur. *Dac.* Adde Remant. *Commeatus dari dicitur.* Ita commeatus accipitur in l. 2. in f. ff. ad municip. l. 1. et l. 3. §. 7.; l. 14. ff. de re militari, et l. 1. Cod. de commeatu. *Possit.* Quis possit. *Redireque.* Redire cum. *Goth.*

Remeligines. Versus Plauti, ni fallor, est in Casina mendose editus: *Nam quid illaec nunc tamdiu intus remoratur quasi ob industriam.* Afranii autem versus mendosus est. *Ant. Aug.* Vel *remeligines* et *remorae* non sunt eiusdem originis, vel legendum: *remoragines*, ut Lambino placuit. Quod si vera lectio sit *remeligines*, verum erit, quod sensit Scal., esse ab antiquo *remello*, quod est *retardo;* nam et *promello*, hoc est *procrastino*, dicebant veteres, ut suo loco dictum est. Remeligo autem et remora dicitur quodcumque remoratur, unde piscis, qui navem retardat, remeligo et remora dictus est, ut Graecis ἐχενηΐς, ab ἔχειν, *retinere*, et νηΰς *navis.* Versus Plauti est e Casin. Act. IV. sc. 3, (7.):

— — — *Nam quid illae*
Tam diu intus remorantur remeligines.

Dac. *Remeligines.* Remeligens. *Patina.* Casina. *Diu intus.* Divinitus. *Goth.*

Remurinus ager. Remurinum hunc agrum, et Remurium diversum facit a Remuria quae in summo Aventino. Sane Dionys. Halicarn. (I. c. 58. p. 73.) Remoriam quandam ponit vigesimo ab urbe stadio, ad Tiberim. Remuria iuxta Romam Stephano. Sed verisimilius est, Remurinum agrum circa Aventinum fuisse, et Remuriam, locum munitum, in summo monte. Nam cum Remus et Romulus de condenda urbe contenderent, uterque sibi locum munivit, hic in palatio, ille in Aventino. Romulus locum suum *Romam quadratam* dixit, suum Remus *Remuriam* vocavit. Vide *Roma quadrata.* Quod addit in fine Festus Remuriam *Remorum* alias fuisse vocatam, nescio cuius auctoritate ad id probandum utebantur. Addiderat forsan Festus locum illum post Remi mortem aliquando *Remorum* dictum fuisse, quod ibi auspicia Remum remorata fuerant. *Dac.*

Remores. Ad remores aves respexisse videtur Plautus, cum scripsit: *An auspicium aliquod remoratum est? Dac. Remores aves.* Remorae aves. *Goth.*

Rimari. Vide Nonium (p. 382. Merc.). Glossarium: *Dirimat*, κατερευνᾷ. *Rimatur*, ἐρευνᾷ. *Scal.* Rima est a ῥῆγμα, fissura, inde *rimari*, in rimis quaerere, proprie de suibus, qui glandes rimantur de rimis terrarum. Unde et sumitur pro *pasci. Rimari, quaerere.* Haec ad desperationem mutila sunt in versu Ennii: — *rimantur utrique.* Et de Hispanis forsan loquebatur Ennius, qui a Catone in fugam versi latebras et specus rimabantur. Nam et continuo sequebatur apud Ennium: *Alte elata specus petrisque ingentibu' tecta. Dac.*

Remillum. A Remo, *remillum*, repandum instar remi, qui reflexus videtur in aqua. Periere, quae infra e Lucilio et Afranio Festus laudabat. Et nil iuvant Schedae. *Dac.*

Remorbescat. Iterum morbescat. Glossar.: *remorbesco*, ἀνανοσέω. *Dac.*

Refutare. In Festi verbis erat Pacuvii exemplum; et quod *A* in *U* verteretur, ostendebatur, cum a claudo recludere sit compositum. Sed hic *A* tollitur, non mutatur, vel non sola mutatur, sed *AU* in *U* longum vertitur. *Ant. Aug.* Citabat exemplum Pacuvii in Hermiona. Addebat, in Refutare *A* in *U* mutatum, dictum enim esse a fando; proinde ac in *cludo A* in *U* mutatum est. Sed ista sunt Grammatica itaque inepta. Primum obliviscitur simplex esse *Futare* supra dictum a Catone. Deinde ignorat esse deductum ab ollis, quae cum ferventes paullo plus exuberant, solent futo vase ad hoc apto inversa aqua compesci, quod dicitur futare et confutare ollam. Titinius Setina:

Coquos ahenum, quando fervit, paulla confutat trua.

De futo vase et supra diximus, et Varro meminit, et nos ad Varronem quaedam olim. *Scal.* Vide supra *Futare. Goth. Futare* nihil est, nisi frequentativum a *fundere.*

Renanciscitur. Melius *Renancitur*, ut in MSS. Pauli scriptum testatur Voss. *Renancitur* a *renancior* ut in XII. Tab. *nancitor.* Quod vide suo loco. *Dac. Reprehendit.* Deprehendit. *Nanciscitur.* Adde supra *Nancitor. Goth.*

Reor. Reor, inquit Festus, significat existimo, et omnia, quae ab eo declinantur, ut *rebar, ratus sum*, etc. Quorum passiva est auctoritas. Ubi, quam nos *terminationem* dicimus, Festus *auctoritatem* vocat. *Dac.*

Remulco. Non satis exponit, quid sit *remulcus;* neque enim ita dicitur a remis scaphae, sed a ῥῦμα, sive ῥυμός, *remus*, quod est *lorum*, unde et *remus* tubae lorum dicitur, ῥυμουλκεῖν, fune trahere, de scapha, quae grandiorem navim fune trahit, quae navis remulco trahi dicitur. Isidor. lib. XIX. cap. 4.: *Remulcum, funis, qua deligata navis trahitur vice remi.* Caes. Bell. Civ. III, (40.): *Ad Oricum venit, submersamque navim remulco multisque contendens funibus reduxit.* Ita Livius non semel, et C. Valgius antiquus poëta:

Hic mea me longo succedens prora remulco
Laetantem gratis sistit in hospitiis.

Ῥυμουλκεῖν. Latini dixere *remulcare. Dac. Remulco;* unde Remulcare Nonio (pag. 57. Merc.). Adde supra *Promulco. Goth.*

Rigidum. Proprie durum, quod curvari non potest, et inde pro frigido, quod quae gelu tentantur rigida sunt. Gloss.: *Rigidum*, ἀκαμπές, σκληρόν, ἰσχυρόν, στρυφνὸν καὶ ψυχρόν. Hic forte laudabat Festus aliquem, qui dixerat *rigido ferro*, ut Virgilius dixit *rigido ense*, forte et adduxerat locum Virgilii (Aen. XII, 304.): *Sic rigido latus ense ferit.* Item alterum ubi: *Tum ferri rigor*, pro *rigido ferro. Dac. Frigidum et post durum.* Idem Nonius (pag. 380. Merc.) in *Rigidum. Goth.*

Regifugium. VI. Kal. Mart. Regifugium fuisse ex fastis ex Ovidio lib. II. Fast. (685. seqq.) constat. Macrobius tamen lib. I. Satur. (c. 12.) refert quosdam existimasse, Iunium mensem dici, quod M. Iunius Brutus exactis regibus Carnae deae sacrum in Coelio monte fecisset. Cetera verba Festi non assequimur, praeter ea, quae Paulus notat. In Fastis autem hic dies est totus nefastus. Videntur etiam nonnulla hic ad alia verba pertinere. *Ant. Aug.* Agebatur de Regifugio, quod VI. Kal. Martias in Fastis notatum erat, usque ad illa . . . . *truria.* Mox aliud caput: *Regifugium dies Kal. Iuniis in Fastis et notari et legi debet cum NP, quod ille dies sit e nefasto fastus.* Ex quibus apparet, Festo aut Verrio displicuisse vulgatam lectionem Fastorum, quae plane non per NP, sed per N, quasi totus nefastus sit, hunc diem conciperet, et Kalendarium marmoreum ita habet per N, non per NP. *Scal.* Ait Festus, regifugium quod notatur in Fast. VI. Kal. Martias de Tarquinii fuga non esse intelligendum, sed de regis sacrorum fuga e Comitio. Alterum vero regifugium quod Kalendis Iuniis, vel ut in veteri Kalendario IX. Kalend. Iun. notatur, de Tarquinii regis fuga.

Quam opinionem sequutus Macrobius, qui Tarquinii fugam ad Kalendas Iunias refert. Contra vero Ovid. lib. II. (l. c.) Fast. Tarquinii regis fugam ad VI. Kalendas Martias:

Nunc dicenda mihi regis fuga; traxit ab illa
Quintus (Sextus) ab extremo nomina mense dies.

At regis sacrorum e comitio fugam ad IX. Kal. Iunias. Vide supra: *Quando Rex comitiavit fas.* Mendose citatur hic *Tullius de Feriis* pro *Iulius de feriis*, qui citatur a Macrobio in Saturnalibus. *Dac.* Glossis καταφυγή. *VI. Kal.* Martii scilicet; id enim ita esse, testatur Ovidius. Sed tamen Macrob. Saturn. I, (12.) VI. Idus Iunii exactos reges fuisse scribit, eoque pertinet, quod paullo post adscribitur de Kal. Iuniis. *Goth.*

Regia. Τὸ βασίλειον. Urbes etiam, ubi aulae regum, dictae *regiae.* Ut Plinius et Mela oppidum Iol Iubae regiam vocant. . . . . *aliquo regiae fe.* Odoratus sum, hoc fragmentum divulsum esse ex capite *regiae feriae*, cuius ultima verba male hic haeserunt. *Dac.*

Regia dicta. (Ad p. 230.) Ait Festus *Regiam* dictam, vel quod in eam populus conveniret a Pontifice convocatus, qui Pontifex regia erat maiestate; vel dictam *regiam* a Rege sacrificulo, qui ibi sacra faciebat. Quod et sentit Varro lib. V. (IV. p. 194. Sp.): *Dies Agonales*, inquit, *per quos rex in regia arietem immolat*, etc. *Dac.* Post *Regifugium.* Regia sacrorum, quod in fanum a Pontifice convocati conveniant; quod in ea sacra a Rege sunt solita usurpari. Regem autem intellige Regem sacrorum. Prima verba interpretanda sunt, ac si Festus dixisset: Regia sacrorum est fanum, in quod a Pontifice convocati conveniant. Ita saepe loquitur Varro. Sic supra: *Navia ex uno ligno exsculpto ut navis, quo utuntur alveo in vindemia.* Dicendum enim erat: *Navia, alveus ex una ligno exsculpto, quo utuntur in vindemia.* Quae sequuntur, videntur dicta de Regio Lepidi, quod nundinae, forum, conventus agerentur in ea civitate, videri dictum a maiestate. Quod et confirmat Strabo, qui non de hoc Regio Galliae Cisalpinae, sed de Regio Fretensi loquens ita scribit (lib. VI. pag. 258.): Πλὴν εἴτε διὰ ταύτην αἰτίαν (διὰ τὸ ῥαγῆναι) τοὔνομα τῇ πόλει γέγονεν, εἴτε διὰ τὴν ἐπιφάνειαν τῆς πόλεως, ὡς ἂν βασίλειον τῇ Λατίνῃ φωνῇ προσαγορευσάντων τῶν Σαννιτῶν etc. A maiestate ergo Festus Regium Lepidi, ut διὰ τὴν ἐπιφάνειαν Strabo, Regium Samnitum, seu Brutiorum. Quae supersunt, ego non intelligo, neque videntur huc pertinuisse. *Scal.*

Regiae feriae. (Ad p. 230.) Lege infra: *Sed non semper ob hanc unam caussam tantum, quia homini talis maiestatis cura datur, sed etiam cum* etc. Ait Festus, Regias ferias dictas non solum quae fori, conventus et nundinarum, sed etiam quae fulguris vel portenti similis expiandi caussa per sacerdotem aliquem, qui esset regia maiestate, edicebantur. Postrema verba: *aut in procurando portento simili quo regiae feriae* etc. male adhaeserunt post *regia domus*, ubi eorum vestigia. In fine tantum verbum supplendum: *Quo Regiae feriae solitae sunt fieri. Dac.*

Reglescit. Scribe: *Reglescit cum dixit Plautus, significat Crescit, in illo versu: Nihil superest; ve misero mihi ac reglescit dolor. unde etiam Glires*, etc. *Reglescit* ergo pro *Regliscit. Scal.* Vide *Gliscit. Inde etiam glires dicti videntur.* Fallitur Festus. *Glis* enim est a Graeco ἔλειος; addito gamma γέλειος, unde *gleios, gleis, glis.* Graeci glirem ἔλειον μῦν appellarunt quasi arboreum murum; nam in sylvis degit, et inter arbores semper oberrat, et in iisdem sedes et cubilia habet hiemis tempore cum perpetuo dormit. Ἕλη Hesychio σύνδενδροι τόποι. Varro apud Sosipatrum (pag. 69. Putsch.): *In mea silva glis est nullus.* Apud Martialem lib. III. ep. 58. sic interpungendum:

Metamque lactis; Sassinate de sylva
Somniculosos ille porrigit glires.

Hunc glirem etiam μυοξόν Graeci vocarunt. Gloss.: μυοξός, *glis.* Hodie *voxum*, vel *voxosum* appellitant voce ex *muoxus* detorta. Salmas. in Solin. *Dac.*

Reapse. Cic. de Divinat. I. (c. 37.): *Formae, quae reapse nullae sunt, speciem autem offerunt. Dac.*

Regimen. (Ad. p. 231.) Gloss.: *Regimen*, οἰάκισμα, ἰθυντήριον. Usus est Lucret. Livius etiam, Plin. et alii. Versus Ennii sic legendus, ut in edit.:

— — — se
Primus nec bradus in regimen, bellique peritus.

Deest vox *ingerit* vel quae similis. Et de Cn. Manlio loquebatur Ennius, quia adversus Gallograecos pugnaturus ipse minime tardus bellique peritissimus se in regimen ingerit. *Dac. Regimen pro regimento.* Regimenti verbo utitur Aurelius Arcadius in l. unica §. 1. ff. de offic. P. Praetorio. *Goth.*

Relegati. (Ad p. 231.) Exulum tria fuere genera. Alii interdicti, relegati alii. Alii deportati. Interdicti dicuntur, quibus interdictum est certi loci aditu commercioque. Relegati, vel qui in locum aliquem

amandantur, vel qui certo quodam loco ignominiae caussa iubentur excedere, quo sensu relegati dicuntur, qui interdicti proprie sunt. Deportati vero, qui civitate sua multati vincti nervo aut compedibus in navim aliquam imponebantur, servisque publicis, ut eos in insulam transferrent, tradebantur. De hac deportatione Terent. in Phormione (V, 7, 85.):

Nonne hoc publicitus scelus hinc deportarier
In solas terras?

Vide Hotoman. de verbis iuris. *Dac.* Eorum passim in iure mentio. *Goth.*

Religiosus. (Ad p. 231.) Dies XXXVI. atri sunt terni singulis mensibus; postridie Kal., Nonas, Idus. De quibus alio loco Festus. Mundus vero ter in anno patet, hoc est IX. Kal. Sept. postridie Volcanalia et III. Non. Octobr. et VI. Id. Novembr. Alliensis dies postridie Idus Quinctiles. Vid. Gell. lib. V. cap. 17. Macrob. Saturn. lib. I. (c. 16.). *Ant. Aug.* Ovid. Fast. I, (57. seqq.) ubi de Kalendis, Nonis et Idibus:

— — — *Omnibus istis*
Ne fallare, dies proximus ater erit.
Omen ab eventu est; illis nam Roma diebus
Damna sub adverso tristia Marte tulit.

Esse, Gallus Aelius. Lege: *Esse, Gallus Aelius, quod homini ibi facere non liceat, aut, si id faciat, contra Deorum*, etc. Sic infra. Vel potius excidit vox *religiosum*, quae sic supplenda: *Religiosum esse, Gallus Aelius, quod homini ita facere non liceat, aut si*, etc. *Adversus mystica.* Lege: *adversus auspicia*, ut in vet. cod. *Inter sacrum autem et sanc. et Rel.* *Sacrum* est, quod deo et eius cultui publice consecratum, dicatum est, uti aedes, arae, sacella et eiusmodi. Nam loca illa ubi privati sacra sua peragunt, non sunt sacra, quia publicam religionem non spectant. *Sanctum*, quod ne quis violet, capite sancitum est; nullius tamen Deorum proprium, uti sunt muri, portae, aliaque nonnulla, quibus violatis solebant consuli Pontifices. *Religiosum*, ubi quid sit, quod hominibus facere non liceat. Sed vide omnino Ald. Manut. de quaesitis per Epistolam lib. I. Ep. 10. Nam ita fuse et perspicue hunc locum tractavit, ut nihil supra adiici posse censeam. *Sed ita portione quadam.* Hoc est: etsi *sacrum*, *sanctum* et *Religiosum* inter se differant, ea quoddammodo eadem videri posse Gallus Aelius probat. Ut Delubra, quae sacra sunt, quia Deo consecrata. Cicero sepulcra vocat sancta Philipp. IX, (6, 14.): *Sepulcrorum sanctitas in ipso solo est, quod nulla vi moveri neque deleri potest, atque ut caetera extinguntur, sic sepulcra fiunt sanctiora vetustate.* Et Catullus (VII, 6.): *Et Batti veteris sacrum sepulcrum.* Vide *sanctum.* *Dac.* *Religiosus. Etiam officiosus erga homines.* Hinc Gloss.: *Religio*, εὐσέβεια, αἰδώς. *Dies religiosi.* Qui et infames et infausti Nonio (pag. 378. seq. Merc.) in *Religio.* *Quibus, nisi quod necesse est, nefas habetur facere.* Vide supra *Mundus.* Vide supra Praeliares dies. *Atque ii.* Alii. *In aedem bonae Deae.* Vide supra *Mundus.* *Mystica.* Alii mystice, alii auspicia. *Sanctum murum.* L. 8. in f. ff. de rerum divis. *Religiosum sepulchrum.* Vide l. 6. §. 4. ff. de rerum divis. *Putant.* Putat ut. *Qui non iam.* Quoniam. *Qua.* Eo. *Goth.*

Repotia. Pacuvii verba mendosa sunt. *Ant. Aug.* Pacuvii versus mendosus est. Ita emenda:

Ab eo
Depulsum mamma paedagogandum accipit
Repotialis liber.

Glossarium: *Reoria*, ἡ τρίτη τῶν ἀγάμων ποδοστροφία. *Reperidia*, ἐπιποδα, ἡ μετὰ τὴν ἡμέραν ποδοστροφία. *Reproca*, ἐπίβδα, ἡ μετὰ τὴν ἑορτήν. In tribus his exemplis legendum *Repotia*, et pro ἐπιποδα, ἐπίβδα, quo utitur Pindarus. Apud Acronem Horatii interpretem perperam excusum est ποτοστροφία pro ποδοστροφία. *Scal.* Sed in *reperidia* Scaligerum falli puto, neque enim pro eo substituendum *repotia*, sed potius legendum *repedidia*, quasi *repedatio*. Explicat enim *podostrophiam* Graecorum, qui scilicet a pedibus dixerant, quod Latini a potatione *repotia*. Sed vide Cuiacium lib. XVI. observatt. cap. 39. *Repotia* alii secundum, alii septimum a nuptiis diem faciunt. Turnebus opinatur etiam liberis natis celebrata *repotia*, quae et Acro παιδοτροφία dixerit. Sed vereor, ut huic opinioni ansam dederit Ausonii locus male acceptus et alter Horatii, et item iste Pacuvii. Sane Pacuvii verba iocum non cuivis obvium continere videntur; de beato enim viro quodam dicta sunt, cui ipso repotiali die puer iam mamma depulsus et iam paedagogandus traditus sit. Notum est illud:

Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία.

Merito igitur se feliciores deputent, quibus postridie nuptias iam grandes pueri contingunt, quasi de coelo lapsi. *Dac.* *Appotialis liber.* Repotialis liber. *Goth*

Repagula. Ciceronis locus relatus est in Verrina de signis, quae quarta quidem est earum, quas Cicero tantum conscripsit, non egit, sexta vero omnium Verrin. (In Verr. Act. II, IV, 43.). Vide Redivivum. *Ant. Aug.* Glossae: *Repagulum*, *κόραξ*. *Repagula*, *καλυπτῆρες*. *Scal.* Quae panguntur et repanguntur. Sed quod hic ait Festus, *ut ex contrario*, *quae oppangantur*, non satis intelligo, et iuxta me intelligere quemvis alium puto. Nempe Festi verba mutila sunt et corrupta; legendum enim: *quae patefaciundi gratia ita figuntur, ut ex contrarioque oppangantur et repangantur.* Seras sive vectos illos intelligit, qui ab exteriori parte, inserto brachio per foramen ianuae adducebantur et reducebantur. *Ex contrario*, id est, deforis. *Contra* enim nihil aliud est quam *ἀντικρύς*. Ut de Africa dixit Virgil. *Italiam contra. Ex contrario* optime Graeci dicunt *ἐξ ἐναντίας*. *Dac.* Glossis *καλυπτῆρες*, *κόραξ*. Est autem *κόραξ σιδηροῦς θύρας*, uncinus et repagulum; et alibi: *Repagulum*, *κλῆθρον*, *μήτρα θύρας*, *μάνδαλον*; iisdem *μάνδαλος*, *Pessulus*. *Ita.* Quia ita. *Goth.*

Repudium. Differt a divortio, quod est dissolutio matrimonii. Et repudium non modo nuptiarum diremtionem, sed et sponsaliorum renunciationem significat. *Divortium* inter virum et uxorem tantum fieri dicitur. *Repudium* etiam inter sponsos, ut auctor est Modestinus, Differentiar. 29. Sed et *divortium facere* dicimus *repudium mittere*, *renunciare*, vel *dicere*. Cato de dote: *Vir cum divortium fecit.* Terent. Phorm. (IV, 3, 72.): *Illis repudium renuntiet, hanc ducat.* Paulus ad edictum 31.: *Per calatorem misso repudio.* Tacit. Annal. III, (22.): *Post dictum repudium adhuc infensus. Dac.* Vide l. 101. l. 191. ff. de verborum significatione. Glossis *ἀποστάσιον*, *περίλυσις*. *Goth.*

Repedare. Recedere. Adde Nonium (pag. 165. Merc.) in *Repedare. Goth.*

Repastinari. Afranii verba mendosa sunt. *Ant. Aug.* Lego: *Cum aut silvester excodicatur, aut lapis mollitur frangendo, ut fiat pascuus vel pecoribus herba, vel hominibus satione. Afranius Emancipato:*

— *Repastinasse ratus sentes fugis.*

Vel:

Repastinatas crati sentices fugis.

Scal. Pastinare, a pastino, instrumento, de quo sic Columel. III. cap. 20.: *Pastinum vocant agricolae ferramentum bifurcum quo semina punguntur, unde etiam repastinatae dictae fuere vineae veteres quae refodiebantur. Haec enim propria appellatio restibilis vineti erat. Nunc antiquitatis imprudens consuetudo quidquid emoti soli vineis praeparatur, repastinatum vocat.* Gloss.: *Pastinare, βωλοστροφεῖν. Pastinatus βωλοστροφία.* Item Gloss. Cyrill.: *βωλοστρόφιον pastinum*, *βωλοστροφία pastinatio*, *repastinatio*, *βωλοστροφητέα γῆ*, *pastilenda*, *βωλοστροφῶ*, occo, *occillo*, *pastinor*, *pastino*. *Pastinum* a Graeco *πήσσω*, *pango*, vulgo vocamus *houë*. *Ut fiat pascui.* Lege: *ut fiat pascuus, vel pecoribus herba, vel hominibus satione. Afranius in repudiato.* Legit Scalig.: *Afranius in emancipato.* Turnebus lib. XIII. cap. 25.:

Repastinare sero tu senex fugis.

Ego propius, ut puto, ad veterem scripturam:

Repastinasse ratus tu senex fugis.

Dac. Adde Columel. III. cap. 18. Isidor. ult. Etymol. 14. Pallad. II. cap. 10. Hinc pastinandus fundus. l. 15. §. 1. ff. quod vi: Pastina instituere l. 7. in f. ff. soluto. Pastinationes l. 79. ff. de verborum signif. Tertulliano de cultu *repastinare divitiarum usum* est *repurgare*; et 2. adversus Marcionem *commissio iniuriae repastinatur*, id est *refoditur*; et in exhortatione ad Castitatem scribit, Deum in ultimo compescuisse concubitum non sine ratione repastinationis, propagationis vero in primordio. *Natura.* Natum. *Excodicatur.* Exquodicatur. *Ut fiat pascui.* Alii, ut fiant pascua. *Satione.* Sationes. *Goth.*

Reluere. Repignerare; hoc est dato pretio pignus recipere. Ut in illo Caecilii:

Ut aurum et vestem, quod matris fuit,
Reluat, quod viva ipsi opposivit pignori.

Legendum enim *opposivit*, non *opposuit*. Hac voce usus Cicero in oratione in Sallustium in vet. cod. (c. 7.): *Unde tu qui modo ne paternam quidem domum reluere potueris, repente tanquam somno beatus hortos pretiosissimos, villam in Tiburti C. Caesaris, reliquas possessiones paraveris? Dac. Reluere. Resolvere.* Adde supra Rediviam. *Ipsi.* Ipsa. *Goth.*

Resignare. Antiqui pro rescribere. Rescribere dicebant antiqui, sibi creditam pecuniam reddere, renumerare. Nam creditores *scribere*, sive *dictare* dicebantur cum credebant. Debitores vero, cum solvebant, *rescribere*. *Resignare* igitur pro *rescribere*, id est *reddere*. Horat. (Epist. I, 7, 34.): *Cuncta resigno.* Gloss.: *Resigno*, *παραλύω*. *Dac.* *Cato de spoliis, ne figerentur, nisi quae de hoste capta essent; sed tum, ubi indivisi*

sunt, revertantur resignatis vectigalibus. Haec citabat Festus, quae nos reperimus in fragmentis Servii (p. 339. Dan.), qui est penes Danielem nostrum. Qui etiam aliud profert ex eodem Catone, oratione in Lucium Furium: *De aqua, quod attinet ad salinatores aerarios, cui cura vectigalium, resignat.* *Scal.* *Pro subscribere.* Adde infra *Resignatum* et *Signare.* *Goth.*

Resultare. Saepe resilire. Sed infra in reliquiis Festi apparet, τὸ *resultare* interpretationem tantum fuisse τοῦ *residiare.* Libenter igitur legerem *resillare, saepe resilire.* Ita, ut dictum fuerit *resilla* et *resilio.* Nam inter quartam et primam coniugationem magna fuit olim affinitas. Vel forte legendum *resilitare, resultare, saepe resilire.* Gloss. *Resulto*, ἀναθρώσκω. *Dac.*

Restibilis. Glossae: *Restibilis*, ἀγρὸς δὶς τοῦ ἔτους ἠροτριωμένος. *Scal.* *Restibilis ager.* Qui quotannis seritur. Varr. lib. IV. de L. L. (V. pag. 39. Sp.): *Ager restibilis, qui restituitur ac reseritur quotquot annis, contra, qui intermittitur, a novando novalis ager.* Videtur a restituendo eum dictum putare, cum sit a *restando*, quippe qui in alterum annum restat, hoc est resistit. *Restare* enim est durare, perseverare, resistere. Propert. (III, 6, 31.): — *Dum restat Barbarus Hector.* Quod Varro dicit *quotquot annis*, illud Festus continuo biennio, quod de duobus annis continuis intelligendum, neque enim est restibilis ager, nisi quotannis seratur. Quare restibilem agrum exponunt: ἀγρὸν δὶς τοῦ ἔτους ἠροτριωμένον, agrum bis per annum sementi praeparatum, quia scilicet inter utramque messem annus vertitur, ut in novali biennium integrum intercedit inter utrumque fructum. Farreum spicum vocabant sativorum omnem fructum, qui spicis continetur, ac vallo aristarum munitur, quo in genere non solum far, siligo, triticum, sed etiam hordeum. Haec omnia frumenti nomine comprehendebant. Hordeum apud veteres Romanos inter sementiva, nec satione verna, aut trimestri serebatur, ut apud nos, sed hiberna, eodem prorsus modo, quo triticum. Cavebant igitur praediorum locatores, ne qui ea conducebant, restibilem agrum farreo spico facerent, h. e. ut ne duobus annis continuis fruge aristata agrum obsererent. Ergo restibilis ager dicendus tantum, qui aristato genere duobus continuis annis conseritur. Nam restibilis non est, quum in novalem mittitur faba, quae novalis anno eodem hiberna satione acceptura est frumentum. Theophrastus notat, placere quibusdam fabae semen mandari novalibus. Quod nec ipse improbat, modo id maturius fiat, ut ne aestiva νέασις impediatur. Haud video tamen, quomodo biennio continuo frugibus aristatis obseri possit ager, observatis tribus illis, aut etiam pluribus arationibus de quibus supra diximus. In tenera fortasse terra id locum habuerit, cui satis est arari, dum seritur; aut si secundi anni sationem ex trimestri semine facias, ut nos consuevimus in hordeo et avena. Sane et genus frumenti fuit aristatum trimestre veteribus cognitissimum; Graeci τρίμηνον appellant. Hordei etiam genus in aristato genere trimestre exstitit, quale hodie omne nostras est. Sic duobus annis continuis farreo spico poterat ager restibilis fieri, quod excipiebant locatores praediorum ne fieret. Et sane id sedulo cavebant veteres agricolae, ne frumentum biennio continuo terris ingererent, sed leguminibus, aut milio et panico, aut etiam rapis restibilem agrum faciebant, si modo restibilis ager dictus est, qui diversi generis fruge seminaretur quotannis. Profecto restibilem Varro eam vocat terram, quae quotannis obsita sit, nec expressit, quo genere frugum. Salmas. in Solin.: Putabam olim verba Festi inversa esse, et eum scripsisse: *Restibilis ager dicitur, qui biennio continuo seritur; quod ne fiat farreo spico, id est aristato, solent qui praedia locant excipere.* Plano et optimo sensu. Neque enim excipiebant locatores, ne praedia quotannis sererentur, sed ne farreo spico. *Dac.* Glossis: ἀγρὸς δὶς τοῦ ἔτους ἠρωμένος, cui opponitur Novalis, de quo in l. 30. §. Novalis ff. de verb. signif. Restibilis ager Columellae pinguis, eundem vervacto opponit II. c. 10. IV. c. 13. *Goth.*

Reses. Infra: *Reses, ignavus, qui residet. Attius in . . . . . . residi vos sumno. Afranius in Rosa: praeterea . . . . Pacuvius in armorum iudicio: Tuque te desidere mavis residem; nos hic esse in labore. In Attii verbis deest tale quid, deditos, residi sumno deditos.* Scriptura antiqua *sumno* pro *somno.* *Scal.* Gloss.: *Reses*, καθήμενος. *Resideo*, καθιζάνω. De *residuo* Placidus in Glossis: *Residuus quasi tardus.* Item Papias: *Residuus, reliquus, fatigatus, ultimus.* Item: *Resides, otiosi, pigri, quieti. Resides proprie sunt, qui militiam detrectant agere.* Virgil. Aeneid. I, (726.):

Iam pridem resides animos, desuetaque corda.

Ubi Servius: *Resides, pigros ad amandum, inertes. Iuraverat enim* (Dido) *nulli se esse nupturam. Resides sane milites otiosi; ut Aeneid. VI,* (813.): — *Residesque movebit Tullus in arma viros. Unde contra instantes dicimus industrios.* *Dac.* *Reses. Ignavus.* Eadem forma Deses dicitur. *Goth.*

Resecrare. Relatum carmen Plauti reperies in Aulularia. *Ant. Aug.* Haec praeclaram cognitionem de obsecrationis religione continent, sed melior pars adhaesit post *respici avis*, ut olim et monuit Scal. Et in eius locum alia quaedam intrusa, quae mox videbimus. Locus igitur integer sic resarciendus: *Cumque*

comitia essent dimittenda peracto sacrificio quasi finis impetratus esset, et quasi forent comitia perfecta, sumi tum reum iubebant sacerdotes suo more, aliisque peractis iuxta consuetudinem luci, in quo sacra faciebant, reo a Calatoribus ingeniculato atque ita inclinato vinum in caput infundebant solenni cum precatione. Inde Plautus: Resecroque mater, quod dudum obsecraveram. Dicitur etiam resecror. Non dubium, quin ita conceptus locus fuerit. Sciendum est autem, ea superstitione imbutos fuisse veteres, ut si quis *obsecro* dixerat, eum, quem alloquebatur, obstringere obligareque quodam sacramento et iureiurando videretur, unde liberari non posset, nisi idem qui obsecraverat, resecraret, id est ea religione solveret. Plaut. Aulular. (IV, 7, 2. seq.):

— — — Nunc te obsecro
Fac mentionem cum avunculo mater mea,
Resecroque mater quod dudum obsecraveram.

Nempe obsecraverat matrem, ut ne cum avunculo mentionem faceret de Euclionis filia. Nunc contra mutata sententia eam obsecrat, ut cum eo de eadem colloquatur. Et quia mater priori obsecratione obstricta et obligata manebat, resecratione opus erat, qua eam religione solverat. Quin etiam, si quis Deos testatus esset se aliquid facturum, is eo obligabatur, neque voto liberari poterat nisi se ipsum resecrasset. Hinc intelligendus locus Marcellini, lib. XXIV. quod vidit etiam doctiss. Petrus Pithoeus: *Exclamavit indignatus acriter Iulianus, Iovemque testatus est, nulla Marti sacra facturum, nec resecravit, celeri morte praeceptus.* Nempe Iuliano morte praevento non licuit se obsecrationis religione absolvere. Sed redeamus ad Festum. Reus in comitio populum orat, ut se periculo liberet. Iudex obsecratione motus iubet eum resecrare, quod obsecraverat. Nam nisi resecrasset reus, quamvis ex iusta caussa a populo damnatus esset, populus ipse religione obstrictus mansisset. Reus contra urget, et quod innocens sit, caussatur, tandemque, cum reus cogi non potest, ut populum resecraret, sacerdotes eum sumi iubent, atque ita per calatores, id est sacerdotum servos, ingeniculato vinum infunditur, nempe, ut optime Scaliger, ut in eum omnis religio contracta verteret. Religio enim contracta intelligitur ex obsecratione, quapropter non aliter resecrabatur, id est sacro aut religione solvebatur magistratus, quam si piaculum contractae religionis in rei caput verteret. . . . . . *ut* . . . . Ista quamvis etiam in schedis resecrationis caput medium findant, alio tamen pertinere certum est. Et videntur esse verba Festi de *re comperendinata.* Nam superiora Pauli esse epitomen quovis pretio contendam. Sed Festi verba dum alienas sedes invadunt capite suo truncata sunt, quod reiectum est post Pauli locum . . . . *is con* . . . . Eo igitur huc retracto corpus integrum sic fortasse restaurari possit: *Res comperendinata dicitur, ut Verrius ait, iudicium in diem perendinum iure constitutum, ita ut uno tantum interiecto die res iudicetur.* *Dac.*

Res comperendinata. Comperendinationem quidam exponunt condictionem, id est ab utrisque litigatoribus mutuam denuntiationem in perendinum diem. Sed potius comperendinatio a iudice fiebat. *Comperendinare* autem est, rei iudicium in secundam actionem perendie habendam diffundere, tametsi prima actione iudicium fieri potuerit, nisi id lex iuberet proferri. Et differt comperendinare ab ampliare, quod iudex iubetur comperendinare, licet ei constet de caussa rei, adeo ut possit prima actione iudicare; ampliare vero non cogitur, sed ampliat pro arbitrio. Item comperendinat semel tantum. At quoties lubet, ampliare potest. Item comperendinat uno tantum interiecto die, inter primam et secundam actionem; ampliat vero intermissis quot lubet diebus. Cic. Verr. III, 26. (c. 9.): *Glaucia primum tulit ut comperendinaretur reus, antea vel iudicari primo poterat, vel amplius pronuntiari.* Quare optime comperendinationem tridui dilationem Glossae interpretantur. Comperendinatio τριήμερος ὑπέρθεσις. Dicitur et *comperendinatus* Verr. III, 26. (c. 9.): *Adimo comperendinatum, quod habet lex molestissimum bis ut caussa dicatur.* *Dac.* Vide Asconium in praetura urbana III. in Verrem; et Ciceronem pro Muraena 10. Gell. XXIV. §. 7. cap. 1. Hinc dies comperendiui. Macrob. I. c. 16. *Goth.*

Rava. Festus hic et verbo *Ravim* duos versus Plauti refert, quos etiam Nonius (pag. 164. Merc.) adfert. Alter est in Aulul. (II, 5, 10.): *Ubi si quid poscamus, ad ravim poscamus prius.* Alter in Cistellaria (apud Non. pag. 164. Merc.): *Expurgabo hercle omnia ad raucam ravim.* *Ant. Aug.* Ravus proprie de colore dicitur, quem nos vulgo dicimus *roux ardent*, quasi *rabidus*, ravistellus et ravastellus *un rousseau.* Inde ad alia quaevis quae flava essent et matura, traducta est vox *ravus.* Sic *frumenta rava*, id est *flava.* Inde etiam *ravis* et *rava vox*, vox rauca, cum scilicet ob nimiam siccitatem vox raucescit. Quae hic laudabantur e Lucilio in eius fragmentis hodie frustra quaeras. *Dac.* *Rava vox. Rabula.* Vide supra Rabula. *Goth.*

Rosea. Caesar Vopiscus cum caussam apud Censores ageret, campos Roseae dixit Italiae sumen esse, in quibus perticas pridie relictaa gramen operiret. Sed non nisi ad pabulum probantur. Plin. lib. XVII.

cap. 4. *Ant. Aug.* Varr. lib. I. (c. 7. fin.) de R. R.: *Caesar Vopiscus aedilitius caussam cum ageret apud Censores Campos Roseae Italiae dixit esse sumen, in quo relicta pertica postridie non appareret propter herbam.* Virg. Aeneid. VII, (712.):

Qui Nomentum urbem, qui Rosea rura Velini.

Ubi Servius: *Velinus locus est circa Reate iuxta agrum qui Rosulanus vocatur. Varro tamen dicit lacum hunc a quodam consule in Naran vel Naren fluvium (nam utrumque dicitur) esse diffusum. Post quod tanta est ea loca secuta fertilitas, ut etiam perticae longitudinem altitudo superarit herbarum; quin etiam, quantum per diem demptum esset, tantum per noctes crescebat. Quod Virgilius ad suam provinciam transtulit, dicens* (Georg. II, 201.):

Et quantum longis carpent armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.

In verbis Festi pro *serunt* legendum *ferunt* et in epitome *feruntur* pro *seruntur.* Neque enim serebatur Roseus ager, in quo nihil fere praeter prata, ut ex eodem Varrone colligi potest, lib. I. cap. 7. Quare et equis abundavit, qui Roseani dicti sunt. *Dac.*

Rediculi. Secundo bello Punico cum Hannibal noctu ob Romam legiones duceret, tantus terror ex quibusdam terriculamentis eum invasit, ut inde re infecta pedem retulerit, quo facto fanum ibi consecratum et ab eventu *rediculum* appellatum. Deum vero, cui hoc fanum consecratum fuit, *Tutanum* appellarunt. Varr. in Satira, quam inscripserat *Hercules tuam fidem* (apud Non. pag. 47. Merc.):

Noctu Annibalis cum fugavi exercitum
Tutanus hoc, Tutanu' Romae nuncupor
Hoc propter, omnes qui laborant, invocant.

Dac. Dixi ad Varronem de L. L. IV. *Goth.*

Reserari. Reserari ait dici ab eo, quod emota sera a cardine patefiant fores. Inde coeptum, ut quae aperta et reclusa sint, reserata dicantur. Serae denique dicuntur fustes, qui opponuntur foribus. Pacuvius in . . . . . *Pandite valvas, removete seras, Ut complectar. Scal.* Nonius (pag. 41. Merc.): *Reserare, aperire, a sera dictum, qua remota valvae patefiunt.* Nam serae sunt fustes, vectes, *μοχλοί.* Gloss.: *Sera, μοχλὸς θύρας.* Item *reserat, ἀνοίγει κυρίως μοχλοῦ.* Ovid.: *Excute poste seram. Dac.* Adde Nonium (l. c.) in *Reserare. Goth.*

Remant. Totus hic locus mendosus est. *Ant. Aug.* Non est alius inquinatior locus, neque maculosior. Legendum procul dubio: *Revitant, repetant.* Ennius:

— *Destituant rivos camposque revitant.*

Revitere aliter et melius scribitur *rebitere.* Glossae: *Revitere, περικάμψαι. Scal.* Sic Plautus in Capt. (III, 5, 33.): *Si huc revitet.* Fulvii Ursini editio habet *Remanant, reptent,* quod magis placet, ita ut legatur: *Remanant, repetunt. Dac. Remant, repetant.* Alii Remanant, alii Revitant, alii Remeant. Glossis: *Remeat, ἀναστρέφει, ἐπανέρχεται.* Adde *Remeare. Goth. Rebitere* cum sit intransitivum ubicunque legitur, credibile non est, Festum voluisse *rebitant, repetunt.* Legendum: *Remetant, repetunt.* Ennius lib. I.: *Destituunt rivos camposque remetant.* Cf. Bentl. ad Horat. Serm. II, 5, 79. qui verbum *Commetare,* frequentativum a *commeare,* vindicavit. Adde Non. pag. 89. Merc. v. *Commetare.* Dicitur autem *campos remetare* cum accusativo, ut *viam commetare* apud Plautum Captiv. I, 2, 76.

Refert. Super hoc verbo magnae semper inter Grammaticos lites fuere. Omnes quidem *refert* impersonale verbum esse dixerunt, sed alii a *re* ablativo nominis *res,* et *fert;* alii, ut Verrius, a Dativo *rei fert,* alii denique quasi *res fert.* Quo nomine omnes merito deridendi. Primum quidem verba impersonalia in Grammatica monstrum esse, quivis sanus agnoscet, nam illa *accedit (accidit), contingit, liquet, evenit, licet, pluit, fulminat, luciscit, miseret, taedet, pudet, piget, poenitet* etc. vel nominativum, vel verbum infinitum, vel totam orationem pro supposito semper habent, ut non ita pridem Franciscus Sanctius, homo Hispanus, in Minerva sua (III, 5.) apertissime demonstravit. Sic verbum *refert,* aut potius *refero* semper activum, et idem est, quod *importo, reperto,* id quod exemplis clarius patebit. Plin. lib. VII. cap. 6.: *Incessus in gravida refert.* Idem lib. XI. cap. 51.: *Multum tamen in his refert et locorum natura.* Lucret. lib. IV. (v. 981.): *usque adeo magni refert studium atque voluntas.* Plaut. Pers. IV, 4. (3, 50.): *Nunc ad illud venies, quod refert tua.* Idem Trucul. II, 4. (40.): *Quod rei id te assimilare retulit.* Unde apparet, vere activum verbum esse, et errare Grammaticos, cum dicunt: *mea, tua, sua* esse ablativos foemininos, quae vere sunt accusativi. Quod et olim Donato suboluerat, qui etsi non omnino verbi naturam est assecutus, tamen con-

tra Grammaticos *mea*, *tua*, *sua*, accusativos esse, non ablativos indicavit ad illud Terent. Phorm. (IV, 5, 11.): *Quid tua, malum, id refert?* ubi ille: *Et quare quomodo dicatur quid mea, quid tua? an deest ad, ut sit ad mea, ad tua?* Dac. *Refert* utrum ex praepositione compositum an ex substantivo *res*, dubium videri potest. Nam utrumque habet rationem. Quod vero ad formulas *refert mea, tua, sua* cet. attinet, in iis pronomina non esse ablativos, aut ut alii Grammatici volunt, adverbia, satis videtur manifestum. Nam licet credibile, praepositiones istas *inter*, *propter*, *post*, ab antiquis etiam ablativis adiungi potuisse, quum etiam dativis antiquis adiungerentur, ut patet ex his: *interibi*, *postibi*, *adeo;* tamen quia apud antiquissimos neutralibus formis saepe *d* finale sive paragogicum addi solebat, credibile magis est, longam illorum pronominum syllabam, quae neutra fuerint, inde ortam esse, quod omissum *d* vestigium sui relinqueret in producta syllaba. Similiter *istuc*, quum pro *istud-ce* dicitur, ultimam producit; *illaec*, *istaec*, *haec*, quum neutra sunt pluralia, ex *istadce*, *illadce*, *hadce* orta esse videntur, sed aliud productionis signum, diphthongum, assumserunt. Sic igitur in S. C. De Bacchan. *qui arvorsum ead fecissent* legitur, quo eodem referendum, quod adverbium *facillumed* in eodem S. C. et *preivileciad* in legg. XII. tabb. invenitur. Adverbium *facillumed* ostendit, *d* illud nihil interdum fuisse, nisi signum productionis; neutrum *preivileciad* satis demonstrat, etiam neutra in *a* desinentia *d* paragogicum si non semper, at nonnunquam traxisse, idemque ipsis accidisse, quod neutris singularibus, *istud*, *aliud*, *illud*, *id*, evenit, quae posteriora etiam in Sanscrito sermone in *t* exeunt, ut *anjat*, *jat*, *tat*, *tjat*, *état*. Erit igitur etiam in formulis *refert, interest mea* cet. in vocabulis *interea*, *propterea*, *postea* ultima producta, propter omissam *d* litteram paragogicam, cuius omissionis signum remansit productio.

Ridiculus. Hinc deridenda loqui. In l. 4. §. 1. ff. de aedilitio. *Goth.*

Rideo. Hoc loco in antiquo libro est Sex. Pomp. Festi lib. XVIII. *Ant. Aug.* Lege: *interpretatur in iis.* *Scal.* *Rideo, inquit, Galba Canterio.* Legendum: *Rideo, inquit Galba, Canteri, proverbium est, quod Sinnius Capito ita interpretatur: in iis qui principio*, etc. Nam proverbium fuisse *rideo Canteri* necesse est. Id sequentia suadent, probant. *Dac.* *Canterio.* Alii Cantherius, unde proverbium in porta Cantherius. *Goth.*

Retricibus. *Retrices*, rivuli extra urbem, unde aqua derivatur irrigandorum hortorum et pratorum gratia. Martinius putavit ita dictas, quod subinde retari et purgari solent. Perottus a *reterendo*. *Sunt etiam qui a tero retrices deduci putent, quo nomine Cato aquam significavit, qua horti irrigantur.* Sed potius a ῥεῖθρον, rivus. Ut idem Martinius. *Dac.*

Receptitium. Haec est Verrii opinio quam reprehendit Gell. lib. XVII. cap. 6. *Ant. Aug.* M. Cato Voconiam legem suadens, verbis hisce usus est: *Principio nobis mulier magnam dotem attulit. Tum magnam recipit, quam in viri potestate non committit. Eam pecuniam viro dat mutuam; postea ubi irata facta est, servum recepticicum sectari atque flagitari virum iubet.* Ubi pessime Verrius receptitium servum nihili, quique ob vitium redhibitus sit, interpretatus est. Receptitius enim servus est servus proprius, quem cum pecunia reliqua mulier receperat, hoc est exceperat, sibi reservaverat. *Recipere* enim excipere est. Plaut. (Trin. I, 2, 157.):

Posticulum hoc recepit quum aedes vendidit.

Plura vide apud Gell. lib. XVII. cap. 6. *Dac.* Vide Nonium (pag. 54. Merc.) in *Recepticium servum.* *Goth.*

Rogat. Rogationum communia verba erant: *velitis*, *iubeatis Quirites.* Quodsi respondissent; *uti rogas*, lex erat. *Dac.* *Ne lex Baebia.* De qua vide Livium lib. XL. (c. 44.). *Goth.*

Restat. *Restat* pro *distat* ait (nempe *Verrius. Dac.*) Ennium ponere, cum is dicat:

Impetus ast longe mediis regionibu' restat.

Scal. Turnebus: *Impetus haud longe*, etc. Sed hic Verrium falli puto. Restare posuit Ennius pro *retro manere*, residuum esse. De navibus enim loquitur, quarum impetus in medio cursu fractus. *Dac.* *Restat pro distat.* Fortasse legendum pro distat *resistit*, ut apud Nonium (pag. 348. Merc) in *Restare.* Gell. I, 22. *Aut.* Ast. *Goth.*

Ruri. Terentius addit *fere: Ruri fere se continebat* etc. *Ant. Aug.* Locus Terent. est e Phorm. II. sc. 3. (16.):

— — — *ruri fere*
Se continebat, ibi agrum de nostro patre
Colendum habebat.

Dac. *Ruri.* Gloss.: *Rure*, κατ' ἀγρόν. *Goth.* Seriores, non intellecta lege latini sermonis de locativo, *rure* pro *ruri* nonnunquam dixisse inveniuntur.

Religioni est quibusdam. (Ad p. 233.) Ovid. Fast. II, (201.):

Carmentis portae dextro est via proxima Iano;
Ire per hanc noli, quisquis es, omen habet.
Illa fama refert Fabios exisse trecentos
Porta vacat culpa, sed tamen omen habet.

Vide *Scelerata porta.* *Et in aede Iani qui est extra eam.* Ad dextram fuisse aedem Iani porta Carmentali egredientibus fidem facit insignis locus Livii, lib. II. sect. 49.: *Infelici via, dextro Iano portae Carmentalis profecti* (Fabii) *ad Cremeram amnem perveniunt.* *Dac.*

Retiario. Retiarii gladiatores erant inermes in sola tunica, rete iaculo tantum et fuscina armati, plerumque cum secutoribus, interdum etiam cum Myrmillonibus componebantur. Myrmillones toti erant in armis, Galli dicti, quod Gallica esset eorum armatura. Schol. Iuvenal. Sat. 8.: *Myrmillonicum armaturae genus Gallicum est, ipsique Myrmillones antea appellabantur, in quorum galeis piscis effigies inerat.* Myrmillones quidam dictos volunt a *Myrmidonibus.* Alii a pisce *mormulo.* *A Pittaco, uno ex septem sapientibus.* Sane ita Pittacum adversus Phrynonem pugnasse docet Strabo, lib. XIII. (p. 600.): *Ὕστερον δὲ ἐκ μονομαχίας προςκαλεσαμένου τοῦ Φρυνῶνος ἁλιευτικὴν ἀναλαβὼν σκευὴν συνέδραμε, καὶ τῷ μὲν ἀμφιβλήστρῳ περιέβαλε, τῇ τριαίνῃ δὲ καὶ τῷ ξιφιδίῳ ἔπειρε καὶ ἀνεῖλε.* Infra in verbis Festi lego: *Rete occulte allato.* *Dac.* *Retiario pugnanti.* De *Retiario* adde Sueton. in Claudio c. 34., et in Calig. (30.). Tertull. de spectaculis c. 10. Valerius Maximus I. Titul. de somniis Artemidorum. *Non te peto, piscem peto.* Quinctilianus loquens de mirmillone, vivum capere vult. *A Pytthaco.* Diogenes lib. I. *Goth.*

Resignatum. Illa verba (*ne stipendium ei detur*), in Pauli libris exstant, non in Festi. *Ant. Aug.* *Resignatum aes.* Aes, quod in tabulis scriptum fuerat, ut militibus daretur in stipendium, si quando rescriberetur et expungeretur, proprie resignatum aes dicebatur, et milites illi, qui illud amiserant, *aere diruti* dicebantur. Vide *Dirutus aere.* *Dac.* *In tabulas refertur.* Eo fine in exercitu librarii caducorum. in lege ultima, ff. de iure immunit. *Goth.*

Rituales. Etruscorum libri, quia ab Etruscis illi ritus acciti. *Ritus* autem proprie religionem spectat, et inde dicti *rituales*, quod ibi de rebus ad sacra et religionem pertinentibus ageretur. Hanc vocem retinuit Ecclesia Romana. *Qua sanctitate sunt muri, quo iure portae.* Portae quidem sanctae ut et muri. Sed quia murorum sanctitas maior et antiquior, ideo in ritualibus libris murorum sanctitas, ius vero portarum, etc. *Dac.*

Rutilae canes. (Ad p. 234.) Hunc morem tangit Ovid. Fast. IV, (939.):

Est canis, Icarium dicunt, quo sidere moto
Tosta sitit tellus, praeripiturque seges.
Pro Cane sidereo canis hic imponitur aris.

Vide *Catularia porta.* *Dac.* *Rutilae canes non procul a rubro.* Adde *Rutilium.* *Goth.*

Religionis. (Ad p. 234.) Hic multa fuerunt a Festo scripta, quae divinare non potuimus. Videntur tamen omnia pertinuisse ad censores. In quibus unum est, quod tradit Plin. lib. XVII. cap. 25.: *Romae,* inquit, *in Capitolio in capite bis Iovis bello Persei enata palma victoriam triumphosque portendit; hac tempestatibus prostrata, eodem loco ficus enata est M. Messalae, C. Cassii Censorum lustro. A quo tempore pudicitiam subversam Piso gravis auctor prodidit.* (In vulgatis Plin. editt. scriptum: *In Capitolio in capite bis Iovis.* Emendavit Fulv. Ursinus: *in ara Iovis*, ex libro cum vetustissimis exemplaribus collato, ubi: *in ara Iobis.* Quae emendatio hocce Festi loco mirifice comprobatur. *Dac.*). M. Valerius Messala, C. Cassius Longinus Censores fuerunt anno post R. C. fere sexcentesimo, lustrumque fecerunt LV., ut ex Capitolinis fastis constat. *Ant. Aug.* *Religionis praecipuae habetur Censor.* Hic Censores nominantur continuatis quinquenniis ab anno U. C. DLXXIV. ad annum DCXXII. Prima Censura refertur M. Aemilii Lepidi et M. Fulvii Nobilioris, qui lustrum quinquagesimum condiderunt, anno DLXXIV. De his Valer. Max. lib. IV. cap. 2.: *M. Aemilius Lepidus bis Consul diutinas ac vehementes inimicitias cum M. Fulvio Nobiliore gessit, quas, ut simul Censores renunciati sunt in Campo, deposuit, existimans, non oportere eos privato odio dissidere, qui publice summa vincti essent potestate. Id iudicium animi eius et praesens aetas comprobavit, et nobis veteres annalium scriptores laudandum tradiderunt. — Aulus Posthumius, Q. Fulvius Censores facti.* Secunda Censura Q. Fulvii Flacci et A. Postumii Albini, qui lustrum condiderunt quinquagesimum primum anno U. C. DLXXIX. de quibus Liv. lib. XLIII. (c. 3. et 28.): *Censor Fulvius ex Iunonis Laciniae templo marmoreas tegulas cum abstulisset, quibus aedem Fortunae equestris, quam Romae fecerat, tegeret, et mente captus est, et amissis duobus*

filiis in Illyrico militantibus summo animi moerore consumtus est. (Res apud Liv. paullo aliter aliisque verbis narratur.). — *T. Sempronius cum A. Rutilio.* Tertia censura T. Sempronii Gracchi et C. Claudii Pulchri, qui lustrum condiderunt quinquagesimum secundum a. U. C. DLXXXIV. De his Valer. Max. lib. VI. cap. 5.: *Diem his P. Rutilius Tribunus plebis perduellionis ad populum dixit. Quo in iudicio primae classis permultae centuriae aperte Claudium damnabant.* Et Cicero lib. VI. (apud Gell. VI, 16. et ap. Non. pag. 290. Merc.) de Republ.: *Claudii invidiam Gracchi caritas deprecabatur.* Et revera damnatus fuisset Claudius, nisi Gracchus conceptis verbis iurasset, se exilii comitem collegae futurum. — *L. Aemilii Pauli et Q. Philippi.* Quarta censura L. Aemilii Pauli et Q. M. Philippi, qui lustrum condiderunt quinquagesimum tertium a. U. C. DLXXXIX. Liv. in epitome, et Plutarch. in Paulo; qui tradunt, hos censores in recensendis equitibus Romanis tres e Senatu movisse; Paulumque censura magna ex parte gesta in morbum gravem incidisse. *Religiosa item et P. Cornelii Scipionis Nasicae.* Quinta Censura M. Popilii Laenatis et P. Cornelii Scipionis Nasicae, qui condiderunt lustrum quinquagesimum quartum a. U. DXCIV. Hic Scipio Censor *primus aqua divisit horas aeque noctium ac dierum.* Plin. lib. XXXIV. (VII, 60.). Cum ait infra Festus M. Popilium postea fratrem suum consulem vidisse, miror equidem, si illud de primo consulatu fratris eius locutus est Festus. Caius enim Popilius Laenas iam ante M. Popilii Laenatis censuram consul fuerat. Nempe anno 580. Infra deest tantum numerus summae, pro qua vadatus erat Scipio; litera enim S. satis ostendit, de sestertiis ibi actum HS. *M. Valerius Messala, C. Cassius Longinus.* Hi lustrum fecerunt quinquagesimum quintum a. DXCIX. (Vid. supra ann. Ant. Aug.). — *L. Cornelii Lentuli, C. Censorini.* Septima haec censura L. Cornelii Lentuli Lupi et C. Martii Censorini, qui condiderunt lustrum quinquagesimum sextum a. U. DCVI. Valer. Max. lib. V. (VI, 9, 10.): L. Lentulus Consularis lege Caecilia repetundarum crimine oppressus Censor cum L. Censorino creatus est. *P. Africani, L. Mummii.* P. Cornelius Scipio Africanus et L. Mummius Achaicus lustrum condiderunt quinquagesimum septimum, a. U. DCXI. Meminit Cicer. lib. II. (c. 64.) de Oratore, ubi scribit Claudio Asello equum a P. Scipione fuisse ademptum, eumque in aerarios relatum, sed a Lucio Mummio statim ex aerariis exemptum. Cuius quidem Mummii in agendo segnitiem notat Plutarch. in Apophtegm. *Sed Q. Fulvii Nobilioris et eius collegae T. Annii Lusci.* Hi condiderunt lustrum quinquagesimum octavum a. U. DCXVII. Quamvis Fulvii Nobilioris collegam fuisse T. Annium Luscum nusquam reperio in veteribus monumentis, sed Q. Fabium Maximum Servilianum. *Q. Pompeii et Q. Caecili Metelli.* Quintus Pompeius Rufus et Q. Caecilius Metellus Macedonicus lustrum condiderunt quinquagesimum nonum, a. U. DCXXII., tunc primum uterque ex plebe facti censores. Q. Metellus censuit, ut omnes cogerentur ducere uxores liberorum creandorum caussa. Eius orationem Augustus Caesar, quum de maritandis ordinibus ageret, velut in haec tempora scriptam, in senatu recitavit. Eundem Metellum C. Atinius Labeo, Tribunus plebis, quia in Senatu legendo ab eo praeteritus fuerat, de saxo deiici iussit; quod ne fieret caeteri tribuni plebis auxilio fuerunt. *Dac. Religionis praecipue.* In Capitolio. *Goth.*

Redinunt. Scripsisse Festum puto: *Redinunt significat redeunt; Ennius in annalibus . . . . redinunt in patriam. Idem etiam prodinunt pro prodeunt; ferinunt, feriunt.* Vide supra in *Prodinunt. Dac. Redinunt. Redeunt.* Sic supra Nequinont pro nequeunt; solinunt pro solent. *Goth.*

Regium. Existimo quaedam pertinere ad regiam Numae Pompilii; quaedam ad alia verba. *Ant. Aug. Regium est, quod aut est, aut fuit regis; ut servus regius, et leges regiae, quales sunt Numae Pompilii, et regium facinus, dignum rege. Scal.*

Regale. . . . . grium rege. Lege: *Regale ait Verrius dignum rege.* Nihil amplius deest. *Dac.*

Romanos. (Ad p. 235.) *In lib. XI.* Haec ita paene olim ad verbum Scaliger. Prior versus Ennii paulo aliter in voce *sos. Contendunt Graecos, Graios memorare solent sos.* Et *Graios*, non *Graii* sententia ipsa postulante legendum esse, nemo dubitare debet. De Ennio qui Graecus fuit, vide in *solitaurilia. Dac.* Post *Regium. Romanos Graecos appellat Ennius: Contendunt Graecos: Graios memorare solent sos. Quod graeca lingua longos per tempori' tractus Hos pavi. — Non Romanos Graece loqui ait, cum Romulus urbis conditor Latine locutus sit; sed quod olim lingua Graeciae gentis eadem fuit cum Latina, parum declinatione mutata.* Puto satis fideliter verba Festi reddidisse, modo secundo versui Ennii verborum constet fides; nam de sententia non ita laborandum, cum ea ex primo versu dependeat, quem primum versum retulimus ex voce *sos;* ubi integer plane ita, uti expressimus, habetur; et ex eius collatione Graios, non Graii, tum etiam sententia ipsa ita postulante legendum esse, nemo dubitare debet. Quodsi ita est, ut certe videtur esse, manifesto Festus seu Verrius non capit mentem Ennii. Nam Ennius gloriatur se pavisse Romanos Graeca lingua; unde Graecos et Graios omnes iam eos vocabant. Certissimum enim, Ennium cum Livio primum omnium Graecas literas docuisse Romanos. Suetonius (De illustr. Gramm. I.): *Antiquissimi doctorum quidem et poetae*

et oratores semigraeci erant. Livium et Ennium dico, quos utraque lingua domi forisque docuisse adnotum; etsi nihil amplius quam Graece interpretabantur. Ex his Suetonii verbis potes colligere, quare glorietur, se pavisse eos Graeca lingua; quod quam eleganter dictum sit, nemo ignorat, qui scit a veteribus id genus loquendi solitum usurpari; ut: *εἰστίασεν ἡμᾶς λόγοις.* Et Cic. (Tuscul. V, 23, 66.): *Literae, qui est suavissimus pastus animorum.* Merito ait Romanos ab omnibus certatim Graecos et Graios vocari; cum Cato hoc videns in senatu exclamaverit, se non posse pati Graecanicam urbem. Vides igitur ex solo primo Ennii versu imperite interpretatum esse a Verrio Ennii sensum, ut iam diximus; quanquam verum est, quod ait in fine, eandem pene cum veteri Graeca veterem Latinam linguam fuisse. Nam et easdem pene veterum Latinorum cum Ionum literis fuisse, testatur Plinius lib. VII. (c. 37.). Quin et linguam Romanorum Graecam fuisse auctor Varro et Dionysius extremo libro primo; et inscriptio illa Delphica, quam producit Plinius, est fere Latinis characteribus scripta: *NAVCIKPATES. TICAMENOV. AΘENAIOC. KOPAI. KAI. AΘENAI. ANEΘEKEN.* Et in veteribus tetradrachmis *AΘEI.* pro *Ἀθῆναι. Scal.*

Rigido. (Ad p. 235.) Multa interpretem desiderant. Vide *Surum.* Ennii versus refertur a Macrobio (lib. VI. c. 3.): *Fert sese campi per caerula laetaque prata. Ant. Aug.* Quae hic tractabantur, non pertinebant ad censum literae R. Quasi videntur aliena hoc loco esse. Nam quid *caerula prata*, quid *Parus insula*, quid denique *surus* habent cognatum aut simile inter se? *Scal.* Verum est, quod ait Festus, caerulum esse a maris nomine; veteribus enim seu mare interius sive Oceanus *caerulum κατ' ἐξοχὴν* vocabatur. In hoc versu: *Rigido tum caerula suro* suspicatus fuisse videtur Festus aliquid latere quod suum esse fateatur Priapus. Tertius versus sic legendus:

Inde Parum per caerula navibus ambullabant.

Ultimum sic Festus in voce *surum:*

— — — *Unus*
Surus surum ferre tamen defendere possunt.

Dac. Rigido locatus. Iocatus. *Caerula prata.* Campi caerula prata, ita Macrobius. *Usurum.* Surum. *Surus.* Vide infra *Surum. Possunt.* Possent. *Rustes.* Fustes. *Goth.*

Reque eapse. Verbum *saepe* bis est scriptum, mendosum autem esse arbitror *spem. Ant. Aug. Quibus de hominibus cum ego saepe atque in multis locis opera, factis, consiliis, reque eapse bene meritus siem. Scal.* Adde *Reapse. Saepe* deesse debet. *Spem.* Siem. *Goth.*

Respublicas. (Ad p. 236.) Et Cicero de Divinat. II. sect. 2.: *Id enim ipsum a Platone Philosophiaque didiceram, naturales esse quasdam conversiones rerum publicarum, ut ea tum a principibus tenerentur, tum a populis, aliquando a singulis.* Legendum infra: *C. Gracchus in ea quam conscripsit de lege Penni de peregrinis.* Is erat M. Iunius Pennus, de quo Cicero in Bruto (c. 28.): *C. Gracchum tuus gentilis, Brute, M. Pennus facile agitavit in tribunatu paullum aetate antecedens.* Pennus a. U. DCXXVII. Tribunus plebis legem tulit, qua peregrinos urbibus uti prohibuit. Cic. de Offic. lib. III. (cap. 11.): *Male etiam qui peregrinos urbibus uti prohibuit eosque exterminavit, ut Pennus apud patres nostros, Papius nuper. Dac. Respublicas multarum civitatum pluraliter dixit C. Gracchus.* Id est: verbum Respublicas usurpavit pro multis civitatibus. *Ennii.* Penni. *Goth.*

Recto fronte. (Ad p. 236.) Ennii versus a Nonio (pag. 378. Merc.) referuntur sic lib. I.: *Inde tuetur ibi lupus femina conspicit amneis.* Et lib. V. (pag. 226. Merc.): *Nomine Pyrrhus, uti memorant, a stirpe supremo.* Et incerto libro (pag. 215. Merc.): *Ilia dia nepos, quas aerumnas retulisti.* Item (pag. 214. Merc.): *Ni metus ulla tenet teneri virtute quiescunt.* Et alibi (cf. Festus supra in v. *Metus.*): *Vivam, an moriar, nulla in me est metus.* Quinctil. lib. I. cap. 10.: *Quanquam Varro in eo libro, quo initia Romanae urbis enarrat, lupum feminam dicit, Ennium, Pictoremque Fabium secutus.* Vide ante *Stiricidium*, et *Specus*, et *Spicum*, et *Metus. Ant. Aug.* Genera nominum pleraque erant ambigua et duplicia. Sic veteribus utroque genere enuntiabantur *Deus, frons, metus, agnus, lupus, porcus, amnis, alvus*, etc. *A stirpe supremo.* Vide *Stirps. Lupus foeta.* Lege ut alii *lupus femina* (Non. l. c.):

Endotuetur ibi lupus femina.

Nulla metus. Vide in *metus. Dac. Ilia Dea nepos.* Id est in feminino nepos. Vide Nonium (pag. 215. Merc.) in *Nepos. Lupus feta.* Vide supra Masculino. Alii legunt *lupus femina.* Nam ita Nonius. Adde I. Quintil. (l. c.). *Hic ovis.* Vide supra Ovis. *Haec agnus.* Vide supra Agnus. *Goth.*

Recipie. L. m. Recipiem. *Fulv. Urs.* Lege *Recipiem*, ut supra *Attingem*, ubi idem error erat. *Scal.*

Redemptitavere. A *redimo*, *redempto*, unde *redemptito.* Quo etiam usus est Plaut.: — *Redemptitavere ad unum captos.* Dac. *Malefacta.* Efacta. Goth.

Repulsior. Nec. Alii *haec.* Alii *Ec.* Goth.

Ratissima. Hoc est certissima, a *ratus*, certus, firmus, unde *ratio*, quod certa sit. Dac.

Regillis. (Ad p. 236.) Vide *Rectae. Ant. Aug. Regillis tunicis albis et reticulis luteis utrisque rectis textis susum versum*, etc. Reticula, fasciae capitales. *Susum* pro *Sursum.* Dac. Regillam vestem diminutive a regia dictam scribit Nonius (p. 539. Merc.). *Actis.* Erectis. *Virginis.* Virgines. *Ominis caussa.* Vide supra *Rectae.* Goth.

Rapi simulatur. Inde Catull. de Hymenaeo (LXI, 2.):

Qui rapis teneram ad virum virginem.

Item (ibid. 56.):

Tu vero iuveni in manus
Floridam ipse puellulam
Matris e gremio suae
Dedis.

Dac. *Trahitur.* Traditur. Goth.

Rapi solet fax. Aliam caussam reddit Servius, qui adhuc latet in Bibliotheca Danielis nostri (pag. 44. ed. Dan.): FACES. Servius: *Quae*, inquit, *solent praeire nubentes puellae, corneae sane faces, quae quasi diutissime luceant, quas rapiunt tanquam vitae praesidia. Namque his qui sunt potiti, diutius feruntur vixisse.* Scal. Vide *facem.* Quod ait Festus ea face combusta, si vir eam comburendam curaret, uxoris mortem significari, vel viri etiam, si eam uxor sub lecto viri ea nocte poneret, illud utique ab historia Meleagri sumtum videtur, cuius vita e fatali quodam torre pendebat, ita, ut tamdiu viveret ille, quamdiu torris incombustus servaretur. Sed eo in ignem coniecto sic et ipse pariter ureretur et evanesceret. Vide Ovid. Metamorph. lib. VIII. fab. 4. in fine (v. 512.). Dac. Vide supra Facem. Patrimi. *Utrisque.* Utriusque. *Alterius utrius.* Alterutrius. Goth.

Ritus. Vide *mos.* Quae sequuntur, plane deplorata sunt, neque ad idem caput pertinere videntur. Dac. *In sacrificiis.* Facit Nonius (pag. 494. Merc.) in *Rituis.* Goth.

Religiosi. Macrob. lib. III. (c. 3.): *Secundum Pompeium Festum religiosi sunt, qui facienda et vitanda discernunt.* Scal. Hic opponuntur superstitiosis, ut et alibi religio et superstitio, l. 2. ff. de iustitia et iure. l. 1. §. 1. ff. de collegiis. l. 30. ff. de poenis. Est exemplum superstitionis, quae et simplicitas in l. 14. §. 5. ff. de religiosis. Adde Nonium (pag. 378. et 431. Merc.) in *Religio.* Goth.

Renovativum. (Ad p. 236.) Vide *Adtestata.* Scal. Renovativa fulgura eadem quae *adtestata.* Sed non satis intelligo, quid ista significant: *cum ex aliquo fulgure functio fieri coepit.* An voluit Festus, cum quod prius fulgur amiserat, illud agere inceperant, etc. Quasi vero et non ante incoeptam rem renovativa illa secunda fulmina dicerentur. Lego: *Cum ex aliquo fulgure significatio fieri coepit.* Nunc omnia plana. Renovativum fulgur secundum fulgur idem significans quod prius significaverat. Nempe scriptum fuerat per compendium *Snfaio.* Et inde natum *functio.* Dac.

Referri. (Ad p. 236.) Livius hoc dicit: *praeferre diem* (*anticiper le jour.* Dac.); oppositum τῷ *Prodicere diem.* Scal. Lex 34. de receptis: *Arbiter ita sumtus, ut diem proferre possit, tamen referre non potest.* Infra censores nominantur L. Julius, et P. Licinius, nempe L. Julius Caesar et P. Licinius Crassus, quos censores fuisse a. U. 664. fidem faciunt tabulae Cap. Dac.

Regalia exta. Quaecunque enim luculenta et laeta essent, *regalia* dicebant. Dac. *Potentibus.* Petentibus. Goth.

Respicere. (Ad p. 236.) *Spicere* et *respicere* propria Augurum verba sunt. Vide in *spectio.* Respici autem avis dicebatur, cum eodem revertebatur, unde eam augur spexerat. Dac. *Respicere autem est.* Avem est. Goth.

Religiosum. (Ad p. 236.) *Non utique sacrum est, ut sepulcra, quod ea non sacra, sed religiosa sunt.* Sic Festi verba sarciri possunt. *Ant. Aug. Religiosum ac sacrum est.* Ut templa omnia, quae sacra sunt, quia Deo consecrata. Religiosa vero, quia plena maiestatis, atque quod ibi sit aliquid quod homini facere non liceat. Sic *religiosa delubra* dixit Cicero. Differentias inter sacrum, sanctum et religiosum vide infra. *At quod per se religiosum.* Optime: sepulcra enim non consecratione et verbis solennibus, sed illatione mortuorum religiosa efficiebantur. Unde neque arari ea neque coli ius fuisse, docet Cicero de Legg. lib. II.

(c. 22.): *Priusquam in os iniecta gleba est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet religionis, iniecta gleba; tum et ille humatus est et sepulcrum vocatur, ac tunc denique multa religiosa iura complectitur.* Dac. *Ad.* At. Goth.

Reus. (Ad p. 237.) Sed exemplo adiuvat interpretationem Numa in secunda tabula, secunda lege, in qua scriptum:

SEI. QUID. HORUM. FUAT. UNUM. IUDICEI. ARBITROVE. REOVE. DIES. DIFFUNSUS. ESTO.

Nunc uterque actor reusque in iudicium evocatur, itemque accusator de via citur more vetere, et consuetudine antiqua. Scal. *Reus nunc dicitur, qui caussam dicit.* Reus nunc dicitur is, qui rem promisit ac debet, hoc est, unde quid iudicio petitur, inde reus stipulando et stipulandi dicitur, qui stipulatus est. Reus promittendo et promittendi, qui promisit. Reus debendi, qui debet, etc. *Reus, qui est cum altero l. con.* Hoc est omnis litigator. Cic. de Orat. II.: *Reos appello, non eos modo, qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur. Sic enim olim loquebantur. Quippe sua nomine*, etc. Legerem: *Quippe sua nomine ab altero quod stipulatus est. — Sed exemplo adiuvat.* Verba legis: *si quid horum* ad exceptiones, quae reo vel iudici dabantur, pertinent, ut est *morbus sonticus, funus familiare*, etc. Si iudex, vel alter uter ex litigatoribus morbo sontico impediebatur, lex iubebat, diem iudicii esse diffisum, hoc est prolatum, et in diem alterum reiectum. Dac. *Reus cum pro. Reus cum pro utroque litigatore poni, ut in eo, qui in aliquem agit, tum pro eo, qui dicit pro se, auctor . . .* reliqua non potui expiscari. Et supra iam dixerat Reum tam pro eo, qui convenit, quam pro eo, qui convenitur, a veteribus usurpatum. Scal. *Reus cum pro utroque.* Ita Schedae. Sed iis puto quoddam desiderari, neque mihi sensus videtur integer. Scriptum forsan fuerat: *Reus c. p. u. p. recte ait Sinnius in eo quem de reo inscribit. Et cum dicit pro se*, etc. Ista: *et cum dicit*, etc. verba sunt Sinnii: Nihil aliud video, et hanc meam coniecturam mordicus obtinebo, donec aliquis probabilius quid in medium proferat. Dac. *Reus.* Id verbum passim in iure, et specialiter Titul. de duobus reis. *Reus stipulando.* Qui et reus stipulandi in l. 1. ff. de duobus reis. *Quid horum.* Quid horum fuit vitium iudici arbitrove reove dies distensus, vel diffusus esto; vel diffusus est. Vide l. 2. §. 3. ff. si quis cautionibus. *Actor reusque.* Actorum reique. *Me.* Reus. Goth.

Roscii. Referebatur a Festo locus Ciceronis de Orat. lib. I. cap. 28.: *Itaque hoc iamdiu est consecutus, ut in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere Roscius diceretur.* Quae sequuntur fragmenta versuum, videntur pertinere ad Rustica vinalia. Ant. Aug. Infra: *Roscii appellari solent in arte aliqua perfecti, quod Roscius Comoedus in arte sua perfectus fuerit, adeo, ut nihil ei deesset ad perfectionem; ut lib. I. (27.) de Oratore ait Cicero.* Deinde aliud caput: *Rustica vinalia mense Augusto Veneri dicata sunt, quod eodem illo die aedes ei consecrata sit. Iumenta quoque, olitores, et omnes horti in eius tutela sunt.* De iumentis autem mentionem fecit, quia iumenta coronata eo die ab opere cessabant; quanquam non eo die, sed altero ab illo, hoc est Consualibus cessare solita ait Plutarchus in Quaestionibus. Scal. *Roscii vulgo appellari solent.* Hunc locum ita suppleverat olim Scaliger. Locus Ciceronis, quem Festus intelligit (de Orat. I, 28, 130.): *Itaque et ad hanc similitudinem huius histrionis oratorinm laudem dirigamus, videtisne, quam nihil ab eo, nisi perfecte, nihil nisi cum summa venustate fiat? Nihil nisi ita, ut deceat, et uti omnes moveat atque delectet?* Dac.

Rustica vinalia. (Ad p. 237.) Vide supra *Rustica vinalia.*

Raucos. Raucos appellatos esse ait ab ariditate, vel a similitudine spicarum aristae. In spicis enim frumenta rava appellari docet. Glossarium: *Ravus*, καρπός. Vult fructum quemvis maturum Ravum vocari; Festus tantum frumenta in spicis. Scal. *Raucus* a *ravus* c addito, ut a *parum parcus.* Dac.

Rica. Ex verbis Festi satis apparet, ne inter veteres quidem satis convenisse, quid esset *rica.* Vel dicendum est vestimentum quadratum, quo Flaminicae pro palliolo mitrave utebantur, quod ego interpretor flameum; et vestitum ex lana alba, quem ego tutulum accipio, togam etiam et cingulum capitis, *ricam* fuisse vocatam. Sane ricam vestimentum quadratum sive flameum, sive capitis tegumentum fuisse, indicio est, quod eo Flaminicae pro palliolo mitrave utebantur, quae assidue flameo erant amictae, ut supra in *flameo.* Et illud Turpilii in hetaira: *Interea aspexit virginem in capite gestantem riculam indutam ostrinam.* Et illud Germanici Caesaris: — *Et ore Velato tristique genas abscondita rica.* Item illud Varronis lib. IV. de L. L. (p. 133. Sp.): *Rica a ritu, quod Romani ritu sacrificium foeminae cum faciunt, capita velant.* Praeterea et illud Gellii de Euclide Socratico qui *sub noctem, cum advesperasceret, tunica longa muliebri indutus et pallio versicolore amictus et caput rica velatus e domo sua Megaris Athenas ad Socratem commeabat.* Unde Nonius (pag. 539.

Merc.) *ricam* interpretatur *sudarium*, quod est capitis tegumentum, ut in sacris literis accipiunt interpretes, Gallici etiam, qui *sudarium* exponunt *couvrechef.* Inde etiam tutulus facile vocari potuit *rica.* Erat enim tutulus Flaminicarum et Flaminum capitis ornamentum. Vide *Tutulus.* Togae praeterea genus quoddam *ricam* fuisse in *recinio* supra probavimus. Ricam denique pro cingulo capitis, hoc est fascia capitali usurpatam ostendunt ista Gellii (X, 15, 28.): *Et quod in rica surculum de arbore felici habet.* Ubi etiam, si sedulo locum inspicias, rica nihil aliud est, quam *tutulus*, fascia capitalis in altitudinem exstructa in cuius apice erat surculus. Quare tota haec de rica et ricinia disputatio duobus tantum capitibus nixa est. Prius est, ricam togae quadratae genus fuisse; alterum, cingulum sive quodvis aliud capitis tegumentum. Nunc lectoribus haud ingratum fore arbitror si disquiram, et cur rica ita accepta et unde dicta sit. De etymo quidem doctissimo Vossio assentior qui putat, *ricam* esse a ῥέκος, *cingulum.* Hesych.: ῥέκος, ζῶμα, ϑώνη. Idque multo probabilius, quam quod Varro, cui *rica* a *ritu*, vel Servius, cui *rica* quasi *reica* a reiiciendo. Primum igitur vincula, lora, fasciae capitales et κεφαλόδεσμοι quilibet ricae sunt dictae, et deinde ob similitudinem, pilei, sudaria, diademata, mitrae, et quaevis alia κρήδεμνα capitis tegumenta. Quae omnia quia *pilea* et pileola dicebantur, inde factum est, ut postea toga quadrata etiam *rica* dicta sit, nam pallium tegumentum quadratum capitis et togam quadratam significat; inde et *recimati* mimi qui et *palliati* dicti sunt, ut supra notatum. Idem recinium quod *rica*, nempe toga quadrata, ut supra ostensum est, et capitis operimentum, sive cingulum, quod et aliter dicitur *Mafurtium.* Nonius (pag. 542.): *Ricinium, quod nunc mafurtium dicitur, palliolum femineum breve.* Nam ibi palliolum de operimento capitis intelligendum est, ut in verbis Festi, quo Flaminicae pro palliola utebantur. Sic κρήδεμνον, quod est *rica*, *ricinium*, Eustathius interpretatur μαφόριον, et Latini maforium. Isidorus appellat *maforte* et *mavortem*; Servius *mavorte.* Mafortium autem ut et μαφόρτιον de fascia, vitta sive taenia, capitulo et sudario sive capitis tegumento dictum est. *Dac.* Ea postea sudarium dicta; vide Nonium (pag. 539. Merc.) in *Rica.* *Quo Flaminicae.* Vide Varr. IV. de L. L. (l. c.). *Patrimae et matrimae.* Vide supra *Patrimi* et *Matrimi.* *Goth.*

Respici avis. Hic solus versus pertinet ad epitomam; neque aliud quidquam amplius praeter quam quod in Epitome continetur, a Festo tractatum fuisse puto. Reliqua quae sequuntur tantum abest ut huc referenda sint, ut potius importune a suo loco divulsa fuerint. Coniungenda enim sunt cum iis, quae de verbo Resecrare supra posuit, statim post lineam: *cumque comitia*, etc. ita: *Resecrare, resolvere religione utique cum reus populum comitiis oraverat per Deos, ut eo periculo liberaretur, iubebat magistratus eum resecrare. Rursus idem, uti se liberarent, insistebat; et quod insons innocensque esset causabatur, ne in carcerem esset eundum. Iterum, ne in se innocentem animadverti statuerent, deprecabatur; cumque comitia essent dimittenda, peracto sacrificio, quasi finis impetratus esset, post comitia perfecta sumi iubebant eum sacerdotes suo more alisq . . . et secundum consuetudinem luci, in quo sacra facerent, a calatoribus ingeniculato statuebatur et vinum in caput infundebatur eius cum imprecatione.* Omnino vere, ni fallor, arbitramur haec male divulsa fuisse ac distracta, quae sententia ipsa et mos consecrationis reorum hactenus ignoratus tam belle inter se coniungit. Pro illis corruptis *alisq.* non obscurum est legendum *a lictoribus*, quos postea vocat calatores. Ii, ut alibi dicitur, sunt sacerdotum ac sacrorum collegiorum servi. Cum in rei caput vinum infundebatur, apparet, id fieri solitum, ut in eum omnis religio contracta verteret. Religio enim contracta intelligitur ex obsecratione, quapropter non aliter resecrabatur, id est sacro aut religione solvebatur magistratus, quam si piaculum contractae religionis in rei caput verteret. *Scal.* Post: *Respici avis tunc dicitur, cum . .* spatium aliquod relinquendum fuerat, nempe ad ea quae desunt, capienda: *cum eo redit, unde eam augur spexerat.* Reliqua omnia pertinent ad resecrationis ritum ut vidimus in *resecrare. Dac.* Adde supra *Auspicium.* Hinc *spectio* Varroni de L. L. V. (VI. pag. 258. seq. Sp.); verbum Augurale. *Goth.*

Remisso exercitu. Ut confidentis hominis esset praestare omnia, quae desiderantur hic, verba repraesentari posse; sic morosi et anxii omnia tanquam sint in numerato, exigere. Hic aequum iudicem postulo, ut in id tantum, quod facere possum, me condemnet, hoc est quantum ex sententia indagari poterit, non quantum verborum ipsorum ratio postulare videtur. Propemodum auguror quid Festus velit, idque non eius integris, sed partim eius, partim meis verbis, si potero, declarabo ita: *Remisso exercitu simul et Augur, quo Consul usus est in auspicando, abire iubetur. quod tunc eo abeunte certum est, exercitum esse remissum; ut cum opus sit, tunc si velit, abire possit. Nam Consules aut Censores non in perpetuum ipsis auguribus utuntur, ut ait . . . . sed in auspicio, quos postea dimittunt. A quo ex lege secures habitae sunt prius, eum et priorem esse ait Antistius Labeo. eadem quoque lege significari priorem esse in auspicando dicitur, ut ait idem in libro de officio auguris. Potest autem aut id in consilio facere, aut si quo alio volet loco pullis pultem obiiciens solistimum facit auspi-*

cium; aut etiam, si velit, intra pomerium: sin autem, in templo consistit. Primum quod hic dicitur, augures adesse Consuli exercitum imperanti, et comitia centuriata habenti, plane id confirmatur his Varronis verbis ex quinto de sermone Latino (VI. p. 273. Sp.): *Hoc nunc aliter fit atque olim. Quod Augur consuli adest tum, cum exercitus imperatur ac praeit, quod eum oporteat dicere. Consul Auguri imperare solet, ut inlicium vocet, non accenso aut praeconi. Id inceptum credo, cum abesset accensus, et nihil intererat, cui imperaret. et dicis caussa fiebant quaedam neque item facta, neque item dicta semper.* Et in lib. III. (c. 2.) de re rustica: *Ibi Appium Claudium Augurem sedentem invenimus in subselliis, ut Consuli, si quid usus poposcisset, esset praesto.* Porro ita magistratus Auguri denunciabant: *Q. FABI TE VOLO MIHI IN AUSPICIO ESSE.* Augur respondebat: *VOLO.* Consul autem, ut ait, auspicabatur aut intra pomerium, aut in templo consistens; in quibus locis semper ei auspicanti praeibat Augur, ut notum est ex verbis, quae paulo ante ex quinto de sermone Latino retuli. Idem ait, non dubitari priorem esse Consulem, qui prior fasces habeat, hoc est, qui ea lege prior factus sit consul, ut supra locutus est in verbo *parare;* quod reponendum est post Pappi. Eandem autem legem interpretatione ad auspicia quoque trahebant; uti scilicet cuius priores essent fasces, eiusdem prioris essent et auspicia. Ex istis et ex aliis quam plurimis passim possumus advertere, quam aequi boni beneficium Pauli interpretari debeamus, qui maximam a posteritate gratiam se initurum speravit, si de bono autore male promereret, quem meliore sui parte mutilaverit, ita ut cum ex Atlante nanum se facere posse contendit, ex homine integro mancum et mutilum nobis proponat. *Scal.*

Repertum. Lege ut in Epitome: *quasi repartum; reperio* enim est a *re*, id est rursum et *pario. Dac.*

Rictus. Pessime Festus *rictus, rixa, rixosus, ringi* ducit a *rumpendo*, sive potius a *regendo. Rictus* enim est a *ringo; ringo* autem a Graeco *ῥῖνες, nares*, quia irascentes solent eas corrugare. Nisi apud Festum pro *regendo* rescribendum sit *rigendo*, ut *ringo* sit a *rigeo* addito *n* et coniugatione mutata. Neque id prorsus ratione caret, cum a nimio fere frigore soleamus *ringere.* Unde et apud Varronem de R. R. lib. I. c. 45., ubi de segetibus: *supra terram*, inquit, *aere frigidiore ringuntur.* Sic enim legendum est, non *tinguntur*, ut quidam libb. editi. vel *restinguuntur*, ut legebat Scaliger. Sic idem Varro a *rigendo* fecit *rixari* pro *ringi*, cap. 47. eiusdem libri: *prius enim aridae factae rixantur, ac celerius rumpuntur. Rixantur*, id est *deducuntur, ringuntur*, neque enim ibi *rixari* est a *rixa*, quod huc usque interpretes fefellit. *Rixa* autem et *rixosus* non a *rumpendo* vel *rigendo*, sed a Graeco *ἐρίζω, ἔρις. Dac.* Vide Nonium (pag. 455. Merc.) in *Rictum* et *Rictus. Rixae.* Vide l. 4. ff. de vi bonorum; l. ult. ff. de sicariis. L. 52. §. 1. ff. ad l. Aquil. Glossis: *Rixa, μάχη. Rixiosae.* Rixosae. *Ringitur.* Glossis *πικραίνεται, ὀργίζεται.* Adde Nonium (pag. 165. Merc.) in *Ringitur.* Iisdem *Rictum*, Mensura oris. *Goth.*

AD LIBRUM XVII.

Sesopia. (Ad p. 237.) *Sopia* vel *sesopia* pro sedilibus vox, ni fallor inaudita. *Solia* potius scriberem. Plaut. in Trucul. (II, 8, 5.) *esopitius*, nisi mendum sit. *Ant. Aug.* Esopia vulgo dici ait sedilia, quae in Saliari et Augurali carmine *sesopia.* Sed utraque vox mihi aeque ignota; eam redonavit Plauto Meursius in Truculento e vett. codd.: *quo pacto excludis, quaeso, esopiis, planius. Dac.* Locus Festi haud dubie plane ex vano confictus ab Ursino est. De Plauti loco cf. Goellerus ad l. c., qui legit: *Quo pacto excludis? Quaeso, potine planius?*

Susque deque. Plaut. in Amphit (III, 2, 5.):

Atque id me susque deque esse habituram putat.

Vide Gell. lib. XVI. cap. 9. Non placet interpretatio, ut sit idem, quod *plus minusve*, neque etiam idem, quod *usque.* Malim *pro nihilo* aliudve simile. *Ant. Aug.* Fallitur Festus; *susque deque aliquid habere* est parvi facere, an sursum vel deorsum feratur. Nam *sus* dicebant pro *sursum* et *de* pro *deorsum. Dac.* Nolim vituperare Festum. *Susque deque habere* nihil est aliud nisi hoc: pariter *altum* atque *imum habere*, i. e. pariter magni atque parvi aestimare, id quod Festus haud dubie volebat, quum dixit *plus minusve.* Ceterum *sus* non ortum ex *sub*, sed ex Sanscrita praepositione *ut*, sursum.

Sonivio. Utitur hoc verbo Cicero in epist. ad Caecinnam lib. VI. epist. (6.). *Ant. Aug.* Cicero Caecinnae: *Neque ex tripudiis solistimis, aut soniviis tibi auguror.* Plinius de nucibus iuglandibus (XV, 22.): *Quae causa eas nuptiis fecit religiosas, tot modis foetu munito; quod est verisimilius, quam quia cadendo tripudium sonivium faciant.* Manifesto errore legitur in vulgatis Plinianis *sonumve faciunt.* Servius Danielis (pag. 277. ed. Dan.) in illud: — *tremere omnia visa repente.* (Aen. III, 90.): *Hoc augurium*, inquit, *iuxta*

auguralem disciplinam dictum est, quod appellatur Tripudium sonivium (legitur *sonubium*), *id est a sono. Ad quod pertinet, si arbor sponte radicibus cadat, si terra tremat, quod hic Aeneae factum ostendit, antequam voce divina responsa perciperet.* Haec ille vetustissimus interpres. *Scal.* Infra: *Sonivio significat in Carmine Saliari, item in commentario augurali, sonanti.* Aliud caput: *Sonivium tripudium dicitur, ut ait Pulcher, quod sonet, ut cum pullo excidit puls quadrupedire aliqvid ex ore.* Vide *Solistimum. Idem.*

Sine sacris haereditas. Verba Festi desiderant haec, aut his similia: *Sine sacris haereditas in proverbio dici solet, cum aliquid obvenerit sine ulla incommoda appendice.* Plautus hoc verbo utitur in Captivis (IV, 1, 8.): *Sine sacris haereditatem sum aptus offertissimam;* et in Trinummo (II, 4, 83.): *Caena hac annona est sine sacris haereditas. Ant. Aug.* Veteres Romani habebant sacra privata, quae colebantur maxima religione, eaque, ut perpetua manerent, familiis prodebantur, ut ex leg. XII. Tab.: *SACRA PRIVATA PERPETUO MANENTO.* Ita qui haereditatem alicuius adibat, cogebatur etiam sacra eius suscipere. Et hoc erat inter onera haereditatis. Inde sine sacris haereditas de bonis iis dicitur, quae nullam incommodam habeant appendicem. Plaut. Capt. IV, 1, (8.). *Dac.* Cf. Lambinus ad Plaut. Capt. l. c.

Suppum. Graeci ὕπτιον dicunt *supinum. Silvas* autem veteres scripsisse, non *sylvas*, omnia antiqua monumenta testantur. *Ant. Aug.* Versus Lucilii:

Si vero das, quod rogat, et si suggeri' suppum;

significatum proverbialem habet, hoc est, si illi ex sententia respondes, si quid optat, facis. *Suppus* est pars tali lusorii, quae Graece ὕπτιος dicitur. Cum talus ita caderet, ut supina pars, quae vocabatur, superior esset, erat felix iactus. *Suppi* meminit Isidorus. *Scal.* Lege: *Videlicet pro adspiratione ponentes literam S. Suppus* est a Graeco ὕπτιος eiecto τ, ὕπιος, ὑπός, *supus, suppus. Dac.* Vide Isidor. XVIII, 65. *Goth. Ponentes literam. Ponentes S literam*, ita lego, et a me est, id quod scripsi in *Semis* et *Serpsit* et in verbo *Sulci. Idem.*

Sempronia. (Ad p. 238.) Videtur repetendum esse verbum *horrea* post verbum *fuerunt.* Loquitur autem de lege Frumentaria C. Gracchi, de qua Cicero Tuscul. lib. III. (c. 20.) et Flor. Epit. 60. *Ant. Aug.* Adde Beier. ad Cicer. Offic. II, 21, 72. pag. 140.

Statua est Ludii eius. (Ad p. 238.) Hinc intelligendus locus Pub. Victoris, qui in octava urbis regione sic scribit:

Ficus Ruminalis et Lupercal Virginis.
Columna cum statua M. Ludii.
Graecostasis.

Haec enim est columna et statua, de qua hic Festus. Quamvis de hoc Ludio nihil alibi me legisse memini. Illud tantum constat, ante Ancum Martium vixisse, qui Ianiculum urbi addidit, ubi primo fuerat hic Ludius sepultus. Nam veteres Romani, nisi ex prodigiis et oraculorum responsis admonerentur, ut hic factum est, intra urbem neminem sepeliebant, praeter duces eos, qui in proelio pro rep. vitam amiserant, ut Nauti et T. Sicinii consulatu Opiter Verginius Tricostus, Valerius Laevinus, Postumus Cominius Auruncus, aliique Tribuni militares proxime circum combusti sunt, ut supra Festus post *Novalem agrum. Dac.* Cf. supra ad v. *Nauti consulatu*, pag. 536. seq.

Servilius lacus. Vicus iugarius in octava Urbis regione a Victore memoratur; idem et Thurarius, ubi sunt arae Opis et Cereris cum signo Vertumni. Tuscum, opinor, vocat Varro (lib. V. p. 51. ed. Sp.). Diversus erat a vico unguentario, qui in eadem fuit regione, ex eodem Victore. Illum tamen Anonymus urbis Romae descriptor unum et eundem credidit. *Dac. In quo loco fuit.* Apuli et Siculi religionis caussa fontibus suis simulacrum Herculis apponebant, quia is extincta hydra aquas purgaverat. Inde et Thermae Himerae urbis in Sicilia, item Oetae montis et Pylarum in Thessalia in tutela Herculis fuerunt, ut Pindari et Sophoclis interpretes scribunt. Sunt et qui omnes Thermas eidem esse sacratas velint. Herculeae thermae Mediolani nobiles. Hunc morem respexit M. Agrippa, cum hydram ipsam ad lacum Servilium posuit. *Idem. Eo.* Ab eo. *Goth.*

Sonticum. Glossarium: *Sonticus morbus,* ἱερὰ νόσος. Infra: *Sontica caussa dicitur a morbo sontico, qui quid gerendum agere non permittit. Cato de regis Attali vectigalibus.* Reliqua non potui. *Scal.* Qui vere in caussa est, cur quod agendum erat, agere desistimus, quare a Festo optime *santicus* exponitur certus, cum iusta causa. Inde Horat. *sonticam chiragram* iustam dixit Sat. 7. lib. II, (15.): *Postquam illi iusta chiragra Contudit articulos.* De morbo sontico vide Gellium lib. XVI. cap. 4. et lib. XX. cap. 1. *Dac. Qui nocent.* Leg. *qui nocet* vel *qui noceat. Idem.*

Sacram viam. Sunt quaedam mendosa. Illud praesertim: *nec appellari debere*, videtur desiderare *sacram viam.* Vide *October*, quo loco Sacravienses appellantur, qui in Sacra via habitant et Suburanenses, qui in Subura. Verrii autem opinio mihi supervacanea videtur, si eos tantum reprehendit, qui coniuncte haec enuntiarent. Quis enim ita locutus est? Si vero existimat debere dici sacram et novam, non sacram viam et novam viam, tunc solus sine rivali se amet per me licet. Vid. Varro lib. IV. de L. L. (V. p. 53. Sp.) de sacello *Streniae. Ant. Aug.* Idulia sacra dicta ab ove Iduli, quae quotidibus Iovi immolabatur. Ovidius (Fast. I, 55.):

Idibus alba Iovi grandior agna cadit.

Vide Coniectanea (pag. 21. ed. St.). *Scal.* Signa foederis initi in ea extabant tempore Servii Honorati, Regibus diverso itinere venientibus; Romulo a Palatio, Tatio a Rostris. Vide Servium ad illud VIII. Aeneid. (641.): *Caesa iungebant foedera porca. Dac. Idulium sacrorum.* Sacra haec idulia via sacra in arcem ferebantur. Varro lib. IV. de L. L. (V. pag. 53. ed. Sp.): *Ceroliensis a carinarum iunctu dictus carinae: postea cerionia, quod hinc oritur caput sacra viae ab Streniae sacello, quae pertinet in arcem. Qua sacra quotquot mensibus feruntur in arcem, et per quam augures ex arce profecti solent inaugurare. Dac. Ad sacellum Streniae.* Strenia Dea dicta, quod Strenis Kal. Ian. dandis accipiendisque praecesset. Illud sacellum in Reg. IV. Sed perperam apud Onuphrium *sacellum Strenuae. Idem. Nec appellari debere.* Quaedam hic deesse videntur, et alia etiam transposita. Legendum puto: *Nec sacram viam appellari debere ait Verrius, sed disiuncte, ut caeteras vias, Flaminiam, Appiam, Latinam, ut ne novam viam quidem, sed viam novam.* Non dici debet, inquit Verr., *Sacravia* unica voce, sed disiuncte. Neque solum disiuncte, ut nova via, sed *via nova, via sacra,* ita ut praeponatur substantivum. Sic optime Horat. (Sat. I, 9.): *Ibam forte via sacra.* Qui tamen in Epod. (IV, 7.): *Sacram metiente te viam*, ubi *Sacram* praemisit. Sed hoc nihil contra mentem Verrii, qui intelligit viam debere praeponi, cum utraque vox simul effertur. *Dac.*

Scita plebei. (Ad p. 238.) Plebeiscita, vel plebiscita ea sunt, quae tributis tantum comitiis plebs scivit, tribuno plebis rogante. Liv. lib. XXVI. (c. 33.): *Id apud maiores nostros in Satricanis factum est, cum defecissent, ut M. Antistius Tribunus plebis prius rogationem ferret, sciretque plebs, uti senatui de Satricanis sententiae dicendae ius esset.* Vide infra et in *Populi commune. Dac.* Vide §. 4. Instit. de iure naturali. *Goth.*

Solitaurilia. Contra Aci . . . verveces maiales, qui. Haec mendosa sunt aut delenda, aut emendanda: *Contra Acilius verveces maiales, quia* etc. vel *contra accidit verveci maiali, quia.* Sed neutrum placet. Videndum etiam, an mendose scribatur *inviolati sunt tauri*, et in fine videtur posse scribi *mutas semivocales. Ant. Aug.* Scribe: *quod omnes eae solidi integrique sunt corporis, contrarii verveces maialesque, quia* etc. Quod ait tauros, id est virilia caedi in castratione, intellige de ea castratione, quae fiebat in ipso sacrificio. Verrea enim, aries, taurus, cum admovebantur arae mola mactati, priusquam corio exuerentur, castrabantur. Vide Martialis Epigramma lib. III, (24.) cuius initium:

Vite nocens rosa stabat moriturus ad aras
Hircus, grata tuis victima, Bacche, sacris.

Glossarium: *Solitaurilia, θυσία ἐκτος κριοῦ καὶ ταύρου.* Scribe: ἐκ συὸς, κριοῦ etc. *Scal.* Scribe ex iudicio Scaligeri: *Solitaurilia hostiarum trium diversi generis immolationem significant, tauri, arietis, verris, quod omnes eae solidi integrique sunt corporis, contrarii verveces maialesque, quia solum Osce totum* etc. Ait *Solitaurilia* dici a *solo*, id est *toto*, et *tauris*, id est virilibus, quod tunc illis hostiis inviolati tauri relinquerentur, contra quod in sacrificiis fieri consuerat. Nam hostiae cum admovebantur arae mola mactati priusquam corio exuerentur, castrabantur. Martial. Epigr. 24. lib. III. *Dac. Et quae mella portet laxata cavaque sunt.* Ut infra *Solida sella. Idem. Sunt quidem qui putent.* Ait esse qui putent *solitaurilia* esse ex *solido* et *tauro*, id est bove, ita ut ex tribus hostiis tauri praecipue nomen hic assumptum fuerit, quod earum esset maxima. *Idem. Quidam dixerunt. Solitaurilia* quasi *suovetaurilia.* Sane et apud Liv. lib. I. (c. 44.) integre legitur *suovetaurilia.* Verum hoc ille nimis audacter forsan. Nam etsi ex tribus illis nomen esset compositum, ex eorum particulis potius coiret. Quinctil. lib. I. cap. 5.: *Nam*, inquit, *solitaurilia iam persuasum est esse ex sue, ove et tauro. Et sane ita se habet sacrum, quale apud Homerum quoque est. Sed haec non tam ex tribus, quam ex particulis trium coeunt. Idem. Quod sit a sollo et tauris.* Lege: *Quodsi a sollo et tauris earum hostiarum ductum est nomen, antiqua consuetudine per unum l* etc. De Ennio supra in *Regium. Idem.* Vide infra *Solla. Goth.*

Secordiam. *Secordia*, pro quo postea *socordia*, ut *sebrius* post *sobrius*. Gloss.: *Socors*, ἀκάρδιος, ἄφρων, hoc est *sine corde*, *stultus*. *Socordiam* a segnitia eo distinguit Donat. (ad Terent. Andr. I, 3, 1.), quod animum secordia, segnitia vero corpus spectet. *Segnitia*, inquit, *ad agendum*, *socordia ad considerandum*. Supplendum in verbis Catonis: *Quod ostenderitis immensam* etc. vel quid simile. *Dac.* Alii *Socordiam*, ut et Glossae. *Goth.* *Ex se*, *quod est sine*. Vide supra *sed pro sine*, unde quidam hic legunt *sed*. *Idem.*

Semis, *semodius*. *Semis*, *semodius*, *semuncia* a Graeco ἥμι ducuntur et pro aspiratione habent *s*, qua ratione et multa alia. *Dac.* Vide infra *Serpsit*. *Goth.*

Sublicium. (Ad p. 239.) Livius sub Anco rege Ianiculum adiectum esse scribit et ob commoditatem itineris ponte sublicio tum primum in Tiberi facto coniungi urbi placuisse. Eiusdem pontis defensio ab Horatio Coclite narratur ab eodem Livio lib. II. (c. 10.). *Sine ferreo clavo fuisse ita disposita contignatione, ut eximerentur trabes sive sublicae, ac sine fulturis reponerentur*, Plinius auctor est lib. XXXVI. cap. 15. Ab hoc ponte saepius a pontificibus refecto, ut cis et uls Tiberim sacra fierent, pontifices dictos esse Varro existimat lib. IV. de L. L. (V. pag. 87. seq. Sp.). Idem lib. VI. (VII. pag. 329. seq. Sp.) ait ab hoc ponte Argeorum simulacra quotannis a sacerdotibus iaci solere. Pons dictus est a *sublicis sublicius*. *Sublicarum* mentio fit a Caesare lib. IV. de bello Gall. (c. 17.) Livio lib. XXIII, (37.) Vitruvio lib. III. cap. 3. Festus tamen *sublices* appellasse videtur, ut *elices* quoque dicuntur, et aquae *licium* vocatur ab *eliciendo aqua*, vel, ut aliis videtur, *a liquenti aqua*. Utitur exemplo Sallustii in historiis, qui *sublicibus cavata* dixit. *Ant. Aug.* Festus dicit *sublices*, non *sublicas*, quod et in Sallustiano exemplo erat. Sic etiam veteres Glossae: *Sublices*, καταπῆγες, οἱ ἐν ποταμῷ γέφυραν ὑποβαστάζοντες. Referebat praeterea Festus opinionem eorum, qui vocabulum Volscum esse aiebant, quod non aliter Formiani tigna, quibus eorum pons surrectus erat, appellabant; item eorum, qui dicebant, Sublices ab eo dictas, quia sub eis aqua liquens laberetur. Sed nos censemus *sublicam* dictam, ut *obliquam*: et intellige trabem. *Sublicus* ergo et *oblicus*, vel *subliquus* et *obliquus* composita sunt, quorum simplex *liquus* vel *liquis*. Vetus auctor loquens de figuris et lineamentis: *Omnem autem summitatem metiundi observationes sunt duae: enormis et liquis. Enormis, quae in omnem actum rectis angulis continetur. Liquis, quae minuendi laboris causa et salva rectorum ratione angulorum secundum ipsam extremitatem subtenditur. Scal.* Infra in verbis Naevii Saturnium versum agnosco:

Quam liquidum tranat sublicio ponte amnem.

Et alibi:

E tabulis adhuc qui nomen obtinet pons
Sublicius.

Et Sallustius etc. Nihil tamen affirmo. Neque enim mihi et homini et adhuc iuveni tanta fiducia. Ista potius doctioribus relinquo, qui certius de iis pronunciabunt. Ea mihi certe spes est, fore, ut aequi harum rerum aestimatores conatibus nostris faveant, praesertim si subinde sese homines recordentur, humanique nihil a se alienum existiment. Sed redeamus. Verba Sallustii quae Festus laudabat, aliquid comminiscendo velle edere nimis periculosum est. Quare nihil tentabo, hoc unum dicam τὸ (v.) *inrumiendi* corruptum esse, forte pro *inveniendi*. *Dac.* Sublices ad Sublicium pontem agentes erant et qui manum ad stipem porrigebant. Seneca de vita beata cap. 25. *Goth.* Neuter versus Naevii ita ut a Dacerio est constitutus, Saturnium exhibet metrum. Credibilius est versus ita supplendos esse, quales ab Ursino ex parte iam restituti: *Quum líquidum Sublíció tranat ponte ámnem.* Et: *Ab tábulis qui adhuc nómen rétinet Sublíciús pons.*

Supervacaneum. Lego: *Id tantummodo, quod sufficiat satisque sit familiae* etc. Hic autem *supervacaneum* ponitur pro *supervacuo*. Et inter utrumque id differentiae statuunt Grammatici, ut *supervacaneum* id dicatur, quod non est necessarium. Supervacuum, quod abundat et superfluit. Quamvis illud discrimen non observarunt veteres. *Dac.*

Strufertarios. Cato in libro de re rustica ita scribit (134.): *Priusquam messim facias, porcam praecidaneam hoc modo fieri oportet.* Et postea: *Priusquam porcam feminam immolabis Iano struem commoveto sic: Iane pater te hac strue commovenda bonas preces precor* etc. *Ferctum Iovi moveto et mactato sic: Iuppiter te hoc fercto obmovendo bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi, liberisque meis, domo, familiaeque meae. Mactus hoc fercto* etc. *Ant. Aug.* *Strufertarios antiqui soliti sunt appellare homines conductitios, qui ad lucos vel arbores fulguritas aut piaculariu commissarum causa strue et ferto sacra faciunt his verbis: Oro te Iupiter, uti mihi volens propitius sis, quod et nullo etiam adhibito strufertario fiebat.* Haec Festus, ut appareat maiora spatia in editione relicta esse, quam opus sit ad ea, quae desiderantur, capienda. Ex his cognoscimus, quantum odorari potuimus, *strufertarios* fuisse, qui huiuscemodi superstitioni obeundae

operas locabant: quos *Fertores* etiam dictos superius ex Isidoro notavimus. Quod enim arbores fulguritae piaculis procurari solitae essent, notum est cum ex aliis veterum monimentis, tum ex tabula, quae Romae ante hos V. annos effossa est; quam mihi eruditissimus ac nunquam satis laudatus Cl. Puteanus communicavit. In ea primum ita legitur: *IIII. ID. DEC. FRATRES. ARVAL. IN. LUCO. DEAE. DIAE. VIA. CAMPANA. APUD. LAP. V. COMENER. PER. C. PORC. PRISCUM. MAG. ET IBI. IMMOLAV. QUOD. AB. ICTU. FULMINIS. ARBORES. LUCI. SACRI. D. D. ATTACTAE. ARDUERINT. EARUMQUE. ARBORUM. ADOLEFACTARUM. ET. COINQUENDARUM. ET. IN. EO. LUCO. SACRO. ALIAE. SINT. REPOSITAE.* etc. Deinde infra in eadem tabulà struis mentio fit: *IMMOL. IPSO. MAG. PORCAM. ET. AGNAM. STRUIB. EFFERTIS.* etc. quamquam miror *struibus effertis* non *struibus et fertis* in ea tabula sculptum fuisse. Non solum, inquit Festus, ad arbores fulguritas struferta fiebant, sed et piacularium commissarum causa. Sane hoc verum esse vel ex uno Catone patet, qui struem commoveri iubet pro commisso imprudenter piaculo his verbis: *Si quid in hisce suovetaurilibus erit, quod nec recte factum sit* etc., unde ait Festus, etiam sine strufertario hoc fieri, hoc est sine homine conductitio. Recte. Nam paterfamilias ipse hoc pro tota familia non raro faciebat. Cuius exemplum habes apud eundem Catonem. *Scal.* Ista: *Te precor Iupiter uti mihi* etc. solennia precationis verba sunt, ut apud Catonem: *Iupiter te hoc fercto obmovendo bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi liberisque meis, domo familiaeque meae* etc. *Fertum* autem sive *fortum* sive *forctum* pro bono dictum putavit Salmas., quem vide ad Solinum. Sed melius Festus in *Ferctum*. *Dac.* In reliquiis, quae postea extant, nihil omnino pertinet ad superiora de *strufertariis*, sed, ni fallor, ita Festus scripserat: *Suber, arbor, ex qua cortex deripitur.* Deinde utebatur testimonio Lucillii. Neque tantum hoc loco incommodum acceptum est, sed et reliquum membrum, quod huc pertinebat, nescio quomodo distractum est et translatum ad vocem *Stura*, post quam reliquiae huius loci apparent in illis: *ac suberiesque*; de subere enim manifesto sermo fiebat. *Scal.* Sed in schedis etiam sic diversa sunt. *Dac.* Vide infra *Suber* et Isidor. XVII, 17. *Goth.*

Silicernium. Caecilius Obelostate. Vide de hoc verbo Donat. in Adelph. (IV, 2, 48.) Nonium (pag. 48. Merc.) et Planciadem (pag. 560. Merc.). *Ant. Aug.* *Silicernium coena funebris, quam Graeci περίδειπνον vocant; sed et nonnulli, inter quos Verrius, existimant nihil aliud esse, quam id, quod nos farcimen dicimus, quo fletum familia* (leg. *fletus familiae. L.*) *purgare* (*purgari. Idem.*) *solet, quia cuius nomine ea res instituebatur, iam silicernium cerneret. Caecilius Obolostate: Credidi silicernium eius me esse esurum.* Silicernii supra et alibi τὸ ἔτυμον attigimus. *Cesnas* veteres dicebant et *Poesnas* pro eo, quod est *Cenas*, *Poenas.* Ab eo *silicesnium*, postea *silicernium*. *Casmina Carmina*; *Valesius Valerius* et similia. Tertullianus (Apolog. c. 13.): *Quo differt ab epulo Iovis silicernium? a simpuvio obba? ab aruspice pollinctor?* Glossarium: *Silicernium*, περίδειπνον. λύχνους γὰρ ἅπτειν ἐν πένθει οὐ θέμις. Videtur accepisse quasi *Selucernium*, hoc est ἀλυχνία. Rationem hanc eruimus. Natali die lucernae accendebantur. Mortuali, ut loquuntur Cato et Plautus, id non faciebant optima de causa, ut τὸ ἀντίστροφον τῆς γενέσεως καὶ τῆς τελευτῆς ostenderent. Persius (V, 180. seq.):

— — — *unctaque fenestra*
Dispositae pinguem nebulam vomuere lucernae.

Tertullianus libro de Idololatria: *At nunc lucent tabernae et ianuae nostrae. Plures iam Ethnicorum fores sine lucernis et laureis, quam Christianorum.* At ἐν πένθει quidem, ut puto, non accendebant. Caeterum semper in cippis sepulcrorum suspendebant lucernas, cuiusmodi fictiles multas videmus ex veteribus monumentis erutas. Dio in Domitiano: καὶ πρῶτον μὲν στήλην ταφροειδῆ ἑκάστῳ σφῶν παρέστησε τό τ' ὄνομα αὐτοῦ ἔχουσαν καὶ λυχνοῦχον μικρὸν, οἷον ἐν τοῖς μνημείοις κρεμάννυται. Inde puto apud Gellium Laberius (XVI, 7, 9.) *Cippum* vocat *lucium*, quod ex eo lucerna luceret, ut ille apud Athenaeum, qui columnam vocat μέσανδρον, quod sustineret innitentem virum. Porro quemadmodum Ergastulus dictus, qui in ergastulo maneret, ita silicernius, qui dignus erat, ut pro eo silicernium pararetur. Cincius Alimetus de Gorgia Leontino: *Qui dum iam silicernius sui finem temporis exspectaret, etsi morti non potuit, tamen infirmitatibus insultavit. Scal.* De hac voce varia admodum veteres prodidere, alii a *silens* et *cerno*, quod umbrarum silentium cerneret, unde et infra pro *silicem* quidam *silentium* habent, ut est in verbis Festi; alii a *silex* et *cerno*, alii a *sile* herba, de qua vide in *silatum*, et *cesna* pro *cena*. Alii aliter. Sed optime omnium Servius ad V. Aen. (p. 381. ed. Dan.): *Libavitque dapes; leviter gustavit epulas, quae silicernium vocatur quasi silicenium super silicem positum.* Nam ad silicem dabatur illud epulum. Servio favet, quod *Cesnas* veteres dicebant et *poesnas* pro *cenas*, *poenas*. Ab eo silicesnium, postea silicernium, ut *casmina*, *carmina*: *Valesi*, *Valeri*. Vide Nonium

(pag. 48. Merc.). Inde etiam silicernium dictum genus farciminis, quod adhibebant, ut fletu familiae purgarentur. Sane silicernium inter farcimina ponit Arnobius lib. VII.: *Quid, inquam, sibi haec volunt? Apexabo, isicia, Silicernia, longabo, quae sunt nomina et farciminum genera, hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus.* Item silicernium senex dictus, quod eius caussa brevi Silicernium erat futurum, vel quod dignus esset Silicernio. Silicernium Graece περίδειπνον, Latinis *circumpotatio.* In XII. Tab.: *Unctura servilis tollatur, omnisque circumpotatio, ne respersio, ne longae coronae, nec acerrae.* Notabis in verbis Festi *exequium* singulariter dici pro exsequiis et coena funebri. *Dac.* Cicero II. de Divin. *Goth. Silentium.* Adde infra *Sinistrum* et *Solida sella. Idem.* Cf. Voss. Etym. s. v. *Silicernium.*

Sudum. Verrii sententiam secuti Angelus Decembrius lib. IV. de Politia Literaria cap. 48. et 50. Philargyrius IV. Georg. *sudum quasi semiudum.* Sed rectius Festus. Nam *sudum* semper opponitur *udo.* Voss. *sudum* a Graeco ἴδος (cf. Hesych. v. Ἴδεος, ibique interpp.), quod coelum siccum et calidum notat. *Dac.* Vide Nonium (pag. 31. Merc.) in *Sudum. Goth. Sudus* priscum adiectivum recta descendit ab Sanscrita voce *suddhas,* quae serenatum, purificatum denotat, a radice *sudh,* quae significat purificari, lustrari, serenari. Cf. Bopp. Gloss. pag. 176. et Rosen radd. Sanscr. pag. 215. seq. Ex qua re intelligitur, *sudum* non aestum, rerum purum coelum significare, id quod usus Romanorum satis demonstrat. Cf. Plaut. Mil. I, 1, 2. ubi cf. Lambin.

Sublesta. Festi verbis pauca desunt in hanc sententiam: *Sublestum dicebant infirmum et tenue. Plaut.* etc. Verba Plauti haec sunt: *Nam ad paupertatem si admigrant infamiae, Gravior paupertas fit, fides sublestior.* Idem in Bacchid.: *Lingua factiosi, inertes opera sublesta fide. Ant. Aug.* Glossae Isidori: *Sublestis* (utrumque enim dici potest, ut *sublimis* et *sublimus*), *infirmus, tristis. Item sublestia, infirmitas, tristitia.* Ubi melius forsan: *Sublestia, infirmia, tristia.* Sublestus autem, ut optime Scalig., est a Graeco ὑπόλισπος, mutato σπ in *st*, ut fit, quod Aristophanis Scholiastes interpretatur τετριμμένος *attritus.* Λίσπος enim est ἰσχνός, gracilis. Eustath. Et idem Aristoph. interpr. in Ran. (v. 826. Dind.): οἱ τὰ ἴσχια λεπτοὶ λίσποι λέγονται. Versus Plauti Persa Act. V. sc. 1. (III, 1, 20.) sic in editis:

Nam si ad paupertatem admigrant infamiae
Gravior paupertas fit, fides sublestior.

Idem in Bacchid. Act. III. sc. 3. (III, 6, 13.):

Lingua factiosi, inertes opere, sublesta fide.

Infra *vinum sublestissimum* potius interpretor *tenue, infirmum.* Sic pictura sublesta, quae tantum primis lineamentis deformata est ac nullis coloribus adumbrata, Graecis μονογράμμος. *Dac.* Vide Nonium (p. 177. Merc.) in *Sublestum. Goth.* Cf. Doederlin. Etym. et Syn. L. L. tom. II. pag. 101. ubi *Sublestus* derivatur a *sublevare,* ut simplex *lestus* deformatum sit, quemadmodum *faustus* a *favere.*

Satur et vir et caro non habent. .... (Ad p. 239.) Desunt quaedam in fine, puto *obliqua* [*proportione*]. Dicendum enim erat saturis, viris, caronis, non saturi, viri, carnis. Vide Charis. lib. II. (pag. 200. ed. Fabric.). *Ant. Aug.* Adde *obliqua* ex doctissimorum coniectura. Si haberent obliqua, dicendum esset: *Saturis, viris, caronis.* Nam *saturi* est a *saturus, viri* a *virus, carnis* a recto *carnis,* ut veteres dicebant pro *caro. Dac.*

Supellectilis. (Ad p. 239.) Senex senis nullam syllabam accipit: supellex supellectilis duas recipit. Vide Charis. lib. I. (pag. 84. ed. Fabric.). *Ant. Aug.* Ait Festus *Supellectilis* olim et *senis* pro *supellex* et *senex* iure dictum fuisse, quae duo nunc in genitivo casu a nominativo *supellex* et *senex* finitioni proportionis contraria sunt, quia omnia vocabula per *x* desinentia syllabam unam adsciscunt, at *supellex* duas accipit, nullam vero *senex.* Haec est Festi sententia. Sed fugit illum *senex* unam olim syllabam ascivisse. Nam antiqui dicebant *senex, senicis. Dac.*

Scurra. (Ad p. 240.) Non dubium, quin legendum sit συγκυρεῖν, ut Scurra dictus quasi *Secura* aut *Sucura.* Versus Lucillii mendosi sunt. Qui fortasse ita melius legentur:

— — — *Corneliu' Publiu' noster*
Scipiades dicto, penitusque intervenit ipsi
Molli, et deliciis Luci, effigiae atque cinaedo,
Et sectatori assiduo quo rectiu' dicas,
Ibat forte domum, sequimur multi atque frequentes.

Facetus poeta ait Scipionem intervenisse rixae et dictis nescio cuius mollis et cinaedi, sectatoris cuiusdam Lucii atque adeo deliciarum et imaginis ac propemodum effigiae ipsius. Antiqua consuetudine cum scriptum

esset *efficiae* pro *effigiae*, factum *efficiae*. Glossarium *Scurram* interpretatur δρακιστήν et *Scurrari* δρακίζειν. Invenio et scurras κοπρίας dictos. Dio in Pertinace: κοπρίας τινὰς καὶ γελωτοποιοὺς αἴσχιστα μὲν τὰ εἴδη, αἰσχίω δὲ τὰ ὀνόματα καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα ἔχοντας. Isidori Glossae: *Scurrula, qui incopriat.* Suetonius Claudio (c. 8.): *Interdum ferula flagrove velut per ludum excitabatur a copreis.* Haec est veterum tam antiquitus excusorum, quam manuscriptorum lectio. Primus Beroaldus *Tropeis* legit: inepto sensu. Turnebus *Copreis* ex veteri codice animadvertit, ignoravit tamen quid essent *coprei;* et ut sententiam suam adstruat, interpunctiones turbat ac confundit. Atqui *Coprei* nihil aliud, quam Scurrae, qui per ludum excitabant eum. Cui enim alii impune licuisset, nisi scurris? *Scal.* Verum idem Scaliger, ut in suis ad Lucilium notis monuit doctissimus Douza, hanc suam tertii versus emendationem verso stilo confodit, in eiusque locum substituit:

Molli et deliciis et Lucifugae atque cinaedo.

Scriptum enim fuisse autumabat *Lucifucae* pro *Lucifugae* more antiquo. *Dac.* Graecum voc. apud Festum legendum esse σκιρτάζειν, in notis ad marginem inferiorem positis dixi pag. 240. Locum Lucilii sic ego scribendum existimo:

— — — Cornelius Publius noster,
Scipiadem dico, tempusque interduit ipsum
Oti, et delicias, lucifugae atque cinaedo
Et sectatori ipse suo; quo rectius dicas:
Ibat forte domum, sequimur multi atque frequentes.

Hoc dicit poeta. P. Cornelius Scipio bonum otii sui tempus ac delicias interpellat, ut cinaedo ac sectatori adeo suo tribuat, ut eo meliori iure illud homines iactare possint: *Forte domum ibat, nos sequimur frequentes.* Quod Festus addit, poetam iurgiorum caussa secutos dicere voluisse scurras, non ob assuetum officium, id quidem ex hoc loco non apparet, nisi verba *quo rectius dicas* tale quid ostendere statuas. Ceterum *interduit* h. l. ea sententia positum est, uti est apud Lucretium IV, 866.:

Propterea capitur cibus, ut suffulciat artus
Et recreet vires interdatus;

hoc est *interdum datus.* Verba *intorquet in ipsum* apparet facile oriri potuisse ex INTERDUIT IPSUM, quod nemo est quin intelligat. *Adeo*, quod nos omisimus, nihil est nisi interpretamentum voc. *ipse; lucifugae* Scaligero debetur, ut ex supp. patet.

Secus. Vide *Sexus.* Charis. lib. I. (pag. 76. ed. Fabric.) ait *secus* pro sexu dici, et adverbium significare *aliter.* Ceterum quod vulgus usurpat: *Secus illum sedi,* hoc est secundum illum, et fatuum et sordidum est. Haec ille. *Ant. Aug.* Non *aliter* tantum significat, sed etiam *iuxta, prope.* Unde in Gloss.: *Secus,* ἑτέρως καὶ πλησίον, *secus, aliter et prope. Dac. Secus Valgius putat.* Cum Valgius *secus* duxit a Graeco ἑκάς, hoc est longe, eum eo respexisse crediderim, quod, dum quis aliter quidpiam facit, quam debet, is tum ab officio suo videtur recedere. *Idem.* Vide *Sexus. Goth.*

Stipem. Varro lib. IV. de L. L. in fine (V. pag. 180. Sp.): *Hoc ipsum stipendium a stipe dictum, quod aes quoque stipem dicebant. Nam quod asses librae pondo erant, qui acceperant maiorem numerum, non in arca ponebant, sed in aliqua cella stipabant, id est componebant, quo minus loci occuparet. A stipando stipem dicere coeperunt.* Et mox: *et qui pecuniam alligat stipulari et restipulari.* Sed de *stipulari* multi dissentiunt, quorum alii a firmitate *stipulari* dictum volunt, quod veteres firmum dicebant *stipulum.* Alii rure natum verbum dicunt a stipula scilicet, quia in contractibus agrariis stipulam tenebant, quae totum agrum repraesentaret. Quae mihi potior sententia. *Dac. Stipendium militi.* Glossis: *Stipendium* ὀψώνιον στρατιωτικὸν, μισθὸς στρατιωτικὸς, σιτηρέσιον, μισθοφόραι. *Goth. Stipulari.* Hinc stipulatio Glossis: ἐπερώτησις, ἱκανοδοσία. *Idem.* Non probanda est sententia Doederlini, qui *stips, stipes, stirps* omnia haec vocabula unius eiusdemque radicis esse existimat. Nobis quidem Indorum sermonem veterem scrutantibus oblatae sunt radices plures, quae caussas Latinorum vocabulorum diversorum diversas ostendere videntur. Primum quidem *stip* in censum venit, quod significat *stillare*, unde *stips, stĭpis* et Deminutivum *stipula*, proprie *stillam*, deinde minutum quodvis, tum nummum minutissimum; non enim omnino nummum significat *stips*, sed quatenus dis offertur, mendicis datur, ex qua re intelligitur, exiguitatis notionem in hoc vocabulo praevalere, quemadmodum in κέρμα, quod a κείρειν. Altera radix est *stabh* et *stubh*, firmum, stabilem esse, unde Germanorum *stab*, Latinorum *stīpes*, Graecorum στῖφος, Germanorum adiectiva *steif, steev*, Latinorum *stiva*, pars aratri. Tertia radix est *stŭp* et *stûp*, coacervare, exigere, unde descendunt *stipare, stipulari, stupa* sive *stuppa*, στύπη,

στυπεῖον, Germanorum *stopfen*, στύφω. Quarta radix est *stambh*, niti, unde *stambha*, columna, *stamm*, stampfe, stampfen; indidem quoque videntur Graecorum θάμβος, θαμβεῖν, ταφών derivanda. Sed has vocabulorum radices cohaerere omnes nemo non videt. Aliter statuo de voce *stirps*, quam longe alius originis esse existimo. Nam quemadmodum vocibus γρῖπος, γρῖφος Graecorum respondet Latinorum *scirpus*, ita *stirps* nihil est, nisi Graecorum ῥίψ, calamus, virga, ex qua voce factum *strips*, *stirps*, ut ex *lis* factum est *stlis*, ex v. *lembus*, *stlembus*. Erit igitur *stirps* proprie idem quod calamus, *halm*, *stengel*, et quum ῥίψ manifeste cognatum sit cum voce ῥίζα, fieri aliter non potuit, quin etiam *radicis* notionem v. *stirps* indueret. Hinc translatum est ad familiae ac generationis significatus.

Sobrinus. Ait sobrinos dici consobrinorum filios, ut et Donat. in Andr. Act. V. sc. 4. (IV, 5, 6.): *Sobrini*, inquit, *sunt consobrinorum filii.* Per consobrinos autem fratres patrueles et amitini intelligendi sunt, quorum liberi proprie sobrini dicuntur. Caius in L. 3. D. de grad. et ad fin.: *Item*, inquit, *patrui magni, amitae magnae, avunculi magni, materterae magnae nepos, neptis; qui ex fratribus patruelibus, aut consobrinis, aut amitinis, undique propagati, proprie sobrini vocantur.* Infra in verbis Festi legendum, ut in veteri lib.: *Femina iisdem de causis appellat fratrem et fratrem patruelem et consobrinum et propius sobrino et sobrinae.* Vide *Propius sobrino. Dac.*

Sororium tigillum. (Ad p. 143. et 240.) Aurel. Victor. de viris illustribus (c. 4.): *Et cum spoliis onustus rediret (Horatius) sororem obviam habuit, quae viso paludamento sponsi sui, qui unus ex Curiatiis erat, flere coepit, frater eam occidit, quare apud Duumviros condemnatus, ad populum provocavit, ubi patriis lacrimis condonatus ab eo expiandi gratia sub tigillum missus, quod nunc quoque viae suppositum sororium appellatur.* Sororium tigillum in regione quarta collocat Victor. *Dac. Metii Suffetii.* Ita saepe scriptum invenitur hoc nomen, sed ubique rescribendum *Metii Fufetii.* Nam Φουφέτιον Graeci vocant. *Idem.* Recte *Fuffitii*, i. e. *Fuffetii* in schedis.

Sororiare. Sunt qui Plauti versum ita legant: *Tunc papillae primum sororiabant: illud volui dicere fraterculabant.* Alii, ut Faernus, legunt *primulum*, propter versum senarium, qui in eo verbo desinit. Vide *Fratrare. Ant. Aug.* Plautus Fribularia:

— — *tunc papillae primitus*
Fraterculabant; illud volui dicere
Sororiabant; quid opus est verbis?

Scal.

Surregit. Surregit et sorctus antiqui ponebant pro surgit et eius participio, quasi sit surrectus, ut est in Annalibus L. Livilli, in quibus id frequenter est. Paulus abbreviator pro L. Livillo Livium poetam intelligit, nescio an diversa lectione a nostra usus. *Dac.*

Sors. Vide *Desertiones* et *Erctum.* Sic Graecis κλῆρος et pro haereditate et pro deorum responsis sumitur, et pro eo, quod cuique in sortiendo contigit. *Dac.* Glossis: *Sortes* χρησμοί, κλῆροι, αἱ κεφαλαὶ δανεισμάτων. *Goth.*

Soracum. Refertur, ut opinor, a Festo versus Plauti in Persa (III, 1, 64.): *Librorum enim ecce illum plenum sorracum habeo.* Sed verbum *enim* non agnoscit Festus, et pro *ecce illum* sive *eccillum*, *icillum* scripsit librarius, quod in margine notatum esse video litera *R.* Varie hoc nomen scriptum reperi. Nam Quintilian. lib. VIII. cap. 3. refert Ciceronem in Pisonem scripsisse: *Cum tibi tota cognatio in serraco (sarraco) advehatur.* Et Vitruv. lib. X. cap. 1.: *Portationes eorum non essent, nisi plaustrorum aut sarracorum per terram, navicularum per aquam inventae essent machinationes.* Iuven. Sat. III, (255.): *Longa coruscat Sarraco veniente abies, atque altera pinum Plaustra vehunt.* Et Satyr. V, (23.): *Frigida circumagunt pigri Sarraca Bootae.* Ulpian. sub titulo ad l. Aquil. cap. 29.: *Quia parvi refert navem immittendo, aut serraculum ad navem ducendo, an tua manu damnum dederis.* Quem locum non intelligentes pro serraculo *servaculum* vel *verriculum*, vel *gubernaculum* vel *feraculum* ediderunt. *Ant. Aug.* Alii *Saracum.* Glossarium: *Sarraca*, ἅμαξα. *Scal.* A Graeco σώρακος, de quo sic Pollux: Σώρακος δὲ παρὰ τοῖς κωμῳδοποιοῖς οὕτως ὠνομάσθη τὸ ἀγγεῖον, ἐν ᾧ τὰ σκεύη τῶν ὑποκριτῶν. Idem est soracum ac *saracum*, quod in Gloss. exponitur vehiculum. Quare dicendum est, primo soracum dictum vehiculum, in quo corbis erat, vel aliud vas ad omnes res recipiendas, postea vero quodvis vehiculum, quo onera portantur. Neque audiendus Salmasius, qui diversum facit. Varie autem scriptum invenitur illud nomen, *soracum*, *saracum*, *sarracum* et *serracum.* Sed ubicunque vel sarracum legitur vel *serracum*, rescribendum puto *saracum* vel *soracum.* Nam o saepe mutatur in *a. Dac.*

Sobrium. Sobrium vicum dictum esse testatur Aelius, quod in eo neque tabernae locus, neque cauponae fuerit. Alii quod in eo Mercurio non lacte, sed vino solitum erat supplicari. *Scal.* Lege potius: *lacte non vino solitum* cet.

Sonivium. (Ad p. 241.) Vide supra *Sonivio.*

Sons. Sons, nocens, ut ex contrario insons, innocens. Ausonius in Technopaegnio:

Si bonus est insons, contrarius et malus est sons.

Dac. Gloss.: *Sontes* αἴτιοι, ὑπεύθυνοι, βλαβεροί. *Goth.* De etymo v. *Sons* et de differentia, quae inter *sons, nocens* et *reus* intercedat, cf. Doederlin. Syn. et Etym. Latin. tom. II. pag. 155. seq. Descendere videtur a Graeco σίνομαι, unde σίντης, quocum comparari potest Germanorum *Sünder, sondaar,* cet.

Sodalis. Sodalis quidam dictos esse putant, quod una sederent essentque. Alii, quod ex suo vesci soliti sunt. Alii, quod inter se invicem suaderent, quod utile esset. Iidem quod coeant crebro congerae vocantur a Graeco vocabulo, quod est γέῤῥα. Congerae per unum *R* scribebant, ut supra attigimus. Lucillius:

Tapullam legem rident concerae Opimi.

Concerae pro *Congerrae.* Vide in *Tapulla.* Quod Congerra a Graeco γέῤῥα dictum sit, monet etiam Varro. Vide libro VI. de Latino sermone (VII, 340. Sp.). *Scal.* Mirum in modum placet sodales dictos, quod de suo ederent; nam et inde eos Graecis αὐτοδαίτους et αὐτοδείπνους dictos reperio. Hesych.: αὐτόδειπνος, ὅταν τις κεκλημένος ἑαυτῷ φέροι τὰ ἐπὶ τὸ δεῖπνον. Inde apud Terent. Andr. (I, 1, 61.): *Symbolam dedit, coenavit.* De Congerris vide in *Coerrae;* iidem et *concoenae* dicti. Gloss.: *Concaenae* σύνδειπνοι. *Dac. Dapibus.* Datis. *Goth.* De etymo vocis sodalis multi multa, quorum sententias collectas vide apud Doederlin. Synon. et Etym. Lat. IV. pag. 205. seq. Ipse Doederlinus *sodalis* ex v. *socialis* corrupto sono ortum esse statuit, quod nemini, opinor, persuadebit. Longe certior apparet fons in sermone Sanscrito, ubi *suādu,* suavis, a radice *suad,* gustare, tum iucundum esse, deprehenditur. Ut enim ex Sanscrito *suan sonare* Latinum, ex *suanas* sonus, ex *suapnas* somnus; sic haud dubie ex *suadus* Graecum ἡδύς, Latinum *sodus,* unde *sodalis,* derivanda. Habetur etiam radix Sanscrita *suăd* quae denotat *diligere,* unde *sodalis,* quasi *sodabilis,* descendere potest, quae vox tum significabit hominem iucundum, amabilem. Eaque est vera vocis sodalis significatio. Cf. Doederlin. l. c. *Sodalis* unterscheidet sich von *amicus* wie ein guter Freund, mit dem man in freundlichem, allgemeinem, namentlich heiterem Vernehmen steht, von einem Freunde, gegen den man das heilige Gefühl der Freundschaft hegt. Plin. Epist. II, 13.: *Cum hoc seria, cum hoc iocos miscui; quid enim illo aut amico fidelius, aut sodale iucundius?* Plaut. Cas. III, 3, 18.: *Hic sodalis tuus, amicus optimus.* Haec Doederlinus.

Sodes. Vide *Sultis. Ant. Aug.* Cicero in Oratore ad Brutum sect. 45.: *Libenter etiam copulando verba iungebant, ut sodes pro si audes, sis pro si vis. Iam in uno capsis tria verba sunt: ain pro aisne: nequire pro non quire: malle pro magis velle: nolle pro non velle; dein etiam saepe et exin pro deinde et exinde dicimus. Dac.* Vide supra *Cumalter. Goth.* Locus Terentii est in Andr. I, 1, 58.

Surum. Vide *Rigido* et *Crebrisuro.* Versus Ennii mendosus est. *Ant. Aug.* A *surus* fiet deminutivum *surulus,* sed veteres dicebant *surcus,* unde *surculus.* Versus Plauti non extat; quae sequebantur post *ascia* divinare non possum. Ibi referebat Festus quomodo Circum suris et assulis sepiebant. Versum Ennii idem supra retulit in *Rigido. Dac.*

Surremit. Infra. Adhuc quaero. Est enim historia penitus mihi incomperta. *Scal.* In omnibus editionibus male acceptus est hic locus, cum media Festi verba findat haec Pauli Epitome: *Surrempsit, sustulerit.* Quare illam remove sis et reliqua sic continuabis: *Surremit, sumpsit, inque manum surremit hastam. Idem etiam surrempsit usurpavit pro puerum sustulerit. Dac.* Vide supra *Abemito. Goth. Manu.* Manum. *Idem.*

Surrempsit. Verba Festi interpretem desiderant et videntur ad alia verba etiam pertinere praeter surrempsit. *Ant. Aug.* Vide supra *Abemito. Goth.*

Surium. (Ad p. 241.) Forsan per σκύριον ad proverbium illud antiquissimum allusit, quisquis ita Philosophum vocavit: Σκυρία ἀρχή, quod ἐπὶ τῶν ἐντελῶν καὶ μηδὲν λυσιτελὲς ἐχόντων dicebatur. Eustath. pag. 782. Edit. Roman., ita ut ab eo *Scyrii* dicti fuerint homines nullius pretii. *Dac.*

Summussi. Carmen Terentii a Paulo relatum non reperio. Sed videtur esse alterius poetae ex Festi reliquiis. In Adelphis tamen ille ait (II, 1, 53.): *Accipiunda et mussitanda iniuria adolescentium est. Ant. Aug.* Naevii versus est Trochaicus:

Odi summissos, proinde dice aperte quid siet,
Quod times.

Scal. *Summussi* qui submussant. Vide *Mussare*. Versum Ennii e sexto Ann. idem supra retulit in *mussare*. Versus Accii sic forsan legendus:

Dice iam, mater non est, iam mussare sine.

In fine aperte citatur Caecilius in *Anagnorizomene*, quare non video quid agens Paulus Caecilium in Terentium mutavit. *Dac.* Apud Servium in fragmentis *mussare* pro *tacere* et *murmurare* accipitur. *Goth.* Quem Paullus Terentio tribuit locum, ab Ursino Caecilio assignatum videmus, de coniectura, ut videtur. Igitur Scaliger Terentium Libonem intelligi suspicatur; recte, non enim credibile est, notissimum Caecilii nomen, a Paullo toties alibi repetitum, hoc loco in Terentii esse commutatum. Cf. Scaliger ad Varron. de L. L. pag. 83. ed. Steph. Adde Spengel. in Fragmm. Caecilii pag. 11. Sed Varro lib. VI. pag. 227. Sp. *Iuventii* citat locum, ubi Scaliger pariter substituebat *Terentium*, quem eundem *Libonem* opinabatur. Quare videndum, ne apud Paullum et Festum potius legendum sit *Iuventius in Anagnorizomene.* De Iuventio Spengelius iubet conferre interpp. ad A. Gellium XVIII, 12. ubi locus ex Iuventii comoedia citatur.

Sum. Versus Ennii:

At te, non ut sum, summam servare decet rem.

Item:

Ad se se sum qui dederat in luminis oras.

Supple *advocat* vel aliud simile, et de Horatio sermo est, qui a lictoribus comprehensus patrem ad se vocat. Imo forsan nihil mutandum:

At se se sum qui dederat in luminis oras,

ut sensus sit: at qui Horatium genuerat ait iure sibi caesam filiam videri et sese in eam animadversurum fuisse, ni occupasset Horatius. Sane nimis audacter doctiss. Merula:

Accedit, sum qui dederat in luminis oras.

Dac.

Sollo. At sollus a Graeco ὅλος totus. *Dac.* *Suasa quoque.* Hunc Lucilii versum sic legit Douza:

Suasa quoque omnino redimit non solla dupondi.

Sed *dirimit* retinendum et hunc versum alteri, qui in Sicyonia legitur, sic continuandum censeo:

Et pedibus laeva Sicyonia demit honesta
Suasa quoque omnino dirimit non solla dupondi.

Sequebatur nomen, ad quod adiectivum suasa pertinebat. De *suaso colore* vide infra *Suasum*. *Idem.* *Sollicuria, in omni re curiora.* Forsan: *Sollicurio, in omni re curiosus.* Scriptum fuerat *curios.*, unde facile factum *curiosa*, *curiora*. *Idem.* *Solliferreum.* Livius lib. XXIV. (XXXIV, 14.): *Ut omissis solliferreis phalaricisque gladios strinxerunt, tunc velut redintegrata est pugna.* *Idem.* Vide supra *Solitaurilia*. *Goth.* *Quod nos totum.* Vide *Solida sella*. *Idem.* *Suasa.* Vasa. *Idem.* *Solla.* Sollo. *Idem.* *Solemnia.* Vide *Solemnia*. *Idem.* *Livius.* Lucillius. *Idem.*

Solla. Lege *solia* etc. *ideoque soliar sternere dicuntur* etc. Item: *et soliaria vocantur Babylonica.* Varro Cosmotorine περὶ φθορᾶς κόσμου. *Phrygio qui polvinar poterat pingere soliar levigabat.* Glossae: *Soliar*, δίφραξ. *Scal.* Soliar autem sternere dicebantur, qui sellisternium habebant, quod alio nomine *lectisternium* dicebatur, quod Diis epulaturis lecti et sellae sternerentur. Valer. Max. lib. II. cap. 1.: *Iovis epulo ipse in lectulum, Iuno et Minerva in sellas ad coenam invitabantur.* Vide *Epolonos*. Babylonia soliaria a Babylone, quae diversos colores picturae intexere docuit Plinius lib. VIII. cap. 48.: *Babylonica peristromata* dixit Plaut. in Stich. (II, 3, 53.). *Dac.* *Alvei quoque levandi causa.* Lege: *Solia dicuntur.* Gloss.: *Solium* ἐμβάτη. Nam ἐμβάτη alveus, in quem descendunt lavaturi. Ἔμβασιν vocat Dioscor. *Idem.*

Sollistimum. Scribendum per unicum l *solistimum*. Nam a *solo*, id est *terra*. *Cum offa iam ex ore pulli deciderat, tum auspicanti tripudium solistimum nuntiabatur.* Cic. (de Divin. II, 34.). Idem et *Sonivium*, dictum a sono, quem edebat cum caderet, vel offa, vel arbor, vel saxum, vel aliud quid. Servius Danielis in illud: *tremere omnia visa repente* (Aen. III, 90.): *Hoc augurium*, inquit, *iuxta auguralem disciplinam dictum est, quod appellatur tripudium sonivium, ad quod pertinet, si arbor sponte radicibus cadat, si terra tremat, quod hic Aeneae factum ostendit, antequam voce divina responsa perciperet.* Infra pro: *Quae nec prae vitio humanive caedanturve*, legendum: *quae nec prae vitio humanave vi caedanturve* etc. Nam id est, quod ait Servius supra: *si arbor sponte radicibus cadat.* Vide infra *Sonivio*. *Dac.* *Humani.* Humanae vi vel humi cadant. *Goth.*

Solum. Non terra tantum, sed mare, aer, solum dicitur. Servius ad illud V. Aen. (199.): *Subtrahiturque solum. Solum*, inquit, *unicuique rei quod subiacet, unde est solum navis, mare et aer avium.* In priori versu Ennii *Sola regni*, sola non tam terras videtur significare, quam *solia. Dac. Aliubi.* Alibi. *Goth. Solum*, terram, a *saliendo* recte derivare videtur Doederlin. Syn. et Etym. L. L. tom. I. pag. 175. seq. Demutatio vocalium est eadem, quae in *salvus*, *servus*, *solvere* obtinet; significationis vero communitatem ostendit Graecorum χῶρος et χορός.

Solea. A solo, id est planta pedis. Neque audiendus Salmasius, qui a Graeco ὑλίας *pellis* soleas deducit. Infra pro *materia robusta* legendum, ut in vet. cod. *materia robustea* vel *roborea. Dac. Paries craticius.* Vide l. cum duobus 52. §. ubi Mela scribit, si duo vicini semipedes inter se contulerunt, ut ibi craticium parietem inter se aedificarentur 13. ff. pro socio, ubi quidam legunt *concraticium.* Dixi ad illam legem. Vide supra *Intergerinus. Goth. Soleam* a *saliendo* recte deducit Doederlin. Syn. et Etym. L. L. tom. I. p. 177. not.

Solox. Glossarium: *Solox*, ἱερὸν καὶ παχύς; lege: ἔριον παχύ. Tertullianus in scholastica oratione de Pallio (c. 4.): *Endromidis solocem aliqua multitia synthesi exstruxit. Scal.* Proprie pecus intonsum, quod pascitur et non tectum, a solus, totus, quod sit cum tota lana. Lucil.:

Pascali pecore ac montano, hirto atque soloce.

Pascale pecus, quod passim pascitur, ut pascales Gallinae. *Montanum*, *hirtum* ac *solox* pro squalido, quale solet esse pecus, quod in montibus pascitur non tectum. Inde factum, ut solox lana dicatur crassa, non carminata. Gloss.: *Solox* ἐρίον παχύ. Inde Symmachus lib. I. Ep. 1.: *Quare elaboratam soloci filo accipe cantilenam. Dac. Titinius in Barathro.* Titinii Barathrum citat Fl. Sosipater (aliquoties, veluti pag. 181. 183. 185. 212.; scribendum tamen ubique esse *Barbato*, vidit Mercer. ad Non. pag. 3.). Nonius etiam non semel. *Idem. Hirco.* Atque hirco vel hircoque. *Goth.* Distinguendum esse: *Solox lana*, *crassa* cet. viderunt Doederlinus et Bothius. Ceterum cf. Voss. Etym. v. *Solox.* De etymo differunt sententiae virorum doctt. Cf. Doederlin. Syn. et Etym. L. L. tom I. pag. 178. Mihi nulla illarum satisfecit. Nam si loca, ubi adiectivum hoc reperitur, componimus, non tam soliditatem et crassitudinem, quam potius vilitatem quandam et rudiorem habitum significare voluisse scriptores intelliguntur. Id quod manifesto docet locus Symmachi supra excitatus: *Quare elaboratam soloci filo accipe cantilenam* i. e. rudiori, vulgariori. Quare rectissime Festus: *Solox pecus, quod passim pascitur, non tectum.* Lana *solox* est *rudior*, *vilior*, grobe Wolle; pecus *solox*, gemeine, unveredelte Schafe, oves viles ac vulgares, quae propter lanam viliorem, quam ferunt, non teguntur. Cf. interpp. ad Horat. Od. II, 6, 10. Ibi qui excitatur Varro de R. R. II, 2. sic exhibet: *Similiter faciendum in ovibus pellitis, quae propter lanae bonitatem, ut sunt Tarentinae et Atticae, pellibus integuntur, ne lana inquinetur, quo minus vel infici recte possit, vel lavari ac parari.* Falso ergo legitur apud Paullum *pecus contectum*, fallitur que Doederlinus l. c., ubi in nota marginali sic scribit: *Lana contectum* d. h. dicht mit Wolle bedeckt. *Im Festus selbst ist die Stelle gewiss corrupt: Solox, lana crassa et pecus quod passim pascitur non tectum. Die Worte quod passim pascitur beziehen sich, freilich ungeschickt genug, auf den folgenden Lucilischen Vers: Pascali pecore.* Minime vero. *Pecus quod passim pascitur* optimam continet pecoris *solocis* interpretationem, quoniam, ut est apud Plinium H. N. VIII, 72. oves illae pellitae non passim et ubique, sed *in liberos maxime campos et omni surculo ruboque vacantes* pastum agebantur, ad lanam efficiendam ac *ne lana carperetur et tegumen*, quod ipsum pretiosum erat, *laederetur.* Qua de caussa in versu illo Lucillii *solox* pecus hirtum quoque dicitur ac *montanum*, quippe quod non in campis ac pratis fecundis, sed passim in montanis quoque pascuis inveniretur. Quae omnia si vera sunt, manifestum est, *pecus solox* opponi Graeco pecori, quare nemo erit, qui dubitet, voc. *solox* a verbo *solere* esse derivandum. Ut enim *celox* et *celer* a *cellere*, *velox* et *veles*, item *velatus* (cf. quae notavimus supra ad v. *Adscripticii*) a *velare* i. e. volare, unde etiam *volox*, quae descendunt a Sanscrito *çval*, unde duae radices progerminatae *cel-* et *vel-* i. e. *vol-*, Graecorumque κέλλειν, κέλης; ita *solox* a *solere* procusum, unde certum est, *solox* significare *solitum*, *vulgare*, *vile.* Contra *solidus* haud dubie a *solo* i. e. humo, fundamento deductum est.

Sos. Dia Diarum, δῖα θεάων. Lege alterum versum ita:

Circum sos quae sunt magnae gentes opulentae.

Et:

Dum censent terrere minis, hortantur ei sos.

Et:

Contendunt Graios: Graecos memorare solent sos.

Scal. Contendunt Graios. Vide post *Regium. Dac. Interdum pro suos.* Ennius lib. VII.:

Poeni sunt soliti sos sacrificare puellos.

Cornutus in Sat. I. Persii: *Sis pro suis apud antiquos ponebatur et sos pro suos, sas pro suas, detracta u litera.* Vide *Sas. Idem.* Ex hoc Festi loco vehementer est probabile, ubicunque legitur apud Ennium *sos*, *sas* pro *suos*, *suas*, scribendum esse *suos*, *suas*, sed ut una syllaba pronunciandum. Contra ubi *sos* et *sas* pro eo invenitur, quod est *eos*, *eas*, sic scribendum esse, uti nunc legitur. Etenim pronomen tertiae personae *si*, quod alibi vindicavi, quodque postmodo factum reciprocum, ad secundae quoque declinationis normam flexum esse, ostendit genitivus singularis *sui*, pro quo in usu etiam fuisse videtur *sis*, ut pro *mei mis*, pro *tui tis.* Totum igitur declinationis exemplum ad hanc rationem antiquitus sese habuisse videtur. Nom. *si:* gen. *sui*, *sis;* dat. *sibi;* acc. *se*, *sum*, *sam;* ablat. *sed.* In numero autem plurali nom. *si*, *ses;* gen. *sium*, *suum;* dat. *sibi*, *sis;* acc. *se*, *sos*, *sas;* abl. *sed.* De singulis formis dicam alibi. Ceterum locum ex Ennii libro VII. sic legendum suaserim:

Dum censent terrere minis, hortantur ibi sos;

quod *ivi* scriptum quum esset, errorem progenuit.

Sultis. Locum Plauti ex Frivolaria cum alio eiusdem Fabulae, qui est apud Varron. L. L. VII. pag. 341. Sp. sic conciliavit Scaliger ad Varr. l. c. pag. 130. ed. St.:

— — — *Sequimini*
Me hac sultis legiones omnes Lavernae ubi rorarii
Estis? En sunt. Ubi sunt accensi? Ecce. — —

Sed nulla iusta caussa esse videtur, cur haec cohaesisse statuamus. Locus ex Rudente est III, 5, 40.

Solatum. Solatos appellat Plin. lib. XXIX. cap. 6. hoc morbo laborantes. A sole fortasse infesto ductum est nomen. *Ant. Aug.* Morbum puto, quem quis ex nimia apricatione contraxit. Unde, qui hoc morbo laborant, *solati* Plinio dicti sunt lib. XXIX. cap. 6. Quae infra ex Afranio laudabantur non potuimus assequi. Optime ait, arquato morbo, qui et regius vocatur, nomen esse ab aurigine. *Aurigo* enim sive potius aurago morbus regius ab auri colore, quem bilis toto corpore diffusa repraesentat, ut *arquatus* a colore arcus coelestis. Inde Isidorus in Gloss.: *Auraginosus, arcuatus.* Vide Nonium in *Arquatus* (p. 35. Merc.). *Dac.*

Solipunga. Plinius lib. XXIX. cap. 4.: *Est et formicarum genus venenatum, non fere in Italia, solipugas Cicero appellat, Salpugas Baetica.* Lucan. lib. IX, (837.): *Quis calcare tuas metuat Solpunga latebras.* Alii *Salpunga*, alii *Solpuga* legunt. *Ant. Aug.* Glossarium: *Solipaga ἡλιοκεντρίς, μυίας εἶδος. Scal.* Solipunga sive solipuga est *ὁλοκεντρίς*, quod tota pungat et ipsa nihil aliud sit, quam aculeus. Sic *soliferreum* est, quod est totum ferreum etc. Male qui solipugam dictam putant, quod in sole pungat. Festi tamen interpretationem iuvat Gloss. ubi *solipuga ἡλιοκεντρίς, μυίας εἶδος.* In leguminibus inveniri ait Plin. et formicarum, non muscarum genus vocat. Solinus araneorum formam habere dicit. Pro *maleficae* al. *veneficae*, et favere videntur Gloss., ubi *sphalangion, musca venenata.* Nam *sphalangium* nil aliud est, quam *solipunga.* Tamen in reliquiis Festi *maleficae. Dac. Solipuga* al. *salpuga* vel *salpunga*, *solpuga*, *solpugna*, *solipugia*, *solipugna*, *solipaga.* Adde Luc. IX. *Goth.*

Sospes. Sospes salvus . . . . . . omnes fere aufugerunt sospites. Afranius in Epistola: Di te sospitem servent tuis. Pacuvius in Teucro: Maxime Teucre . . . . nunquam. (Recte Virgilii versum in his quaesivit F. Ursinus.). *Ennius in . . . . . parentem et patriam Di servate sospitem. Attius in . . . . si rite ad patriam salvus et sospes pervenisset. Ennius. Vid. . . . . Scal.* Quae desunt in fine male post Epitomen Pauli de verbo *sospitare* reiecta sunt. Quare certum est ea huc educi debere et sic cum superioribus coniungi. *Ennius videtur servatorem significare, cum dixit, quo sospite liber. Ceterum sospitare Verrius ait esse bona spe afficere, aut bonam spem non fallere.* Haec Fest. Supra in verbis Ennii et Attii nihil deesse videtur praeter nomen fabulae. *Sospes* autem pro servatore. Vide *Sispes. Dac.* Glossis: *Sospes σῶος*, hinc *sospitare* infra. *Goth. Parentem et patriae.* Hic titulus tribuitur Caesari in denariis argenteis. *Idem. Ad patriam sospes* sumptum ex Homero: *εὖ δ' οἴκαδ' ἱκέσθαι. Idem.* Vide notam F. Ursini ad h. l.

Sospitare. Sospitare pro bona spe afficere, quod hic dicitur, ego reperi in versiculo Lucilliano ex lib. XXVIII.:

Sospitat, impertit salutem plurimam et plenissimam.

Scal. Haec ante *Spara* proxime collocanda sunt. Fallitur autem Verrius, qui interpretatur, *bona spe afficere*,

vel, etc. quasi esset a σῶς, et *spes*, quod ridiculum. Sospitare est a sospes et significat servare, salvare. Catull. in carmine seculari (XXXIV, 23. seq.):

Ancique, ut solita es, bona
Sospites ope gentem.

Dac. Adde Nonium (pag. 176. Merc.) in *Sospitent. Goth.* Virgilii locus est Aen. VIII, 470.

Succrotilla. Difficile est reperire, quid Festus voluerit. Agnoscitur tamen versus Plauti:

Cum extortis talis, cum todillis crusculis.

Vide *Todi. Ant. Aug. Succrotilla vox tenuis dicebatur et alta. Titinnius in* . . . .:

Feminina fabulare succrotilla vocula.

Afranius in Epistula: . . . . *succrotilla voce serio. Plautus in describendis mulierum vitiis in Syro:*

Cum extortis talis, cum todellis crusculis.

Cetera non potui. *Scal.* Cur Plauti versum hic adducat Festus, nescio, nisi si scripserit *cum succrotilis crusculis.* Vide quae in *Crocotilum* dicta sunt. Versus Titinnii:

Femineo fabella, succrotila vocula.

Vel:

Femina fabulare succrotila vocula.

Et cum hoc Titinii versu componendum alterum puto, qui legitur in *Vibrissare:*

Foemina fabulare succrotila vocula.
Si erit tibi cantandum facito usque exvibrisses.

Dac. Varro lib. VI. de L. L. (cf. Scal. ad. Varron. de L. L. Coniect. pag. 134. ed. St.). *Goth.* Cf. Krehl. ad Priscian. III, 5. pag. 125. tom. I. qui rem confecisse videtur de loco Plauti, scribendum iubens: *cum todinis crusculis.* Prava lectio inveterata et orta videtur ex non intellecta scriptura vocabuli *todinis*, quod facile corrumpi potuit in *todellis crotilis* cet.

Sucula. Sucula est machinae genus, teretis materiae et foratae ac crassae, tanquam uber scrofae. Reliqua deplorata sunt, quae de Hyadibus tractat. Glossarium: *Suculae*, ὑάδες καὶ δοκίδες. *Scal.* Pro *ruintque* optime Ursinus *quinque. Loquenti* autem antiqua consuetudine ut supra *set* pro *sed* etc. De sucula machina haec Budaeus: *Sucula*, inquit, *machina est tractatorii generis, constat autem tereti ligno duobus aut pluribus vectibus traiecto, utrinque aequa extantibus longitudine, haec dum versatur, funis qui ductarius dicitur, circa eam obvolvitur.* Innuit autem Festus suculam ob similitudinem suculae, id est scrofae dictam, quia ut scrofae uber porci circumstant, ita suculam porculi. Nam porculus uncus dicitur in media sucula, qui funem tenet, eoque convolvitur, dum sucula versatur. De hyadibus quod imperite a Latinis suculae dictae sint, quasi essent a suibus, Cicero lib. II de Nat. Deor. (c. 83.): *Tauri caput stellis conspersum est frequentibus. Has Graeci stellas ὑάδας vocitare suerunt a pluendo, ὕειν enim est pluere; nostri imperite suculas, quasi a suibus essent, non ab imbribus nominatae.* Idem Plin. lib. XVIII. cap. 26. et apud Gellium Tullius Tiro lib. XIII. cap. 9. *Dac.* De Succulis loqui Festum non dubito, quas Graeci hyadas appellant, licet quaedam mendosa sint in his dimidiatis verbis. Cicero libro II. de nat. deor. (c. 83.). Vide Gell. lib. XIII. cap. 9. *Ant. Aug.* Vide Virgil. I. Georg. (v. 138.). Glossis: *Succulae*, ὑάδες. *Goth.*

Succingulum. Plaut. in Menaech.: *Ab Hippolyta succingulum haud Hercules aeque magno unquam abstulit periculo. Ant. Aug.* In editis Plauti libris:

— *ab Hippolyta succingulum*
Hercules haud aeque magno unquam abstulit periculo.

Locus est in Menaech. Act. I. sc. 3, (17.). *Dac.*

Sucerda. In principio Lucilium videor agnoscere. Suppleo: *Succerda est stercus suillum, ut cum dixit Lucilius fimo atque sucerdis.* Vel: *fimoque sucerdis. Titinnius* etc. Integer versus Lucilii est lib. XXX. Sat.:

Hic in stercore humi fabulisque fimo atque sucerdis.

Vide Nonium (pag. 175. Merc.) in *Sucerda.* Infra fallitur Festus, qui putat *sucerdam* alio nomine dici *opicerdam.* Nam *opicerda* est stercus ovillum ut *sucerda* suillum. Gloss.: *Sucerda* χοίρεια κόπρος. Vide *Muscerda.* Quae sequuntur non assequor, neque unde petita sunt. Hunc tantum fuisse sensum puto: *homo opicerda omnium hominum, quos sol in opicerdis aspicit*, ita ut homo hominum opicerda dicatur eodem modo, quo nos hominem κόπρον τοῦ λαοῦ, stercus humani generis, la balieure du peuple. *Dac.*

Suburanam tribum. (Ad p. 243.) Sed ego Verrium demiror, qui non attendit, Suburanam vel

Succusanam tribum a Subura vel Succusa regione merito nomen habuisse, at regionem a pago. Suburam autem imam appellat, quod sub urbe antiqua. Vide *Suburam*. *Dac.*

Sciscito. Lego: *Sciscito*, *sententiam dicito*, ex ipsomet Festo in *Nequis scivit*. *Nam sciscito*, inquit, *significat sententiam dicito, suffragium ferto*. *Dac.*

Succidanea. Vide *Praecidanea* et Gell. lib. IV. cap. 7. *Dac.* Adde Nonium in *Succidia* (p. 170. Merc.). *Goth.* *Succidendo.* Succedendo. *Idem.*

Suggillatum. Inepta etymologia, ac propterea falsa. *Cinnus* est cilium aut palpebra, ὑποκοριστικόν *Cillus.* Inde *subcillum* et *subcillare,* quod postea *subgillum* et *subgillare* ὑπωπιάζειν. *C* in *g:* Subicitare, Inicere: Subigitare, Inigere. Praeterea falsum est Suggillationes pertinere ad collum, nisi mavis legere *sub oculo*, sed tunc quid Graece substituam, non video. Si κυλλόν, nihil ago. Si γύαλον, nugas egero. Γύαλα quidem Graeci τὰ κοιλώματα. Sed quantum video, Verrius *sugillare* putat dictum a *gula*, quae dicta sit a Graeco, qui γύαλον partem sub collo vocant. Hae sunt nugae Grammaticorum. *Scal.* Certum est legi debere *sub oculo.* Nam κοῖλον sive κῦλον palpebra oculi inferior, unde κυλοιδιᾶν dicuntur, qui oculos habent tumentes. Sane hoc etymon probat Camerarius in appendice problematum, sed melius Scaliger. Proprie autem *sugillare* est ita percutere, ut oculi livescant. Metaphorice vero famam et existimationem laedere, Livio et aliis. *Dac.*

Sycophantas. Plura de hac re nugantur Graeci, quae natio nihil paene aliud egisse videtur, quam ut reperiret, quomodo in otio negotiosa esse posset. Caeterum potes advertere, quam dignum sit Paulo mutilatore illud: *Capite truncaretur*, quod Festus dixerat Capital esset, et in Graeco decreto sine dubio fuerat θάνατος τίμημα ἔστω. *Scal.* Aliter paulo Scholiastes Aristophanis, qui ait Sycophantas dictos, quod eos indicarent, qui ficus ex Attica deportarent, a σῦκον ficus et φαίνω indico, accuso. Alia multa super hac re nugantur Graeci, quae non est hic dicendi locus. Vide *Holophanta*. *Dac.* *Lege facta.* Lege: *Legem factam,* vel: *lege sanctum, ut qui id fecisset, capital esset ei.* *Idem.* *Quosdam.* Quondam. *Capite.* Capital. *Goth.*

Sulci appellantur. Sulcus vestigium aratri, Graecis ὁλκός. Apollon. III. Argon. (141.). *Dac.* *Vel urbis condendae.* Nam apud veteres spatium futurae urbis aratro designabatur. Virgil. I. Aen. (425.):

Pars optare locum tecto et concludere sulco.

Idem. *Vel fossura rectis lateribus.* Virgil. II. Georg. (24.):

Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum
Deposuit sulcis.

Idem. *Fulmen quoque.* Unde et *trisulcum*, quod per tres tractus sive sulcos manet. Nam id proprie sulcus dicitur. Apollon. III. Argon. (v. 141.):

Ἀστὴρ ὥς, φλεγέθοντα δι' ἠέρος ὁλκὸν ἵησι.

Quare optime Nonius (pag. 448. Merc.): *Sulcus*, inquit, *omne quicquid in longitudine aculeatum est.* *Dac.* *Quia illi dicunt* ὁλκός. Ita Latini literam *S* addunt Graecis nonnullis. Vide infra *Suppum*. *Goth.* *Victum.* Dictum. *Idem.*

Suasum. Versus Plauti est in Truculento (II, 2, 16.), in quo legitur *insuaso*. Vide *Insuasum*. *Ant. Aug.* Quae ἐπιτεταμένως colorata sunt et saturata, Graeci πεπεισμένα dicunt, Latini *suasa* et *insuasa*, quae penitus καὶ εἰς βάθος imbiberunt colorem. Epigramma vetus: — σχοῖνος βάμματι πειθόμενος. Et Strab. πεπεισμένως ἐπικεκαῦσθαι τὴν χροάν. Eleganter dicit penitus adustum esse et profunde coloratum sole. Latini *insuasum* dicunt. *Colorem infumatum* vulgo appellamus, qui luteo similis est, sed obscuro. Est enim μήλινον χρῶμα τὸ βαθυνόμενον μέλανι. Glossae: *Insuasum* εἶδος δοκαρίου κεκαπνισμένου. Graeci χρῶμα κεκαπνισμένον similiter vocant, qualis est color in tignis ac trabibus diutino fumo infectis. Genus erat Iaspidis, qui καπνίας dicebatur a fumido colore. Dioscorides (lib. V, 160.): Ὁ δὲ ἀερίζων, ὁ δὲ καπνίας ὥσπερεὶ κεκαπνισμένος. Cavesis autem putes *suasum* et *insuasum* proprie dici τὸν κάπνιον colorem, sed insuasus vel suasus color ὁ πεπεισμένως κεκαπνισμένος. Quod de omnibus coloribus intensioribus dici queat. Ut optime infra Festus. Quia vero tignum, quod diutino fumo infectum est, vel ea, quae ex stillicidio fumoso infecta sunt, colorem eum penitus imbiberunt, eoque prorsus imbuta ac veluti insuasa valide retinent, ideo *insuasum* et *suasum* κατ' ἐξοχήν de hoc fumido colore usurpatum est, quod de omnibus dici potest, ut Graeci πείθεσθαι et πεπεισμένον. Salmas. in Solin. Infra pro *persuadetur* Schedae *persuadentur* aperte pro *persuadeatur*. *Dac.* *Fumose.* Vide Non. cap. 16. in *Impluviatus color* (pag. 548. Merc.). *Goth.*

Saltum. (Ad p. 244.) Lege: *Non peremit nomen saltuis;* ἀρχαϊκῶς. Sunt enim verba Aelii Galli. *Scal.* *Quos agros non colebant propter sylvas, aut id genus, ubi pecus possit pasci et possidebant, ab usu*

suo saltus nominarunt. Haec etiam Graeci τὰ ἄλσεα καὶ νομάς, nostri nemora. Varro lib. IV. de L. L. (lib. V. pag. 38. Sp.). Saltus locus pascuus et sylvosus καὶ ἀνήροτος. Tamen si qua particula in eo aretur, non ideo saltus, ut nec fundus, qui ager cultus est, fundi nomen amittit, si in quodam sui parte sylvas habeat. *Dac.* Adde l. pen. §. 1. ff. si servit. vind. l. 25. ff. de pignorat. l. 52. ff. de act. empti. l. 8. ff. de instructo. Inde saltus pascuus l. 19. §. 1. ff. locati. saltusque pastionesque. l. 8. ff. de instructo. Ex his per greges et pastiones fructus percipiebantur l. 31. ff. de usufr. l. 9. ff. de instructo. Quin ex venatione arg. l. 62. ff. de usufructu. Horum alii aestivi, alii hiberni l. 67. ff. de legat. 3. l. 3. §. 11. l. 44. in f. ff. de adq. poss. l. 1. §. aestiva ff. de aliqua quotid. Horum custodes saltuarii l. 60. in c. ff. de legat. 3. l. 8. in f. l. 12. §. 4. ff. de instructo. His adscripti saltuenses. l. 1. Cod. de fugitivis colonis lib. XI. l. 13. Cod. qui milit. lib. XII. Hinc saltuenses fundi. l. 13. Cod. de fund. patrimon. alib. lib. XI. *Goth. Saluti.* Alii salutis. Legendum saltuis vel salti, vel saltui. Vide Nonium (pag. 485. Merc.) in *Salti. Idem. Saltus* vocabulum cum Varrone l. c. Doederlinus derivat a saliendo, ut Graecorum ἄλσος ab ἄλλεσθαι descendere vult idem. Vide Doederl. Syn. et Etym. Latt. tom. II. pag. 92. tom. I. pag. 176. Res non est probabilis. Nam utut *nemus* proprie locum pascuum significet, a νέμω, pasco, de quo dubitari licet, *saltus* non potest locum gregibus pascendis aptum significare, quia, si a saliendo descenderet, non gregibus solum, verum etiam hominibus ac feris ad saliendum destinatum locum denotaret. Non est dubium, quin *saltus* sit nomen primitivum. Graeco ἄλτις, quae nativa est forma, pro qua ἄλσος invaluit, respondet Latinum *saltus*, Germanica *halde, haide,* plane ut Graeco ἅλς respondet Latinum *sal*, Germanicum *hall*, nomen locorum aliquot in Germania, ubi sunt salinae. Recentior autem consuetudo ex Graeco ἅλς, ex Latino *sal* fecit *salz*, plane ut ex Graeco ὕλη, Latino *silva*, factum est *holz*, servata tamen Graeca aspiratione.

Superescit. Verba Attii mendosa sunt. *Ant. Aug.* Vide *Escit. Dac. Dum quidem.* Hieronymus Columna hunc versum alteri connectit, qui legitur Annal. lib. VI.:

— Decretum est fossari corpora telis
Dum quidem unus homo Romae toga superescit.

Hoc est, dum Romanus supererit. Nam togati Romani, ut pueris notum. Male vero Merula:

Dum quidem unus homo Roma tota superescit.

Idem. Quin hinc. Forsan:

Quin huic si superescit Spartum atque Amyclas trado.

Idem. Sed per se. Horat. lib. II. Sat. 8, (23):

Nomentanus erat super ipsum Porcius infra.

Idem. In Phasmate. Quae nunc Latino nomine *Mostellaria* (III, 2, 39. seq.). Iam suprs. Supple in verbis Plauti: *Ehem vix tandem* etc. Verba sunt Tranionis servi ad Simonem senem:

— Quid? Ehem vix tandem
Percepi super his rebus nostris loqui te.

Dac. Romae. Romanis. *Goth. Hinc.* Si. *Idem.* In Ennii versu *Romae toti* legendum alii censuerunt. Ego nihil mutandum puto. *Dum quidem unus homo Romanu' toga superescit.* In *quidem* ultima non eliditur ut saepe apud Ennium. Accii versum sic puto emendandum esse: *Quin hic si superescit, Spartam atque Amyclas tradam ei;* ut ultima in v. *Spartam* non elidatur. Locus Plauti ex Milite legitur IV, 5, 13. Afranii versum sic scripsit Bothius: *Alius de rebus et qua coepisti super;* id quod ego non assequor. Fortasse voluit: *Aliis de rebus, et qua coepisti super,* h. e. *quam super qua coepisti.*

Supercilium. (Ad p. 244.) Vide *Cilium. Dac.*

Sub iugum mitti. Vide *Iugum.* Liv. lib. III. sect. 28. De modo mittendi vide eundem lib. IX. sect. 5. Inde factum verbum *subiugare* pro debellare, devincere. *Dac. Ipsi eam.* Specie iam vel speciem eam. *Goth.*

Subices. Gellius lib. IV. cap. 17. versus Ennii refert. *Ergo deum sublimes subices, humidus. Unde oritur imber sonitu saevo et strepitu.* Nonius vero (pag. 168. Merc.): *Per ego deum sublimas subices humidas. Unde oritur imber.* Faernus noster Nonii scripturam probat et verbum *nubes* Festi esse arbitratur. *Ant. Aug.* Subices Ennius in Achille pro subiectis posuit, cum dixit nubes:

Per ego deum sublimes subices humidas,
Unde oritur imber sonitu saevo et spiritu.

Scal. Idem ad Manilium sic dictas ait, quod subeant coelestia, quomodo Graeci vocant μετέωρα, nam *subere* est *ascendere.* Praeivit forsan Nonius: *Sibicis,* inquit, *nove positum, non a subiciendo, sed altitudine* etc. Sed

de Nonio alias favente Deo. Interim Festum sequor, *subices*que interpretor *subiectas*, *nubes Deum subices*, quippe quae Diis subiiciantur. Nam ut ab *obicio obex*, sic a *subicio subex*. *Dac.*

Superstites. Cicero lib. II. de Nat. Deor. (c. 28.): *Qui totos dies precabantur et immolabant, ut sui liberi sibi superstites essent, superstitiosi sunt appellati.* Haec vulgaris interpretatio. Illa prior reperitur in formulis, quas irridet Cicero in oratione pro L. Murena (c. 12.): *Utrisque superstitibus praesentibus istam viam dico.* Quo loco vereor, ne pro *utrisque*, *virisque* scribendum sit. *Ant. Aug.* *SEI. QUEI. IN. IURE. MANUM. CONSERUNT. UTREIQUE. SUPERSTITIBUS. PRAESENTIBUS. VINDICIAS. SUMUNTO.* et Praetoris verba: *UTREISQUE. SUPERSTITIBUS. PRAESENTIBUS. HANC. VIAM. DEICO.* In quibus verbis *utreique* et *utreisque* semper intellige utrumque reum. Quare male quidam putant legendum *vireisque superstitibus*. Idem enim ac si diceret: Utrique reo praesentibus testibus hanc viam dico. *Scal.* De vindiciis suo loco. *Dac.* *Superstites etiam.* Deest tantum nomen poetae nescio cuius. Gloss.: *Superstes ἔφεδρος, περιών. Superstites περιλελειμμένοι. Idem.* Vide Nonium (pag. 431. Merc.) in *Superstitionis. Goth. Vindic.* Dixi ad XII. Tab. *Idem.* Vide Servium lib. III. Aen. (pag. 295 b. ed. Dan.). *Idem.*

Supercilia. Varro lib. IV. de L. L. (lib. V. pag. 75. ed. Sp.) eadem scribit, sed Plin. lib. XVI. cap. 44. a *luco Lucinam* dictam esse existimat. Fuisse autem lucum eo loci, Varro eodem libro quarto affirmat. *Ant. Aug.* Idem Varro lib. IV. (V. pag. 75. Sp.): *Facta igitur a iuvando et luce Iuno Lucina, a quo parientes eam invocant. Luna enim nascentium dux, quod menses huius ducat. Hoc vidisse antiquos apparet, quod mulieres potissimum supercilia sua attribuerunt ei Deae. Dac. Fruimur.* Fruuntur. *Goth.*

Suppernati. Praeter Pauli Epitomen referebat Festus Catulli versum ad Coloniam, ut Politianus olim animadvertit. Sed in duobus verbis, ut arbitror, aliter scripsit Festus atque hodie librarii edere soliti sunt (Cat. XVII, 19.): *In fossa Ligari iacet suppernata securi.* Politianus *expernata* maluit, quod Marullus irrisit: alii *separata* scripserunt. Pro *Ligari* autem *Liguri* et *Ligeris* alii immutarunt. Nos quod opinamur Festum scripsisse tradere contenti sumus. Contentiones Grammaticis relinquimus. Est etiam *adamas supernas* scriptum in Augusti ad Maecenatem epistula apud Macrob. lib. II. (c. 4.) Saturn. *Ant. Aug.* Catullus (l. c.): — *velut alnus In fossa Liguri iacet suppernata securi.* Cum id elegantissime ab elegantissimo poeta dictum sit, miror quare superstitiose adeo reiecerunt, ut non ausi sint vulgatam lectionem ineptissimam mutare: — *separata securi.* An, obsecro vos, hoc Latine est loqui? Saltem si de barbarismo non suspicabantur, tanti debebat apud eos esse auctoritas Festi, ut, quod ipse in libros suos retulisset, id melius putarent, quam quod in depravatis codicibus nostris habetur. Versum Ennii: *His pernas succidit iniqua superbia Poeni*, interpretatur Livius de clade Cannensi loquens, cum ait quosdam iacentes vivos succisis feminibus poplitibusque inventos fuisse. *Scal.* Suppernare est ἐκνευρίζειν, Gallice *couper les jarrets.* In versu Ennii *is* pro *his*, ut supra saepe. De clade Cannensi loquitur, de qua Livius lib. XXII. sect. 51.: *Quosdam et iacentes vivos succisis feminibus poplitibusque invenerunt. Dac. Et Catullus.* Versus Catulli:

— — *et velut alnus*
In fossa Liguri iacet suppernata securi.

In antiquis Catulli editionibus *separata* scriptum primus Politianus *expernata* conatus est in Miscellaneis cap. 73. *Idem.*

Suppremum. Tria significare hoc nomen Festus exemplis docuerat, quae a Paulo omissa sunt. *Summum*, ut cum Plautus ait: *Me suppremum habuisti semper. Extremum*, cum lex duodecim tabularum: *Solis*, inquit, *occasus supprema tempestas esto.* Vid. Varro lib. V. de Ling. Lat. (VI. pag. 187. ed. Sp.) Gell. lib. XVII. c. 2. et Censorin. de die natali (c. 24.). Item Plin. lib. VII. c. 60. Tertiae significationis exemplum est *suprema multa*, id est maxima, de qua Sex. Pompeius saepius scribit. *Ant. Aug.* *Suppremum modo significat summum, modo extremum modo maximum Summum: ut . . . . . Pater suppreme, belli et armorum potens. Plautus . . . . . Me suppremum habuisti semper in omnibus rebus tuis. Alias extremum significat, ut in legibus XII. Solis occasus supprema tempestas esto* etc. Deinde citabat exemplum scriptoris cuiusdam, qui dixerat, *ab illo sepeliri die suppremo.* Item heroicum versum: *Et quasi suppremo lugentes tempora voltu.* Item Catonem, qui dixit *suppremam advocationem.* In fine: *Alias pro maximo: cum duas oves et triginta boves suppremam multam dicerent: hoc est maximam. Scal.* Supremum modo summum, ut *supreme Iupiter* Terent. (Adelph. II, 1, 42.), modo *ultimum.* In XII. Tabulis: *Si ambo praesentes sol occasus suprema tempestas esto* i. e. ὥρα ἐσχάτη. Modo *maximum*, ut auprema multa. Sed haec significatio nullo modo diversa est a prima illa, qua supremum summum notat. Supra ab incerto poeta *armorum potens* Mavors dicitur, quomodo ab

Horatio *Cypri potens* Venus. Plauti versus videtur esse ex Pseudol. Act. I. sc. 1, (14.). Sed qui in libris editis non leviter immutatus. Sic enim legitur:

— Nam tu me antidhac
Supremum habuisti comitem consiliis tuis.

Sequebatur pentameter incerti poetae:

— — Suppremo crimine necte tuo.

Item versus heroicus:

Et quasi suppremo lugentes tempora voltu.

Dac.

Subsidium. (Ad p. 245.) Verba Festi ad subsidium pertinent, id vero maxime a triariis, qui subsidere solebant, dum principes et hastati pugnarent, dictum est. *Plautus in . . . Agite nunc subsidite omnes quasi solent triarii.* Liv. lib. VIII. (c. 8.): *Ad triarios cum ventum erat, qui ceteris essent subsidio; res in extremum periculum perducta esse dicebatur. Ant. Aug. Subsidium dicebatur, quando milites subsidebant in extrema acie, labentique aciei succurrebant. Quod genus militum constabat ex iis, qui emeruerant stipendia, et tamen retinebant locum in exercitu, quae erat tertia acies, quae dicebatur triariorum, ut Plautus in Frivolaria:*

Agite nunc subsidite omnes, quasi solent triarii.

Reliqua non potui. Versus ille Plauti manifesto coniungendus est cum illis ex eadem Frivolaria:

— — — sequimini hac
Sultis legiones omnes Lavernae. Ubi rorarii
*Estis? En sunt. Ubi sunt accensi? Ecce**
Agite nunc, subsidite omnes, quasi solent Triarii.

A subsidio *subsidiosum* audacter formavit Seneca Epistola 8.: *Clamo, vitate, quaecunque volgo placent, quae casus attribuit ad omne fortuitum bonum, subsidiosi, pavidique subsistite.* Ita inveni in libro N. Fabri, quem cum optimis codicibus scriptis contulit. *Scal.* A *subsidendo*, ut a *praesidendo praesidium.* Idem Varro lib. IV. de L. L. (lib. V. pag. 91.): *Hastati dicti, qui primi hastis pugnabant, Pilani, qui pilis, Principes, qui a principio gladiis et post commutata re militari minus illustres sumuntur. Pilani Triarii quoque dicti, quod in acie tertio ordine extremis subsidio deponebantur. Quod hi subsidebant, ab eo subsidium dictum, a quo Plautus: Agite nunc subsidite omnes, quasi solent Triarii. Auxilium appellatur ab auctu, cum accesserant, qui adiumento essent, alienigenae. Praesidium est dictum, quia extra castra praesidebant, in loco aliquo, quo tutior regio esset.* Sed falsum est, quod ait Varro hastatos dictos, quod hastis pugnarent, pilanos quod pilis. Nam ex veteribus satis constat hastatos pilis, hastis pilanos decertasse, ita ut utrique ab eo genere telorum appellati fuerint, quibus minime utebantur, quod in eorum gratiam dico, qui historiae Romanae assiduam operam navant. *Dac.* Vide *Praesidium. Goth.* De originatione *hastatorum* et *pilanorum* cf. Schwarz observv. ad Nieupoort. pag. 341.

Subsolaneae. (Ad p. 245.) Quid sit, quaeramus. *Scal.* Lego: *Subsolaneae, quae sub solo res appellantur.* Infra: *dicitur inde solidum; inde*, id est *a solo;* a solo enim *solidum*, ut supra in *solida sella.* Optime autem *solidum* imum, solum interpretatur. *Dac.*

Subsilles. Subsilles, quas alii Ipsulles vocant, lamellae necessariae sacrificiis, quae ad rem divinam dicuntur maxime conferre . . . . Vide *Ipsullices. Scal.*

Substillum. Tertullianus (de pall. c. 2.): *Aut imbres ruunt et si qua missilia cum imbribus, dehinc substillum et denuo sudum. Scal.* Substillum igitur vocatur ante pluviam tempus, cum guttatim stillae cadunt et post pluviam, dum adhuc uvidum est. Inde *substillum* et *substillatio*, στραγγουρία, morbus, cum urina stillatim cadit. Cato de R. R. cap. 56.: *Nunc de illis, quibus aegre lotium it, quibusque substillum est.* Glossae Cyrill.: *στραγγουρία culbitio, substillatio. Dac.*

Subscudes. Vide *Serilla. Ant. Aug. Subscudes appellantur cuneatae tabellae, quibus tabulae inter se configuntur, quia, quo eae immittuntur, succuditur. Pacuvius in Niptris. Scal.* Tabellae ligneae ad trabes aliave committenda. Gallice: *Queuës d'ironde.* Infra pro *succiditur* legendum *succuditur*, nam ita plane scripserat Festus, ut infra ex Schedis. Et absque iis ita olim Turneb. lib. XIV. cap. 1. Legendum puto, inquit, *succuditur.* Nam a *succudendo* mihi nomen videtur potius habere, quam a *succidendo.* Etsi enim locus, cui inseruntur, excavatur succiditurque inde aliquid, ut immittantur, cum tamen id fiat cudendo scalpris malleo percussis, et immittantur ictu mallei, non video cur non debeant potius a *succudendo*, quam a *succidendo*

deduci. Quodsi Festus a *succidendo* scripsit, ut et fortasse fecit, nae ab eo libentissime dissentio. *Dac. Pacuvius in.* Integrum Pacuvii locum sic adduxit Festus in *Serilla:*

Nec ulla subscus cohibet compagem alvei
Sed suta lino et sparteis serillibus.

Idem.

Sub corona. Vid. Gell. lib. VII. *Ant. Aug.* Versus Plauti: *Praeco ibi adsit cum corona: quique liceat, veneat. Scal.* Exempla passim apud historicos. Quod addit infra id signum fuisse nihil praestari a populo, confirmat Gell. lib. VII. cap. 4., quod alioqui saepissime fiebat, ut venditor servum sanum, non furem, non fugitivum, non erronem, non vespillonem praestaret. *Dac. Praeco ibi adsit.* In Plauti Edit. sic: *Praeco ibi adsit cum corona, quique liceat veneat; quique* i. e. *quanti. Idem.*

Sublimem. Lego *Sublime.* Ultima syllaba repetita vitiosam scripturam innuit. Limen erat superius et inferius. Superius *sublimem* vocarunt, unde sublimis in altitudinem elatus et sublime coelum dictum Ennio:

Aspice hoc sublime candens quem vocant omnes Iovem.

Vel, ut apud Ciceronem lib. II. (c. 25.) et III. (c. 16.) de Nat. Deor.:

Aspice hoc sublime candens quem invocant omnes Iovem.

Dac. Virgilii locus est Georg. II, 242.: *Hic vertex nobis semper sublimis.*

Sublimavit. (Ad p. 246.) Aurelius Victor in Epitome cap. 2.: *Pallasque praetoriis ornamentis sublimatus.* Et in Gloss.: *Sublimo, ὑψῶ.* Item: *Sublimo, as, μετεωρίζω. Dac. Dixit* Cato. Adde *Sublimare. Goth.*

Succenturiare. Inde milites succenturiati, qui explendae centuriae subiiciuntur. Terent. Phorm. (Andr. I, 4, 51.):

Nunc prior adito tu: ego in insidiis hic ero
Succenturiatus siquid deficies.

Ubi Donatus: *Tota metaphora de re militari est. Succenturiati dicuntur, qui explendae centuriae gratia subiiciunt se ad supplementum ordinum.* Versus Plauti: *Succenturia, centum require, qui te delectent domi.* Versum Caecilii quidam: *Nunc meae malitiae astutia opus est succenturiata.* Sed nihil muto: *Nunc meae militiae astutia opus est, succenturia. Militiam* dixit propter *τὸ succenturia*, quod militiae proprium. *Dac.* Versum Caecilii recte sic emendasse videtur Spengel.:

Nunc meae malitiae astutia est succenturiata opus.

Cf. Caecilii Fragg. ed. Spengel. pag. 53.

Subrumari. Qui et *subrumi* dicti sunt. Vid. Varro de R. R. c. 1. et c. 9. Lege infra: *Quia ea rumis vocabatur*, ut viri docti. Gloss.: *Rumis, θηλὴ ἀρχαίως.* Dicebatur et *Ruma* et *Rumen.* Vide *Ruminalis. Dac.* Vide supra *Adrumavit* et *Rumen. Goth. His vocabantur.* Rumis vocabatur. *Lac.* Lacte. *Idem.*

Subulo. Varro lib. VI. de L. L. (lib. VII. pag. 322.) versum Ennii ita refert:

Subulo finitimas propter astabat aquas.

Versus corruptus. *Ant. Aug.* Glossarium: *Subulo αὐλητής. Scal.* Turnebus non Hetruscam, sed Latinam esse vocem dicit. Nam *συρβηνεύς αὐλητής.* Hesych. Meursius *subulo* depravatum putat ex *subflo*, flator. Sed radicem eius in Hetruria quaerendam cum Festo docet Varro lib. VI. de L. L. (l. c.): *Apud Ennium subulo finitimas propter adstabat aquas; subulo dictus, quod ita dicunt tibicinem Tusci, quocirca radices eius in Etruria, non Latio quaerendum est.* Quare cum Tusci plurima habebant ex orientis linguis, putabat Voss. esse ab Arabico *sunbul*, spica, syrinx, calamus. Versus Ennii apud Festum est Trochaicus septenarius catalecticus. Apud Varronem si *aquas* ponas, in penultimo erit sotadicus. Pro *astabat* placebat Scaligero *assabat.* Nam *assare* tibicines dicuntur cum canunt tibia, nulla aliorum voce admista. *Dac.* Legitur hodie apud Varronem e Cod. Florentino: *Subulo quondam marinas propter astabat aquas.* Vide varr. lectt. apud Spengel. De *subulonibus* Etruscis cf. Müller. die Etrusker tom. II. pag. 201. ubi vide quae in nota margini subiecta de fragmento Ennii leguntur. Vidit Müllerus, verba illa Ennii: *Subulo quondam marinas propter astabat plagas,* fuisse principium fabulae, quae legitur apud Herod. I, 141. Nomen autem *subulonis* haud dubie a *sibilando* descendit sive eiusdem est originis atque *sibilus*, unde intelligitur, *subulonem* esse tibicinem, Pfeiffer. Quod si Etruscum est *subulo*, in multis verbis Latinam linguam cum Etrusca cognatam fuisse, credibile est, quod etiam aliunde apparet.

Suburam. Vid. Varro lib. IV. de Ling. Lat. (V. pag. 53. ed. Sp.) Quintil. lib. I. (c. 7.). In veterum monumentis extat hic usus C. literae pro B. M. Caecilio Sp. F. Suc. Rufo et T. Aelio. T. F. Suc. Aciliano et

curatores trib. Suc. iunior. Reperitur etiam B. litera C. Attio. T. F. Sub. Vitaliano. *Ant. Aug.* Verrio favet Varro lib. VI. de L. L. (lib. V. pag. 53. Sp.): *Eidem regioni attributa Subura, quod sub muro terreo Carinarum; in ea est Argeorum sacellum sextum. Subura Iunius scribit ab eo, quod fuerit sub antiqua urbe, cui testimonium potest esse, quod subest ei loco, qui terreus murus vocatur. Sed ego a pago potius Succusano dictum puto succusum. Nunc scribitur tertia litera B, non C. Pagus Succusanus, quod succurrit Carinis.* Sed etsi Varronis tempore Suburra scriberetur, tamen cum compendiose scribebant, tertiam literam ponebant C. non B. hoc modo: SUC. Quintil. lib. I. cap. 7.: *Suburra cum tribus literis notatur, C. tertiam ostendit.* Suburae tertium etymon affert comment. Horatii a *suburendo*, quod in ea regione Romae aliquando subustionibus paludata siccata sunt. *Dac.*

Subverbustam. Hic *b* pro *v. Subvervustam.* Tertullianus libro scholastico de Pallio (c. 4.): *Libertinos in equestribus, subverbustos in liberalibus, dediticios in ingenuis, rupices in urbanis, scurras in forensibus, paganos in militaribus.* Subverbustos vocat τοὺς στιγματίας, quia notis inurebantur. *Scal.* Pro *veribus* optime Ursin. *verberibus*, quomodo Horatius dixit *uri virgis* (Sat. II, 7, 58.). Subverbustus στιγματίας, verbero. Tertullian. in libro de pallio: *Libertinos in equestribus, subverbustos in liberalibus* etc. Ubi Fr. Iunius: *Ut a ius est iustus, ab arbor arbustum, ab onus onustus, sic a verber est verbustus et cum praeverbio subverbustus. Dac.* Dixi ad l. 1. §. 8. ff. de fugitivis et ad Ulpianum Tit. 1. §. 11. *Goth.*

Suboles. Virgil. Eclog. IV, (49.). *Ant. Aug.* Glossarium: *Suboles, ἐπιγονή, γονή, γενεά.* Vide *Adolesco. Dac.* Locus Lucretii est libr. IV, 1226.

Subucula. In meis glossis antiquis invenio *Subitillum* aut *Subutulum* dictum cum interpretatione *Subitillum, ἔγχυτον. Scal.* Pro vestimento, quod subtus induitur a *subuo* pro *subduo*, ut *exuo* pro *exduo.* Varro lib. IV. de L. L. (V. p. 134. Sp.): *Capitium ab eo, quod capit pectus, id est, ut antiqui dicebant, indutu comprehendit, alterum, quod subtus, a quo subucula, alterum quod supra, a quo supparus.* Sed quare libum ex alica, oleo et melle *subucula* dicatur, reperire non potui. Notavit Scaliger in antiquis Glossis inveniri subitillus ἔγχυτον. Sed hoc nihil ad rem, neque enim pro *subucula subitillus* unquam rescribere ausim. *Dac.* Adde infra *Supparus. Goth.*

Sub vos placo. Vide *Endoitium. Ant. Aug.* Pro *vos supplico*, ut *per ego te Deos oro*, et quae vocabulorum traiectiones in precibus solemnes, ut alibi diximus *Dac.* Vide supra *Ob vos sacro. Goth. Supplico.* Supplicio. *Idem.*

Suffiscus. Pedian. lib. II. Verrin. (pag. 50. ed. Lugd.): *Sportae, Sportulae et Sportellae nummum sunt receptacula; et sacci, sacculi et saccelli; et crumenae et vellereae et scorteae et manticae et marsupia. Ita fisci, fiscinae, fiscellae spartea sunt utensilia ad maioris summae pecunias capiendas. Unde quia maior summa est pecuniae publicae, quam privatae, ut pro censu P. R. aerarium dicitur; pro loculis et arca thesauri; pro saccello fiscus, unde fiscus pecunia publica* (et confiscare) *dici solet.* In quibus verbis *pro censu populi Romani* scribimus, non *privato*, ut editum est. Illa etiam verba *et confiscare* delenda esse putamus. *Ant. Aug.* Scaliger ait ut a χάσκω est *hisco*, a δάσκω *disco*, sic a φάσκος *fiscus.* Φάσκος autem aluta, unde φάσκωλος sive *φάσκωλον pasceolum*, saccus ex aluta. Huic etymo favet, quod Augustin. in Psalm. CXLVI. et post eum Isidor. lib. XX. Orig. cap. 9. *Fiscum* interpretantur *saccum publicum.* Sed mihi probabilius videtur *fisci* appallationem rure ortam dicere. Rustici enim ex iunco utensilia ad fructus et alia capienda faciebant, quae *fiscos, fiscinas* et *fiscellas* vocabant a *fisco* id est iunco. A rusticis urbani in eiusmodi fiscis et fiscellis pecunias suas servare didicerunt. Ascon. in Divinat. (l. c.): *Fisci, fiscinae, fiscellae, spartea sunt utensilia ad maioris summae pecunias capiendas. Unde quia maior summa est pecuniae publicae, quam privatae, ut pro censu privato loculos et arcam et saccellos dicimus, sic pro publico thesauro aerarii dicitur fiscus.* Atque ita primo Fiscus pro sparteo, postea vero propter similitudinem pro quolibet alio sacco sumi coeptus est. Ut hic folliculus testium arietinorum, qui marsupii usum praestabat, *suffiscus* quasi parvus fiscus dictus est. *Dac.*

Subacti. Gloss.: *Subigo, προσβάλλω, subegi, ὑποτάσσω, μαλάσσω.* Lege: *Subigit ὑποτάσσει, μαλάσσει. Dac.*

Supplicia Optime supplicia vocat Festus, quae gerebant caduceatores, id est oratores ad pacem petendam missi. Sallust. in Iug. (c. 46, 2.): *Legatos cum suppliciis mittit.* Similiter Graecis ἱκετήρια dicta. Et ex verbenis fiebant, hoc est ex ramis frondibusque omnium sacrarum arborum, ut lauri, olivae, myrti etc. Quapropter Graecis ἱκετήριοι κλάδοι, ut Sophocl. Oed. Tyr. (v. 3.); ἱκετηρίας θαλλοὺς vocavit Herodian. lib. VII. (c. 8. §. 18.). Ea supplicia infulis obvolvebantur. Liv. lib. XXIV. sect. 30.: *Quos ubi ex signis armorumque habitu cognovere Hippocrates atque Epicydes ramos oleae ac velamenta alia supplicum porrigentes, orare,*

ut reciperent sese receptosque tutarentur. Et lib. XXV. sect. 15.: *Legati eo ab Tycha et Neapoli cum infulis et velamentis venerunt, precantes, ut a caedibus et ab incendiis parceretur.* Quae sequuntur usque ad *quo exemplo*, verba sunt Sinnii Capitonis, referentis supplicium inde dici, quod, cum civis necaretur, rex sacrorum in forum prodibat, ut Semoniae Deae (quae eadem et Naenia) rem sacram faceret, qua cives poena solverentur, et ex nece civis amolirentur piaculum et caput damnati boneque eius consecrarentur. Inde Isidorus lib. V. c. 27.: *Supplicium proprie dicitur, non quo quis punitur, sed qui ita damnatur, ut bona eius consecrentur et in publico redigantur. Nam supplicia dicebantur supplicamenta et supplicium dicitur, de cuius damnatione delibatur aliquid Deo.* Et lib. VI. cap. 18. ex Servio in lib. I. Aeneid. (pag. 219. e. ed. Dan.): *Unde supplicia dicuntur supplicationes, quae fiebant de bonis passorum supplicia, sacrae enim res de rebus execrandorum fiebant.* Nunc satis apertum, cur postea *supplicium* de poena capitali dictum sit. *Dac. Supplicia.* Hic multa Festus, quae interpretem desiderant, vel potius librum emendatiorem. *Ant. Aug.* Supplicia sunt sceptra, quae caduceatores portant. Sunt autem verbenae felicis arboris. Non enim alia supplicia fas erat, quam ex verbenis sumi. Sunt et supplicia, quae cum civis necaretur, fiebant. Tunc enim Semoniae rex sacrorum vervece bidente facit, ut, civibus poena solutis, caput damnati patrimoniumque, cuius causa id fieret, sacrum Divis manibus esset. Inde solitum, cum prodit sacrificandi caussa rex sacrorum, ut id vocetur supplicium, quasi vero semper ela . . . . quo exemplo docet supplicia esse sacrificia; at nunc fere supplicia pro poenis dicuntur. Haec aut non multum diversa scripsisse Festum putamus. Et cum sacrum fieret pro eo, cuius caput devotum esset, quo supplicarent Diis et deprecarentur τὸ νεμεσητόν, quia interficerent civem; propterea supplicium dici coeptum pro poena capitali. Sane ariete aut vervece solebant amoliri contractum ex nece alicuius piaculum. Quod supra in lege Numae a nobis expositum est. Semoniae Deae meminit ex Varrone Augustinus. Reprehendit deinde Verrium more suo, qui in hoc verbo explicando hallucinetur. *Dac. Supplicium* a suppliciis differt. Id quod consuetudo arguit, quod soleamus dicere haec deorum supplicia; contra dicimus, ut sumatur supplicium de aliquo, id est deportetur, aut iubeatur flagris caedi. *Scal. Supplicium.* Haec superioribus praemitti debent et cum iis ita coniungi, ut caput unum efficiant. Ita enim schedae. Ait Festus sive Verrius *supplicia* dici Deorum supplicationes, *supplicium* vero, quo homines plectuntur. Sed et supplicia, quae de hominibus sumantur, dici. *Dac. Supplicium* recte derivare videtur Doederlin. Syn. et Etym. L. L. tom. IV. pag. 279. ab obsoleto *pleco*, *πλῆξαι*, unde *plica*, *plaga*, *profligare*, *flogrum*, *plectere* cet.

Sufes. Sufes dictus est Poenorum lingua summus magistratus, ut Oscorum Medix. Calidius in oratione in Caecilium: Nonne vobis. Porro qui Hebraice sciunt et non ignorant Poenos Tyriorum colonos esse, concedent mihi, Sufes idem esse; quod Graecis ἔφορος, ἐπόπτης, ἐπίσκοπος, צופה. Sic Carthaginiensium arx βύρσα dicta per metathesin quasi βύσρα. Nam sine dubio בוצרה hoc est munitus locus, ἄκρα. Quo nomine Idumaeorum metropolis ita dicta, qui eadem lingua cum Carthaginiensibus loquebantur. Nugaces Graeci, quicquid ad eorum linguam alludit, statim Graecum esse censent. Nam cum pro βύσρα, quod eorum lingua non patiebatur, βύρσαν dixerunt, dictum factum pro Graeco publicarunt atque proscripserunt. Hoc, quod hic notamus, scribimus iis, qui si vel primis Hebraicis literis tincti sunt, me verum dicere non negabunt. In utroque autem tam צופה, quam בוצרה schurek pro holem effertur, more Syrorum. *Scal.* Vide *Meddix.* Suffetes apud Carthaginenses ut apud Athenienses archontes perpetui Et suffes ab Hebraeo *sophetim*, nam Hebraeorum et Tyriorum lingua eadem, nempe Chananaea. Tyriorum autem colonos Poenos nemo ignorat. *Vossius.* Scaligerum vide lib. III. Canonum Isagogicorum Eusebio adiunctorum pag. 321. et 331. et animadversionibus Eusebianis ad annum MCCXLII. pag. 64. *Mediastuticum* autem vocat, quem supra *Medix*, Oscorum magistratum. Sed potius legendum *Medixtuticus.* Nam ita aperte a *Medix* et ita Livius lib. XXIV. (c. 19.) et XXVI. (7.). *Dac.* Vide supra in *Meritavere.* Et Senecam de Tranquill. I, 3., quo loco *Medix* non *Cetyx* legendum. *Goth.* Cf. quae supra notavimus ad v. *Meddix.* De *Suffetibus* autem cf. Gesenii Lex. Hebr. s. v. שָׁפַט *iudicare.* Non enim a צפה, *inspicere*, ut Scaligero visum, nomen *suffes* potest descendere, quod hodie in vulgus notum est.

Sub vitem. Lucillii versus corrigendus:

Ut veles bonu' sub vitem qui sumicit hastas.

Sumicit pro *subiicit*, ut *Comuro* pro *Couro*, *Comitium* pro *Coitium.* *Scal.* Schedae habent *subit*, quod mihi corruptum videtur ex *subicit*, ut antiquitus scribebant pro *subiicit.* *Dac. Veles.* Adde infra *Velitatio.* *Goth.* *Subsit* legitur apud Festum, non *subit.* Cf. Ursini notam ad h. l. *Sumicit*, quod Scal. voluit, sine exemplo est et analogia caret. *Submisit* in metrum peccat; *subiicit* probabile est ad sententiam, sed non intelligitur,

quomodo inde facere Paullus potuerit *summisit*, nisi forte *bii* litteras male pictas prius *m* et deinde *mm* lectas esse crediderimus.

Sub vitem proeliari. Trochaicus Lucillii ita legendus:

Neque prodire in altum, praeliari sub vitem procul.

Scal.

Sub vineam iacere. Militarem vineam sive vitem sic describit Vegetius (IV, 15.): *E lignis levioribus machina colligatur, alta pedibus VIII. lata VII. longa XVII. Huius tectum duplici munitione tabulatis cratibusque contexitur. Latera quoque vimine sepiuntur, ne saxorum pilorumque impetu penetrentur. Extrinsecus autem, ne immisso concrementur incendio, crudis ac recentibus coriis vel centonibus operitur. Cum plures factae fuerint, iunguntur in ordinem, sub quibus subsidentes tuti ad subruenda murorum penetrant fundamenta. Dac.* V. l. 13. §. 4. ff. de re militar. Adde infra *Vineae.* De *vite* adi legem 13. §. 14. ff. de re militari. *Goth.*

Supparus. Camisiam dixisse Festum non arbitror, ut nec *minare*, licet utroque verbo Paulus utatur. *Ant. Aug.* *Camisium* usurpat Paulus verbum suae aetatis ac suorum hominum elegantia dignum. *Cama* est barbarum vocabulum, id significat *lectum.* Hodieque in idiotismo suo retinent Hispani. Camas enim lectos vocant. Ab eo tunicam lineam nocturnam vocarunt *Camisiam.* Auctor Isidorus et ipse homo Hispanus. *Scal.* Utitur hoc verbo Plaut. in Epidico (II, 2, 48.). *Goth.* *Subucula.* Vide supra. *Idem.* *Camisiam* esse hodiernorum Gallorum *chemise* nemo est, quin intelligat. Cf. Du Fresne lexic. med. et inf. Lat. s. v.

Supat. Vide *Insipare* et *Insipere. Ant. Aug.* Desunt perpauca, quae forsan non male sic supplenda: *Et insipat iniicit, insipit etiam dicitur, id est pullis iniicit farinulam.* Vide *insipere.* Neque vero doctissimum Ursinum sequor, qui *farinolam* distinguit *far in ollam*, *olam* pro *ollam. Dac.* Vide in *Solitaurilia. Goth.*

Sutelae. (Ad p. 247.) Fulgentius (pag. 562. ed. Merc.) quasi subtiles telas dici existimat refertque Plautum in Casina hoc verbo uti, sed et in Captivis quoque reperies. *Ant. Aug.* Glossae: *Sutela, ἐνέδρα, ἐξαπάτησις, δόλος.* Plaut. Casin. I, 1, (7.):

Possisne necne clam me sutelis tuis
Praeripere Casinam uxorem, proinde ut postulas.

Inde autem sutelae dictae, quod proprie *consuere dolos* dicerent, ut Graeci *συῤῥάπτειν δόλους.* Quo sensu et nos etiam utimur verbo nostro *coudre. Dac.*

Sutrium. (Ad p. 247.) *Su..... Sutrium quasi eant, utique in proverbium abiit hac de causa: Gallico tumultu a Camillo quondam edictum est, legiones Sutrii ut praesto essent cum cibo suo; quod usurpari coeptum est in iis, qui suis rebus opibusque confisi repraesentarent, quibus deberent. Plautus:*

Sed facito dum, merula parae versus quos cantat, colas
Cum cibo tum quiqui facito veniant, quasi eant Sutrium.

Quamvis non nego interpretationem proverbii, quam Festus proponit, non esse alienam ab ipso proverbio, tamen longe abest a Plautino sensu, imo ut melius dicam, adversatur. Locum Plauti, qui omnes interpretes cruciat, in ipsis ad Plautum notis, exponemus. *Scal.* Versus Plauti sunt ex Casina Act. III. sc. 1, (9.):

Sed facito dum memineris versus quos cantat colax; cibo
Cum suo quiqui facito, uti veniant, quasi eant Sutrium.

Hoc est: facito ut memineris versus quos Naevius in Colace suo (Colacem enim fabulam scripsit Naevius) cantat: cibo cum suo etc. In libris veteribus:

Sed facito dum merui aper versus quos cantat colas.

Et:

Sed facito dum Meoni aper versus quos cantat, colas.

Vulgatam lectionem sequor. Tamen Scaliger:

Sed facito dum, Merula parae versus quos cantat, colas
Cum cibo tum quiqui facito veniant, quasi eant Sutrium.

Additque, etsi non neget interpretationem proverbii, quam Festus proponit, non esse alienam ab ipso proverbio, abesse tamen a Plautino sensu, imo et ei etiam adversari. Sed nobis hic locum Plauti exponere debebat Scaliger, neque nos ad suas in Plautum notas remittere, quas tantum cogitavit. Ego vero aliud dicam, quod non vidit Scaliger et quod verum esse omnes dicent, nempe non solum alienam esse a proverbio hanc Festi interpretationem, atque adeo Plautino sensui adversari, sed vel in ipso statim proverbio aliquid turbatum vel

in ipsis Festi verbis. Si enim Sutrinae legiones cum cibo suo praesto adesse iussae sunt, ut id aliquando factum est, non utique formari inde potuit proverbium *quasi cant Sutrium*, sed *quasi eant Sutrio*, cum a Sutrio venirent legiones rebus necessariis instructae; atqui Gallico tumultu Sutrinis milites imperatos nusquam legas. Quid igitur? Audi modo; distinctione tantum apud Festum peccatum est; distingue sic: Gallico tumultu edictum est, Legiones Sutrii ut praesto essent etc. Hoc est: ut legiones, Romanae scilicet, Sutrii adessent. Nempe ut inde Hetruscos pellerent. Nam Gallico tumultu dum Gallos Camillus persequitur, Hetrusci Sutrium impugnant illudque deditione capiunt. Eodem die Senatus decretum fert, ut Sutrium iret Camillus cum legionibus, hoc est Sutrii praesto esset et Sutrinis auxilium ferret. Vide Liv. lib. VI. sect. 3. Postea factum proverbium *Sutrium quasi eant*, et de iis usurpatum, non, ut vult Festus, *qui rebus suis opibusque officii id praestarent, quibus deberent*, sed qui rebus necessariis sese ad aliquid agendum accingerent. *Dac.* Plaut. in Casina (l. c.): *Sed facito dum memineris versus, quos cantat colax Cum cibo tum quiqui facito, ut veniant, quasi eant Sutrium.* Liv. lib. VI. (c. 3.) scribit, Camillum Sutrium quam citissime recuperasse. Festum igitur opinamur hoc proverbium hoc loco fuisse interpretatum *Sutrium ire*, eiusque originem tradidisse ex Gallico tumultu, cum edictum est a Camillo, ut legiones cum cibo suo Sutrii praesto essent. *Ant. Aug. Merula per versus.* Memineris. *Goth. Quod cantat colas.* Quos c. colax. *Idem. Cum suo cuique.* Cum cibo tu quoque eos. *Idem.* Scribe: *Plautus:*

— Sed facito dúm, memineris vérsus, quos cantát colax
Cúm cibo suo quíque, facito, véniant, quasi eant Sútrium.

Suopte. Gloss.: *Suo, τῷ ἰδίῳ, τῷ σαυτοῦ, suapte τῷ ἰδίῳ.* Lege: *Suopte. Dac.* Lege etiam τῷ ἑαυτοῦ pro σαυτοῦ, in Glossario. Ceterum syllaba derivativa *pte*, quae recurrit in *mihipte*, *nostrapte*, *meopte*, *meapte*, *tuopte*, *tuapte*, *meumpte*, *tuumpte*, *suumpte*, eadem est atque paragogica syllaba in *eumpse*, *eampse*, *reapse*, *eapse*, *sepse*, *ipse*, *sirempse*, *siremps.* Orta est ex Sanscrita voce *sva*, quae possessivum pronomen est omnium personarum. Uti enim ex Graeco σφέ, quod idem proprie denotat, atque Sanscr. *sva*, ortum ψέ, sic apud Latinos *sva* abiit in *pse* et proinde in *pte.* Praeterea cf. Johannsen die Lehre der Lat. Wortbildung cet. pag. 96.

Suillum. (Ad p. 247.) Lege: *Et surire dicuntur.* Apuleius. Glossarium: *Surit*, καπρᾷ. *Scal.* *Suem* tamen, qui Adonim interfecerat, cum Venere in gratiam rediisse narrat Theocritus in elegantissimo illo poematio, quod in mortuum Adonidem scripsit. Illud sis vide. *Dac.* *Cum subare et subire dicuntur.* Lege: cum subare et surire dicuntur. Monuit Scalig. *Subare* autem et *surire* dicuntur feminae, cum libidine excitantur *militiamque petunt.* *Subare* ab Aeolico συβᾶν pro συᾶν, vel a *subus* pro *suibus*, ut ab antiquo genitivo *sueris surire* quasi *suerire;* sic Graeci de suibus feminis dicunt καπρᾶν et καπρίζειν. Κάπρος enim est *verres.* Arnobius tamen et Apuleius *surire* de maribus usurpant. *Subare* de feminis ceteri auctores. Aristoteles θυᾶν quoque de feminis dicit, cum maris desiderio incitari incipiunt, quia veteribus θῦς idem quod ὗς. Sed ubi marem admittere occoeperunt ac subinde repetunt, tunc καπρίζειν et καπρᾶν dicuntur eidem Philosopho. Vide Salmas. in Solin. *Dac.*

Sus Minervam. (Ad p. 248.) Hoc proverbium sic extulit Theocrit. Idyll. V, (23.):

Ὗς ποτ' Ἀθαναίαν ἔριν ἤρισεν.

Ubi Scholiastes: *παροιμία ἐστὶ τῶν τοῖς κρείττοσιν ἀντεριζόντων.* Cicero Epist. lib. IX. Ep. 18.: *Veni igitur, si vir es, et disce iam προλεγομένας quas quaeris. Etsi sus Minervam.* Et Acad. quaest. lib. I. (cap. 5.): *Sed quid ego, inquit, aut sumne sanus, qui haec vos docet? nam etsi non sus Minervam, ut aiunt, tamen inepte quisquis Minervam docet.* Allusit lib. II. de Oratore (cap. 57.): *Sic ego nunc Crasso audiente primum loquar de facetiis, et docebo sus, ut aiunt, oratorem eum; quem cum Catulus nuper audisset, fenum alios aiebat esse oportere. Dac.* Antiquus auctor Euhemerus, qui fuit ex civitate Messana, res gestas Iovis et ceterorum, qui Dii putantur, collegit, historiasque contexuit ex titulis et inscriptionibus sacris, quae in antiquissimis templis habebantur cet. Lactant. de fals. Rel. lib. I. cap. 11. *Idem.*

Strues. Strues omnium rerum exstructio dicebatur. Gloss.: *Strues, ξύλων σωρὸς ἢ καὶ θυμάτων.* *Dac.* Vide supra *Ferctum.*

Struices. Plaut. in Menaechm. (I, 1, 26.): *Tantas struices concinnat patinarias. Ant. Aug.* Naevius etiam, teste Servio, qui est in schedis (ad Aen. IV, 267. pag. 341. ed. Dan.), dixit *Struix malorum. Scal.* *Struix* et *Strues* idem. Sic Naevius dixit *struix malorum*, teste Servio. Versus Plauti est ex Menaechm. Act. I. sc. 1, (26.). *Dac.* *Livius quo Castalia.* Merula in comment. suis ad Ennium legendum putavit *Livius libro*

quarto vel *quinto*, nimirum *Erotopaegnion.* Vel *Livius equo.* Nam equum Livii Troianum citant Cicero lib. VII. Epist. (ep. 1.) et Nonius Marcellus in *Opitula.* De Castalia autem Apollinem fugiente et in fontem sui nominis conversa, notum est. *Idem.*

Struere. Glossarium: *Pedem struit φεύγει. Scal. Struere antiqui dicebant pro adiicere, augere.* Persius (II, 44.):

Rem struere exoptas caeso bove.

Adicere pro *adiicere* antiqua scribendi consuetudine in exemplari exaratum. *Dac. Unde industrios.* Vide *Industrium. Idem. Aut in duodecim quod est.* Lege *at*, ut viri docti. Vide *Pedem struit. Idem. Ac vix pedem pedi praefert.* Hic aliquid omissum videtur. Forsan: *Ac vix pedem pedi praeferre, pedem struit, otiose it, remoratur.* Tamen nihil affirmo. *Idem. In XII. Tab.* Vide l. 233. ff. de verbor. sign. Dixi ad leges duodecim Tab. *Goth.*

Stroppus. Lege: *Pro insigni habent in apice.* Apud Vitruvium sunt *Struppi*, quibus religatur remus ad scalmum, ut alibi notavimus. Glossarium: *Strepus τροπωτήρ.* Lege: *Stropus.* Glossae aliae: *Strupus σκαλμὸς, ἔνθα ἡ κώπη δεσμεῖται.* Idem Isidorus producit locum Livii: *Tuncque remos iussit deligari strupis.* Apud Suetonium alicubi perperam legitur *stupis lecticae* pro *strupis. Scal.* Sed haec aliena; *στρόφιον*, strophium, *stroppus* proprie fascia, taenia et quia ex fasciis fiebant coronae, inde *strophium* et *stroppus* pro corona, et pro eo, quod sacerdotes ferunt. Hesych.: *στρόφιον, ὃ οἱ ἱερεῖς φέρουσι. Strophium* autem a *στρέφω*, quia fasciae illae tortiles. Strophia sic describit Plin. (XXI, 2.): *Quaedam coronae per coronas currunt. Tenuioribus utebantur antiqui, stroppos appellantes, unde nata strophiola.* Duae aut tres taeniae invicem tortae coronam faciebant, quam vocabant *stroppum.* Antiqui enim Romani coronas e taeniis concinnabant, nondum invento, eas e floribus texere. Vide Salmas. in Solin. *Stropus* de quo hic egit Scal., nempe quo remus ad scalmum religatur, est ab alia origine. Nempe a *τρόπος lorum, tropus, s* addito *stropus. Dac. Pro insigni habent in capite. In apice* Scal., sed non necesse. *Idem. Struppus.* Tertia linea cum sequenti alio pertinet. Quod divinare non potui. *Scal. Et a Tusculanis, quod in pulvinari imponatur Castoris* etc. Non solum Castoris, sed et aliorum Deorum. Vide infra *Struppi. Dac.* Adde Nonium (pag. 538. ed. Merc.) in *Strophium. Goth. Diem.* Sidem. *Idem.*

Strutheum in mimis. Imo et Latinum *passer* alibi quam in mimis pro obscena illa parte positum est. *Dac.*

Strenam. In *loco* et *lite* non solum *s* litera praeponitur, sed *s* et *t.* Dicitur enim a veteribus *stlocus* et *stlis.* Vide *Stlata* et *Stlembus.* Sic Decemviri *stlitibus iudicandis* dicebantur pro *litibus*, qui Centumvirorum primi fuerunt. Vid. Quintilian. lib. I. cap. 6. Potuisset Festus *stritavum* pro *tritavo* dictum referre. *Ant. Aug.* Etymologiae Festi convenit, imo adstipulatur versus Pomponii Atellanarii: *Asside si qua veniet strena strenae. Scal.* Aliter Nonius (pag. 16. Merc.): *Strena*, inquit, *dicta est a strenuitate.* Cui favet Symmachus lib. X. Epist. 28.: *Ab exortu paene Martiae strenarum usus adolevit, auctoritate Tatii regis, qui verbenas felicis arboris ex luco Streniae anni novi auspices primus accepit. Nomen indicio est viris strenuis haec convenire ob virtutem. Dac. Tertiumque.* Initiumque. *Goth.*

Strebula. Locus Plauti fuit in Frivolaria, quae non extat. *Ant. Aug* Habes apud Varronem (de L. L. VII. pag. 349. Sp.) et Arnobium. *Scal.* Arnob. (VII. pag. 230.): *Nonne placet carnem strebulam nominare, quae taurorum e coxendicibus demitur?* Sed cur Umbrico nomine, cum a Graeco *στρεβλός, curvus?* Nempe a curvatura et versura coxendicis, ut optime Varro lib. VI. de L. L. (VII. pag. 349. Sp.): *Caro strebola Opilius scribit circum coxendices sunt nobis* (legitur: *Stribula — circum coxendices sunt bovis*). *Id Graecum est ab huius loci versura. Dac. Strebula agnina tene.* Puto in lacuna desiderari locum alium eiusdem Plauti, quem laudat Varro ibid.: *In Cestione*, inquit, (optime Scal. *in Gastrione*) *cera stribola, ut de lumbo, obcaenabis.* Quem versum sic correxit Scal.: *Caro stribola vitellina est; caenabis.* Sed quomodo ex *ut de lumbo ob* fieri possit *vitellina est*, non sat certe possum coniicere. Atqui is locus est, qui nullo fere negotio possit sanari. Lege modo: *Carne strebola, aut de lumbo obcaenabis; cera*, inversum *care* pro *carne, aut* pro *haud*, ut saepe. *Obcaenabis* eodem modo dictum, quo *obtinebis* et alia. Et interpretor *ad saturitatem coenabis.* Nam et nomen fabulae *Gastrion* sive *Gastron*, id est *gulosus.* Verum et notatu dignum est, quod supra dixit Festus strebolam carnem sive *μηρία* in altaria imponi solita. Nam eae praecipue hostiarum partes erant, ideoque in conviviis etiam viris principibus dabantur, ut dorsa. Adi Eustath. in Homer. pag. 1606. edit. Roman. *Dac.* Adde Scal. in Coniectan. ad Varr. pag. 141. ed. St.

Stlata. Glossarium: *Stlata, πειρατικοῦ σκάφους εἶδος.* Idem: *Stlatarius, ἐργόκωμος. Scal.* Pro *lata.* Antiqui enim vocibus ab *l* incipientibus *st* praeponebant. *Stlata* subintelligitur *navis.* Item: *stlites δίκαι ἀρχαιῶς. Dac. Sed ea.* Scilicet. Vide *Strenam. Goth. Stlitem.* Vide *Strenam* et *Stritavum.* Hinc *Decemviri stlitibus iudicandis* v. Quinctil. I. cap. 6. *Idem.* Cf. in v. *Stlembus.*

Stlembus. A lumbagine *stlembus* pro *lumbus*, quasi *lumbosus*, a lumborum vitio et per metaphoram pro tardo instar laborantis lumbagine. Haec Voss. Dubito. Putabam olim longe aliud voluisse Lucilium, quam quod habet Festus, eumque dixisse pedibus stlembum non tardum et gravem, sed velocem, *ὠκύποδα*, ab illius scilicet navigii velocitate, quod *lembum* dicunt. Nam lembus *μικρὸν πλοιάριον.* Hesych. Eumque inter velocissimas et exploratorias naves fuisse ex veteribus certum est. Sed vereri se ait Scaliger, ne Verrius in vitiosum exemplar Lucilii inciderit et Lucilius scripserit *stlentum* pro *lentum.* In verbis Lucilii *τὸ* (v.) *Apulidae* corruptissimum est. *Dac.* Vv. *stlata, stlembus, stlis, stlocus* litteras *stl* habere originarias, testimonio est v. *stlis,* quod respondet Germanorum vv. *Streit, stryd, strauss.* Non igitur seriori tempore appositae sunt litterae *st*, sed formae recentiores illae *lis, locus*, ortae sunt ex pronunciandi quadam difficultate, quam devitantes molliores formas introduxerunt. Quemadmodum vero Latinorum *strigilis* et Graecorum *στλεγγίς* eiusdem sunt originis, ita haud dubie *stlata* non ortum est ex adiectivo *latus, a, um* [quod potius est Graecorum *πλατύς*, Sanscritum *prithu (prathas)*, Germanorum *breit*]; sed *stlata* nihil est nisi *strata*, h. e. *ἡ στρωτή, ἡ ἐστρωμένη*, sc. *ναῦς.* *Stlata* autem navis in latitudinem strata ad merces portandas, portatoria. Iam non erit dubium, *stlembus* vocabulum respondere Graecorum voci *στρόμβος, στροβελός, στρεβλός*, quae a *στρέφω* esse derivanda, nemo non videt; quare intelligitur, adi. *stlembus*, diversum a substantivo *lembus*, navigii genere, *tortum, incurvatum* denotasse; substantivum autem *lembus* Graecum est *λέμβος*, quod a *λέπος, λέπω* descendit. Tum *stlocus* haud dubie cohaeret cum Germanorum verbo *strecken, strekken, rekken*, quod Graecis fortasse olim *στλέγω* sonabat, unde superest *λέγω* i. q. *sterno*, Latinis *stlego, lego*, quod superest in *lectus*, i. e. *λέκτρον, λέχος*, unde *longus* i. e. extensus, et *locus*, spacium, ubi quid extenditur, ipsa extensio. Graecorum *τόπος*, a Sanscrito *tip* i. e. proiicere, cohaeret cum vv. *τάπης, ταπεινός, δάπεδον*, Germanorum *tief.* Ex quibus omnibus abunde patet, vocabula *stlata, stlis, stlocus*, communem fontem habere in Sanscrita radice *stri*, sterno, dissipo; *stlembum* autem a Graeco *στρέφω* descendere, unde etiam *στράβη, στράβος, strabus, στράπτω, στράβαλος*, alia, sunt derivanda. — Restat ut dicamus de loco Lucilii. Quem cum aliis eiusdem poetae reliquiis, aliunde cognitis, ita restitutum velimus:

Ipse equus, non formosus, gradarius, optimus vector,
Apulides, pedibus stlembus, cum gibbere magno,
Quem metuas saepe, interdum quem utare libenter.

Apulides pro *Apulo*, ut *Scipiades* pro *Scipione*, *Dardanides* pro *Dardano*, Apulum equum (cf. Varro de R. R. II, 7.), quo quis forte utebatur, quem perstringeret Lucilius, *non formosum* dicit et qui gradu tantum incederet, non cursu; sed optimum vectorem, quo quis saepe uti metuat, at interdum, ubi pulchrior deficiat, utatur libenter. Eundem *pedibus stlembum* dicit, h. e. pedibus contortis et incurvatis, *genibus introrsum spectantibus*, ut ait Varro de R. R. II, 7., ad significandam deformitatem, quia in laude erant, qui cruribus rectis et aequalibus essent, Varro l. c. Columella VI, 29. *Gibbus magnum* eidem tribuitur equo, ridicula exaggeratione, quum spina exstans intelligatur. Cf. Varro l. c. *Spina maxime duplici, sin minus, non exstanti.* De locis Lucilii, a nobis huic, quem Festus adducit, coniunctis, cf. Lucilii reliquias lib. XV, 15. 16. et incert. 129.

Stellionem. (Ad p. 248.) Existimo Festum referre, placuisse Verrio Stellionem, quod stillet cibo, dici; at ipsum magis probare ab stellarum similitudine, quod eius cutis varia sit, esse appellatum. Plin. lib. XXX. cap. 10.: *Nullum animal fraudulentius invidere homini tradunt, inde stellionum nomen aiunt in maledictum translatum. Tuniculam exuit eodem modo ut anguis, sed eam ipse devorat.* Ab hoc crimen stellionatus dici certum est. De stellione Virg. Georg. lib. IV. (243.). *Ant. Aug.* *Stellionem* genus lacertae Verrius dicit ab eo dictum, quod virus stillet cibo, potius, quam quod dicit alibi a stellarum similitudine videri dictum, quia eius corium varium est. Tertullianus de cibis Iudaeorum: *Quis stellionem* (comedit)? *sed maculas execratur praedam de aliena morte quaerentes. Scal.* Stellio autem dictus, quod variis guttis sit stellatus. Ovid. IV. Metamorph. (V, 461.):

— — *Aptumque colori*
Nomen habet variis stellatus corpora guttis.

Unde et illum Graeci ἀστερίαν et ἀστερίωνα dixere. *Dac.* Vide Titul. ff. *Stellionatus.* Glossis: *Stellio* ἀσκαλαβώτης. *Goth.*

Stipem. (Ad p. 248.) Varr. lib. IV. de L. L. in fine (V. p. 180. Sp.): *Hoc ipsum stipendium a stipe dictum, quod aes quoque stipem dicebant. Nam quod asses librae pondo erant, qui acceperant maiorem numerum, non in arca ponebant, sed in aliqua cella stipabant, id est componebant, quo minus loci occuparet. A stipando stipem dicere coeperunt.* Et mox: *et qui pecuniam alligat, stipulari et restipulari.* Sed de *stipulari* multi dissentiunt, quorum alii a firmitate *stipulari* dictum volunt, quod veteres *firmum* dicebant *stipulum*; alii rure natum verbum dicunt a stipula scilicet, quia in contractibus agrariis stipulam tenebant, quae totum agrum repraesentaret. Quae mihi potior sententia. *Dac. Et id quod.* De eoque. *Goth. Stipem* Glossae ἐλεημοσύνην. *Idem.* Vide quae supra dicta sunt ad v. *Stipem* ad pag. 240. *Stipulari* autem non a v. *Stips* descendit, et cum *stipula* cognatum tantum esse videtur. *Stipari* est pr. *densari*, tum *densa caterva comitari*; *stipulari* autem est *firmum* alicui rei insistere, immanere, unde postulare, forma verbi frequentissima, qualem ipsum *postulare* exhibet. Subest autem his duobus verbis Graeca radix στέφω, Germanica *steif*, *styf*, Sanscrit *stabh.*

Stirpem. (Ad p. 248.) Citabatur Ennius, qui stirpem dixit masculino:

Nomine Pyrrhus, uti memorant, a stirpe supremo.

Scal. Livius. Livium Andronicum intellige, quem ex hoc loco historiarum sive annalium libros conscripsisse certum est. Adeoque nimis praecipitanter fecit illustrissimus Ger. Jo. Vossius, cum in luculentissimis libris suis de historicis Latinis lib. III. cap. 12. non veritus est affirmare, historicis perperam annumerari Livium Andronicum falsoque apud Diomedem lib. III. (pag. 480. P.) *Livium* legi pro *Ennio.* Diomedis verba sunt: *Epos Latinum primus digne scripsit Livius, qui res Romanorum decem et octo complexus est libris, qui et annales inscribuntur, quod singulorum fere annorum actus contineant.* Hunc Diomedem secutus Caelius Rhodiginus lib. VII. cap. 4.: *Epica*, inquit, *digne omnium primus scripsit Livius, qui decem et octo libris Romanorum res gestas perscripsit.* Secuti et Simlerus in Bibliotheca, Popelinierus lib. V. de historicis, Glandorpius in Onomastico voce *Livius Andronicus.* Quos omnes Diomedis loco deceptos tradit vir doctissimus, ea tantum ratione subnixus, quod de Livio Andronico nihil huiusmodi veteres prodidere, quodque duodeviginti librorum mentio Ennio potius congruit, quem totidem libros scripsisse ex eorum fragmentis passim in Grammaticorum libris satis constat. Sed futile est utrumque illud argumentum, et vel minimo ictu perculsum ruit, ut quivis facile videbit. Diomedem aliosque asserit hic Festi locus, qui virum omni laude maiorem latuit, vel saltem non sat ei perspectus fuit. Historias igitur et prosa et metrica oratione Livius scripserit necesse est, quod priscis illis non insolens fuisse omnes norunt. Huc accedat, quod Livii Annalium meminit Festus in voce *Surregit.* Versus etiam ex eiusdem annalium lib. I. et II. legere est in voce *Quamde.* Nam viri docti, qui eos Ennio tribuunt, nullo nituntur fundamento. Adi locum. Neque est, quod quis dicat, non hic Livium Andronicum nominari, sed T. Livium Patavinum, non quod T. Livium forsan legere et exscribere non potuerit Festus, sed quod absurdum sit putare Verrium ex T. Livio scriptore suo συγχρόνῳ historiae aliquid hausisse, et non potius ex iisdem fontibus, unde hauserat T. Livius, praesertim cum nullam eius alibi mentionem fecerit, quem alioqui saepius laudare necesse habuisset. Sed haec in Livii gratiam dicta sunto, cui dolebam historici laudem a viro doctissimo aliquamdiu immerito fuisse negatam. *Dac. Tradunt familias*, ut familia Nautiorum. Vide supra in *Nautiorum. Idem. Ostrymon quendam.* De hoc nihil compertum habeo. *Idem. Nomine Pyrrhus.* Male apud Nonium (p. 226. Merc.) *homines* pro *nomine* in voce *stirps.* Integrum distichon:

Navo' repertus homo Graio patre, Graius homo, Rex,
Nomine Pyrrhus, uti memorant, a stirpe supremo.

Scaligero placebat *Aimoniae Pyrrhus.* Merulae: *Chaonicae Pyrrhus.* Vetustiores sequor. *Dac. Est revoca fratrem.* Forsan *st, revoca fratrem*, sed hoc forsan indictum oportuit. In iis, quae desunt, periit poetae cuiusdam nomen. *Idem.* De stirpe Festum scripsisse aperte intelligitur, eam masculine quoque dici. Vide *Spicum* et *Specus* et *Recta. Ant. Aug.* Livium Andronicum scripsisse Annales et Historias, nemo est, qui nunc credat. Testimonia quibus nititur Dacerius, vana sunt omnia et falsa. Nam nullo istorum locorum, quae citat Dac. ubi Livii nomen praemissum est, neque Annalium neque Historiarum fit mentio, et apud Diomedem pag. 480. P. Putschius locum sic exhibuit: *Epos Latinum primus digne scripsit is, qui res Romanorum* cet. cui lectioni consentiunt optimi et antiquissimi codices Monacensis et Parisienses duo, quorum lectiones habeo excerptas. Iam nemo dubitabit, qui sit, *qui epico carmine res Romanorum decem et octo complexus est libris, qui et Annales inscribuntur*, quum constet, Ennium tot libris Annales suos conscripsisse, et quidem heroico versu. Sed, uti dixi, hodie nemo est, id qui nesciat.

Stipatores. (Ad pagg. 249. et 268.) Deesse mihi videntur aliquot verba, quibus dicat (vel ab stipo, quod est firmo) unde et stipam etc. Iustinian. lib. III. Institut.: *Stipulum apud veteres firmum appellabatur, forte a stipe descendens. Hinc stipulatio dicta est. Ant. Aug.* Stipa, quae hic vocatur, est crux seu patibulum humi, ut trophaeum destitutum, cui argillam imponunt plastae, ut simulacra, quae velint, deforment. Graeci vocant *κάνναβον*. Tertullianus in Apologetico de eo intelligit, cum ait: *Crucibus et stipitibus imponitis Christianos, quod simulacrum non prius argilla deformat, cruci et stipiti superstructa?* et infra: *Diximus originem Deorum vestrorum a plastis de cruce induci.* Sed qui sequitur locus, ut obiter dicam, corruptus est apud eundem eruditissimum scriptorem (c. 16.): *Sipara illa vexillorum et candelabrorum stolae crucium sunt.* Legendum enim: *Sipara illa vexillorum et candes labarorum stolae crucium sunt.* Notum labarum inter signa militaria fuisse; ex illo ut ex antenna pendebat candys, quod est genus paludamenti barbarici. Itaque in veteribus monimentis ita visitur semper Labarum ea forma pictum. Neque multum negotii fuit Constantino Imp. id in speciem crucis concinnare, cum iam transversum antennae specie lignum haberet. *Candes* ergo sunt *κάνδυες* a nominativo candys. Non ignoro tamen in veteribus libris Tertulliani *Cantabrorum* legi, ut etiam apud Arnobium. Praeterea Labarum tempore Tertulliani non fuisse. Quare hoc modo labefactabitur coniectura nostra. *Scal.* Frustra est Verrius, qui stipatores a stipe. Nam stipatores et stipes a stipando, stipare autem a *στύπω*, condenso. Inde etiam stipa pro stupa. Quare bene Servius in I. Aen.: *Stipant, densant; translatio a navibus, in quibus stupa interponitur vasis, quam stipam dicunt.* Et sic melius, quam si ad duo etyma recurras, ita ut *stipator* et *stips*, nummus, sint a *stipare*, et istud a *στείβω*, calco: *stipa* vero et *stipes* fustis terrae destitutus a *στύπω*, condenso. Unde *στύπη* stupa, et *στύπος* truncus, caudex. *Dac. Stipam.* Pro *stupa*, ut supra. At dormitavit vir summus, cum scripsit hic stipam esse crucem seu patibulum, cui argillam imponunt plastae. Quod Graeci vocant *κάναβον. Idem. Destituantur.* Non video cur viri docti rescripserint *constituantur* vel *destinantur.* Eleganter enim veteres dicebant destitutum, defixum. Sic C. Gracchus in oratione de legibus promulgatis usus est eo verbo in eodem significatu, cum inquit: *idcirco palus destitutus est in foro, eoque adductus suae civitatis nobilissimus homo M. Marius: Vestimenta detracta sunt, virgis caesus est.* Et Varro: *Si eorum colla in furcas destitutas incluserit. Idem. Unde et stipam, qua amphorae* etc. Vel a stipo, quod est firmo, vel hinc stipulatio dicta. Instit. de verborum ob. Isidorus XVII. cap. 7. stipam notat vocatam, quod eo stipentur tecta, sane haec stipa, qua amphorae cum exstruuntur, firmari solent, Tertulliano *crux* dicitur Apologetici XII. et XVI. Hesychio *κάναβος. Goth. Qua.* Quam. *Idem. Antiqui latrones vocabant.* Vide supra *Latrones.* Hinc Nonio (pag. 134. Merc.) *Latrocinari*, militare mercede. Glossis: *Stipator σωματοφύλαξ*, qui et iisdem *satelles. Idem.*

Stipes. Multa omisit Paulus, ut ex Festi reliquiis apparet. *Ant. Aug.* Citabatur Afranius, qui dixerat *stipite ostium impulit.* Item Attius in Menalippo, qui dixerit *revolso stipite* et in Bacchis; et Ennius, qui dixit *stipites abiegnos. Scal.* In verbis Afranii *hostium* pro *ostium*, ut in *Scrupi*, *hostreis* pro *ostreis.* Infra pro *lactu* legendum *iactu.* Reliqua deplorata sunt. *Dac.*

Stritavum. Vide supra *Stlata. Goth.*

Strigores. Strigores in Nelei carmine videtur pro strigosis positum. Alii pro densarum virium hominibus . . . . Strigores exerciti. Memini Adr. Turnebum *Strigones* legere. Sed non advertebat morem veterum, qui ut *architectores* pro *architectones*, ita *Strigores* pro *strigones* dicebant. *Scal. Strigores* autem proprii sunt *strigosi*, strigore, id est macie exerecti, et inde factum, ut *strigores* densarum virium homines in Nelei carmine dicerentur. Hac voce usus videtur Plautus Bacchid. Act. II. sc. 3, (46.):

Dum circumspecto atque eo lembum conspicor,
Longum est rigorem maleficum exornarier.

Legendum, ut Mureto etiam et Salmasio visum est:

Dum circumspecto atque ego lembum conspicor
Longum, a strigore malefico exornarier;

Vel:

Longum, strigorem maleficum exornarier.

Ut lembum strigorem dixerit, quamquam Acidalius aliique dissentiunt. *Dac.*

Strigae. Striga proprie in re rustica dicebatur sulcus, qui uno ductu peragebatur in longitudinem et inde quarumcunque rerum ordines strigae dicti sunt, ut Hygino in libello de castrorum metatione ordo et series equorum in castra redeuntium. *Dac. Coniunctae.* Continuatae. *Goth.*

Strigas. (Ad p. 249.) *Stri* .... Striges aves nocturnas, ut ait Verrius, Graeci *στρίγγας* appellant, a quo maleficis mulieribus nomen inditum est, quas volaticas etiam vocant. Itaque solent his verbis eas veluti avertere Graeci:

Στρίγγ' ἀπόπεμπον, νυκτιβόαν, τὰν στρίγγ' ἀπὸ λαοῦ
* *Ὄρνιν ἀνώνυμον ὠκυπόρους ἐπὶ νῆας.*

Plinius hos versus intellexit, cum scribit (XI, 39.): *Strigas in Graecorum diris et imprecationibus haberi.* Qui hic somniant syrnia, nae ipsi multum hallucinantur. Puto secundum versum ita legendum ac supplendum:

Ὄρνιν ἀνώνυμον ὠκυπόρους ἐπὶ νῆας ἔλαυνε.

Scal. Harum avium descriptionem pete ex Ovid. lib. VI. Fast. post versum 130. Et recte Verrius *strix* a Graeco *στρίγξ* seu *στρίξ*, quod a *στρίζω* strideo, unde Ovid. (l. c.):

Est illis strigibus nomen, sed nominis huius
Caussa, quod horrenda stridere nocte solent.

Mulieres autem veneficae *striges* dictae, quia in eas aves figurantur. Unde et volaticae dictae sunt. Isidor.: *Striges, mulieres volaticae.* Et Gloss.: *Striga λαιστρύγων, καὶ γυνὴ φαρμακίς.* Itali etiam hodie *strigam* veneficam vocant. *Dac.* Duo versus Graeci sunt in veteri libro, quorum alterum mendosum Aldus et Alciatus in Parergis ita emendarunt:

Σύρνια πομπεύειν νυκτίκομα στρίγγα δ' ὀλοόν.

Alterum versum, qui recte hic scriptus est, male referunt. In priore autem *στρίγγατ' ὀλαὸν* scriptum est in veteri libro, sed neutrum esse sine mendo Fulvio Ursino nostro videtur. De strigibus autem Latina quoque Festi verba esse intelligenda nemo ignorare potest. *Ant. Aug.* *Σύῤῥιντα πομπεύειν.* Haec corruptissima sunt. Varie varii emendant. Turnebus lib. XIV. Advers. cap. 1.:

Στρίγγ' ἀποπέπμειν νυκτιβόαν, στρίγγ' αὐτίκα λαόν,
Ὄρνιν ἀνώνυμον ἐνθένδ' ὠκυπόρους ἐπὶ νῆας.

Scaliger in Catalect.:

Στρίγγ' ἀπόπεμπον νυκτιβόαν, τὰν στρίγγ' ἀγελαίαν
Ὄρνιν ἀνώνυμον ἐνθένθ' ὠκυπόρους ἐπὶ νῆας.

Et in notis suis ad Festum:

Στρίγγ' ἀπόπεμπον, νυκτιβόαν, τὰν στρίγγ' ἀπὸ λαοῦ
Ὄρνιν ἀνώνυμον ὠκυπόρους ἐπὶ νῆας ἔλαυνε.

Tandem Hadrianus Iunius in nomenclatore suo voce *Lamia:*

Σύρνια πομπεύου νυκτίνομαν στρίγγα ταλαόν
Ὄρνιν ἀνώνυμον ἐξελά' ὠκυπόρους ἐπὶ νῆας.

Sed Iunio imposuit corruptus Festi Codex. Neque enim *σύρνια* Graecum est. Ego ad oram codicis ita tentaveram:

Στρίγγ' ἀποπέμπειν νυκτινόμαν στρίγγα τ' ἀλαόν
Ὄρνιν ἀνώνυμον ὠκυπόρους ἐπὶ νῆας ἐλαύνειν.

Hoc est: Strigem averte noctu pascentem, foedamque strigem avem feralem veloces in naves fuga. Vel *νυκτιβόαν* pro *νυκτινόμαν.* Nam et strix *νυκτιβόα* dicebatur. Hesychius in *στρίγλος. Dac.* Legenda sic censuit Graeca *Mauritius Haupt,* iuvenis doctissimus, quem consultaveram:

Στρίγγ' ἀποπέμπειν νυκτιβόαν, τὰν στρίγγ' ἀπὸ λαῶν,
Ὄρνιν ἀνωνύμιον, στρίγγ' ὠκυπόρους ἐπὶ νῆας.

Ad quae haec adnotavit: *Ἀποπέμπειν* verbi notionem requiri recte vidit Scaliger. Ita usurpatum legitur *ἀπόπεμπε* in Hymn. Orph. XI, 16. LVII, 10. LXXVI, 10. *ἀποπέμψας* XLVI, 3. Versus etsi non est optimus, at facile tamen tolerari possit, praesertim in hoc carminis genere. *Στρίγγα* ter positum facile potuit semel omitti. Navium commemorationem miror, et tamen commemorari videntur. Omnino autem cavendum puto, ne talibus formulis sensum reddere laboremus planum et simplicem et perspicuum. Habent enim hoc proprium, ut miras et tenebricosas et paene absurdas contineant sententias. Id vel Germanica carmina docent, quibus sanguinem sistunt vel febrim avertunt cet., quaeque collegerunt *Hoffmannus* Fallerslebensis (Fundgruben), *Arnim,* et *Brentanus* (Wunderhorn) et *Horstius* (Zauberbibliothek). Haec ille. Mihi videbatur, correcto primo hexametro, legendum esse:

Στρίγγ' ἀποπομπεύειν, τὰν νυκτιβόαν, ἀπὸ λαοῦ,
Ὄρνιν ἀνωνύμιον, στρίγγ' ὠκυπόρους ἐπὶ νῆας.

Ceterum cf. Interpp. ad Hesych. tom. I. pag. 220. 478.

Statuliber. (Ad p. 249.) Glossarium: *Statu liber, ἐλεύθερος χρόνῳ κατὰ διαθήκην ἀφεθείς.* Lego: ὅρῳ pro χρόνῳ. *Scal.* Qui sub conditione testamento liber esse iussus est. Ulpian. *Dac.* Vide titulum ff. de Statu liberis. *Goth.*

Status. Plautus in Boeotiis. Cuius verba ad legem XII. Tab. alludunt, ut arbitror. De quibus Cicero lib. I. Officior. (c. 12.): *Aut status dies cum hoste. Ant. Aug.* Vide *Condictus* et *Hostis.* Aliis *statutus.* Glossis: *ὡρισμένη ἡμέρα, προθεσμία. Goth. Hostire.* Vide supra *Redhostire. Idem.* Locus Plauti est Curcu. 1, 1, 5.

Stagnum. (Ad p. 249.) Vid. Varro lib. IV. de Ling. Lat. (lib. V. pag. 43. Sp.) *Ant. Aug. Quod in eo aqua stet.* Servio quoque et Isidoro. Unde in Gloss. exponitur *ὑδροστάσιον.* Sed melius alii a *στεγνόν,* pro quo Siculi dixere *σταγνόν.* Est autem *στεγνόν,* quod minime rimosum est et fideliter continet, a *στέγω* tego. Stagno contrarium futile. Inde Varro lib. IV. de L. L. (l. c.): *Stagnum Graece στεγνόν, quod non habet rimam. Dac.* Alio significatu Glossis *κασσίτερον. Stagnea κασσιτέρινα.* V. l. 9. §. 2. ff. de falsis. *Goth. Stannum* scribendum esse in Glossariis, satis manifestum est.

Satura. Glossarium: *Satura νόμος πολλὰ περιέχων.* De Satura cibi genere habes apud Apicium ex Varrone. In veteri tabula aenea: *EXTRA. QUAM. SEI. QUID. IN. SATURAM. FERETUR. Scal.* Proprie lanx variis frugum generibus referta. Diomed. (p. 483. ed. Putsch.): *Lanx referta variis multisque primitiis sacris Cereris inferebatur et a copia et saturitate rei satura dicebatur.* Ab hac lance farcimen variis rebus refertum satura dictum est. A cibis etiam ad alia translatum: lex enim, in qua coniunctim multis de rebus una rogatione populus consulebatur, satura dicta est. *Dac. Neve per saturam abrogato.* Quia in satura multa esse poterant, quae populum fallerent. At in simplici lege, si de abrogando tantum vel de derogando populus rogaretur, facile qua de re ageretur, intelligere poterat. *Idem. Dein postero die.* Haec C. Laelii verba usurpavit Sallustius de Iugurtha (c. 29.). *Idem.* Dixi ad l. unicam in pr. Cod. de Latina libertate. *Goth.*

Statae. Pro *collustravit* puto *Coelius stravit. Scal.* Vestam intelligit, quum prisci illi a sistendo Statam dixerunt, ut eius nomen Graecum effingerent; Graecis enim ἑστία ab ἕσασθαι i. e. ἱδρύσασθαι, quia ubique stata esset et consecrata. *Dac. De sacrificio.* De sacrilegio. *Goth. Cultu stravit.* Id est fecit ac praestitit. *Idem.*

Stalagmium. Inaurium genus oblongum ex bacca pendula, quales hodieque mulieres nostrae gestare solent, ad guttae similitudinem, quae Graecis σταλαγμός dicitur. Meminit Plaut. Menaech. Act. III. sc. 3, (18.):

Amabo, mi Menaechme, inaures da mihi
Faciundas pondo duum nummum, stalagmia,
Ut te libenter videam, cum ad nos veneris.

In versu Caecilii lego:

Iam ex aure eius stalagmium domi habeo.

Etsi aliter in Pauli Epitoma. *Dac. Cum.* Tum. Virg. Aureum. *Goth.*

Stolidus. Ennius:

Namque avide pugnare sues stolidi soliti sunt.

Et:

Hominem appellat: Quid lascivis stolide? non intelligit.

Scal. A stolone, hoc est inutili fruticatione, quae circum arbores e radicibus enascitur. *Stolo, stolidus,* syncope *stoltus, stultus. Stolo* etiam pro *stolido,* ut *stipes* pro *stupido* etc. Auson. Epist. (IV, 92.): — *Sed iam non potes, o stolo, doceri.* (Legitur: *Sed iam non potis es, Theon, doceri.*). *Dac. Nam vidi pugnare.* In schedis hic Ennii versus sic legitur:

Nam vi depugnare sues stolidi solidi sunt.

Corrupte manifesto pro *soliti sunt.* Inde Ianus Douza Plautinar. Explicat. lib. II. cap. 25.:

Namque avide pugnare suis stolidi soliti sunt.

Sed Scalig.:

Namque avide pugnare sues stolidi soliti sunt.

Idem. Hominem appellat. Scal. legebat:

Hominem appellat. Quid lascivis? non intelligit.

At ego:

Hominem appellat, quid lascivis stolide? non intelligis.

Et interpretor de Hectore Paridem increpante, quod evitaret Menelaum, et dum ait *quid lascivis*, ei mollitiem exprobrat et ad Homeri illud alludit: εἶδος ἄριστε γυναιμανές etc. Vide Homer. Iliad. γ'. (v. 39.) in principio. *Idem.* *In Hypobolimaeo.* Aliter Hypobolimaeo Aeschino. *Idem.* *Abi hinc tu stolide.* Forsan:

Abi hinc tu stolide illuc, ut tibi sit pater.

Ut, id est *ubi.* *Stulte abi hinc illuc ubi tibi patrem reperias.* Et ita spurium innuit. Et inde nomen fabulae *Hypobolimaeus Aeschinus*, id est Aeschinus suppositiius; ὑποβολιμαῖος enim *suppositiius.* *Idem.* *Et in Andronico.* Optime viri docti *Androgyno.* *Idem.*

Stuprum. Sententia Appii: Qui animi volt sese compotem esse, ne quid fraudis stuprique ferocia pariat. Naevii versus Saturnii:

Seseque ei perire mavolunt ibidem,
Quam cum stupro redire ad suos popularis.

Item:

Sin illos deseritis fortissumos virorum,
Magnum inde stuprum poplo fieri pergetis.

Ut a prohibeo *proebrum* et *probrum*, sic a stupeo *stuprum.* *Scal.* Pro qualibet turpitudine. Unde in glossis exponitur μιασμός. *Dac.* *Qui animi . . . . compotem esse.* Supplendum videtur vox *exoptat se.* Scaliger: *Qui animi volt sese compotem esse* etc. *Idem.* Naevii versus sic distinguebat Scaliger, ut essent Saturnii. Vossius vero:

— — *Se seque ii perire mavolunt*
Ibidem, quam redire cum stupro ad suos
Populares. —

Item:

— *Sin illos deserant fortissimos viros*
Magnum stuprum tum populo fieri pergitis.

Et hosce postremos ita Grotius:

— *Sin illos deseritis fortissimos viros,*
Magnumque stuprum populo fieri pergitis.

Idem. Adde Nonium (pag. 456. Merc.) in *Stuprum.* *Goth.* *Pergetis.* Pergentis. *Idem.* De Naevii versibus adeas Hermannum in Elem. doctr. metr. pag. 636. seqq.

Stuppam. (Ad p. 250.) A Dorico στύππα. *Dac.*

Stura. Tertia abhinc linea, ut iam supra notavimus, pertinet ad vocem *Suber.* *Scal.* Sex millibus ab urbe abesse scribit Livius lib. XXVI. *Dac.*

Suber. (Ad p. 250.) Suber hodieque natantibus inservit. Sed nimis nota res est. *Dac.* Vide *Suberies.* *Goth.*

Sterila. Pro sterilis, ut *sublima* apud Lucret. pro *sublimis.* *Gracila* Lucil. pro gracilis etc. *Dac.* *Cipit.* Alii *concipit.* *Goth.*

Seplasia. (Ad p. 250.) Vide Nonium (p. 226. Merc.) in *Seplasium.* *Goth.* *Pompon. in Ad.* citatus ab eodem Nonio (p. 96. Merc.) in *Datatim.* Vide (infra) in *Seplasia.* *Idem.* Platea Capuae, in qua unguentarii negotiari solebant, de quibus vide Varronem VI. de L. L. (locum non reperi. Pag. 431. lib. VIII. c. 30. sermo est de taberna unguentaria. L.). Hinc Glossis: *Seplasiarius* et *Seplassiarius* παντοπώλης, παντοπωλεῖον *seplasium*; iisdem *Seplasiarius* μυροπώλης. *Idem.*

Stultorum. Vide *Quirinalia.* *Ant. Aug.* Lege: *Stultorum feriae appellabantur Quirinalia, qui erat dies Festus Quirini, quod eo die Quirino sacrificant ii, qui solenni die aut non potuerunt rem divinam facere, aut ignoraverunt suorum fornacalium sacrorum diem, commissum piaculum expiabant morae, atque quod suis non fecerant, quibus permittebatur feriis sacrum faciebant.* Ita ex Schedis planus est hic locus, qui pessime in aliis editt. acceptus est, ut et in Etymologico Vossii in voce *Quirinalia.* *Dac.*

Sanctum. (Ad p. 250.) Sext. Pompeius docuerat, quid Sanctum esset ex Aelii et aliorum sententia. Plerisque visum esse cum poena multave sit imposita id violanti. Ita muros sanctos dici et Tribunos plebis; hinc sanctiones legum, quod in his poenae contra legum violatores sanciantur, ipsas quoque leges aut rogationes sanctas dici, quod eas impune transgredi non licet. Haec et his similia Festus, ut arbitramur. *Ant. Aug.* Sanctum, inquit, ponitur tantum pro eo, quod sancitum est, unde et legum sanctiones et sanctae rogationes et Tribunus plebis, qui concionem rogavit, sanctus dicitur. Sanctum proprie, quod nec sacrum est

nec religiosum, ut ait Opilius. Aliquando tamen quod sacrum est et religiosum, id optime sanctum dicitur. Vide *Religiosum*. *Dac*. *Sanctio*. Vide leg. 9. §. proprie. ff. de rerum divis. *Goth*. Vide Macrob. in Saturn. (lib. III. c. 3.). *Idem*.

Sanqualis avis. Ex iis, quae Paulus hic et in *Sanquali porta* dicit, crederem Sanqualem avem fuisse in tutela Sangi, seu Sancti, ut picus Martis, aquila Iovis, corvus Apollinis, pavo Iunonis, noctua Minervae. De hac Plinius lib. X. cap. 7.: *Sanqualem avem atque immussulum augures Romani in magna quaestione habent. Immussulum aliqui vulturis pullum arbitrantur esse et sanqualem ossifragae. Massurius sanqualem ossifragam esse dicit, immussulum autem pullum aquilae, priusquam albicet cauda. Quidam post Macium augurem visos non esse Romae confirmavere; ego, quod verisimilius est, in desidia rerum omnium non arbitror agnitos.* Vide *Alites*. *Ant. Aug*. *Sanqualis avis a quibusdam Ossifraga appellatur. Eadem in commentariis auguralibus Sanga dicitur, quia in Dei Sangi tutela est. Scal.* Videatur *Immusculus* (*Immusulus*). *Dac*. De *Sanguali ave* adeas etiam K. O. Müller. in libro die Etrusker. tom. II. pag. 120.

Saccor... (Ad p. 251.) Saccorum fortasse. quid enim aliud dici possit, mihi in mentem non venit. *Ant. Aug*. *Sycomorus est genus arboris, quam dictam Pomponius ait ex fico et moro: quod ficus ea sit et morus. Unde nomen per y scribitur.* Caetera de Sole aut fortasse de Soracte monte Apollini dicato concipienda sunt. Sed viderint docti. *Scal*. Ficus Aegyptia, quam alii ficum, alii morum Aegyptiam et nomine composito sycomorum et morosycon appellarunt. *Dac*. Syccomorus Isidoro lib. VII. cap. 7. Alii *Saccomorus*. *Goth*.

Solem. (Ad p. 251.) Cicero II. de Nat. Deor. (c. 27.). Quare et idem Apollo, ut Chrysippus putavit, ab *α* privat. et *πολύς* multus, quod sine multis, id est solus sit. De Sole etiam idem Varro lib. IV. (V. p. 73. Sp.), sed ita, ut aliud etiam proponat. *Sol*, inquit, *vel quod ita Sabini, vel quod solum ita lucet, ut ex eo dies sit.* Ubi Sol Sabinam esse vocem innuit et eam Sabini forsan a Graeco *σέβας fulgor*. Sed cum gentes *Solem* pro Deo coluerint, verisimilius ab Hebraeo *El*, id est *fortis*, atque etiam *Deus ηλ* et *ωλ*. Unde *ἥλιος* et Lat. *sol*. Idem autem dictus *Apollo* a Graeco *ἀπολεῖν*, quod is pestilentiae auctor sit. Unde et in Carminibus saecularibus invocabatur. Horat. (v. 33. seq.):

Condito mitis placidusque telo
Supplices audi pueros Apollo.

Vide Servium ad Virg. Eclog. (v. 66), Macrob. lib. I. Sat. cap. 17. et Lil. Gyraldum de Diis Gent. *Dac*.

Sacrem. (Ad p. 251.) Plautus in Menaech. (II, 2, 16.): *Adulescens quibus hic pretiis porci veneunt sacres, sinceri? nummum unum en a me accipe; Iube te piari de mea pecunia.* Et in Rudente (IV, 6, 4.): *Sunt domi agni et porci sacres.* Referuntur haec a Festo et alia quaedam. *Ant. Aug*. Varro de R. R. lib. II. cap. 1.: *Fere ad quatuor menses a mamma non disiunguntur agni; hoedi tres, porci duo, e queis quoniam puri sunt ad sacrificium ut immolentur, olim appellati sacres. Quos appellat Plautus cum ait: Quanti sunt porci sacres?* Idem cap. 4.: *Cum porci depulsi sunt a mamma, a quibusdam delici appellantur, neque iam lactantes dicuntur, qui a partu decimo die habentur puri; ab eo appellantur ab antiquis sacres, quod tum ad sacrificium idonei dicuntur primum, itaque apud Plautum in Menaechmis, cum insanum quem putat, ut videtur in oppido Epidamno, interrogat, quanti sunt porci hi sacres?* Porcos illos sacres Graeci vocant *χοιρία μυστηρικά*. Aristoph. Et inde etiam patet, cur *sacris* de hostia dicatur. *Dac*.

Sacrima. Glossarium: *Sacrima*, *ἀπαρχὴ γλεύκους* et *Praemetivum ἡ πρὸ θερισμοῦ Δημήτρας θυσία*. *Dac* Infra: *Sacrificium, quod pro uvis primis fieret, a veteribus Sacrima est appellatum, ut Verrius et Cloatius dicunt. Est autem Sacrima mustum in amphoram inditum sacrificii causa pro tinis et vino, quae quasi sacra dicta, quod sacra Liberi fit, ut praemetium, quod pro spicis, quas primum messuissent, sacrificabant Cereri.* Ultimis capiendis deerat spatium in reliquiis Festi, ut vides, in iis, quae de praemetio addita sunt. In Epitoma perperam *vincis* pro *tinis* scriptum erat, quod et caeco apparet. Eo enim musto tota vindemia sacra fiebat, ut calpari totum vinum diffusum, de quo vide verba Trebatii Iurisconsulti apud Arnobium. *Scal*. Quod de musto libabant posteaquam polluxerant, eas confectiones quae vocabant suffimenta ex faba milioque molito, mulso sparso; quae diis eo tempore dabantur, quo uvae calcatae prelo premebantur. Vide in voce *Calpar*. A *sacer sacrimum*, quod mustum illud sacrum esset. *Dac*. *Pro vineis*. Lege cum Scaligero *pro tinis*. Tinae veteribus vasa erant ad vinum reponendum. Varro de vit. P. R. lib. I. (apud Non. p. 544. Merc.): *Antiquissimi in conviviis utres vini primo, postea tinas ponebant.* Sed ex schedis legendum *uvis*. Vide infra. *Sacrificium quod.* Ait Festus ex Aelio et Cloatio sacrimam esse mustum, quod in amphoram inditum

Liberalibus Libero dabatur, quo et uvae vindemia reliquae et vinum reliquum sacra esse desinerent, ut Calpari, totum vinum diffusum. Et praemetio seges reliqua. Vide *Calpar.* Adi et Arnobium lib. VII., ubi Trebatii Iurisconsulti verba refert. *Idem.*

Sacrificulus. Post Reges exactos, ut Dionys. et Livius scribunt, qui pro rege sacra faceret, Rex sacrificulus factus est Manius Papisius. Vid. Plut. in Problem. (Quaestt. Rom. 63.). *Ant. Aug.* Sacrificulus dicitur rex sacrorum, qui ea sacra, quae facere reges sueverant, facit. Primus Rex creatur post reges exactos Papisius Manius. *Scal.* Rex absolute dicebatur. *Dac.* Hic adde *Ordo sacerdotum* supra. *Goth. Primus memor.* etc. Livius et Dionysius Manium Papirium primum sacrificulum produnt. Sed alios historicos secutus est Verrius. *Idem.*

Sacella. C. Trebatius lib. II. de religionibus apud Gell. lib. VI. cap. 12.: *Sacellum est locus parvus deo sacratus cum ara. Ant. Aug.* Sacella dicuntur consepta loca, quae tantummodo muro clausa sunt. Sine tecto, quia scilicet saepius erant fulgurita. Vide infra in *Scribonii puteal. Dac.*

Sacrosanctum. Sacrosanctum quid fiebat tum religione, tum lege. Religione, quia certis ad hoc cerimoniis opus erat, ut iureiurando etc. Lege autem, quia hac sanciebatur, ut sacer esset, qui sacrum violasset, sive nocuisset, cui hac lege non liceret. Liv. lib. III. sect. 55.: *Ipsis quoque tribunis, ut sacrosancti viderentur (cuius rei prope iam memoria aboleverat) relatis quibusdam ex magno intervallo cerimoniis renovarunt; et cum religione inviolatos eos, tum lege etiam fecerunt, sanciendo, ut qui Tribunis plebis, aedilibus, iudicibus, decemviris nocuisset, eius caput Iovis sacrum esset, familia ad aedem Cereris liberi liberaeque venum iret. Hac lege Iuris interpretes negant quemquam sacrosanctum esse, sed caput eius, qui eorum cuiquam nocuerit, sacrum esse, id sanciri.* Porro iuramentum, quod intercedebat, tale fuisse patet ex Dionys. Halic. lib. VI. (c. 89.). Iurabant per sacra omnia se posterosque suos hanc perpetuo legem observaturos, addita execratione, ut qui legi parerent, ita Deos superos atque inferos propitios haberent, qui non parerent, infestos. *Dac.* Gloss.: *Sacrosanctas* ἀφιερωμένας, iisdem *Sacrosanctum* ἅγιον, ἱερόν, καθωσιωμένον. *Goth. Ut qui viol.* Facit lex ult. ff. de rerum divis. *Idem.*

Sacratae leges. Ex veterum lectione satis constat sacratas leges eas esse non solum quibus sancitum erat, ut qui adversus eas fecerit, alicui deorum sacer esset, sed eas etiam, quas plebs iurata in monte sacro sciverit. Quamvis utrum una tantam lex, an plures in eo monte latae fuerint, incertum sit. Lege infra: *alicui deorum sit cum familia. Dac.* Adde l. 9. §. proprie. 3. ff. de rerum divis. *Goth. Sacer alicui Deor.* Vide Macrob. VII. (lib. III, 3.). Adde Nonium (pag. 397. Merc.) in *Sacrum. Idem.* Vide in *Publica pondera. Idem.*

Seclusa sacra dicebantur. Quae a profanis clausa sunt et separata. Ceteris autem sacra intelligenda sunt. Vide ad illud Horat. (Odar. III, 2, 26.): *Vetabo, qui Cereris sacra vulgavit. Dac. Mysteria.* Adde supra *Mundus. Goth.*

Scenam. Lege infra: *Qui est II. de verbis priscis* etc. Ex notis II. imperiti librarii fecerant *ei:* de scena nil alibi me legere memini. *Dac.* Adde *Secespita. Goth.*

Sarissa. Σάρισσα, δόρυ μακρὸν, εἶδος ἀκοντίου Ἑλληνικοῦ, σπάθη βαρβαρική. Μακεδόνες. Hesych. Vocem Macedonicam esse testatur etiam Curtius lib. IX.: *Macedo iusta arma sumpserat, aereum clypeum, hastam, quam sarissam vocant, laeva tenens, dextra lanceam, gladioque cinctus velut cum pluribus dimicaturus. Dac.*

Sacer mons. Iovi consecraverunt. Dionysius (lib. VI, 90.): Ἐπὶ δὲ ταῦτα ἐψηφίσαντο, βωμὸν κατεσκεύασαν ἐπὶ τῆς ἀκρωρείας, ἐν ᾗ κατεστρατοπέδευσαν, ὃν ἐπὶ τοῦ κατασχόντος αὐτοὺς δείματος τότε ὠνόμασαν, ὡς ἡ πάτριος αὐτῶν σημαίνει γλῶσσα, Διὸς δειματείου, ᾧ θυσίας ἐπιτελέσαντες καὶ τὸν ὑποδεξάμενον αὐτοὺς τόπον ἱερὸν ἀνέντες, κατῄεσαν εἰς τὴν πόλιν ἅμα τοῖς πρέσβεσι. Legis caput fuit: *QUEI ALITER FAXIT, CUM PEQUNIA FAMILIAQUE SACER ESTO, SEI QUIS EM OCCISIT, PAREICEIDA NEC ESTO.* Dionysius (l. c.): Ἐὰν δέ τις τῶν ἀπηγορευμένων τι ποιήσῃ, ἐξάγιστος ἔστω, καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ Δήμητρος ἱερά· καὶ ὁ κτείνας τινὰ τῶν ταῦτα εἰργασμένων, φόνου καθαρὸς ἔστω. Idem erat et *SE FRAUDE SUA LICETO*, ut: si quis im occidere velit, se fraude sua liceto, et: sine capitali nexa esto, et: iure caesus esto. *Scal. In sacrum montem secessisse trans Anienem amnem, tria ab urbe milliaria passuum.* Liv. lib. II. sect. 32. *Dac. Quod autem privati.* Sacrae res sunt, quae publice deo consecratae sunt, non privatae. Si quis ergo privatum sibi sacrum constituerit, sacrum non est, sed profanum. L. 6. §. 2. D. de divis. rer. Iustinian. in Instit. lib. II. cap. 1. §. 8.: *Si quis vero auctoritate sua quasi sacrum sibi constituerit, sacrum non est, sed privatum. Dac.*

Sacrani. Aliter paulo Servius ad illud Virg. VII. Aeneid. (796.):

Et Sacranae acies et picti scuta Labici.

Dicunt quendam Corybantem venisse ad Italiam et tenuisse loca, quae nunc urbi vicina sunt, et ex eo populos ducentes originem Sacranos appellatos. Nam sacrati sunt matri Deum Corybantes. Alii Sacranas acies Ardeorum volunt, qui aliquando, cum pestilentia laborarent, nec sacrum voverunt, unde sacrani dicti. **Dac.** *Vere sacro nati.* Vide infra *Ver sacrum.* **Goth.** *Vere sacro.* Mos Italis fuit, ut magno periculo adducti voverent quaecunque proximo vere nati essent apud se animalia immolaturos. Servius dicto loco. **Idem.**

Sagmina. Mirum alium versum Naevii a Festo, alium a mutilatore citari. Legendum vero: *Scopas atque verbenas.* Nam scopae in sacris dicuntur apud Plinium et alios verbenae. Glossarium: *Sacmina, θαλλός, σπονδεία ἀρχῆς.* Lege: *Sagmina, θαλλός, σπονδεία, Sagminarius σπονδειάρχης.* Sed praestat legere *Scapos. Scapi* sunt *θαλλοί.* Apuleius lib. II. (pag. 265, 23. Elmenh.): *Thallos, verbenas, corollas ferentes.* Quin *scapum caepae* Columella (XI, 3.) *thallum* vocat. **Scal.** Liv. XXX. cap. 43.: *Feciales quum in Africam ad foedus feriendum ire iuberentur, ipsis postulantibus senatusconsultum in haec verba factum est, ut privos lapides, silices privasque verbenas secum ferrent: uti praetor Rom. his imperaret, ut foedus ferirent, illi praetorem sagmina poscerent. Herbae id genus ex arce sumptum dari fecialibus solet. Sagmina* a sanciendo, quasi *sancimina.* **Dac.** V. l. 8. §. 1. ff. de rerum divis. **Goth.** Et Macrobius verbenas. Vide Glossas. **Idem.** *Arcebantur.* Id est petebantur. Dixi ad Nonium. *Id. Ius sacratum.* Cicero: *O fides alma, apta pinnis et iusiurandum Iovis.* **Idem.**

Sagaces et Saga. *Nec minus haec animum cognoscere posse sagacem.* Sic Lucretius (l. II, 838.), ut opinor, scripsit. *Ant. Aug.* Cicero lib. I. de Divinat. cap. 31.: *Sagire enim sentire acute est, ex quo sagae anus, quia multa scire volunt et sagaces dicti canes* etc. Vide *Praesagire.* Versus ille: *Invictus canis* sic forte legendus:

Invictus canis atque sagax et viribus fretus.

Vel:

Invictusque, sagax, validis et viribus fretus.

Necessario enim vel canis abundat, vel τὸ (v.) *validis.* Prius malo. Infra: *Saga quoque dicitur mulier perita sacrorum et vir sapiens* etc. inauditum est virum sapientem *sagam* dici. Quare supplendum: *Et sagus vir sapiens* etc. **Dac.** Vide supra *Piatrix.* Glossis: *Sagax ἐχέφρων, ἀγχίνους, πανοῦργος, προγνωστικός.* **Goth.** *Saga.* Vide Nonium (pag. 22. Merc.) in *Sagae.* **Goth.**

Sanates. (Ad p. 252.) Festus retulerat doctorum virorum opiniones de Sanatibus, quod verbum in XII. tabulis fuisse refert etiam Gell. lib. XVI. cap. 10. *Ant. Aug.* Quaecunque in Epitoma habentur, ea desiderantur in reliquiis Festi. Itaque supplendum ex Epitoma initium illarum reliquiarum. Quae sequuntur, in hanc sententiam concipienda sunt: Sulpicius autem Sanates et Opillius aiunt dici inferioris loci gentes, ut Tiburtes et alios, qui cum populo Tiburtino habitarent in agro Tiburti, id est omnes peregrinos inferiorisque loci. Itaque scriptum esse in XII.: Nexo solutoque, forcti sanatique idem ius esto, id est bono Romano, idem et peregrino, qui et inferiore loco est. Sunt qui intelligant colonias, quae sunt deductae in priscos Latinos a Tarquinio Prisco, quas inegerit secundum mare infra Romam in civitates Latinorum: eosque sanatis propterea, quod praeter opinionem eos pacavisset sanavissetque, et cum eis pacisci potuisset, nominavit, ut auctores sunt Cincius libro II. de officio Iurisconsulti, M. Valerius Messala in ea in XII. explanatione. Idem tamen in eo libro, quem de dictis involute inscribit, forctis et sanatis ait duas gentis finitimas mari: de quibus legem hanc inscriptam esse videri: uti duae maritimae gentis eodem cum P. R. haberentur iure; neque alios quam forctes et sanates legem hanc significare existimat hoc intellectu. Multi sunt, quibus id, quod pluribus placuit, displiceat, et aliter in XII. sanati forcti interpretentur, hoc est sanati, insani. Propemodum ea videtur Festi sententia esse. **Scal.** Vide *Horctum.* Infra post legem XII. Tabularum: *Nexo solutoque forti sanatique idem ius esto, id est honor.* Emenda: *id est, bono.* Quae sunt verba Festi interpretantis verba legis: *Idem ius esto forti,* id est, bono. *Quod sanati,* id est peregrino. Et iam supra docuit *fortem* bonum significare. De coloniis, quas Priscus Tarquinius in Priscos Latinos deduxit, nihil apud alios auctores legi. Prisci Latini dictae coloniae, quae a Latino Silvio deductae. Vide *Priscae.* **Dac.**

Sarpta vinea. *Sarpere* est *putare,* unde *sarpta vinea* et *sarmenta* surculi amputati. Et sarpiculae falces, quibus vites putabantur et arbores. *Sarpas* hodie vocamus, cuius diminutivum sarpiculae, ut paviculae a paviendo. Postea, ut solenne fuit Latinis *a* mutare in *e* et *i*, *serpiculae* et *sirpiculae* dictae sunt pro

sarpiculis. Non igitur sunt a sirpando. *Dac. Sarmenta.* Adde l. 55. §. 4. ff. de legat. 3. Glossae: *κλῆμα βότρυς ἔχον, Palmes. Κλῆμα ξηρόν, Sarmentum.* Vide in *Sarpiuntur. Goth.*

Sarte. Charis. lib. II. Porphyrio ex Verrio et Festo. *In auguralibus*, inquit, *libris ita est: sane sarteque. Ant. Aug. Sarta tecta* Graecis oratoribus et aliis dictum *ἐπισκευαί.* At Glossis *ὑποῤῥαφαί*, quia et *Sarcire* est *ῥάπτειν.* In locatione operum publicorum, quae fiebat lege Censoria, certum est, additum fuisse: *Porticum sartam tectam produit. Scal.*

Sarra. Virgil. lib. II. Georg. (506.):

Ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro.

Servius Tyriam purpuram interpretatur, quod Tyros Sarra dicta sit a pisce *Sar* appellato. Sic Sarranae tibiae dictae, vel Tyriae, vel Africanae. Probus Ennium ait dixisse Poenos Sarra oriundos, id est Tyro. *Ant. Aug. Sarra prius insula, quae nunc Epiros est.* Ita plane scripsit Festus. Significat prius insula cum esset, postea cum ab Alexandro obsideretur, *ἠπειρῶσθαι.* Nota ac celebris historia. Nomen hoc incognitum fuit Graecis. Nam, ut Syri ipsi, vocabant Tyron. At Phoenices antiquitus *Sor* dicebant. Eorum coloni Carthaginienses eadem lingua utentes *Sar* vocarunt. Ab illis didicerunt Romani. Unde Ennius Poenos Sarra oriundos dixit, hoc est Tyro. Obsolescente Hebraismo, quod fuerat Idioma Phoenicum, Syri pro *Sor*, *Tur* dixerunt, primum quia Sade et Sin literas mutant in Tau, deinde quia ipsi non utuntur *O*, sed pro ea *U* solent usurpare. Qui utrique linguae operam dederunt, sciunt me verum loqui. *Scal.*

Sardare. Sardare pro intelligere et Sardi intelligentes, callidi. A Sardis populis forte, qui versipelles audiebant. *Dac. . . . . . intelligere . . .* Schedae: *Sardare intelligere significat. Naevius belli Punici libro . . . quod bruti nec satis sardari queunt.* Deest tantum numerus libri. *Dac.*

Sardi venales. (Ad p. 252.) Vid. Plutarch. in Problem. (c. 53. Rom. Quaestt.). Utitur hoc proverbio Cicero in Epist. ad Fabium Gallum (VII, 24.): *Habes Sardos venales, alium alio nequiorem.* Quibus verbis interpretatio Capitonis Ciceronis auctoritate confirmatur. Sed quod dicitur Gracchum Faltonis collegam fuisse, eumque de Sardis triumphasse, falsum est. Ii enim consules fuerunt anno DXV. Is vero, qui triumphavit, collegas habuit in primo consulatu C. Claudium Pulchrum, in secundo M. Iuventium Thalnam annis DLXXVI. et DXC. e fastis Capitolinis. Plinius, sive quis alius, qui scripsit libellum de viris illustribus, Capitonis interpretationem sequi videtur (c. 57, 2.) in proverbio explicando. Licet nescio quos auctores secutus dicat Gracchum Praetorem Galliam obtinuisse, primo consulatu Hispaniam, altero Sardiniam. *Ant. Aug. Sardi venales, hoc est alius alio nequior, ex hoc natum proverbium videtur, quod ludis Capitolinis, qui fiunt a vicanis praetextatis, auctio Veientium fieri solet; in qua novissimus is, qui omnium deterrimus, producitur a praecone in medium senex cum toga praetexta* etc. Capitolinis ludis supplevimus ex Plutarcho, de quibus praeter alios Livius libro V. (c. 50.). De praetextatis vicanis vide supra in *Praetexta.* Nam et hic ex eo loco cognosces *vicanis*, non *vicinis* legendum esse, et ibi ex hoc vicanos esse vici magistros. Potes etiam legere: *Qui fiunt a vicanis et magistris collegii. Scal.* Ita fere ad verbum Plutarchus in Quaestionibus Romanis quaest. 53. *Dac. A vicinis praetextatis.* Lege: *a vicanis.* Hoc est vicorum magistris, qui, quamvis magistratus non erant, ludos faciebant praetextati, ut ex Cicer. et Livio notum est. Vide supra in *Praetexta. Idem. Quia Sardi appellantur.* Lego: *Qui Sardi appellantur. Idem. Tyrrhenus enim.* Vide *Tyrrhenos. Idem. At Sinnius Capito.* Haec Capitonis interpretatio eius auctoritate, qui libellum de viris illustribus edidit, confirmatur. *Tiberius*, inquit, *Sempronius Gracchus praetor Galliam domuit, consul Hispaniam, altero consulatu Sardiniam. Tantumque captivorum adduxit, ut longa venditione res in proverbium veniret: Sardi venales.* Hoc proverbio usus est Cicero Epistol. 24. lib. VII.: *Habes Sardos venales, alium alio nequiorem.* Quare minime Meursio assentior, qui legebat *Sardi vernales* i. e. homines nequissimi, qui vernas et servos vincerent. Sardi enim vetustissima lingua Latina versipelles et callidi, a *sardare*, intelligere, callere. Absque dubio vera est Capitonis sententia. *Idem.*

Sarcito. Verba XII: *Si quadrupes pauperiem faxit, dominus sarcito, noxaeve dedito. Item . . . . rupitias . . . . sarcito.* Ubi sarcire est detrimentum praestare, compensare, a vestibus ducta metaphora, quae proprie *sarciri* dicuntur, cum lacerae reficiuntur. Inde *sarte* in auguralibus est pro *integre.* Et *sarta tecta* in locationibus solennia, hoc est *integra*, vide *Sarte. Dac.* Dixi ad leges XII. Tab. *Goth.*

Sardanapalus. (Ad p. 253.) Iustin. lib. I. cap. 3.: *Postremus apud eos* (Assyrios) *regnavit Sardanapalus, vir muliere corruptior. Ad hunc videndum, quod nemini ante eum permissum fuerat, praefectus ipsius, Medis praepositus, nomine Arbaces, cum admitti magna ambitione aegre obtinuisset, invenit eum inter scorto-*

Athenaeum XIV. Dipnosophist. Alii tamen legunt *Sambina*, non *sambuca*. *Goth. Machina*. Eo significatu sumitur sambuca apud Vitruv. X. cap. 22. *Idem*.

Samnites. Infra: *Populis Samnitibus nomen impositum ait Verrius propter genus hastarum, quae saunia appellant Graeci. Alii aiunt Sabini vere sacro voto hoc genus hominum extra fines eiectum Comio Castronio duce occupasse collem, cui nomen est Samnio, a quo colle Samnites dictos.* Huius rei testis locuples inter alios Strabo. Sisenna etiam eius historiae meminerat libro quarto historiarum: *Quondam Sabini feruntur vovisse, si res communis melioribus locis constitisset, se ver sacrum facturos.* Nam de vere sacro saepe Livius et alii. *Scal. Samnites ab hastis, quas Graeci σαυνία.* Inde *Saunitae* Graecis dicti sunt σαυνῖται, Latini *v* mutato in *m Samnitas* dixerunt. Alii a colle Samnio, quem a Sabinis eiecti Comio Castronio duce occuparunt, dictos fuisse. Hanc historiam narrat Strabo lib. V. (pag. 250.). Qui tamen aliquatenus a Festo diversus abit. Et a Sabinis Samnites ortos indicat Varro lib. VI. de L. L. (VII. pag. 317. Sp.): *Item ostendit, quod oppidum vocatur Cassinum. Hoc enim a Sabinis orti Samnites tenuerunt et nunc nostri. Dac. Samnitibus.* Quod ait ab hastis sauniis Samnites dictos probatur Plinio lib. III. cap. 12. *Saunia* autem illa erant proprie *veruta*, quae arma Samnitium fuisse Virgilius innuit, dum *veru Sabellum* vocat VII. Aen. (665.). *Idem. Sabinis vere sacro voto.* De vere sacro a Sabinis voto Sisenna apud Nonium (pag. 522. Merc.): *Quondam Sabini feruntur vovisse, si res communis melioribus locis constitisset, se ver sacrum facturos.* Et Strabo extremo libro V.: Ceterum, inquit, de Sabinis hoc narratur. Sabini diuturno bello cum Umbris conflictati voverunt, ut Graecorum quidam se eius anni foetus Deo sacraturos. Cum igitur hostes vicissent, ut votum solverent, eius anni proventa partim immolarunt, partim Deo consecrarunt. At in secuta sterilitate quidam retulit, prolem quoque fuisse dicandam. Cui obtemperantes Sabini eodem anno genitos suos Marti consecrarunt etc. Porro ver sacrum ἔτος ἱερόν Graecis dicitur, non ἔαρ, quod certe notatum oportuit. *Idem*.

Salaria. Eandem Collinam esse appellatam Festus, ut opinor, tradidit. *Ant. Aug.* Infra: *Salariam viam incipere ait a porta, quae nunc Collina a colle Quirinali dicitur. Salaria autem propterea appellabatur, quod impetratum fuerit, ut ea liceret in Sabinos salem portari. Scal.* Quae a porta Collina mittit in Sabinos, unde Salariam Collinae portae vocat Tacit. (Hist. III, 82.). Eius meminit Liv. lib. VII. cap. 9. Galli ad tertium lapidem Salaria via trans pontem Anienis castra habuere. De ea sic Strabo lib. V. (p. 228.): Ἔστρωται δὲ δι᾽ αὐτῶν ἥ τε Σαλαρία ὁδὸς οὐ πολλὴ οὖσα, εἰς ἣν καὶ ἡ Νομεντάνη συμπίπτει κατὰ Ἤρητον τῆς Σαβινῆς κώμην ὑπὲρ τοῦ Τιβέρεως κειμένην, ὑπὲρ τῆς αὐτῆς πύλης ἀρχομένης τῆς Κολλινῆς. *Dac.*

Salaciam. Suspicor verba circumscripta semicirculis (verba enim *unde Ovidius: Nymphaeque salaces* uncis inclusa erant in prioribus edd.) adiecta esse, neque in veteri libro est illis locus, neque eius poetae libros referre solet Festus. *Ant. Aug.* Glossarium: *Salacia*, ἀμφιτρίτη, νηρηΐς. Ridiculum vero testimonium Ovidii, cum salax non sit salacia. Salacia recte exprimit Homeri ἁλοσύδνην, illa παρὰ τὸ τὴν ἅλα σεύειν, haec similiter a sale ciendo. *Scal.* Locum Ovidii reperire non potui. Non videtur ex Ovidii carminibus esse depromptus.

Salutaris. Quo primum anno et a quibus ludi scenici primi, Megalesia appellati, facti fuerint, incertum est. Livius duplicem opinionem tradit. Nam lib. XXXIV. (c. 54.) P. Scipione Africano II. Ti. Sempronio Longo Coss. anno urbis DLVIII. Megalesia ludos scenicos C. Atilius Serranus, L. Scribonius Libo Aediles Curules primi fecerunt. Horum Aedilium ludos Romanos primum Senatus a populo secretus spectavit. Hoc idem Val. Max. scribit lib. II. cap. 1. Locus Senatorum fuit in Orchestra, ut alio loco scripsimus et huius rei vestigium extat hoc loco apud Festum, licet in nominibus Aedilium a Livio et Valerio dissentiat. Altera opinio fuit Valerii Antiatis, qui triennio post scribit P. Scipione Nasica, Manio Acilio Glabrione Coss., cum aedes Matris Magnae Ideae a M. Bruto dedicata est, ludos scenicos primos Megalesia appellatos, factos fuisse, ut Livius lib. XXXVI. (c. 36.) refert. Vid. Ascon. (pag. 132. ed. Lugd.) pro Cornelio. *Ant. Aug. Salutaris porta appellata ab aede Salutis, quod ei proxima sit, aut ob salutationes vo . . . .* Quaenam sunt eae salutationes? nempe quod ad eam Praetor salutaretur is, qui in provinciam propraetore aut proconsule exiret. Vide supra in *Praetor*. Quaeramus igitur quomodo illud *vo . . . . .* expleri possit. Fortasse: *ob salutationes vocantium praetorem.* Quae sequuntur, alio pertinent, et linea prior deest. Ita autem succenturianda sunt: *Scenici antiquitus appellabantur, qui Megalenses nunc ludi. Scenicos vero ludos primum fecisse C. Atilium, M. Popillium Aediles memoriae prodiderunt historici. Solebant autem prodire in orchestra, dum intus actus fabulae componerentur cum versibus obscaenis.* Vide Livium lib. VII. non longe post initium. *Scal.* Inde et Salutaris collis, qui in colle Quirinali. Varr. IV. de L. L. (V. pag. 58. Sp.): *Collis salutaris quarticeps adversum est Apolineris aedem et salutis. Dac. Vocantur Megalesia.* Lege: *Vocantur Megalesia, quos ludos sceni-*

cos olim etc. Verum est Megalenses ludos scenicos fuisse. Liv. lib. XXXVI. sect. 36.: *Ludique*, inquit, *ob dedicationem eius* (de aede Idaeae Matris loquitur) *facti, quos primos scenicos fuisse Valerius Antias est auctor, Megalesia appellatos.* Inde Ovid. de iisdem *scena sonat, ludique vocant*, lib. IV. Fast. (187.). Verum etiam multo ante ludos Megalenses Romae fuisse scenicos hic aperte Festus et Liv. lib. VII. sect. 2.: *Ludi quoque scenici*, inquit, *nova res bellicoso populo, nam Circi modo spectaculum fuerat, inter alia caelestis irae placamina instituti dicuntur.* Locum integrum adi, ut eorum principium videas et incrementum. Ludi scenici Romae primum acti anno ab urbe C. CCCXCII. At ludi scenici Megalenses ann. U. C. DXLIX. *Idem. C . . . ium, M. Popilium M. F.* Supple *C. Atilium* etc. Aediles Curules curatores erant ludorum solennium, ut ex Cicerone et aliis notum est. Sed mihi Popilii, quem hic aedilem nominat Festus, nomen suspectum est, cum nullibi eum cum C. Atilio coniunctum legas. Rescribendum igitur puto C. Atilium, L. Scribonium Libonem. Nam et hos primos Megalesia ludos scenicos fecisse ann. U. C. DLX. tradit Liv. lib. XXXIV. sect. 54.: *Megalesia*, inquit, *ludos scenicos C. Atilius Serranus, L. Scribonius Libo Aediles Curules primi fecerunt.* Quamquam et ibi etiam sui oblitum fuisse Livium puto: iam enim undecim annis ante aedilitatem Atilii et Scribonii Libonis, Megalesia Romae acta fuerant, cum scilicet Idaea mater in Palatium fuit perlata, Aedilibus Curulibus, ni bene fallor, Cn. et L. Corneliis Lentulis. Vide illum lib. XXIX. sect. 11. 13. et 14. *Idem.*

Salva res. (Ad p. 254.) *Salva res est, cum saltat senex* scribendum est ex Servio III. (pag. 289. ed. Dan.) et VIII. Aen. (p. 510. ed. Dan.). De initio ludorum Apollinarium App. Claudio Q. Fulvio Flacco III. Coss. Liv. lib. XXVII. (c. 23.) et Macrob. lib. I. Sat. (c. 17. fere med.) cum Capitone et Verrio consentiunt. Quod vero dicitur factum C. Sulpicio et C. Fulvio Coss., cum hi consules nusquam reperiantur, emendandum est, ut existimo, P. Sulpicio, Cn. Fulvio, qui consules proximi fuerunt post supra scriptos et iisdem Consulibus Calpurnius Piso praetor Urbanus fuit, quem Livius Caium praenomine, Verrius Marcum appellat. *Ant. Aug.* Piaculum enim erat non solum, si incepti ludi alicuius rei interventu interpellarentur: sed etiam si subito ludius constitisset. Arnobius: *Commissum statim omnes in religiones clamatis sacras, si ludius constitit, si tibicen repente conticuit.* De Parasitis Apollinis diximus in Ausonianis lectionibus. Verum est autem, quod hic dicitur, in mimis fere secundarum partium parasitos esse. Seneca de ira libro III. (cap. 8.): *Caelium oratorem fuisse iracundissimum constat, cum quo, ut aiunt, caenabat in cubiculo lectae patientiae cliens, sed difficile erat illi in crapulam coniecto rixam eius, cum quo edebat, effugere. Optimum iudicavit, quicquid dixisset, sequi, et secundas agere. Non tulit Caelius assentientem, sed exclamavit: Dic aliquid contra, ut duo simus.* Hic *secundas agere* plane est assentari, supparasitari atque, quod ille profitetur, *Aiunt? aio, Negant? nego.* Neque aliud intellexit Horatius (Ep. I, 18, 10.): — *aut mimum partes tractare secundas.* Clamosi enim inducuntur parasiti. Glossarium: *Secundarius, Subdiga*, ὑποκριτής. *Scal.* Paulo aliter Servius III. Aen. (pag. 289. ed. Dan.): *Cum*, inquit, *iracundia matris Deum Romani laborarent et eam nec sacrificiis, nec ludis placare possent, quidam senex statutis ludis Circensibus saltavit, quae sola fuit causa placationis. Unde et natum proverbium est, omnia secunda: saltat senex. Quamvis haec alio ex ordine et alia ex causa narretur historia.* Unde patet Servium non ignorasse, quod hic narrat Festus. *Dac. Eos ludos Apollin.* His Coss. ludi Apollinares primum facti sunt. Liv. lib. XXVII. sect. 23.: *Ludi Apollinares Q. Fulvio, Appio Claudio Coss. a P. Cornelio Sulla praetore urbis primum facti sunt.* De ludis Apollinaribus in *Apollinares* dictum est. *Idem. Parasiti Apollinis.* Vide Athenaeum lib. VI. *Goth.*

Salios. (Ad p. 255.) Glossae: *Salius* ἱερεὺς ὁ τὰ διοπετῆ ὅπλα θεραπεύων, ὑμνῳδός, πρύτανις. Salii cognomento etiam erant Collini et Agonenses. Item, quod vulgare non est, Pallorii et Pavorii. Servius in Schedis (pag. 521. ed. Dan.): *Duo sunt genera Saliorum, ut in Saliaribus carminibus invenitur: Collini et Quirinales a Numa instituti; ab Hostilio vero Pavorii et Pallorii.* Haec ille. Quos Quirinales hic vocat, sunt qui aliter Agonenses. Nam et mons Quirinalis dicebatur Agonalis. *Scal.* Salii sunt ὀρχησταί. A salio Salius, ut a condo condus: a mergo mergus. Inde *Saliares insulae* Plinio ὀρχηστρίδες, χορητίδες. Salmas. Saliorum origo incerta. A Salio Arcade; alii a Numa institutos ferunt. De Aenea habet Polemon vetus rerum Italicarum scriptor, et ab eo Servius (l. c.): *Alii*, inquit, *dicunt Salium quendam Arcadem fuisse, qui Troianis iunctus hunc ludum in sacris instituerit.* De Numa scriptores bene multi. Fuere etiam, qui a Dardano institutos dicerent. Item qui a Morrio quodam Veientanorum rege. Utut sit, instituti fuere ad imitationem Curetum, qui primi ἐνόπλιον ὄρχησιν saltarunt in monte Ida. De quo Callimach. hymn. in Iov. (v. 51. seqq.). *Dac. Saonem.* Forte *Salonem. Idem. Quibus per omnes dies ubicumque manent.* Haec praeclaram continent antiquitatis cognitionem. Quae ut intelligantur, sciendum est, olim ex instituto Numae ancilia singulis annis mense Martio e sacrario Martis moveri solita, perque dies plurimos circumferri. Ideoque per urbem disposita sacraria,

quo se Salii de nocte reciperent, donec urbe confecta in sacrarium Martis redirent, ibique ancilia conderent, quae sacraria proprie *mansiones* dicebantur, nempe stationes nocturnae. *Manere* enim, ut optime olim magnus Salmasius apud Iulium Capitolinum, est *pernoctare*, *cubare*. Ait igitur Festus, Saliis per omnes festos dies ubicumque pernoctarent, amplas fuisse coenas appositas et inde magnificas alias quaslibet coenas Saliares etiam dictas. Post duos annos, quam haec notaveram, in manus meas primum venerunt libri quatuor observationum Gisberti Cuperi, quos dum ego cum magno fructu, nec minori voluptate perlego, incidi in eundem hunc Festi locum, quem optime habuit, dum inscriptionem istam ex Grutero pag. 183. egregie illustrat:

MANSIONES. SALIORUM. PALATINORUM. A. VETERIBUS.
OB. ARMORUM. ANNALIUM. CUSTODIAM. CONSTITUTAS.
LONGA. AETATE. NEGLECTAS. PECUNIA. SUA. REPARAVERUNT.
PONTIFICES. VESTAE. V. V. C. C. PRO. MAGISTERIO.
PORTI. ACILLII. LUCULLI. VITRASI. PRAETESTATI. V. V. C. C.

Ibidemque monet Torrentium et Neapolim Horatii interpretes hunc Festi locum aliter laudasse, nempe: *quibus per omnes sacrorum dies*, sed sine MSS. auctoritate, quare ipse literula addita legebat: *per ominis dies.* Ominosi enim dies, quibus movebantur ancilia, unde in Calendario I. Kal. Mart.: *Anciliorum festum*, *nec nubere bonum*, *quousque condantur.* Sane saepius in veteribus libris τὸ *ominis* in *omnis* degeneravit. *Idem. Saliares appellantur.* Horat. Od. 37. lib. I. (v. 2. seqq.):

— — *Nunc Saliaribus*
Ornare pulvinar deorum
Tempus erat dapibus sodales.

Hoc est, delicatis et opiparis, ut erant coenae Saliares, quarum nidore ictus olim Tib. Claudius, cum in Augusti foro cognosceret, deserto tribunali ascendit ad sacerdotes unaque discubuit. *Idem.* De Saliis virginibus vide supra *Salias.* De Saliariis carminibus v. *Axamenta*, *Matrem Matutam*, *Poenas*, *Pescia*, *Praeoptat*, *Saturnus.* Horum autem alia erant in universos homines, alia in deos singulos, veluti Ianualii, Iunonii, Minervii (v. *Axamenta*), Saturnii (v. *Saturnus*). *Goth. Ex Samothr.* dixi ad Varronem lib. IV. de L. L. *Idem.*

Salmacis (Ad p. 255.) Gabriele Faerno auctore scribendum est: *Salmaci das spolia sine sudore et sanguine*, ut sit senarius. Mibi *da spolia* non displicet. Vid. Strabo lib. XIV. (pag. 656.). *Ant. Aug.* Videtur Festus vel Verrius in Ennio disiunctim legere: *Salmaci da spolia sine sudore et sanguine.* Atqui potius videbatur coniunctim. Vetus Glossarium: *Salmacidas* ἁλμυρός. *Salmacidum* ἁλμυρόν. *Salmacia* ἀμφιτρίτη. *Salmacia aqua*, ἁλμυρὸν ὕδωρ. Ergo spolia, quae incruenta sunt καὶ ἀναιμωτὶ καὶ ἀκονιτί parta, elegantissime *Salmacida*, ut diluta, non cruenta vocat, ut anno superiore notavimus in lectionibus Ausonianis (1, 23.). Et siquis Ciceronis verba in libris de Officiis (I, 18.) consideret, ubi haec Enniana citantur, non aliter legendum esse, quam *Salmacida* animadvertet. *Scal.* Cui non audita est obscenae Salmacis undae (Ovid. Met. XV, 319.)? Vide tamen, si lubet, Ovid. Met. IV. v. 285. Strabonem lib. XIV. (pag. 656.) et Vitruv. lib. II. cap. 8. *Dac.* Sed pace tanti viri dixerim, divisim potius *Salmaci, da spolia* etc. legendum est, quod et doctissimum Vossium video voluisse, imo quod nemo monuit et sic Ciceronem legisse ex loci ipsius lectione certum est. En tibi locum ipsum, nam pretium est morae, ex lib. I. de Offic. (c. 18.): ***Intelligendum est autem, cum proposita sint genera quatuor, e quibus honestas officiumque manaret, splendidissimum videri, quod animo magno elatoque humanasque res despiciente factum sit. Itaque in probris maxime in promptu est, si quid tale dici potest:***

Vos etenim iuvenes animum geritis muliebrem
Illa virago viri.

Et si quid eiusmodi:

Salmaci da spolia, sine sudore et sanguine.

Ubi si coniunctim *Salmacida* legit Cicero, aliter se res habebit, quam voluit, neque enim in probris videri queant spolia Salmacida, hoc est incruenta. At divisum *Salmaci, da spolia sine sudore et sanguine*, illud vero in probris maxime, cum *Salmacidis* nomine homo mollis compelletur, spoliaque sine sudore et sanguine dare iubeatur. Huc accedat, quod Glossarium, cuius auctoritate maxime nititur Scaliger, in hac voce corruptum est. Neque enim *salmacidum* est ἁλμυρόν, sed *salinacidum*, ut optime animadvertit magnus Salmasius. En tibi eius verba (in Solin. f. 81.): nimirum *salinacidae* sunt dicendae, non *salmacidae*, ut perperam hodie passim hoc nomen scribitur. Salinacidae non sunt simpliciter ἁλμυρίδες aut ἁλυκίδες, ut Graeci vocant fontes salsos, sed acidae simul et salsae. Acidae nimirum salinae et in Glossario corrigendum *Salinacidum.* Neque

tamen est *ἁλμυρόν*, sed *ὀξάλμυρον* etc. Deinde et pravo iudicio utuntur viri docti, qui in versu Ennii coniunctim legunt *Salmacida spolia*, cum de viro molli et Salmacide loquatur, qui daret spolia de se hostibus sine sanguine et sudore. *Dac.* De loco Ennii cf. Beier. ad Cic. de Off. I, 18. tom. I. pag. 142. seq. ubi etiam de Festi loco exponitur.

Salias virgines. (Ad p. 255.) Nullae erant Saliae virgines, sed si quando opus esset virgines Saliorum sacris admoveri, tum illae dicebantur Saliae, dum Saliis praesto erant. De apicibus suo loco dictum. *Dac.* Vide in *Regifugium*. *Goth.*

Spondere. A sponte, ut Varro lib. V. (VI. pag. 245. Sp.): *Spondere est dicere spondeo a sponte; nam id valet.* Sed omnino spondeo a Graeco *σπένδω*, libo, quod in foederibus libarent. Postea factum, ut qui et sine libatione promitteret, *spondere* diceretur, et qui repromitteret, *respondere*. *Dac.* *Compositis rebus divinis.* Adde supra *Conspansor*. *Goth.*

Salicem. (Ad p. 255.) *Idem*, de Verrio, ut iam saepe. Salix autem a saliendo, quod et Servio probatur, Eclog. (I. pag. 6. Ed. Dan.): *Salicti*, inquit, *virgulti genus*, *dictum eo*, *quod salit ac surgit cito.* Illud improbat tamen Festus, neque iniuria, quippe qui sentiat salicem a Graeco dici, nempe ab *ἑλική*, at *helice* ab *ἑλίσσεσθαι*, *πλέκεσθαι*, quod sit flexibilis, tortilis. Nihil certius. *Dac.* Propius a v. *ἕλιξ*, quam ab *ἑλίκη* (sive *ἑλική*) derivatur. Arcades tamen *ἑλικήν* pro salice dixisse, auctor est Theophrast. de Hist. plant. III, 14. (13. fin.). Cf. Hesych. sub v. *Ἑλίκη*. Graeci usitate *ἰτέα*, cui nostrum *Weide*, *Wiede* convenit.

Salinum. (Ad p. 255.) Quia salinorum impositione sacrae fiebant mensae. Arnob. lib. II.: *Sacras facitis mensas salinorum appositu et simulacris Deorum.* Vide in *Mensa*. Et inde est, cur figuli Salinum in mensa ponere veriti sint, ne scilicet iterum, uti semel factum est, cum praetereuntis cuiusdam petulantia salinum e mensa figuli in fornacem coniectum fuit, polluta religione, simili poena incuriam luerent. *Dac.* Nihil aliud salinum, quam patella, in quadiis primitiae cum sale offerebantur, uti refert Acron. ad illa Horatii, *cui paternum Splendet in mensa tenui salinum* (Od. II, 16, 13.). *Goth.* *Cum fornax.* Potest esse exemplo legi 27. §. 9. ff. ad l. Aquil. *Idem.*

Salentinos. Ait Festus, Cretas et Illyrios, quod per mare errarent, Salentinos dictos et postea, societate facta cum Locrensibus, Italiae appulsos, inde regionem aliquam suo nomine dixisse, nempe Salentinos campos cet. Verum est ducem Cretensium Idomeneum per seditionem pulsum ad regem Illyriorum venisse, a quo acceptis copiis cum Locrensibus plerisque profugis coniunctus et amicitia per similem causam sociatus, Locros appulit, ubi Locri illi Italiae a prioribus Locris Ozolis sive Opuntiis Idomenei comitibus dicti. Marcianus Heracleota:

Εἰσὶν δ' ἄποικοι τῶν Ὀπυντίων Λοκρῶν,
Ἔνιοι δὲ Λοκρῶν φασὶ τῶν ἐν Ὀζόλαις.

A Locris in Iapygiam devenit, ubi Salentini, unde Strabo lib. VI. (pag. 281.): *Τοὺς δὲ Σαλεντίνους Κρητῶν ἀποίκους φασίν.* Utrumque sic Virgil. lib. III. Aen. (400.):

Hic et Naritii posuerunt moenia Locri
Et Salentinos obsedit milite campos
Lyctius Idomeneus.

Sed de Salentinorum nomine amplius quaerendum. *Dac.* Cf. Varro apud Val. Probum ad Virg. Eclog. VI.

Seculares. Verba Festi ita interpretor, ut prius dicat, quo pacto exactis regibus ager Tarquinii Superbi regis Marti consecratus sit, campusque Martius dictus, quem agrum populo Rom. diripiendum concesserant Consules ex S. C. Post haec dicitur de ara reperta, Diti ac Proserpinae consecrata, in eodem extremo Martio campo, qui locus Terentum appellatur, demissa pedes viginti infra terram. Illic P. R. sacra fecit, auctore P. Valerio Poplicola Consule, ut Valer. Max. lib. II. cap. 1. tradidit. Quod sequitur de Popillio Laenate et anno nonagesimo, pertinet, ni fallor, ad eos ludos seculares, qui primi M. Valerio Maximo, Sp. Verginio Tricosto Coss. facti sunt anno urbis 297., si fastos Capitolinos sequamur; si Varronem, 298. Laenate Duumviro sacrorum faciendorum causa. De his ludis primis ex quindecim virorum sententia Censorinus (De die nat. c. 17.) locuples testis est. Illa vero, quae sequuntur (*stis furulis*) *hostiis furvis* interpretor. His enim Diti et Proserpinae faciebant tribus noctibus, idque centesimo quoque vel centesimo decimo anno, qua de causa seculares ludi dicebantur, quod saeculum id temporis spatium appellarent. Vid. Censorin. post Valer. Max. et Horat. in Carmine, et Zosimus apud Politian. et quae Onuphrius noster de ludis saecularibus accuratissime scripsit. Vide *Terentum*. *Ant. Aug.* *Post centum annos fiebant.* Hic Festum sequitur Paulus, sed a Verrio diversus abit. Verrius enim, ut patet ex vetere Horatii interprete, ludos saeculares post decem et

centum annos fieri fuisse solitos docet. Quod et verum esse probant quindecimvirum commentarii et carmen Sibyllinum, quod apud Zosimum (II, 5.) legitur:

Ἀλλ' ὁπόταν μήκιστος ἵκῃ χρόνος ἀνθρώποισιν
Ζωοῖς, εἰς ἐτέων ἑκατὸν δέκα κύκλον ὁδεύων.

Idem etiam spatium iis assignat Horat. in suo carmine seculari (v. 20. seqq.):

Certus undenos decies per annos
Orbis, ut cantus referat ludosque
Ter die claro totiesque grata
Nocte frequentes.

Dac. Seculares ludi Tarq. Quae hic de campo Martio, de loco in eo, qui Terentum appellabatur, de ara, quae a populo Rom. in bello contra Albanos Diti ac Proserpinae dicata sub terram ad altitudinem pedum viginti defossa est, de hostiis furvis, de tribus diebus ac noctibus, fuse persequitur Zosimus, cuius ope ruderum istorum lapides omnes redivivos excitaram. Varro lib. I. de scenicis Orig. (apud Censorin. de die nat. c. XVII.): *Cum multa portenta fierent, et murus ac turris, quae sunt intra portam Collinam et Esquilinam de coelo essent tacta et ideo libros Sibyllinos quindecimviri adiissent, renuntiarunt, ut Diti patri ac Proserpinae Ludi Tarentini in Campo Martio fierent et hostiae furvae immolarentur.* Verba illa *ludos postea seculares facere ibi coepit et nonagesimo*, mutila esse docet vel illud *et*, et ipsa historiae fides. Lege: *Coepit ducentesimo et nonagesimo quoque anno.* Etsi scribere debuerat: *ducentesimo et nonagesimo septimo.* Tunc enim Popilius Laenas Duumvir fuit sacrorum faciendorum. In fine cum ait Festus institutum fuisse centum post annos ut fierent, a Verrio etiam recedit, qui, ut supra in epitome docuimus, post decem et centum factos dicit. *Dac.* De ludis Secularibus conferenda sunt quae collegit Mitscherlich. in argumento ad Horatii carmen seculare Edit. Hor. tom. II. pag. 641. seqq.; conferendi etiam viri docti, qui ibidem sunt citati pag. 643. seq.

Scutilum. Sensus est: scutilus dicitur homo macer, qui totus pellis est, nam σκύτος pellis. At in pompa triumphali scilicet Manducus homo scutilus dici videtur quasi scrutilus, qui potest scrutari. Etsi ibi etiam nomen Graecum est σκύτιλος a σκύτος, quia homo ille nihil aliud erat, quam pellis. Vide *Manducus, Citeria* et *Petreia*. *Dac.*

Squalidum. Squalidum incultum et sordidum sic appellatum, quod proxime ad squamas piscium accedit. Itidem Ennius dici pallidum squalidum auctor est in Telepho: Quam vestitus squalida stola. Apud Nonium (pag. 537. Merc.) in *Stola* integrior versus legitur:

Cedo, ac caveo vestitus squalida septus stola.

Scal. Aliter paulo, sed in eandem mentem A. Gellius lib. II. cap. 6.: *Squalere*, inquit, *dictum a squamarum crebritate asperitateque, quae in serpentium pisciumque coriis visuntur.* Idem Servius (ad Aen. X, 314.) ita ut proprie id squallere dicatur, quod aliqua re incultum et obsitum nova facie visentibus horrorem incuteret, ut apud Virgil. (Aen. X, 314.): *Tunicam squallentem auro;* deinde vero de iis tantum ea vox usurpari coepta sit, quae sordium congerie inculta essent et squamosa. Sed optime Martinius a σκελλός, aridus, squalus, squalidus etc. *Dac.* Adde Nonium in *Squalam* (pag. 172.), *Squalere* (pag. 452.), *squalidum* (pag. 404.), *squalor* (pag. 225.). *Goth.*

Squarrosos. Squarra, vel, ut veteres scribebant, *Scara*, purum putum Graecum est ἐσχάρα. Quod frequens in libris Graecorum medicinis. *Rupices* sunt *rustici*. Tertullian. (de pall. cap. 4.): *Apud rupicem et silvicolam et monstrorum eruditorem scrupea schola eruditus.* Dicuntur et *petrones*. *Varrones* etiam a *varris*, qui sunt stipites non dolati, praeduri, ac enodes, unde Varronum familiae in gente Terentia ac Visellia. Quamquam Varro ipse de suo cognomine loquens aliter scripserit, eum nempe, qui primus Varro sit appellatus, in Illyrico hostem *Varronem* nomine quod rapuerat et ad suos portaverat, id cognomen ex insigni facto meruisse. Auctor Servius (pag. 682. ed. Dan.) qui est penes Danielem. *Scal.* Falsum squarrosus ab squamis. A *squarra* enim, velut veteres scribebant, *scara*, quod purum putum Graecum est ἐσχάρα, id est *crusta ulceribus cavis accrescens.* Rupices sunt rustici. Varrones duri et agrestes homines a *varris* sive *varis*, informibus et furcillatis baculis. Tertull. in libro de anima (c. 6.): *Rupicum ac Varronum, quibus alimenta sapientiae desunt.* *Dac.* Vide supra in *Petrones*. *Goth.*

Schoeniculas. Plautus in Nervolaria apud Varronem lib. VI. de L. L. (VII. pag. 345. ed. Sp.): *Diobolares, schoeniculae, miraculae. Schoeniculae*, inquit, *ab schoeno nucario unguento.* Ita enim arbitror illic scribendum esse. *Miraculas* autem a miris, id est monstris interpretatur. Credendum est haec Plauti verba Festum etiam retulisse, et postea ex Poenulo eiusdem (I, 2, 55.): *Prosedas, pistorum amicas, reliquias*

halicarios, *Miseras schoeno delibutas* (*coeno delib.* vulg.), *servilicolas sordidas. Ant. Aug.* Ex Clitellaria Plauti duos hos versus citabat Festus:

Diobolares, schoenicolae, miraculae
Cum extritis talis, cum todellis crusculis.

Vide tertium Coniectaneum (pag. 134. ed. Steph.). *Scal.* Ego vero, nisi intercederet Festi et Varronis auctoritas, crederem Plautum meretrices *schoenicolas* vel schoeniculas dixisse, quod in segetibus et σχοίνοις usque essent, quod σχοίνους perpetuo colerent. Et infra *schoeno delibuta*, quod σχοίνους olerent. Nisi potius schoenicula male scriptum sit pro *scoenicula* a *coeno*. *Coenum* enim Sabinis *scoenum*, ut *scoena* pro *coena* supra apud Festum. *Dac. Diobolares.* A binis obolis. Pacuvius (apud Fulgent. pag. 564. Merc.):

— — — *Non ego ita fui*
Ubi nunc sunt meretrices, diobolares suam
Quae nummi causa parvi pendunt gratiam.

Dac. Miraculae. Vide *Miracula. Idem. Cum extritis talis.* Vide quae in voce *Crocotilum* dicta sunt. Vide et *Succrotila. Idem. Alicarias reliquias.* Reliquias alicariorum. Vide *Alicariae. Idem. Servilicolas*, hoc est quod idem ibidem subiicit:

Servolorum sordidulorum scorta diobolaria.

Idem. Vide supra in *Prosedas. Idem.*

Scorta. Vid. Varro lib. VI. de L. L. (VII. p. 362.). *Ant. Aug.* Varro lib. VI. (VII. p. 362. Sp.): *Scortari est saepius meretriculam ducere, quae dicta a pelle. Id enim non solum antiqui dicebant scortum, sed etiamnunc dicimus scortea ea, quae ex corio et pellibus sunt facta. Inde in aliquot sacris ac sacellis scriptum habemus, ne quid scorteum adhibeatur, ideo ne morticinum quid adsit. In Atellanis licet animadvertere rusticos dicere se adduxisse pro scorto pelliculam. Dac.*

Scandulaca. Quod scandendo fruges necat. Vulgo *orobanche.* Turnebus legit *Scandulata. Dac.* Cf. Dioscorid. II, 172.

Scaptensula. Lege: *Scaptesula.* Σκαπτησύλη Stephano et Plutarch., qui in Thracia, non in Macedonia ponunt. Apud Lucret. (VI, 810.) *Scaptesyla* nomen generale est τῶν μεταλλείων seu fodinarum metallariarum, nempe materia fossilis; vocamus *terre de mine;* σκάπτειν *fodere* et ὕλη *materia. Dac.*

Spara. Glossae: *Sparus* εἶδος ἀκοντίου. Varro apud Servium (pag. 678. ed. Dan.), qui est in schedis: *Sparum, missile, a piscibus ducta similitudine, qui Spari vocantur. Scal.* Apud Lucil. Sed pro *murices* rescribendum *rumices*, nam et supra in *Rumex* hunc Lucilii locum laudat Festus. Inde hic natus error, postrema scilicet litera vocis *tum* geminata pro *tum rumices*, effecit *tum murices.* De *sparo* sic Servius P. Danielis (pag. 678. Dan.): *Sparus est rusticum telum in modum pedi recurvum. Sallustius: Sparos aut lanceas, alii praeacutas sudes portare. Varro ait sparum telum missile, a piscibus ducta similitudine, qui spari vocantur. Alii sparus a spargendo dici putant.* Isidor. lib. XII. (c. 6.): *Nam sparus est telum rusticum missile a spargendo dictum. Dac.* Adde Nonium (pag. 223. Merc.) in *Spari*, (pag. 554. seq. Merc.) *Sparus.* Tullium l. 200. Milone (c. 24.): Gell. X, 25. *Goth.*

Scitum populi. (Ad p. 256.) Pro plebiscito vel potius pro lege dictum esse verisimile est. Nam plebis appellatione neque patricii, neque senatores continentur, cum ii in populo sint. Quod igitur patricio interrogante populus suis suffragiis iussit, scitum populi dicetur; quod vero Trib. plebis rogavit plebem, id plebiscitum est. Scitus etiam peritus a poetis dictus est; et bona facie puer et puella scita. Terent. in Andria (III, 2, 6.): *Per ecastor scitus est puer natus Pamphilo.* Idem in Phorm. (I, 2, 16.): *Satis*, inquit, *scita est.* Et Heautont. (IV, 5, 16.): *At si scias, quam scite in mentem venerit.* Haec vel his similia Festus scribit. *Ant. Aug.* Cum ait Fest., *Scitum populi* esse, quod rogavit magistratus patricius vel Praetorem, vel Consulem, vel Dictatorem, vel Interregem, vel Decemviros, vel Tribunos militum intelligendum est. De scitis populi et plebiscitis vide in *Populi commune.* Et supra in *Scitum pleb.* Verum est, quod addit Fest., quod aliquo interrogante ex patribus et plebe suffragante, scitum esset, id tum legem scriptam dictam fuisse. Lex enim proprie dicebatur, quod Populus Romanus comitiis vel centuriatis vel tributis vel curiatis uno aliquo e magistratibus maioribus interrogante, veluti consule, constituebat. Iustin. §. 4. De iure natu. *Dac.*

Scita facie. (Ad p. 256.) Quae in fine asteriscis notata relicta sunt, in iis nocturnum iter consulis vel alius cuiusdam auctoritate praedito describebat Ennius, cui agaso praelucebat. Luminibus enim et facibus in conficiundis nocturnis itineribus veteres utebantur. *Dac.*

Scenam. (Ad p. 256.) Lege infra: *Qui est II. de verbis priscis.* Ex notis II. imperiti librarii fecerant *ei;* de scena nil alibi me legere memini. *Dac.* Adde *Secespita. Goth.*

Scirpus. (Ad p. 257.) In veteri libro est hoc loco: *Sexti Pompeii Festi de verborum significat. lib. XVIII. Incipit lib. XVIIII. scriptum est* etc. Alias *Scirpus.* Plautus (Aulul. IV, 1, 9.): *Scirpea inducitur ratis,* vel, ut vult Faernus, *induitur,* propter versum. *Ant. Aug.* Σχοῖνος iuncus, et inde natum proverbium *in scirpo nodum quaerere,* quia nihil rectius est et enodius iunco. *Dac. Quasi pueri.* Vide in voce *Nare. Idem. Sume arma.* Optime hunc Novii versum emendavit Voss.: *Sume arma. Quid est? an occidam clava scirpea?* Alii: *Sume arma. Tydean' occidam clava scirpea? Idem.* Glossis: *Scirpus,* φλοῦς πάπυρος. *Goth.* Multo rectius emendavit Ursinus versum Novii: *Sume arma; iam te occidam clava scirpea.* Bothius mira commentatur; non inspexit Schedas Festi.

Spira. Spira a Graeco σπεῖρα, quo nomine dicuntur circuli vel orbes non redeuntes in se, ut funium, serpentum etc. Inde spira basis columnae Vitruvio (Plin. XXXVI.) lib. XXXVIII. cap. 23.: *In Ephesiae Dianae aede primum columnis spirae subditae et capitella addita.* Et genus operis pistorii Cato cap. 77.: *Spiram sic facito.* Item hominum multitudo, unde apud Hesych.: σπεῖρα, πλῆθος, στράτευμα, τάγματα. *Dac.*

Spectu. Apuleius lib. III. Metam.: *Obliquato tamen spectu rem admirationis maximae conspicio.* Locus Pacuvii sic integer:

Hiccine est, quem gratia formae ante omnes nobilitat viros,
Amplus, rubicundo colore, spectu protervo, ferox,
Caperata fronte.

Dac. Vide Nonium in *Nobile* pag. 352. et Varron. de L. L. VII. pag. 385. Sp., ex quibus illi versus Pacuvii praeter hunc quem Festus adducit, desumpti sunt.

Spetile. *Sueres* quid sit ignoro. Scribendum fortasse *sumenque Verris. Ant. Aug.* Vel, ut nonnullae editiones *Spectile.* Est τὸ ἦτρον vel τὸ ὑποκοίλιον. *Scal.* Pro *spectile,* ut antiqui dicebant. Est enim a *specio,* quippe quod ea pars propter pinguedinem inprimis sit spectabilis. Versus Plauti:

Ego pernam, sumen sueris, spectile, callum, glandia.

Sueris antique pro *suis.* Quidam legunt:

Ego pernam, sumen sueris spectile etc.

Ita ut *spectile* sit adiectivum, quod ad sumen referatur, sed manifesto contra Festi mentem, ut ex eius interpretamento liquet, cum dicit antiquos eam vocem per se posuisse. *Dac. Sueris.* Varro (lib. X. p. 548. Sp.). *Goth.* Cf. Voss. Etym. s. v.

Spicit. Plaut. in Milite: *Flagitium est, si nihil mittetur, quo supercilio spicit. Ant. Aug.* Ut veteres dicebant pro *specit.* Plauti versus est ex Mil. Glor. Act. III. sc. 1, (100.):

Flagitium est, si nihil mittetur, quo supercilio spicit!

Male qui *specit.* Ennii versum infra legunt quidam:

Quos ubi rex paulo spexit de collibus celsis.

Vel:

Quos ubi rex sedulo spexit de contibus celsis.

Scaliger:

Quos ubi rex pullos spexit de cortibus celsis.

Sane eundem hunc Ennii versum Varro videtur adducere lib. V. de L. L. (VI. p. 285. Sp.): *Spectare dictum ab specio antiquo: quo etiam Ennius usus: Vos Epulo postquam spexit.* Ita ut non male quivis legendum putet:

Quos Epulo postquam spexit de cortibus celsis.

Vel, quod magis placet:

Quos ubi rex epulo spexit de cortibus celsis.

Varro enim, ut omnes norunt, saepissime testimonia veterum ita solet adducere, ut pleraque verbis suis enunciet, illud tantum, quo de agit, verbum posuisse contentus. Inepte Schegkius:

Quos ubi rex Epulo spexit decotibus celsis.

Et interpretatur de coena, ubi modimperator celsos, id est equites aspicit, non in veste coenatoria, sed in toga detrita. Nam *decotes* togae detritae. Homo sagax scilicet. *Dac. Ultro spexit de montibus celsis.* Pompon. Laet. *Goth.* Vide *Auspicium. Idem.*

Spirillum. Forsan quod crines in modum spirae intorti, vel, idque verius, quod spirae inde fie-

rent; funes enim olim ex pilis caprinis. Sed pro spirillum in Catholico legitur *stirillum* his verbis: *Stirillum barbae caprae et dicitur a stria, quod pendet ad modum striae.* De *Striis* Vitruv. (IV, 3. X, 15.). *Dac.*

Spintyrnix. Desideratur nomen poetae, cuius verba referuntur. Plautus autem in Milite (IV, 1, 42.) hoc verbo utitur: *Pithecium haec est prae illa et spinturnicium.* Plin. lib. X. cap. 13.: *Incendiariam avem alii spinturnicem vocant, sed haec ipsa, quae esset inter aves, qui se scire diceret, non inveni. Ant. Aug.* Avis incendiaria σπινθαρίς, a scintilla, quae Graece σπινθήρ. Spintyrnicium diminutive dixit Plaut. Mil. Glor. Act. IV. sc. 1, (42.): — *Pithecium haec est prae illa et spinturnicium.* Ubi Salmasius spintyrnicem non avem, sed quadrupedem esse dicit, sphingem scilicet, additque quosdam veterum de ave esse interpretatos, quod Graeci alatas sphinges ex fabula pingerent, quas Aegyptii sine alis, ut erant revera. Sed Salmasium falli puto. *Spintyrnix et incendiaria avis* dicta, quod de busto sudem tectis inferret atque ita incendium faceret. Ea Aristoteli dicitur σπίνθασις, interque ranas et peregrinas aves recensetur. *Dac.* Vide Iulium Obsequentem libro de prodigiis; Lampridium in Commodo. *Goth.*

Spicum. (Ad p. 257.) Legitur *Spicus* et *Spicum.* Servius in I. Georg.: *Dicimus et hic spicus et hoc spicum. Cicero in Arato* (Nat. D. II, 42, 110. ibiq. Moser.):

Spicum illustre tenens insigni corpore virgo.

Sed scire debemus in usu esse a masculino utrumque numerum, a neutro vero raro et tantum singularem inveniri, nam plurali nusquam lectum est. Vide Nonium (pag. 225. Merc.). In versu antiquo lege: *Quasi messor per messim. Dac. Hunc stirpem.* Vide supra *Masculino. Goth. Hanc amnem.* Vide supra *Petronia amnis* et *Perenne. Idem.*

Speres. (Ad p. 257.) Varr. ὄνος λύρας:

Quibus suam ipse delectet amasiam
Et aviditatem speribus lactet suis.

Vide Nonium (pag. 171. Merc.). *Dac. Et semel effugit.* Ennii versum sic commodius Merula:

Et semel effugit speres ita funditus nostras.

Idem.

Spectio. (Ad p. 257.) Locus difficilis et fortasse mendosus. Sciendum est augures alios habere *aspectionem* et *nuntiationem*, alios *aspectionem* tantum; Magistratus autem habere auspicia, *inspectionem* sive *spectionem* et *obnuntiationem.* Cicero Philipp. II. (cap. 32.): *Quod te sacerdotii iure facere posse dixisti, si augur non esses et consul esses, minus facere potuisses? vide ne etiam facilius; nos enim nuntiationem solum habemus; consules et reliqui magistratus etiam spectionem.* Idem lib. III, (3, 10.) de Legibus: *Omnes magistratus auspicia iudiciaque habento.* M. Messala apud Gell. lib. XIII. cap. 14. et 15.: *Patriciorum auspicia in duas sunt potestates divisa. Maxima sunt consulum, praetorum, censorum. Reliquorum magistratuum minora sunt auspicia. Consul ab omnibus magistratibus et comitiatum et concionem avocare potest. Et in edicto Consulum, quo edicunt, quis dies comitiis centuriatis futurus est, scribitur ex veteri forma perpetua: ne quis magistratus minor de coelo servasse velit.* Ex his igitur dicendum est hoc loco Festum voluisse, non posse augures impedire nuntiando magistratus, sed habere spectionem, hoc est aspectionem et nuntiationem, hoc est renuntiationem eius augurii: tunc pertinet ad magistratum, qui habet auspicia, ut videat, an iis auspiciis rem gerere velit. Vid. Cicer. lib. I. et II. de Divin. Varro lib. V. de L. L. (VI. pag. 259. Sp.). *Ant. Aug.* Profligatissimus locus ac multis vulneribus confectus. Non solum enim corruptus, sed mancus ac parte sui non parva truncatus. Festi sententia haec videtur fuisse: *Spectio* in Auguralibus ponitur pro *aspectione. Spectio* et *nuntiatio* data erat iis magistratibus, qui omne ius auspiciorum habent, auguralibus *spectio* duntaxat, quorum consilio rem gererent magistratus, non ut possent impedire *nunciando*, quaecunque vidissent, at iis *spectio* sine *nunciatione* data est. Hoc videndum est in his verbis, *nunciationem* duplicem esse: *nunciationem* augurii, quam habebat solum, cui *spectio* erat, hoc est augur, et *nunciationem* avocandae concionis, quam solus habebat, qui omne ius auspiciorum habet, hoc est maior magistratus, quae vocabatur *obnunciatio.* Cum Philippica II. (l. supra c.) dicitur augures *habere nunciationem*, est ius tantum nunciandi magistratui de eo, quod viderit. *Consules* habere *spectionem*, *quam et augures habeant*, *et obnunciationem*, *quam augures non habebant.* Invenies tamen obnunciationem positum pro nunciatione, ut in primo de Divinatione (I, 29.): *Non in eo*, inquit, *est culpa, qui obnunciavit, sed in eo, qui non paruit. Scal.* Verum est, quod ait Festus, spectionem, hoc est aspectionem augurii duntaxat auguribus datam, nunciationem vero cum spectione iis magistratibus, qui omne ius haberent auspiciorum, puta Consulibus, Censoribus, per nunciationem autem hic intellige ius avocandae concionis, quae vocabatur *obnunciatio.* Alia quippe erat *nunciatio*, quam habebant augu-

res, et nihil aliud erat, quam ius nunciandi magistratui, de eo, quod viderant. De hac Cicero Philipp. II. sect. 32. Invenies tamen *obnunciationem* positam pro *nunciatione*, ut in I, (29.) de Divin. De spectione Varro lib. V. de L. L. (VI. pag. 258. seq. Sp.): *Spectare dictum ab specio antiquo: quo etiam Ennius usus: vos Epulo postquam spexit. Et quod in auspiciis distributum est, qui habeant spectionem, qui non habeant, et quod in auguriis augures dicunt, avem specere.* Vide Manut. de rebus per epistolam quaesitis lib. l. Ep. 9. *Dac. Respici* quoque avis auguribus dicebatur. Vide supra *Respice avis. Goth.*

Scripturarius ager. (Ad p. 257. seq.) Populi Romani tria fuere vectigalia: decima, portorium et scriptura. *Decima*, quod ex agricultura capiebatur, quia agri ea tantum lege aratoribus dabantur, ut decimas populo Rom. penderent. *Portorium*, quod ex importatione et exportatione mercium. *Scriptura* denique, quod ex pecore. Nam cum silvae essent populi Romani, qui in silvis publicis pecus pascebant, numerum pecoris apud Publicanum, qui silvas illas redemerat, profitebantur et contra publicanus in codices eundem numerum referebat, et in singula capita certam pecuniam pro pastione ab aratore exigebat. Et inde ille ager scripturarius dicebatur. *Dac.* Adde Nonium I, 12, 172. (pag. 37. Merc.). *Goth.*

Scribas proprio nomine. (Ad p. 258.) Scribae dicebantur doctores quilibet et viri docti, ut Graece γραμματεῖς. Sic in sacris literis scribae doctores legis. Hoc nomen postea datum scribis publicis, quos vulgo dicimus *notaires. Dac.* Hinc scriba magistratus in l. ult. §. 17. ff. de muneribus, inde scribitus in l. 1. ff. de muneribus, vel scribatus. Vide titulum Cod. de tabulariis scribis, logographis et censualibus. *Goth. Antiqui librarios* etc. Hinc librarii horreorum, caducorum, depositorum, in iure l. ult. ff. de iure immunitatis. Scripturarios vocat Nonius et Tabularios, quorum fit mentio in l. 18. §. 10. ff. de muneribus, qua in lege recensentur Archeotae et logographi. His adde librarios, calculatores et rationarios, de quibus in l. 15. §. 5. ff. de excusationib. tutorum. *Idem.*

Scraptae dicebantur. Apud Varronem (lib. VII. pag. 346. Sp.) legitur *scranciae*, vel, ut in nonnullis *scraciae* et *scractiae*, apud Nonium *scraptae*. Scraptae autem vel scractiae Scalig. deducit ab antiquo *scracere*, hoc est *excreare*. Plaut. in Nervolaria:

Scraptae, scrupedae, strictivellae, tantulae.

Turnebus vero *scraciae* amplectitur, ut sint quasi *screaciae*, hoc est, non minus quam screa et sputa, contemnendae. *Dac. Rectius mecastor.* Sic distinguendum Titinnii distichon:

Rectius mecastor Piculetae postumae
Lectum hodie stratum vidi scraptae mulieris.

Idem. Adde Nonium (pag. 169. Merc.) in *Scraptas* et Varronem (lib. VII. pag. 346. Sp.). *Goth. Excreare.* Adde Nonium (pag. 175. Merc.) in *screare. Idem.*

Scrutillus (ita enim Scaliger.). Veteres editiones *Scrutillus*, quod verum est. Isidorus: *Scrutillus ventriculus fartus. Scal.* Plauti locus desperatus. Lego tamen: *si quid essem* etc. *Scrutillus* a *scrutulus. Scrutulus* autem a *scrutus*, sive *scrutum. Dac.*

Spinther. Plaut. in Menaech.: *Iubeasque spinther novum reconcinnarier. Ant. Aug.* Graecis ἀκροχέριον. Priscian. (V, 3. pag. 177. tom. I. Krehl.). Plauti locus est ex Menaech. Act. III, sc. 3, (4.). *Dac.*

Scrupi. Scrupus a Graeco σκίῤῥος. Scrupi saxa aspera, invia, naufragiis infamia. Versum Ennii affert Nonius (pag. 169. ed. Merc.) in *Scapres:*

Scrupeo investita saxo atque ostreis quam exceperant.

Festi scriptura propius a vera recedit. Legendum enim:

Scrupeo investita saxo atque ostreis, squale scapre.

Queritur Andromeda se desertis locis ceto expositam, saxis asperis atque ostreis undique circumdatam, squale scabreque et inculta vastitudine, ut Pacuvius in Teucro. *Dac.* Inde scrupedae. Vide Varron. V. (VII. p. 346. Sp.) Nonium (pag. 169. Merc.) in *Scraptas. Goth. In Andromacha.* Ita apud Nonium (pag. 169. Merc.) in *Scapres.* Alii *in armorum iudicio* legunt. *Idem.*

Scrautum. Scorteum. A Graeco γρῦτον *scrutum*, *scrotum* et *scrautum*. Fest.: *Scrautum pelliceum.* Ita legendum olim iudicavi sola coniectura ductus, quam postea mihi stabilivit codex vetus V. Cl. Iosiae Merceri, qui fuit olim Danielis, *scrautum*, inquam, habet, non *scroteum*, ut vulgo legitur, sed verum *scrautum* esse ex Graeco γωρυτός. At *Scrautum* pro *scrotum*, ut *aurichalcum* pro *orichalcum* etc. Salm. in Solin. Sed *scorteum* plane Schedae. Neque dubito eam esse veram lectionem. Scorteum autem ideo pharetra vocabatur, quia omnia, quae ex corio fiebant et pellibus, scortea dicta sunt. Verum quidem est *scrautum* dictum fuisse.

Gloss. Philoxeni *scrautum*, θήκη δερματίνη βελῶν. Sed *scrautum* pro *scrotum*, quod pro *scortum*, ut supra, contra quod viris doctissimis visum est. *Dac.*

Sceleratus campus. Sunt hic quaedam, quae ad aliud verbum pertinent, quod adhuc quaero. *Ant. Aug.* Liv. lib. VIII. sect. 15.: *Eo anno Minutia Vestalis, suspecta primo propter mundiorem iusto cultum, insimulata deinde apud Pontifices ab indice servo, quum decreto eorum iussa esset sacris abstinere, familiamque in potestate habere, facto iudicio viva sub terram ad portam Collinam dextra via strata defossa scelerato campo. Credo ab incesto id ei loco nomen factum.* Vide Dionys. et Plutarch. *Dac. Defossae.* Vide supra *Probrum virginis Vestalis. Goth.*

Scribonianum. (Ad p. 258.) *Sacellum, quod puteal appellatur, ante atria fecit Scribonius, cui negotium datum fuerat, ut conquireret sacella, atque illud consecravit, quia in eo loco fulguritum sacellum fuit, quod ignorarent fulgur conditum; quod nefas est integi, semper foramine operto coelum patet.* Vix est, ut non ita scripserit Festus. Nam cur puteal Libonis diceretur, nisi quia conditum a Scribonio Libone, cum ob neglectam bidentalium et locorum fulguritorum religionem iram Deorum vererentur incurrere Romani? Videtur ex relatione Pontificum negotium datum Scribonio Liboni a Senatu, ut diligentissime conquireret sacella. Erant autem sacella non semper alicuius dei, sed saepius fulguris; unde omnia sacella aperto tecto fuisse supra relatum est. Puteal autem impositum fuisse loco sacro conditis ibi fulguribus, ex Plinio supra in *Navia fica* retulimus. Et nunc causa patet, quare puteal Libonis dicatur. At in numismatis Libonis non sacellum, sed ara est, cui rei fidem facit etiam Dionysius (III, 71. fin.), qui ait βωμόν superimpositum ei loco fuisse. Sed, ut apparet, non tantum illa ara, sed etiam sacellum puteal dictum est ob id, puto, quia incertum erat, ubi condita erant fulmina. Duo sunt, quae te monitum velim. Unum, puteal non esse tribunal praetoris, ut voluerunt quidam. Nam tribunal gradus habebat, propterea tribunal praesidis βαθμοί vocatur a S. Luca in Actis Apostolorum, et λιθόστρωτον ab eadem mente in Evangelio. Alterum est, non esse eam aram, quae Symmachi et Christianorum Ambrosii, Prudentii aliorumque contentionibus exagitata est. Quod quidam sciolus in libris suis Variorum notavit. Id tamen tam falsum est, quam illud, quod addit, in puteali iurari solitum fuisse. Imponit omnibus Acro male intellectus, qui dixit tribunal praetoris ad puteal fuisse, non autem puteal tribunal fuisse praetoris. *Scal.* De Puteali dictum est in *Navia ficus.* Nunc caussa patet cur puteal Libonis dicatur Horatio (Ep. I, 19, 8.), nimirum quia illud procuravit Scribonius Libo. Sed perperam Scaliger, qui cum superioris aevi doctis omnibus putat Libonis puteal idem esse cum puteali, quod Cicero (de Divin. I, 17.) in comitio dicit impositum ei loco, sub quo defossa fuit novacula Navii. Utrumque enim plane diversum. Puteal comitii prope curiam fuit, Puteal Libonis prope atrium Minervae. Illud gladiatorio munere Divi Iulii sublatum. Istud usque ad extrema Romani imperii tempora durasse ex Pub. Victore et ex Persii Scholiaste colligere est. Vide Salmas. in Solin. *Dac. Ut conquireret sacella.* Fulv. Ursinus legebat: *ut coinquiret sacella*, id est purgaret, procuraret. Male. Negotium ab senatu datum fuerat Scribonio, ut conquireret sacella, id est ut loca, quae fulgure tacta fuerant, diligenter perquireret. Is igitur comperit locum, ubi fulgur olim conditum fuerat, quod ignorabatur, adeoque ut religionem loci instauraret, puteal imponendum curavit, quod *puteal Libonis* dictum est. Puteal autem hic nihil aliud est quam lapis pertusus, qui fulguritis locis imponebatur, quia, ubi fulgur conditum, locum integi nefas esset, eumque foramine desuper aperto esse oporteret. *Idem. Quod ignoraretur.* Haec pendent a superioribus. Ait Festus negotium a Senatu datum fuisse Scribonio, ut conquireret sacella attacta, vel quia in eo loco, ubi postea puteal fuit, iam scibant sacellum fuisse. Vel, ut alii dicunt, quod ignoraretur, ubi fulgur conditum fuerit. Et ideo fieri posset, ut locus contra religionem tegeretur; nefas enim fulguritum locum integi, quare cum scitur, foramine aperto semper ibi coelum patet. Haec est vera huius loci expositio. *Idem. Fulgur conditum.* Fulgur condere dicebantur Augures sive Pontifices, cum reliquias fulguris condebant, defodiebant. Vetus interpres Iuvenal. ad illum versum (VI, 587.):

Atque aliquis senior, qui publica fulgura condit.

Condi fulgura dicuntur, inquit, *quotiescumque Pontifex dispersos ignes in unum redigit quadam tacita ignorataque prece, et locum aggestione consecratum it.* Citat deinde Lucani versus notissimos (Lucan. I, 584. seq. 606. seq.). Sed illud ridiculum de ignibus fulminis dispersis colligendis. Quod poetice dictum reor a Lucano. Per ignes autem dispersos fulminis intelligo res, quascumque tetigit et ambussit ignis aut scidit, et quocunque alio modo violavit. Sic ex quodam Pausaniae loco lib. I. Eliac. colligo, res fulguritas in urna impositas apud Graecos condi solitas fuisse et operculo tegi. At vetus interpres Persii aliter exponit hanc fulguris condendi rationem. *In usu*, inquit, *fuit, ut Augures vel Aruspices adducti de Etruria certis temporibus fulmina transfigurata in lapides infra terram absconderent, cuius in patratione rei oves immolabantur.* Lego: *cuius*

res, et nihil aliud erat, quam ius nunciandi magistratui, de eo, quod viderant. De hac Cicero Philipp. II. sect. 32. Invenies tamen *obnunciationem* positam pro *nunciatione*, ut in I, (29.) de Divin. De spectione Varro lib. V. de L. L. (VI. pag. 258. seq. Sp.): *Spectare dictum ab specio antiquo: quo etiam Ennius usus: vos Epulo postquam spexit. Et quod in auspiciis distributum est, qui habeant spectionem, qui non habeant, et quod in auguriis augures dicunt, avem specere.* Vide Manut. de rebus per epistolam quaesitis lib. I. Ep. 9. *Dac. Respici* quoque avis auguribus dicebatur. Vide supra *Respice avis. Goth.*

Scripturarius ager. (Ad p. 257. seq.) Populi Romani tria fuere vectigalia: decima, portorium et scriptura. *Decima*, quod ex agricultura capiebatur, quia agri ea tantum lege aratoribus dabantur, ut decimas populo Rom. penderent. *Portorium*, quod ex importatione et exportatione mercium. *Scriptura* denique, quod ex pecore. Nam cum silvae essent populi Romani, qui in silvis publicis pecus pascebant, numerum pecoris apud Publicanum, qui silvas illas redemerat, profitebantur et contra publicanus in codices eundem numerum referebat, et in singula capita certam pecuniam pro pastione ab aratore exigebat. Et inde ille ager scripturarius dicebatur. *Dac.* Adde Nonium I, 12, 172. (pag. 37. Merc.). *Goth.*

Scribas proprio nomine. (Ad p. 258.) Scribae dicebantur doctores quilibet et viri docti, ut Graece γραμματεῖς. Sic in sacris literis scribae doctores legis. Hoc nomen postea datum scribis publicis, quos vulgo dicimus *notaires. Dac.* Hinc scriba magistratus in l. ult. §. 17. ff. de muneribus, inde scribitus in l. 1. ff. de muneribus, vel scribatus. Vide titulum Cod. de tabulariis scribis, logographis et censualibus. *Goth. Antiqui librarios* etc. Hinc librarii horreorum, caducorum, depositorum, in iure l. ult. ff. de iure immunitatis. Scripturarios vocat Nonius et Tabularios, quorum fit mentio in l. 18. §. 10. ff. de muneribus, qua in lege recensentur Archeotae et logographi. His adde librarios, calculatores et rationarios, de quibus in l. 15. §. 5. ff. de excusationib. tutorum. *Idem.*

Scraptae dicebantur. Apud Varronem (lib. VII. pag. 346. Sp.) legitur *scranciae*, vel, ut in nonnullis *scraciae* et *scractiae*, apud Nonium *scraptae*. Scraptae autem vel scractiae Scalig. deducit ab antiquo *scracere*, hoc est *excreare*. Plaut. in Nervolaria:

Scraptae, scrupedae, strictivellae, tantulae.

Turnebus vero *scraciae* amplectitur, ut sint quasi *screaciae*, hoc est, non minus quam screa et sputa, contemnendae. *Dac. Rectius mecastor.* Sic distinguendum Titinnii distichon:

Rectius mecastor Piculetae postumae
Lectum hodie stratum vidi scraptae mulieris.

Idem. Adde Nonium (pag. 169. Merc.) in *Scraptas* et Varronem (lib. VII. pag. 346. Sp.). *Goth. Excreare.* Adde Nonium (pag. 175. Merc.) in *screare. Idem.*

Scrutillus (ita enim Scaliger.). Veteres editiones *Scrutillus*, quod verum est. Isidorus: *Scrutillus ventriculus fartus. Scal.* Plauti locus desperatus. Lego tamen: *si quid essem* etc. *Scrutillus* a *scrutulus. Scrutulus* autem a *scrutus*, sive *scrutum. Dac.*

Spinther. Plaut. in Menaech.: *Iubeasque spinther novum reconcinnarier. Ant. Aug.* Graecis ἀκροχέριον. Priscian. (V, 3. pag. 177. tom. I. Krehl.). Plauti locus est ex Menaech. Act. III, sc. 3, (4.). *Dac.*

Scrupi. Scrupus a Graeco σκίῤῥος. Scrupi saxa aspera, invia, naufragiis infamia. Versum Ennii affert Nonius (pag. 169. ed. Merc.) in *Scapres:*

Scrupeo investita saxo atque ostreis quam exceperant.

Festi scriptura propius a vera recedit. Legendum enim:

Scrupeo investita saxo atque ostreis, squale scapre.

Queritur Andromeda se desertis locis ceto expositam, saxis asperis atque ostreis undique circumdatam, squale scabreque et inculta vastitudine, ut Pacuvius in Teucro. *Dac.* Inde scrupedae. Vide Varron. V. (VII. p. 346. Sp.) Nonium (pag. 169. Merc.) in *Scraptas. Goth. In Andromacha.* Ita apud Nonium (pag. 169. Merc.) in *Scapres.* Alii *in armorum iudicio* legunt. *Idem.*

Scrautum. Scorteum. A Graeco γρῦτον *scrutum*, *scrotum* et *scrautum*. Fest.: *Scrautum pelliceum.* Ita legendum olim indicavi sola coniectura ductus, quam postea mihi stabilivit codex vetus V. Cl. Iosiae Merceri, qui fuit olim Danielis, *scrautum*, inquam, habet, non *scroteum*, ut vulgo legitur, sed verum *scrautum* esse ex Graeco γωρυτός. At *Scrautum* pro *scrotum*, ut *ourichalcum* pro *orichalcum* etc. Salm. in Solin. Sed *scorteum* plane Schedae. Neque dubito eam esse veram lectionem. Scorteum autem ideo pharetra vocabatur, quia omnia, quae ex corio fiebant et pellibus, scortea dicta sunt. Verum quidem est *scrautum* dictum fuisse.

Gloss. Philoxeni *scrautum*, *θήκη δερματίνη βελῶν.* Sed *scrautum* pro *scrotum*, quod pro *scortum*, ut supra, contra quod viris doctissimis visum est. *Dac.*

Sceleratus campus. Sunt hic quaedam, quae ad aliud verbum pertinent, quod adhuc quaero. *Ant. Aug.* Liv. lib. VIII. sect. 15.: *Eo anno Minutia Vestalis, suspecta primo propter mundiorem iusto cultum, insimulata deinde apud Pontifices ab indice servo, quum decreto eorum iussa esset sacris abstinere, familiamque in potestate habere, facto iudicio viva sub terram ad portam Collinam dextra via strata defossa selerato campo. Credo ab incesto id ei loco nomen factum.* Vide Dionys. et Plutarch. *Dac. Defossae.* Vide supra *Probrum virginis Vestalis. Goth.*

Scribonianum. (Ad p. 258.) *Sacellum, quod puteal appellatur, ante atria fecit Scribonius, cui negotium datum fuerat, ut conquireret sacella, atque illud consecravit, quia in eo loco fulguritum sacellum fuit, quod ignorarent fulgur conditum; quod nefas est integi, semper foramine aperto coelum patet.* Vix est, ut non ita scripserit Festus. Nam cur puteal Libonis diceretur, nisi quia conditum a Scribonio Libone, cum ob neglectam bidentalium et locorum fulguritorum religionem iram Deorum vererentur incurrere Romani? Videtur ex relatione Pontificum negotium datum Scribonio Liboni a Senatu, ut diligentissime conquireret sacella. Erant autem sacella non semper alicuius dei, sed saepius fulguris; unde omnia sacella aperto tecto fuisse supra relatum est. Puteal autem impositum fuisse loco sacro conditis ibi fulguribus, ex Plinio supra in *Navia fica* retulimus. Et nunc causa patet, quare puteal Libonis dicatur. At in numismatis Libonis non sacellum, sed ara est, cui rei fidem facit etiam Dionysius (III, 71. fin.), qui ait *βωμόν* superimpositum ei loco fuisse. Sed, ut apparet, non tantum illa ara, sed etiam sacellum puteal dictum est ob id, puto, quia incertum erat, ubi condita erant fulmina. Duo sunt, quae te monitum velim. Unum, puteal non esse tribunal praetoris, ut voluerunt quidam. Nam tribunal gradus habebat, propterea tribunal praesidis *βαθμοί* vocatur a S. Luca in Actis Apostolorum, et *λιθόστρωτον* ab eadem mente in Evangelio. Alterum est, non esse eam aram, quae Symmachi et Christianorum Ambrosii, Prudentii aliorumque contentionibus exagitata est. Quod quidam sciolus in libris suis Variorum notavit. Id tamen tam falsum est, quam illud, quod addit, in puteali iurari solitum fuisse. Imponit omnibus Acro male intellectus, qui dixit tribunal praetoris ad puteal fuisse, non autem puteal tribunal fuisse praetoris. *Scal.* De Puteali dictum est in *Navia ficus.* Nunc caussa patet cur puteal Libonis dicatur Horatio (Ep. I, 19, 8.), nimirum quia illud procuravit Scribonius Libo. Sed perperam Scaliger, qui cum superioris aevi doctis omnibus putat Libonis puteal idem esse cum puteali, quod Cicero (de Divin. I, 17.) in comitio dicit impositum ei loco, sub quo defossa fuit novacula Navii. Utrumque enim plane diversum. Puteal comitii prope curiam fuit, Puteal Libonis prope atrium Minervae. Illud gladiatorio munere Divi Iulii sublatum. Istud usque ad extrema Romani imperii tempora durasse ex Pub. Victore et ex Persii Scholiaste colligere est. Vide Salmas. in Solin. *Dac. Ut conquireret sacella.* Fulv. Ursinus legebat: *ut coinquiret sacella*, id est purgaret, procuraret. Male. Negotium ab senatu datum fuerat Scribonio, ut conquireret sacella, id est ut loca, quae fulgure tacta fuerant, diligenter perquireret. Is igitur comperit locum, ubi fulgur olim conditum fuerat, quod ignorabatur, adeoque ut religionem loci instauraret, puteal imponendum curavit, quod *puteal Libonis* dictum est. Puteal autem hic nihil aliud est quam lapis pertusus, qui fulguritis locis imponebatur, quia, ubi fulgur conditum, locum integi nefas esset, eumque foramine desuper aperto esse oporteret. *Idem. Quod ignoraretur.* Haec pendent a superioribus. Ait Festus negotium a Senatu datum fuisse Scribonio, ut conquireret sacella attacta, vel quia in eo loco, ubi postea puteal fuit, iam scibant sacellum fuisse. Vel, ut alii dicunt, quod ignoraretur, ubi fulgur conditum fuerit. Et ideo fieri posset, ut locus contra religionem tegeretur; nefas enim fulguritum locum integi, quare cum scitur, foramine aperto semper ibi coelum patet. Haec est vera huius loci expositio. *Idem. Fulgur conditum.* Fulgur condere dicebantur Augures sive Pontifices, cum reliquias fulguris condebant, defodiebant. Vetus interpres Iuvenal. ad illum versum (VI, 587.):

Atque aliquis senior, qui publica fulgura condit.

Condi fulgura dicuntur, inquit, *quotiescumque Pontifex dispersos ignes in unum redigit quadam tacita ignorataque prece, et locum aggestione consecratum it.* Citat deinde Lucani versus notissimos (Lucan. I, 584. seq. 606. seq.). Sed illud ridiculum de ignibus fulminis dispersis colligendis. Quod poetice dictum reor a Lucano. Per ignes autem dispersos fulminis intelligo res, quascumque tetigit et ambussit ignis aut scidit, et quocunque alio modo violavit. Sic ex quodam Pausaniae loco lib. I. Eliac. colligo, res fulguritas in urna impositas apud Graecos condi solitas fuisse et operculo tegi. At vetus interpres Persii aliter exponit hanc fulguris condendi rationem. *In usu*, inquit, *fuit, ut Augures vel Aruspices adducti de Etruria certis temporibus fulmina transfigurata in lapides infra terram absconderent, cuius in patratione rei oves immolabantur.* Lego: *cuius*

impetratione rei etc. Salmas. in Solin. *Dac. Ante atria.* Ante attia. Nam et ita infra in *Tablinum. Goth.* Vide *Conditum*, *Fulguritum* et *Bidental. Goth.*

Sceleratus vicus. Varro lib. IV. (lib. V. pag. 159. Sp.): *Prope hunc* (vicum Cyprium) *vicus sceleratus dictus a Tullia, Tarquinii Superbi uxore, quod ibi cum iaceret pater occisus, supra eum ut mitteret carpentum mulio, iussit.* Vide Liv. lib. I. sect. 48. *Dac.* Vide supra in *Orbius clivus. Goth.*

Scelerata porta. Scelerata porta appellatur a quibusdam Carmentalis, qui norunt, quod ei proximum Carmentae sacellum fuit. Scelerata autem, quod per eam sex et trecenti Fabii cum clientium millibus quinque egressi adversus Hetruscos ad amnem Cremeram omnes sunt interfecti. Qua ex causa per eam portam intrare egredive nefas habetur. Ovidius (Fast. II, 201.):

Ire per hanc noli, quisquis es, omen habet.

Et:

Porta vacat culpa; sed tamen omen habet.

Scal. Vide *Religioni est quibusdam porta Carmentali egredi.* Ceterum scelerata est *infelix*, *infausta. Scelus* enim est infelicitas. Hoc dico, quia in hac voce exponenda a quibusdam peccatum est. *Dac. Scelus* Schuld, Schelde; a Sceltan, sculdan. Cum quibus etiam *culpa* v. cognatum. Cf. Doederlin. Lat. Syn. et Etym. II. p. 151.

Schedia. Subintelligitur *navis.* Schedia navis subito compacta a Graeco σχεδόν prope, unde σχέδιον vocatur, quicquid subito et tumultuarie factum est. Eustath. pag. 516. Edit. Rom.: *Τὸ σχεδὸν ἀεὶ παρ' Ὁμήρῳ ἀντὶ τοῦ ἐγγὺς λαμβάνεται, ἀφ' οὗ καὶ σχεδία ἡ δι' ὀλίγου συμπαγεῖσα ναῦς καὶ σχέδιον τὸ αὔθωρόν. Dac. Unde Schedia usus.* Optime Schedae: *Unde Lucilius quoque.* Ad illud Lucilii respexisse videtur Petron. (c. 4.): *Sed ne me putes*, inquit, *improbasse schedium Lucilianae improbitatis, quod sentio et ipse carmine effingam. Dac.* Glossis: *Schedia καμουλκίς. Goth.*

Sexagenarios. (Ad p. 259.) Hoc a multis traditum est, et quae reliqua sunt, satis ostendunt, qua de re agatur. Cicero pro Sexto Roscio (cap. 35.): *Habeo etiam dicere, quem contra morem maiorum minorem annis LX. de ponte in Tiberim deiecerit.* Varro lib. VI. de L. L. (VII. pag. 329. seq. Sp.). Ovid. lib. V. Fast. (625.). Macrob. lib. I. Saturn. (cap. 5.). Plutarch. in Problem. (Quaestt. Rom. cap. 32.) et Non. Marc. (pag. 523. Merc.). Vide *Depontani. Ant. Aug.* Vulgata quidem historia seu fabula, et a veteribus diversis opinionibus agitata. Tamen non ita puto apertum esse, quid velit Festus, ut non ex eo eruantur quaedam, quae apud nullum alium auctorem legas, ut apparebit ex eius contextu ita: Sexagenarios de ponte mitti olim dicebatur. Cuius caussam Manilius hanc affert: quod qui incoluerint primi loca urbis hominem sexaginta annos natum Diti patri quotannis immolare solebant, idque facere eos destitisse adventu Herculis. Sed religione veteris moris scirpeas hominum effigies eos tantummodo mittere de ponte. Alii aiunt, morante in Italia Hercule, quod quidam eius comitum habitaverint secundum ripam Tiberis atque Argeos se vocaverint ab Argis: quorum p. ro. memoriam redintegrari, eo gente Graecia legatum quendam Argaeum cum iis Romae moratum esse; is ut obierit, institutum a sacerdotibus, ut effigies scirpea ex omnibus, cum, quae publica erant, nunciavisset, per flumen ac mare in patriam remitteretur, postquam munus suum, cuius causa publice missus erat, nunciavisset. Hoc enim est: *postquam quae publica erant, nunciavisset.* Ex quibus apparet sine ulla controversia sacerdotes quaedam dicis caussa nomiae legati fari solitos, cum illam effigiem emitterent, quod apud nullum alium auctorem scriptum reperias. *Scal.* Priorem Manilii sententiam tangit Ovid. V. Fast. Sed Saturno, non Diti ait immolatos fuisse (625. seqq.):

Fama vetus, tunc cum Saturnia terra vocata est,
Talia fatidici dicta fuere senis:
Falcifero libata seni duo corpora, gentes,
Mittite, quae Tuscis excipiantur aquis.
Donec in haec venit Tirynthius arva; quotannis
Tristia Leucadio sacra peracta modo.
Illum stramineos in aquam misisse Quirites
Herculis exemplo corpora falsa iaci.

De Argeis comitibus Herculis vide in *Argei* et *Argeos. Dac. Per pontem coeperunt.* De pontibus, qui ab septis comitialibus ad Diribitorium et villam publicam suffragantes traducebant, nota res est. *Idem. Cuius sententiae.* Et Ovid. V. Fast. (v. 637. seq.):

Pars putat, ut ferrent iuvenes suffragia soli
Pontibus infirmos praecipitasse senes.

Et Varro de vita pop. Ro. libro II. (apud Non. pag. 523.): *Honestam causam gloriosamque patefecerit, cum in quintum gradum pervenerant atque habebant IX. annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi atque otiosi, ideo in proverbium quidam putant venisse, ut diceretur sexagenarios de ponte deiici oportere, id est quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebant.* Vide Victorii Varr. lect. lib. XVIII. cap. 7. *Dac.* Vide Nonium in *Sexagenarios* XII. n. 22. (pag. 523. Merc.). *Goth.* Quod ad pontes attinet, pontes mensae erant angustissimae pedibus altioribus, singulae singulis tribubus attributae, in comitio vel foro ad tempus positae, quibus suffragiorum cistae imponebantur. De quibus vide Ciceronem III. de Legg. (c. XVII, 39.). Plutarch. in Mario (pag. 407. Wechel.). *Idem.* Vide Dionys. lib. I. (c. 38. fin. pag. 30). *Idem.* Cf. *I. Fr. Wagneri* dissertatio: Quaeritur quid sit: Sexagenarium de ponte, edita Lunaeburgi 1831.

Sexus. In veteri libro est *secus* initio, tamen in exemplis *sexus.* Charis. lib. I. (pag. 61. ed. P.) scribit: *Secus neutri generis nomen, unde et Sallustius virile secus dixit, hoc est virilis sexus, quod per omnes casus integra forma declinatur. Fit secus et adverbium, quod significat aliter. Ant. Aug.* Corruptissimus locus. Lege: *Sexus, aliter sexu, natura habitusque ex Graeco* etc. *Afranius in Privigno:*

Sic ait:
Orbus virile sexu adoptavit sibi.

Sallust. Histor. lib. II.: At Metellus in ulteriorem Hispaniam post annum regressus. Magna gloria concurrentium. Undique virile et muliebre sexu per vias et tecta omnium visebatur. Sisenna Hist. lib. IV.: Tum in muro virile ac muliebre sexu, populi multitudine omni collecta. Quae omnia corrupte leguntur apud Nonium (pag. 222. Merc.). In veteri scriptura hic legebatur *Secus*, quod etiam usurparant veteres. Sed non propterea hic ita legendum. Ausonius (Eidyll. 70.):

Iuno, Ceres ac Vesta, secus muliebre sorores.

Item:

Nota Caledoniis naribus muliere secus
Strix.

Sexu ergo neutri, *sexus* masculini. Sic genus et genu, gelus et gelu, cornus et cornu. *Scal.*

Simpludearia. Notae D. T. significant *Duntaxat.* Infra: *Simpludearia funera sunt, quibus adhibentur D. T. ludi,* h. e. duntaxat. *Scal.* De his non nihil attigimus in Ausonianis lectionibus. Dicta quasi *simpliludiaria*, quia simpli ludi adhiberentur, hoc est saltatores vel cernuatores, de quibus supra diximus: quos *cernuatores* hic Verrius vel Festus vocat Corbitores, more scribendi antiquitus imperitis librariis usitato, qui b cum v et contra commutabant. *Corvitores* enim sine dubio dicendum erat. Qui enim gestus Cernuantium, ut modo sursum, modo deorsum spectent, is et *corvorum* est, et cornicum ac monedularum, quae ubi pedibus aliquem locum insistunt, modo ἀνανεύουσι, modo ἐπινεύουσι. Hinc elegantissime de mulieribus cibo se ingurgitantibus ad mensam Plautus Casina dixit (IV, 1, 20):

Ego novi illas estrices, corvitant, ubi
Comisse possunt.

Quamquam scio Turnebum mutasse, sed frustra. Has notas D. T. *duntaxat* significare supra in Senacula admonuimus. Caussae igitur non est, cur doctis viris hic de mendo suspectus locus esse debeat. Simpludeariis ergo simpli Ludii duntaxat adhibebantur, qui et *Corvitores*, seu cernui, ut est apud Servium (pag. 639. B. ed. Dan.), dicuntur. Indictivis et ludii et desultores ac etiam ludorum quaedam genera. Cicero de Legibus lib. II, (24, 61.): *Funus ut indicatur siquid ludorum dominusque funeris utatur accenso atque lictoribus. Scal.* Opponuntur indictivis, in quibus et ludii et desultores ac etiam ludorum quaedam genera. At in simpludiariis simpli ludii. Unde nomen; dicta enim quasi *simpliludiaria.* Simpli ludii autem, id est saltatores vel cernuatores. Sed mirum est, ni hic fallitur vir doctissimus, ac ni potius *corbitores* a corbitis dicti illi proprie fuerint, qui per corbitarum, hoc est navigiorum malos repebant ad vela legenda, vel ad aliud quid, ita ut ea vox postea ad funambulos sit translata. De *corbitis* vide suo loco. *Dac. Indictiva.* Vide supra *Indictivum funus. Goth.*

Sex suffragia. (Ad p. 259. seq.) Innuit sex centurias adiectas priori centuriarum numero *sex suffragia* dictas, sed nihil tale unquam in antiquitate Romana me legisse arbitror. *Dac.* Cf. Niebuhr. Histor. Rom. tom. I. pag. 239. coll. II. pag. 36. not. 38. pag. 170.

Sestertius. Hic semper fuit quarta pars denarii. Sed quo tempore denarius decussi, id est decem assibus aestimabatur, tum sestertius dupondio et semisse permutabatur. At cum sexdecim assibus denarius aestimatus est, sestertius quattuor asses valuit. Videndus Plinius lib. XXXIII. cap. 3. Vitruv. lib. III. cap. 1.

Maecian. in libro de asse. *Ant. Aug.* Idque a Servio rege usque ad primum bellum Punicum. At quum denarius sedecim assibus aestimari coeptus est bello Punico primo, tunc sestertius quatuor assibus permutatus. Denarius prior et minor fuit assium decem, hoc est Turonicorum denariorum duorum supra quadraginta, seu solidorum nostrorum trium ac semissis; sestertius minor denariolorum Turonicorum decem et oboli circiter. Denarius vero maior et posterior fuit assium sedecim, hoc est Turonicorum denariolorum sexaginta septem et quintae unius: sestertius maior assium quatuor, Francicorum denariolorum sedecim et quintarum quatuor. *Dac.* Cf. Gronov. de pecunia vetere pag. 4. — Post v. *Sestertius* in Paulli Epitome sequuntur plura vocabula, quae in Fragmentis Festi desiderantur; unde intelligitur, lacunam esse apud Festum fere unius plagulae.

Sex millium. Romulus legionem instituit hominum MMM.; regibus eiectis fuit MMMM., eam postea Marius cum in provinciam Numidiam iret, sex millium et ducentorum hominum conscripsit. In veteribus tamen legas ante Marium auctas saepissime legiones, sed id tum extraordinarie factum fuisse putandum est, et necessitate aliqua suadente. *Dac.* Cf. *Creuzer* Autt. Rom. pag. 282. 290. seq. et ibi citatos vv. dd.

Sibus. Vide *Persibus. Dac.*

Sic versantu . . . . (Pertinent haec ad voc. *Sucula*, ad pp. 243. et 671.) Locus difficilis interpretem desiderat. *Ant. Aug.* Haud dubie est fragmentum de Sucula, quod est lignum transversarium teres utrinque capitulis cardinatis in duo arrectaria immissum, paxillisque versatum, circa quod ductarius funis volvitur ad sustollenda aut molienda onera, ut lapides et alia. De Sucula etiam alibi loquitur. *Scal.*

Sed. Docti viri emendant *Se*, quia scilicet videbant *se dolo malo* dici. Verum tamen et *sed* pro *sine* veteres dicebant. Cuius rei fidem fecerit vetustissima lex, quae extat in Bibliotheca Regia: *Ei primo quoque die quaestorem solvere iubeto, quaestorque eam pequniam eis sed fraude sua solvito.* Item in columna Duillia semper legitur *altod, marid, dictatored.* Vide in *Suad ted.* Quare nihil mutandum. *Dac.*

Sibina. Melius *Sibyna.* Hesych.: *Σιβύνη, ὅπλον δόρατι παραπλήσιον.* Gloss. Cyrilli *Σιβύνη* venabulum, et Gloss. Philox. *Venabulum, σιβύνη.* Male edit. *σηβήνη. Dac. Illyrici.* Lege: *Illyrici restant sicis sibynisque fodantes.* Vide *fodare. Idem.* Fortasse id teli genus, quod Gell. X. c. 25. *scibones* nuncupat. *Goth.*

Sediculum. A sede *ὑποκοριστικῶς* sediculum. *Dac.*

Sudiculum. Forsan diminutivum a *sudes.* Male qui *sedaculum. Dac.*

Sectarius vervex. Quasi sectae princeps, quia gregem ducit. Plaut. Capt. (IV, 2, 40.):

Qui petroni nomen induunt verveci sectario.

Dac. Sed vide interpp. ad Plauti locum c. qui vervecem intelligunt, cui exsecti sunt testiculi.

Secespitam. Vide infra.

Sicilicum. Frustra in peregrino verbo Latinam etymologiam rimatur. Est enim Syrum. *Scal.* Quarta pars unciae. Budaeus in lib. de asse: Post haec sequitur drachma, octava pars unciae, quae ipsa geminata sicilicum efficit. *Sicilicus* ab Hebraeo *sçekel* (שֶׁקֶל) *siclus. Dac.*

Secessiones. Secere, dicere: Inseque musa virum versutum. Livius Andronicus principio Odysseae. *Scal.* Vide supra *Inseque.* Glossis *inseque εἶπε*, et *inseco* narro. *Goth.* Numerosa est ac per omnes sermones Indogermanicos propagata verborum prosapia, quae h. l. a Paullo tangitur. Subest omnibus reliquis Sanscrita radix *ăh* sive *âh.* Ab ea proxime descendit Latinorum *aio*, cum quo arcte cohaeret Gothorum *aika*, dico, cui proximum est Latinorum *seco*, *sequor*, quicum convenit Germanorum *sagen*, *zeggen*; conferenda est etiam Latinorum *Saga.* Maxime remotum est Graecorum *ἔπω*, *ἔπος*; sed quemadmodum constat, Graecorum *ἔπω*, *ἕπομαι* i. e. *ἀκολουθῶ*, et Latinorum *sequor* esse cognatissima, ita nec dubium esse potest *ἔπω* et *seco* et *sagen* esse verba eiusdem originis. A *seco* est *secessere*, desiderativum, unde *secessio* i. q. narratio. Cf. praeter alios A. Gellium N. A. XVIII, 9. ibique interpp.

Sicilices. Scribendum *Siciles* ex A. Gell. lib X. cap. 20. *Fulv. Urs.* Glossarium: *Sicila*, *σμίλα*, *ἀρβήλιον*. *Sicilum*, *ξυρὸν σκυτέως*. *Sicila σμίλα χαρτοτόμος*. Est autem vox magnae Graeciae, eo nomine intelligebant quicquid secandi vim habet, inde Sicilia dicta, quia ab Italia absecta. Inde *Sicilire prata*, secare. *Scal.* Puto potius esse diminutivum a *sica*, *sicela*, *sicila*, *sicilis*, *sicilire*, quod est secare apud Servium. Sica autem brevis gladius et incurvus, quare *sicila* dictus culter sutorius, quod in modum sicae esset incurvus. Inde *siciles* sibynarum aut lancearum spicula dixit Ennius:

Incedit veles volgo sicilibus latis.

Sic enim potius lego, quam *sicilicibus*, ratio est, quod prior syllaba in *sicilicibus* brevis est, quae longa esse debet a *sica.* Vide, quae notavit Salmas. hist. August. t. II. Ennii versum quidam sic legunt:

Incidit miles volgam sicilicibus latis.

Sed contra Festi auctoritatem. *Dac.*

Sectio et sectores. Ascon. lib. III. Verrin. (pag. 84. ed. Lugd.) sectorem dicit aestimatorem redemptoremque bonorum damnati atque proscripti, qui spem sectans lucri sui bona omnia auctione vendit, et semel infert pecuniam vel aerario vel sociis. Sectio autem est ea redemptio. Cicero Philipp. II. (c. 26.): *Hasta posita pro aede Iovis Statoris, bona Cn. Pompeii Magni voci acerbissimae subiecta praeconis. Qui ad illud scelus sectionis auderet accedere, inventus est nemo praeter Antonium.* Et postea: *Cum sector sis isto loco natus;* deinde: *cum Cn. Pompeii sector, non te exsecrandum populo Ro.* etc. Ex his vides Pauli epitomen nimis concisam esse in horum verborum interpretatione. *Ant. Aug. Sectio.* Ipsa actio, cum scilicet alicuius bona publicantur. Cicero Philipp. II. (c. 26.): *Exspectantibus omnibus quisnam esset tam impius, tam demens, tam diis hominibusque hostis, qui ad illud scelus sectionis auderet accedere, inventus est nemo praeter Antonium, praesertim cum tot essent circa hastam illam, qui alia omnia auderent. Dac.* Vide infra *Sectores. Goth.*

Secundae res. Hoc est prosperae. Nam *secundus* pro *prospero* dicitur a sequendo. *Secundus* vero de numero, a *secundum*, quod a *secus.* Haec fuit Pauli vel Festi sententia. Quamquam et utraque notione *secundus* a sequendo recte deducitur. *Dac.*

Sinciniam, cantionem solitariam. Lego: *Sicinium cantionem solitariam.* Gloss.: *Sicinium dicitur quasi singularis cantilenae vox, id est cum unus canit, quod Graecis μονῳδία dicitur; quum vero duo, bicinium; quum multi, chorus.* Fuit olim cum legendum putarem: *Sicinnium cantionem saltatoriam*, ex Hesych. et Athenaeo, qui Sicinnium interpretantur saltationem Satyricam. Unde Gell. lib. XX. cap. 3. Quos sicinistas vulgus dicit, qui rectius locuti sunt Sicinnistas litera *n* gemina dixerunt. Sicinnium enim genus veteris saltationis fuit. Saltabundi autem canebant, quae nunc stantes canunt. Sed nunc sententiam demuto. Sicinium, ut optime Meurs. in exercit. Crit. Part. II. cap. 5., est cantio sine cantu, cum fides tantum canunt sine voce. *Assae tibiae.* Cui contrarium *Assa vox. Dac.*

Sectores. Neque haec satis declarant, quid sit *sector*, neque auctor Glossarii: *Sector βιώνης. Scal. Sectores* a sequendo ii sunt, qui, ut Asconii (pag. 84. ed. Lugd.) verbis utar, qui spem lucri sui secuti, bona condemnatorum semel auctionabantur, proque his pecunias pensitabant singulis, in posterum pro compendio suo singula quaeque pecunia populo vendituri. *Sectores* vero a secando dicuntur, qui aliquid secant. Ad utramque significationem allusit Cicero (pr. Rosc. Am. 29.) *Sectores collorum ac bonorum,* ubi male quidam codd. habent *sectatores. Dac.*

Sicyonia. Genus calciamenti muliebris. Cicero I. de Orat. (c. 54.): *Ut si mihi calceos Sicyonios attulisses, non uterer, quamvis essent habiles et apti ad pedem; sed non viriles.* Hesych. *Σικυόνια, ὑποδήματα γυναικεῖα.* Sicyonia a Sicyone in Peloponneso. In versu Lucilii: *Honesta*, id est pulchra. Sic alibi dixit idem *plantas convestit honestas.* Et Virg. *pectus honestum* (Aen. XII, 155.). *Dac.*

Simultas. Potius a *simul* simultas, ut a *facul* facultas. *Simul* autem pro *simile*, ut *facul* pro facile. Vel *Simultas* pro similitas, quod a similitudine studiorum simultas oriatur. Voss (in Etym sub v.). *Dac.* Gloss.: αἰτιπελιτεία ἔχθρά, ἀπέχθεια. *Goth.* Recte Doederlinus Syn. et Etym. Lat. III. pag. 71. seqq. *simultas* et *aemulus* voces componit et eiusdem esse originis ait, quem cf.

Sementivae. Sementinae feriae. Conceptivae erant, non statae. Varro lib. V. (VI. pag. 207. ed. Sp.): *Sementinae feriae dies is, qui a Pontificibus dictus, appellatur a semente, quod sationis causa susceptae.* Die XXIV. Ianuarii celebrabantur. Et tunc sacra in aede Telluris Telluri fiebant et Cereri. Vide Ovid. lib. V. (Fast. I, 659.) et Varro de re rust. lib. I. cap. 2. *Dac.* Macrob. I, 16. *Goth.*

Simpulum. Glossae: *Simpulum, κύαθος.* Simpulones hinc, qui sponsum convivia discurrentem comitantur. Succius Piscatoria (apud Fulgentium pag. 566. ed. Merc.):

Summates viri facti sunt simpulones ganei.

Isidorus in Glossis: *Simpulator, conviva: amicus sponsi assiduus cum eo in convivio. Scal.* Varro lib. IV. de L. L. (V. pag. 129. Sp.) a sumendo, hoc est bibendo, simpulum. *Quo vinum dabant,* inquit, *ut minutatim funderent, a guttis guttum appellarunt. Et quo sumebant minutatim a sumendo simpulum nominavere. In huiusce locum in conviviis e Graecia successit Epichysis et cyathus. In sacrificiis remansit guttus et simpulum.* Scaliger a Syriaco *sephel*, *sempel simpulum* factum dicit. Vel potius a Graeco *σίφων*, a quo *simpo*, unde diminutivum simpulum. Nam utrumque significat vasculum cum tenui fistula vel angusto collo ad pitissandum vinum, ita tamen, ut Latini suo simpulo ad sacra tantum uterentur, Graeci vero *τῷ σίφωνι* ad gustandum in caupona vinum. Quare et *meraria* et *gustatorium* dicebatur. *Dac.* Vide Tertull. cap. 13. Apolog. Alii legunt *sympinium* ex Arnob. III, 6. Alii *Sympuvum* ex Iuvenale, unde *Simpulones*, alii *simpuvium*, de quo vide Nonium (pag. 544. Merc.) in *Simpuvium. Goth.*

Senaculum. Senaculum vocatum, ubi Senatus, aut ubi Seniores consisterent, dictum ut γερουσία apud Graecos. Varro lib. IV. de L. L. (V. pag. 155. ed. Sp.). *Dac. Unum, ubi nunc est aedis Concordiae.* Meminit Varro loco supra citato: *Senaculum supra Graecostasin* (Plin. XXXIII, 2. *Goth*), *ubi aedes Concordiae et Basilica Opimia.* Infra notae D. T. significant *Dumtaxat:* male igitur, qui earum loco substituunt D. R. hoc est *de Rep.* vel eas interpretantur *dicit Titinnius. Idem. Alterum ad portam Capenam.* Liv. lib. XXIII. (c. 32.): *Consules*, inquit, *edixerunt, quoties Senatum vocassent, uti Senatores quibusque in Senatu dicere sententiam liceret, ad portam Capenam convenirent. Idem. Tertium citra aedem Bellonae.* Quid? *citra aedem Bellonae?* Imo *intra aedem Bellonae.* Liv. lib. XXXVIII. (XXVIII, 38.): *Ipse* (Pub. Scipio), inquit, *decem navibus Romam rediit: et Senatu extra urbem dato in aede Bellonae, quas res in Hispania gessisset, disseruit.* Ex quibus etiam illud animadvertitur, in ea aede non legatis tantum exterarum nationum Senatum dari solitum fuisse. Nam et Magistratibus, qui ad urbem dicebantur, datus est. *Idem.* Dixi ad Novell. de ordine sedendi, quae est LXII. Adde Gell. XIV. cap. 7. *Goth.*

Sinistrae aves. (Ad p. 260.) De sinistris, quae Latinis fausta, Graecis infausta et inauspicata, vide quae in *Scaeva* diximus. *Sinister* autem non quod sinat fieri, ut male Festus, sed a Graeco ἀριστερός, unde sinisterus, sinister. *Dac. A Deorum sede.* Pessime Fulvius Ursinus *ab auspiciorum sede.* Nihil mutandum. A Deorum sede, id est a Septentrione, ubi Deorum sedem veteres locaverunt, quod egregio Servii loco probatur ad illud Virgil. II. Aen. (IX, 631.): *Intonuit laevum. Sinistras autem*, inquit, *partes Septentrionales esse Augurum disciplina consentit. Et ideo ex ipsa parte significantiora esse fulmina, quoniam altiora et viciniora domicilio Iovis.* Sic et in sacris literis Dei Opt. Max. sedes versus Aquilonem. *Idem. At silentium dubii duntaxat.* Lege: *At silentium ubi duntaxat* etc. De silentio in Auspiciis vide supra post *silere. Idem. Ad sinistrum hortari quoque auspicia.* Hic aliquid turbatum. Lego: *At sinistrum hortari quoque auspicio ad agendum* etc. Ait sinistrum auspicio suo admittere, et ad agendum hortari, quod animo quis proposuerit. Nihil certius. *Idem. Exorientes*, quae nunquam occidunt. *Goth.* Videndus Plutarch. in Problem. (78.). *Idem. A deorum sede*, ab hospitiorum sede. Sic enim apud Varronem V. (pag. 268. Sp) de L. L. *Idem.* (Apud Varronem nunc legitur: *Auspiciorum endo sede* cet.).

Sentinare. Gellius libro XIX. cap. 1.: *Tum postea complorantibus nostris omnibus atque sentinantibus, dies quidem tandem illuxit, sed nihil de periculo atque saevitia remissum.* Ubi manifesto *sentinare* est, quod ait hic Paulus, periculum vitare. At in vulgatis codicibus contaminatissimus est locus ille. Sed proprie *sentinari* est satagere ad sentinam. Unde *Sentinatores*, quibus cura Sentinae delegata in navi. Paulinus ad Macarium de naufragio: *Unum ex omni numero nautarum senem sentinando deputant.* Item: *Quid huic, quaeso, obfuit seni persona sentinatoris et in nautis vilissima? Scal.*

Senatores. (Ad p. 260.) Senatores a Senatu, Senatus a Senibus. Ovid. V. Fast. (64.):

Nomen et aetatis mite Senatus habet.

Dac. Et nunc cum Senatores adesse iubentur, additur: quibusque in Senatu. Legerem: *nunc cum Senatores adesse iubentur, additur: quibusque in Senatu*, ut apud eos factum est, qui hunc Festi locum laudant. Tamen et eam vocem facile poteris subintelligere. Edicti autem, quo Senatores vocabantur in Curiam, solennia verba fuere: *Qui Senatores, quibusque in Senatu sententiam dicere licet.* Quae ut intelligantur, sciendum est, primum eos demum Senatores fuisse, qui a Censoribus lecti in Senatum essent, ut de summa Reip. sententiam rogati loco et modo dicerent. Deinde fuisse etiam alios, qui, quamvis a Censoribus lecti non fuissent, tamen pro iure magistratus, quem aut tum gerebant, aut ante gesserant, sententiae in senatu dicendae ius habebant. Vide plura apud Gell. lib. III. cap. 18. Eadem formula et in aliis edictis utebantur. Liv. XXIII. (locum non reperi): *P. Cornelius Cos.*, inquit, *edixit, qui Senatores essent, quibusque in senatu sententiam dicere liceret, quique minores magistratus essent, nequis eorum ab urbe abiret. Dac.* Adde Liv. XXVI. cap. 36. (nec hic locus recte citatus). *Goth. Et non vocantur Senatores ante.* Non intellexit Zamoscius de Senatu Rom. lib. I. cap. 8. Cfr. de etymologia Plutarch. Lycurg. c. 5. et 26. Cic. de Senect. 6, 20. de Rep. II, 29.

Senatus decretum. (Ad p. 260.) *Senatus consultum.* A senatus decreto ita differt, ut species a genere. Nam senatusconsultum est, quodcunque senatus de singulis pluribusve rebus aut hominibus censuit; decretum autem est, quod de singulis dumtaxat rebus hominibusque senatus constituit, ut cum alicui provincia, honos, supplicatio decernitur. Praeterea senatus decretum interdum appellabatur, cum auctoritas tantum senatus erat perscripta, id est quid senatus de re aliqua censuisset, quoniam senatus minus frequens fuisset, aut non loco, aut die legitimo habitus, aut intercessum esset, aut quid aliud censuisset, quominus iustum senatusconsultum fieret, quod postea si id ipsum senatus sine ullo impedimento statuisset, et perscri-

plum ad aerarium detulisset, *senatusconsultum* dicebatur. Frequenter tamen decretum pro senatusconsulto accipitur apud historicos et iureconsultos. *Dac.*

Senis crinibus. (Ad p. 260.) *Seni crines* dicuntur in capite matronae Romanae sex sertae crinium vitta et crinibus ipsis implexae, quas vulgus trecias vocant. Sic apud Martialem (XII, 32.):

Portabat uxor rufa crinibus septem.

Nihil aliud significat, quam capillos in septem sertas distinctos, ut videmus matronas ornatas in veteribus numismatis. Puto autem suppositiam comam hic intelligi. *Scal.* Inde Plaut. in Mostell. Act. I. sc. 3, (69.):

Soli gerendum censeo morem et capiundos crines.

Pessime vero virum alioqui doctissimum video haec *senis crinibus* accepisse, quasi matronae crinibus hominis senis ornarentur. Pessime etiam Scalig., qui ad hunc morem retulit illud Martial. (XII. 32.):

Portabat uxor rufula crinibus septem.

Nam Martialis facete uxorem rufulam calvam designat, quippe cuius capiti vix septem crines adhaereant. Gallice diceres: *Avec ses quatre cheveux. Dac. Quarum castitatem.* Ex doctorum virorum coniectura: *Quarum castitatem viris suis spondent illibatam fore a ceteris. Idem.* Idem (Plautus) in Milite (III, 1, 196.): *Adducas matronarum modo, capillo ornato, crines vittasque habeat. Goth.* Apud Plautum sic legitur: *Itaque eam huc ornatam adducas in matronarum modum, Capite comto; crines vittasque habeat.*

Sentes. Verbum *turba* mendosum esse ait Faernus. Ratio enim carminis iambum vel pyrrhichium postulat. *Ant. Aug.* Glossarium: *Sentes ἄκανθαι. Dac. Quam senticosa.* Lege, ut viri doctiss.:

Quam senticosa verba pertorquet lupa.

Versus enim trimeter est, et in fine debet esse iambus. *Lupa* autem est meretrix. Glossarium: *Lupa, ἑταῖρα καὶ λύκαινα.* Janus Gulielmus legebat: *pertorquet truo. Truones* scomma in enormis nasi homines. *Idem.*

Senium. (Ad p. 260.) Caecilii versus mendo non carent. *Ant. Aug.* Versus Caecilii, quem viri docti corruptum putant, non minus sanus est, quam qui maxime:

Sine suam senectutem ducat, utique ad senium sorbitio.

Ait Comicus poeta: *permitte ut is quiete et tranquille trahat suam senectutem. Nam certe cum ad senium pervenerit, sorbitio eum tollet.* Ubi per sorbitionem ad veterum morem allusit, qui maiorem annis sexaginta de ponte in Tiberim deturbabant, unde natum proverbium *sexagenarios de ponte*, vel, quod verius puto, ad Ceorum legem allusit poeta, qua maiores annis LIX. sorbitione cicutae e vita tollebantur, ut reliquis victus sufficeret. Huius legis meminit Menand.:

Καλὸν τὸ Κείων νόμιμόν ἐστι, Φανία,
Ὁ μὴ δυνάμενος ζῆν καλῶς, οὐ ζῇ κακῶς.

Vide Strabo lib. X. pag. 486. Edit. Casaub. Vide et Aelian. lib. III. cap. 37. Notabis praeterea in versu Caecilii senectutem esse ante senium constitutam, contra quod quibusdam visum est, qui *Senium* properatam senectutem interpretantur. *Dac.* Adde supra *Anatem* et Nonium (pag. 1. Merc.) in *Senium. Goth.* Cf. Spengel. in Caecil. Fragmm. pag 24. ubi sic est emendatus locus Caecilii: *Sine suam senéctam ducat; úsque ad senium sórbito.*

Senonas. (Ad p. 260.) Quasi *ξένους*. Alludere videtur Liv. lib. V. sect. 35. Tum Senones recentissimi advenarum ab Ufente flumine usque ad Aesim habuere. Servius (pag. 547. ed. Dan.) etiam prius *ξένους*, postea *Senonas*, quasi *ξένωνας* dictos innuit. Sed non quia novi venerunt ex Transalpina regione, sed quod Bacchum hospitio receperunt. *Senones*, inquit, *qui Senones dicti sunt, quod Liberum patrem hospitio recepissent. Dac.*

Septentriones. (Ad p. 260.) De Septentrionibus haec intelligenda sunt, de quibus Varro lib. VI. de L. L. (VII. pag. 355. Sp.): *Has septem stellas Graeci, ut Homerus, vocant ἅμαξαν et propinquum eius signum βοώτην: nostri eas septem stellas boves et triones et prope eas axem. Triones enim et boves appellantur a bubulcis etiamnunc, maxime cum arant terram, e queis ut dicti valentes glebarii, qui facile proscindunt glebas, sic omnes, qui terram arabant, a terra teriones, unde Triones ut dicerentur. E detrito, et postea: Possunt triones dici septem, quod ita sitae stellae, ut ternae trigona faciant.* Haec Varro et Gell. lib. II. cap. 21. Eadem Festus hoc loco scripserat, tantum addit Ennii versus, qui non extant. Pro his substituam denarii mentionem L. Lucretii Trionis, in quo septem stellae videntur. *Ant. Aug.* Infra: Agebatur de Trionibus et Septentrionibus: *Septentriones septem stellae appellantur a bubus iunctis, quos triones veteres appellant, quod iuncti arent terram, quasi teriones: quidam eas stellas plaustrum vocant, quod id astrum Graeci ἅμαξαν di-*

cant, quia habet partem quandam temonis specie. Ennius: superat temo stellas. Haec Festus. Intelligit autem locum Ennii ex Iphigenia, quem olim in Coniectaneis (pag. 143. ed. Steph.) illustravimus:

Quid nocti' videtur? in altisono
Coeli clupeo temo superat
Stellas, cogens sublime etiam
Atque etiam noctis iter.

Addunt viri docti in numismate veteri L. Lucretii Trionis expressam videri stellarum septem formam. Et nos quoque eiusdem L. Lucretii duos argenteos vidimus, quorum copiam nobis fecit humanissimus vir Christophorus Neytterus Augustanus. In altero erat luna corniculata et stellae cum inscriptione: *Trio Lucreti*, in altero Delphinus et inscriptio L. Lucreti Trio. *Scal.* *Triones* potius dicti a *stria,* quam proscindendo sulcos faciunt, *striones* et *s* litera deperdita, *triones.* *Dac.*

Scensas. Miror huc translatum, cum certum sit, non scaenas, sed cesnas dixisse, unde silicesnium, postea silicernium. *Scal.* Scaliger legendum putat *cesnas*, unde silicesnium, postea silicernium, ut *Valesii*, Valerii etc. Sed si quid temere mutandum sit, malim legere *scesnas.* Propius ad veterem scripturam *scensas*, id quod et doctiss. Vossio video placuisse. *Dac.* *Quae autem nunc prandia, pro coenis habebant.* Vide quae in voce *Cena* dicta sunt. Inde apud Terent. *ad coenam veniat* (Eun. II, 2, 85.), id est prandium. *Idem.* *Vesperna.* Vide infra *Vespernas.* *Goth.*

Signa. (Ad p. 261.) *Signa ut rerum, ita res ipsae sculptae aut lapides aut ferrum: et si qua sunt aliqua eiusmodi quae sculpantur etiam: sed pocula ita dicta, et simulacra ad effigies hominum conformata.* Inversum tamen *etiam. Sed pocula* pro sed etiam pocula. *Scal.* Ait Festus, signa dici ut ea quae materiae insculpuntur, ut Virg.: *Pocula aspera signis;* et materiam ipsam sculptam, lapides, marmor, ferrum etc. Virg. Georg. III, (34.):

Stabunt et Parii lapides, spirantia signa.

Ovid.: *Factum de marmore signum.* Simulacra hominum, deorum etc. Ut *Veneris signum* Plaut., *signum Adonidis* Cicer. *Dac.*

Sequester. (Ad p. 261.) Sequester is dicitur, qui inter aliquos placuit, ut, quod inter eos convenerit, teneat, idque ut ei reddat, cum id sibi deberi constiterit. Cato in ea oratione, quae inscribitur de indigitibus: *Sinunt perire, ut bona ropiant, aut si petantur, ut sequestro dent.* Et Plautus in Mercatore (IV, 3, 36.): *Imo sic sequestro mihi data est.* Haec vel huiuscemodi Festus. Vide Gell. lib. XX. cap. ult. *Ant. Aug.* Gloss.: *Sequester* μεσίτης, ἔντριτος, συνθηκοφύλαξ. *Dac.* Gloss.: μεσιτεύω *sequestro*, μεσιτεία *sequestratio.* *Goth.*

Sepulchrum. (Ad p. 261.) Sepulchrum est, ut ait Gallus Aelius, ubi mortuus sepultus est, quod antiqui bustum appellabant, isque cippis, aut aliqua alia re mortui causa designatus est, intra quos sepultura est facta. Haec est Sex. Pompeii sententia. *Ant. Aug.* Vide *Bustum.* *Dac.*

Segnitia. Terent. in Andria. *Ant. Aug.* Omnia constant ex Epitome, distinctione tamen locus ita iuvandus est: *Quod sine nitendo quid utile aut honestum?* cum interrogationis nota. Segnitiae a *se* hoc est *sine*, et *nitor*, ut *segnis* dicatur, qui non nititur ad id, quod utile est, aut honestum. Locus Terent. est Act. I. sc. 3, (1.). Vide *Secordia.* Eadem mente apud Plautum Asinar. (II, 1, 6.):

Quin tu socordiam omnem reiice et segnitiam amove.

Dac.

Signare. Scribere. Vide supra *Resignare* et *Resignatum.* Praeter significationes signandi hic enumeratas a Festo, hae videntur adiiciendae: designare, ostendere, imprimere. Vide Nonium (pag. 405. Merc.) in *Signare.* Et *Signata virgo*, integra. Vide Nonium (p. 171. Merc.) in *Signatam.* Quin apud eundem (p. 96. Merc.) *Designare* est cum nota et ignominia aliquid facere. V. l. 39. ff. de v. signif. et Raevardum V. Var. X. *Goth.* *Modo anulo signa imprimere.* V. l. 22. ff. signum. et passim ff. qui testamenta l. 1. §. si pecunia 36. ff. depositi; unde signatores et signatorius annulus. *Idem.* *Modo pecora signis notare.* Virgil. I. Georg. (263.):

Aut pecori signum, aut numeros impressit acervis.

Idem. . . . *ri dicitur*, signare dicitur. *Idem.* *Consignare.* Adde l. penult. ff. de donat. inter virum: l. ult. ff. de dote praeleg. 1. acceptam Cod. de usuris. l. 20. Cod. de pignorit. *Idem.*

Septimontium. Varro lib. V. de L. L. (VI. pag. 206. Sp.): *Dies septimontium nominatus ab iis septem montibus, in queis sita urbs est. Feriae non populi, sed montanorum modo, ut Paganalibus, qui sunt alicuius pagi.* Mirum autem est hoc loco et proximo pro septem montibus octo loca urbis enumerari, Pala-

tium, Velias, Fagutal, Suburam, Cermalum, Oppium, Coelium, Cispium montes. *Ant. Aug.* *Septimontium dies festus appellatur mense Decembri, qui dicitur in Fastis Agonalia, quod in septem montibus fiunt sacra, Palatio, Velia, Fagutali, Subura, Cermalo, Caelio, Oppio, Cispio.* Haec Festus. Nam Varro disserens de festis, quae in mensem Decembrem incidebant, ponit et inter ea Septimontium. Agonalia vero eodem mense erant propridie Idus Decembres, alia ab iis Agonalibus, quae notant Fasti mense Ianuario. Hoc tantum interest, quod Agonalia sint ante Larentinalia, Varro vero Septimontium ponat post Larentinalia. De Septimontio habes et apud Tertullianum libro de Idololatria (cap. 10.): *Etiam strenae captandae et Septimontium et brumae et carae cognationis honoraria exigenda omina.* Ex quibus apparet non solum mense Decembri fuisse, quia is est brumae mensis, sed etiam circa finem eius mensis fuisse, quia proximum sit strenae exigendae, quod fiebat Kalendis Ianuariis. Quod disertius probatur ex Suetonio in Domitiano (cap. 4.): *Congiarium populo nummorum trecentorum ter dedit, atque inter spectacula muneris largissimum epulum; septimontiali sacrorum quidem die Senatui equitique panariis; plebei, sportellis cum obsonio distributis.* Antea plane ignorabatur de hoc septimontiali die. *Scal.* Septimontium autem Romani ob inclusum pomoeriis septimum collem primum celebravere. *Dac.* Vide Plutarch. in Problem. (Quaestt. Rom. 69.). *Goth.* *Germalo.* Vide supra *Germalus. Idem.* Vide supra in *Sacrani. Idem.*

Sifus. (Ad p. 261.) Locus difficilis, qui lucem desiderat. *Ant. Aug.* *Sifunculi* in aqua ducenda usurpatum est pro tubis ipsis, id quod Graece est *σίφων*. In lege rivalitia sic est, quae lata est rogante populum Sulpitio: *Rivales montani paganive sifunculis aquam dividunto; donec inter se diviserint, eius iudicatio esto.* Aperte actio datur in eum, qui hac lege committit. *Scal.* Qui Rivales v. l. 1. §. 26. ff. de aqua quotidiana. *Goth.* *Praetoris* alii *Curatoris*, ut in lege Manilia apud scriptores de limitibus agrorum. *Goth.*

Siparium. Siparium genus veli, quo in scaena mimi utuntur, dictum ait. Hactenus possum. Reliqua quo pertineant non video. *Scal.* Aulaeae prius dicebantur, quae postea *siparia* dicta. Donat. in Prolegom. Terentii: *Aulaea quoque in scena sternuntur, quod pictus ornatus erat ex Attalica regia Romam usque perlatus: pro quibus Siparia aetas posterior accepit. Est autem mimicum velum, quod populo obsistit, dum fabularum actus commutantur.* Et dictum est *siparium* a *sipare*, id est iacere, quod velandi causa spectatoribus obsiparetur, obiiceretur, vel potius a *σίφαρος velum.* Quod et intellexit Verrius, cum scripsit *siparium a velamento dictum. Dac.* *Mimicum.* Minutum. *Goth.* Idem Isidorus XIX. cap. 13. *Idem.*

Supparum. (Ad p. 261.) *Supparum appellant dolonem, hoc est velum minus in navi, ut acation maius.* Suparum autem dictum ait Capito, velut separatum sit a dolone interioris mali. Haec *ἀναμφισβήτως* Festus. Notum est Acatium et dolonem esse genera velorum, *ἀκάτιον* quidem *μέγα ἄρμενον*, *δόλωνα* vero *μικρόν*. Notum et illud apud Livium: *dolonibus sublatis fugerunt.* De suparo alibi satis diximus. Sequitur aliud caput: *Sepultum morte meroque cum ait in ea in . . . . . de L. Terentio vici magistro, eum vivum de saxo Tarpeio elatum cum eo venisset comissatum, quod mero esset coactus.* Non dubium est ex quadam oratione Catonis desumpta esse. Qui mos est Festo solennis, ut non nominato Catone verba ex eo in testimonium producat, ut in *Sublimavit.* Eleganter comessabundum iuvenem mero sepultum et vivum elatum, quod mortuo similis esset, dixit, quodque spiritus ei mero coactus et interclusus esset. Est autem non totus integer locus, ni fallor, ante enim desiderantur quaedam; quamquam non solum aperta est, sed etiam elegans huius loci sententia. *Scal.* Pollux tria in navi memorat vela, minimum *δόλωνα*, maius *ἀκάτιον*, maximum *ἐπίτρομον*. Capitoni autem sententiam de sipari etymo confirmat Isidorus lib. XIX. cap. 3.: *Siparium*, inquit, *genus veli unum pedem habens, quo inniti navigia solent in navigatione, quoties vis venti languescit, quod ex separatione existimant nominatum.* Sed illud omnino ridiculum; est enim a Graeco *σίφαρος*, adeoque potius scribitur *siparum. Dac.*

Seplasia. (Ad p. 261.) Platea Capuae ita appellabatur, in qua unguentarii negotiari erant soliti. Pedian. in Pison. (pag. 161. ed. Lugd.). Verba autem Ciceronis a Festo relata sunt eadem illa, quae Asconius interpretatur (Cicer. in Pis. c. 11.): *Seplasia mehercule, ut dici audiebam, te ut primum aspexit, Campanum Consulem repudiavit. Ant. Aug.* Inde Seplasia species omnes et seplasiarius *παντοπώλης*, *specoarius*, *espicier.* Vide post *Sterilam. Dac.*

Saticula. (Ad p. 261.) *Sati . . . .* Saticulam deductam esse coloniam Paterculus scribit libro priore. Livius quoque lib. XXVII, (12.). Sabiculanos inter colonos fideles XVIII. coloniarum enumerat. De hac igitur Festi verba intelligere possumus. Saticula oppidum in Samnio captum est, quo postea coloniam deduxerunt etc. L. Papirio Cursore, V. C. Iunio Bruto II. Coss. anno post R. C. CDXL. ex Fastis Capitolinis. *Ant. Aug.* Paterculus lib. I. cap. 14.: *Insequentibus consulibus a Sp. Postumio, Philone Publilio Censoribus Acerranis data*

civitas et post triennium Terracinam deducta colonia. Interpositoque quadriennio, Suessa Aurunca et Saticula Interamnaque (melius *Suessam Auruncam et Saticulam, Interamnamque) post biennium.* *Dac.*

Segesta. (Ad p. 261.) Vide *Beneventum.* *Ant. Aug.* *Segesta est oppidum pervetus in Sicilia, Iudices, quod ab Aenea fugiente a Troia atque in haec loca veniente conditum esse demonstrant.* Cic. IV. in Verr. (c. 33.) Virgil. (Aen. V, 718.) Acestam nominat ab Aceste, quem ibi Aeneas reliquit:

Urbem appellabant permisso nomine Acestam.

Verum Strabo lib. VI. (pag. 272. Cas.) eam conditam docet ab iis, qui cum Philocteta in agrum Crotoniatum venerunt, missis ab eo in Siciliam cum Aegesta Troiano. De Aeceste autem sive Aegesta, quem Sylvia Egesta Hippotae Troiani filia, a Crimiso amne in canem mutato compressa, edidisse dicitur, hic piget referre. Vide, si lubet, Serv. ad I. Aen. X, 554. et lib. V, 30. et Salmas. in Solin. pag. 3. Illud constat, Segestam urbem in colle sitam fuisse, ut omnes fere veterum Sicanorum urbes. Fazel. Decad. I. lib. VII. cap. 3. Segesta urbs vetusta, in colle undique praerupto iacens. Unde eam doctissimus Bochartus non ab Aceste sive Aegesta, sed a Punico *Sakkesta* dictam putat. *Dac.* *Ne obsceno nomine app.* Propter similitudinem scilicet vocis *Egesta.* Et *Egestas* paupertas, *obscenum* autem dirum, infaustum. *Obscaenaeque volucres* Virgil. (Aen. III, 362.). *Idem.* Ut factum est in *Malevento.* Vide *Beneventum.* *Idem.* *Et in Epidamno.* Mela de Situ orbis lib. II. cap. 3. Urbium prima est Orivum, secunda Dyrrhachium, Epidamnos ante erat. Romani nomen mutavere, quia velut in damnum itaris, omen id visum est. Verum de appellationibus Epidamni et Dyrrhachii vide praeter alios Dionis locum singularem lib. XLI, (49.). *Dac.* Adde, quae scripsi in *Omen.* *Goth.*

Seliquastra. Pro *sediquastra.* Idem Varro lib. IV. de L. L. (V. pag. 131. Sp.): *Ab sedendo appellantur sedes, sedile, sedum* (bene alii *solium*) *sellae, seliquastrum.* *Dac* Ita legitur in editione Haloandri in l. 4. ff. de supellectile, pro *sedulnria.* *Goth.*

Silus. Silus et silo, σιμός. *Scal.* In libro scripto Coloniensi, ut monuit Gulielmus Verisimil. lib. I. cap. 9. Silus appellatur nasus susum versus et repandus. *Silus* pro *simus* a Graeco σιμός. *Dac.* Alius est a Silone, de quo vide Nonium (pag. 25. Merc.) in *Silones* *Goth.*

Silvii. (Ad p. 262.) Vetus autor originis gentis Romanae (c. 16.): *Interim Lavinia ab Aenea gravida relicta, metu, veluti insecuturi se Ascanii, in sylvam profugit, ad magistrum patrii pecoris, Tyrrhum, ibique enixa est puerum, qui a loci qualitate Silvius est dictus.* Et paullo post (cap. 17, 4.): *At Ascanius postquam excessisset e vita, inter Iulum filium eius et Silvium postumum, qui ex Lavinia genitus erat, de obtinendo imperio orta contentio est, cum dubitaretur, an Aeneae filius, an nepos potior esset, permissa disceptatione eius rei ab universis rex Silvius declaratus est. Eiusdem posteri omnes cognomento Silvii usque ad conditam Romam Albae regnaverunt.* *Dac.*

Sertor. (Ad p. 262.) Vel a prehendendo, vel, quod verisimilius, a serendo, quod in libertatem serat, hoc est iungat, inquit Verrius, quod totum ab eo non ἀπιθανῶς, hoc est non probabiliter introductum dicit Festus, sed idem nos alibi docuit, *adserere* esse admovere, quod ea, quae in terram demittuntur, *seri* dicuntur. Cur igitur is proprie *sertor* et *adsertor* dici nequeat, qui manum vel manu adserit, hoc est manum admovet, iniicit, manu prehendit, ut vindicet in libertatem. Certe nimis praecipitanter hic Festus eos reprehendit, qui sertorem a serendo, hoc est prehendendo dictum putant. In his Varro lib. V. de L. L. (VI. pag. 241. Sp.): *Sic conserere manum dicimur cum hoste, sic ex iure manu consertum vocare, hinc adserere manu in libertatem, cum prehendimus.* *Dac.* Vide supra *Adserere.* *Goth.*

Seges. (Ad p. 262.) Proprie de frumento, sed per metonymiam de terra ipsa arata et consita. Sic Varro de r. r. (I, 29.) Seges dicitur, quod aratum satum est, arvum quod aratum nondum satum. Verum etiam de terra simpliciter, quae neque arata, neque sata sit. Virgil. lib. IV. Georg. (129.):

Nec pecori opportuna seges nec commoda Baccho.

Dac. Vide Nonium (pag. 395. Merc.) in *seges.*

Serilla. Optime Festus contra Verrium contendit *serilla* dici funiculos sparto consertos. Verba Pacuvii sic ordinanda:

Nec ulla subscus cohibet compagem alvei
Nec suta lino et sparteis serillibus.

Alvei, id est *navigii.* De *subscude* vide in *Subscudes*, ubi eadem Pacuvii verba adducta sunt. *Dac.* Paulus in Epitome id posuit, quod a Festo reprehenditur. *Ant. Aug.*

Servorum. (Ad p. 262.) At Macrobius (Sat. I, 13.) contra: *Nonis conventus universae multitudinis vitandus existimabatur, quoniam populus Rom. exactis etiam regibus diem hunc Nonarum maxime celebrabat,*

quem natalem Servii Tullii existimabant. Qui quum incertum esset, quo mense natus esset, nonis tamen natum esse constaret, omnes nonas celebri notitia frequentabant. Est etiam dies servorum Sigillaria, quae in continenti post Saturnalia celebrabantur. Lucillius:

— — *Servorum festu' dies est,*
Quem plane hexametro versu non dicere possis.

Nam hexametri lex non admittit Sigillaria. Ausonius (Idyll. 26.):

Aediles etiam plebi, etiamque curules
Festa Sigillorum nomine dicta colunt.

Scal. Pessime verba Festi interpretatus est Epitomista. Neque enim Festus dicit Idibus natum Tullium, sed Idibus eum aedem Dianae dedicavisse. Quamvis etiam Plutarch. in Quaest. Rom. 100. eo die natum Servium putat. *Cur,* inquit, *Idibus sextilis, qui nunc Augustus dicitur, feriae sunt utriusque sexus servis; mulieres autem tum maxime lavare et purgare capita student; an hoc servis datum quod ea die Servius rex natus e captiva fuit ancilla?* Optime igitur Festus servorum diem festum Idibus ponit, quod eo die Ser. Tullius, qui e Serva natus est, aedem Dianae dedicaverit in Aventino. Unde et eodem die eius sacra peragebantur. Martial. Epigr. XII, 68.: *Augustis redit Idibus Diana. Dac. A quorum celeritate fugitivos vocent servos.* Lege *vocent cervos* ut in vet. cod. Sic Graeci fugitivum ἔλαφον vocant. Et facete Aristophanes (353. seq.) ait nubes cum fugitivum aspiciunt, cervorum speciem assimulare:

Ταῦτ' ἄρα, ταῦτα Κλεώνυμον αὗται τὸν ῥίψασπιν χθὲς ἰδοῦσαι
Ὅτι δειλότατον τοῦτον ἑώρων, ἔλαφοι διὰ τοῦτ' ἐγένοντο.

Dac. Vide Crinitum XIX. cap. 13. *Goth.*

Sero sapiunt Phryges. (Ad p. 262.) Cic. Epist. lib. VII, 16.: *In equo Troiano scis esse, sero sapiunt.* De Troianis, qui cum ultimis premerentur, velle coeperant Helenam reddere. Dictys Cretensis lib. IV.: *Ceterum Troiani, ubi hostis muris infestus, magis magisque saevit, neque iam resistendi moenibus spes ulterius est, aut vires valent, cuncti proceres seditionem adversus Priamum extollunt atque eius regulos; denique accito Aenea filiisque Antenoris, decernunt inter se, uti Helena cum his, quae ablata erant, ad Menelaum duceretur. Dac.*

Sispitem Iunonem. (Ad p. 262.) Nam sospitem pro servatore dixerunt. Vide *Sospes.* Inde *sispes* et *sospes Iuno* quae Ciceroni, Ovidio, Livio *sospita Iuno* dicitur. In numismatibus: *Iuno sispita. Sispes* autem pro sospes. Isidor. in Gloss.: *Sispes, sospes, sanus. Dac.* Cf. supra quae notata sunt ad v. *Persicus.*

Sultis. Mendose scripta ita emendavimus, ut, licet Festus id non scripserit, quod cum fecisse aliquibus indiciis existimamus, tamen id ipsum, quod scripsimus, lector non aspernetur. Cicero in Oratore (45.): *Libenter etiam copulando verba iungebant, ut sodes pro si audes; sis pro si vis. Iam in uno copsis tria verba sunt.* Vide *Sodes. Ant. Aug.* Lege infra, ut viri docti: *Ita ut alia sunt, sodes, si audes; sis, si vis; ilicet, ire licet; illico, in loco; scilicet, scias licet.* Vide *Sodes. Dac.*

Serius. Scribe *Secius* vel *Sequius.* Alioqui ineptum est proscribere nobis *Serius,* tanquam ignotum verbum, quod vulgatissimum est. Adde quod in veteri scriptura variat lectio, cum exaratum sit *Setius,* non *serius.* Legendum ergo: *Secius a secus videtur dictum. Scal.* Errat Scal. Nam ex verbis Attii constat legendum *serius. Dac.*

Sedum.

Specus. (Ad p. 263.) Ennii versus fuit XVI. Annal. ut refert Priscian. lib. VI. (c. 14, 75. tom. I. pag. 269. Kr.): *Tum cava sub monte late specus intus patebat.* Sed melius refertur a Nonio (pag. 222. seq. Merc.): *Concava sub montes late specus intus patebat. Ant. Aug.* Pacuvius Chryse:

Est ibi sub eo saxo penitus strata arena ingens specus,
Solis quae exortu capessit candorem, occasu nigret.
Illud incipio saxum tentans escendere verticem
In summum; deinde in omnis partes prospectum aucupo.

Scal. Hoc nomen trium generum fuit; mascul. ut Ennius in Lytris: *Inferum vastos specus;* faeminini: Pacuv. in Niptris: *Advenio scrupulosam specum;* neutri: Virgil. VI. Aen. (VII, 568.): *Hic specus horrendum. Dac. Specus feminino.* Adde l. 1. §. 3. ff. de rivis. *Goth.*

Spondere. Vide supra pag. 697.

Subditus. Paulus in L. mortuo, D. de Iudic.: *Mortuo iudice, quod eum iudicare oportuerat, eum, qui subditus est, sequi oportet. Dac.* V. l. 60. ff. de iudiciis, ubi dixi. *Goth.*

Saturno sacrificium fit. (Ad p. 263.) Festi verba videntur pertinere ad Saturni sacrificia, quae capite aperto fierent, ut verbo *Saturnia* dictum est, et Plutarch. in Probl. (9. et 13. Quaestt. Rom.) Macrob. lib. I. (c. 10. fin.) Sat. Servius lib. III. Aen. hoc idem scribunt, idemque Honori fieri, propterea, quod caput aperire honoris causa potentioribus soleat, ut Plin. tradit lib. XXVIII. cap. 6. Addit Festus inter Metellum Pontificem Max. et Claudium contentionem fuisse, eumque fortasse multasse, quod Saturno capite operto fecisset in Sulpicii Ser. F. inauguratione, Claudiumque provocasse, sed non obtinuisse. Haec nondum reperimus apud alios scriptores. *Ant. Aug.* *Saturno sacrificium fit capite aperto.* Reliqua, qui meliore ingenio sunt, divinabunt. Postea: *Saxum Tarpeium appellatur pars montis, qui ob sepultam Tarpeiam, quae eum montem Sabinis prodiderat, nominatus est; vel ab eo, quod, cum L. Tarpeius Romulo quasi ob raptas virgines adversaretur, ad illud saxum est de noxio poena exacta; noluerunt funestum locum cum parte capitolii coniungi.* Videtur iste L. Tarpeius Romulum apud populum accusasse, quod cum sine causa verisimili non posset, hoc nomine infensum populo efficere voluisse, quod Sabinas rapuerit et eam invidiae caussam obtendisse. *Scal.* *Sacrificium Saturno fit.* Ait Festus: Saturno capite aperto sacrificium fiebat Saturnalibus, itaque cum Ser. Sulpitius Rufus Ser. Filius inauguratus esset et eius inaugurationi Metellus Pontifex Augurem adesse iuberet, excusavit se Claudius, quod sacris familiae suae impeditus esset, quibus sacrificandum foret operto capite, cum Saturno aperto res sacra facienda esset, eaque de caussa multatum a Pontifice Claudium provocasse, deinde reconciliatum esse et peractis familiae suae sacris religione solutum Saturno sacra fecisse de more sacrificandi Saturno aperto capite. Vide *Saturnia* et *Lucem facere.* Servius III. Aen. (pag. 300. ed. Dan.): *Sane sciendum,* inquit, *sacrificantes diis omnibus caput velare consuetos ob hoc, ne se inter religionem vagis aliquid offerret obtutibus, excepto tantum Saturno, ne numinis imitatio videretur, quia Saturno capite velato ibi cernitur.* Metelli Pontificis Maximi meminit Macrob. lib. III. cap. 13. *C.* vero *Claudii* Auguris Livius lib. XLV. (c. 44. init.): *Augur C. Claudius mortuus, creatus T. Quintius.* Quod autem inaugurationi eius, qui augur creatus esset, alius augur adesse solitus sit et Festi verba et verba Metelli huius confirmant, quae sunt in indice 4. apud Macrob., quibus inaugurationem Lentuli Flaminis Martialis ita describit: *A. D. IX. Kal. Sept., quo die Lentulus Flamen Martialis inauguratus est, domus ornata fuit, triclinia lectis eburneis strata fuerunt, duobus tricliniis Pontifices cubuerunt, Q. Catulus, M. Aemilius Lepidus, D. Silanus, C. Caesar rex Sacrorum. P. Scaevola. Sex. Pub. Cornelius. Pub. Volumnius. Pub. Albinovanus et L. Iulius Caesar. augur, qui eum inauguravit.* De huiusmodi inauguratione ita Liv. lib. XXVII, (38.): *L. Aquilius Augur creatus inauguratusque.* Et lib. XXX, (26.): *Fabius Maximus Augur annos XLII. etc. In eius locum inauguratus Q. Fabius Filius.* Sueton. in Caio cap. 12.: *Deinde augur in locum fratris sui Drusi destinatus priusquam inaugararetur, ad Pontificatum traductus est.* De Claudiae familiae sacris vide supra *Propudianus porcus.* *Dac.*

Saxum Tarpeium. Priorem Festi sententiam Varro lib. IV. (lib. V. pag. 48. Sp.): *Hic mons,* inquit, *ante Tarpeius dictus a virgine Vestali Tarpeia: quae ibi ab Sabinis necata armis et sepulta. Eius nominis monimentum relictum, quod etiamnunc eius rupes Tarpeium appellatur Saxum.* Alii a duce Tarpeio dictum putant. Propert. eleg. 4. lib. IV. (v. 93.):

A duce Tarpeio mons est cognomen adeptus.

Dac. Saxum Tarpeium, de quo Dionys. et Livius scripserunt, a Tarpeia L. Tarpeii filia, quam multi ferunt Sabinis Capitolii arcem prodidisse, quod Dionysio non probatur. De saxo autem deiiciebantur insigni aliquo crimine damnati, eaque de causa ut locus funestus cum reliqua parte Capitolii non erat coniunctus. Vide *Tarpeiae.* *Ant. Aug.* *Saturno dies fastus.* Adde ritus Saturnalium ex voce *Cereas.* *Goth.* *Falx est ei insigne.* Vide supra *Opima* et Fulgentium Mythologicis. *Idem.* *Saxum Tarpeium.* Adde *Tarquitias scalas* et legem 25. in fin. ff. de poenis. *Idem.*

Scaptia tribus. Meminit Liv. lib. VIII, 17.: *Eodem anno census actus novique cives censi, tribus propter eos additae Maecia et Scaptia. Censores addiderunt Q. Publilius Philo. Sp. Postumius.* Ob Pedanos civitate receptos tribus addita Scaptia. Scaptiam urbem in Latio numerat Plin. (H. N. III, 5, 9.). *Dac.*

Stellatina. (Ad p. 263.) *Stellatina tribus non a Stellate, campo eo, qui in Campania est, sed eo, qui est . . . . miliario a porta Capena, ex quo Tusci eum campum ita appellaverunt.* Haec vel his similia Festus. Liv. lib. VI. (5. fin.): *Tribus quattuor ex novis civibus additae, Stellatina, Tromentina, Sabatina, Arnensis* anno urbis CCCLVI. ex Fastis Capitolinis. *Ant. Aug.* Vide Liv. lib. VI, 5. Stellates populos in Tuscia nominat Cato in Originibus. *Dac.* Vide Plin. lib. III. Sunt qui etiam legunt hoc loco *Capena.* *Goth.*

Sabatina. Sabatina tribus, quae cum Stellatina, Tromentina et Arniensi reliquis fuit addita anno CCCLXVI. Liv. lib. VI. (c. 5.) a lacu Sabate dicta, qui fuit in Tuscia. Hunc lacum hodie Anguillarium vocari

docet Onuphrius. *Dac.* Supple: Sabatina tribus a lacu Sabate dicta est. Nihil amplius deest. *Idem.* Vide Florum (Epit. Liv.) lib. VI. *Goth.*

Sabini. Interpretationem desiderat. *Ant. Aug.* Sabini dicti, ut ait Varro Terentius, quód ea gens P. P. colat deos, ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι. Illud PP. significat *praecipue*, quare et glossema appositum erat. Plinius (III, 12.): *Sabini, ut quidam existimavere, a religione et Deorum cultu Sebini appellati. Scal.* Sabini in longum per CIↃ stadia porrecti a Tiberi et Nomento, oppido usque ad Vestinos. Antiquissima gens. Ab his Picentini, Samnitae, ab his Lucani, ab his Brutii. *Dac.* In argenteis denariis D. P. P. significant *Deos penates. Goth.*

Silere tangere. (Vid. p. 264.) Lege: *Silere, tacere significat, ficto vocabulo ab S. litera, quae initium est eius vocis.* Haec Festus. Hanc differentiam inter silere et tacere statuunt Grammatici, ut proprie silere dicantur, qui iam loqui coeperunt, tacere vero, qui non antea loquebantur. *Dac.* Cf. Doederlin. Syn. et Etym. L. L. tom. I. pag. 84. seqq.

Sanqualis porta. Potius ab aede Sanci sive Sangi dicta *sanqualis*, quomodo ab eiusdem Dei tutela ossifraga avis eodem nomine dicta est. De *Sango* vide in *Propterviam. Dac.* Adde Varronem IV. de L. L. (V. pag. 72. Sp.).

Sella curulis. (Ad p. 264.) Haec ignoramus. *Ant. Aug.* Puto *Sellae curuli locus in circo, item proximo lictori, posterioribusque lictoribus proxime sacellum Murciae fuit, de quo loco despiciebant spectacula magistratus.* Neque id abhorret a consuetudine Romana, ut magistratus in sella curuli qui ludos ederet, aut alius quivis, ad primas metas staret. Nam ad eas Deae Murciae sacellum fuisse ait Tertullianus. Non improbo tamen, ad sacellum Mercurii. Nam et ad Circum maximum fuit aedes eius Dei. *Scal.* Idem Livius lib. II, (31.) Valerio, inquit, dictatori super solitos honores locus in Circo ipsi posterisque ad spectaculum datus. Ideo autem proxime sacellum Murtiae, quia illud erat in Circo, ubi Metae, sive oppidum. Varro lib. IV. (pag. 153. Sp.): *In Circo primo, unde mittuntur equi, nunc dicuntur Carceres. Naevius oppidum appellat. Carceres dicti, quod coercentur equi, ne inde exeant, antequam magistratus misit: oppidum, quod a mari parte pinnis turribusque carceres olim fuerunt. Scripsit poeta: dictator, ubi currum insidet, pervehitur usque ad oppidum. Intimus Circus ad Murtium vocatus, ut Procilius aiebat, ab urceis, quod is locus esset inter figulos. Alii esse dicunt a murteto declinatum, quod ibi fuerit. Cuius vestigium manet, quod ibi Sacellum etiamnunc Murtiae Veneris.* Ubi notandum, versum illum, quem Varro adducit ex Poeta, sive ille Naevius, sive Ennius sit, ex hocce Festi loco fortasse lucem capere: per Dictatorem enim Valerium intelligit, per currum sellam Curulem. *Dac.*

Sontica causa. (Ad p. 264.) *De re.* M. Cato de re floria. Ita citatur ab Agellio X. c. 13. *Goth.* Vide *Sonticum.*

Stiricidium. Servius in illud III. Georg. (366.):

Stiriaque impexis induruit horrida barbis.

Stiria, inquit, *est gutta: inde fit diminutivum, ut dicamus stilla. Dac.* Glossis ὑδροστάσιον. *Goth.* *Stilla.* Glossis σταγών, σταλαγμός. *Idem.*

Servorum dies festus. Vide supra.

Sacramento. Sacramento dicitur, quod sacratur fide interposita, ac tum sacramento dicitur interrogari quidam. Cato in Q. Thermum de X. hominibus: Aderant, ne mala fide viderentur scelera nefaria fieri, qui dicerent sacramento; traderentur lege; aestimarentur. *Scal.* Sic sacramento dicere milites dicebantur, cum ad iusiurandum adigebantur, se Remp. non deserturos. Liv. lib. V. (XXV, 5.): *Tribuni plebis, si eis videretur, ad populum ferrent, ut qui minores decem et septem annis sacramento dixissent, iis perinde stipendia procederent, ac si viginti annorum, aut maiores milites facti essent.* Inde in Glossis: *Sacramentum* ὅρκος στρατιωρκός. Sacramentum tamen a iureiurando diversum facit Liv. lib. XXII, 38. *Dac.* Vide supra *Obstinato. Goth.*

Sirem ps. Charis. lib. I. (pag. 116. P.) tradit, *Siremps* nominativo tantum casu dici et ablativo *ab hac Sirempse.* Significare autem: *Similiter lex esto.* Extant aliquot tabulae legum, in quibus ita scriptum est: *DE EO AGRO SIREMPS LEX ESTO*, et in altera: *SIREMPSQUE EIS VIATORIBUS DEQUE EIS VIATORIBUS Q. OMNIUM RERUM IUS LEXQUE ESTO, QUASEI SEI EI VIATORES IN EAM DECURIAM IN TRIBUS VIATORIBUS ANTEA LECTEI SUBLECTEI ESSENT, QUAM IN QUISQUE DECURIAM EORUM EX HAC LEGE VIATOR LECTUS ERIT SIREMPSQUE EIS PRAECONIBUS QUAESTORI OMNIUM VERUM IUS LEXQUE ESTO.* In his omnibus similem si-

gnificat aut simile. Tria autem verba copulata sunt, siremps, hoc est similis res ipsa. *Ant. Aug.* Plauti locus in prologo Amphitruonis (73.) iam dudum a nobis ita emendatus fuit: *Sirempse legem iussit esse Iupiter.* Memini et locum in senatusconsulto quodam apud Frontinum eodem modo depravatum vulgo legi: *Qui adversus ea quid fecerit et adversus ea repserit ex iussu causaque omnium rerum omnibus esto damnas utique atque utique esset esseque oporteret, si is adversum hanc legem rivum specumque rupisset.* Manifesto enim legendum: *Qui adversus ea quid fecerit, sirempse lex, ius caussaque omnium rerum omnibus esto utique atque uti esset* etc. Quin apud Probum Siglarum scriptorem eadem non mediocriter contaminata sunt: S. R. L. E. E. C. Q. O R. E. *Si rem lex ex eius causa Que omnium rerum esto.* Scribe: S. L. I. C. Q. O. R. E. *Sirempse lex, ius causaque omnium rerum esto.* Apud Senecam Ep. 92.: *Ubi vero ad finem mortalium ventum est, discede, inquit, Ambitio, omnium, quae terram premunt, sere miles esto.* Emendat eruditiss. Cuiacius: *siremps lex esto.* Partem verborum Catonis ita reconcinnabimus: *Et praeterea rogas advorsus ea si popolus condemnaverit, utei siremps lex siet, quasi advorsus leges fecisset. Scal.* *Siremps* compositum ex *similis re ipsa.* Quare optime Festus in verbis Caton. interpretatus est *eandem* vel *proinde quasi.* Sic in isto fragmento legis agrariae Thoriae: *Qui ager ex publico in privatum commutatus sit, de eo agro Siremps lex esto, quasi is ager P. Mucio et L. Calpurnio Coss. per totam Italiam.* Id est *Similis re ipsa lex esto* Vel *Lex esto proinde atque. Dac.* Vide Brissonium II. de formulis pag. 117. *Goth.* *Siremps* et *sirempse* pronomina sunt composita, ex *si* pronomine tertiae personae, quod Latino sermone alibi vindicavi, et *res*, et *pse*, quod postremum adhuc super est in *reapse, eapse, eampse, eumpse.* Cf. quae notavi ad Plauti Amphitr. prol. 73. Est igitur *siremps* et *sirempse*, ea res ipsa, factumque est usu, ut voc. abiret in pronomen indeclinabile, significans *is ipse, ea ipsa*, vel *idem, eadem.*

Spiciunt. (Ad p. 264.) Antiquos dixisse in soluta oratione testis est Cato in ea, quam habuit de septem hominibus. *Scal.* Mendose *de septem hominibus* legitur pro *de decem hominibus.* Nam saepe Cato *de decem hominibus contra Thermum* citatur a Festo, nunquam vero *de septem.* Lego infra: *Nec spiciunt, neque ratos esse volunt. Dac.* Adde Gell. XIII. c. 14. *Goth.*

Spatiatorem. Macrobius lib. III. (II, 10.): *Sic nimirum M. Cato senatorem non ignobilem Caecilium spatiatorem et Fesceninum vocat, eumque staticulos dare his verbis ait: Descendit de canterio: inde staticulos dare, ridicularia fundere. Scal.* Quidam libri habent *Caccilium*, sed corrupte. Staticuli sunt saltationes statariae quaedam non perinde motoriae: quales erant in eo chori genere, quod στάσιμον a Graecis vocatur, vel staticuli a parte saltationis dicuntur, in qua statur, nam etiam a saltationis spatiis, ut quidam censent, spatiatorem vocavit idem Cato Coelium. Sed satius sit eum erratorem intelligere, quem eundem et Fescenninum a versibus Fescenninis obscoenae lasciviae appellavit Turnebus lib. XVII. cap. 10. (locus falso citatus). *Dac.* Citatur hic locus ab Agellio VII. cap. 12. paulo aliter, sed corrupte. *Goth.*

Stata sacrificia. Opponuntur indictivis et mobilibus. Meminit Cic. I. Tusc. (47, 113.): *Quum enim illam ad solenne et statum sacrificium curru vehi ius esset* etc. et in Milone. Sic pro Domo: *Statas cerimonias dixit.* Lege infra: *De sacrilegio commisso.* Vide in *Prohibere comitia. Dac.* *De sacrificio commisso.* Ita legitur apud Agell. VII, 22. *de sacrilegio commisso*, ita legitur in *Prohiberi comitia* supra et in Epitoma Pauli. *Goth.*

Sollemnia. Vide *Sollo. Ant. Aug.* Scribo *Sollennia.* Nam a *sollus* totus, omnis, et annus, ita ut sollenne dicatur, qui omni anno, id est *quotannis* fieri consuevit. Male qui *solemnia* per unicum *l* et *m.* Vide Vossium. *Dac.* Vide supra *Solemnia* et *Solitaurilia. Goth.*

Serra praeliari. Verba Catonis manifesto prae se ferunt aliud ac visum est Verrio, cuius in hac re supinitatem et negligentiam animadvertere licet. Serra enim et globus et forfex sunt σχήματα instruendae aciei. *Scal.* Variae acierum formae Romanis usurpatae. In his *cuncus*, *globus*, *forfex*, *turris*, *serra* hic a Catone memorantur. *Cuneus*, cum angusta in fronte acies paulatim se retrorsum pandit, in modum literae *Δ*, unde et *trigonum* vocant. *Globus*, cum figura globosa et in rotundum instruitur. *Forfex*, quae et *forceps*, contraria cuneo, latioribus primis et apertis ac paullatim in angustum desinentibus in modum litera V. *Turris*, cum militum ordines in quadro instruentur. *Serra*, cum manipuli primae aciei modo invadebant, modo resiliebant, et reddebatur dentata quaedam forma in modum serrae. *Dac.*

Stercus. (Ad p. 264.) Ovid. (VI. Fast. 711.) Tiberi iactum dicit. Vide supra *Quando stercus delatum fas. Dac.*

Summissiorem. (Ad p. 264.) Aedem Honoris et Virtutis dedicavit M. Marcellus, cum eam pater eius vovisset bello Gallico. Vide Liv. lib. XXVII, 25. Sed eam a Mario summissiorem aliis factam nescio an

alii autores tradant. Porro augures in suis templis designandis, ea, quorum altitudo impediret, quominus liber esset aspectus, demoliri iubebant. *Dac.*

Sex Vestae sacerdotes. (Ad p. 265.) Sed primis temporibus, ut quatuor tantum caperentur, instituit Numa, cepitque Geganiam, Veraniam, Canuleiam et Tarpeiam. Duas postea addidit Priscus Tarquinius, et hic numerus semper mansit. *Dac.* Cf. Nieupoort. Ritt. Rom. IV, II, 17. pag. 351. *In primos secundosque.* Hic partis unius nomen deesse videri possit, quod non deest tamen. Nam per *Tatienses*, *Ramnes*, *Luceres*, quatuor urbis partes intelliguntur, quae a locis Suburana, Esquilina, Collina, Palatina dictae sunt. Varro lib. IV. de L. L. (V, 9. pag. 61. Sp.): *Ager Romanus primum divisus in partes tres, a quo tribus appellatae Tatiensium, Ramnium, Lucerum, nominatae, ut ait Ennius, Tatienses a Tatio, Ramnenses a Romulo, Luceres, ut ait Iunius, a Lucumone. Sed omnia haec vocabula Tusca, ut Volumnius, qui tragoedias Tuscas scripsit, dicebat. Ab hoc quoque quatuor partes urbis tribus dictae: ab locis Suburana, Esquilina, Collina, Palatina. Dac.*

Salinum. (Ad p. 265.) Quia salinorum impositione sacrae fiebant mensae. Arnob. lib. I.: *Sacras facitis mensas salinorum appositu et simulacris Deorum.* Vide in *Mensa.* Et inde est, cur figuli Salinum in mensa ponere veriti sint, ne scilicet iterum, uti semel factum est, cum praetereuntis cuiusdam petulantia salinum e mensa figuli in fornacem coniectum fuit, polluta religione, simili poena in curiam luerent. *Dac.* De eodem loco vide quae iam supra sunt notata.

Sacramentum. Hic locus nunc primum recte editus est. In aliis vero libris in diversas partes distractus fuit propter ordinem immutatum quarundam paginarum exemplaris. De sacramento Varro lib. V. de L. L. (pag. 179. Sp.) ita scribit: *Ea pecunia, quae in iudicium venit in litibus, sacramentum a sacro. Qui petebat et qui infitiabatur, de aliis rebus uterque quingentos aeris apud Pontificem deponebant, de aliis rebus item certo alio legitimo numero assium. Qui iudicio vicerat, suum sacramentum a sacro auferebat; victi ad aerarium redibat. Ant. Aug.* Certa et legitima pecuniae summa, quae ab actore et reo deponebatur in sacro, ut qui victus et damnatus esset, is pecunia sua multaretur, quae in aerarium cederet, et qui vicisset, suam recuperaret. Hinc Cicero I. de Oratore (c. 10.): *Agerent enim tecum lege primum Pythagorei omnes atque Democritici, ceterique in suo genere Physici, vindicarentque ornati in dicendo et graves, quibuscum tibi iusto sacramento contendere non liceret. Dac.* Plebiscitum Papirianum ita lego: *QUEICUMQ. PRAETOR POSTHAC FACTUS ERIT, QUEI INTER CEIVEIS IOUS DICET TRES VIROS CAPITALEIS POPOLUM ROGATO, IIQUE TRESVIREI CAPITALEIS QUEICUMQUE POSTHAC FACTEI ERUNT, SACRAMENTA EXIGUNTO IUDICANDOQ. EODEMQ. IOURE SUNTO, UTEI EX LEGIB. PLEIBEIQ. SCITEIS EXIGERE, IUDICARE ESSEQU. OPORTET. Scal.* Sed neque mihi plane ita satis facit. Quippe legendum: *Quicumque praetor posthoc factus esit, quei inter civeis ious dicet, tres viros capitales, populum rogato, iique tres viri capitales, queicumque rogati, facti a populo esunt sacramenta exigunto* etc. Videndum tamen, inquit Doctiss. Hotomannus, an pro *capitales monetales* legendum sit, cum satis constet a Capitalium trevirorum procuratione alienum hoc negotium fuisse. *Dac. Tres vero capitales.* Vide Raevardum II. Varr. 18. et 12. ff. de origine iuris. *Goth.*

Sextantarii. (Ad p. 265.) Plin. lib. XXXIII. cap. 3.: *Populus Ro. ne argento quidem signato ante Pyrrhum regem devictum usus est. Libralis, unde etiamnunc libella dicitur et dipondius appendebatur assis.* Et postea: *Librae autem pondus aeris imminutum bello Punico primo, cum impensis resp. non sufficeret; constitutumque, ut asses sextantario pondere ferirentur* etc. *Postea Hannibale urgente Q Fabio Max. Dictatore asses unciales facti* etc. *Mox lege Papiria semunciales asses facti.* Ex his verbis apparet Festum aliud dicere, quam Plinium. Nam sextantarios alter bello Punico primo, alter bello secundo factos scribit. Item hic noster septennio durasse et non amplius processisse in maiorem numerum, ille durasse ad Dictaturam Q. Fabii, quae a fine belli Punici primi fuit XXV. annis posterior, et unciales atque semunciales postea asses factos esse. Mihi quod Plinius scribit, verisimilius videtur et in verbis Festi videntur esse quaedam mendosa. Vide *Grave aes. Ant. Aug.* Iam supra in *Grave aes: Sed bello Punico populus Romanus pressus aere alieno ex singulis assibus librariis senos fecit, qui tantundem valerent.* Ubi *bello Punico* tantum. At hic secundo bello Punico sextantarios asses factos scribit. *Dac. Quod propter bellum Pun.; quod per bellum Pun.* ita legit Hermolaus. *Goth.* Errasse docet Festum Harduin. ad Plin. Hist. Nat. 33, 13.

Senacula. (Ad p. 265.) Vide ad *Senaculum.*

Scholae. Ausonius aliter (Idyll. 32. *Dac.*):

— — *Graio schola nomine dicta est,*
Iusta labori feris tribuantur ut otia Musis.

In fine lego: *Ne tristi aliquo nomine fugiant suo fungi munere. Scal.* Imo ab otio, σχολὴ enim otium, nimirum quia otio opus iis, qui studiis vacant. Sic *ludus* non per antiphrasin, ut vult Festus, sed quod studium literarum liberalis ingenii ludus sit. *Dac.*

Subici. (Ad p. 265.) *Subici aries dicitur, quem quis agit, ut pro se caedatur, ut ait in eodem libro Antistius, quod fit, ut ait Cincius libro de officio Iurisconsulti, exemplo Atheniensium, apud quos expiandi gratia aries inigitur ab eo, qui scelus admisit, poena pendendae loco.* Notum apud Athenienses et alios Graecos, non solum, qui ἀκούσιον φόνον, sed et qui ἐκ προνοίας fecissent, pecudibus immolandis expiari solitos, ut de Oreste et aliis proditur. Hoc etiam retulerat in leges suas Numa, inter quas haec fuit: *SEI QUIS HOMINEM LIBERUM DOLO SCIENS MORTEI DUIT, PARICEIDA ESTO; SEI IMPRUDENS SE DOLO MALO OCCISIT, PRO CAPITE OCCEISEI ET NATEIS EIUS IN CONCIONE ARIETEM SUBICITO.* Cuius legis ultimum membrum concinnavimus ex schedis Servianis (pag. 23. A. ed. Dan.), in quibus huius legis mentio fit; ut si quis imprudens hominem occidisset, pro capite occisi et natis eius in concione arietem offerret. Quod hic ait Festus poenae pendendae loco pene videtur innuere in lege fuisse expressum verbo ἀντίποινος. *Scal.*

Speciem. (Ad p. 265. seq.) Cic. in Oratore ad M. Brutum sect. 3.: *Has rerum formas appellat ideas, ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor et magister Plato, easque gigni negat et ait semper esse, ac ratione et intelligentia contineri, cetera nasci, occidere, fluere, labi, nec diutius esse uno et eodem statu.* Et lib. I. Acad. quaest. sect. 8.: *Mentem volebant rerum esse iudicem; solam censebant idoneam, cui crederetur, quia sola cerneret id, quod semper esset simplex et uniusmodi et tale, quale esset. Hanc illi ideam appellabant, iam a Platone ita nominatam; nos recte speciem possumus dicere.* De Ideis Plato in Parmenide obscurissimo illo quidem, sed utilissimo Dialog., si quis eius tenebras intelligentia sua quasi sole fugaverit. *Dac.* Cf. *De Ideis Platonis libellus*, quem scripsit *Henricus Richter* philosophus Lipsiensis, qui praematura morte litteris ereptus a nobis lugetur, vir nostra laude superior.

Sestertii. (Ad p. 266.) Vide *Sestertius*, et quae illic adscripsimus. Cur vero Sestertius dicatur, quasi semistertius Varro lib. V. de L. L. (pag. 173. Sp.) et Maecian. de Asse scripserunt. Vide *Trientem.* De bigatis et quadrigatis Plin. lib. XXXIII, 3.: *Nota argenti fuere bigae atque quadrigae: et inde bigati quadrigatique dicti.* Quinquessis autem quinarius sive victoriatus dictus est, quod initio quinque assibus aestimaretur, postea octo valuit, eiusque nota erat victoria, ut idem Plinius scribit. *Ant. Aug.* Quae corrupta et male etiam distincta sunt, lego et distinguo: *Et valebant denarius denos asses bigati et quadrigati. Quinquessis quinos. Sed uterque auctus est. Numerum aeris productum esse aiunt lege Flaminia minus solvendi.* Et verum est. Primo denarius valebat denos asses, quinquessis vero quinos, et denarii bigati et quadrigati dicebantur ab impressis bigis et quadrigis. Sed postea uterque et denarius et quinquessis auctus est bello Punico secundo, sive potius primo, et denarius asses sedecim, quinquessis octo aestimari coeptus lege Flaminia, quae minus solvendi lex dicta, quia aeris pretio producto minus aeris ad solvendum impendebatur. Vide supra *Sestertius* et *Sextantarii.* Huius legis Flaminiae nemo, quod sciam, praeter Festum meminit. De sestertio autem quod sit quasi semistertius, id est quod ad tertium assem efficiendum desit semis, vel potius quod tunc tertius semis numeratur. Varro lib. IV. de L. L. (V. pag. 173. Sp.): *Sestertius, quod semistertius.* Dupondius enim et semis antiquus sestertius est; et veteris consuetudinis, ut retro aera dicerentur, ita ut semistertius, semisquartus pronuntiarent. Sestertius igitur ab semistertius dictus. Eodem modo autem sestertius, quo Iones et Attici dicebant ἥμισυ τρίτον, dimidium tertius, pro δύο καὶ ἥμισυ, duo cum dimidio. Sic *trientem tertium* libras duas et trientem etc. Vide *Trientem. Dac.*

Solida sella. (Ad p. 266.) Festus videtur Verrium reprehendere in huius rei interpretatione, et ostendit religioni fuisse aliquibus non solida sella sedere, quod essent aliquae aliqua ex parte excavatae. Reprehendit autem, quod solidum dixerit totum. Cetera incerta sunt. Vide ante *Silicernium. Ant. Aug. Solida sella*, ait, *sedere tum quis iubetur, cum mane surgendi caussa evigilavit, quod antiqui expresse ab interiore parte excavatas non faciebant sedes, quas solidas ideo, quod his nihil erat concavum, appellabant, inquit Verrius, quod essent totae. Absurde, ut mihi videtur, illud, quod sit totum, ait dictum solidum.* Nihil omnino praetermissum est de sententia Festi, fortasse ne de verbis quidem. *Evigilare surgendi causa* est data opera post mediam noctem experrectum silentio surgere, auspicandi causa. Ita enim auspicantibus mos erat in so-

lida sella sedere, ut supra in *Silentio* refertur. Recte autem Verrius *solidas sellas* totas interpretatur. Nam Verrii temporibus vulgo tam notum erat *solidum* a *solo* dictum, quam *solum* idem valere, quod *totum*. Igitur idem est ac si dixisset, dictae *solidae*, quod *solae*, id est totae. Quare vides hic praecipitem Festi calorem in reprehendendo illo, a quo tanta bona didicerat. Saltem debebat meminisse, quod alibi notat de *soliferreo*, *solerte* et *solenne*. Verum profecto ita est; ad reprehendendum, quam ad discendum propensiores sumus. *Dac.* Vide infra *Solla*. *Goth.* Adde Liv. lib. X, (40.). *Idem.*

Silatum. Subintelligitur vox *vinum*; silatum vinum, a sili herba, quam σέσιλι Graeci vocant. Dioscorid. lib. III. cap. 51.: *Seseli Massiliense folia foeniculi habet crassiora, caulem vegetiorem, umbellam anethi, in qua semen oblongum, angulosum, degustanti statim acre, radix longa est, iucundi odoris* etc. Et paullo post: *Semen cum vino potum concoquit et formina discutit.* Silatum autem, quod postea *ientaculum*, id est ἄκρατον *merum*. Gloss.: *Ientat*, ἀκρατίζει. *Ientaculum* ἄκρατον. De mane enim veteres merum bibebant, vel etiam panem vino madefactum comedebant, ut ex Athenaeo refert Eustath. *Dac.*

Suffragatores. (Ad p. 266) *Suffragat* . . . . Quod dicam asserere non possum, sed ut aliquid dicam, ita haec scribi posse putarem: Suffragatores dicuntur natu maiores hi, qui vulgo in usu erant et ut minus apparerent iuncta suffragia, suffragator, quam quisque fieri vellet, notabat, privatim scriptis candidatorum hominum nominibus. *Ant. Aug.* Notum est antiquos suffragia non scripsisse, sed puncto notasse. Incertus poeta in Epigrammate:

Ciconiarum Rufus iste conditor,
Hic est duobus elegantior Plancis,
Suffragiorum puncta non tulit septem.
Ciconiarum populus est ultus mortem.

Dac. Adde Porphyrion. in illum Horatii (Art. P. 343.) versum *Omne tulit punctum.* Adde Cicer. pr. Cn. Plancio (22.). *Goth.*

Struppi. Verbenae in fasciculum intortae, quae in pulvinaribus Deorum capita repraesentabant, unde et *Capita Deorum* vocabantur. Vide supra *Capita Deorum*. *Dac.* *Apud Urbem.* Haec diversa sunt a superioribus. Forsan hic de suffete agebat Festus, de quo infra. Sed quid pro voce *calo*, quae certe mendosa est, subiici debeat, assequi non possumus. Videant eruditi, et hic ingenii sui acumen intendant. *Dac.* Vide supra in *Stroppos*. *Goth.*

Secespitam. Priorem notionem iisdem verbis Servius lib. IV. Aen. (pag. 343. A. ed. Dan.): *Secespita autem*, inquit, *est culter oblongus ferreus, manubrio eburneo rotundo, solido, vincto ad capulum argento auroque, fixo clavis aeneis, quo Flaminicae virgines pontificesque ad sacraria utuntur, eaque iam sacra est. Appellatur autem secespita a secando.* Sueton. Tiber. 25.: *Nam et inter pontifices sacrificanti simul prosecespita plumbeum cultrum subiiciendum curavit.* Altera notio est, cum secespita sumitur pro reticulo aeneo sive cancellis, in quo tubae, id est canales sive foramina relicta sunt, ut et hodie in sacris aedibus, in tribunalibus et alibi fieri videmus. *Dac.* Adde supra *Scena*. Et infra *Secium*. *Goth.* *In sacrario.* Sacrarium templi locus secretior erat, ut adytus locus, ad quem nulli erat aditus, nisi sacerdoti. In eo res sacrae reponebantur. l. 1. ff. de rerum div. *Idem.* *In templo Bonae Deae.* Non quod ultra Bovillas in via Appia fuit (cuius pro Milone Cicero meminit) sed quod in Aventino, cuius P. Victor facit mentionem. *Idem.*

Secivum. (Vid. p. 266.) *Secius.* Lege, ut in Epitom. *Secium*. *Dac.* Vide supra *Secespita*. *Goth.*

Suffimenta sunt quae. Pro *molito* infra Paulus *mollito*. Sed *molito* vera lectio. *Suffimentum* est a *suffio*, quod a *fuo* et *fio*. *Fio* autem ab Aeolico φύω pro θύω *suffio*; rursus a θύω θυμός, Aeolice φυμός, unde Latinum *fumus* et *fumigare*, ut a Graeco θυμιᾶν. Unde Hesych. θυμός, πνοή, ἀήρ. A *suffio* igitur *suffimentum*, aer, odor. Glossar.: *Suffimentum*, θυμίαμα; *suffio* ὑποθυμιάω. *Dac.*

Serpsit. Eadem, quae supra in Epitom. Nisi quod quae infra sequuntur cum istis sic continuanda sunt hoc modo *s* litera posita, ut ἕξ sex, ἑπτά septem. Serpula serpsit ait Messala, id est serpens inrepserit. Non dubium, quin ita Festus scripserit. Viris doctis, qui illa disiunxerunt, illud imposuit, quod, ubi Pauli, ibidem etiam Festi verba finem facere crediderunt, immemores scilicet barbarum racematorem non tanti facere veterum exempla, ut in iis describundis operam abutatur, qui vel infra in *Serra praeliari* nobis verba Catonis inviderat. *Dac.* Vide infra *Serpula*. *Goth.* *Prospirat.* Vide supra in *Semis*. *Idem.*

Suffibulum. In lege, quae scripta erat in sacrario Deae Opeconsivae: *HOC PRAETER VIRGINES VESTALEIS AC SACERDOTEM POBLICOM INTROIRE NEFAS ESTO, IS CUM IN-*

TROEAT, SUBFIBULUM HABETO. *Scal.* A *sub* et *fibula*, quod fibula subnecteretur, sed etiam virorum sacerdotum proprium. *Dac.* Vide Varronem (VI. pag. 202. seq. Sp.). *Goth.*

Silentio surgere. (Ad p. 267.) Qui auspicabatur, post mediam noctem surgebat, seque in sella componebat, quam solidam fuisse ait, ut stabilior esset, ne forte quid in sedendo, aut dum sedere vellet, motu sellae deiiceret, et strepitu vitium auspicio faceret. Deinde interrogabat eum, qui in auspicium adhibebatur, an silentium esse videretur etc. Audi Ciceron. lib. II. de Divin. 34.: *Hic apud maiores nostros adhibebatur peritus, nunc quilibet; peritum autem esse necesse est eum, qui silentium quid sit, intelligat; id enim silentium dicimus in auspiciis, quod omni vitio caret, hoc intelligere perfecti auguris est. Ille autem, qui in auspicium adhibetur, cum ita imperavit is, qui auspicatur, Dicito si silentium esse videtur, nec suspicit, nec circumspicit, statim respondet, silentium esse videri Tum ille: dicito si pascuntur, pascuntur.* Deinde observabatur tripudium. Ista *ait dici* de Ateio Capitone intelligenda sunt, ut apparet infra in *Sinistrum.* *Dac.*

Sarpuntur vineae. (Ad p. 267.) Verba legis XII.: *Tignum iunctum aedibus vineaeque concopis ne solvito . . . . quandoque sarpta donec dempta erunt.* Malim: *donec dempta escit, vinea* scilicet. Et ita al. *escit, erit.* Alibi. Sensus est: vineae concapes, hoc est tignum, quod caput suum cum capite vineae commissum habet, non solvitur, ubi primum sarpta est vinea, donec dempta erit, ut neque tignum iunctum aedibus, nisi cum dirutum casu aliquo aedificium. *Dac.*

Summanalia. Quae Summano Deo offerebantur. Male Coelius Rhodiginus lib. IX. cap. 16. *Sumenalia,* quasi essent a *sumine.* *Dac.*

Scriptum lapidem. (Ad p. 267.) De eo nil alibi me legisse memini. Dictus forsan scriptus lapis, quod ad eum scribae sacra facerent, ita ut post vocem *ubi* vox *scribae* ponenda sit. De agro Menullino nil alii scriptores. *Dac.* De ludo scriptorum vide Tull. I. de Orat. (c. 50.) et Nonium in *Scriptat* (pag. 170. Merc.). *Goth.*

Sequamque. (Ad p. 267.) Ergo suspicari saltem liceat in *seorsum* vel *seorsus* duas ultimas syllabas nil aliud esse quam vocis productionem. *Dac.*

Sanates. Vide supra *Sanates* pag. 690.

Sublucare. Gloss. *Subluco,* al. ὑποκαθαίρω. Sed infra errat Festus, cum ait *conlucare* esse succidere arborem. Nam *succidere* arborem est ἐκκόπτειν. At *conlucare* est ramos tantum officientes lumini recidere, coinquere, coercere, ut et ipse supra in *Conlucare.* Similes Festi inconstantias alibi notavimus. *Dac.* Paulus V. sent. 6. §. actor. *Goth.*

Spurcum vinum. De vino, quod diis libare nefastum credebant, Plin. lib. XIV. cap. 19.: *Et quoniam religione vita constat, prolibare diis nefastum habetur vino, praeter imputatae vitis fulmine tactae, quamque iuxta hominis mors laqueo pependerit, aut vulneratis pedibus calcata et quod circumcisis vinaceis profluxerit aut superne deciduo immundiore lapsu aliquo polluto, item Graecae, quoniam aquam habet.* Et Isidor. Orig. lib. II. (XX.) c. 3.: *Spurcum (vinum) quod offerri non licet, aut cui aqua admixta est, quasi spurium.* Sed de origine falsus est Isidorus. Nam *spurcum* a *spuo.* *Dac.* Vide Nonium (pag. 393. Merc.) in *Spurcum.* Glossis: *Spurcus* ἀκάθαρτος, ἀχρεῖος. *Goth.*

Septimontio. Mirum pro septem montibus octo hic numerari, Palatium, Velias, Fagutal, Suburam, Cermalum, Oppium, Coelium, Cispium. Nimirum *Cispius* et *Oppius* pro uno sumi debent, nam Esquilinum montem et *Cispium* et *Oppium* veteres nominarunt auctore Verrio Flacco. Vide *Cispius.* *Dac.* *Ab Oppita Oppio.* Viri docti *ab opitre oppio.* Sed Varronis rerum humanarum libros desideramus. *Idem.* *In Carinis.* Regio urbis *Carinae* inter lautissimos iuxta Coelium montem. *Idem.* *Mefitis.* Dei s. de Luco. Vide Varron. IV. de L. L. (pag. 206. Sp.) et Servium VII. (pag. 470. B. Dan.) Aen. *Goth.*

Sistere fana. Cum templi cuiusdam fines definiebant et constituebant augures, tum proprie sistere fana vel templa dicebantur. Idem *effari templa* apud Varron. lib. V. (VI. pag. 229. Sp.). Hinc effata dicuntur, quod augures finem auspiciorum coelestium extra urbem agris sunt effati, hinc effari templa dicuntur ab auguribus, adfatus, qui in his fines sunt. Vide *Minora templa.* *Dac.*

Subigere. (Ad p. 267.) Vide *Subici.*

Sponsis. (Ad p. 267.) Lege: *Bene sponsis, beneque voleris.* *Scal.* *Voleris* pro *volueris*, *sponsis* pro *spoponderis*, *sponsaveris.* *Dac.*

Serpula. Vide *Serpsit.* *Goth.*

Solino. Consulo, Consolino, ut iter, itiner, fruiscor, fruniscor. *Scal.* *Consulo, Consolino,* ut *nato, natino; nego, negino; pago, pagino; lurcor, lurcinor* etc. *Idem*, id est Verrius, de quo superiori ca-

pite. Quidam: *Idem Messala. Dac. Consulo.* Male. Sic emendo: Nam idem, quod soleo, et ita solinunt pro solent. Nequinont pro Nequeunt. Vide supra *Nequinunt. Goth.*

Suad ted. (Ad p. 268.) Lego: *Sed ted, idem ait esse sine te.* Veteres *se* ponebant pro sine, item *sed*, ut supra dixit, et *ted* pro *te*, ut Quinctilianus etiam annotat. In vetustissimo lapide Duilii, qui ante hos II. annos, Romae quum essem, effossus fuit, semper legitur *marid* pro *mari*, et similia, cum *d* litera superflua. A *se sine* factum est, ut ab *iter itiner*, a *iecur iecinor. Scal.* Pro *sic te.* Sed qui? Non satis coniicio. Quare unice probo Scaligeri coniecturam. *Idem*, id est Messala, nam haec sequebantur post Serpula serpsit, ubi Messala laudatur. *Dac. Suad ted* est *Sa te. Sua* et *sa* est *τῇδε, τοιαύτῃ, αὕτῃ* hac ratione, diciturque, ut *qua, hac*, et Graecor. *τῇ, τῇδε* pro *οὕτως*. Est enim pronomen Sanscritum tertiae personae demonstrativum *sas, sa, tat*, hic, haec, hoc; Gothicum *sas, sô, thata;* Anglosax. *se, seo, thät.* Apud priscos Latinos certum est in usu fuisse *si* masc. *sa* fem.; de neutro nondum satis constat. Cf. supra *Sas*, et quae ibi diximus.

Stellam. (Ad p. 268.) Lege infra: *Quia et lamella aerea adsimilis stellae, locis inauguratis infigatur. Dac.*

Sinistrum. (Ad p. 268.) Vide s. v. *Sinistrae aves.*

Satis. (Ad p. 268.) Inepte Festus neque Verrii opinionem recitat, neque suam explicat, de his duobus verbis *Satis* et *Scabrum.* Sunt quaedam doctis viris condonanda. Non enim omnia possumus omnes. *Ant. Aug. Satis* a Graeco *ἅλις λ* converso in *τ. Dac.*

Stipatores. Iam supra adfuit.

Solicitare. Integra Festi verba affert Calpurnius ad Terent. Heaut. Timor. Act. III. sc. 1. Solicitare quidam dictum putant veluti citare ex solo, hoc est ex suo loco ac sententia movere; solum autem quin significet locum etc. *Dac. Citare.* Vide supra *Procitare. Goth.*

AD LIBRUM XVIII.

Tappete. (Ad p. 268.) Tappete scribendum est et fortasse Tapete, quod et masculini et neutri generis esse apud poetas Nonius ostendit. *Ant. Aug.* Ostendebat, puto, Ennium dixisse *Tapetos* masculino, et Turpilium in Demetrio, qui dixit *glabrum tapete.* Nonius (pag. 259. 542. Merc.). Glossarium: *Tapidus, τάπις ψιλή.* Lege: *Tapetus, τάπις, ψιλή.* Etiam Latini veteres *Psilas* dixerunt. Lucillius:

Psilae atque amphitapae molles, cum ingentibu' villis.

Scal. Haec corrupta sunt. Lego: *Tappete ex Graeco sumpsit tappetem Ennius cum ait . . . . Tappetem etiam dixit Turpilius in Demetrio le . . . . . Tappetem veterem. Sic tappete neutro genere. Tapes* a Graeco *τάπης. Dac.* Est autem tegmen unice pictum coloribus variis. *Goth.*

Terentum. Terentum in campo Martio locum ait per *d* dicendum fuisse, quod terendus sit saecularibus Ditis patris ludis, et teratur ab equis quadrigariis, quorum agilitas aequiparet motus ipsos Lunae; quod quam aniliter relatum sit, cuivis manifestum est. Et haec fuit scriptura Festi; et iure Festus anilem Verrii rationem explodit. *Scal.* Iure Festus Verrii rationem explodit. Terentum enim dictum in campo Martio a Tarento propter Iapygium promontorium sito. Zosim. *ταύτην γὰρ εἶχεν ὁ τόπος προσηγορίαν τῷ κατὰ τὴν ἄκραν Ἰαπυγίαν ὁμώνυμος ὢν Τάραντι. Dac.*

Taurii. Maxima pars verborum Festi ex epitome Pauli recte intelligitur. Cetera, quae ex Varrone referuntur, mihi valde obscura sunt. Affinia autem sunt verbo *Talipedare*, de quo supra. *Ant. Aug. Taurii ludi in circo Flaminio fiebant, qui instituti Diis inferis ex hac caussa sunt. Tarquinio regnante cum gravis pestilentia in mulieres gravidas incidisset, foetus infecti sunt ex carnis putore taurorum immolatorum. Ob id Taurii ludi et appellati sunt et fiunt in circo Flaminio, ne intra muros evocentur Di manes. Contra eos ludos Varro ait vocari, quod discipulus pendens a doctore iner . . . . . . solitus sit impelli, atque usque eo cogi docere, quoad consisteret, et virtute talorum constaret pedum firmitas.* Quod ludi Taurii in Circo Flaminio fierent, qui fuit extra portam Carmentalem, testis est Varro IV. de Lat. serm. (V. pag. 154. Sp.) Reliqua, quae ex opinione Varronis adferuntur, quin ita scripserit Festus, negari non potest. Apud nullum autem veterem scriptorem id temere invenias. Apparet tamen Varronem ludos Taurios ab eo dictos, sensisse, quod in corio tauri etiam id genus ludi fieret a ludi magistris eo die, quo ludi Circenses, qui dicti sunt Taurii, in circo Flaminio fierent, aut quod scutica tauria discipulus impelleretur, idque explendum fuisse in ea lacuna, in qua caussa nominis desiderari videtur. Scriptura Festi manifesta est; ratio nobis incomperta.

Fortasse pro *in er . . .* supplendum *in crudo corio.* *Scal.* Servius II. Aen.: *Quae sterilis autem est, taurea appellata, unde ludi Taurei dicti, qui ex libris fatalibus a rege Tarquinio Superbo instituti sunt, propterea, quod omnis partus mulierum male cedebat. Alii ludos Taureos a Sabinis propter pestilentiam institutos dicunt, ut lues publica in has hostias verteretur.* Quod ludi Taurii in Circo Flaminio fierent, qui fuit extra portam Carmentalem testis Varro lib. IV. de L. L. (V. p. 154. Sp.): *Item simili de caussa circus Flaminius dicitur, qui aedificatus est circa Flaminium campum, et quod ibi quoque ludis Tauricis circum metas currunt.* Viri docti aiunt hos ludos Taurios circenses etiam dictos, quod nemo probaverit. *Dac.*

Talassionem. Multa hac de re Dionys. (II, 30.) Liv. et Plutarch., ex quibus facile intelligitur, quod Pompeius scribit, sub Romulo Sabinam raptam fuisse virginem unicae pulchritudinis a Talassione, et quod id coniugium ei fuerit felix, in nuptiis ominis gratia redintegrari, id est identidem dici ac repeti nomen. Sunt qui Talassionem appellent, sunt qui Talassium vel Thalassium. *Ant. Aug.* Talassionem in nuptiis Varro ait esse signum lanificii. *Τάλαρον* enim, id est quasillum solitum appellari Talassionem. Atilius historiarum scriptor Talassium nomine virum rapta virgine unicae pulchritudinis, ominis gratia nunc redintegrari. *Scal.* Ut Graeci *hymenaeum* in nuptiis accinere solebant, sic Romani *Talassium* vel *Talassionem*, de quo vide Plutarch. in Quaest. Rom. 31. Historiarum scriptoris, quem laudat Festus, sententiam secutus est Liv. lib. I. (c. 9.) ubi de raptu Sabinarum virginum, et Servius lib. I. Aen. (pag. 221. C. ed. Dan.). *Dac.* *Calathus.* Vide supra *Calathus.* *Goth.*

Tribunicia. (Ad p. 268.) Lex Curiata erat potissimum de imperio militari iis magistratibus mandando, qui superioribus, centuriatis scilicet, comitiis creati fuerant. Neque enim consuli, si curiatam legem non haberet, attingere rem militarem licebat, ut ait Cicer. II. Rull. (cap. 11.) *eam legem ferebant consules.* Cic. ibid.: *Consulibus curiatam legem ferentibus* etc. At bello secundo Punico cum Hannibal portae Capenae appropinquasset, ideoque non liceret magistratibus ex praesidiis discedere, Consules, quia ipsi metu Hannibalis imminentis urbem venire et populum rogare non poterant, id egerunt per Tribunos plebis atque ita Tribunitia rogatione curiata lex lata. Nunc omnia plana. Verum Q. Fabium Maximum Verrucosum Cunctatorem dictum et M. Marcellum consules fuisse invenio ann. U. C. DXXXIX. At Annibal ad urbem accessit ann. DXLI. Coss. Q. Fulvio Flacco, Appio Claudio Pulcro, vel, ut quidam, anno DXLII. Coss. Cn. Fulvio Centumalo, P. Sulpicio Galba. Igitur vel in tempora peccavit Festus, vel alios annales secutus est. *Dac.* *Aelius in XII. significat. verbor.* Ita citatur supra in *Postliminium.* *Goth.*

Trisulcum. (Ad p. 269.) Trisulcum fulmen fuit dictum, quia id aut incendit, aut findit, aut terebrat. Haec est Festi, ut arbitror, sententia. Vide *Manubiae.* Servius lib. II. Aen. (pag. 261. D. ed. Dan.) Fulminum tria genera esse dicit, quod afflat, quod incendit, quod findit. *Ant. Aug.* Merae nugae. Vide *Sulcum.* *Dac.*

Togatarum. (Ad p. 269.) Videtur ostendere Festus differentiam inter *praetextatas, togatas* et *tabernarias* comoedias, nisi forte velimus dicere, togatas esse dictas, ut differant a palliatis, quae sint ex argumentis urbanis; nam palliatae sunt Graecarum fabularum. Togatarum autem alias esse praetextatas ingenuarum personarum, alias vero tabernarias vilium personarum. Togis enim praetextis utebantur ingenui pueri ac puellae; in tabernis vero versabantur servi plagiarii, ut Festus ait, et alii humilis conditionis viri ac mulieres. Vide *Praetextae.* *Ant. Aug.* Togatarum privatum argumentum est, quia hominum fastigia quaedam sunt. Praetextatarum publicum, quod togis praetextis remp. administrent. Tabernariarum, quia personis excellentibus etiam humiles mistae, caupones, plagiarii, servi denique et lenones in tabernis honeste prodeant, mistum argumentum est. Eleganter haec Festus, et dolendum erat nos eis diutius carere. *Scal.* Quanti momenti sit hic locus, hinc existimandum est, quod absque eo in magna fabularum ignorantia versaremur. Nam Grammatici ita perplexe, intricate earum genera tradidere, ut eorum ope nemo adhuc ex hoc argumento sese extricare potuerit. Imo etiam et per eos viri doctissimi saepissime in errorem praecipites dati, dum *togatas* a *praetextatis* et *Tabernariis* diversas somniarunt. *Praetextatae* et *tabernariae* nihil aliud sunt, quam *togatae*, ut nos docet hic Festi locus. Neque praetextatae vere tragoediae sunt, ut volunt viri docti. Praetextatae *togatae* dictae, quod magistratus et patricios, qui togis praetextis utebantur, producerent in scenam. *Tabernariae* vero *togatae*, quod cum tabernis scenae disponebantur, ita ut inter viros excellentes patricios interdum et plebeios, quorum erat toga, plagiarii, servi et cauponae e tabernis saepissime prodirent. Ab his diversa aliquatenus *Atellana*, quamvis etiam et togata. Quae Graecorum satyram imitata, ut et *planipes*, quae Graecorum mimos, sed quia notulas scribimus, de singulis olim pluribus agemus, modo Deum illum Opt. Max. propitium et faventem experiamur. Supra in verbis Festi: *Praetextatarum hominum fastigi:*

-*fastigi* pro *fastigii.* Interpretor: *Praetextatarum*, *quae sunt hominum fastigii*, id est, hominum, qui sunt fastigium, *τὸ ἄκρον*. *Prima virorum*. *Dac.* Ueber die Atellanischen Schauspiele der Römer von *C. E. Schober.* Leipzig b. Hartm. 1825. Adde: De L. Pomponio Bononiensi Atellanarum poeta scr. *Munk.* Glog. 1826.

Tauras. Paulus originem ex Graeco omisit, quae verisimilior visa est Festo. *Ant. Aug.* Ex Verrii sententia Glossarium: *Taura βοῦς στεῖρα.* Et Varro lib. II. de R. R. 5.: *Quae sterilis est vacca, taura appellatur. Dac. Rapiant.* Pariant. *Goth.*

Todi. Mirum est et hic et superius Plautum in Sy . . . . citari, cum alibi citet coniunctim cum illo versu: *Diobolares, schoenicolae, miraculae*, quem versum manifesto alii citant ex Cistellaria, quod perperam est pro Clitellaria. *Scal.* Vide *Crocotillum* et *Succrotila. Dac.* Lege apud Plautum: *Cum todilli crusculis.* Cf. Krehl. ad Priscian. III, 5. *qui cum todinis crusculis* legendum censet.

Tubilustria. Varro lib. V. de L. L. (pag. 197. ed. Sp.): *Tubilustrium appellatur, quod eo die in atrio sutorio sacrorum tubae lustrantur.* Bis autem id fieri docent fasti, X. Kal. Apr. et X. Kal. Iun., in quibus *Tub.* vel *Tubil.* adscriptum est, et Ovid. lib. III. Fast. (849.):

Summa dies e quinque tubas lustrare canoras
Admonet, et forti sacrificare deae.

Loquitur autem de quinto die post quinquatrus, quae dies Minervae sacrae dicebantur; et lib. V, (726.):

Proxima Vulcani lux est, quam lustria dicunt:
Lustrantur purae, quas facit ille, tubae.

Ex his verba Festi intelliguntur, excepto, quod de Arcadia dicit. Tubi vero qui sint, omnibus notum est. *Ant. Aug.* Tubilustria dies, quibus diebus adscriptum, in atrio sutorio agna tubae ut lustrentur, ab eis tubos appellant, quod genus lustrationis ex Arcadia, Pallante eo transferente, venisse dicunt. Apud Ovidium Fast. (V, 725.):

Proxima Volcani lux est. Tubilustria dicunt.
Lustrantur purae, quas facit ille tubae.

Male hodie legitur: *Proxima Volcani lux est, quam lustria dicunt. Scal.*

Tuditantes. Glossae: *Tuditatores, χαλκοτύποι.* Aliud est *Tudicula, τορύνη.* Inde *Tudiculare.* Varro Marcip.: *Haecine nobis tibique tudiculasse?* hoc est movere. Nam *τορύνη κινητήριον τῆς χύτρας.* Porro verba Ennii ita lege:

— — *haec inter se tota vi tuditantes.*

Saepe in hoc exemplari Festi *a* pro *u* et contra *u* pro *a* scriptum erat. Reliqua integra sunt in Epitoma. *Scal.* A *tudes tuditis*, malleus, est *tudito*, id est proprie malleo tundo, impello, et per metaphoram negotium tundo, ago, ut in illo Ennii: — *Haec inter se tota vi tuditantes.* (Sic enim legendum docuit Scal.) Tuditantes, id est *agentes*, quo sensu etiam nos dicimus *battre, rebattre.* Sed aliter in illo Lucretii (II, 1141.):

Nec tuditantia rem cessant extrinsecus ullam
Corpora conficere.

Dac. Vide Nonium (pag. 178. Merc. v. *Tudiculare.*). *Goth.*

Tudites. Tuditani Sempronii dicti, quorum primus, ut arbitror, M. Sempronius Tuditanus Cos. fuit cum C. Claudio Centhone anno P. R. C. D. 13. (IↃXIV.) ex Fastis Capitolinis. *Ant. Aug.* Infra: *Tudites malleos appellant antiqui a tundendo, quamvis alii e tudibus tudites, inde Ateius Capito ab eis existimat Tuditano cognomen datum, quod caput malleoli simile habuerit. Scal.* Vide *Tuditantes.* Haec: *Quamvis alii cruribus* sic emendabat Fulvius Ursinus: *Quamvis alii a tudibus*, quasi primo *tudes, tudis*, ut *sudes, sudis*, postea *tudes, tuditis* dictum sit. *Dac.*

Tullios. Tullii a tullo pro tollo, quod aquam sursum tollant. Voss. *Silani* sunt aquarum tubi vel fistulae. *Dac. Aiax misso.* Ennii verba sic suis numeris restituit Vossius:

— — — *Sanguine*
Emisso tepido Tullii efflantes volant.

Illud *Aiax* natum est ex praecedenti voce *Aiace*, et verba sunt nuntii de Aiace, postquam sibi manus intulit et ex illo Sophoclis, cuius fabulam convertit Ennius, ut optime Scaliger (Sophocl. Ai. 1411. seqq.):

— — — *Ἔτι γὰρ θερμαὶ*
Σύριγγες ἄνω φυσῶσι μέλαν
Μένος.

Glossae Papiae: *Tullii aquarum proiectus.* *Dac.* Dixi ad legem *Lines* 15. de act. empti. *Goth.* Pro *Sillanos* Glossae *Silvanos* legunt, in quibus Silvanus exponitur κρουνός. In lege Fundi 17. §. item constat. ff. de act. empti. *Silvani dicuntur personae, ex quorum rostris aqua salire solet.* *Idem.*

Topper. Illa videntur mendosa: *Ennius vero sic*, et in veteri libro habent notam R. literae. In Attii carmine mutat Faernus noster: *patris te eiecit foras.* Ex Odyssia vetere versus relati senarii sunt magis, quam heroici; ideo suspecti sunt. *Ant. Aug.* *Sic in eodem*, hoc est in Nelei carmine, non apud Naevium. Est autem egregia Gnome:

Namque neillum peius macerat humanum,
Quam demare saevum. Vires quoi sunt magnae,
Topper confringent importunae undae.

Sed vereor, ne sit Livii Andronici ex veteri Odyssea, non Nelei aut Naevii. Ad verbum enim ex Homero *'Οδυσσ. ϑ'*, (VIII, 138. seq.):

Οὐ γὰρ ἔγωγέ τί φημι κακώτερον ἄλλο ϑαλάσσης
Ἄνδρα τε συγχεῦαι, εἰ καὶ μάλα καρτερὸς εἴη.

Et non dubium est esse ex Odyssea veteri. Sunt autem versus Saturnii. *Neillum* autem pro *nihilum.* Verba eiusdem veteris Odysseae: *Topper facit homines veris sueris*, hoc est verres sues, ex illo:

— — — *ἧκεν ἅπαντας*
Ἢ σῦς, ἠὲ λύκους ποιήσεται.

'Οδυσσ. κ', (X, 432. seq.): *Verres sues* dictum coniunctim, ut *rete iaculum*, *lapidem silicem* et similia. Veris non geminato *r*, qui erat mos illorum temporum, et *facit* pro *faxit*, ita apud Plautum et in XII. et *pacit* in iisdem pro *paxit.* *Topper facit* vel *faxit: ποιήσειεν ἄν.* Illa vero: *Topper citi ad aedis venimus Circae, simul duonorum portant ad naves milia, alia in iisdem inserinuntur* potius sententiam, quam verba Homeri exprimunt (Odyss. XII, 16. seqq.):

— — — *οὐδ' ἄρα Κίρκην*
'Εξ 'Αΐδεω ἐλϑόντες ἐλήϑομεν. ἀλλὰ μάλ' ὦκα
Ἦλϑ' ἐντυναμένη· ἅμα δ' ἀμφίπολοι φέρον αὐτῇ
Σῖτον καὶ κρέα πολλὰ, καὶ αἴϑοπα οἶνον ἐρυϑρόν.

Duonorum milia dixit etiam ex imitatione Homeri, sed aliis locis *ὀνείατα μυρία.* Quare apparet ita, uti posuimus, legenda esse verba Livii, quae neque senarii sunt, neque Livius aliis versibus Odysseam vertit, quam Saturnio. Tantum abest, ut debeant esse hexametri, quod tamen videntur sentire doctissimi viri. Nam ante Naevium nemo adhuc hexametros Latine scripserat, ne ipse Naevius quidem. *Scal.* Iulius Caesar Scaliger lib. VII. de re poetica cap. 1.: *Semper primam producit natura, fuit enim semiopere, sicut toper, toto opere; nuper, novo opere. Significat enim toper cito et expedite, ita ut opera absoluta sit, itaque semper ei contrarium est, propterea quod si quid dimidio tantum opere fit, id non absolvitur, sed continuatur.* Huius vocis meminit Quinctilian. lib. I. cap. 6. Quod Graeci *τάχα*, Latini *topper* dicebant. *Τάχα* enim et *cito* et *fortasse* significat. Doctissimo Guyeto ut a *nuncper nuper*, sic a *tuncper tuper*, *toper.* *Dac.* *Temere.* Optime Fulvius Ursinus *mature* ex sequentibus. *Idem.* *Topper fortunae.* *Fortunae hominibus* pro *fortunae hominum.* Hominibus in dandi casu. *Idem.* *Sic in eodem.* In verbis Livii *topper* non significat *fortasse*, ut notavit Festus, sed *cito.* *Idem.* *Topper, ut fit.* Hunc Accii versum ex Ione sic emendabat Fulvius Ursinus:

Topper, ut fit, patris ten' eicit ira.

vel:

Topper, ut fit, pater istanc eiecit foras.

Idem. *Duonorum* id est *bonorum.* *Idem.* *Humanum.* Homonem. Ita in *Hemona.* *Goth.* *Topper* vox antiqua, cuius stirps per omnes sermones Indogermanos uberrimas egit radices. Respondent enim huic Latinae voci Germ. *tapfer*, *dobber*, Slav. *dobry*, Sabinae voci *cuprus* sive *ciprus;* de qua postrema adeundus est Varro de L. L. V. pag. 158. Sp. ubi haec: *Vicus Ciprius a Cipro, quod ibi Sabini cives additi consederunt, qui a bono omine id oppellarunt. Nam ciprum Sabini bonum.* Unde *Iuno Cupra* i. e. fortis, bellicosa. Cf. Strabo V. pag. 241. Cluveri Ital. ant. II, 11. pag. 734. adde Müller die Etrusker pag. 145. tom. I. Erit igitur *Dea Cupra*, sub quo nomine Etrusci Iunonem colebant, eadem quae *Iuno Quiris* i. e. hastata, sive quod eodem redit Iuno

regina. Ex quibus omnibus intelligitur, *topper* adiectivum proprie significare *fortiter*, *vehementer*, unde reliquae significationes facile ortae. Ceterum locos Livii ita emendat Hermannus in Elem. doctr. metr. p. 623. seqq.:

— — — námque nilum peius
Macérat hemonem, quámdo máre saevom vires quoi
Sunt mágnae, topper cónfringént importunae undae.

Et:

— — — topper fáciet hómines verris sueres.

Tum:

Ad aédis venimús Circaé; simul duonorum
Portánt od navis míllia.

Tibicines. (Ad p. 270.) Columellae, quibus tecta fulciuntur. Iuvenal. Sat. III, (193.):

Nos urbem colimus tenui tibicine fultam.

Dac. Aedificia. Aedificiorum tecta fulcra. *Goth.*

Torrens. Haec Pacuvii verba intelligit Varro lib. I. de R. R. 2.: *Verum enim est illud Pacuvii, sol si perpetuo sit, aut nox, flammeo vapore, aut frigore terrae fructus omnes interire.* Nam Varro saepissime non tam verba ipsa, quam eorum sensum repraesentat. Torrens etiam dicitur fluvius subitis imbribus concitatus et a montibus in valles decurrens, amnis hibernus, χειμάῤῥους, non quod siccitatibus exarescat, ut ait Festus, sed quod propter rapiditatem exaestuet. Unde et quilibet alii fluvii torrentes etiam dicti. *Dac.* Vide Cuiac. ad l. 157. ff. de v. sig. *Goth.*

Torum. Pro *torrum*, ut *toris* dicebant pro *torris*. Vide *Torreo*. De Ennio, qui primus consonantes geminavit, iam supra. *Dac.*

Turmam equitum. Varro lib. IV. de L. L. (V, 93. Sp.): *Turma terma est, e in u abiit. Quod terdeni equites ex tribus tribubus, Tatiensium, Ramnium et Lucerum fiebant. Itaque primi singularum decuriarum Decuriones dicti, qui ab eo in singulis turmis sunt etiam nunc terni. Dac.*

Torrere. Plautus in Casina (II, 5, 1.): *Una aedepol opera in furnum* etc. *Ant. Aug.* Lege: *Torrere a torro.* Et ita in MSS. *Torrus* autem sive *Torus* unico *r*, ut infra, veteres dicebant, pro *torrido* aridoque. Estque *torus* a τείρω, arefacio, sicco. Locum Plauti supra vide in *Rubidus*. *Dac.*

Turrhenos Etruscos. Vide *Sardi*. Velleius Paterculus lib. I. (init.): *Per haec tempora Lydus et Tyrrhenus fratres cum regnarunt in Lydia, sterilitate frugum compulsi sortiti sunt, uter cum parte multitudinis patria decederet. Sors Tyrrhenum contigit, pervectus in Italiam et loco et incolis et mari nobile ac perpetuum nomen a se dedit.* Aliter paulo Tacit. Annal. lib. V. (IV, 55.). Vide Strab. (V. pag. 219.) Herod. (I, 94.) Serv. (ad Aen. X, 165. pag. 603. Dan.). Verum totum hoc fictum esse nimis verisimile est, praesertim quum apud omnes fere scriptores pro *Tyrrheni* et *Tirrhenia*, Τυρσήνοι et Τυρσηνία sit exaratum. Ita dicti scilicet a τύρσεις *turres*, *muri*, quod Tyrrheni primi muros extruendi artem invenerint. Eos Pelasgici generis fuisse Lemnumque et Imbrum Aegei maris insulas inhabitasse testantur multi veteres. Ab his igitur Pelasgis dicta est Tyrrhenia ea pars Italiae, quam occuparunt relictis suis sedibus. Vide Hellanicum Lesbium apud Dionys. Halicarn. (lib. I. cap. 29. 30. pag. 24.). Vide Dionys. Perieg. Marcianum Heracleot. et alios. Postea autem Etrusci cum Pelasgis admisti Tyrrheni etiam dicti sunt. *Dac. A cuius gente.* Falsum. Tyrannus enim a Graeco τύραννος, qui primo regem et principem notavit et postea in malam partem sumptus est. Vide quae apud Horatium nostrum Gallicum notavimus Od. 35. lib. I. *Idem.*

Tyria maria. (Ad p. 270.) De Poenis quod maris potentes essent, notum est. Inde *Tyria maria* proverbio de re valde periculosa dictum. Vide Erasm. Versus Afranii non vacat mendo. Lipsius Epistolic. Quaest. Ep. 20. legebat: *hunc ferreum Tyria maria conciet.* Id est, hunc hominem asperum et tangi periculosum, ut Maria Tyria. Sed haec manifesto contra mentem Festi. Lego:

Hic servus maria Tyria conciet.

Id est, hic servus sibi excitat maria Tyria, rem valde periculosam aggreditur, suo sibi iumento malum quaerit. Forsan et sic melius: *Hic Syrius maria Tyria conciet*, ut proverbium sit de eo, qui congreditur cum potentiori. Nam Syri olim imbelles audiebant. *Dac.*

Torvitas. Nam torve Graeci ταυρηδόν. *Ταυρηδὸν ἐπιβλέπειν*, ὁρᾶν, torve intueri. *Dac.*

Turbellas. Plaut. in Pseudolo (I, 1, 108.): *Quo pacto et quantas soleam turbellas dare. Ant. Aug.* Male V. C. *Turbela.* A *turba turbella*, ut a *populus popellus*, *umbra*, *umbella* etc. *Dac.*

Tutulum. Varro lib. VI. de L. L. (VII. pag. 330. Sp.) *Ennii* versus refert, qui ad Numam referuntur. *Menses constituit, idemque ancilia . . . . Libaque fictores, Argios et Tutulatos. Ant. Aug.* Proprie tutulus locus urbis altissimus, unde in muliere notat capillorum in conum congestum, *suggestum comae* vocat Papinius (Silv. I, 2, 113.), *turritam frontem* Iuvenalis. In flaminibus autem summum fastigium pilei lanati, hoc est flamınei. Varro lib. VI. de L. L. (VII. pag. 330. Sp.) dum exponit illud Ennii e Saturnio carmine: *Libaque fictores Argeos et tutulatos. Tutulati,* inquit, *dicti, qui in sacris capitibus* (leg. *opicibus. Scal.*) *habere solent, ut Metam. Id Tutulus appellatur ab eo, quod matresfamilias crines convolutos ad verticem capitis, quos habent uti velatos, dicunt tutulos, sive ab eo, quod tuendi causa capilli fiebant, sive ab eo, quod altissimum in urbe quod est, ea res tutissima, tutulus vocatur.* Quem locum Varronis, quia turpi mendo deformatus est, tentavit olim Scaliger pro *uti velatos* rescribens *elatos.* Infeliciter sane. Nam certum est scripsisse Varronem: *quos habent rete velatos.* Rete enim inter mundum muliebrem proprie vitta crinium. Idem Varro lib. IV. (V. pag. 133. Sp.): *Et quod capillum contineret, dictum a rete reticulum,* restitutionem hanc firmant verba ipsa Festi cum verbis Varronis collata. Ait Festus tutulum esse crines innexos vitta purpurea et in altitudinem extractos, ubi sane nullum alium, quam Varronem ipsum interpretatur, qui scripserat crines convolutos ad verticem capitis rete velatos tutulos dictos. Rursus quod dixerat Varro *habere solent ut metam,* dixit Festus *forma metali.* Sic enim legendum pro *forma e tali* monuit Fulvius Ursinus. Hoc est, *in formam metae.* Nam in Schedis erat *formam e tali.* Inde in veteri inscriptione, quae penes Fulv. Ursin. fuit: *APONIAE. A. TUTUL. ORNATRICI.* Dac.

Tuor. Lego in fine transpositione voculae: *Tueor pro video, contueor et pro defendo.* Neque enim ait contueor esse defendo. Quod falsum est, sed tueor esse video, contueor et defendo. *Tuor* pro video *Tesca tuor* supra in *Tesca* et *tuorem* dicebant *visum. Dac.*

Tuguria. (Ad p. 271.) *Tuguria a tecto appellantur aedificia rusticorum sordida. Afranius in Virgine: tugurium est turpe. Caecilius in Hypobolimaeo: Habitabat in tugurio sine operculo. Quo nomine Valerius in expositione XII. ait etiam . . . . . . ita vocari. Scal. Tugurium* a *tecto,* nisi potius legendum a *tego,* nam *tugurium* quasi *tegurium.* Isidor. lib. XV, 12.: *Tugurium casula est, quam faciunt sibi custodes vinearum, ad tegimen sui, quasi tegurium.* Verba Afranii: *Sordidum tugurium et turpe.* Infra defectum sic supplebat Marcilius: *Quo nomine Valerius in explanatione XII. ait etiam tectum in lege XII. tabularum significari.* Et putabat ibi de tugurio legem egisse, ubi de *pariete communi. Dac.* Valerius in explanatione duodecim. Ita citatur in verbo *Sanates.* De loco Caecilii cf. Spengel. Fragmm. Caecil. pag. 28.

Tuscus. L. m. habet *obsessione* pro *obsidione,* et ita videtur fuisse apud Festum in fragmento. *Fulv. Urs.* Varro lib. IV. de L. L. (V. pag. 51. Sp.) ait Coelium montem a Coele Vibenno Tusco dictum, qui Romulo auxilio fuit contra Sabinum regem. Hi qui cum eo venerunt, post eius obitum, quod nimis munita loca tenere dicerentur, deducti esse dicuntur in planum et ab eis esse dictum vicum Tuscum idem scribit. Livius (II, 14.) et Dionys. (V, 36. pag. 305.) videntur id sequi, quod a Paulo in Epitome scriptum est. Festus autem id ipsum initio dicit, duosque fratres nominat Coelem et Vibennum, postea opinionem Varronis paucis attingit. *Ant. Aug. Tuscum vicum coluerunt Tusci, a quibus eum scriptores dictum aiunt: ab eo, quod hi Porsena discedente ab obsidione remanserint Romae, locoque his dato novis rebus studentes fratres Coeles et Vibenna reducere Tarquinium Romam secum maturaverint. M. Varro, quod ex Coele Tusco orti sint.* Habes omnino quod Festus de Tusco vico scripsit. *Scal.* Vide Livium lib. II, 14. Locus M. Varronis, quem Festus intelligit, est lib. IV. de L. L. (V. pag. 51. Sp.): *In Suburanae regionis parte princeps est Coelius mons a Coelio Vibenno Tusco, duce nobili, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Sabinum regem. Hi post Coelii obitum, quod nimis munita loca tenerent* (Coelium montem scilicet), *neque sine suspicione essent, deducti dicuntur in planum. Ab eis dictus vicus Tuscus. Dac.*

Toxicum. (Ad p. 271.) Toxicum dicitur cervarum venenum, quo quidam perungere sagittas solent. Hoc exemplis Caecilii et Afranii confirmat Festus. *Ant. Aug.* Toxicum dicitur cervarium venenum, quo quidam perungere sagittas solent. Caecilius in Gamo: *ut hominem miserum toxico transegerit.* Afranius: *uxori vin' istud toxicum mittere.* Caecilius hellenismo utitur, transigere hominem toxico: τὸν ἄνθρωπον φαρμάκῳ ἐξανύσαι. Fortasse etiam legendum: *Afranius Uxore. Scal.* Quasi *taxicum,* a taxo arbore dici putavit Plin. lib. XVI. cap. 10. Sed omnino vera Festi etymologia a sagittis, quae Graece τόξα, quia eo sagittas perungerent. De quo more Virgil. IX, (773.):

— — *quo non felicior alter*
Ungere tela manus, ferrumque armare veneno.

Idem Etymon Dioscorid. lib. VI, 20.: *τὸ δὲ τοξικὸν δοκεῖ μὲν ὠνομάσθαι ἐκ τοῦ τὰ τόξα τῶν βαρβάρων ὑπ' αὐτοῦ χρίεσθαι.* Quae et apud Paulum Aeginetam fere ad verbum lib. V, 53.: *Cervarium autem venenum vocat, quia de sanguine cervorum fieret, vel etiam quod olim de sanguine hydrae, quam Hercules confodit, primum factum est. Dac. Ut hominem. Toxico* cum dixit Caecilius, sagittam toxico armatam intelligit. *Transegerit* autem ut apud Virgil. (Aen. XII, 276. 508.): *Transadigit costas.* Non intellexit Scaliger, qui hic hellenismum cogitavit. *Dac.* Spengel. in Fragmm. Caecil. pag. 21. in loco Caecilii sic legendum suadet:

Ut hominem amoris toxico transegerit,

ad exemplum illud Plautinum Clitell. 31.: *Video ego te amoris valde tactum toxico.*

Tuscos. Lege: *Alii, quod unice studiosi sint sacrificiorum.* Priorem sententiam, quod Tusci a *Tusco* sive *Tusculo* Herculis filio, secutus Strabo (V. pag. 219.) et alii. Posteriorem, nempe quod a sacrificandi ritu, inter alios Plin. lib. III, 5.: *Umbros inde exegere antiquitus Pelasgi, hos Lydi, a quorum rege Tyrrheni, mox a sacrificio, ritu lingua Graecorum sunt cognominati.* Et Servius (ad Aen. X, 165. pag. 603. Dan.): *Tusci a sacrificandi frequentia dicti sunt, ὑπὸ τοῦ θύειν.* Nam *θύω* est sacrifico. Et Eustathium nihil moror, qui ad Dionys. Perieg. notavit Tuscos *Truscos* etiam dictos. *Dac. Vel quod aditum.* Ineptum et Stoico dignum quod ait Tusculum dictum, quod habeat aditum difficilem, id est *δύσκολον*, neque enim *δύσκολος* unquam hoc sensu potuit usurpari. *Dac.*

Tumu.... Tumultus causa milites dicuntur lecti ob subitum timorem, unde etiam tumultum dici ait Verrius, qui ab aliis oriatur, quam ab Italicis et Gallicis hostibus. Alii tantum bellum Galliae et Italiae. Itaque nullum alium praeterquam Gallicum aut domesticum ita appellant. Haec vel his similia Festus. Cicer. Philipp. VIII. (c. 1.): *Quid est enim tumultus, nisi perturbatio tanta, ut maior timor oriatur, unde etiam nomen ductum est tumultus. Itaque maiores nostri tumultum Italicum, quod erat domesticus, tumultum Gallicum, quod erat Italiae finitimus, praeterea nullum tumultum nominabant. Ant. Aug. Tumultus dicitur timor multus. Tumultu milites dicuntur lecti ob subitum timorem. Unde etiam tumultum dici ait Verrius, quia is non aliter quam ab Italicis et Gallicis hostibus immineat Italiae. Itaque nullum alium, quam Gallicum aut domesticum timebant.* Quis negaverit hanc esse ipsam Festi lectionem? quod dico, quia docti viri contra Festi sententiam atque adeo contra veritatem ipsam aliter legunt, ut, si vera est eorum lectio, tumultum alium esse, quam qui timebatur ex Gallicis et Italicis, fatendum sit. Quod falsum esse et mediocriter docto palam est. Nullum enim alium tumultum dixere, quam Gallicum et domesticum, hoc est Italicum, ut aperte Verrius ipse docet. *Scal.* Iisdem fere verbis Cicero Philipp. VIII, (1.), ubi tumultus etymon a timore deducunt, cum potius a *tumore* dici debuerit. Tumor enim pro tumultu apud Ciceronem alicubi (ad Attic. XIV, 5.). Sed praeterea falsum est, veteres nullum alium tumultum nominasse, quam Italicum et Gallicum, nam de quovis alio bello tumultum dixisse certum est. *Dac.* Vide Servium initio lib. VIII. Aen. (p. 503. E. Dan.). *Goth.*

Tumulum. Tumulum Aelius sic definit: Tumulus est mons arenae editus secundum mare fluctibus sublevatus. Unde similiter et manufactus et naturalis proprie dici potest. Scal. Lege: *in altum elevata*, vel *elevatus*, nempe *cumulus.* Gloss.: *Tumuli, βουνοί, λόφοι, τύμβοι, σωροὶ γῆς. Dac.*

Thomices. Verba Lucillii ita lego: *indimus eis tomices canabinas.* Reliqua sunt in Epitoma. Graecum esse ait *θώμιγγες* scilicet. Veteres dicebant *tumiculas* et *tumiclas.* Apuleius lib. VIII. (p. 213, 20. Elm.): *Et ilico me tumicla spartea deligatum tradidit Philebo.* Ita legendum, non, ut vulgo, *tumida spartea.* Nam *tumex* potius, quam *tomex* dicebant. Plautus Mercatore (I, 2, 79.):

Quia negotiosi eramus complicandis nos nostris negotiis,
Armamentis complicandis, componendis tumicibus.

Male hodie in Plauto: *componendis studuimus.* Sed de eo amplius in editione Plautina. Etiam tumicem pro vibice usurpabant. Glossarium: *Tumex, σμώδιξ, αἱματώδης τύπος.* Sed tunc Latinum est a *tumendo* scilicet. *Scal.* Thomix a Graeco *θώμιγξ*, quod Hesychius interpretatur *λεπτὸν σχοινίον.* Vitruv. lib. VII, 3.: *Tomice ex sparto Hispanico religentur.* Sed melius *thomice* cum aspiratione. Locus Lucillii sic corrigendus est: *Vidimus vinctum thomice canabina.* Opilii Aurelii sententiam secutus Perottus. Sed male *tomicum* vocat. *Tomicus*, inquit, *restis e canabo sive sparto leviter torta, sive pulvillus apponi solitus e conciso cannarum cannabi, ne restis laedatur.* Illud etiam interest, quod Perottus pulvillum intelligit funibus circumdatum, ne frequenti collisione laedantur; Aurelius vero pulvillum, quem in collo ponunt animalibus, ne reste laedantur. *Dac.*

Tongere. Tongere Aelius Stilo ait noscere esse, cum et Praenestini tongitionem dicant pro notione. Significat etiam latius dominari. Ennius: Alii rhetorica tongent. Et vincere quandoque videtur significare. Haec fortasse Festus. *Ant. Aug. Tongere Stilo ait noscere esse, quia Praenestini tongitionem dicant pro notione,*

ut: tongitione potius dominari. Ennius: Alii rhetoricam tongent et vincere volunt; norunt videtur significare. **Scal.** Glossarium Fornerii: *Tongere εἴδειν. Ennius in XVIII. Lucilius in XXIII.* Illud non legerat Scaliger, qui putavit hoc fragmentum esse ex Sotadico Ennii. *Tongeo* Vossius ait esse a *teneo*, quod *nosco*, *vinco* et *dominor* aliquando significat. *Dac. Tongitionem.* Tongionem. *Goth.*

Tesca. Varro lib. VI. de L. L. (VII, 293. Sp.): *Loca quaedam agrestia, quod alicuius dei sunt, dicuntur tesca. Nam apud Attium in Philoctete Lemnia: quis tu es mortalis, qui in deserta et tesca te apportes loca?* et postea: *quare heic qui tesca dixit, non erravit, neque ideo, quod sancta, sed quod ibi mysteria fiunt ac tuentur, tuesca dicta, post tesca*, et postea: *quare a tuendo et templa et tesca dicta.* Ex his magnam partem verborum Festi intelliges. *Ant. Aug.* Tesca dicunt loca augurio designata, quo termino finitur terra augurii. Opilius Aurelius loca consecrata deo alicui, non ut templum sit, sed sancta loca, undique septa, ut aiunt Pontificii libri, in quibus scriptum est: *LOCUMQUE SEDEMQUE TESCUMQUE ALIQUOI DEO DEDICAVERIT, UTEI DEOS ACCIPIAT VOLENS PROPITIOSQUE.* Hostius belli Istrici lib. . . .

Per gentis alte aetherias ac tesqua volabis,
Templa antiqua deum.

Quidam explicavere aspera, difficilia aditu. Attius: *loca aspera, saxa tesca tuor.* Et in Philocteta:

Quis tu es mortalis, qui in Lemni tesca te apportas loca?

Glossarium: *Tesqua* sive *Tesca κατάκρημνοι καὶ ῥάχεις καὶ ἔρυμοι τόποι.* Verba Tesquorum seu templorum dedicandorum ex veteri formula traduntur a Varrone (VII. pag. 290. seq. Sp.): *TEMPLA TESCAQUE INCITA SUNTO, QUOAD EGO CASTE LINGUA NUNCUPAVERO, OLLA VETER. ARBOR. QUISQUIS EST, QUAM ME SENTIO DIXISSE, TEMPLUM TESCUMQUE ESTO IN SINISTERUM. OLLA VETER ARBOR QUIDQUID EST QUOD ME SENTIO DIXISSE TEMPLUM TESCUMQUE ESTO IN DEXTERUM INTER EA CONREGIONE CONSPITIONE CORTUMIONE UTEIQUE RECTISSUME SENSI. Scal.* Ait ex Verrio et Opilio Aurelio Tesca esse templa, hoc est spatia Augurio designata intra terminos, ubi finis sit auguri. Deinde ex Pontificalibus libris Tesca dici loca sancta, quae undique septa sunt, hoc est templa sive Dei sive Deae. Tandem ex Cicerone et Accio Tesca esse loca aspera et difficilia aditu. De templo auguris Varro lib. VI. de L. L. (p. 290. Sp.): *Templa tescaque incita [me ita] sunto, quoad ego caste lingua nuncupavero* etc. De templo sive Dei sive Deae idem Varro ibidem, sed contra Pontificios libros negat, tesca quod templa sint, ideo esse etiam sancta. Eius verba sunt (p. 293. Sp.): *Quod addit templa, ut sunt dextra, aiunt sancta esse, qui glossas scripserunt, id est falsum. Nam Curia Hostilia templum est, et sanctum non est; sed hac ut putarent aedem sacram esse templum et sanctum esse, quod in urbe Roma pleraeque aedes sacrae sunt templa, eadem sancta, et quod loca quaedam agrestia, quod alicuius dei sunt, dicuntur tesca. Nam apud Actium in Philocteta, Lemnia [Lemnio]: Quis tu es mortalis, qui in deserta et tesca te apportes loca? loca enim quae sunt designat, cum dicit Praestolare* (optime Fulvius Ursinus *Ephaestilares) et celsa Cabirum delubra tenes, Mysteriaque pristina castis concepta sacris.* Et paulo post: *Quare hic, qui tesca dixit, non erravit. Neque ideo, quod sancta, sed quod ibi mysteria fiunt ac tuentur, Tuesca dicta, post tesca.* Ubi, ut vides, Accii versum aliter Varro accipit, quam Festus. Ibi enim tesca agrestia quidem et deserta loca interpretatur, sed quae tamen dei alicuius sint, et revera erant *tesca* illa loca, undiquaque nemorosis collibus cincta, ubi Volcani fiebant mysteria, quae quia praerupta et aditu difficilia, inde quaevis alia loca praecipitia et aspera Tesqua etiam dicta. Utramque significationem amplectitur Glossarium: *Tesqua* sive *Tesca κατάκρημνοι καὶ ῥάχεις καὶ ἔρυμοι τόποι.* Supra in verbis Pontificalibus emendabis: *Templumque sedemque tescumque, sive Deo sive Deae dedicaveris, ibi eos accipias volentes propitiosque.* Versus Hostii:

Pergentes alte aethereas atque avia tesca
Perque volabis templa antiqua Deum.

At Scaliger:

— — *perdiu gentes*
Aliger Aethereas atque idem tesca volabis
Templa antiqua Deum.

Putabam ego vocem *templa* ad explicationem vocis *tesca* huc irrepsisse, adeoque legendum:

Pergentes alte Aethereas et celsa volabis
Tesca antiqua Deum.

Ubi *tesca* vocat spacia coelestia, quae alii templa. Ennius I. Annal.:

Unus erit quem tu tolles in caerula coeli
Templa.

Superiusque illud hemisphaerium intellige, quod templum tescumque dicitur, quia undique, ut Naevii verbis utar, aethra caerula septum est:

Hoc ubi aethra caerula septum stat hemisphaerium.

Versus Accii ex Varrone Scaliger:

Quis tu es mortalis, qui in deserta Lemnia
Et tesca te apportas loca?

Tesca a Graeco δάσκια, *umbrosa. Dac.* Vide Godofr. Hermanni Dissert. de Aeschyli Philocteta in Opusc. T. III. p. 118. seq. Versus Ciceronis est ex opere deperdito. Vide Orell. Cic. Opp. Vol. IV. P. II. p. 582. n. 13.

Tonsilla. Attii carmen mendosum est. *Ant. Aug. Tonsillam ait esse Verrius palum dolatum in acumen et cuspide praeferratum, ut existimont quidam, cum figitur in littore navis religandae caussa. Pacuvius in Medo: Accessi ad eam et tonsillam pegi laevo in littore. Idem in Phinidis: Tacete et tonsillas littore in laevo edite. Scal.* Aliter Isidorus lib. XIX, 11.: *Tonsillae*, inquit, *uncini ferrei, vel lignei, ad quos in litore defixos navium funes religantur.* Sed melius Festus sive Verrius. *Dac. Accius in Phinidis.* Vera lectio, non *Phoenissis*, ut viri docti. Accii Phinidas saepe Nonius. Lege:

Tacete et tonsillas littore in laevo edite.

Vel *in laeto*, ut supra apud Pacuvium. In MSS. erat: *in leda* vel *illeda. Idem. Palus.* Vide supra *Prymnesius. Goth.*

Tonsam. Glossarium: *Tonsae*, κῶπαι. Sed a *tundendo*, non a *tondendo*, ut vult Festus, quia illis aqua tunditur. *Dac. Poste recumbite.* Lego:

Pone recumbite vestraque pectora pellite tonsis.

Ita ut mos et gestus remigum exprimatur. Sic infra *pone petunt* etc. *Idem. Et in Asota.* Asotam sive Asotum Ennii laudat etiam Varro lib. IV. de L. L. (V. pag. 68. Sp.). Sed monuit Scaliger, legendum non *in Asota*, sed *in Sotodico.* Nam Sotadicum scripsit Ennius. *Asotam* vero sive *Asotum* Caecilius. *Dac.* Nimirum apud Varronem est: *a quo est in Sota. Ennii* h. e. *in Sotadico Ennii*, sive *in Sotadicorum libris Ennii.* Cf. Scaliger. in Conj. pag. 29. Steph.

Tymbraeus. Potius a Thymbra, urbe Troadis. Eustath. in Homer. Vide Hesych. in Θύμβρα. Locus Virgilii, quem Festus intelligit, est e III. Aen. (85.):

Da propriam Thymbraee domum, da moenia fessis.

Dac.

Tolleno. (Ad p. 272.) Vide *Reciprocare. Ant. Aug.* Trabs, quae super alteram humi defixam transversa deligatur, ita ut ab altera parte praegravante pondere modo sustollatur, modo deorsum agatur. Graece κηλώνιον, unde et *celonia* dixit Plautus Poenul. Act. V. sc. 3, (45.):

Sunt Graeca celonia, sustolli solent.

Estque *tolleno* non a tollendo, sed ab obliquo κήλωνος, quasi *coleno*, et *c* in *t toleno. Dac.*

Tolerare. (Ad p. 272.) Versus Ennii:

Ferro caedere se, quam dictis his toleraret.

Scal. Tolero ab antiquo *tolo*, quod a ταλῶ, *sustineo.* In versu Acci *aut* est pro *haud.* Ennii versum varie varii emendant: Douza scripturam Festi sequitur, additque eodem modo dictum: *aquila rostro pectus secederat. Dac.* Legitur enim vulgo *Ferro secedere*, quare Douza *Ferro secaedere*, vel *secidere*, composito verbo, legendum opinabatur. At longe melius Ursinus: *Ferro se caedi*, quod Ms. *se caede* exhibet.

Toles. Glossae: *Tolae, tolia, tonsillae*, παρίσθμια. Ab eo *Tolarius*, πλεονοτρόφος. *Scal.* Παρίσθμια autem glandulae faucium, nam ἴσθμος dicuntur fauces, quia in modum isthmi inter os et gulam interiectae sunt. *Dac.*

Tullianum. (Ad p. 272.) Varro lib. IV. de L. L. (V. pag. 150. 153. Sp.) Carcer a coercendo, quod exire prohibentur. In hoc pars quae sub terra Tullianum, ideo quod additum a Tullio rege. De eo vide Sallust. (Cat. 55.) et Marlianum. *Dac.*

Taxat. Iussit, ius sit. Scal. Alienissima sunt, quae hic Festus tradit, neque enim hic *taxo* a *tango*, sed a Graeco τάσσω, quod a Graecis scriptoribus usurpatur eadem notione, qua *taxo* ab Latinis. Aristoteles lib. II. Oec. c. 2.: *Hippias*, inquit, *Atheniensis nummum apud Athenienses legitimum usu interdixit, et*

cum eius pretium taxasset, ad se referri iussit. In Graeco *τάξας δὲ τιμὴν l'ayant taxé à un certain prix.* **Dac.** *In litibus quoque.* Lege: *In litibus quoque arbitrove cum proscribitur, quoad ei iussit statuendi.* **Idem.** *Arbitrove.* Arbitrione. **Goth.**

Taxatio. Idem Iustinianus, qui Novell. 63. et 82. taxationem definit *ῥητὴν ποσότητα ὁριζομένην παρὰ τοῦ δικάζοντος.* Inde Glossarium: *Taxatio, ποσότης.* **Dac.** *Qui taxatores dicuntur.* Hic etiam frustra est Festus, qui *taxatores* scenicos dictos putat quasi inter se maledicos. *Taxatores* verbo posterioris seculi ac parum Latino, iidem fuere, qui *designatores*, a comoedo ac tragoedo destinati et adhibiti ad tribuendas personas actorum cuilibet pro magistri arbitrio, et eo quidem delectu, ut interdum nobiliores partes agendas committerent, non eximiis actoribus, quod dignitate aut corporis aut de re quapiam excellerent prae principibus actoribus; quibus lubentissimis haec fierent omnia. Quam enim concorditer agerent inter se, indicat Tullius prima in Verrem (Divin. in Caecil. c. 15.) his verbis: *ut in actoribus fieri videmus, saepe illum, qui est secundarum aut tertiarum partium, cum possit aliquanto clarius dicere, quam ipse primarum, multum se summittere, ut ille princeps quam maxime excellat.* Non igitur maledicunt Scenici Scenicis, cum eos *taxant*, sed eos ad scenae munera dignius obeunda, opportune ac scienter designant et ordinant. Paulus, qui haec non intelligebat, lectionem mutavit. **Dac.**

Tabernacula. (Ad p. 273.) Vide in *Adtubernalis* et *Contubernalis.* **Dac.** *Quod ex tabulis.* Vide l. 182. de verbor. signif. **Goth.**

Tagit. Veteres *tago* dicebant, quod nos dicimus *tango*, idque a Graeco *θίγω.* Notum est. Itaque abeo, cum te prius monuero, infra verba Festi male cum Pacuvii verbis coaluisse, quae sic separanda et distinguenda sunt: *Tagit Pacuvius in Teucro: ut ego, si quisquam me tagit. Et tagam, idem in Hermiona* etc. *Et Tagam* verba sunt Festi. Et idem, inquit, Pacuvius. *Tagam* dixit in Hermiona. **Dac.**

Tablinum. Transposita hic sunt quaedam, quae ita suo ordini reddes: *Tablinum proxime atrium locus dicitur publicarum rationum causa factus. Quod antiqui magistratus in suo imperio tabulas rationum ibi habebant. Alii aliud etymon reddunt, quod tabulae picturarum ibi reponebantur, unde et pinacothecam quoque vocabant. Varro aliter, cuius haec verba sunt libro primo de vita populi Romani: Ad focum hieme ac frigoribus coenitabant, aestivo tempore in propatulo; rure in corte; in urbe in tabulino, quod Maenianum possumus intelligere tabulis fabricatum.* Haec ille. **Scal.** Schedae praeferunt *tabulas* pro *tabulis*, sed relicta lacuna. Quae desunt male hinc divulsa, cum Pauli Epitome videntur cohaesisse, quare Scaligerum sequor, qui legit: *Tablinum proxime atrium locus publicarum rationum caussa factus, quod antiqui magistratus in suo imperio tabulas rationum ibi habebant.* Inde Plin. lib. XXXV. (c. 2.): *Tablina codicibus implebantur et monumentis rerum in magistratu gestarum. Tabulinum* ergo, per syncopen *Tablinum*, locus privatis in aedibus, ubi publicas rationes servabant, et eo differt a *tabulario*, quod tabularium publicus locus sit, ubi instrumenta et acta publica disponebantur et servabantur. Cicer. Virg. Gloss.: *Tabularium, λογιστήριον.* A Festo Varro dissentit quem vide supra a Scaligero excitatum. Alii tablinum a tabulis picturarum, quae ibi reponebantur, unde et *pinacothecam* quoque vocabant, sed *pinacothecas* a *tablinis* diserte distinguit Vitruvius. **Dac.**

Tabes. (Ad p. 273.) Proprie liquefactio, *tabescere* liquefieri. Cicero, Lucret. Horat. Virg. Sed et per metaphoram pro peste et pernitie veteres usurparunt, sic et Graecis *τάκω, τήκομαι* et liquefacio et consumo. **Dac.** *Corvinus.* Dubito. Forsan Cornificius, cuius in his libris saepe mentio. **Idem.** Locus Sallust. est Catil. 36.

Tabellis. (Ad p. 273.) Hieronymus lib. I. Epist. 1.: *Ante chartae*, inquit, *aut membranarum usum, aut in dedolatis e ligno codicillis, aut in corticibus arborum mutuo epistolarum alloquia missitabant, unde et portitores earum tabellarios et scriptores a libris horum librarios vocavere.* Idem et Eustath. ad Dionys. Cera autem oblinebantur istae tabulae, unde *ceram* simpliciter pro tabulis passim invenies. Vide Gell. lib. XVII, 9. **Dac.** *Citrove.* Citroque. **Goth.**

Tagax furunculus. Lege: *Tagax furunculus a tagendo, id est tangendo.* Est enim a veteri *tago*, quo pro furari veteres usi sunt. Plaut. Cicer. etc. **Dac.** *Et Mutonis manum.* Hunc Lucilii versum e Satyr. lib. XXX. adducit Nonius (pag. 408. Merc.) in voce *tangere*, sed ibi pro *Mutonis* scriptum est *Musconis*, mendose, ut puto. Legendum suspicor:

Et mutone manum perscabere posse tagacem.

De Priapo hic sermo est, qui furibus mutone minatur, ut in illo Scazonte poetae Ithyphallici:

Priape, furibus minare mutino.

Et sic verum huiusce versus sensum eruimus. *Idem. Tagax.* Adde Cic. ad Att. VI, 3, (1.): ***Etenim est levis, libidinosus, tagax.*** *Goth.*

Tages. (Ad p. 273.) Vid. Cicero lib. II. de Divin. *Ant. Aug.* Cicero de Divinat. lib. II, 23.: *Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi, cum terra araretur et sulcus altius esset impressus, extitisse repente, et eum affatus esse, qui arabat. Is autem Tages, ut in libris est Etruscorum, puerili specie dicitur visus, sed senili fuisse prudentia. Eius adspectu cum obstupuisset bubulcus, clamoremque maiorem cum admiratione edidisset, concursum esse factum, totamque brevi tempore in eum locum Etruriam convenisse; tum illum plura locutum multis audientibus, qui omnia eius verba exceperint, literisque mandaverint: omnem autem orationem fuisse eam, qua haruspicinae disciplina contineretur, eam postea crevisse rebus novis cognoscendis, et ad eadem illa principia referendis.* *Dac.*

Taminia uva. Vid. Plin. lib. XXIII. cap. 1. *Ant. Aug.* Quidam in Georgicis legunt (II, 97.):

Sunt et Amineae vites, firmissima vina.

At Festus videtur legisse vel potius Verrius: *Sunt et Taminiae vites.* Non omittendum, quod notat Hesych. in suis Glossis: *Ἀμιναῖον δι' ἑνὸς ν τὸν οἶνον λέγει, ἡ γὰρ Πευκετία Ἀμιναία λέγεται.* Quod apud nullum alium veterem auctorem reperi. *Scal.* Meminit Celsus lib. III. (c. 21.) et Plin. lib. XXIII, 1. Suspicabatur Scaliger apud Virgilium Verrium legisse:

Sunt et Taminiae vites firmissima vina.

Ubi *sunt et Aminiaeae vit.* Aminaeae vites sunt Appulae. Hesych. Sed scribendum apud Hesychium *δι' ἑνὸς μ, per unicum m.* Nunquam enim *Amineum* per duplex *nn* scriptum *Aminnaeum*, sed per duplex *mm*, *Amminaeum* et id reprehendit Hesych. Porro de *Taminia uva* errat manifesto Verrius. *Taminum* sive *tamina* erat macula, tabes, ut optime notavit Meursius. Inde *taminare* et *attaminare.* Inde *taminia* uva maculis variegata, distincta, quae ideo etiam *variana* et variola nuncupata, ut ex Plinio Macrobioque (Sat. III, 20.) cognoscere est. *Dac.*

Talus in Sabinorum nominibus. Huic rei firmandae nullum adhuc exemplum inveni. *Dac.*

Talentorum. (Ad p. 273.) Mendosus locus, et qui non patitur emendationem. Hoc unum recte est, talentorum non unum esse genus, et Atticum esse sex millium denarium. Cetera incerta sunt. Plin. lib. XXXV, 11.: *Talentum Atticum denariorum sex millibus taxat M. Varro.* Ita enim scribendum est. Pollux lib. IX. Talentum Atticum sex millium drachmar. Atticarum, Babylonicum septem millium, Aeginaeum decem millium, Syrium mille et quingentarum drachmarum, item Atticarum. De talento Attico idem elicitur ex Livio lib. XXXIV. (lib. XXXVIII, 38.) Athen. lib. IV. cap. 6. et aliis. Sed Babylonicum esse septuaginta duarum minarum Atticarum scribit Aelianus lib. I. cap. 22. de var. hist., id est septem millium et ducentarum drachmarum. Vide *Euboicum.* *Ant. Aug.* Multiplex talentum fuisse verum est. Vide Budaeum in lib. de asse. De Attico talento vide *Euboicum.* *Dac.* *Rhodium et Cistoph.* Nescio cur haec de mendo viris doctissimis suspecta fuerint. Nam recte se habent. Rhodium talentum ut et Cistophorum fuit quatuor millium et quingentorum denariorum. Caelius Rhodiginus lib. X. cap. 2.: *Cistophorum fuisse legimus quatuor millium et quingentorum denarium, sicuti et Rhodium talentum. Dici opinantur cistophorum ab insigni ferentis cistam, sicut coronati modo vocantur nummi a coronae imagine.* *Idem.* *Neapolitanum.* Lege: *Neapolitanum sex millium denarium: Syracusanum trium millium denarium.* Quae sequebantur mihi penitus ignota sunt. *Idem.*

Tamne. Nihil impedit, quin *tantumne* interpreteris. *Dac.* *Arcula tua plena est aranearum.* Sic Catullus ad Fabullum (XIII, 8.):

— — *Nam tui Catulli*
Plenus sacculus est aranearum.

Ita loquebantur Latini, ut aliquid vacuum et desertum significarent. *Dac.*

Thaleae. (Ad p. 273.) Leg.: *Thalia, Θάλεια* a *θάλλω.* Vel quod eius laus semper floreat, vel quod plantas florescere faciat et germinare, unde eam etiam colebant rustici, ut est apud Plutarch. Vel, ut Fulgent. lib. I. Mytholog.: *Quarta* (Musa) *θάλεια, id est capacitas, velut si dicatur, τιθεὶς θάλειαν,* id est *ponens germina.* Emenda *τιθεῖσα θάλειαν.* *Dac.*

Talipedare. Vide *Taurii.* *Ant. Aug.* Gloss.: *Talipedo, παρασύρομαι.* Qui talipedarent, altae dicti. Vide *Atta.* *Dac.*

Tammodo. Locus Attii non est L. Attii, sed M. Attii Plauti in Trinummo (III, 1, 8.). *Ant. Aug.* Non Romani, sed Praenestini, quorum linguam irridebant Romani, ut ille apud Plautum (Truc. III, 2, 23.) qui dicit *Coniam* pro *Ciconiam*, quia, inquit, Praenestini ita loquerentur. *Scal.* Non pro *modo* sed pro

tantummodo, et eo non utebantur Romani, sed Praenestini, quorum linguam irridebant Romani. Attius hic est M. Attius Plautus: Locus est in Trinummo Act. III. sc. 1, (8.): Ca. *Quamdudum istuc, aut ubi actum est?* St. *Ilico hic ante ostium, tammodo inquit Praenestinus.* Et hanc vitiosam compositionem imitari videmur in voce nostra *Tantost.* Sic in Trucul. Act. III. sc. II, (23.). Praenestinorum barbariem irridet, qui *rabonem* et *coniam* pro arrabone et ciconia dicebant:

Rabonem habeto, mecum ut hanc noctem sies.
As. *Perii! Rabonem? quam esse dicam hanc beluam?*
Quin tu arrabonem dicis? St. *at facio lucri.*
Ut Praenestinis conia est ciconia.

Quae h. l. Festi verba referuntur in editionibus: *Tammodo antiqui ponebant pro modo. ut Attius: Tammodo inquit Praenestinus*; quorum partem recepit Paullus, eorum nihil legitur in schedis Festi a Fulvio Ursino editis, licet lecta olim esse, ex Paulli verbis credibile est. Igitur statuendum erit, in Fulvii Ursini editione versiculum excidisse, aut omissum ab eo, qui membranas descripsit, aut neglectum a typothetis. Saltem in antiquissima Antonii Augustini editione inveniuntur, sed ex ordine litterarum posita, ut ibi omnia Festi verba.

Taliam. Scribo: *Tallam*, alii folliculum, vel caepae. Lucillius:

— — *lacrymosaeque ordine tallae.*

Glossarium: *Talla*, κρομμύου λέπυρον. *Scal.* *Talla* autem a θαλλός, ramus virens, ita ut primo et proprie Talla fuerit stipes caepae. Sed recte etiam *Talia* dici potest, ut ab ἄλλος, *alius*, folium a φύλλον etc. *Dac.*

Tarmes. Vitruvius (II, 9.): *Et primum abies aëris habens plurimum et ignis, minimumque humores et terreni, levioribus naturarum potestatibus comparata, non est ponderosa, itaque rigore naturali contenta non cito flectitur ab onere, sed directa permanet in contignatione. Sed ea quod habet in se plus caloris, procreat et alit tarmitem, ab eoque vitiatur.* Plautus Mostellaria (III, 2, 143.) de postibus loquitur:

Hercle quin multum improbiores sunt, quam a primo credidi
Quapropter? Quia aedepol ambo ab infimo tarmes secat.

In Vitruvio, ut id admoneam pro *natura rerum* emendavimus *naturarum*, ne quis forte studiosus Vitruvii lector id miretur. Sic paulo superius idem error: *easdem habent inter se natura rerum similitates* pro *naturarum.* Ita etiam emendabis lib. III. in fine prooemii: *de materia, quas habeat in operibus utilitates et quibus virtutibus e natura rerum est comparata, peregi.* Legendum enim: *et quibus virtutibus naturarum est comparata. Naturarum potestates* vocat, quas supra *naturarum virtutes. Scal.* *Teredo*, Graece θρίψ. *Dac.* Adde Isidorum (XII, 5.). *Goth.*

Taenpoton. Varietatem librorum in margine scribi curavimus (*Tanpercon*, *Taenpocon*, *Taenpton*, *Tahenpocon*, *Tempeton*, *Tempocon*, *Taempoton*). Sed cui adhaereamus non habemus. Quod vero Cicero de Divin. lib. II. (c. 54.) asserit Sibyllam quaedam verba ita reliquisse scripta, quae ex primis singulorum versuum literis conficerentur, quae ab eodem ἀκροστιχὶς appellantur, habet aliquid cum hoc scribendi genere commune. *Ant. Aug.* Oedipode opus est. *Scal.* Hebraeam vel Syriacam vocem puto, praesertim cum ea Syrorum scribendi modum notet. Syri enim non a dextra ad sinistram, ut Hebraei et Chaldaei, vel a sinistra ad dextram, ut Graeci et Latini, sed deorsum versus, a capite ad pedes versus suos ducunt. Doctissimus Martinius derivat a voce Hebraea, quae significat *invertes* et pro *deorsum* legit *retrorsum*, quasi ibi Hebraeorum scriptura notetur. *Dac.* [Legendum *Toëporchon*, hoc est τὸ ἐπ' ὄρχον, ubi literae sunt ἐπ' ὄρχον seu κατὰ στίχος dispositae, instar arborum, in viridario a summa pagina ad infimam. Palmaria haec emendatio debetur Ioann. Croio, qui eam habet Observat. in N. T. Cap. IX., quod dignissimum est lectu. *Ioann. Clericus.*] Vel ἄνωθεν κάτω vel κάτω ἄνω. Huius enim scribendi moris meminit Diodor. 2. in fin. ut nunc dextrorsum, id est a sinistra ad dextram. *Goth.*

Tartarino. Ennius, ut arbitror, scripsit: *Corpore tartarino prognata Paluda virago.* Vid. Varro lib. VI. de L. L. (VII. pag. 323. Sp.) et Probus Eclog. 6. *Ant. Aug.* Versum Ennii refert Varro lib. VI. de L. L.: *Corpore tartarino prognata paluda virago. Tartarino a tartaro dictum. Plato in quarto de fluminibus apud inferos quae sint, in his unum tartarum appellat. Quarta Tartari origo Graeca. Paluda a paludamentis. Sunt haec insignia et ornamenta militaria.* Ubi Scaliger (Coni. pag. 122. ed. Steph.): Purus putus, inquit, Hellenismus:

Ταρτάρου ἐκγεγαυῖα μελάμπεπλος ἀντιάνειρα.

Plenius citatur apud Probum:

Corpore Tartarino prognata paluda virago,
Cui par imber, et ignis spiritus, et gravi' terra.

Ignis spiritus πυρὸς μένος, et *gravis terra* στυφελὴ χθών. Est, ni fallor, illa, quam alloquitur Iuno apud Maronem (Aen. VII, 331.):

Hunc mihi da proprium, virgo sata nocte, laborem.

Dac.

Tam. *Tam* et *quam* contracta ex *tantum* et *quantum*. *Dac.* *Ut apud Graecos.* Gloss.: *Tam* οὕτως. *Tam perditus*, οὕτως πανώλης. *Idem.* *Cherylus.* Scribe *Choerylus.* Is est, qui sub Alexandro rege vixit Olympiad. 113. De quo Horat. lib. II. Epist. (I, 232.):

Gratus Alexandro regi Magno fuit ille
Choerylus, incultis qui versibus et male natis
Rettulit acceptos regale numisma Philippos.

Idem. *At antiqui tam etiam pro tamen.* Nam et *tamen* derivatum ex *tam*. Plaut. Menaech. II, 3, (36.): Er. *Eamus intro, ut prandeamus.* Me. *Bene vocas: tam gratia est.* Item alibi. *Idem.* *Ut Nonius.* Quidam *Naevius.* Incertum est. *Idem.* *Bene cum facimus.* Hunc Titinnii versum sic emendat Lipsius Epistolic. quaest. Ep. 20.: *Bene cum facimus tam male audimus, ut quidam perhibent viri.* Querela est mulierculae de iniuria, quae a viris factum itur sexui suo. Bene an male faciant, tamen male audiunt. Ego: *Bene cum facimus, tam malae fuimus* etc. Propius ad scripturam. Et infra: *Quamquam estis nihili, tam vobis ecastor consului simul.* *Idem.* Ennii locum Hermannus emendavit ad Eurip. Hecub. 277.: *Illa me Tam potis pacis potire*, hoc sensu: si cetera mala me affligunt, Polyxena tamen solatium mihi affert. Ex Euripideo versu: Ταύτῃ γέγηθα κἀπιλήθομαι κακῶν.

Tame, in carmine positum est pro tam. Haec enim glossa in Editionibus inde ab Antonio Augustino exhibetur, quae in schedis Festi, quales ab Ursino editae sunt, desideratur. Haud dubie lecta est ista glossa ante *Tandem*, ubi varias voc. *tam* notiones exponit; ab Ursino autem omissa, aut non amplius iuventa, sed detrita. Scaliger et Dacerius haec notaverunt, quae apposuimus. *L.* Repone *in carmine Saliari*, in quo ad id exemplum *cume* pro *cum* legebatur, ut ait Q Terentius Scaurus, vetus Grammaticus, qui etiam producit carmen Saliare, sed corruptissimum. *Scal.* Lipsius *Tamde*, ut *quamde* pro *quam*. Sed *tame* vera lectio. *Dac.*

Tandem. Cicero initio orat. II. in Catil.: *Tandem aliquando, Quirites* etc. *Ant. Aug.* Locus Terentii est ex Act. II. sc. 1. (4, 66.) ubi Donat.: *Tandem hic impletiva coniunctio, ut Cicero: Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? Dac.* *At Cicero.* Nonius (pag. 405. Merc.) ait hic *tandem* esse pro *vix*, sed mihi Festi auctoritas potior. *Idem.*

Tauri verbenaeque. (Ad p. 274.) Liba farinacea in commentario sacrorum, forsan ob magnitudinem sic dicta et quod verbenis coronata. Sane veteres omnia praegrandia Tauros vocabant. Stephanus in ταῦρος. Ταύρους οἱ παλαιοὶ πάντα ὅσα μέγαλα καὶ βίαια ἐπωνόμαζον. Imo potius puto Festum dicere tauros verbenasque in commentario sacrorum significasse ficta farinacea, ex eo more scilicet, quo simulata pro veris accipiebant. Igitur ficta farinacea *tauri verbenaeque* dicta, quod pro tauris et verbenis adhiberentur, quomodo legimus Cyzicenos Proserpinae quotannis bovem nigram immolantes, cum obsidione premerentur, nec bovem haberent, ex frumento hostiam finxisse. Vide *Cervaria.* *Dac.*

Tama. Quasi *tamea.* Voss. Vide *Boa.* *Dac.* *Cum labore.* Vide supra in *Flemina.* *Goth.*

Taenias. (Ad p. 274.) Coronae sepulcrales hic intelliguntur in versu Caecilii, si Romano more interpreteris, et ita locum habebit sententia Verrii. Ad sepulcra enim lanae cum frondibus atque floribus afferebantur. Varro (pag. 310. Sp.): *Infulas dictas apparet in hostiis, quod, e lana quae adduntur [quod velamenta, his e lana quae adduntur] infulae intra hostiarum cornua, velamenta erant. Itaque cum ad sepulcrum ferunt frondes atque flores, addunt nunc lanas. [Itaque tum quod ad sepulchrum ferunt frondem ac flores addidit, Non lanas, sed velatas frondentis comas]* Sed cum Caecilius palliatam Comoediam, non togatam scripserit, praestat Graeco potius quam Romano more interpretari. Sunt igitur taeniae, quibus fasciis involvebantur mortui, quas κειρίας vocabant. Quibus Romani non utebantur, quod cadavera comburerent. De illis taeniis intelligit Artemidorus, cum scribit: οἱ ἀποθανόντες ἐσχισμένοις ἐνειλοῦνται ῥάκεσιν, ὡς τὰ βρέφη καὶ χαμαὶ τίθενται. *Scal.* Ταινίαι lemnisci, fasciolae, quibus sacerdotes, interdum etiam et victores coronabantur. Virg. (Aen. V, 269.), unde Verrius: *Ornamentum capitis honorati.* Hesych.: Ταινία, στέμματα τῶν ἱερέων,

διαθήματα ἀρχιερατικά, ἢ ζῶναι, ἢ στέφανοι, κόσμοι, ἢ δεσμοὶ ἱεροί. Haec vincula Virgil. vocat *vittas deum* (Aen. II, 156.). Neque tamen istae taeniae vere erant coronae, sed e coronis dependentes. Nam infra coronas et taenias distinguit Ennius: *Volans de coelo cum corona et taeniis.* Nisi coronam et taenias dixerit pro corona ex taeniis facta. Antiqui enim Romani taeniis pro coronis utebantur, nondum invento iis flores intexere. Vide *Stroppus*. *Dac.* *Sepulcrum plenum.* Per taenias coronae sepulcrales hic intelliguntur, si Romano more interpreteris. Et ita locum habebit sententia Verrii. Ad sepulcra enim lanae cum frondibus atque floribus afferebantur. Varro lib. VI. de L. L. (VII. pag. 310. Sp.): *Infulas dictas apparet in hostiis, quod velamenta e lana quae adduntur infulae intra hostiarum cornua velamenta erant. Itaque cum ad sepulcrum ferunt frondes atque flores, addunt nunc lanas.* Sed cum Caecilius Palliatam comoediam non togatam scripserit, praestat, inquit Scaliger, Graeco potius, quam Romano more interpretari. Sunt igitur in versu Caecilii taeniae, quibus fasciis involvebantur mortui, quas κειρίας vocabant, quasi κτερίας a *mortuis*, vel κηρείας a κήρ, fatum, mors. Hesych.: Κηρείαις, ἐπιθανάτια ἐντετυλιγμένα. Lege: Κηρεῖαι, ἃ ἐπὶ θανάτῳ ἐντετυλιγμένα. i. e. Κηρεῖαι, *quae post mortem mortuis involvuntur.* Iis Romani non utebantur, quod cadavera comburerent. De illis taeniis intelligit Artemidorus, cum scribit οἱ ἀποθανόντες ἐσχισμένοις ἐνειλοῦνται ῥάκεσιν, ὡς τὰ βρέφη καὶ χαμαὶ τίθενται. Hinc Divus Ioann. 11. de Lazaro: ἐξῆλθεν ὁ τεθνηκὼς δεδεμένος τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις. *Et statim prodiit qui fuerat mortuus ligatus pedes et manus institis.* Nam *institae* sunt *fasciae, limbi.* *Dac.* *Dum taeniam.* Hic *taeniam* simpliciter *vittam, fasciolam* interpretor. Neque quicquam ad Verrii sententiam facit. *Dac.* *Decorare est satius.* Suspicor in versu, qui hunc praecedebat de sepulcro locutum Attium. Satius est decorare sepulcrum taeniis, quam urbem. Fruterius legebat *Deos ornare* lib. II. cap. 5. Verisimil. *Idem.* Versus alter Caecilii apud Aug. Scal. et Dac. sic legitur: *Dum taeniam qui volnus vinciret, petit;* ubi *petit* quod non comparet apud Fulv. Ursinum, additicium esse videtur. Cf. Caecil. Fragmm. ed. Spengel. p. 12.

Tatium. (Ad p. 274.) In Schedis: *Lanuvii.* Sed omnino legendum *Lavinii.* Historiam narrat Liv. lib. I, 14.: *Post aliquot annos propinqui regis Tatii legatos Laurentium pulsant. Quumque Laurentes iure gentium agerent, apud Tatium gratia suorum et preces plus poterant. Igitur illorum poenam in se vertit. Nam Lavinii cum ad solenne sacrificium eo venisset, concursu facto interficitur.* Ubi propinquos regis vocat Livius, quos Latrones Festus. *Dac.* *Sed sepultum in Aventino Laureto.* Varro lib. IV. de L. L. (V. pag. 151. Sp.): *Inde lauretum ab eo, quod ibi sepultus est T. Tatius rex, qui a Laurentibus interfectus est, ab silva laurea, quod ea ibi excisa et aedificatus vicus, ut inter sacram viam et macellum editum.* *Idem.* *Quam multa alia.* Optime in schedis: *Quam multa alia et praeterita iam et deinceps quae referentur.* *Deinceps* id est in volumine verborum priscorum cum exemplis. Vide *Profanum* et *Praefationem.* *Idem.*

Taurorum specie. (Ad p. 274.) Vide Aelianum in varia historia lib. II, 33. Caussam varie tradit Strabo lib. X. (pag. 458.): οἱ δὲ εἰκάζοντες ἐξ αὐτῶν τἀληθές, ταύρῳ μὲν ἐοικότα λέγεσθαι τὸν Ἀχελῷόν φασι καθάπερ καὶ τοὺς ἄλλους ποταμούς, ἀπό τε τῶν ἤχων καὶ τῶν κατὰ τὰ ῥέεθρα καμπῶν, ἃς καλοῦσι κέρατα. Probus ad illud IV. Georg. (371.):

Et gemina auratus taurino cornua vultu.

Et ideo, inquit, *taurino vultu, quod eius sonus, ut tauri mugitus et ripae flexuosae sunt, ut cornu.* Vetus Horatii interpres ad Od. 14. lib. IV.: *Omnium famosorum fluminum vultus cum cornibus finguntur propter impetus et mugitus aquarum.* Vide Tzetzem in Hesiod. Aspid. et alios passim. Addi potest forsan, quia poetae vocant κέρατα omnia flumina, quod sint veluti Oceani cornua. Apollonius de Istro (IV, 282.):

Ἔστι δέ τις ποταμὸς ὕπατον κέρας Ὠκεανοῖο.

Dac. Ut Cornibus ita pingitur Liber Bacchus. Vide supra *Cornua* et *Livia.* *Goth.*

Talionis. (Ad p. 274.) Vid. Gell. lib. XX. cap. 1., sed hic melius verba legis XII. tab. referuntur. *Ant. Aug.* Graeci ἀντιπήρωσιν, ταυτοπάθειαν, ἀντισήκωσιν. *Scal.* *Talio* a *talis.* Ius talionis, quo quis tale quid patitur, quale fecit. Quare optime Festus *parem vindictam* interpretatur. Alii *poenam reciproci, vicem* etc. Fons talionis lex divina Exod. c. 22.: *dens pro dente, oculus pro oculo.* In leg. XII. tab. legendum: *Si membrum rupsit, ni cum eo pacit, talio esto.* Vel potius *si membrum rupit*, ut apud Gell. lib. XX. cap. 1. et apud Catonem lib. IV. Orig. ex Prisciano lib. VI. (VI, 13, 70. pag. 265. tom. I. Kr.): *Si quis membrum rupit aut os fregit, talione proximus agnatus ulciscitur.* Sic *rupit* pro *ruperit* dixit Lucillius lib. Sat. XXVI.:

Si se rupit, sic quoque a me, quod roget, non impetret.

Vide *Rupitias.* *Dac.* Dixi ad leges XII. Tabul. *Goth.*

Tarquitias. (Ad p. 274.) *Tarquinias.* *Dac.* Adde quaedam ex verbo *Saturno.* *Goth.*

Tarpeiae etiam. (Ad p. 274.) De Tarpeia virgine Livius, Florus etc. Vide *Saxum Tarpeium.* Illud *etiam* a superioribus pendebat. Nam haec in schedis post *Tarquitias scalas* posita erant. *Dac.* De qua vide Varronem (V. pag. 48. Sp.). *Goth.*

Tam perit, quam extrema faba. (Ad p. 275.) Extrema faba dicitur, quae post fabarum messem in agris crescit, adeoque negligitur, vel quae messoribus inter metendum excidit, vel potius, ut ipse intelligit Festus, extrema faba est, quae in finibus agrorum posita a praetereuntibus vel proculcatur vel decerpitur et ab aratoribus perstringitur, qui *perfinare* dicuntur. Vide *Perfines.* Et hanc meam interpretationem probat insignis locus Catulli, qui *ultimum florem* dixit, qui hic est *extrema faba.* Sic enim in Od. XI, (23.):

— — — *Veluti prati*
Ultimus flos, praetereunte postquam
Tactus aratro est.

Dac.

Tapullam. Tappula cognomen Villiorum, ex qua familia P. Villius Ti. F. Ti. N. Tappula consul fuit cum L. Cornelio Lentulo anno IↃLIV. ex fastis Capitolinis et Livio in extremo lib. XXXI. *Ant. Aug.* Versum Lucillianum supra ita legendum monemus:

Tapullam rident legem concerae Opimi.

Concera pro *congera.* Et *congera* unico *r* pro *congerra.* Veteres, in quibus nunc utimur *g*, ponebant *c.* Tandem Spurius Carvilius vetustissimus grammaticus correxit. Et primus pro *inicere* dixit *inigere*, pro *acetare agitare. Scal.* Tapulla sive *tapulia* a *tabula* vel *tapula* sive *tapulum*, hoc est mensa. Et sic dicta, quod esset convivalis. Versum Lucilii sic Scaliger:

Tapullam rident legem concerae opimi.

Sed Franciscus Douza et Vossius: *Concoenae opimi.* A *coena* est *concoena*, qui una coenat. Gloss.: *Concoenae, σύνδειπνοι. Dac.*

Termonem. A Graeco *τέρμων*, *termo*, ut ab obliquo *τέρμονος terminus. Dac.*

Trientem. (Ad p. 275.) Liv. lib. VI. (c. 29.): *T. Quinctius semel acie victor binis castris hostium novem oppidis vi captis, Praeneste in deditionem accepto, Romam revertit, triumphansque signum Praeneste devectum Iovis Imperatoris in Capitolium tulit. Dedicatum est inter caellam Iovis ac Minervae, tabulaque sub eo fixa, monumentum rerum gestarum his ferme incisa literis fuit: Iuppiter atque Divi omnes hoc dederunt, ut T. Quinctius Dictator oppida novem caperet; die XX. quam creatus erat, Dictatura se abdicavit.* Omisit Livius, quae de corona Festus scripsit. Vide *Sestertii.* Postrema verba ita scriberem: *Si tres asses sunt et quadrans, quartus quadrans dicitur.* Vide Maecian. de asse. Aruntium et Didymum apud Priscianum, sive quem alium de ponderibus (Priscian. de Fig. Num. c. 3. pag. 216. seqq. ed. meae.). *Ant. Aug.* Vide Liv. lib. VI, 29. *Dac. Id significare ait. Triens tertius:* Id est librae duae cum triente, quod tunc tertius triens numeratur. Vide supra *Sestertius.* Sic lignum *bes alterum* dicitur, quod pedem et bessem latum est, quod tunc secundus bes. In fine supplendum: *Si tres asses sunt et quartus quadrans adiicitur, quartus quadrans tantum numeratur.* H. e. si tres asses cum quadrante velis dicere, quartum quadrantem tantum numeralis. Haec aperta sunt. *Idem.*

Tersum diem. Id est siccum. Tergere enim est siccare, ab Aeolico *τέρσω* pro *τείρω*, *ξηραίνω*, sicco. *Dac.*

Teretinatibus. (Ad p. 275.) Non leviter foedatus hic locus. Lego: *Et pro Tereti Teredi scribi debuisse.* A Terede, inquit, Fluvio *Teredinates*, non *Teretinates* dici debuere. Sed de Terede fluvio nihil mihi compertum. *Dac.* Nimirum totus Festi locus apud Ant. Augustinum et qui eum secuti sunt, Scaligerum et Dacerium ita comparatus est: *Teretinatibus, qui a flumine Terede dicti existimantur, et syllaba eius tertia mutata, et pro Terede terram scribi debuisse.* Ex quibus in schedis ab Ursino editis nihil comparet nisi haec: *Teretinatibus a flumine . . . . . .* Pro ceteris lacuna significata. Aut igitur apud Ursinum versiculus excidit, aut quum Ursinus tractabat Codicem, illa non amplius legi poterant.

Tripudium. (Ad p. 275.) Deest apud Scal. et Dac. Vide Ursin. edit. nostr. pag. 274. not. 5.

Teminare. (Ad p. 275.) Deest ap. Scal. et Dac. Pro *ilintate* legitur *ilintare* ap. Gothofred.

Termentum. A tero terimen, termen, ut a moveo movimen, momen etc. Versus Plauti est (Bacch.) Act. IV. sc. 9, (5):

Non Pelides termento fuit, praeut ego herum expugnabo meum.

Ubi Salmasius: Vereor, inquit, ne male olim lectum sit *termento* pro *tormento.* Per *tormentum* intelligit arietem, quo expugnantur urbes. Pro tormento igitur fuit Achilles Pergamo, quo moenia eius quatiebant. *Dac.*

Tempestatem. Vide *Intempesta.* *Dac.*

Tempesta. *Nocte intempesta.* Vide *Intempesta.* *Dac.*

Tinia. Malo *tinae.* Vide primum Coniectaneum (pag. 54. ed. Steph.). *Scal.* *Tinas* vocat Varro de vita pop. Ro. lib. I.: *Antiquissimi in conviviis utres vini prima, postea tinas ponebant.* *Dac.*

Thensam. Ascon. ad III. Verr. (pag. 108. ed Lugd.): *Thensae sacra sunt vehicula pompa ordinum et hostiarum. Thensas alii a divinitate dici putabant, alii quod ante ipsas lora tendantur, quae gaudent manu tenere et tangere, qui eas deducunt.* Sed *tensae* scribendum. Sic dictae autem, quia statuae deorum, quae *tensis* ferebantur, velarentur circumquaque linteis ad cubiculi seu delubri speciem *tensis.* Vide Onuphrium Panvinum lib. II. de ludis Circensibus cap. 2. Bullingerum lib. de Circo cap. 38. *Dac.* Glossis *thensae* ἅρμα θεῶν. Adde Varronem. *Goth.* Non legitur apud Varronem de L. L. de *tensa.* Adde Serv. ad Virg. Aen. 1, 17. pag. 172. ed. Dan.

Temerare. Violare sacra, sed et ad alia translatum. Nam et foedare, inquinare, corrumpere etc. Temerare lectum, virginem, fluvios veneno etc. *Dac.* *Teminare* apud Ursinum in schedis, i. e. *taminare,* unde contaminare, attaminare.

Temetum. *Sequimini prae. Mi nate sequere, temeti timor.* Male citatur ab eo, qui duos Dossenos, quae est Atellana Novii ineptissime pro Fabio Dosseno Comico accepit, cuius meminit Horatius. *Scal.* Ex articulo et nomine τὸ μέθυ temetum. Locus Plauti est (Aulul.) Act. II. sc. 6, (6.). *Dac.* Atellanam scripsit Nonius, cui nomen *duo Dosseni.* Sed hi Dosseni diversi sunt a Fabio Dosseno Comico, cuius meminit Horatius Ep. 1. lib. II. (v. 173.):

Quantus sis Dossennus edacibus in parasitis,
Quam non astricto percurrat pulpita socco.

Verba Nonii sic emendat Scaliger:

Sequimini prae, mi nate sequere, temeti timor.

Ego vero:

Sequimini; i prae, mi nate; sequere temeti timor.

Facete parasitum et heluonem temeti timorem vocat. *Dac.* Glossis *temetum,* οἶνος. *Goth.*

Titinnire. Afranii versus refertur a Nonio (pag. 40. Merc.) ex Vopisco. *Titinnire ianitoris impedimenta audio.* *Ant. Aug.* Veteres editiones *Tintinare* et ita Catullus (52, 10.) in manuscripto: *Tintinant aures: gemina teguntur Lumina nocte.* Et Naevii versus, quem citat, non aliter habet:

Tantum ubi molle crepitum facient, tintinabunt compedes.

Dictum apparet ab eo, qui servis interminabatur vincula et compedes, si vel minimum strepitum edidissent. *Molle crepitum* ἀρχαϊκῶς mutatum genus. In Afranii versu ostiarii impedimenta quae sint, aperiet Ovidius (Amor. I, 6, 1.):

Ianitor immitis dura religate catena.

Scal. Sed mihi commodum aliud in mentem venit, nempe: *Tantum ubi molae crepitum faciebant, tintinabant compedes.* Et sane *molae* in Schedis exaratum. Ait cum tantillum strepitum edebant molae, servorum, qui illas versabant, compedes tintinabant. Et *crepitum* vocat Naevius, quem strepitum Ennius. *Quo nunc me ducis: ubi molarum strepitum audibis maximum.* *Dac.* *Tintinire* Nonio (pag. 40. Merc.), unde Tintinabulum Glossis κωδώνιον et Tintinaculum κώδων dicitur, et iisdem Tintinabulum. Hinc Tinnitus ἦχος χαλκώματος, βόμβος. *Goth.*

Tributorum. (Ad p. 276.) Laevino II. Marcello IV. Cos. ex Livio et ceteris, anno IƆLIII. in Capitolinis fastis. *Ant. Aug.* Lege *alia in capita* vel *ex capite.* Duplex fuit Tributum, unum capitis sive personae, alterum rei sive soli lib. III. et ult. D. Censibus. Fuit et alterum fortuitum et temerarium, quod rebus urgentibus conferebatur, quale fuit aurum illud, quod post urbem a Gallis captam conlatum est. Livius lib. V, 48. Item illud, quod anno nono belli Punici secundi M. Claudio Marcello et M. Valerio Laevino Coss. A. U. C. IƆLIII. De quo Liv. lib. XXVI, 36. *Dac.* *Quia proximis quindecim census alius non erat.* Hic deesse videtur aliquid. Lego: *Quia proximis quinque census alius non erat factus.* Vel potius, ut Ursinus, *census populus non erat.* Nam quolibet quinquennio census fiebat. *Idem.* V. l. 32. in fin. ff. de usufr. legato l. ult. supra 7. ff. de censib. *Goth.* Niebuhr. Histor. Roman. T. II pag. 675. not. 1322. legit: *census* ***actus*** *non erat*; *actus* pro *alius* legens.

Tentipellium. Fallitur Festus, in quo Verrium reprehendit, quod tentipellium in Afranio interpretetur id, quod Graeci τετάνωτρον dicunt, cum res aliter esse non possit. Et Glossarium: *Tentipellium,*

φάρμακον πρὸς ῥυτίδας. Scal. A tendenda pelle. Sed pellem bubulam hoc est calceum cum Artorio Festus intelligit, quare Calceamentum Ferratum interpretantur. Sed sine exemplo. Nam apud Afranium *Tentipellium* longe aliud est, ut mox dicetur. Optime igitur Verrius et Titinnius, qui pro medicamento, quo rugae extenduntur, accipiunt. Favent Glossae: *Tentipellium, φάρμακον πρὸς ῥυτίδας.* Et locus Titinnii:

— — — Tentipellium
Inducis, rugae in ore extenduntur tuae.

Et ita accipi debet supra apud Afranium, qui urbane dicit quosdam pro manibus habere tentipellium, quomodo nos hodieque dicimus mulieres, quae succo splendente ornant genas pro vultu habere tectorium, *que leur visage n'est que fard.* Subit etiam Afranium comice et novo significatu tentipellium dixisse pro pelle extensa, ut innueret eos non manus habere, sed ossa tantum pelle amicta. Porro medicamina illa, quibus facies extendebatur, Graeci *τετάνωτρα* et *τετανώματα* dixerunt. Inter ea fuit panis caldus et madidus. Iuvenalis (VI, 462.):

Interea foeda aspectu, ridendaque multo
Pane tumet facies.

Ubi vetus interpres: *Medicamen ad tendendam faciem vel cutem magis.* Dac.

Tignum. (Ad p. 276.) Lex XII.: *TIGNOM IUNCTOM AEDIBUS VINEAEQUE CONCAPES NEI SOLVITO.* Primae notae Grammatici multa studiose in huius loci interpretationem contulerunt. Sed omnes, quod libere dicam, peccarunt priscae Latinitatis non dicam ignorantia, sed oblivione. *Concapes* rectum est, ex antiqua scriptura *concapet. Tignum* recte Theophilus *πᾶν ξύλον ἐργάσιμον.* Et tunc iunctum aedibus, aedificiove dicitur; at *concapes* vineae tantum dicitur, quia habeat caput suum cum capite vineae commissum. *Caput vineae* est radix ipsa Virgilio, Columellae. Significat ergo depactum ac defixum terrae ad vineam sustinendam. *Concapes*, ut *Procapes*, de quo supra, a quo capite multi descendunt: *primicapes, praecapes, deincapes, ancapes.* Postea dictum *Primicipes; Praecipes* Plauto et aliis; *Deincipes* Apuleio; *Ancipes* Plauto et aliis. Hodie *Princeps, praeceps, deinceps, anceps.* Sic *formacapes* supra *farmicipes, forcipes.* Quae omnia erant *ἰσοσύλλαβα*, quia retinebant formam suam: *praecipem, ancipem, deincipem.* At *περισσοσύλλαβα* cum sunt, tum non formam veterem, sed compositionem sequuntur. Sunt enim a simplici *Caput*: praecipitem, ancipitem. Sic *Terticapes, quinticapes* dicebant. In sacrariis Argeorum (Varro de L. L. V. pag. 55.): *CEROLIENSIS, QUARTICAPES, CIRCA MINERVIOREM.* Item: *OPPIUS, MONS PREIMICAPES, LUCOM, ESQUILINOM, LUCOM, FAGUTALEM, SINISTRA SUB MOERUM EST* et cetera. Igitur et hic *concapes* eleganter eadem forma. Non longe ab hoc abludit verbum fictum a Seneca: *grandiscapiae* epist. 88. *omnes autem*, inquit, *istas arbores, quae, ut ita dicam, grandiscapiae sunt, ait aqua adiuvandas cisternina.* Nam hic *grandiscapiae* arbores sunt, quae grandi capite, hoc est radice, ut iam diximus. Quae lectio in vulgarib. Senecae editionibus non extat, sed in abstrusis et reconditis, quas multas eruit doctiss. Nicolaus Faber ex vetustiss. exemplarib. Quod si quis non capit, quid ei cum XII. Tabulis ac Romana antiquitate? Sane huic generi hominum ego haec non scribo. Ne quis vero miretur in vetere codice scriptum *concapet* pro *concapes*, hoc est *T* pro *S*, sciat saepius ad hunc modum peccatum esse in eo libro, ut in Topper *viret* pro *vires* et in aliis locis. Scal. Sed quicquid ille dicat *grandiscapiae* arbores apud Senecam non a grandi capite, sed a *grandi scapo.* Dac. Dixi ad l. 1. ff. de tigno iuncto. Goth.

Tela. (Ad p. 276.) Vide *Arma. Ant. Aug.* Servius ad illud VII. Aen. (VIII, 249.):

Desuper Alcides telis premit.

Omne, inquit, *quod iaci potest, telum vocatur, dictum ἀπὸ τοῦ τηλόθεν.* Alii *telum* ab antiquo verbo *telo*, a quo *protelo* expello, eiicio. De armis et telis vide *Arma. Dac. Existimandum est.* Schedae: *Existimandum est quam . . . .* forsan: *quam in equis.* Ait eam partem corporis, unde dependent arma, non minus in nobis armum vocari, quam in equis. *Idem.*

Tigillum sororium. Vide *Sororium. Dac.*

Tegillum. Plaut. in Ruden. (II, 7, 18.): *Tegillum eho illud mihi unum arescit, id, si vis, dabo. Eodem amictus, tectus eodem esse soleo, si pluit. Ant. Aug.* Varro apud Nonium (pag. 179. Merc.): *Iugens et volitans milvus aquam e nubibus tortam indicat fore, ut tegillum pastor sibi sumat.* A *tectum, tegulum, tegillum.* Genus vestis a tergo pendentis, qua caput pluviae ac tempestatis caussa tegebatur. Quae et *cuculus, cucullio, cuculliunculus.* Male in MS. *Cuculli vinculum.* Locus Plauti est ex Rudente Act. II. sc. 7, (18.):

Tegillum eccillud mihi unum arescit, id, si vis, dabo.

Sed potius *tegillum* est a *tegetibus*, quod e scirpo, palustri herba fieret, ut tegetes. Graeci ψίαθοι φλοῖναι. *Scirpus* est φλοῦς. *Dac.*

Tiberis. Vide *Albula. Dac.* Idem Livius (I, 3.). Tibris a Tibri, alii a Tiberi rege Aboriginum; alii ab eo rege, quem Glaucus Minois filius iuxta hoc flumen in Italia interemit. Servius VIII. Aen. (p. 525. C. Dan.). *Goth.*

Tibicines. Columellae, quibus tecta fulciuntur. Iuvenal. Sat. III, 190.:

Nos urbem colimus tenui tibicine fultam.

Dac.

Tippula. Glossarium: *Tippula* ἐφυδρίς, ἑξώπουν ἐπινηχόμενον τῷ νότῳ. Gaza perperam ἀσκαρίδας vertit *tippulas*. Siquidem tippulae non sunt vermes, sed potius aliud insecti genus, quod semper in rivis et fontibus visitur, summa celeritate superficiem aquae percurrens, quas vulgus Aquitanum et Accolae Garumnae *capras* vocant. Itaque dicta sunt παρὰ τὰ τίφη; τίφεα enim τὰ ἕλη, paludes, lacus. Itaque Varro:

— — — *levis*

Tippula limphῶν frigidos transit lacus.

Scaliger in Coniectaneis ad Varronem (pag. 139. ed. Steph.). Versus Plauti est e Persa Act. II. sc. 2, (62.):

Neque tippulae levius pondus est, quam fides lenonia.

Sed qui sic emendandus:

Neque tippulae levius pondus est quam fide lenoniae.

Nam *fide* antiqui pro *fidei*. *Dac.* Etiam hic Plauti locus ostendit, scribendum esse *tipulla*, ut voluit Scaliger ad Varr. pag. 139. ed. Steph. cf. Non. pag. 108. Merc.

Testiculari. A Testiculis. *Dac.*

Tifata. Tifata sunt iliceta, nemora, Curia Tifata, quae domum Curii ornabant. Vide *Curii fana* et *Mancini fana*. De Tifata monte urbi Capuae imminente Livius lib. VII, 29.: *Tifata imminentes Capuae colles quum praesidio firmo occupassent, descendunt inde quadrato agmine in planitiem, quae Capuam Tifataque interiacet. Dac.*

Thiasitas. Thiasus Gr. Θίασος, proprie Bacchantium turba. Hinc θιασιῶται, χορευταί, qui una exercent choros. Et Thiasitas tripudiantium, Bacchantium, convivarum etc. sodalitas. Sed mihi in mentem venerat, scripsisse Festum *Thiasotas, sodales*. Quod postea et Vossio in mentem venisse didici. Etsi *Thiasitas* libri omnes. *Dac.*

Tituli. Quasi *tutuli* a *tutando*. Sed potius, ut Iulius Scalig. lib. I. de re Poet. c. 9. a τίω, vel, ut Voss. a τιτίω, quod per reduplicationem a τίω. Hesych. τιτίει, τιμᾷ. *Dac.*

Titiensis. Quae et *Tatiensis* a Tito Tatio. *Dac.* Cf. Varro de L. L. lib. V. pag. 61. Sp.

Tetini. Ab antiquo *teno* pro *teneo* praeteritum *tetini* pro *tenui*. Supra *purissime tetinero* pro *purissime tenuero*. *Dac.*

Thraeces. Malim *Threces*. Et ab armis dictos Threces gladiatores ait, quia parmae, Thracia arma. Glossarium: *Parma*, Θρακικὸν ὅπλον. Sed potius sic dicti, quia primi ex ea gente erant. *Dac.*

Tryga. Τρύγα a recto τρύξ, quod Hesych. exponit ὁ νέος οἶνος. Item γλεῦκος ἀδιήθητον, vinum recens et vinum nondum percolatum. Sed et quodlibet aliud vinum Graeci τρύγα dixere, ut est apud Scholiasten Theocriti et Pollucem. *Dac. Unde trygetus.* Τρυγητός, quod proprie vindemia, neque unquam vinum τρυγητὸν dictum me legisse memini. *Idem.*

Titivillitium. Graeca verba ex Ammonio restituit Fulvius noster. Plautus in Casina (II, 5, 38.). Vide Fulgent. Planciad. (pag. 562. Merc.). *Ant. Aug.* Inter ea censendum, quae Graeci Critici vocant ἐπιφθεγματικά, Latini veteres *effutilia*. *Scal.* At Fulgentius Planciades (pag. 562. Merc.): *Titivillitium*, inquit, *dici voluerunt tila putrida, quae de telis cadunt*. Qua re suspicor scripsisse Fulgentium *telivillitium a tela et villus*. At Turnebus lib. XIV. Advers. cap. 3. *Textivillitium*, ut sit compositum ex *textu* et *vilitate*. Versus Plauti, quem Festus refert, est e Casin. Act. II. sc. 5, (38.). Sed pro *empsitem* legitur *emissim*. *Dac.* Ut apud Graecos βλίτυρι et σκινδαψός. Βλίτυρι est χορδῆς μίμημα, adeoque pro nugis et rebus nihili sumitur. Sed τοῦ σκινδαψὸς non eadem est ratio; est enim vel instrumentum musicum, vel plantae genus similis hederae apud Nysam in India, quare inter effutilia reponi non potest. Sed legendum σκινδαλμός, id est assula, segmentum ex calamo fisso. Schol. Aristophanis: σκινδαλμούς, τὰ τῶν καλάμων ξύσματα καὶ τὰ λεπτότατα τῶν ξύλων, et pro nugis apud Aristophanem sumitur in Ranis (v. 819.). *Idem.*

Trabs. Duo ligna compacta, nam simplicia proprie tigna dicuntur. *Dac.*

Tragus. A foetore hirci, qui τράγος dicitur. Tragi pisciculi meminit Athen. lib. VIII. et Plin. lib. IX. cap. 45. Spongiarum genus tragos vocavit. *Dac.*

Trabica. Apud Pacuvium legerem *in alveo. Labitur* proprie de navi, *labitur uncta carina* et *prolabi.* Accius: *ruit prolapsa* etc. *Trabica* autem aliud quam *trabs*, trabex τράφηξ, *trabica*, ut senex *senica*, trix *trica. Dac.*

Trachali. Purum putum Graecum est. Τράχηλος et Dorice τράχαλος, collum. Nempe conchae pars anterior τράχηλος; media μήκων vel μηκώνιον. Mediae sunt fauces, in quibus purpurae est flos succi tinctorii. Unde Aristoteles de purpura τὸ δὲ ἄνθος, ὃ ἔχουσιν ἀνὰ μέσον τοῦ μήκωνος καὶ τοῦ τραχήλου. Hoc est, ut Plin. ait: *Sed purpurae florem illum tingendis expetitum vestibus in mediis habent faucibus.* Voss. Huc referenda verba Hesychii τραχήλους, τὰς πορφύρας, ἔνιοι τοὺς σπονδύλους τῶν κογχυλίων. *Dac.*

Troia. L. m. habet *ludus* pro *lusus. Fulv. Urs.* Ludus puerorum. Virgil. lib. V. Aen. (602.):

Troiaque nunc pueri Troianum ducitur agmen.

Ubi Servius: *Ludus ipse, quem vulgo Pyrrhichiam appellant, Troia vocatur.* Hanc omnium optime describit Apuleius Miles. X. (V. pag. 163.). *Dac.*

Trifax. Eodem modo *Bifax.* Glossarium: *Bifax* δίχρωμος, διπρόσωπος, διττός. Ergo compositum a facie. *Scal.* Trisulcum, trifidum, a trina facie. *Dac.* Gell. X, 25. in fin. *Goth.*

Thocum. Throcum. Lege *Thronum*, ut habent quidam codd. *Thronus*, θρόνος, sella. Sive potius *Thocum* cum Meursio, a Graeco θῶκος. Suid. θῶκος, θρόνος, καθέδρα. *Dac.*

Tritogenia. Tritonia. Virg. II. Aen. (615.):

Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.

Eadem et *Tritogenia* a Tritone amne Libyae, unde et Herodotus Tritonis Accolas ei sacrificare dicit. Sed cur non potius a Tritone fonte, vel fluvio Cretae sive Arcadiae, sive etiam Boeotiae. Sive potius ab Aeolico vel Cretensi vocabulo τρίτω, id est caput, quod e Iovis capite nata sit. Id firmat Schol. Aristoph. in Nebulis (ad v. 989.): Τρίτω γὰρ ἡ κεφαλὴ παρ' Αἰολεῦσιν. Ἐγεννήθη δὲ ἡ Ἀθηνᾶ ἐκ τῆς κεφαλῆς τοῦ Διός. Et in Lysistrat. (ad v. 347.): Τριτογένεια δὲ ἡ Ἀθηνᾶ εἴτε διὰ παρὰ τῷ Τρίτωνι Λιβύης ποταμῷ γεννηθῆναι, ἢ παρὰ τὸ Τριτώ, ὃ παρὰ Κρησὶ τὴν κεφαλὴν σημαίνει. Οἱ γὰρ ποιηταὶ τὴν Ἀθηνᾶν ἐκ τῆς κεφαλῆς τοῦ Διὸς γεννηθῆναι μυθεύουσιν. Sed haec sunt veterum somnia. Et vere docuit Urbanissimus Chevraeus *Tritoniam* et *Tritogeniam* dictam a Tritta. Ita enim dicebatur Gnossus. *Dac.* Adde Tzetzes ad Lycophr. 519.

Truo. De onocrotalo vid. Plin. lib. X, 47. *Ant. Aug.* Compilator Glossarii legit *Truvo. Truvo Truvero* ὀνοκρόταλον. Quamquam in manuscripto et in editione est *Tribuo Tinuero. Scal.* Hieronymus ad Psalmum 101. Onocrotalum Pellecanum vocat. *Truo* fortasse a τρύω, *tundo*, *tero*, quod rostro arbores tundat. *Dac.* Alias Truo verbum idem quod moveo. Vide supra *Antruare. Goth.* Cf. Spengel. Fragmm. Caecilii, qui pag. 57. ex Aldino libro legit: *unde hic prorepsit truo.*

Trepit. Quod a Graeco τρέπω, *verto. Dac. Trapit* vel *Tropit.* V. *Goth.*

Triumphales. Vocabantur Etruscae. Tertullianus (de coron. milit. c. 13.): *Coronant et publicos ordines laureis publicae caussae. Magistratus vero insuper aureis, ut Athenis et Romae. Praeferuntur etiam illis Etruscae. Hoc vocabulum est coronarum, quas gemmis et foliis ex auro quercinis ob Iovem insignes ad deducendas tensas cum palmatis togis sumunt.* Haec ille, quae indicant illum ritum ex antiqua triumphantium consuetudine propagatum. Nam palmata est triumphantium. Sed quia Tertullianus ait, *quercinis foliis fingi;* Festus vero lauream antiquitus fuisse; praestat potius intelligere de ea, quae ab eodem Tertulliano describitur: *Triumphi laurea foliis struitur; hanc adumbratis lemniscis. inauratur lamnulis. Unguentis delibuitur* etc. Non est dubium, eam esse, de qua Festus agit. *Scal.* Gellius lib. V, 6.: *Triumphales coronae sunt aureae, quae Imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur. Id vulgo dicitur aurum coronarium. Hae antiquitus e lauro erant, post fieri ex auro coeptae.* Et non semper ex auro, sed ad imitationem veterum ex foliis, quibus interponebantur aurei lemnisci. Et sic triumphi lauream concinnatam scribit eruditissimus et vetustissimus autor Tertullianus: *Triumphi,* inquit, *laurea foliis struitur, hinc aureis lemniscis inauratur ac mustis unguentis delibuitur, an lacrymis coniugum ac matrum? fortasse quorundam et Christianorum.* Sic hunc locum, qui in editis insigniter depravatus, emendavit Salmasius. Porro non tantum ob triumphum coronae illac offerebantur, sed ob quamvis aliam pompam, ut ex veterum lectione constabit. *Dac.*

Templum. De templo multa Varro lib. VI. de Ling. Lat. (VII, 287. seqq. Sp.). *Ant. Aug.* Vide *Contemplari.* Pro tigno usus Vitruvius lib. VII. cap. 7.: *Supraque id fastigium columen cantherii, templa ita sunt collocanda, ut stillicidium tecti absoluti tertiario respondeat. Dac.* Vide supra *Minotaurus. Goth.*

Transtra. Transtra in navibus sunt scamna remigum. Virg. (Aen. V, 136.): *Considere transtris.* At in aedificiis transversae trabes, quae ex pariete (sic enim legendum, ut in MSS.) in parietem porriguntur. Usus Vitruvius lib. IV. cap. 2. *Transtra* autem quasi *transitra.* *Dac.*

Tromentina. Meminit Liv. lib. VI, 5. *Dac.* *Et locus in agro Laurente.* Sic Antenor locum illum, in quem cum multitudine Venetum primum egressus est, Troiam dixit. Vide Livium lib. I. init. *Dac.* Vide Florum VI. Epit. *Goth.*

Tragula. Κερκίς, βολίς, Graeci. *Scal.* A traiiciendo, Varro (pag. 120. pag. 141. Sp.), quasi *traicula.* Nam *tragula* sive *trahula*, quod a trahendo, aliud est, nempe instrumentum rusticum. Et male confundunt viri docti. *Dac.*

Themin. Nam Graece θέμις ius et fas. Haec templum habuit ad Cephisum Boeotiae fluvium. *Dac.*

Termes. Ramus direptus, vel, ut in MSS. desectus ex arbore, neque foliis repletus, neque iis destitutus. Termes olivae Horat. Epod. XVI, (45.):

Germinat et nunquam fallentis termes olivae.

Ubi vetus interpres: *Termites dicuntur caules, thyrsi seu rami olearum.* Unde Glossarium: *Termes dicitur proprie caulis olearum arborum.* Sed Termis de cuiuslibet arboris ramo dictum est. Est autem a Graeco τέρμις, quod in divisione agrorum, antequam metae ponerentur, ramos arborum figerent. *Dac.*

Tenus. Gloss.: *Tenus, πέρας, μέχρι.* Estque tenus a τέλος finis. *Dac.* *Tenus* pr. est accusativus antiqui nominis, quod *tenorem* significabat, a Lat. *tendere*, Sanscrito *tan.* Est igitur *tenus* idem quod *usque ad*, adverbialiter positum, ut Graecor. τέλος. Tum in praepositionem abiit.

Trossuli. Vide Iunium Gracchanum apud Plin. lib. XXXIII. cap. 2. *Ant. Aug.* Auctor Glossarii: *Trusulus, ὁ ἐν μικρῷ παχύς.* Videtur velle quasi Torosulos dictos, quod ego valde amplector. Varro Sesquiulysse (apud Nonium pag. 49. Merc.): *Nunc emunt trossuli nardo nitido volgo Attico talento equum.* Inde *trossula trabea* dicta apud veteres. Tria enim genera trabearum fuerunt: *Regia, Quirinalis, Trossula.* Regia tota de sola purpura, quam Graeci ὁλοπόρφυρον dicunt. Ea uti solis regibus licebat, vel adolescentibus de stirpe regia. Quirinalis concinnior, praeliis apta. Hac, cum bellum susciperetur, duces amicti Iani fores aperiebant. Trossula cocco purpuraque pertexta erat, quam etiam Auguralem vocabant, Graeci ἐφεστρίδα. Cui iccirco coccum adhibebatur, quod russati antea proeliabantur propter vulnera et aspersiones sanguinis, unde russati vocabantur. Ea non alia est a sago Punico. Inveni etiam in veteribus monumentis, consulem trabeatum Ianum Quirini aperire. *Scal.* Glossae Isidori: *Trosuli equites, Trosulus equester adolescens.* Glossae veteres in Persium: *Trossulum oppidum fuit Hetruriae, non longe a Volscis. Hoc equites Romani sine peditibus expugnaverunt Numio quodam duce. Unde equites Trossuli dicti sunt.* Idem Plinius lib. XXXIII, 2., qui etiam illud nomen Trossulorum pro equitibus non diu post Gracchum mansisse auctor est. Iam enim multos pudebat eo nomine appellari propter ambiguitatem vocis *Trossulus*, quae tunc delicatum et mollem significabat, a Graeco vocabulo τρυσσός, delicatus, mollis, ut optime Salmas. Et hanc vocem usurpavit Seneca Epist. 87.: *Idem faciam quod trossuli isti et iuvenes.* Ubi Trossuli non equites, sed delicati, luxu diffluentes. Item alibi. Unde Nonius (pag. 49. Merc.) *trossulos* dictos ait quasi *torosulos*, quo respexit Glossographus: *Trusulus, ὁ ἐν μικρῷ παχύς.* *Dac.*

Taciturnus. Qui amat tacere; *tacitus* qui tacet. *Dac.*

Tenitae. *Tenitae* sive *Tenirae* a tenendo dictae sortium Deae. Sed fere ignotae, ita ut perpauci essent apud veteres, si erant aliqui, qui earum aris honorem imponerent. *Dac.*

Termino. *QUEI TERMINOM EXARASSIT IPSUS ET BOVEIS SACREI SUNTO.* *Scal.* Terminorum Deo, qui sub figura termini, hoc est rudis ac in formis lapidis vel stipitis colebatur. Ovid. Fast. lib. II, (641.):

Termine, sive lapis sive es defossus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque momen [tu quoque numen] habes.

De modo huic sacrificandi deque eius sacris, quae Terminalia dicta, ibidem Ovid. *Dac.*

Terminus quo loco colebatur. Ovid. II. Fast. (671.):

Nunc quoque, se supra ne quid nisi sidera cernat
Exiguum templi tecta foramen habent.

Servius lib. II. Aen. (IX. pag. 575. D. Dan.): *Unde in Capitolio superna pars tecti patet, quae lapidem ipsum Termini spectat. Nam Termino nonnisi sub divo sacrificabatur.* *Dac.*

AD LIBRUM XIX.

Vicinia. Aliter Cornelius Fronto: *Vicinia vicorum coniunctio. Vicinitas hominum conversatio est.* Et apud Terent. (Andr. I, 1, 43.): *Commigravit huc viciniae.* Vicinia est locus, ubi plures vicini habitant. Et *vicinitas* vicinorum propinquitas. Idem: *Virtus tua me vel vicinitas* (Terent. Heaut. I, 1, 4.) etc. *Dac.*

Vesperna. Vide *Scensas. Ant. Aug.* Vide Donatum in Eunuchum. *Scal.* Desideratur Plauti locus, unde hoc Festus. Vide *Coena* et *Scensas. Dac.*

Vesticeps puer. Vestis dicitur pubes et barba. Pro *pube* usus Lucretius lib. V. (672.):

— — *Et impubem molli pubescere veste.*

Pro *barba* Virgil. VIII (659.):

Aurea caesaries ollis atque aurea vestis.

Inde *vesticeps* puber, *investis* impuber. Nonius (pag. 45. Merc.): *Investes dicuntur impuberes, quibus propter teneram aetatem nulla pars corporis pilat.* Vide *Pubes. Dac.* Alio significatu *Vestispici* Nonio (pag. 12. Merc.) Vestium custodes. *Goth.*

Veia. Varro lib. IV. de Ling. Lat. (V. pag. 42. Sp.): *Veha brevis vehiculum est* (v. *veha* nunc ibi omittitur); et alio loco (V. pag. 50.): *velabrum dicitur a vehendo; velaturam facere etiamnunc dicuntur, qui id mercede faciunt; hinc vecturae. Ant. Aug.* Lege: *Vela apud Oscos dicebatur plaustrum, unde velarii stipites in plaustro, et vectura velatura. Vela* a *veho*, ut *tela* a *tecco.* A vela *velatura.* Apud Varronem *velaturam facere* id est facere vecturam. *Dac.* Est a Sanscrita radice *vah*, vehere, trahere, unde *vahâ* (vahas) currus, quod Latine sonat *veha* et *veia.*

Urbanas. Varro lib. IV. (V. pag. 53. Sp.): *Ab hoc quoque quatuor partes urbis tribus dictae: ab locis Suburana, Esquilina, Collina, Palatina. Dac.*

Vestis. Ait vestem dici omne id, quo quis vestitur; vestimentum partem aliquam vestis, ut tunicam, pallium etc. Sed discrimen illud non observatur. *Dac.*

Vescus. Gloss.: *Vescus*, ὀλιγόσιτος, ὀλιγοδεής. Gellius lib. XVI, 5.: *Ve particula, sicut quaedam alia, tum intentionem significat, tum minutionem; et vescum autem, quod ex ve particula et esca copulatum est, utriusque diversae significationis vim capit. Aliter enim Lucretius* (I, 319.) *vescum salem dixit, ex edendi intentione; aliter Lucilius appellat cum edendi fastidio.* Festus et Gellius hunc Lucilii versum respiciunt, quem ex Annal. (Sat.) XXVI. laudat Nonius:

Quam fastidiosum ac vescum cum fastidio vivere.

Dac. Adde Nonium (pag. 186. seq. Merc.) in *Vescum. Goth.* Cf. Doederlin. Syn. et Etym. Lat. tom. IV. pag. 168. qui *vescus* a *vagari* deducit.

Vescor. Adde Nonium (pag. 415. Merc.) in *Vesci. Goth.*

Vesperugo. Plaut. in Amph.: *Nec iugula nec vesperugo, neque Vergiliae occidunt. Ant. Aug.* Locus Plauti Amphit. Act. I. sc. 1, (118.):

Nec iugula, neque vesperugo, neque Vergiliae occidunt.

Vesperugo aliis *vesper* et *vesperus*, ἕσπερος. *Dac.* Glossis Ἕσπερος. Adde Varronem (p. 189. p. 336. Sp.). *Goth.*

Vespae. Suspectus locus, quo refertur Martialis, quem non alio loco nominaverat, et Festo fuit, ut arbitror, posterior. *Ant. Aug.* Finalia illa: *Hi etiam Vespilones* etc. omnia ab inepto mutilatore huc assuta sunt. *Scal.* Glossae Isidori: *Vespillones, fossarii, qui mortuos sepeliunt, baiuli.* Vespa, vespilio, a *vespere.* Mnaseas scripsit in Cecrope libro *Apollinem posteaquam a Iove vinctus atque interfectus est, a Vespillonibus ad sepulturam elatum esse. Dac. Hi etiam.* Haec finalia unde sunt in fronte promptum gerunt. A barbaro mutilatore scilicet, vel ab alio quovis huc assuta, ut volunt viri docti. Sed frustra. Nam delenda tantum *hi etiam vespilones vocantur.* Nam cetera sunt Festi, qui Martialem laudare potuit, ut et infra *Canium* laudat, qui Martiali contemporaneus fuit. Illa *hi etiam vespilones vocantur* ab studioso aliquo ad vocem *Medicus*, quae inversa Martialis (I, 31.) adscripta fuerant, ut innueret medicos vespilones etiam dictos. Nihil certius. Viris eruditis illud imposuit, quod Festum Martiale antiquiorem putarunt. Quod contra est. Martialis enim Festum multis annis antecessit. *Dac.* Non intellexit Martialis locum Dacerius. Ceterum recte se habet Paulli locus, nec videntur serius esse addita verba *Hi etiam* cet. *Vespulas* dictos esse ait, quod credibile est, forma deminutiva. Martialis autem locus ad superiora tantum spectat.

Vespices. Mihi ignota vox. Coniiciebam: *veprices fruteta densa a similitudine vepris.* Tamen nihil temere mutandum. *Dac.*

Velati. Ergo a *velare velites* dicti, hoc est *velati*, quod vestiti tantum et sine armis exercitum

sequerentur. Supra tamen in *Advelitatio* legitur: *Velites dicuntur expediti milites, quasi volites, id est volantes.* Sed haec nobis suspecta sunt et videntur Paulo potius tribuenda. Locum adi. *Dac. Ipsi sunt et ferentarii.* Et adscriptivi et accensi. Vide *Adscriptivi* et *Ferentarii. Idem. Qui tela ac potiones militibus ministrabant.* Ferentarii, ministratores. Nam accensi iidem, qui ferentarii. *Idem.* Vide supra *Adscriptitii.* Adde Nonium (pag. 416. Merc.) in *Velare. Goth.* Cf. quae supra notavimus ad v. *Adscripticii.*

Velitatio. Plautus in Menae. (V, 2, 28.): *Nescio quid vos velitati estis inter vos duos. Dac.* Adde supra *Sub vitem.* Adde Nonium in *Veles* (pag. 552. Merc.) et *Velitatio* (pag. 3. Merc.). *Goth.*

Veternosus. Varro Eumenidibus: *Nam ut arquatis et veternosis, quae lutea non sunt, aeque ut lutea videntur, sic insanis sani et furiosis videntur esse insani.* Glossae: *Veternosus* φθισικός, ὑδρωπικός. Pro phthisi Apuleius lib. IX. (pag. 223, 1. ed. Elm.): *Totumque corium veterno atque scabiosa macie exasperati.* At Virgilius pro lethargo. *Scal.* A veterno, id est lethargia, stupore, somno. Virgil. I. Georg. (124.):

Nec torpere gravi passus sua regna veterno.

Veternus etiam morbus intercus, hydrops. Gloss.: *Veternosus,* φθισικός, ὑδροπικός. *Dac.* Vide Nonium (p. 35.) in *Arquatus. Goth.*

Veteratores. Donat.: *Veterator est vetus in astutia, et qui in omni re callidus est.* Proprie de servis dicitur, qui longo usu et longa servitute astuti et vafri facti sunt. *Dac. Cannius.* Melius Canius, qui poeta fuit Gaditanus aetate Domitiani. *Idem. Cannius,* Gannius, Sannius, Granius, T. Annius, Canius. *Goth.*

Veterina. Glossae: *Veterina bestia,* ὑποζύγιον. *Scal.* Gloss.: *Veterina,* κτήνη. Veterinum, iumentum, κτῆνος. Lucret. lib. V, (863.):

Ne forte ex homine et veterino sanguine equorum.

Veterinum quasi *vehiterinum,* sed prius dictum *veturium,* quasi *vehiterium. Dac.* Vide Nonium (p. 13. Merc.) in *Veterina Veterinarius.* Glossis ἱππίατρος. *Goth.*

Vitulans. Varro lib. VI. (VII. pag. 385. Sp.): *Vitulantes a vitula.* Similiter Graeci a μόσχος vitulus dixere μοσχιᾶν vitulare. Sed si a vitulus secunda syllaba corripi debet, quae manifesto apud Ennium producitur, dicendum igitur a *vita,* quae interdum laetitiam et lubentiam signat, esse diminutivum *vitula.* Unde *vitulari* et *vitulare* pro lubentiis diffluere. Nonius (pag. 14. Merc.): *Vitulantes veteres gaudentes dixerunt. Dictum a bonae vitae commodo, sicuti qui nunc est in summa laetitia vivere eum dicimus. Naevius Lycurgo:*

Ut in venatu vitulantes ex suis
Locis nos mittant poenis decoratos feris.

Inde etiam hilaritatis Dea *vitula* dicta, cuius meminit Macrob. lib. III. Sat. 2. *Dac.* Cf. Doederlin. Syn. et Etym. L. L. tom. III. pag. 246. qui *vitulari* a *vigere* deducit, dictumque existimat contracte pro *vigetulari,* nec cum *vitulo* componi posse ostendit, propter variam syllabae primae quantitatem.

Viduertas. A viduare viduertas, ut ab uberare ubertas. *Dac.*

Vitiligo. In MS. *vituligo.* Ita et Gloss. Quod favere videtur etymo a *vitulo.* Sed melius *vitiligo* a *vitio.* De ea sic Celsus extremo lib. V.: *Vitiligo quamvis per se nullum periculum affert, tamen foeda est et malo corporis habitu fit.* Deinde tres eius species esse ducit, *alphos, melas* et *leuce.* Sed locum adi. *Dac. Vitium* imputabile significat, a Germanica stirpe *wit, witz,* quae notat imputare, exprobrare, quae notio adhuc superest in v. *verweiss,* opprobrium. Cfr. Lisch. in censura Doederlin. in Jahn. Ann. XI, 1. p. 31. *Vituperare* est vitium (i. e. exprobrationem) alicui parare. Ex quibus intelligitur, *vitiligo* v. neque a *vitulo* neque a *vitio* dici potuisse; sed a Germanico *wit, weiss,* fit verbum deminutiva forma *vitulire,* vel *vitilire,* unde *vitiligo,* quemadmodum a *prurire prurigo.*

Vel colligatio. Lege: *Vel conligatio quidem est disiunctiva, non scilicet earum rerum* etc. *Dac.*

Vibices. Excitatum verberibus corpus. Varro lib. VI. de L. L. (VII. pag. 344. Sp.). Inde *praegnantes plagas* vocat Plautus (Asin. II, 2, 10.) *Vibices* a Graeco ἴβυκες, id est στιγμοί. Hesych. *Dac.*

Vibrissae. Glossarium: *Vibrucae* τρίχες ῥινός. *Scal.* A verbo *vibrissare* dictae *vibrissae,* quod spiritu, qui per nares eat, *vibrentur,* id est *crispentur. Dac.*

Vibrissere. Vibrisse. Lege: *Vibrissare. Scal.* In MSS. est *vibrissere.* A *vibro vibrisso,* ut a *peto petisso. Vibro* autem est *concutio, proiicio,* et quia quae proiiciuntur, motu tremulo crispantur, inde *vibro,* id est crispo. De Titinii versu vide in *Succrotila,* ubi, quae duobus locis distracta sunt, non male, ut puto, coniunximus, ubi etiam *ex vibrisses* lege uno vocabulo *exvibrisses,* ut hic. *Dac.* Cf. Both. Fragmm. Scen. tom. V. p. II. pag. 74. seq.

Vici. (Ad p. 276.) Abundat negatio: *Villas non habent.* Deinde legendum infra: *item magistri pagi, qui creati quotannis fuerint.* Scriptum erat primum ἀρχαϊκῶς *paci* pro *pagi.* Ex quo factum *pauci.* Postea

lege: *Altero, cum id genus aedificia, quae continentia sunt, viis oppidi, itineribus* etc. *Tertio.* diversa sunt a superioribus. Nam superius aedificia continentia, hic separata intelligit. In fine lege: *sicut hi, qui aut in oppidi viis* etc. *Scal.* Lego: *Vici appellari incipiunt ex agris, qui ibi villas habent* etc. Nam vici sunt plures villae coniunctae. Tria genera vicorum Festus statuit, *villaticum*, *urbanum* et *domesticum*, aitque agrorum vicos alios habere remp. et ius dici, alios non item, et habere tamen nundinas, ibique vici pagique magistros quotannis fieri. Deinde docet vicanos dici, qui in oppidorum et agrorum vicis degunt, non vero eos, qui in domesticis, qui proprie vicini dicuntur. Haec est Festi sententia, sed quia eius verba corrupta et mutila sunt, integrum locum ponam, ut eum Schedae repraesentant: *Et tamen ibi nundinae aguntur negotii gerendi caussa et magistri vici, item magistri paci quotannis fiunt. Altero cum id genus aedificiorum definitur, quae continentia sunt his oppidis, quae itineribus regionibusque distributa inter se distant nominibusque dissimilibus discriminis caussa sunt dispartita. Tertio cum id genus aedificiorum definitur, quae in oppido privo, id est in suo quisque loco proprie ita aedificat, ut in eo aedificio pervium sit, quo itinere habitatores ad suam quisque habitationem habeat accessum, qui non dicuntur vicani, sicut ii, qui aut in oppidi vicis, aut hi, qui in agris sunt, vicani appellantur.* In his *paci* antiqua scribendi consuetudine pro *pagi*, ut in columna Duillii *Macistratos* et *Leciones*. *Dac.* Adde de magistris vici ac paci supra *Magisterare*. *Goth.* *Vicani.* Glossis κωμητικοί. *Goth.*

Viget. Gloss.: *Vigeo*, θάλλω, ἀκμάζω, ut de iis dicatur, qui vi et robore praediti sunt. Quare Festus a vi et ago deducit, quod *vi agunt*, et quoniam *vi agere* poterat depravari et in malam partem accipi, adiecit *agere* seu *vi agere* non dici de iis, qui per vim omnia perpetrant et hostiliter agunt, sed de iis, qui celerrimo et concitato animo ad egregia feruntur. *Dac.*

Voisgram avem. (Ad p. 276.) *Volsgram.* Quae se vellendo malum auspicium faciebat. Eas intellexit Statius (Theb. III, 513.):

— — *Simul ora recurvo*
Ungue secant rabidae planctumque imitantibus alis
Exagitant Zephyros et plumea pectora cadunt.

Dac. *Eandem fecilitram.* Forte *Fulicitram* a *fulica*. *Idem.* *Fecilitram.* Fucillantem. *Goth.*

Viginti quinque. (Ad p. 276.) Schedae: *Viginti quinque poenae in XII. significat viginti quinque asses.* Hanc legem XII. tabularum refert Gellius lib. XX, 1.: *Si iniuriam alteri faxit, viginti quinque aeris poenae sunto.* Ubi delendum v. *aeris* ex auctoritate Festi. Et viginti quinque esse viginti quinque asses idem Gell. ibid.: *Sed enim ipsum vide, quod in iniurias factas quinque et viginti assibus sanxerunt. Dac.* Plin. I. *Goth.* Apud Plinium H. N. nihil inveni. Sed cf. Legg. XII. Tabb. Fragmm. ed. Zell. pag. 42. tab. VIII, 4. ubi vide, qui sunt excitati.

Victimam. (Ad p. 276.) Inde Glossarium *victimarius*, μοσχοθύτης, μοσχοτόμος. Sed tertium etymon verum est, victima, quae ob hostes victos (sic enim legendum, ut in Schedis) Ovid. (Fast. I, 335.):

Victima, quae cecidit dextra victrice vocatur.

Vide *Hostia* et *Maxima hostia*. Pro *vincta* in Schedis est *victa*. Fortasse pro *vitta* inquit Ursinus. Nam boves auratis cornibus, vittis ornati et sertis ad aram ducebantur. Praeterea Serv. II. Aen. (pag. 237. E. Dan.) scribit: *Solutae sunt hostiae, nam piaculum est, in sacrificio aliquid esse religatum.* Nihil tamen mutandum. *Dac.* Glossis: *Victimae*, τὰ μέγαλα θύματα. *Goth.*

